PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORÆ.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR ; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CLXIV.

S. BRUNO ASTENSIS, ABBAS MONTIS CASINI ET EPISCOPI SIGNIENSIUM.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1854

Digitized by Google

C 5501



1875, March 22.
Bequest of
James Walker, S.D. LL.D.
(H.U. 1814.)
President of Harv. Univ.

7041
41-343
1-51

Digitized by Google

SÆCULUM XII

S. BRUNONIS

ASTENSIS

ABBATIS MONTIS CASINI ET EPISCOPI SIGNIENSIUM

OPERA OMNIA

AUCTA ET ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATA

JUXTA EDITIONEM ROMÆ ANNO 1791 CURANTE BRUNO BRUNI DATAM

ACCEDIT

ODDONIS ASTENSIS MONACHI BENEDICTINI

EXPOSITIO IN PSALMOS

S. BRUNONI AB IPSO AUCTORE DICATA

Quam ad calcem Operum S. Brunonis edidit D. Maurus Marchesius, Casinensis decanus, Venetiis anno 1651

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS PRIMUS

VENEUNT 2 VOLUMINA 14 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P MIGNE EDITOREM

IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM

SEU PETIT MONTROUGE

1854

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CLXIV CONTINENTUR

S. BRUNO ASTENSIS SIGNIENSIS EPISCOPUS.

		Col.
Prolegomena.		9
Expositio in Genesin.		147
—	in Exodum.	233
—	in Leviticum.	377
—	in Deuteronomium.	505
—	in Job.	551
—	in Psalmos.	695
—	in Proverb.	1230
—	in Cantica.	1234

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

REGIÆ CELSITUDINI

CAROLI EMMANUELIS

PEDEMONTII PRINCIPIS, ETC., ETC.

BRUNO BRUNI SCHOLARUM PIARUM.

Cum, Regia Celsitudo, novam operum S. Maximi episcopi Taurinensis editionem, jussu Pii sexti pontificis maximi absolvissem, eamque Augusto regi, Victorio Amedeo optimo parenti tuo, ipsius nomine ornatam, eodem pontifice maximo jubente, Taurini reddidissem; prospere etiam mihi contigit, quod jamdiu magnopere optaveram, ut te quoque præsentem colerem; atque ex ipsius pontificis mandato eadem S. Maximi opera tibi humillimus offerrem. Tunc sane quæ absens de te celebrari, summisque laudibus extolli audiveram; egregiam nempe indolem tuam, ingenii aciem, singularem humanitatem, animique præstantiam, quibus certam spem præbes proavis tuis ducibus, ac regibus imparem non futurum, coram sum admiratus. Sed multo magis me in obsequium, et admirationem abripuit sapientia tua; vix namque lustratis aliquibus S. Maximi homiliis; statim de ejus latini sermonis elegantia, de doctrinæ copia, de orationis robore, tanquam peritissimus judex, quam recte, præclareque sentires, significasti. Hæc admiratio desiderium in me accendit, ut aliquid pro exiguis viribus meis pararem, quod regia celsitudine tua non indignum foret, meamque erga te venerationem testatam faceret. Neque diu cogitandum mihi fuit, quid eligerem; cum novissem, quanti rex parens tuus æstimarat munus pontificium editionem scilicet concionum, et tractatuum sancti Maximi, qua nominis ejus celebritas, laus Ecclesiæ Taurinensis, atque regalis familiæ gloria confirmata, et illustrata est. Ægre jamdiu ferebam alterum Ecclesiæ lumen in Pedemontii regione ortum, atque excultum, a probatissimis scriptoribus commendatum, in quadam oblivione, et obscuritate jacere; quod scripta ejus non satis diligenter conquisita fuerint, nulla autem cura typis tradita pene in contemptum abierint. Is est S. Bruno Astensis ex nobilissima Soleria gente, medio sæculo XI procreatus, Signiæ in Campania episcopus, atque insignis monasterii Casinensis abbas. Scripsit autem Bruno doctissimos commentarios in plures utriusque Testamenti libros, sermones etiam quamplurimos in Evangelia, atque tractatus ecclesiasticæ eruditionis non paucos, quibus cum præclara doctrinæ, et sapientiæ argumenta præbuisset, sanctus Gregorius VII, Victor III, Urbanus II, Paschalis II, Romani pontifices, eum plurimi fecerunt, eique gravissima munera demandarunt. Collatis igitur S. Brunonis operibus quæ edita sunt cum optimis mss. ejusdem ævi, aut paulo inferioris, novi illa immerito huc usque neglecta, ab erratis mendisque librariorum expurgari posse, suppleri omissa, et singula nativæ suæ lectioni restitui. Comperi etiam maximam homiliarum partem, quarum ipsum S. episcopum auctorem fuisse constat evidentissime, notho scriptori Græco non sine fraude tributam, nonnullosque alios libros a S. Brunone exaratos alio nomine publici juris factos. Quare operæ pretium duxi, injuriosas hujusmodi S. antistitis æstimationi rapinas detegere, scripta ejus ab usurpatione vindicare, emendatiorem perfectioremque editionem veteri mendosæ opponere, atque conflatas in eum censuras diluere ac propulsare. Causam ago doctissimi sanctissimique viri, cujus in rempublicam Christianam merita, amplissimæque doctrinæ ornamenta tunc me vere prædicasse putabo, cum clarissimis Pedemontanis episcopis jure optimo comparandum Brunonem dicam. Hi quidem sunt, qui luctuosis temporibus Ecclesiæ laboranti firmissimo præsidio fuerunt; qui magna, et ardua pro Dei gloria egerunt, qui invicto animo pro doctrina catholica decertarunt. Eusebium Vercellensem cum nominem, quis ignorat eum fidei Nicænæ assertorem validissimum, malleum Arianorum appellari? Si huic addam Valerianum Cimeliensem seu Nicæensem episcopum medio V sæculo homiliarum auctorem illustrem, Maximum Taurinensem sacro e suggestu oratorem disertissimum, Turibium item episcopum Asturicensem sanctitate, atque doctrina tota in Hispania celebratissimum ab ipso S. Leone Magno suis litteris commendatum, eos in fastis ecclesiasticis laudatissimos commemorabo. Horum gloriam et in Ecclesiam merita æmulati sunt posteriores Atto Vercellensis ob commentarios in Sacras litteras, tractatus theologicos, et conciones ad populum nemini secundus, atque Anselmus archiepiscopus Cantuariensis jurium Ecclesiasticorum vindex post hominum memoriam invictissimus doctissimusque theologus. Age vero nonne inter istos splendidissimum obtinet locum S. Bruno Astensis Signiensium episcopus, ut acta Vitæ ejus et scripta luculentissime testantur? Ille enim operarius in vineam Domini missus fuit ea ætate qua hæresis Berengariana, Guiberti Ravennatis schisma, Simonia, cleri corruptio, ecclesiasticorum jurium usurpatio sacra omnia contexebant. Bruno igitur, refugientibus et pertimescentibus cæteris callidissimi hominis audaciam, decertare cum Berengario in concilio Romano non dubitavit, et longam acerrimamque de sanctissimo Eucharistiæ sacramento instituere disputationem; cujus tandem fuit exitus, ut

Digitized by Google

homo ante audacissimus, et in sua perfidia obfirmatissimus, mutaret repente animum erroresque suos damnaret. Amplissimam hanc victoriam aliis atque aliis palmis vir sanctissimus cumulavit, qua sermonibus, qua scriptis suis, cum esset episcopus Signinus, virtuteque pastorali divinitus instructus, hæreticos, schismaticos, Simoniacos aggressus, nullibi eos consistere patiebatur, donec ad Ecclesiæ catholicæ sinum confugerent, ubi et sacrorum dogmatum integritatem addiscerent, et pacis concordiæque amori studerent, et legum custodiam tenerent. Hæc cum recolo, lectissime princeps, videor videre exsultantem animum tuum, qui ad omnem religionem ac pietatem formatus, lætaris profecto, audiens a sanctissimis et doctissimis episcopis tua in dominatione ortis Ecclesiam semper esse defensam, eliminatos errores, sancta Jesu Christi dogmata populis tuis tradita, et alias etiam in regiones propagata. Lætaris, inquam, quod nihil felicius, nihilque jucundius regibus atque principibus contingere potest, quam quod suo in regno floreat Christiana religio, illæsum a pravis opinionibus servetur depositum fidei, et perfecta concordia sacerdotium inter et regnum stabilis perseveret. Hæc te sentire, hæc te in votis habere, cum ab ore tuo, non sine maxima jucunditate perceperim, tuaque gesta ad hoc unum pertingere videantur; enixas preces ad te effundere non dubitavi, ut S. Brunonis opera a me collecta, ineditis scriptis aucta, adnotationibus illustrata, et suæ sinceritati restituta benigne complectaris, tuoque nomine ornari permittas. Vereor tamen exiguitatem meam haud satis dignitati ac sapientiæ tuæ responsuram; sed erit magnanimitatis tuæ veniam, quam exoro, mihi clementer impertiri; et hoc qualecunque obsequentis animi mei testimonium habere acceptum. Interim Deum O. M. deprecor atque obtestor, ut regem parentem tuum, et te, totamque regiam familiam diutissime sospites servet ad Christiani nominis gloriam, ad populorum tuorum felicitatem, ad Ecclesiæ catholicæ præsidium, ad scientiarum bonarumque artium incrementum.

Dabam Romæ ex collegio Nazareno Scholar. Piar. Kalend. Sextilibus anno D. 1789.

PROLEGOMENA IN S. BRUNONIS ASTENSIS OPERA.

PROLEGOMENON PRIMUM.

PROŒMIUM.

Absoluta sub auspiciis, magnaque auctoritate, ac beneficentia Pii VI pontificis O.M. operum S. Maximi episcopi Taurinensis editione, cui litterati omnes plauserunt, egeruntque grates quamplurimas sapientissimo pontifici, qui doctis tam præclari antistitis monumentis ornari Ecclesiam mandaverit; desiderium optimæ ejus voluntati obsequendi, et amor illustrandæ patriæ me impulit, ut alterius Pedemontani præsulis pervulgata scripta splendidiorem in lucem emitterem. Noveram equidem S. Brunonem Astensem Signiæ in Campania episcopum commentariorum in utrumque Testamentum, plurimorumque tractatuum auctorem; sed vehementer dolebam tum interpretationes ejus in sacram Scripturam, tum lucubrationes alias parum feliciter editas huc usque obscuras jacere, atque neglectas. Quare operæ pretium duxi eas cum melioribus codicibus mss. conferre, et quidquid novi, vel perfectioris lectionis comperissem, addere, ut ad suam integritatem, et nativam præstantiam restitutæ reviviscant amplioremque æstimationem obtineant. Hanc igitur provinciam, arduam valde, et salebrosam alacriter aggressus sum, sperans rem me facturum gratissimam his qui sacris studiis delectantur, quique sancta religionis nostræ dogmata, atque ecclesiasticas traditiones a SS. Patribus, tanquam a purissimis fontibus haurire concupiscunt, si S. Brunonem expurgatum, illustratum, et ineditis scriptis auctum eis legendum præbeam.

CAPUT PRIMUM.

DE SCRIPTIS S. BRUNONIS ASTENSIS A MAURO MARCHESIO MONACHO CASINENSI EDITIS, DEQUE SCRIPTORUM TESTIMONIIS.

In duo volumina Marchesius S. Brunonis opera distribuit, ediditque Venetiis apud Brentanos an. 1651. Horum primum comprehendit commentarios in quinque libros Moysi, in Psalterium, in Canticum canticorum, in Job, et in Apocalypsim. His præmittit collector dissertationem suam historicam de S. Brunone, deque ejus scriptis. Huic subsequitur disquisitio Philippi Malabaylæ monachi Cisterciensis, et congregationis S. Bernardi visitatoris *De ortu S. Brunonis, canonicatu, et recessu a Casinatibus.* Tertio legitur Vita ejusdem sancti scripta a Petro Diacono bibliothecario Casinensi, lib. IV, cap. 34 chronici ejusdem cœnobii. Quartum locum tenet altera Vita S. episcopi ab anonymo, ut fertur, Signiensi canonico in quinque lectiones distributa. Hæc sunt documenta, quibus lectores suos de gestis, scriptisque S. Brunonis instruit editor prælaudatus. Alterum volumen continet 145 homilias, seu sacras conciones in Evangelia totius anni, sex libros Sententiarum, qui sunt sermones de diversis; præterea tractatus De incarnatione Domini, De sacrificio Azymi, De sacramentis, et ecclesiasticis ritibus, Vi-

Digitized by Google

tam S. Leonis papæ IX, cui additur responsio ad quæstionem : *Cur corruptus status Ecclesiæ*. Insuper eodem in volumine habentur compendium Vitæ S. Petri Anagniæ episcopi, et epistolæ duæ, una ad Petrum episcopum Portuensem, altera ad Paschalem II pontificem.

Sed alia plura exarasse Brunonem constat ex catalogo scriptorum ecclesiasticorum, quorum testimonia suo loco subjicienus. Petrus Diaconus nuper laudatus primus fuit, qui de eo scripsit, lib. XXXIV De viris illustribus Casinensibus, eumque insignissimum, et splendidissimum Ecclesiæ defensorem, et doctorem appellavit. Post eum de eodem S. episcopo Signiensi egerunt Sixtus Senensis, Cæsar cardinalis Baronius, Robertus cardinalis Bellarminus, Natalis Alexander, Ferdinandus Ughellius, Aubertus Miræus, Joan. Albertus Fabricius, Antonius Possevinus, Theophilus Raynaudus, Philippus Labbeus, Jacobus le Long, Guillelmus Cavelus, Casimirus Oudinus, Joannes Mabillonius, Franciscus Combefisius, Ludovicus Elies Dupinius, Augustinus Calmetus, Remigius Ceillerius, Dominicus Maria Mansius in notis ad bibl. Fabricii M. et J. Latinitatis, Joannes Marius in adnotat. ad Petrum Diaconum De viris illustribus, Joannes M. comes Mazzuchelius, omnes tandem scriptores Casinenses, quos si recenserem, nimis longus essem.

CAPUT II.

DE DISCREPANTIA SCRIPTORUM IN ADNOTANDIS BRUNONIS OPERIBUS.

Dissentiunt autem inter se prælaudati auctores in eodem censu operum S. Brunonis describendo; cum alii plura, alii pauciora ei tribuant. Aliqui non vulgata quædam memorant, quidam nonnulla ei auferunt, aliaque falso supponunt. Scripta vero, quæ omnium suffragiis Brunoni Astensi conceduntur, sunt expositiones in Pentateuchum, in psalmos, in Job, in Canticum canticorum, et in Apocalypsim. Habetur etiam auctor plurimarum homiliarum in Evangelia, et sermonum, sicuti aliquorum tractatuum, cum de his expressam mentionem faciat Petrus Diaconus, ejusque sacras conciones suis sub titulis describat. Verum non satis diligenter adnotata sunt a Petro Diacono singula Brunonis opera; omittit enim commentarium in Isaiam, cujus ipse in præfatione ad Apocalypsim meminit; item expositiones siluit in libros Josue, Judith, et Regum ab aliis eidem commentatori attributas. Silentio etiam præterivit præclaram illustrationem in quatuor Evangelia, sicut parabolam Salomonis De muliere forte a Brunone interpretatam. Jacobus equidem le Long fere omnes hujusmodi commentarios in elencho opp. S. Brunonis descripsit, ejusque expositionem in quatuor Evangelia testimonio duorum codicum confirmavit; quorum unus est Bibl. S. Victoris Parisiensis, alter bibl. Regii Athænei Taurinensis, quod etiam admonet comes Mazzuchelius. Diligentior etiam fuit Remigius Ceillerius congr. S. Mauri monachus in catalogo scriptorum S. Brunonis, cum plura memoret ab aliis prorsus omissa.

CAPUT III.

DE CODICIBUS MSS., QUIBUS NOVA OPP. S. BRUNONIS EDITIO INSTAURATUR.

Non ausus essem Venetæ editionis S. Brunonis emendationem suscipere, nisi lectione, collationeque optimorum codicum mihi constitisset, eam expurgari, suppleri, perficique posse. Et quidem cum in feriis autumnalibus anno 1785, hac de causa Florentiam me contulissem, primas curas impendi in comparanda lectione V librorum Moysi, qua usus est Bruno cum insigni codice biblico olim monasterii S. Salvatoris montis Amiatæ ordinis Cisterciensis in agro Senensi jam ab anno præcedenti in bibl. Mediceam Laurentianam translato. Hoc de codice clariss. canonicus Angelus M. Bandinius Reg. bibl. præfectus eruditissimam descriptionem in Ephemeridis Florentinis statim publicavit, pluraque de ejus præstantia, et antiquitate disseruit, quæ ego breviter contraham, ut quanti faciendum sit venerabile illud sac. Scripturæ monumentum magis magisque innotescat. Volumen istud ingentis molis est membranaceum in folio grandiori, quadratis characteribus Romanis nitidissimo exaratum, optimeque asservatum, ejusque vetustas a VI Domini sæculo repetitur, cum ex epigraphe ab aliquo S. Gregorii M. discipulo exscriptum arguatur. Continet autem libros omnes utriusque Testamenti, cujus variantes lectiones adnotabimus. Differt autem in capitum divisione, quod, ut eruditissimus Joseph M. Blanchinius admonet, et clariss. Petrus Lazzarius in præf. ad comment. Brunonis in Evangelia, apud veteres bibliographos usitatum comperimus. Nemo huc usque in dubium vertit S. Brunonem Signiensem episcopum expositionem in Pentateuchum egisse, cum ipse sua in prolusione fateatur, rogatu Petri Anagniæ episcopi opus illud elaborasse, de quo etiam testimonium perhibent plures mss. codices vel XII seculi, in quo floruit S. Bruno, vel sequentis XIII. Primum codicem, quem ego ipse cum editione Veneta comparavi mihi suppeditavit supra memoratus canonicus Angelus M. Bandinius, et est membranaceus in fol. minor. olim. bibl. S. Crucis Minor. in Laurent. Medic. translatus, et exstat in Plut. IX, p. S. in cujus epigraphe legitur : *Incipit expositio venerabilis Brunonis Signiensis episcopi;* qui codex omnimodam præ se fert integritatem, atque ex eo plura decerpsi ad corrigendam, supplendamque Marchesii editionem valde opportuna. Duo pariter codices Casinenses mihi perutiles fuere, quorum alter sign. n. 195, alias 366. sec. XII, alter sign. n. 619, sec. XIII, uterque membranaceus in fol. characteres Romano descriptus. Ex his copiosam segetem pro restauranda, perficiendaque in novis formis . Brunonis expositione in Pentateuchum, mihi liberaliter morem gerens collegit cultissimus D. Thomas Capomatius insignis illius cœnobii modernus præsul, ac præcipue magni habendam censeo aliam fere ex in-

Digitized by Google

doctrina, et perspicuitate longe excellit commentarium a Marchesio editum. Ad horum confirmationem codices tres bibl. Regiæ Parisien. sign. numm. 2505, 2506, 2507, commemorabo, qui Brunonis episcopi nomen in fronte deferunt.

Haud minus sollicite codices exquisivi pro confirmanda, et illustranda Expositione A. N. in librum Job; verum et si plures adiverim bibliothecas, ut cum veteribus mss. libris hoc opus conferrem, sola bibliotheca Ghisiana non inutilem reddidit sollicitudinem meam, cum in ea præclarum codicem adinvenerim talibus notis exornatum, ut sufficere possit pro multis. Fuit enim codex iste recognitus a doctissimo Jacobo Sirmundo cum alio codice bibl. Reg. Parisiensis, quod sua manu in fronte adnotavit, donoque misit an. 1638, ad eminentissimum cardinalem Fabium Ghisium, qui deinde creatus Romanus pontifex Alexander VII appellatus est. Codex hic membranaceus sæc. XIV, in fol. minori nitidissime descriptus S. Brunonis Signiensis episcopi nomine exornatur, ex quo nonnulla in meum exemplar induxi. Paucis nunc egi de commentario in Job; cum alia dicturus sim in præliminari admonitione. Expositio in psalmos imperfecta, multisque defectibus laborans a Marchesio edita, requirebat, ut nihil omitterem, quod ad ejus correctionem, et integritatem conduceret. Sed contra exspectationem nec in Vaticana, nec in Casinensi bibliothecis reperti fuere codices hujusmodi commentarium continentes; sed vices eorum suppleverunt codices duo multo in pretio habendi; alter Vallicellanus, alter Ghisianus. Ex primo consecutus sum expositionem, quæ deest in Marchesio a psalmo LIX ad ps. LXIV, a ps. etiam LXXVII usque ad ps. LXXXII, et mediam expositionis partem psalmi LXX. Eædem lacunæ in cod. Ghisiano reperiuntur; attamen valde mihi utilis fuit, cum emendatissimus sit, et aliquibus in locis cod. Vallicelliano præstantior. Alias insuper additiones ab utroque codice acquisivi, tam pro emendatione lectionis psalmorum, quam pro recta eorum interpretatione, quibus constabit Marchesium mendosis, interpolatisque mss. usum fuisse. Codices autem Vallicellanus, et Ghisianus, qui membranacei sunt, in folio, et sæc. XIII a tribus codicibus bibl. Reg. Paris. sign. numm. 2508, 2509 et 2902, confirmantur, sicuti a duobus aliis bibl. Rom. S. Crucis in Jerusalem, imperfectis quidem, sed S. Brunonis episcopi Signiensis nomen ferentibus. Neque omittam mentionem facere de cod. bibl. Med. Laurentiano, quem pro brevitate temporis, quo mihi licuit Florentiæ moram facere, aliosque codices consulere volui, ut inferius dicam, vix delibavi, aliqua tamen ab eo accepi, cæteris adnotationibus addenda.

Diutius immorari me oportet in statuenda interpretatione super Canticum canticorum, quæ sublata omni controversia, Brunoni nostro ascribi debeat. Ex quo Marchesius inter opera Signiensis episcopi expositionem illam in Canticum canticorum publicavit, magna orta est disceptatio Benedictinos scriptores inter, et Dominicanos. Comperta est eruditis viris inveterata opinio, D. Thomam Aquinatem, cum in monasterio Cisterciensi Fossæ Novæ decumberet, monachorum illorum precibus Canticum canticorum explanasse, cujus commentarius inter opera ejusdem sancti doctoris jussu S. Pii V Romæ edita a. 1570 insertus fuit, iterumque recusus in altera editione Veneta apud Galterium anno 1745, tom. XII. Iis in publicum deductis, cum palam fieret Marchesii suppositio, qui scilicet Brunoni Astensi tribuerat, quod S. Thomæ Aquinati germanum opus asserebatur, partes ejus cepit Angelus de Nuce auctor Benedictinus in notis ad chronicon Casinense lib. IV, cap. 31. Innititur præcipue auctoritati duorum codicum Casinensium, quorum alterum vetustissimum dicit, et ornatum epigraphe : *Brunonis in Canticum canticorum*, alterum recentiorem fatetur sæc. nempe XIV, cujus in fronte adnotatum est : *continet Expositionem S. Brunonis in Canticum canticorum*. Erasmus etiam Gattula in Republica litteraria satis notus Marchesii, et Nucei opinionis defensorem se fecit in Historia Casinensi sæculi VII, p. 383 et seq., contenditque S. Brunonem Signiæ episcopum commentarii illius parentem agnoscendum. Cum hujusmodi controversia penderet adhuc ex typographio Joan., Bapt. Pasqualis Veneti an. 1750, prodiere dissertationes clarissimi viri Joan. Francisci de Rubeis O. P. *De gestis, et scriptis, et doctrina* S. Thomæ Aquinatis. In his ad trutinam revocat momenta scriptorum Benedictinorum, qui satis tutam suam sententiam arbitrantur; et invicte probat, neque S. Brunonem Astensem, neque D. Thomam interpretationi illi operam dedisse. Observat enim maximam codd. mss. diversitatem, cum aliqui, ut antiquissimus Fabrianensis, Aymoni Alberstatensi, alii Remigio Autissiodorensi, alii etiam Cassiodorio laudem hujus operis tribuant; in hac tanta mss. Codd. discrepantia, nihil certi statui posse affirmat. Apparuerat ante studio eruditissimi Joannis Garetii congreg. S. Mauri Rotomagi, an. 1679, renovata operum Cassiodorii editio, in qua juxta plurimorum opinionem commentarium in Canticum canticorum sub ejus nomine vulgatum ei ascribit. Sed in præfatione multis rationum momentis probat opus illud Cassiodorio haud esse nuncupandum. Horum primum est, quod diversis in locis affertur S. Gregorius M., præsertim super Evangelia, cujus illustrationem non egit, nisi postquam summus pontifex creatus est, quod contigit anno 590, quo jam ad minus anni 17, effluxerant a morte Cassiodorii, non amplius superstitis inter vivos an. 575. Secundo, hic commentarius in sacrum epithalamium a Cassiodorii stilo, et forma scribendi plurimum differt. Tertio, de hoc tractatu ne verbum quidem habet idem Cassiodorius in præfatione ad librum De ortographia, ubi libros omnes a se exaratos recenset. Quarto, sacræ Scripturæ lectio non est juxta vulgatam translationem, qua prælaudatus commentator semper usus videtur in cæteris suis scriptis. Tandem opinatur Garetius

Digitized by Google

commentarium hunc, compendium, et epitomem esse amplioris tractatus super eumdem librum Cantici canticorum, qui sub nomine S. Isidori Hispalensis fertur in vulgus. In hac tanta opinionum diversitate Bruno noster laude expositionis in sacrum epithalamium caruisset, quamvis ipse apertissimis verbis illam egisse fateatur. *Canonicis Senensibus*, ait in præf. ad comment. super Apocalypsim, *cum quibus et ipse qualiscunque canonicus victitabam, Cantica canticorum, pro ut potui, exposui;* nisi clarissimus Joannes Lamius in catalogo codd. mss. bibl. Riccardianæ descripsisset volumen, in quo exstat hujusmodi Brunonis explanatio, atque de ea etiam specimen dedisset. Hoc de codice mentionem faciunt doctissimus Dominicus M. Mansius in notis ad Fabricii bibliothecam, et Remigius Ceillerius tom. XXI, p. 101 Histor. sac. Script. Eo autem tempore, quo, ut dixi, Florentiæ versabar, humanissimus Riccardianæ bibl. præfectus Franciscus Fontanius hunc præclarum codicem mihi concessit, non tam ut consulerem, sed ut exemplar ab eo educerem; de quo hæc subjiciam. Imprimis est membranaceus in fol. minori signat. n. VI Plut. K. ordin. III, atque in fronte legitur, codicem illum, clariss. Benedictum Varchium Flor. Histor. possedisse. Nitidissime exaratus inspicitur, et ad sæc. XIII referendus. Secundo, continet collectionem plurium commentariorum super eumdem librum, qui ita describuntur. 1. *Translatio de tractatu Origenis in epithalamicis auctore S. Hieronymo.* 2. *Expositio in Canticis canticorum auctore Origene, et interprete Rufino presbytero.* 3. *Expositio B. Ambrosii episcopi super Cantica canticorum ex libris ejus collecta.* 4. *Expositio in Canticis canticorum, auctore S. Gregorio papa.* 5. *Expositio de muliere forte, auctore domno Brunone Signino episcopo.* 6. *Expositio in Cantica canticorum auctore eodem.* 7. *Epistolæ quatuor auctore eodem.* Cum igitur pateat collectoris mentem fuisse præcipuos divini epithalamii commentatores uno volumine complecti, non est ambigendum eum S. Brunonem nostrum verum illius expositionis parentem novisse. Idem etiam scribendi genus Brunonis proprium, et carmina diversi generis juxta illius ætatis gustum, quibus auctor speciosiora divini sponsi, et sponsæ colloquia complexus est, certum argumentum præbent, et hunc commentarium Brunonem scripsisse.

Hæc sunt ergo opera S. Brunonis Astensis, quæ hoc in primo volumine continentur; scilicet Expositiones in Pentateuchum, in librum Job, in Psalmos, et in Cantica canticorum, cui præmittitur explanatio parabolæ De muliere forte; utraque inedita. Quæ supersunt ejusdem scriptoris opera, pro secundo volumine reservamus, quod quam primum in lucem emittere Deo dante vitam, speramus; et de his quidquid præmonendum erit satis lectoribus faciemus.

CAPUT IV.

DE SCRIPTIS S. BRUNONIS DEPERDITIS.

Inter scripta S. Signiensis episcopi, quæ dolemus amissa, præcipue commemoranda est Explanatio ejus in Isaiam prophetam, de qua hisce verbis testimonium præbet in præfatione ad Expositionem super Apocalypsim. *Ante hanc*, inquit, *propheturum nobilissimum Isaiam, rogatu Damiani venerabilis abbatis, satis compendiose, dilucideque disserui.* Quid vero pro eo commentario obtinendo egerim, dicam. Legeram, apud Jacobum le Long, manuscriptum illud existere apud Carthusianos S. Bartholomæi ad Anagniam. Non Anagniæ, sed Trisulti non longe ab Aletrio exstat cœnobium illud Carthusianorum. Desiderio igitur incensus pretiosi illius monumenti acquirendi, collegam meum Clementem Porrum in collegio Aletrino rethoricæ professorem rogavi, ut ad monasterium Trisulti se conferret, atque bibliothecæ codices mss. recognosceret. Morem mihi gessit eximius ille vir, sed infructuoso prorsus itinere. Rescripsit enim mihi XVI Kal. Junii 1786, nullum omnino codicem illa in bibliotheca superesse; dictumque ei a seniore monacho, olim præsidem quemdam Neapolitanum Neapolim ad Carthusiam S. Martini omnia mss. volumina transtulisse. Hac de re sermonem habens cum spectatissimo præsule Dominico Coppola sac. congr. Rituum a secretis; ipse pro sua singulari comitate, studioque in omnem ecclesiasticam eruditionem, mihi patrocinium suum pollicitus est, ut in codicibus mss. bibl. S. Martini Expositio illa in Isaiam S. Brunonis inquireretur. Illam autem provinciam dedit D. advocato Xaverio Matthæio in litteraria republica notissimo. Amico monacho Carthusiano usus est Matthæius, qui nihil omisit, ut scriptum illud episcopi Signiensis e latebris erueret; sed eruditus monachus nequicquam tempus, et labores insumpsit; quemadmodum fassus est in epistola typis Neapolitanis anno sequenti edita, eidemque D. Xaverio Matthæo nuncupata; de qua alibi agendum erit. Interim cum ad plures amicos meos Brixiæ, Novariæ, Vercellis, Mutinæ, Mediolani, Casini commorantes litteras misissem, ut in bibliothecis, et archivis urbium illarum ea expositio in Isaiam detegeretur, omnium responsio affirmavit, incompertam esse, et deperditam reputari. Me spe aliqua recreaverat Philippus Amedeus Millo eccl. metropol. Taurinensis canonicus, et in studiis sacris valde versatus, qui III Kal. Junii ejusdem anni 1786 mihi respondit, forsan commentarium S. Brunonis in Isaiam repertum iri Catanæ; cum Arnoldus Wion monachus Duacensis in opere, cui titulus *Lignum vitæ* lib. I c. 8 adnotet, se habuisse quidem ms. opera S. Brunonis inter quæ prælaudati commentarii meminit, sed codices illos, ait, amicitiæ ergo dono dedisse D. Constantino monacho Benedictino Catanensi. Catanam missæ fuerunt litteræ, et quæsitum, an exstaret adhuc illa Brunonis expositio in Isaiam; sed responsum fuit D. abbati Casinensi Thomæ Capomatio a D. Philippo M. Hernandez monacho Idibus Decembribus an. 1786, mo-

Digitized by Google

nasterii illius bibliothecam multis refertam mss. codicibus in vehementissimo terræmotu ann. 1693 penitus interiisse. Tandem vix mihi licuit, ad bibl. Vaticanam, numero, et raritate codd. mss. omnibus anteferendam accessi, certa spe ductus, me in ea scripta Brunonis Signiensis reperturum, qui sua ætate tam celebris fuerat, et qui præclara Ecclesiæ Romanæ munera obiverat. Verum et si aliqua, ut commentarium in Apocalypsim, opusculum *De mysteriis, etc.*, et sex libros sententiarum videre obtinuerim, de reliquis S. Brunonis opp. nihil aliud exstare dictum est. Inter deperdita ejus scripta similiter referam primam ejus illustrationem in Psalterium, de qua ipse loquitur in præliminari admonitione ante secundam psalmorum Interpretationem; item commentarium super libros Josue, et Judith, quem Petrus Diaconus, et alii scriptores ei asserunt.

CAPUT V.

DE SCRIPTIS DUBIIS S. BRUNONIS.

In codice Vallicellano C. XII, a quo exscripsimus Expositionem Brunonis super Psalmos, ejus nomine insignitum invenimus p. 125 opusculum, cujus titulus est: *Quæstiones super libros Regum.* Sed cum iisdem verbis, et titulus, et quæstiones illæ impressæ fuerint inter opera Ven. Bedæ edit. Basileæ per Joannem Hervigium an. 1563, tom. VII, col. 357, earum Signiensem episcopum auctorem dicere, quamvis nonnulla ei faveant testimonia, non audeo. Plurimum apud aliquos valeret auctoritas anonymi scriptoris Signiensis Vitæ S. Brunonis, qui inter ejus opera Expositionem quamdam in libros Regum recensuit, his verbis: *Non solum quinque libros Moysi spiritualiter exposuit, verum etiam Psalterium, Isaiam prophetam, Regum libros, Job quoque*, etc. Nec levis momenti haberi poterit suffragium doctissimi cardinalis Sirleti, a quo cum de mandato Gregorii XIII anno 1584 approbatæ fuerint lectiones propriæ S. Brunonis recitandæ in secundo nocturno die festivo ejusdem sancti, et in eis fiat mentio de commentario ejus in libros Regum, non sine maturo hujusce rei judicio id Sirletum asseruisse nemo dubitabit. His accedunt suffragia Jacobi le Long, Augustini Calmeti, et aliorum, qui valde probabilem hanc sententiam reddunt; sed nisi potiora affulgeant argumenta, semper licitum erit cuique dubitare, Brunoni an Bedæ opusculum illud sit ascribendum. Item dubiæ sunt plures sacræ conciones eidem S. episcopo attributæ.

PROLEGOMENON SECUNDUM.

CAPUT PRIMUM.

DE TRANSLATIONE SACRARUM SCRIPTURARUM QUA USUS EST S. BRUNO.

Jam diximus lectionem quinque librorum Moysi, ut habetur in Expositione a Marchesio edita in aliquibus vocibus differre a contextu antiquissimi codicis, olim monachorum Cisterciensium montis Amiatæ, qui est juxta versionem veteris Italæ, ex interpretatione LXX virorum. Huic versioni conformantur reliqui sacrarum Scripturarum libri a Brunone interpretati. Sed aliter res se habet circa Psalterium, in cujus duplici translatione commentarios elucubrasse ipse testatur. *Cum adhuc adolescentulus essem*, ait in præf. ad Psalterium, *exposui Psalterium secundum aliam translationem, quæ videlicet translatio pluribus in locis tantum differt ab hac translatione, qua Romana utitur Ecclesia, ut nullo modo secundum illius expositionem hæc translatio intelligi possit.* Ex quo autem Petrus Diaconus Casinensis scripsit, primum Brunonis commentarium instructum fuisse super versionem ab Ecclesia Gallicana in usu receptam, opinati sunt aliqui eam esse, quam sub nomine Brunonis Herbipolensis vulgatam habemus, studio Joannis Cochlæi, quamque Lugdunenses typographi inseruerunt in tomum XVIII, pag. 65, bibl. Patrum. Hujusce sententiæ patroni permoti videntur: primum, quia translatio, quæ a Brunone Herbipolensi fertur illustrata, vere est secundum Gallicanæ Ecclesiæ lectionem, quam Valafridus Strabo De rebus ecclesiasticis cap. 25, asserit (refragante tamen Joanne Mabillone, qui de re liturgica probat id serius contigisse) S. Gregorium Turonensem in Galliarum ecclesias intulisse. Secundo, eos movet ætas utriusque Brunonis, nempe circa finem XI et initium XII sæculi; quamvis Bruno Herbipolensis aliquot annis ante Brunonem Signiensem ex hac vita migraverit. Tertio, multo magis illos persuadet ortus, et educatio Brunonis Herbipolensis, qui princeps natus, et educatus (patruelis enim fuit Conradi II imperatoris), vix credibilis est in eo talis, tantaque divinorum librorum scientia, ut eos interpretari valuerit. Dissentit tamen ab eis Joannes Trithemius, qui Brunonem Herbipolensem plurimum commendans, ait: *Ex antiquorum Patrum scriptis pulchram expositionem totum in Psalterium egisse.* Hujusmodi testimonium a validissima ratione comprobatur; siquidem, quamvis commentarius ille brevis sit, et compendio similis, nihilominus succo plenæ, solidaque SS. Patrum doctrina interpretationes illæ videntur, ut non specimen studiosi adolescentis, sed diuturni laboris, consummatæque sapientiæ fructum præ se ferant. Firmior etiam redditur sententia hæc ex Joanne Cochlæo, qui in præs. ad idem Psalterium refert in bibliotheca ecclesiæ Herbipolensis asservari adhuc *librum hujusce commentarii tempore ejusdem auctoris, insigni scriptura sumptuose descriptum, et S. Hiliano Herbipolensis Ecclesiæ præcipuo patrono dicatum.* Editus autem fuit sancti Brunonis Herbipolensis episcopi commentarius in psalmos Norimbergæ, an. D. 1480, valdeque rara est hujusmodi editio. Cum autem tam gravia, tamque perspicua sint hæc rationum momenta, neminem hunc commentarium Brunoni Signiensi,

Digitized by Google

sed Herbipolensi adjudicaturum arbitramur. His exploratis de prima Brunonis nostri expositione in Psalmos, quam nondum e latebris erutam fatemur, in aliam, a Marchesio editam animadversiones nostras convertemus. Et quidem primo agendum erit de translatione; cum ab eodem Brunone habeamus commentarium illum elaborasse secundum translationem, qua Ecclesia Romana utebatur.

Dicimus ergo Psalterium Romanum, quod nunc etiam canitur in basilica S. Petri partem esse vetustissimæ versionis Bibliæ Latinis traditæ ex versione ab Hebraico contextu in Græcam linguam a septuaginta Interpretibus; quæ versio vetus Itala, et communis, ac etiam vulgata appellabatur (1). *Verum* cum multa librariorum menda in illam translationem irrepserint, S. Damasus Romanus pontifex S. Hieronymo illam corrigendam dedit; quod eruditi homines contigisse putant anno 382, de quo ipse loquitur in præf. ad Psalterium. *Psalterium*, inquit, *Romæ dudum positus emendaram, et juxta* LXX *Interpretes, licet cursim, magna tamen ex parte correxeram.* Reversus autem Bethlehem Hieronymus, instantibus apud ipsum Paula, et Eustochio matronis Romanis, alteram edidit Psalterii emendationem; *quod præcedens*, ut idem ait, *rursum scriptorum vitio depravata legebatur; et plus antiquus error, quam nova emendatio valebat.* Hoc Hieronymi opus ad annum 390 referunt. Adhuc tertio de psalmorum correctione benemeruit Hieronymus; tunc quando comparatis cum Græco contextu Hebraicis voluminibus, consultisque gentis illius doctioribus, perfectiorem Psalterii, aliorumque divinorum librorum lectionem reddidit. Hæc ut certa, firmataque Hieronymi auctoritate habenda sunt. At non æque exploratum est, utrum Psalterium Romanum, de quo agimus, desumptum fuerit ex prima emendatione facta sub Damaso, an ex secunda in secessu Bethlehemitico diligentius peracta. Ex duobus tamen momentis conjici posse videtur Romanam Ecclesiam psalmos secundum priorem correctionem retinuisse. Primum, quia illud auctores omnes partem vetustissimæ Italæ fatentur. Alterum, quod Bruno noster ait, pluribus in locis translationem hanc differre ab altera translatione, quam juvenis adhuc illustravit; *ut nullo modo secundum illius expositionem hæc translatio intelligi possit.* Hæc differentia profecto constat, si Petri Diaconi, quam supra indicavimus, sententia admittatur, scribentis primam Brunonis expositionem psalmorum esse secundum lectionem Ecclesiæ Gallicanæ. Quæ autem sit hujusmodi lectio ex Psalterio discimus a Brunone Herbipolensi illustrato; ubi asteriscis, et obelis variantes lectiones ex contextu Hebraico, et ex Theodotionis versione adnotatæ sunt, quod actum fuerat a S. Hieronymo. Illis accedit Ven. Bedæ auctoritas, qui in præf. ad comment. in psalmos asserit, translationem in Galliis usitatam ex contextu Hebraico præcipue desumptam. Itali vero psalmos secundum LXX. Interpretes in Latinum redditos, et juxta secundam Hieronymianam emendationem recitabant; præter quam Ecclesia Romana, et Mediolanensis, quæ antiquum Psalterium retinuerunt. Ex illa autem accuratiori emendatione prodiere psalmi, qui in Vulgata Biblia leguntur; quique multis in vocibus, nominibus, et interpunctione cum psalmis antiquioris translationis non concordant. Et quamvis S. Pius V universis Ecclesiis præcepisset, ut psalmos juxta emendatiorem lectionem recitarent, attamen Romanæ basilicæ Sancti Petri, atque Ecclesiæ Mediolanensi indulsit, ut antiquo Psalterio uterentur. Nec quidquam etiam immutatum est a pontificibus Sixto V et Clemente VIII, ex quorum curis summopere commendandis post alteram divinorum librorum expletam emendationem, prodiit Biblia, ita in fronte inscripta: *Biblia sacra Vulgatæ editionis; Sixti V P. M., jussu recognita, et Clementis VIII auctoritate edita.* Cum igitur Brunoni nostro, ut ipse testatur, incompertum esset, an aliquis alius expositioni psalmorum tantæ antiquitatis studuerit; e contra multos esse, qui de posteriori lectione meruerint, selectis aliarum divinarum litterarum auctoritatibus eam adornavit. Optime enim noverat commentarios Hilarii, Ambrosii, Augustini, Cassiodorii in psalmos, eorumque eruditionem plurimi facere ostendit; nihilominus dixit, sperare eos, qui utramque expositionem comparaverint, non superfluam hanc alteram judicaturos. *Rogatus igitur*, ait in memorata præfat., *ab amicis meis, et præcipue a Peregrino venerabili abbate, dedi operam, ut hæc quoque sicut illa propriam haberet expositionem. Quam qui totam ex ordine diligenter legerit; scio, non judicabit esse superfluam, facileque intelligere poterit, quanta distantia sit inter primam, et secundam hanc interpretationem.*

CAPUT II.

DE PSALMORUM INTERPRETATIONE.

Explorata huc usque Psalterii lectione, quam Bruno suis commentariis illustravit, de ratione suæ interpretationis modo agendum est. Versatissimus, ut erat sanctus episcopus in sanctarum Scripturarum scientia, non ignorabat quæ secundum litteram, et quæ secundum spiritum in figuris intelligenda erant. Plura enim Israelitico populo præcepit Deus, quæ aliter intelligi nequeunt, id est omnino secundum litteram; plura etiam et gesta, et scripta sunt, quæ, ut inquit sanctus Augustinus, serm. 101 De temp., *typus et imago erant futurorum.* Quare dixit Bruno in expositione cap. XXII in Job, pag. 262, col. 1, non esse quærendam allegoriam in his, quæ sensum ipsis verbis perspicue proferunt; et contra vitium esse, velle litteraliter accipere, quæ in metaphoris, et allegoriis contecta exhibentur: *Non enim minus*, inquit, *vitium est, in his, quæ ad litteram intelligenda sunt, allegoriam quærere, quam*

(1) Vid. dissert. Antonii Martinetti De Psalt. Romano Romæ editam an. 1745, nec non opus eruditissimi præsulis, nunc S. R. E. cardinalis Stephani Borgiæ de Cruce Vaticana, cap. 7, pag. 60.

Digitized by Google

ea, quæ allegorice intelligenda sunt, ad litteram tantum velle interpretari. Luculentius mentem suam S. Antistes aperit, quibusque regulis se conformare velit, declarat in comment. ad cap. VII lib. Numeri, pag. 177, col. 2. *Ibi*, ait, *allegoriam necessario esse quærendam, ubi littera jubet, vel quod inutile sit, vel quod omnino caret ratione.* Quoties ergo sacræ Scripturæ aliqua jubent, quæ ex littera nihil utilitatis indicant, aut non patet ratio, cur hujusmodi mandata tradantur; ne verbum divinum frustra scriptum, aut otiosum habeatur pro metaphoris, et allegoriis accipienda sunt, sub quibus mysteria, et veritates aliquæ continentur. Plura enim ex. gr. in Levitico, et in Numeris a Deo præcipiuntur, quæ si quis ad litteræ sensum usurparet, nihil ad spiritualem profectum tradi censeret; neque subest ratio, cur ita ordinata sint. Quid enim confert ad divinum cultum, quod aliquæ animalium species in sacrificiis Deo offerendis immolari jubeantur; aliorum vero immolatio interdicatur? Nisi quia non res, sed earum significationes voluit Deus, ut intelligerentur; et Judæi, quibus tanquam signa, et symbola data fuerant, ex propositis similitudinibus spirituales cognitiones eruerent. Quid vestimentorum summi sacerdotis tam accurata descriptio? Quid tam diversa, tamque pretiosa tabernaculi ornamenta? Quid tot ritus, et cæremoniæ in agni Paschalis sacrificio, in libaminibus, in oblationibus? Nulla alia ratio profecto reddi potest, quam quod illa omnia figuras, et similitudines exhiberent earum rerum, quæ novo in fœdere revelanda erant; cum divinus cultus, et vera religio, umbratili sublata, illuxisset. *Illa igitur*, ut cum Augustino loc. cit. loquar, *in Judæis figurata, in nobis, gratia Dei donante, completa sunt.* Unum instar omnium proferam Brunonis commentarium super illa verba cap. II Levitici, p. 123. c. 2. : *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, similа erit hujus oblatio: fundetque super eam oleum*, etc. « Hæc autem, inquit, similа de illo frumento facta est, de quo Salvator noster ait Joan. XII, 24 : *Nisi frumentum cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet;* quod quidem Judæorum molis contritum (de quibus dicitur, *molas leonum confringet Dominus*) congrue Christi significat passionem. Hanc autem anima offert, id est aliquis homo bonus, et spiritualis, et qui magis animæ, quam corporis sequitur voluntates; quoniam corde contrito, et spiritu contribulato Christi passionis recordatur. Fundit autem oleum desuper, Christi pietatem, et misericordiam admirans; qui dum a Judæis crucifigeretur, oleum tamen pietatis, et misericordiæ effundens a misericordia non cessabat. » Ex his patet ratio vel methodus, qua suas interpretationes prosecutus est Bruno, nobisque viam aperiunt, ut censuras præcipue contra commentarium in psalmos illatas diluamus.

CAPUT III.

DE CENSURIS ADVERSUS PSALMORUM INTERPRETATIONEM S. BRUNONIS.

Hic statim præ oculis habere optamus, lectores, quæ S. Hilarius Pictaviensis sapientissime scripsit initio expositionis in ps. CXXV : *Nisi essent*, inquit, *in psalmis quædam tales prophetiæ, ut in res, atque in homines eorum temporum non convenirent, profecto auderent multi in psalmis nihil spiritualiter dictum existimare, putarentque nos commentitias, et ementitias interpretationes inquirere, quibus videremur altius nescio quid, ac profundius intellexisse; perinde quasi nos sensui nostro, ea quæ scripta sunt, sensum diligentis, et sollicitæ intelligentiæ consequamur.* Dixerat ante idem S. doctor in psal. CXLI. *Nihil in psalmis nisi propheticum agnoscimus.* Docet ergo S. Hilarius psalmos non ad litteram accipiendos, sed quæ in eis prophetice, et figurate dicta sunt altiora comprehendere, ac significare, si sublato verborum velamine mysteria abscondita proferantur. Stabilita ergo ex Hilario allegoricarum interpretationum convenientia, et utilitate; occurrere debemus his, qui Brunonis interpretationes singulares, et violentas dicunt. Allegoria, quam rhetores continuatam metaphoram vocant, quædam est similitudo, et comparatio unius rei ad alteram propter quamdam relationem ad ipsam. Dum autem res aliqua alteri comparatur, plerumque non comparatur quoad omnes ejus proprietates, sed quoad aliquas, vel quoad unam tantummodo. *In metaphoricis locutionibus*, inquit S. Thomas, *non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia, sic enim non esset similitudo, sed rei veritas*, 3, p. 1, q. 8, art. 1 ad 4. Satis profecto est ad similitudinis rectitudinem, si ea in re, quæ sumitur tanquam unus ex terminis comparationis, adsit ea proprietas quam in altero termino conspicimus, ad quam similitudinem, et allegoriam deferimus. Jam vero illa una proprietas, quæ in comparatione duorum terminorum sumitur, quamvis per se ipsa clara non sit, et omnibus evidens; attamen si illa existat, recte ad alium comparationis terminum transferri poterit. Hinc ergo nascitur judicium de allegoriis, quæ existimantur proprie, vel improprie deductæ; si nimirum legentium menti, aut facile, aut nimis difficile, aut nullo modo appareat terminorum relatio, ex qua deducitur allegoria. At si has propter rationes eliminandæ essent allegoriæ sacrorum interpretum; jam quis non videat, improbandas quoque esse ipsius Christi doctoris nostri interpretationes? Spinas enim divitias interpretatus est in ea parabola, in qua pro divitiis indicandis spinas posuit. Divitiæ porro delectant, spinæ pungunt, doloremque excitant. Quid magis importunum, quin imo et contradictorium videtur; si in his tantum spinarum, divitiarumque proprietatibus, quæ in omnium oculis primo aspectu incurrunt, relationem similitudinis consistere velimus? Nihilominus Christus spinas appellavit divitias, ob aliam secretiorem rationem, quam S. Gregorius M. hom. 15 in Evang. Lucæ cap. VI, quæ legitur in Sexagesima, adducit, inquiens : *Quia divitiæ cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant; et cum usque ad peccatum pertrahant, quasi inflicto vulnere cruentant.* Si ergo Christus Dominus

Digitized by Google

usus est his metaphoris, quas difficiliores appellavero, ob secretiorem rationem inter figuram, et figuratum, consequens est, ut a SS. Scripturarum indole hoc metaphorarum genus non abhorreat; ac proinde nec a recta Scripturas interpretandi ratione alienas esse illas interpretationes, quæ parum obviæ, atque in aliqua obscuritate involutæ videntur. Præterea ex quo idem S. Gregorius docet, ipsum Christum Dominum nostrum exponere dignatum esse, quod in parabolis docebat; nec tamen per se ipsum omnia explanare voluisse; id egisse ait, ut nos quoque his figurarum interpretationibus studeamus, et ostendamus sacras litteras sub metaphoris, et allegoriis æternæ vitæ documenta complecti.

Quæ hactenus diximus de universis Scripturis *interpretandis*, et ad allegoriæ regulas conformandis, peculiarem locum habent in psalmis, ex quibus nonnulla ex. gr. subjiciemus. Imprimis secundum litteram nullo modo intelligi potest illud ps. VI. *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* Non enim proprium est ossium, ut conturbentur, cum sensu omni careant, sed per allegoriam, ossa, juxta Brunonis interpretationem, pag. 309, c. 1. præcipuas virtutes, fidem nempe, spem, et charitatem significant; quibus anima Christiana regitur, ac sustentatur. Similiter in psalmo VII, legitur de Deo : *Arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis.* In his etiam verbis allegoricis sensus spiritualis est requirendus; quoniam Deus neque arcum, neque sagittas exercet; ideoque utrumque Testamentum interpres noster designari putat, p. 312, c. 2. quoniam illa vitam bonis, malis autem mortem promittunt. Item in ps. IX ubi Propheta dicit : *Qui exaltas me de portis mortis;* docet Bruno pag. 315, c. 2, hæreticos et peccatores portas mortis repræsentare, a quibus justi misericorditer a Deo liberantur. Neque dissonans videri poterit illa expositio in ps. XVII *præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt.* In his significari apostolos ait idem commentator, quorum documenta pura, et sancta per universum mundum propagata sunt. Dixerat etiam super illa verba Job cap. XXXVII : *Et nubes spargunt lumen suum,* pro lumine nubium doctrinam in Scripturis sanctis reconditam esse intelligendam pag. 285, c. 1. Sexcenta alia afferri possent ex psalmis apposite, et non violenter interpretata; sed prosequi in his modum faciam, ut aliqua etiam de nimia allegoricarum interpretationum frequentia dicam, quod est alterum accusationis caput in nostrum commentatorem.

Ne gratis id asserere censores isti viderentur, oporteret, ut ostenderent Brunonem canonem illum excessisse, quo dixit : « Non minus vitium est, in his, quæ ad litteram intelligenda sunt, allegoriam quærere, quam quæ allegorice intelligenda sunt, ad litteram velle interpretari. » Quomodo ad litteram exponent hæc ps. LXXI. *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam?* Nisi ut explicat S. Bruno pag. 450, c. 1, nempe in montibus, et collibus apostolos, et doctores intelligi, qui cæteris omnibus eminent, et pacem, id est Filium Dei pacis auctorem, ejusque justitiam accipere digniores sunt. Similiter in eodem psalmo V, 16. *Et erit firmamentum in terra :* quomodo firmamentum, id est cœlum, quod est super terram, in terra esse poterit? Inquit S. episcopus p. 452, c. 1, « Firmamentum vocatur Dominus, quia in ipso est sol, et luna, et stellarum omnium pulchritudo. Et quidem ipse est firmamentum in terra, quia in ipsa firmata, et fundata est Ecclesia. » Quædam etiam secundum litteram, et secundum allegoriam explanavit idem S. doctor, ex quibus ex. gr. afferam illud ps. LXXV. *Ibi confregit cornu, arcum, scutum, gladium, et bellum.* Litteraliter dicit, intelligendum esse excidium Assyriorum exercitus ab angelo Domini una nocte interfecti; spiritualiter vero designari omnia diaboli arma, ejusque artes omnes contra Ecclesiam a Christo confractas, atque deletas pag. 461, c. 1. Ex his alia colligi poterunt, quæ supervacaneum est recensere; cum eadem perspicuitate, et utilitate conditi sint reliqui ejus commentarii, in quibus, dissoluto figurarum velamine, divinitatis arcana, sanctioraque documenta tradidit S. episcopus, et reseravit.

Cui enim non subvenit monitum a Christo datum apostolis, quibus dixit Luc. cap. VIII : *Vobis datum est, nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.* Hinc docet A. N. admirandam esse divinam sapientiam, quæ paganis, et Judæis incrudelis mysteriorum divinorum cognitionem denegavit, et non nisi in parabolis, figuris, et ænigmatibus locutus est eis; quatenus populus erat duræ cervicis, et traditionibus Abrahæ, quas jactabat, maxime addictus. Apostolis ergo, eorumque successoribus episcopis, et doctoribus datum est nosse mysteria regni Dei, ideoque ab his suscipiendæ sunt interpretationum doctrinæ, non a sapientibus sæculi, de quibus Propheta ait ps. LXIX. *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* Ab illis, inquam, quos, ut ait apostolus I Cor. XII. Deus posuit in Ecclesia doctores, et ut alios docerent, dedit eis scientiam, et intellectum ad penetranda arcana cœlestia, et ad omnia vitæ æternæ mysteria aperienda. Illi autem tanto majorem sibi vindicant existimationem, quorum missio in Ecclesiam, et vitæ sanctitas maxima in commendatione fuit, et in signis multis illuxit. An vero Bruno unus ex his reputari debeat, prodigiis confirmata ejus electio ad episcopatum, et plura dum viveret, et post obitum, ab eo patrata miracula dubitare non sinunt.

Opponunt etiam, Brunonem Hebraicarum vocum sensum non satis proprie interpretatum. Sed id facile diluitur, ex consensu interpretationum Brunonis cum Augustino, Cassiodorio, et Beda, quos omnes errasse, stultum esset affirmare. His enim Hieronymum, qui de his vocibus interpretandis peculiarem tractatum scripsit, consuluisse creden-

Digitized by Google

dum est; quare, si eorum vestigia secutus est A. N., a recta interpretatione longe non abiit. Quibus vero parum utilis visa est Brunonis expositio in Psalmos, sufficit responsum ab Augustino datum de Trinit. lib. I, c. 3, cuidam ei detrahenti, quod in publicum ferret, quæ ab aliis jam tractata, et exhausta fuerant. Dixit enim non libros omnes in omnium manus pervenire, et quamvis per totum mundum dispersi forent, tanto majorem splendorem, firmitatemque accedere veritati, quanto a pluribus scriptoribus, præsertim doctis, et sanctis asseratur. Sed inutilis haberi nequit multiplex divinarum Scripturarum interpretatio, quod pluribus refulgentibus radiis super ipsas, mysteriis, rebusque subtilibus plenas, earum intelligentiam facilius assequamur. Unum superest, scilicet, ut respondeamus illis, qui ab ætate in qua vixit sanctus Bruno, eum parci habendum rationem petunt. Miror equidem verti in detrimentum honoris tanti viri, quod ad singularem ejus gloriam celebrandum est. Quid enim laudabilius, quam probari eum sui temporis infelicitatem, hoc est, optimarum disciplinarum, bonarumque artium omnem pene jacturam proprio ingenio, studioque superasse, et ita se erexisse, ut de sacris Scripturis, deque theologicis doctrinis præclari scriptores optime meruisse fateantur? Non ne ævi, aut paulo superiores Brunoni nostro fuere Petrus Damiani, Anselmus Cantuariensis, Ivo Carnotensis, Bruno Carthusianus? Si ergo eorum opera in pretio habentur, et Ecclesia traditionem sacrorum dogmatum, ab illa continuatam accepit, cur in eorum numero collocandus non erit Bruno Signiensis, qui sacras litteras tanta cognitionum copia, selectaque eruditione illustravit?

PROLEGOMENON TERTIUM.

CAPUT PRIMUM.

IDEA GENERALIS EXPOSITIONIS IN PENTATEUCHUM, IN JOB, IN PSALMOS, ET IN CANTICA CANTICORUM.

Noverat S. Bruno tam ad Judæos revincendos, quam ad Christianos obfirmandos opus esse eis ostendere, unam eamdemque fuisse ab origine mundi religionem, cultum scilicet veri Dei, cœli, terræque conditoris, nec aliud legem veterem hominibus præstitisse, quam supremi dominatoris cognitionem; ut deinde adveniente per Jesum Christum reparatorem plenitudine gratiæ, altioribus auditis veritatibus, assensum præberent, sanctioraque præcepta adimplerent. Ut ergo id perficiat, in Genesi primum dicit exhiberi Deum omnium rerum uno verbo ex nihilo artificem, primique hominis Adæ ex limo creatorem, a quo omne genus hominum promanavit. Deinde cum a Moyse lapsus Adæ, innocentia, et integritate naturæ præditi in culpam, et damnationem describatur, miserrimam sui, suorumque posterorum conditionem evasisse A. N. adserit, eumque salutis suæ reparandæ impotentem factum, repræsentat. Quia vero divini opificis benignitas hominem, invidia a diabolo proditum, in perditione non erat relictura, necessarium erat, ut quidam ejus misereretur, et ab interitu vindicaret, cujus promissio Adæ facta, omnibus fidem habentibus salutem attulisset. Hinc nostræ reparationis mysterium instaurari cœpit, et a patribus in filios tradi ejus cognitio, ut Abel, Henos, Henoch, et Noe, primi fideles, et justi a sacris litteris celebrentur. Cum autem *multa malitia hominum esset in terra, et cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore* (*Gen.* VI, 5) Deumque fecisse hominem pœnituerit, arcam Noe ex præcepto Domini fabricavit, et posita in ea ejus familia, singulisque animalium speciebus, omnes viventes in aquarum diluvio exstincti sunt. Arca autem illa, ut Bruno animadvertit, futuram Ecclesiam significabat, in quam ingressi salvi fiunt, et qui extra ipsam sunt, salutem nullo modo consequuntur. Restaurato deinde habitatoribus mundo, ex his Deus sibi elegit Abraham justum, ut scilicet ab eo exsurgeret populus, qui segregatus ab aliis prævaricatoribus, et idololatris gentibus sibi obtemperaret, sanctumque cultum ipsi soli præstaret. Hic autem populus alterius populi acquisitionem significabat, cujus dux, et princeps in Jacobi vaticinio prænuntiatus, ad spem cœlestis acquisitionis per Christum comparandæ excitabat. Post Genesim sequitur expositio Exodi, qui historiam continet Israelitici populi a Moyse de Ægypto educti; quando scilicet, quibusque portentis a jugo servitutis Pharaonis liberatus fuit; quæ liberatio redemptionis hominum a diabolica tyrannide quam Christus operaturus erat, imaginem exhibebat. Nihil ex his commentator noster omittit; sed sibi ipsi semper cohærens populum illum adumbrare Ecclesiam docet, quæ multo majoribus beneficiis, atque virtutibus cumulata, a Christo constituenda erat. Et quia lex cordibus indita homines a malo non continebat, ut Israelitas obsequentes, et fideles sibi servaret Deus, Moysi legem lapideis tabulis inscriptam dedit, quam semper monentem haberent, et qua intelligerent, quid Deo, et quid proximo suo ipsis præstandum foret. Eadem sunt autem novæ legis Christianæ præcepta; nempe charitatis in Deum, et proximum; et sicut omnia Veteris Testamenti mandata ad hæc duo referuntur; ita novo in fœdere omnis perfectio, legisque plenitudo per horum præceptorum obedientiam adimpletur. Verum divino legislatori sâtis non fuit internæ populi sui justitiæ consulere; sed ad opera etiam externa religionis dirigere voluit; ut sui cultorem faceret, eumque supremum Dominum agnosceret. Tabernaculum itaque erigi Moysi mandavit, atque in arca collocari, symbolum divinæ præsentiæ, ac majestatis, sibique sacrificia fieri præcepit, in quibus humanæ reparationis mysterium in veri Agni immolatione significaretur. Quare S. Bruno in expositione cap. VIII Exodi pag. 58, col. 1, dixit: « Christi passio

Digitized by Google

in Veteri Testamento per figuras etænigmata significata tandem in Novo est adimpleta. Ibi Christus monstratur, hic immolatur. Ibi significatur, hic adimpletur. Ibi denique agni immolatio narratur, hic vera Christi passio prædicatur. » Atque ut magis magisque religiosus cultus animis Hebræorum insideret, ac digne celebraretur, non omnes sacrorum ministros esse permisit, sed ex omnibus solam tribum Levi elegit, cujus viri sacerdotio fungerentur, et sacrificia juxta cæremonias, et ritus a Deo ipso constitutos perageret. Hæc altera legislatio, quæ ad externam religionem spectat, in libro Levitici continetur; ubi diversa ministrantium munera, diversæque res Deo offerendæ stabiliuntur, ut sanctitas in omnibus eniteat, et supremo Domino maximum obsequium exhibeatur. In hoc ministrorum ordine, in hac munerum, et rituum sanctione, cum forma ecclesiasticæ hierarchiæ designata videatur, S. Bruno episcopos vitæ sanctioris exemplar se reddere admonet; clericis vero morum candorem, studiumque pietatis inculcat, et ad perfectam Dei servitutem incendit. Levitico succedit liber Numeri, ita dictus, quod Israelitici populi dinumerationem refert, quam Deus Moysi præcepit, ut viri ad arma apti describerentur, et ad prælia Domini gerenda procederent. Cum enim Israelitis regio bonis omnibus redundans promissa fuisset, illa nonnisi pluribus devictis hostibus obtinenda erat; atque ut diuturni laboris, et virtutis præmium possidenda. Non pro terreno, sed pro cœlesti regno, Brunone sic adhortante, nobis pugnandum est contra visibiles, et invisibiles inimicos, et acies virtutum instruenda, quarum robore, ac firmitate mundus, caro, diabolus superentur, et conculcentur. Corona non nisi victoribus datur, et in cœlestem hæreditatem hi soli ingressum habebunt, qui contemptis terrenis bonis toti se Deo mancipaverint. Quæ Hebræo populo carnali, et duræ cervicis de temporali felicitate promissa sunt, nobis permansuræ in cœlo beatitatis figuram prætendunt, et ad fideliter obeundam hanc spiritualem militiam animum nostrum accendunt. Tandem Deuteronomium quintum librum a Moyse scriptum S. episcopus Signiensis interpretatus est, quem secundam legem complecti ait : quatenus præcepta, quæ in superioribus libris promulgata sunt, in hoc innovantur, et confirmantur; ut tanto magis supremi legislatoris voluntas innotescat, atque integra, et perfecta hominum obedientia respondeat. Hic breviter adnotabo, quod sicut sacer scriptor divinitus inspiratus argui de multis repetitionibus nequit, non solum hoc in extremo libro : sed etiam in præcedentibus; ita nec S. Bruno insimulandus erit, si iisdem, vel non dissimilibus utatur interpretationibus, quoties eadem loca occurrant.

Pentateuchum hac in collectione excipit commentarius in librum Job, qui ut liber divinus tota ab antiquitate receptus est in Ecclesia; ac proinde protocanonicus appellatus. Singularis fulget hac in expositione perspicuitas, et brevitas : figuræ, et vaticinia de Christo eximie explanantur, atque moralia documenta, quæ passim producuntur, scriptorem divinitus inspiratum ostendunt.

Accedit ad librum Job Psalterium, de cujus expositione plura diximus supra; quam ob rem hic pauca adnotasse sufficiet. Imprimis animadvertendum est Psalmistam aliqua apertis verbis enuntiare de Christo, alia in figuris, et allegoriis adumbrare, quod commentator noster præ oculis habens, quæ jam adimpleta sunt, ea clare, et perspicue ostendit; quæ vero adimplenda remanent, certis argumentis probavit credenda. Præterea in psalmis ordo constitui nequit; prophetæ enim non sua, sed quæ a Spiritu sancto eis inspirata sunt, scripto tradiderunt; et cum ille ubi, et quomodo vult spiret, cœlestis veritatis magister, ut se revelat, audiendus est. Inde patet neminem ad hæc referenda mysteria accedere debere, nisi prius superna lumina imploraverit, sciens Christum Dominum Deo Patri gratias egisse, quod, quæ sapientibus sæculi abscondere voluerat, ea parvulis, id est discipulis suis manifestavit. Hanc divinam sapientiam, non tam assiduis precibus apud Deum, quam diuturna lectione, et meditatione SS. Patrum Bruno sibi comparare studuit; ideoque mirum non est, si ejus in commentario nunc Ambrosium, modo Augustinum, Cassiodorium, vel Bedam interpretantes audiamus. Dixit enim Salomon Eccli. c. XXXIX. *Sapientiam sanctorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit;* siquidem nemo privato spiritui se fidere debet; sed doctos, ac sanctos viros consulere, quorum doctrinam, et auctoritatem probari ab Ecclesia compertum est.

Quædam etiam præmonenda sunt de Cantico canticorum, quem librum Brunonem similiter exposuisse jam diximus. Et quidem primo in dubium revocari nequit juxta communem SS. Patrum sententiam, regem Salomonem a Deo inspiratum libri hujus auctorem exstitisse, frustra nonnullis modernis heterodoxis repugnantibus, eumque ab Ecclesia inter divinos libros, et canonicos semper admissum. Secundo meminisse oportet, quid liber iste complectatur : est enim sacrum epithalamium, id est *carmen nuptiale*, non ad terrenas nuptias exornandas; verum ad sublevandos humanæ mentis sensus, ut digne de amore Dei cogitet anima fidelis, ad eum aspiret, ejusque suavissimis deliciis, tanquam inter sponsum, et sponsam perfruatur. Hæc eadem complexus est S. Bernardus serm. 1 in Cant. cantic. *Salomon*, inquit, *divinitus inspiratus, Christi et Ecclesiæ laudes, et sacri amoris gratiam, et æterni connubii cecinit sacramenta, simulque expressit sanctæ desiderium animæ, et epithalamii carmen exultans in spiritu, jucundo composuit eloquio, figurato tamen*, etc. Tertio adnotandum, quod cum colloquium spiritum inter et spiritum, dum viatores sumus, nonnisi per res, et ideas corporeas exprimi possit; ideo voces illæ allegoricæ, quibus utitur Salomon, non ut sonant, accipiendæ sunt, sed intelligendæ secundum earum significationem. Nihil ergo minus castum, et sanctum toto

Digitized by Google

in Cantico intelligatur; sanctus enim est sponsus, sancta et sponsa, adeoque quidquid profanum, et terrenum est procul absit. Quarto dicam ab hac sponsa, ad Dei amorem possidendum assumpta, repræsentari Ecclesiam, quam Christus Dominus proprio sanguine sibi acquisivit, atque in eam thesauros veluti omnes suæ dilectionis effudit. Sed multo sublimius veritatem significationis attingemus, si Dei Filium hoc in sponso agnoscamus, qui humanam, post Adæ peccatum, commiseratus conditionem, carnem nostram (cujus sacrificium salutis nostræ pretium futurum erat) tanquam sponsam sibi sociavit, illudque spirituale connubium indissolubile celebravit, quod protoparenti Adæ prænuntiatum, expectatio fuit omnium sæculorum. Et quia is, qui ab æterno Filius Dei erat, in tempore filius hominis generari debebat, non secundum communem generationem, sed quæ cœlestis omnipotentiæ opus esset, virginem sibi matrem in terris elegit, cujus puritatis ac sanctitatis plenitudine ita delectatus est, ut nulla alia creatura ei charior fuerit, nullamque ditioribus muneribus cumulaverit. In hoc igitur sacro epithalamio, vel Deum cujuscunque animæ fidelis amatorem inspicianus, vel pro sponsa Ecclesiam intelligamus, aut Filii Dei in suscipienda carne nostra charitatem agnoscere velimus, vel tandem ad Deiparam mysticos sensus referamus: hæc omnia in Cantico canticorum contineri, ac repræsentari catholici omnes interpretes consentiunt. Hujusmodi mysteria in figuris, et tropicis vocibus a sacro scriptore usurpatis perfecte intelligens S. Bruno, modo Deum cum anima, quandoque Ecclesiam cum Christo, nunc sponsi amicos, alias sponsæ amicas, veluti personas colloquentes inducit, et proprietates, seu characteres cujusque personæ a principio usque ad finem mirifice servat, atque describit. At quod mirabilius est, quamvis ille suo in commentario studuerit brevitati, nihil tamen omissum, sed singula ad propriam significationem perducta conspiciuntur. Fateri non verebor in multis Brunonem cum interpretatione olim Cassiodorio attributa consentire, quod aperte ea usum fuisse demonstrat, non omissis tamen aliis SS. Patribus, qui Canticum canticorum illustrarunt, ut nos opportune adnotabimus. Huic commentario præmittitur ejusdem auctoris illustratio in parabolam Salomonis *De muliere forte*, in qua describenda lectores veluti præparat ad mysterium majoris elevationis quod in Cantico canticorum explanare sibi proposuerat.

CAPUT II.

DE THEOLOGICIS DOCTRINIS,

§ I. *De divinis attributis.*

Expositis ordine, et fine, ad quos S. Bruno suas deduxit interpretationes in divinos libros, amplissimus mihi aperitur campus disserendi de theologicis doctrinis, in quibus quam profunde versatus fuerit, ex his, quæ allaturus sum, constabit. Et sane quamvis inenarrabilia sint Dei attributa, cum Deus inaccessibilem lucem inhabitet, et immensa, incomprehensibilisque sit ejus natura; attamen tales de ejus essentia, omnipotentia, æternitate, immutabilitate, ac bonitate notiones præbet, ut nulli alteri, quam supremo enti, primæ causæ, Deo scilicet convenire posse, fateamur. Ab illis itaque verbis Exodi cap. III. *Qui est, misit me ad vos*, essentiam Dei designatam intelligens, ait: pag. 49, col. 2. « Dicat ergo, qui semper est, qui idem semper est, qui nunquam cœpit esse, qui nunquam desinit esse, qui a nullo suscipit esse, qui omnibus dat esse, qui de proprio non mutatur inesse, vel non esse. Ille, qui sic vocatur, misit me ad vos: hoc enim nomen nulli alii convenit, hoc nomen solius Dei est. » Eadem de Deo habet S. Bruno in comment. ad cap. XIV in Job, p. 248, c. 1. « Quia enim Deus semper est, idem est, immutabilis est, et cunctis rebus, et temporibus semper præsens est. Ideo ipse solus est, quia nulla alia res ita est. » Hujusmodi naturæ divinæ imago, adeo proprie Deum repræsentat, ut illi soli conveniat. Quis enim suum esse ita sibi proprium asserere potest, ut semper a se fuerit, a nullo acceperit esse, sed omnibus rebus, quando ei placuit, dederit esse, quem nulla alia causa præcessit, qui infinitus est, omnes scilicet excellentias, et virtutum proprietates in se continet, nec ullis finibus est circumscribendus? (2) Qui infinitus est, omnipotens esse debet, adeoque omnipotentia est Dei attributum, de qua a Brunone super cap. I Genesis, p. 1, c. 12, hæc habemus. « In principio creaturarum omnium creavit Deus cœlum, et terram, et ea scilicet, quæ continentur in eo, id est angelos, virtutesque cœlestes, et terram jam quasi prægnantem, et parturientem, omniumque eorum materiam, et matrem, quæ ex ea oriuntur. » Præterea pag. 3, col. 1, de omnipotentia addit: « Duplex firmamentum a Deo factum dicitur; illud nimirum, quod sine intermissione volvitur, in quo sol, et luna, et stellæ apparent. Est autem et aliud cœlum super hoc valde dignioris, excellentiorisque naturæ, super quod antiquus hostis ascendere cupiens, dicebat, *in cœlum ascendam*, » etc. Deus est immutabilis; nam quamvis in tempore mundum condiderit, attamen mutatus dici nequit. « Mutatio in Deo nulla est, » sunt hæc Brunonis verba eodem in loco, p. 5, col. 2, « cui nihil novi accidit, cui et præterita, et futura præsentialiter adsunt, qui priusquam mundum faceret, in suæ mentis dispositione jam factum gestabat (3).

(2) « Infinitus Deus concipi debet, quia nec principium suæ existentiæ habuit, nec finem est habiturus; qui causa efficiens est omnium creaturarum tam visibilium, quam invisibilium; qui ubique est per essentiam suam, præsentiam, et potentiam, qui omnia regit, et gubernat, suamque voluntatem in omnibus adimplet. » Vid. D. Thom. I p., q. 7, art. 1, 2 et 3.

(3) « In Deo non alteram præcedentem altera subsequens mutavit, aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna, et immutabili voluntate, res quas condidit, et ut prius non essent, egit, quandiu non fuerunt, ut posterius essent, quando cœperunt. » D. Aug. lib. XII De civit. Dei c. 17.

Digitized by Google

Neque dum aliquid creat in aliquo movetur, quia quantum ad se nihil novi agit; sed quia ante tempora disposuit, quomodo, et quo in loco, vel tempore disposuit, quomodo, et quo in loco, vel tempore disposita sunt, fieri jubet. Erat igitur mundus, priusquam fieret, quia in Deo nullum unquam initium habuit. » Deus est æternus. « Omnia enim, quæ temporaliter fiunt, » sequitur S. Bruno pag. 5, c. 1, « in ipso quidem ante tempora vivebant. Unde bene dicitur : *Qui vivit in æternum fecit omnia simul.* Simul enim omnia creavit, quia quando, vel qualiter cuncta fierent, simul disposuit. » Cum ergo nullum principium in Deo concipi possit; quin imo sit ipse rerum omnium initium, et causa effectrix cujuscunque creaturæ; cum et ipse permaneat, qualis semper *fuit;* necessario consequitur, quod tota in æternitate idem sit futurus. (4) Quam notionem præbeat S. episcopus de bonitate Dei, his eximie exprimit : « Deus a se ipso, et substantialiter bonus est; cætera vero non a seipsis neque sunt, neque bona sunt, sed a Deo sunt quidquid sunt. Laudemus igitur Dominum, quoniam bonus est, et substantialiter bonus, et qui nunquam potest esse nisi bonus p. 526, col. 2. »

§ II. *De Trinitate.*

Qui de divinis attributis tam præclare disseruit, non minus luculenter augustum Trinitatis mysterium intelligendum dedit. Exponens enim illa verba Genes. cap. I, pag. 6, col. 1, *Faciamus hominem*, hæc habet : « Deus ergo est, qui loquitur. Numquid ad angelos? Absit. Non enim ab angelis creatus est homo; alioquin non unus, sed multi creatores essent; at solus Deus est omnium creator. Sic enim scriptum est II Machab. I, 24 : *Creator omnium terribilis, et fortis.* Itemque ps. CIII, 24 : *Omnia in sapientia fecisti.* Si igitur verum est, quod negari non potest, solus Deus creavit omnia, quos ad hominem creandum invitabat, dicens, *faciamus hominem?* Audiamus igitur quid in capite libri hujus dicitur. *In principio creavit Deus cœlum, et terram.* Habes ergo Deum, id est Patrem, habes et principium, id est Filium : sic enim ipse ait Joan. VIII, 25 : *Ego principium, qui et loquor vobis.* Sed quid sequitur? *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas.* (5) Habes igitur et Spiritum sanctum. Quod autem non solus Pater cœlum creaverit, sed simul cum eo Filius quoque, et Spiritus sanctus, dicat Psalmista ps. XXXII, 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Tota autem Trinitas, id est Deus, et Verbum ejus, et Spiritus ejus, unus Deus, et iste quidem dicit : *faciamus hominem*, non extra se auxilium petens, sed in se cum Filio suo, et Spiritu sancto cuncta disponens. » Neque minus mysterii sanctissimæ Trinitatis veritatem evincit A. N. ex alio ejusdem Genesis testimonio cap. XVIII, ubi dicitur : *Abraham tres vidit, et unum adoravit.* Ad hæc S. Bruno sic effatur p. 18, c. 2. « Semper Abraham in fide crescit, semper de Deo majora cognoscere meruit. Ecce enim quod id temporis omnibus incognitum fuit, in Trinitate Deum cernit, et in unitate Deum adorat; non quod Trinitatem ipsam viderit; sed quia per hoc, quod viderat, in Trinitate et unitate Deum cognoscere meruit; unde cum tantum tres viderit, non tamen nisi unum adorat, non nisi unum Dominum vocat. » Sed omissis reliquis hujusce mysterii testimoniis, ex aliis Scripturæ locis depromptis, disertissime agit S. Bruno de Trinitate in 1, 2, et 3 capite, lib. IV Sententiarum, ubi totam theologicam doctrinam perspicue, et apposite instruit, eruditeque tradit. In primo enim capite postquam præmisit illud Deuteronomii cap. VI, 3. *Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus unus est;* et illud ps. LXXX, 5. *Israel si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum; ego enim sum Dominus Deus tuus;* his sapientissime prosequitur : « Hæc Judæi legentes, et non intelligentes irrident Christianos, quasi non unum, sed tres Deos colant. Quibus digne satis Dominus in Evangelio ait : Matth. XXII, 29. *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Nos enim non tres deos, sed Deum unum in tribus personis colimus, et adoramus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Deus quidem unus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est; non tres tamen Dii, sed unus est Deus. Tres enim istæ personæ una essentia sunt, una deitas, una virtus, una majestas, una sapientia, una fortitudo, una omnipotentia, unum lumen, unum principium, una claritas, et quæcunque aliæ sunt, præter personalem proprietatem, quæ de una persona dicuntur, de omnibus pariter dicuntur. Et qualiter enim Pater, taliter et Filius, et Spiritus sanctus Deus est, omnipotens, fortis, magnus, et sapiens est, et quæcunque alia simili modo dici possunt. Non tamen tres dii, vel tres omnipotentes, sed unus Deus, unus omnipotens, unus fortis, magnus et sapiens (6). Personalis autem proprietas hæc est, ut Pater genitor, Filius genitus, Spiritus vero sanctus nec genitor, nec genitus, sed ab utroque procedens credatur, et intelligatur. » In progressu autem hujusce capitis exponit A. N. symbolum vulgo

(4) « Ratio æternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum, ut ex dictis, etc. Unde cum Deus sit maxime immutabilis, sibi competit esse æternum. Nec solum est æternus; sed est sua æternitas; cum tamen nulla alia sit sua duratio. Deus autem est suum esse uniforme. Unde sicut est sua essentia; ita est sua æternitas. » D. Thom. I p., q. 10, art. 2.

(5) In comment. super hunc Psalmi locum S. Bruno pag. 359, c. 1. « Breviter in hoc versiculo Trinitatis mysterium declaratur. Quid est enim Dominus, et Verbum ejus, et Spiritus ejus, nisi Pater, et Filius, et Spiritus sanctus? Unus est Deus, cujus voluntate creati sunt cœli. »

(6) « Quidquid itaque de sempiterna, et incommutabili gloria Patris pia possunt corda concipere, hoc simul et de Filio, et de Spiritu sancto, inseparabiliter atque indifferenter intelligant. Ideo enim hanc beatam Trinitatem unum Deum confitemur, quia in his tribus personis nec substantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis nec operationis est ulla diversitas. » S. Leo M. serm. 73, De Pentec. 1, c. 3.

Digitized by Google

Athanasianum, atque ex eo eruit doctrinas catholicum dogma de Trinitate confirmantes; præcipue vero in distinctione personam probat naturæ identitatem, ut jam fecerat in comment. super ps. LX, pag. 434, col. 1 : *Habitabit in eo usque in finem.* « Habitat, inquit, Pater in Filio, ut idem in eodem. Quamvis enim alius sit Pater, et alius Filius, non tamen aliud Pater, et aliud Filius. Habitabit igitur Pater in Filio usque in finem, et quia neque Pater, neque Filius habebit finem. Semper igitur in Filio Pater, et semper in Patre Filius, et in utroque Spiritus sanctus. » Dixerat etiam in comment. ps. LXX, pag. 450, c. 1, non differre Filium a Patre in justitia, quia non differt in substantia. In secundo capite disserit primum S. Bruno de indivisibilitate essentiæ divinæ, quamvis in tribus distinctis personis reperiatur. « Dividitur, inquit, hæc unitas indivisibiliter; quia quamvis personæ tres sint, Deus tamen unus est, qui non per partes divisus, sed totus in singulis est. Quoniam enim una Dei substantia in singulis personis est, divisa quadammodo esse videtur; sed quia tota in singulis est, indivisa esse probatur. Tota enim essentia divinitatis est in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto : quoniam et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et hi tres unus Deus. » Eadem docet A. N. in cap. 5, lib. IV Sentent. De circumcis. Domini, exponens illa Joannis verba I epist., V : *Tres sunt, qui testimonium dant in terra : Pater, Verbum, et Spiritus, et hi tres unum sunt.* Post hæc, assignat differentiam inter substantiam temporalem, mutabilem, et contrariorum susceptibilem, et substantiam divinam, æternam, immutabilem, nullisque contrarietatibus obnoxiam, quam semper simplicem, et unam dicit, eamdemque numero, semper tamen in pluribus existentem; quibus positis, ad refellendum Arianorum errorem descendit. Utitur primum eadem essentiæ divinæ expositione, in comment. super cap. III Exodi tradita, hisque argumentis suam conclusionem deducit. « Semper enim, ait, totus Deus sapientia est, semper et totus virtus est, veritas est, lumen est, principium est, et similia. Neque aliud est ei esse, et omnipotentem esse, et hæc omnia in ipso sunt unum. (7) Omnia hæc est Pater, omnia Filius, omnia Spiritus sanctus. Quomodo ergo Pater major Filio, vel antiquior esse potest, cum filius æternus sit, et ante æternum nihil sit? Si ante æternum aliquid esse potuit, et antequam Filius esset, Pater esse potuit. Sed ante æternum nihil esse potuit; non est ergo Pater antequam filius, præsertim cum Filius Dei, verbum Dei sit, virtus Dei sit, sapientia Dei sit. Neque enim antequam Verbum, antequam virtus, antequam sapientia, Pater esse potuit. Qualis enim esset, si fortis, et sapiens non esset? Neque enim sine virtute fortis, neque sapiens sine sapientia esse potest. Sapientia enim in Patre, et Filio, et Spiritu sancto una est, et præter ipsam nulla est. Ipsa est de qua dicitur : *Omnia in sapientia fecisti*, ps. CIII, 24. Et ipsa quidem est Verbum Dei, per quod scriptum est : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Si ergo hæc sola, et non alia sapientia in Deo est, aut sine sapientia (quod nefas est dicere, aut cogitare) Pater aliquando fuit, aut ante hanc sapientiam nunquam fuit; impossibile est igitur ante Filium Patrem esse. » Ario vero objicienti genitorem naturaliter præcedere genitum; quia qui gignitur, supponit eum a quo generatur; respondet divinam generationem non esse similem creaturarum generationibus, sed singularem, et admirabilem dici in Scripturis. Neque tamen in creatis desunt exempla, quibus patet genitum gignenti posteriorem non esse, ut calor, et splendor, qui non post ignem, sed cum igne statim manifestantur; quare ab Apostolo Dei Filius splendor Patris appellatur (*Hebr.* I, 3). Præterea verbum ab intellectione procedit, nec tamen intellectio est prior verbo, quod ostendit S. Bruno, probans intelligentiam, memoriam et usum in nobis unum esse, et sine se esse non posse, neque unum prius aliis, aut posterius existere. In tertio autem capite docet A. N. arcana divinitatis esse imperscrutabilia, nec ulli hominum viatori datum ea comprehendere; nam quamvis Moyses, et Abraham dicantur in Scripturis facie ad faciem cum Deo locuti, et quamvis apostoli cum Christo Domino familiariter conversati sint, et a cœlo Patris vocem eum filium dilectum appellantem audiverint, attamen qualis naturæ qualisque essentiæ sit Deus cognoscere non sunt consecuti. Quare his concludit Bruno : « Si Moyses, et apostoli, qui Spiritu Dei pleni erant, in quibus et per quos Deus loquebatur, eum sicuti est, videre, et audire, et intelligere non potuere, temerarium esse videtur de ejus nos essentia perscrutari; præsertim cum ipse dicat, Exod. cap. XXXIII, 13 : *Non videbit me homo, et vivet.* »

Probaverat jam ante S. Bruno in cap. 2, lib. III Sent. omnimodam Christi, ut Filii Dei, cum Patre æqualitatem, illustrans vers. 6, ps. XXIII : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* « Hoc est, inquit, quod ipse ait Joan., XVI, 28. *Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Denique a summo ad summum est occursus ejus, quia per omnia æqualis est Patri, secundum divinitatem. De quo et Daniel ait cap. VII, 13 : *Aspiciebam in visu noctis, et ecce in nubibus cœli filius hominis venit; et datum est ei regnum, et honor, et potestas, et usque ad antiquum dierum pervenit.* Usque ad antiquum namque dierum perveniet Dominus, quando similis Patri, et æqualis per omnia apparebit. Si enim esset aliquid secundum

(7) « Hæc Trinitas unus est, ejusdemque naturæ atque substantiæ non minor in singulis, quam in omnibus, nec major in omnibus, quam in singulis, sed tanta in solo Patre simul, et Filio, et tanta in solo Spiritu sancto, quanta simul in Patre, et Filio, et Spiritu sancto. » D. August., epist. 170; alias 66, num 5.

Digitized by Google

divinitatem, in quo differret ab ipso, non utique perveniret ad ipsum. Pervenit igitur usque ad ipsum, quia in nullo distat ab ipso. » Alium luculentiorem locum, ubi S. Bruno asserit æqualitatem cum Patre Christi, ut Filii Dei, præstat commentatarius super illa verba ps. CIX, p. 538, c. 2 : *Dicit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Ubi refert interrogationem factam Judæis a Christo, Matth. cap. XXII, 45, quid ipsis videretur de Christo, et cum respondissent, credere eum esse filium David, his Christus illos perstrinxit : *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dicit Dominus Domino meo; Sede a dextris meis. Quomodo cum Dominum vocat, si filius ejus est? Et non potuerunt ei respondere verbum.* His præmissis, ita disserit S. episcopus : « Hæc questio apud Judæos indissolubilis manet; neque enim hoc intelligere potest, nisi qui Deum et hominem esse Christum credit. Unde nobis hæc quæstio facillima est, qui Salvatorem nostrum, et secundum divinitatem Dominum David, et secundum humanitatem filium esse David non dubitamus. Et hoc est, quod ait : *Dicit* Dominus Pater Domino meo, Filio suo : *Sede a dextris meis.* Sedere autem cum Deo in una sede, et a dextris sedere, æqualitatem significat. Judæi vero, neque Deo æqualem, neque in cœlis ascendisse, neque simul in eadem sede a dextris ejus sedere credunt. Et ab hac infidelitate sua non prius recedent, donec ponantur scabellum pedum ejus. Hoc autem erit in judicio, quando in sua majestate eum videntes et Deum, et hominem certissime esse cognoscent. Probat ergo Propheta ab auctoritate ipsiusque Patris, quia Filius æqualis est Patri, et quia sedet, et sedebit ad dexteram Patris, donec inimici ejus fiant scabellum pedum ejus. » Præterea eodem in psalmo explanans illa verba : *Ex utero ante luciferum genui te*, coæternitatem Christi ut Filii Dei luculentissime docet S. Bruno. « Et hoc similiter, ait Propheta, dicit Dominus Domino meo, quia *genui te.* Unde? *Ex utero.* Quando? *Ante luciferum.* Nullum tempus ostenditur, quando ante Luciferum dicitur, quia in infinitum ascenditur. Sed quid est *ante luciferum*, nisi antequam dici, vel intelligi, vel cogitari possit?..... Sed quid est quod ait : *Ex utero?* Deus enim neque cor, neque uterum habet, neque ulla partium divisio in illo est. Quod igitur ait : *Ex utero ante luciferum genui te*, tale est ac si diceret, ex meipso, ante omnem creaturam, et antequam dici, et excogitari valeat, genui te. Hunc usque Pater ad Filium. »

Sed et de Spiritu sancto, ejusque processione a Patre, et Filio doctissime scripsit S. Bruno in tractatu De sacramentis, et mysteriis, ubi agit de confirmatione, et peculiariter super illud Joann. cap. XX, 22. Quod Christus daturus apostolis Spiritum sanctum insufflavit super eos. « Poterat, inquit Salvator noster, sine omni insufflatione dare Spiritum sanctum, quem ideo insufflando dedit, ut ab ipso quoque, sicut a Patre ejus procedere intelligamus. Quamvis enim nesciamus quomodo Spiritus sanctus a Patre Filioque procedat (8) (hoc enim hac in vita, in qua non videmus nisi per speculum, et in ænigmate [*I Cor.* XIII, 12], nulli revelatur [9]) certissime tamen scimus et nullatenus dubitamus eum procedere a Patre et Filio, id est de substantia Patris et Filii. Hoc enim ei proprium est, et de nulla alia substantia procedit, a nullo alio mittitur, et a nullo alio datur Spiritus sanctus. Datur enim officio sacerdotum, sed non a sacerdotibus. Sic enim adest virtus Christi per insufflationem, quæ a sacerdotibus in honorem significationis Spiritus sancti, per verba, quæ dicuntur in nomine suo. » Eamdem Spiritus sancti processionem asserit A. N. in Exod. comment. p. 89, col. 2; ejusque manifestationem apostolis factam in die Pentecostes, de qua inferius a nobis agendum erit.

Ut autem tenuitati nostræ subveniamus, hortatur nos S. episcopus, ut quæ de ineffabili Trinitatis mysterio tradiderunt SS. Patres consulamus. « Fides ego sanctorum, inquit, nobis sufficiat, neque enim meliores sumus, quam Patres nostri, neque ultra quæramus quæ illis divinitus sunt revelata, et qui nos ipsos, et ea, quæ in nobis sunt intelligere non valemus, ad ea quæ supra nos sunt nos extendere non laboremus. »

§ III. *De incarnatione Domini.*

Deus altissimo consilio hominem ad similitudinem suam condiderat eumque Spiritu sapientiæ et intelligentiæ repleverat, ut ad sui cognitionem, et amorem perduceret; non enim tantæ dignitatis, tantique luminis alia ex causa participem fecit, nisi ut ei facultatem, et copiam suæ cognitionis impertiret. Utinam ergo ab illo præstanti felicique statu per culpam non excidisset! Utinam in innocentia et integritate suæ originis perstitisset (10)! Non obscurata fuisset in eo lux illa qua Dei vultum proxime intueri valuisset, neque privilegia suæ originalis conditionis amisisset. « Homo a Deo, inquit S. Bruno serm. 1 De Trinit., quasi mane est conditus, quia retinens Dei similitudinem, vere luci proximus videbatur. Poterat enim de propinquo Deum cernere, scilicet in se et per se, nulla re extrinsecus inter-

(8) « Nemo tamen existimet in iis, quæ corporeis visa sunt oculis divinam ejus, id est Spiritus sancti apparuisse substantiam. Natura enim invisibilis, et Patri Filioque communis, qualitatem muneris, atque operis sui qua voluit significatione monstravit. Proprietatem vero essentiæ suæ in sua deitate continuit quia sicut nec Patrem, nec Filium, ita nec Spiritum sanctum humanus potest visus attingere. » S. Leo M. serm. 73, De Pentec. 1, c. 3.

(9) « Distinguere inter illam generationem, et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio » D. August. lib. II, alias III, contr. Maxim., c. 14, n. 1.

(10) « Talis est homo creatus, ut et peccare, et non peccare posset propria voluntate, ac propterea in eo digne punitus est voluntariæ prævaricationis lapsus : quia nulla fuit ad peccandum naturali carnis, aut animæ necessitate compulsus. » S. Fulg., De

Digitized by Google

veniente. Sed et propinquitatem, et similitudinem amisit, dum se inobedientiæ malo subjecit : » Ab hac extrema calamitate placuit Deo in sua misericordia infinito hominem per Filium suum unigenitum humana carne indutum eripere, et qui angelis prævaricatoribus non pepercerat, saluti hominis prospicere dignatus est. (11) Hujus magni mysterii, et sacramenti plures in primis patriarchis figuræ præcesserunt, ut veritas promissi Reparatoris adventus, tot ante sæcula prænuntiata, et præsignata, fidem, et spem redemptionis apud homines obtineret. Primum, Abelem a fratre Caino interemptum dixit Bruno comment. in Genes. p. 14, col. 1, Christum significare a fratribus suis nempe Judæis crucifixum. Secundo, Jacob Christum repræsentavit. « Advenit Jacob, inquit p. 32, col. 2, advenit Christus; sed quomodo? Vis audire quomodo? hædorum pellibus involutus, id est in similitudine carnis peccati. Exinanivit enim se formam servi accipiens, etc. Hoc enim fuit primum hominis indumentum, quando primus homo de paradiso expulsus est. Tali igitur veste indutus venit Christus, ferens secum duos hædos optimos : alterum pro peccato, et alterum in holocaustum, carnem videlicet, et sanguinem suum : his etenim peccatum originale, solvitur, et Deus ab indignatione placatur. » Tertio, pro symbolo Christi intellexit A. N. lapidem super quem ipse Jacob dormivit. « Lapis ille, ait, super quem Jacob dormivit, Christus est, qui pluribus in locis lapis vocatur. Super ejus pectus quoque Joannes evangelista recubans, non minora quam Jacob videre meruit, » p. 32, col. 1. Et iterum p. 34, col. 1, de de eodem lapide dicit : « Ille etenim lapis Christi carnem significabat, in quo omnis plenitudo divinitatis habitabat corporaliter, De quo scriptum est : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Prov. I, 0, carnem scilicet, quam assumpsit, quia Verbum caro factum. Quarto, Josephum etiam Christum præmonstrasse asserit p. 39, c. 1. Joseph enim, inquit, qui *accrescens* interpretatur, Christum significat, cujus regnum, et imperium tantum crevit, ut mundum impleret universum. » Quinto, duplici in loco Moysen Christi typum gessisse dixit S. Bruno; in comment. enim ad Exod., cap. II, pag. 48, col. 2. « In diebus illis, egressus est Moyses ad fratres suos, viditque afflictionem eorum. Vidit autem et virum Ægyptium percutientem quemdam Hebræum, quem ipse occidens abscondit sabulo. Similiter et Christus Dominus noster, veniens in hunc mundum, multos Ægyptios, id est malignos spiritus interfecit, virtute privavit, atque de obsessis corporibus ejecit. » Ad caput autem XXIV ejusdem Exodi pag. 84, col. 1, hæc habet : « Moyses enim legislator, et Dei populi mediator mediatorem Dei, et hominum Jesum Christum significavit, utriusque Testamenti datorem. »

Quærit A. N. utrum homo, an angelus ad solvendam Deo satisfactionem idonei fuissent, et docet in tract. De incarnatione Domini, neutrum ex his tantum beneficium humano generi promereri valuisse. Nullus hominum, ait, hanc hostiam salutarem, Deoque dignam offerre poterat, quia omnes originali, et actuali peccato obnoxii tenebantur; ac proinde ab hoc sacrificio tanquam invisus et indignus expellebatur. Neque angelus in sua natura id præstitisset; quia cum sit incorporeus, adeoque invisibilis, in sacrificium passionis se præbere non valebat. Forsitan si humanam naturam angelus assumpsisset, et in ea passus fuisset, salutem hominibus universis adtulisset? Sed tanta charitas in angelis supponi nequit; quia ex apostolo, ad Rom. cap. V, 7, aliquis justus vis pro justo moritur, ne dum pro injusto damnetur. Accedebat etiam, quod ante Christi adventum homines propter peccatum ab angelis odio habebantur, et auferri debebat occasio, ne forte si idem homo ab angelo esset redemptus, eumdem angelum pro Deo veneraretur, qui lapides, ligna, et æramenta jam pro Deo adorabat. His igitur, aliisque plurimis rationibus cum angelica victima excluderetur, solus restabat Creator, qui sua miseratione et solita pietate humano compatiens generi, sæpe dictum hominem liberaret, et a diabolica fauce perplexum eriperet, et hoc non in sui natura, ut qui solum hominem redimere venerat, Deus et homo immolaretur. Hæc supradicta supponunt S. Augustini doctrinam, aientis lib. XIII De Trinit., c. 10, divinæ omnipotentiæ alios modos non defuisse, quibus salvaret homines; sed quem eligit, convenientiorem omnibus fuisse. Poterat enim Deus peccatum, vel injuriam peccati gratiose condonare, et acceptare satisfactionem hominis, etsi inæqualem, et imperfectam. Sed in hypothesi, quod Deus hominem liberare, et absolvere noluerit, nisi exigendo satisfactionem talem, quæ condigna sit, et æqua; ita ut illa posita, Deus ex justitia teneatur homini culpam condonare, necessarium fuerit hanc satisfactionem exhiberi a Deo incarnato : sic ut a nullo homine pure, quantacunque gratia exornato, reddi æqualis non potuisset.

« Cum vero in divinitate personarum differentiam catholica credat Ecclesia, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, non immerito considerandum est, inquit A. N. eodem in tractatu De Incarn., cui hæc assumptio conveniebat (12). Pater autem si intra virginalem uterum assumeret hominem, et ab eodem nasceretur, idem essent, Pater et Filius. Pater secundum divinitatem Filius vero secundum

prædest. et grat., c. 2.

(11) « Collapsa in parentibus primis humani generis plenitudine ita misericors Deus creaturæ ad imaginem suam factæ per Unigenitum suum Jesum Christum voluit subvenire, ut nec extra naturam esset reparatio naturæ, et ultra propriæ originis dignitatem proficeret secunda conditio. Felix si ab eo non decideret, quod Deus fecit! Felicior si in eo remaneret, quod receperit! » S. Leo, serm. 70, 2 De resur., c. 2.

(12) Non convenire incarnationem Patri, neque Spiritui sancto egregie solideque demonstrat S. Fulg. tract. De fide ad Petrum, cap. 2.

Digitized by Google

humanitatem, quod et credere, et etiam dicere nefas est. Aliud quoque majus esset nefarium, quoniam duo filii adessent in divinitate; scilicet Pater filius secundum humanitatem, et Filius Dei filius secundum divinitatem. Tanto ergo errore vitato, prædicta assumptio Patri non conveniebat. Adhuc restat dicere, si Spiritus sanctus competens esset ad immolandum. Si autem idem Spiritus hominem acciperet, et pro eo vellet immolari, supradictus error in divinitatem caderet; revera etenim duo filii et crederentur, et haberentur in ea. Filius Dei secundum divinitatem, quemadmodum diximus; filius et Spiritus sanctus secundum humanitatem. Ergo utrique, Patri et Spiritui sancto prælata assumptio non congruebat, quoniam neuter horum in tali negotio admitti valebat. Ergo solus Filius ad hoc agendum condecens aderat, cui per justitiam inerat hominem per se creatum salvare, et diabolo suam potestatem petenti obviare, eumque ipsum hominem decipientem decipere, et ablato totius orbis imperio, perpetuo in inferno religare (13). » Explanaverat jam ante hoc idem mysterium S. episcopus in Expositione ps. LXVII, 20, pag. 439, c. 1 : « *Prosperum iter faciet nobis Deus salutaris noster, Deus noster, Deus salvos faciendi, et Domini exitus mortis. Prosperum*, inquit, *iter faciet nobis Deus salutaris noster;* per quem specialiter Dei Filium intelligere possumus, qui nos sua morte salvavit. Et ipse *est Deus noster;* quia, quamvis sit Deus omnium, proprie Christianorum Deus est. Ipse quoque est Deus salvos faciendi, quia ad hoc venit ut mundum redimeret et salvaret. Et ipse est Deus *Domini exitus mortis.* Per quod intelligitur, quod est Deus, etiam sui ipsius; quia enim simul est Deus, et homo, secundum humanitatem quidem servus est, et creatura est, et servus est. Sed iste servus Dominus est. Et ipse quidem est *exitus mortis;* quia, sicut in Adam omnes mortui sunt, ita et in Christo omnes vivificati sunt (*I Cor.* XV, 22); ipse est introitus vitæ, ipse est exitus mortis; quia per ipsum mors recessit, et per ipsum vita accessit. » Dixit etiam in comment. super ps. CXV : « Naturam humanam a primo homine per peccatum vitiatam, et corruptam, eamdemque in omnes homines pertransire, non nisi Christi sanguine sanari et liberari potuisse. » Et inferius ad verba ps. CXVI : *Dirupisti, Domine, vincula mea*, etc. « Ligatus, inquit, eram, dura me catena diaboli sirin gebat et trahebat; sed tu dirupisti vincula mea, tu solvisti originale peccatum, quod nisi tuo sanguine solvi non poterat. »

§ IV. *De annuntiatione divinæ maternitatis Mariæ virgini.*

Ad hoc tantæ molis, tantæque dignitatis opus missus est Gabriel angelus a Deo ad Mariam virginem desponsatam Joseph, et in civitate Nazareth commorantem. Salutatur Maria ab angelo, plena gratia, et benedictione cœlesti annuntiatur, superveniens in ea Spiritus sanctus, ac virtus Altissimi promittitur, divinæque maternitatis arcanum revelatur. Vaticinatus olim hoc fuerat David, ps. XLIV : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, quia concupivit Rex speciem tuam;* quæ a Brunone in Comment. ita explanantur pag. 389, c. 2. « *Audi*, inquit, *filia* mea, de genere meo, de progenie mea, nobilitas, et gloria generis mei, audi quæ angelus loquitur, quæ cœlestis nuntius tibi promittit; esto casta, esto sollicita, diligenter ausculta, quia magna valde sunt, quæ tibi nuntiantur. *Vide* ergo, et intellige, *inclina aurem tuam*, et suscipe Verbum in corde et in utero tuo : virgo concipies, et virgo paries *Inclina aurem tuam*, quia per aurem ingredietur in te, qui nascetur ex te. Verbum est enim, et via verbi auris est. Non aliter concepit beata Maria, nisi audiendo et credendo; si non audivisset, non credidisset : audivit, et credidit, et credendo concepit. » Præclaram autem integritatis Mariæ figuram in rubo, qui ardens et non combustus Moysi apparuit, his eleganter exornavit Bruno in comment. super cap. III Exod. pag. 49, c. 1. « Sed quid per rubum, nisi beatam virginem Mariam, quæ sic de Judæorum spinosa, et peccatrice gente exorta est; sicut de rubi asperitate pulchra, et odorosa nascitur rosa? Hæc autem visa est ardens, sed non arsit, quia sine carnis concupiscentia, sive libidinis æstu, sancto Spiritu obumbrata concepit. Hoc est enim, quod angelus ait : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Erat igitur ignis in rubo, splendor in Virgine, lux in Maria, lux illa, quæ ait : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII, 12), *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9), » etc. Sed et Mariæ virginitatem apertissimis verbis asseruit illustrans illa Levitici verba cap. XII. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum*, etc. « Quod autem, inquit pag. 145, col. 2, non simpliciter dixerit : Mulier si pepererit masculum; sed satis diligenter addidit, si suscepto semine masculum pepererit, non est dubium, hoc ad distinctionem B. Mariæ virginis dictum esse, quæ sine viri semine peperit Salvatorem. » Quomodo autem virtus Altissimi obumbraverit Mariam virginem copiosius etiam tradit hom. in Evang. *Missus est*, etc. Luc. II. « Hæc enim virtus, ait, communis est totius Trinitatis. Tota enim Trinitas, unus Deus, et ipse altissimus. Natus est igitur Christus de Spiritu sancto, ex Maria virgine, id est de virtute Spiritus sancti, quæ una communis est Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Filius autem solius Patris est Filius, et Pater solius Filii Pater est. Hæc igitur virtus superveniens obumbravit Mariam, et ex duabus naturis Christum Dominum operata est. Sicut enim anima rationalis, et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus. Quantum autem ad humanitatem spectat, non solum a Patre, et Spiritu sancto, verum etiam a se ipso et factus et creatus est. Quantum vero ad divinitatem

(13) Hæc eadem veritas stabilita fuit a D. Thom. p. III, q. 3, art. 8, sed aliis rationibus, quas hic referre non oportet.

Digitized by Google

nec factus, nec creatus; sed a Patre solummodo genitus. »

§ V. *De Christi nativitate, circumcisione, et manifestatione.*

« peperit itaque beatissima Virgo, prosequitur S. Bruno eodem in comment. super cap. II Luc., 7, concipiens virgo, pariens virgo, et in æternum permansura virgo. Clausa ante partum, clausa in partu, et clausa post partum (14). *Peperit*, inquit, *filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.* O pietas immensa! O humilitas ineffabilis! O sacramentum inenarrabile! Deus homo fit, æternus temporalis, immensus localis, immortalis passibilis, parvis pannis involvitur qui cœli ambitu præ magnitudine non continetur. »

Pastoribus eadem in regione super gregem suum vigilantibus statim ab angelo Christus natus, in præsepe reclinatus, et pannis involutus, cum Maria matre et Joseph annuntiatur. Hac visione admoniti pastores, quæ audierant, et viderant, secum conferunt, dicentes: « Mira sunt, » eumdem locum Lucæ exponens Bruno, ait, « quæ audivimus, stupenda, quæ vidimus. Cœlis gloria, pax terris promittitur. Salvator hodie natus est nobis, rex novus hodie datus est nobis, qui est Christus in civitate David, eamus, et videamus hoc Verbum, et credamus, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). *Quod factum est.* Quantum ad se, neque factum, neque creatum est. Factum tantummodo est; *quia Verbum caro factum est: quod Dominus ostendit nobis.* Videamus corporaliter, et quod mente concepimus, et fide tenemus, restat, ut oculis teneamus. *Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio* (*Luc.* II, 6). »

Quia vero Christus Dominus omnem justitiam adimplere venerat, et se verum hominem, non umbratilem, aut phantasticum ostendere, legi circumcisionis secundum tempus præscriptum subjici voluit. Duplici in loco disserit S. Bruno de circumcisione Christi Domini, quorum primus est in Evangelio Lucæ cap. II, 15: « Nobis, ait, non sibi circumciditur Dominus. Sicut enim nobis est natus, nobis baptizatus, et passus; ita et nobis est circumcisus, de quo Apostolus inquit Rom. IV, 11: *Quia signum accepit circumcisionem signaculum justitiæ fidei.* » Data est igitur circumcisio, non ut peccata tolleret, sed ut aliquid significaret, et quadam differentia Judæorum populum ab aliis gentibus separaret. Quamvis itaque propter mandati transgressionem quicunque olim non circumcideretur, damnabatur; non tamen per circumcisionem justificabatur. Hæc enim circumcisio in Christo completa est, in quo et aliæ legis cæremoniæ consummatæ sunt. Alterum locum præstat sermo De circumcis. Domini 5, lib. IV Sentent. « Quoniam autem, inquit, Salvator noster hanc in carne sua circumcisionem suscepit, hæc valde rationabilis causa fuit, quia non venit legem solvere, sed adimplere. *Finis enim legis*, dicit Apostolus Rom. X, 4. *Christus est ad justitiam omni credenti.* In ipso lex completa est, nihil proficiunt, qui post ipsum circumciduntur. Quæ autem sit circumcisionis significatio explicatur a D. Thom. III p., q. 37, art. 3, ubi ait: « Quod sicut Filius Dei non propter se ipsum factus est homo, et circumcisus in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos, et ut spiritualiter circumcidamur, sic propter nos sistitur Domino, ut discamus Deo præsentare nosmetipsos. »

Cum autem Jesus in Bethlehemitico præsepio moraretur, ducti a stella novo splendore coruscante venerunt Magi ab oriente eum adoraturi, eique parata munera obtulerunt. Plura sunt mysteria, quæ in evangelica lectione contemplatur A. N., eaque exponit in comment. super cap. II Matthæi, quorum aliqua tantum, ne longiores simus, proferemus. « Sed quare, inquit, eos antecedit stella, nisi ut viam eis ostendat, et ad puerum ducat? Sequuntur igitur eam, veniunt Bethlehem; stat super domum illam, in qua erat virgo Maria; stat stella super stellam: Maria enim *stella maris* interpretatur. Stella itaque Filius, stella et mater: stella oritur de stella; sed major quæ oritur, quam illa de qua oritur. Unde et merito supra stare videtur. Non dixit supra puerum: Sed quid dixit? *Supra ubi erat puer.* Ubi enim erat puer, nisi in sinu matris? Stabat ergo stella, et clamabat: habet enim linguam suam..... Sed quid significabat? Quid dicebat? Vis audire quid? Hic est puer: hæc est mater pueri: hic eum quærite: hic invenietis: hic in parvo corpusculo latet: hic ubique est, et omnia replet. Hoc est enim, quod dicit: *Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.* Quid est enim videntes stellam, nisi videntes, et intelligentes quid eis significabatur, et dicebatur per stellam? Non enim magnum gaudium est videre stellas. Nam solem et lunam sæpe videmus, et non multum videndo gaudemus. Gaudebant igitur non propter stellam, sed propter stellæ significatum. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Quanta exsultatio tibi fuerit, o Virgo beatissima, quis cogitare valeat? Quoniam quem nuper genueras, jam quasi Dominum adorari videbas. Sed quare tria munera obtulerunt, nisi ut Trinitatis mysterium revelarent? Primum enim munus offerimus credendo in Patrem, secundum in Filium, tertium in Spiritum sanctum. Quid autem per aurum significari putamus, nisi illam, quæ cæteris major est, et latius fulget, regiam potestatem? Aurum igitur Christo offerimus, qui ornatum custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium divini Spiritus virtus invicta servaret. »

(14) Consonans est S. Leo M. in serm. 2 De nativit. Domini, c. 2. « Oportuit enim, ait, ut primam Genitricis integritatem nascens incorruptio

Digitized by Google

ninm regem esse credimus. Offerimus et thus, quia Deum esse confitemur : myrrham quoque ei offerimus, quia sic illum Deum esse credimus, ut hominem, et mortalem esse non dubitemus. » Cum hæc satis superque explanata sint, non indigent ut ulterius similibus dictis in serm. De Epiphania Domini 6, ejusdem lib. Sententiarum confirmentur.

Idem ipse Christus Dominus, ut sui adventus veritatem, juxta prophetarum oracula, comprobaret, in templo præsentari voluit, legalique oblatione ut primogenitus redimi. Non minus copiosus est S. Bruno in edisserendis divinis rebus, quæ hac de Christi præsentatione ab evangelista Luca cap. II, 28, referuntur, cujus commentarii aliqua tantum *adducam* de S. Simeone, qui Christum in ulnas suas accepit. « Qualis enim, inquit, et quantus Simeon iste fuerit, breviter ostendit evangelista, dum justum, et timentem Dominum populi consolationem exspectare, et desiderare dicit, cui et Spiritus sanctus, qui in eo erat, Filii Dei adventum revelaverat, atque promiserat. » Et hoc est, quod ait : *Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Quanto desiderio videndi Dominum senex iste beatissimus æstuabat! quem jam ætas de hoc sæculo exire cogebat, sed Dei responsio retinebat. Mori enim cupiens, mori non poterat; quia Christum Domini necdum viderat, de quo sibi factum responsum audierat : *Non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Hoc igitur desiderabat, hoc mente tractabat, hoc semper cogitabat. Manifestavit se ergo Christus Simeoni, adimplevitque Malachiæ prophetiam qui eum venturum in templum prædixerat, cap. III, 1 : *Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.* Fugit autem Jesus in Ægyptum, se ab Herodis persecutione eripiens, eoque e vivis sublato, rediit in Galilæam, et cum parentibus habitavit in civitate Nazareth. *Ibant autem ipsi parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus*, Luc. II, 41. Quid hoc in loco Evangelii sit intelligendum, idem S. commentator exponit : « Religiosi parentes, inquiens, per annos singulos ibant in Jerusalem, ut legem audirent, sacrificiis participarent, solemnitatibus interessent, et ejus adhuc umbræ serviebant, cujus jam veritatem tenebant. Tota enim illa solemnitas Christi passionem, resurrectionem, et cætera, quæ de eo scripta sunt, significabat. Erat igitur simul cum cæteris Jesus in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis. Permixtus turbis videbatur ab omnibus, laudabatur ab omnibus, in lege, et prophetis prædicabatur, in sacrificiis significabatur, et a nemine cognoscebatur; quia duplici velamine tegebatur. Inde velamine litteræ, hinc carnis pariete. »

A Tempus demum advenit, quo Christum splendidius suæ manifestationis testimonium præbere oportebat, suamque missionem in mundum adimplere; quare, ut habemus ex Matthæo cap. III, 13 : *Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.* Plures hic complectitur doctrinas S. antistes suo in Comment. De institutione, et necessitate baptismatis Christi, de fine circumcisionis, de revelatione SS. Trinitatis, de novæ fidei veritate; eodemque tempore maximam de Christi et Joannis humilitate excitat admirationem. « Quod enim, ait, tunc intelligendum est, quando Joannes talia prædicabat et baptizabat; non autem quando prædicare cœperat : jam enim tricesimum annum uterque intraverat, quando ad baptismum Dominus ve-
B nerat. Baptizatur autem Jesus non sibi, sed nobis. Lavat aquas, et sanctificat suo tactu, non ipse lavatur ab aquis. Ibi vetus circumcisio periit : ibi novæ fidei innovatio cœpit. Ibi primum Joannes baptizare didicit, ubi totius mysteria Trinitatis cognovit, audivit, et vidit. Territus tunc Joannes, et ad Dominum accedere contremiscens, prohibebat eum, dicens : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Respondens autem Jesus, dixit : *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Tu, inquit, major es, tu Dominus es; ego minor, et servus; me oportet minui, te autem crescere. Quid est ergo, quod tu venis ad me? Ego potius debeo ire ad te. Tu mundus es, et omnia mundas; non ab a me, sed ego
C a te, et mundari et baptizari debeo. At ille : *sine modo*, mysterium est, quod ago : dum ego baptizor, tu quoque in me baptizaris, quia membrum es illius qui baptizatur. *Sic enim decet nos implere omnem justitiam*, veteribus finem et terminum ponentes, novis autem exemplum et regulam dantes. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua; et ecce aperti sunt cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se : et ecce vox de cœlo dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quid est enim, interrogat S. Bruno, quod baptizato Domino cœli aperiuntur? Et respondet : Magnum est hoc mysterium, magnamque his, qui baptizantur, lætitiam præfigu-
D rat. Clausum erat prius; nemo illum ante Baptismum ingrediebatur; nunc autem apertum est. *Vidit* autem *Spiritum Dei descendentem sicut columbam*, non quod Spiritus sanctus in columba incarnatus sit; solus enim Filius est incarnatus, sed quod in columba Spiritus Dei se ostendere voluit. Vox autem illa, quæ de cœlis audita est, cujus, nisi Patris fuit? Quis enim alius dicere potuit : *Hic est Filius meus dilectus?* Complacet autem sibi Deus Pater in Filio suo dilecto, quod talem ante tempora ineffabiliter, et sine initio Filium genuit. Apertissime hoc in loco Trinitas ostenditur, in quo personaliter tota sentitur; siquidem Filius in homine, Spiritus sanctus in columba, et Pater in suæ vocis testimonio declaratur. »

Huc usque manifestatio Christi facta non fuerat,

Digitized by Google

nisi aliquibus, qui quasi primitiæ forent ejus acquisitionis, pastoribus scilicet, Magis, Simeoni, Joanni Baptistæ. Sed, cum tempus suæ missionis adimplendæ advenisset, atque in sui sequelam nonnullos adduxisset, hos etiam aliquibus signis in ejus fide et imitatione confirmare dignatus est. Quare invitatus Jesus ad nuptias in Cana Galilææ, ad eas se contulit, nuptiali convivio cum discipulis suis interfuit; ibique primum miraculorum operatus est. Cum autem visus sit Christus matri suæ petenti conversionem aquæ in vinum, quod sponsis defecerat, paulo aspere respondisse, (15) quasi male illa petisset, quod nondum venerat tempus ut faceret quod optabat, Bruno noster mysterium verbis evangelistæ Joannis cap. II contectum eleganter exponit : *Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent.* « Plena enim, ait, Spiritu sancto virgo Maria, jam tunc illud miraculum prævidebat, quod ejus filius facturus erat. Quod ergo facere Jesus cogitabat; hoc illa ut faceret admonebat. Et dicit ei Jesus : *Quid mihi, et tibi est, mulier?* Quid mihi, et tibi, inquit, commune est, nisi hæc caro mortalis, et humanitas ista, quam fero, quæ famem pati, sitire et mori novit, miracula facere non novit? Quod enim in vinum aqua convertitur, non humanitatis, sed divinitatis est. *Nondum venit hora mea.* Nondum venit hora passionis meæ, in qua quid mihi et tibi commune sit omnibus innotescat. Tunc enim carnem quam de te suscepi, non virtutes et miracula facere, sed in cruce pendere et mori videbis. *Dicit mater ejus ministris : Quodcunque dixerit vobis, facite.* Inter se loquebantur mater et filius. Ipsi se intelligebant, ipsi sua secreta noverant, ipsi, quid tunc fieri oportebat, et quid futurum erat, sciebant. Cæteri autem quid ipsi dicerent ignorabant. » Conversam aquam in vinum a Christo admirati sunt omnes, eoque portento, Jesus, ut testatur evangelista, *Manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.*

Sed quia Christus Dominus non venerat quærere gloriam suam, sed gloriam Patris sui, qui ad salvandos homines eum miserat, ductus est a suo spiritu in desertum, ut oratione, et 40 dierum et 40 noctium jejunio tantum opus exordiretur, suisque asseclis præberet exemplum, quomodo cœleste præsidium sibi promeruissent. Expleto autem jejunio, terque victo diabolo qui eum ad tentandum accesserat, elegit duodecim apostolos, inter quos primi fuere Petrus et Andreas ejus frater, deinde Zebedæi filii, Jacobus et Joannes, piscatores omnes, et reliqui a S. Matth., c. IV, descripti, qui columnæ et fundamenta Ecclesiæ futuri erant. *Dixit autem eis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum* (*Marc.* I, 27). « Sed quid est dicere, ait S. Bruno, *venite post me*. Post Christum namque re, est ejus vestigia sequi, ejus opera imitari, ejusque patientiam et humilitatem tenere. Neque enim sufficit nobis pedibus tantum ire post Jesum, nisi et mente et dilectione eum sequamur. » His autem primis sectatoribus secum assumptis, cœpit Christus prædicationem suam, et ut testatur idem S. Matth, cap. V, 13 : *Circuibat Jesus totam Galilæam docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni Dei, et sanans omnem languorem et infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, et vexatos variis languoribus*, etc. Ubi S. Bruno hæc subjicit in comment. ad idem cap. IV, 23 : « Ecce quam subito manifestatur Christus; ecce quam subito ejus virtutis fama, et opinio terram replet. Undique autem omnes infirmi, et male se habentes ad eum deferuntur, et ipse ut verus medicus omnes interius et exterius curat infirmitates. » Eadem fusius etiam disserit in comment. super ps. XV, p. 324, c. 1.

§ VI. *De peccato originali.*

Quid causæ fuerit tantorum malorum quæ mundum inundarunt, humanamque progeniem tantas in calamitates adduxerunt? Non alia profecto, quam Adæ protoparentis culpa, cujus posteri ejus omnes participes fuerunt. Omnes in Adam peccasse certum est, adeoque sicut in omnes homines pertransiit peccatum, ita in ipsos mors cum omnibus malis pertransivit (16). Hanc veritatem ex apostolo, Rom. cap. V. 12, habemus : *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quale et quantum fuerit peccatum primi hominis Adæ, quod omnem ejus progeniem infecit atque damnavit, intelligi nequit, nisi status perfectionis, excellentiæ et dignitatis in quo creatus fuerat dignoscatur. Hic eximie a Brunone describitur in Comm. c. I Gen., p. 6, c. 2, exponens illa verba : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* « Quamvis ait, aliud sit imago, et similitudo, hoc tamen in loco idipsum significat et imago et similitudo; sic ad Dei similitudinem factus est homo, sapiens quidem, justus et bonus, immortalis et incorruptibilis factus est. Sed quoniam dicitur (idem S. Bruno), *creavit Deus hominem ad imaginem suam*, deinde subinfertur, *ad imaginem Dei creavit illum*, sic etiam intelligi potest, ut talem corporaliter quoque homini imaginem daret, qualem Filium, qui utique Deus est, quandoque suscepturum ante tempora disposuerat. Sic igitur non solum interior, verum et exterior homo noster quodammodo absimilis esset (17). » Hanc doctrinam ex Tertulliano desumpsit Bruno; ille enim lib. De resurrectione carquæ quidem bene dispositum divinæ creationis non perturbat ordinem, sed nævo paternæ transgressionis infligit tetram nascentibus fœditatem. » S. Fulg. De præd. et grat. lib. I, cap. 3.

(15) Petav. lib. XIV De incar., c. 1, § 6. Vid. adnotat. in S. Maximum Taurin., p. 68.

(16) « Primus enim homo transmisit in omnes homines peccati sui merita, quorum caro est de peccati lege concepta. Propter hoc in parvulis, cum nullum sit ex propria voluntate peccatum, inest tamen filiis iræ carnaliter genitis macula parentalis,

(17) Quid hac de imagine homini sentiendum sit opportune admonet S. Aug. lib. XV, De Trinit. cap. 26. « Verum, inquit, nec hanc imaginem ab eadem

Digitized by Google

nis cap. 6, ubi agit de primo homine ex limo formato, sic loquitur : « Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, sensu, consilio, sapientia, providentia, et ipsa imprimis affectione quæ lineamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod et limus et caro; sermo quod et terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad Filium : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et fecit hominem Deus, id utique quod finxit, *ad imaginem Dei fecit illum*, scilicet Christi. Et sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, et non rapinam arbitratus est pariari Deo. Ita limus ille jam tunc imaginem inducens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus. » Ex quo autem peccavit Adam, transgrediens Dei præceptum, de non edendo fructu ligni scientiæ boni et mali, dissimilis factus est ab illa Dei imagine in qua Deus eum condiderat; amisit enim justitiam, sapientiam, immortalitatem et bonitatem, quæ dona Dei erant, non naturæ suæ proprietates; et factus est mortalis, injustus, servus peccati, concupiscentiæ subjectus, et in intellectu obtenebratus. Quare A. N. loquens de paradiso, dixit p. 9, col. 1. « Posuit et lignum scientiæ boni et mali, de quo postquam primi homines comederunt, quibus bonis caruerint, quibus malis subjacuerint, cognoverunt. » Experti etiam sunt corruptionem naturæ, et carnis rebellionem, quæ antea spiritui subjecta ei obtemperabat, quod malum in omnem eorum progeniem propagatum fuit. « Natura humana, inquit idem S. Bruno in ps. cxv, p. 547, col. 1, a primo homine per peccatum vitiata, et corrupta in omnibus hominibus reperitur, et non nisi a Christi sanguine sanari, et liberari potest. » De statu autem innocentiæ in qua creatus est Adam eximie disseruit eadem pag. 9, col. 1, ubi hæc habet: « Quantum autem, inquit, Dominus hominem dilexerit, ex hoc etiam facile intelligi potest, quod talem habitationis locum ei preparaverat, in quo, si non peccasset, et castissimo conjugio sine omni concupiscentia filios procreasset, ex quibus, completo electorum numero, nulla mortis amaritudine degustata, supernam Jerusalem conscendens, nec merito, nec numero ab angelis discrepans, æterna beatudine frueretur. »

Tantæ calamitatis nostrorum protoparentum auctor fuit diabolus, qui cum suis asseclis per superbiam a cœlo depulsus, et in barathrum ignis præcipitatus, invidens conditioni hominis, a felicitate, qua fruebatur, per mulieris illecebras et suasionem dejicere conatus est (18). Hinc A. N. occasionem nactus est quærendi, quomodo perfectis omnibus, sexta die, quæ Deus creare voluerat, dici potuit : *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona*, si ibi erat malum, vel ipse diabolus princeps mali? et

Trinitate factam, et suo vitio in deterius commutatam, ita eidem comparet Trinitati, ut omni modo existimet similem; sed potius qualicunque similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat; quam-

A respondet, p, 7, c. 2. « An nondum ceciderat, ut dicitur Joan. VIII, 44 : *In veritate non stetit, et ab initio mendax fuit;* aut fortasse ipsa die, qua factus est homo, ejus gloriæ invidendo, atque ideo mortifera suadendo, simul cum bonitate ipsum quoque principatum amisit. Simul enim et non prius hominis, et dæmonis condemnatio legitur. Nam quia mulier dixit : *Serpens decepit me, et comedi*, statim Dominus serpenti maledicens ait: *Maledictus eris inter omnia animantia, et bestias terræ.* Mulieri quoque dixit : *Multiplicabo ærumnas tuas.* Adæ vero : *Maledicta terra in opere tuo.* De his autem in apostolorum et prophetarum libris nihil certum reperi, et doctores Ecclesiæ diversa sensisse cognovi. Dico autem quia, et si prius cecidisset, nihilominus tamen dici potuisset quia *vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*, quoniam et in ipso diabolo B adhuc bonum est, quod fecerat. » Neque malum ullum excogitari potest in fructu quem Adam et Eva comederunt, quia, ut docet S. August. eod. lib. De civit. Dei, c. 12, in tantæ felicitatis paradiso nihil erat, quod non esset bonum, sed esca illius fructus mala fuit, quia prohibita. Transgressio autem præcepti magnam culpam involvit, siquidem « obedientiæ virtus, sequitur idem S. doctor, in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum, quandoquidem sic facta est, ut ei subditam sit utile; perniciosum autem suam, non ejus a quo creata est, facere voluntatem. Hoc itaque de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subC jacebat, tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoriam retinendum, ubi præsertim non voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea subsecutum est, tanto majore injustitia violatum est quanto faciliora posset observantia custodiri. »

Nemo tamen ex hoc cum hæreticis sentiat concupiscentiam, sive appetitum ad malum, obortum in homine, qui pœna peccati est, libertatem arbitrii, hoc est potentiam ad bene agendum ei abstulisse. Cupiditas enim illa læsit quidem liberum arbitrium et debilitavit, ut repugnantiam in bono eligendo experiatur homo, sed non exstinxit, ita ut retineat quidem facultatem indifferentiæ activæ, et in quamcunque partem velit se convertere possit. Hujus D orthodoxæ doctrinæ assertorem Brunonem nostrum proferam, qui in exponendis verbis illis ps. LXIX, pag. 446, col. 1, *Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina*, hæc tradit : « Hæc oratio sufficit nobis in omnibus quæ postulamus, præsertim, si ab inimicis et adversariis affligimur : ubique et in omnibus Dei adjutorium quærendum est, quia ubique, et in omnibus necessarium est, quoniam sine ejus adjutorio nihil facere possumus. Si bona agere volumus, bene et utiliter oramus, et si, quod non debemus, mala agere volumus,

tum esse satis videbatur, admonui. »

(18) Vid. Aug. De civit. Dei, lib. XIV, cap. 2, et Fulg. De fide ad Petrum, cap. 3, n. 33, edit. Rom. 1740.

Digitized by Google

bene, et utiliter oramus, magnum quidem Dei adjutorium est, si malis desideriis resistat, et fieri non permittat. Qui igitur malum aliquid facere cupit, dicat prius : *Deus, in adjutorium meum intende*, et non poterit facere quod cupit. Festinet igitur Dominus in adjutorium bonis ut faciant quod volunt, festinet et malis in adjutorium ut non faciant quod volunt (19). »

Sed hujusmodi libertas arbitrii vix salvari videtur in induratis, qui scilicet in tanta relicti sunt malitia, ut ea laborantes non resipiscant, quemadmodum contigit Pharaoni, de quo Deus dixit Moysi, Exod. IV, 20 : *Ego indurabo cor ejus.* Hanc difficultatem sibi proposuit A. N, in comment. super hunc Exodi locum p. 53, c. 1 : quam ita solvit, et libertatem arbitrii intactam relinqui affirmat. *Ego indurabo cor ejus.* « Quid est hoc, Domine? Tu indurabis cor ejus? Tu enim, ut Apostolus ait : Cui vis, misereris, et quem vis, induras. Quod si induras, cui nemo resistere valet, quid ad Pharaonem? cur qui populum dimittere non potest, ideo punitur, quia non dimittit? Non potest, quia induratur. A quo? A te. Tu enim dicis : *Ego indurabo cor ejus.* Aliter est intelligendum. Quod ergo dicitur : *Ego indurabo cor ejus*, tale est ac si diceret : Ego cor ejus indurari permittam, nullam vim ei faciam, totum se sibi dimittat, faciat quod velit, ut si bene vel male egerit, totum sibi, et non mihi imputetur. » Ergo sicut obduratio Pharaonis, juxta Brunonem, tota ex ipso fuit, eam enim vicisset, si voluisset : ita etiam peccatores quotquot sunt, propensionem suam ad malum, si velint, superare possunt. Relinqui tamen aliquem in mala voluntate propter diuturnam gratiæ resistentiam, ejusdem Brunonis aliorumque SS. Patrum sententia fuit. Ille enim eodem in Comment. Exod. cap. X, p. 57, col. 1, ubi, de tenebris agit, quæ totam Ægyptum occupaverant, hæc habet. « Ecce qui regem sequuntur tenebrarum, qui toties admoniti et flagellati, qui tot signa et miracula videntes, adhuc indurato corde in malitia perseverant, tenebris involuti nihil vident, et quasi lapides immobiles permanent. »

His igitur de peccato originali exploratis, « quod unicuique, ita S. Augustinus lib. VI contra Julianum c. 12, proprium illud est, et voluntarium, voluntarium quidem voluntate originis; proprium vero proprietate naturæ ac personæ, » intelliguntur quæ A. N. de peccati originalis effectibus pluribus in locis dixit. In Genesis enim cap. II, p. 9, col. 2, super illa verba dicta Adam a Deo : *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, inquit : « Et Adam quidem mox ut comedit mortuus est, non quod de hac vita confestim exiret, sed ut quando exiret in

(19) Quod hic docet Bruno, bonos implorare a Domino adjutorium, ut faciant bonum quod volunt, et malos eadem deprecatione uti debere, ut avertantur a malo quod cupiunt, innititur Augustino, qui lib. I, c. 3, contra duas epist. Pelag. hæc habet. A Deo ipso donari homini bene operandi libertatem, juxta illud Joan. VIII, 36 : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Qua veritate stabilita, hæc subinfert. « Datur ergo potestas, ut filii Dei fiant, qui se suscepit. » Idem confirmavit ad illud Deuter. cap. XXI, pag. 205 col. 1. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adjudicatus est morti.* « Ideo fortasse, ait, quia primus homo tunc in ligno pependit, quando pomum vetitum ex arbore rapuit, et humanum genus est morti adjudicatum. In ligno ergo quicunque pendet, et adhuc originali peccato tenetur, maledictus est. » Præterea in cap. XII Exod., pag. 60, c. 2, ubi excidium narratur omnium primogenitorum Ægyptiorum, hæc habet : « Mortua sunt omnia primogenita in terra Ægypti, quoniam originale peccatum per universum mundum in omnibus illis periit qui crediderunt et baptizati sunt, ut peccatum, quod per lignum concupiscentiæ cœpit, per lignum crucis destrueretur. Quot sunt enim homines, tot sunt et originalia peccata. Omnis enim horum cum eo nascitur, quod nisi Christi sanguine et aqua baptismatis deleri non potuit. » Tandem, omissis aliis testimoniis, hoc unum addam ex Comment. cap. XXXIV in Exod. p. 123, col. 1 : *Qui aufers iniquitatem, et scelera, et peccata, nullusque apud te per se innocens est.* « Nullus, inquit S. Bruno, apud te innocens est, quia nec unius diei infans sine peccato est. Unde Psalmista ps. L : Quoniam *in iniquitatibus conceptus sum, et* in delictis peperit *me mater mea.* Fit ergo innocens per te, qui non est innocens per se, quoniam *tu solus potes facere mundum de immundo semine conceptum* (*Job* XIV, 4). »

§ VII. *De gratia Dei Salvatoris.*

Destitutus igitur homo originali justitia, et impotens factus ad eam suis viribus recuperandam, cum sensus, et cogitatio cordis ejus, ut inquit Scriptura, Genes. cap. VIII, prona facta sint ad malum, consequitur ex eo necessitas divini adjutorii, gratiæ scilicet præbentis homini lapso vires, quibus bonum ad vitam æternam ordinatum agere valeat; quodque gratia dicitur, quia gratis datur; estque illustratio in intellectu, et pia affectio in voluntate. Hanc igitur gratiam ejusque necessitatem pluribus in locis, post S. Leonem, qui dixit : « Quod cecidit in Adam primo, erigitur in futuro, » docuit S. Bruno, qui supra relatum Geneseos locum exponens p. 19, col. 2. « Natura, ait, humana per se fragilis, et miserabilis, nisi Deo auxilio protegatur, facile labitur in peccatum; unde digna videtur, cui misereatur. » Eodem spiritu loquitur super verba illa ps. CXXXIX, 8 : *Domine, Domine, virtus salutis meæ*, inquiens, « Sine ejus adjutorio, et virtute salvari non possum, » itemque super hæc alia ps. CXLIV, 20 : *Dominus dirigit justos* « quia, ait, ipsius gratia est, quod a recto itinere non recedunt (20). » Rursum et in ps. LXII, 7 : *Sic memor fui super stratum meum, in matutinis me-*

credunt in eum, cum idipsum datur, ut credant in eum. Quæ potestas nisi detur a Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit, sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus, vel manifestus deceptor inserit, vel sibi ipsi persuasit. »

(20) S. August. contra duas epist. Pelag. lib. I, c. 3, n. 7 : Postquam præmisisset neminem credere

Digitized by Google

ditabor in te, quia fuisti adjutor meus, eadem habet. « Impii homines, inquit, et peccatores in nocte, et in tenebris sunt. Sancti vero in matutinis, utpote qui veritatis lumen vident, et Soli justitiæ appropinquant. *Quia factus est adjutor meus.* Merito itaque tui semper memor fui, et memor ero, quia ubique, et in omnibus necessitatibus meis factus es semper adjutor meus. » Insuper ad illa verba ps. LXXXIII, 6, *Beatus vir, cujus est auxilium abs te*, ait : « Beatus ille vir, cui in hac vita sic auxiliaris ut ad illam domum tuo adjutorio conscendere possit. Nemo enim venit, nisi traxeris eum. » Et ad hæc altera : *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos* (*Psal.* LIX, 14). « *In Deo*, inquit, *faciemus virtutem, et ipse* egredietur in virtutibus nostris, *quia*, sicut dixit, sine eo nihil possumus facere. »

Quia vero Semipelagiani admittebant quidem necessitatem gratiæ ad bonum opus perficiendum, non autem ad initium boni operis, eis opposuit dogma catholicum, exponens illud ps. CXVIII, 117, *Adjuva me, et salvus ero* : « Deus est, inquit, qui operatur in nobis et velle et posse, et sine ejus adjutorio nihil facere possumus (21). » Cum quæsitus fuisset S. August. cujus sit bona voluntas, Dei, an hominis, lib. II De peccat. merit. et rem., cap. 18, n. 30, respondet : « Nam, si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona, vel mala, bona vero voluntas ex nobis est, melius est id quod a nobis, quam quod ab illo est. Quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem nos divinitus addisci. » Si ergo bona voluntas a Deo est, initium etiam boni operis a Deo erit, non autem a nobis, « quoniam, ait idem S. doctor De Grat. et lib. arbitr., c. 17, ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens (22). »

Hanc autem boni agendi potentiam, sive gratiam, quæ sufficiens dicitur, omnibus dari docet A. N. ; non ita gratiam efficacem, quæ est voluntatis impulsus, seu cœleste desiderium ferens hominem ad Dei mandata adimplenda. Quare illustrans verba ejusdem ps. CXVIII, 40, *Ecce concupivi mandata tua*, inquit : « Mandata tua non solum feci, sed facere concupivi. Facere enim quilibet potest, sed cum desiderio facere cœlestis gratiæ est. » Luculentius eamdem doctrinam tradidit S. Bruno in comment. super illa ps. CII, 2-4, pag. 517, col. 2 : *Noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitius fiet omnibus iniquitatibus tuis ; qui sanat omnes languores tuos ; qui redimit de interitu vitam tuam ; qui satiat in bonitate desiderium tuum : qui coronat te in miseratione et miserationibus.* « Magnæ sunt, inquit S. episcopus, istæ retributiones, et tam magnæ, ut eas nunquam oblivisci debeamus. Factus est autem Dominus propitius omnibus iniquitatibus nostris, quia non solum originale peccatum, sed simul cum eo omnia alia suo sanguine delevit. Et hoc est quod dicit : *Qui sanat omnes languores* nostros ; omnes quidem, quia nullum ad sanandum relinquit ; animæ loquitur, et de ejus languoribus dicit. *Redimit* autem *de interitu vitam* ejus, quod fieri non posset, nisi prius ejus peccata dimisisset. Satiavit quoque *in bonis desiderium* ejus, quia firmissimam spem sibi tribuit æternæ felicitatis. Unde Apostolus ait Rom. cap. IX, 24 : *Spe enim salvi facti sumus. Coronat* autem *in miseratione* et misericordia, quia ipse, qui dat coronam, idem ipse dedit victoriam ; neque vincere potuisset, nisi ejus auxilium adfuisset. »

Hujusce autem auxilii beneficium nullis præcedentibus meritis dari asserit A. N., sed solum ex bona Dei voluntate proficisci, quippe declarans pag. 553, col. 2, illud ps. XXIX, 8, *Domine, in bona voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, « et decorem, ait, addidisti, et super decorem, hanc, quam habeo virtutem, addidisti. Hæc autem nullis præcedentibus meritis, sed ex bona voluntate tua. Hinc est enim, quod Apostolus ait Rom. cap. IX, 16 : *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quid habes quod non accepisti?* (*I Cor.* IV, 7.) Omnis igitur virtus, constantia, et fortitudo sanctorum, non ipsorum, sed Dei est (23). » His alterum addam speciosissimum ejusdem S. episcopi locum p. 388, col. 2, super verba illa ps. XLIV, 8 : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* ; ubi, postquam dixerit in Christo omnem divinitatis plenitudinem habitasse, docet, præter apostolos, ejusdem participes fieri quotquot alii, « qui non suis meritis, sed ejus adoptione ad hæreditatem participandam electi sunt. » Gratia autem, qua ad hanc adoptionem elevantur, lætitiæ oleum appellat, propter jucunditatem, quam

in Christum, nisi illi fuerit datum, sequitur : « Nemo igitur potest habere voluntatem justam, nisi nullis præcedentibus meritis, acceperit veram, hoc est, gratuitam desuper gratiam. »

(21) Vid. S. Fulg. lib. I, De fide ad Petrum cap. 3, n. 34 ; et cap. 16. De prædest. et grat. hæc docet : « Sicut ergo bonæ voluntatis initium nemo potest habere nisi fuerit misericordia Dei præveniente illuminatus, quia *præparatur voluntas a Domino*, Prov. VIII, 35, et rursum scriptum est psal. LVIII, 11 : Deus meus, misericordia ejus præveniet me, ita eamdem voluntatem bonam nemo usque in finem poterit obtinere, nisi fuerit jugiter eadem misericordia subsequente servatus. »

(22) Dixerat idem S. August. lib. De grat. Christi cap. 14 : « Si enim, sicut Veritas loquitur, omnis qui didicit, venit : quisquis non venit, profecto nec didicit. Quis autem non videat, et venire quemquam, et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit : non autem potest, nisi adjutum esse, si velit ; et sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat. »

(23) Quidquid boni agunt sancti juxta S. August. lib. De grat. et lib. arbitr., cap. 16, a Deo est repetendum. « Ut ergo velimus, inquit, sine nobis operatur ; cum autem volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. » Consonans est auctor de vocat. gent., lib. II, c. 8. « Datur ergo, ait, gratia sine merito, ut tendat ad meritum, et datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem.

Digitized by Google

animæ recte operantes sentiunt, donec hujusmodi unctionem non amiserint. Sunt hæc ejus verba : « Bene autem hoc oleum, lætitiæ oleum dicitur, quia omnibus qui unguntur, si tamen unctionem non amittant, gaudium et lætitiam præstat. »

Quamvis Christus pro omnibus mortuus sit, et velit, ut ait Apostolus I Tim., c. II : *Omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, ad quam omnes vocantur, non tamen omnes electi sunt. Cujus rei mysterium, cum A. N. meditatus fuerit, totum refundit in divinam profundissimam voluntatem, de qua quid senserit, habemus in comment. ad illa verba ps. XCI, 6. *Nimis profundæ sunt cogitationes tuæ.* « Cur aliud vas, inquit, in honorem fiat, et aliud in contumeliam, cur, antequam nascantur, Jacob eligatur, et Esau reprobetur, solvat qui potest. » Similia dixerat ad verba Job. cap. XLI, 2, pag. 293, col. 1, *Et quis ante dedit mihi, ut reddam ei ?* « Omnia, quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Ac si dicat : Quos defendo, misericordia est ; quos non defendo, justitia est. Cum enim omnia mea sint, non mihi quasi mea omnia serviunt ; quæ etiam si servirent, non tamen de suo, sed de meo servirent. Nihil mihi quasi ex debito requirere debent, qui nihil mihi ante dederunt. De hac profundissima quæstione Apostolus ait Rom. cap. XI, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* » Cum autem constet Deum libere aliquos eligere, alios hac electione privare, hujusmodi veritatis assertorem proferam Brunonem nostrum in expositione illorum verborum ps. LVIII, 6, pag. 417, col. 2 : *Et tu, Domine, Deus virtutum, Deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes*, ubi ait : « Ille est Deus virtutum, in cujus manu et potestate sunt omnes virtutes, qui eas tribuit cui vult, dispensat quomodo vult, repellit a se quos vult. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom. IX, 16). » Clarius aliam justorum electionem ante prævisa merita docet idem auctor in comment. ad Exod. cap. XXXIII, 19, p. 122, col. 1. Postquam retulit orationem Moysi Deum deprecantis pro populo prævaricatore in adoratione vituli aurei, hæc habet : « Quod autem sequitur : *Miserebor cui voluero et clemens ero in quem placuerit*, tale est, ac si diceret : Tu pro populo tuo rogas, tu pro his, quorum corda et cogitationes non cognoscis, exoras. *Ego scio quos elegerim, ego miserebor cui voluero, qui nolo nisi bonum* (24). » Idem præstat illustratio ps. CXXXIII, 4, ubi legitur : *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus Israel in possessionem sibi.* « Optima ratione probatum est, inquit, quoniam benignus est Dominus, atque suavis ; siquidem priusquam boni, vel mali aliquid egisset, nullis præcedentibus meritis, sola benignitate sua eum elegit. Et non solum ipsum, sed totum Israel, id est, totam ejus progeniem, quæ postea ab ipso Israel vocata est, *elegit sibi Dominus in possessionem* et hæreditatem. » Nec minus ad eamdem sententiam confirmandam opportuna sunt, quæ S. antistes affert super illa ps. XLIV, 8, pag. 388, col. 2, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* « Aliis ad mensuram, dicit datur spiritus, in ipso vero, Christo scilicet, requiescit *omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Col. II, 9). Consortes ejus sunt apostoli, omnesque alii, qui non suis meritis ad hæreditatem electi sunt. »

Et quia electio, vel prædestinatio sanctorum juxta S. Augustinum, De prædest. sanctorum, cap. 10, *est præparatio gratiæ, gratia vero jam ipsa donatio :* unde quicunque liberantur, certissime liberantur (25) ; ejus sectatorem se præbuit A. N. in comment. ps. LXIV, 5, pag. 429, col. 1 : *Beatus, quem elegisti, et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* « Beatus, ait, ille, quem Dominus sua pietate elegit, et de tanta hominum multitudine sibi assumpsit, iste enim perire non poterit, sed absque ulla dubitatione bona sibi prædestinata percipiet. Et ipse quidem habitabit in tabernaculis ejus, et de quibus ipse Dominus ait : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV, 2). »

Hujusmodi doctrina de libera justorum electione, quam Bruno secutus est, plene consonans divinis oraculis videtur ; nam Sap. cap. IX, 17, habetur de Deo : *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis, et sic correctæ sint semitæ eorum, quæ sunt in terris, et quæ tibi placent, didicerint homines? Nam per sapientiam sanati sunt quicunque placuerunt tibi, Domine, a principio.* His ergo inhærens A. N. in expositione cap. I, Numer., pag. 172, col. 1, dixit : « Novit Dominus et nomina et numerum electorum suorum, et revera beati, qui in Dei exercitu numerati, et quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. De eis aliquem perire impossibile est. » Etenim isti, scilicet justi, non tantum electione quam operatione salutem consequuntur, sive mane, id est cito, aut vespere, vocentur ; dummodo opus, ad quod vocati sunt, faciant. Quam necessitatem bonorum operum præ oculis habens S. Bruno, eam sic docuit in

(24) Tota est ex D. Augustino doctrina exposita : Ille enim lib. II, c. 17, De peccat. merit. eam tradit : « Quare autem illos velit convertere, alios pro aversione punire, quanquam et in beneficio tribuendo nemo juste reprehendat misericordem, et in vindicta exercenda juste reprehendat veracem, sicut in illis evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem, aliis non placitam arguentem, nullus juste culpaverit, consilium autem occultioris justitiæ apud ipsum est. Nos quantum concessum est sapiamus, et intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicujus boni operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem qua illuminantur tenebræ eorum, et suavitatem, qua det fructum suum terra eorum. »

(25) « Hæc prædestinatio sanctorum nihil aliud est quam præscientia, et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicunque liberantur. » S. Aug. De dono persever., cap. 25.

Digitized by Google

expos. ps. LXIV, 9, pag. 430, col. 1, ad illa verba *exitus matutini, et vespere delectabis.* « Delectatur, inquit, itaque Dominus exitus illorum, qui exeunt, et fugiunt a cœtu malorum. Matutinus est ille exitus, qui cito, vel in primæva ætate fit; vespere autem qui sero, vel ultima ætate fit. Omnes tamen recipit Deus, et primis et novissimis denarium tribuit. Recordare illius Evangelii in quo paterfamilias conducit operarios in vineam suam. » Dixerat S. Augustinus de vocatis a Deo : « Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant. » Eadem habet idem S. episcopus in expos. ejusdem ps. LXIV, 12, multisque aliis in locis.

Quamvis S. Bruno asseruerit gratuitam prædestinationem, quæ liberam importat justorum electionem, certamique salutem, quam victricis gratiæ dono consequuntur, longissime tamen abfuit ab hæreticis gratiam Christi necessitantem, et cogentem dicentibus. Ille enim efficaciam gratiæ cum libertate arbitrii optime conciliavit, in hoc etiam fideliter Augustini doctrinam secutus (26). Siquidem declarans illa verba ps. LXVII, 10, *pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ*, inquit : « Non est hæc pluvia coacta, sed voluntaria, quia voluntarie datur, et voluntarie suscipitur. Hanc autem, quia Judæi suscipere noluerunt, segregavit Deus hæreditati suæ. » Sed ne hæc, ut obiter dicta, accipiantur, duplici ex loco confirmari possunt, nempe ex comment. in cap. IV, 20, Exodi, ubi expositis verbis illis Domini, *Ego indurabo cor Pharaonis*, ita concludit : « Hinc ergo colligitur quod quia boni salvantur, Dei gratia est, qui suæ misericordiæ freno ad se trahens, etiam cum peccare velint, peccare non patitur, hoc autem non vim faciendo, sed cor molliendo, et in melius immutando. » Alterum locum amplissimum præbet Expositio sermonis Christi cum muliere Samaritana, quæ legitur in comment. super cap. IV, 7-11, Joannis. Accedit mulier ad puteum Jacob haurire aquam, ubi requiescentem Dominum invenit, *qui ei dicit, Da mihi bibere*, sed illi hæsitanti, quod talis petitio sibi a viro Judæo fieret, *respondit Jesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset aquam vivam.* Quæ ita exponit S. Bruno : « Si me cognosceres, et S. Spiritu illuminata esses (donum namque Dei est Spiritus sanctus), tu forsitan petisses a me, sicut ego modo peto a te, et dedissem aquam vivam indeficientem, aquam in vitam æternam sufficientem. » His aliisque mulieri dictis, in ea Christus perfectioris aquæ desiderium accendit, mentem ejus elevat ad veritatem, quam sub metaphora aquæ salientis in vitam æternam proponit credendam. « Paullatim, inquit A. N., separat eam Dominus a suo intellectu, ut ad meliorem intelligentiam eam trahat. Separata jam aliquantulum mulier a priori intelligentia, non illius putei aquam intelligit; aliam aquam petit, qua semper abundans, amplius eam illuc venire non sit necesse. » Mulier igitur Samaritana non coacte, sed dulciter, suaviterque trahitur ad Christum, omnem ei fidem præstat, eumdemque apud cives suos promissum Salvatorem adnuntiat (27). Admirabilem hujusmodi vocantis Dei homines ad bonum agendum suavitatem, et ad se trahendi delectabilem impulsum prosequitur Bruno in expositione ejusdem Joannis cap. IV, 44, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum :* « Trahit, inquit, non violentia, sed amore. Secundum quam significationem dicitur : *Trahit sua quemque voluptas* (Virg. *Ecl.* II, 65). Deus autem neminem trahit, nisi volentem, et salvari cupientem. »

Hæc autem voluntas excitatur in nobis lumine veritatis, quo illustramur, charitatis igne, quo accendimur, spe cœlestis beatudinis, qua recreamur. Ad hanc spem nostræ salutis, quamvis peccatores fuerimus, ipse Bruno nos confortat, qui, relatis verbis illis ps. CXLIV, 8, 9, *Misericors ; et miserator Dominus patiens, et multum misericors ; suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus*, ita divinam exaltat misericordiam. « Nullus, ait, locus relinquitur desperationi, post tantam misericordiæ repetitionem. Ille solus desperare potest, qui ista non credit, et qui, his auditis, adhuc in sua malitia perseverat. De quibus Apostolus ait ad Rom. VII, 32. *Secundum duritiam autem tuam, et cor im-*

(26) S. August. primum lib. De Spirit. et lit. cap. 37, scribit : « Cum potestas datur, non imponitur necessitas. » Et cap. 34 : « Agit, inquit, Deus ut velimus, et credamus.... sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est. » Secundo lib. De grat. et lib. arbit., cap. 15, demonstrat quomodo sub gratia voluntas humana non sit coacta, sed libera, exponens enim verba illa Ezech. XVIII, 31 : *Facite vobis cor novum et spiritum novum :* « Qui dicit : *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo in vobis* (*Ezech.* XXXVI, 26). Quomodo ergo qui dicit, *facite vobis*, hoc dicit, *dabo vobis?* Quare jubet, si ipse daturus est, nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet? Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona; aut enim a justitia libera est, quando servit peccato; aut a peccato libera est, quando servit justitiæ, et tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit, ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuerat voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam cœpit esse, augeatur, et magna fiat, ut possit adimplere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit. »

(27) Eadem interna suavique miseratione, et illustratione, ut docet S. August. De grat. Christi cap. 45. Christus subvenit Petro, qui ter eum negaverat. « Quod Luc. XXII, 61, scriptum est : *Respexit eum Dominus*, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit, et produxit affectum. » Et S. Prosper S. August. interpres lib. III contra Collatorem ait : « Ex invito volentem facit Dominus, ex quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat : ut cor audientis, obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, ubi premebatur; ibi discat, ubi ignorabat; inde fidat, unde diffidebat, inde velit, unde nolebat. Etenim ps. LXXXIV, 2 : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* »

Digitized by Google

pœnitens thesaurizas tibi iram in diæ iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. Sunt igitur miserationes ejus super omnia opera ejus, quia nihil est in operibus ejus, quod misericordiæ comparari possit. Misericordia ad terram eum traxit, et crucis mortem subire coegit : misericordia cœlum implevit, et angelorum ruinam restauravit. »

Tandem, ut qui misericordia Dei adjutus bene operatur, nihil sibi tribuat, sed quidquid secundum justitiam agit, in Dei adjutorium refundat, ad illud quod narratur in cap. IX Numer. de nube qua semper tabernaculum tegebatur, et quæ in nocte quidem illuminabat, et in die a solis calore defendebat, sequentem affert expositionem p. 179, col. 2 : « Per hanc nubem, inquit, sancti Spiritus gratiæ significantur, quibus nostræ ignorantiæ tenebræ illuminantur, et a vitiorum æstu et a luxuriæ ardoribus defendimur. Nos enim sumus tabernaculum Dei, de quibus Apostolus ait II ad Cor. VI, 17 : *Inhabitabo in illis, et ambulabo in eis.* Sed quid est, quod ad hujus nubis imperium, tabernaculum et figitur et movetur? Nisi cum bene agimus, non nostræ potestatis sumus, sed Spiritus qui est in nobis : ipse enim regimur, ipso docemur ipso recto itinere ad patriam dirigimur. » Hac in sententia constantem Brunonem demonstrant, quæ retulit in comment. super illum Matthæi locum cap. XXV : *Domine, duo talenta tradidisti mihi.* « Intellectum, inquit, et operationem mihi dedisti; tu enim das intelligentiam intelligentibus, tu et bonam voluntatem, et bene operandi effectum tribuisti; unde Apostolus ad Rom. IX, 16. *Neque volentis, ait, neque currentis, sed miserentis est Dei*, qui prius bene agendi voluntatem, deinde bene currendi tribuit facultatem (28). »

Ne quis vero putet S. Brunonem, qui tot tantaque de necessitate gratiæ Christi, deque ejus proprietatibus copiose docteque tradidit, silentio necessitatem bonorum operum ad salutem præteriisse; nam, præter multa, quæ brevitatis gratia omitto, hæc habet super illa verba psal. LXXIV, pag. 459, c. 1 : *Dum accepero tempus, ego justitiam judicabo.* « Hæc autem, ait, loquitur Salvator noster, et ad superiora respondet. Ego, inquit, cum accepero tempus, justitiam judicabo, et unicuique secundum merita dabo, et eos qui me confitentur, et meum nomen invocant, et mirabilia mea prædicant, dignis muneribus remunerabo. Hoc autem erit in judicio, quando et boni et mali astabunt ante tribunal Christi, ibique dividentur, et qui Christum confessi sunt et laudaverunt, et qui eum negaverunt. » Et infra in eodem psalmo super hæc : *Calix in manu Domini vini meri plenus est misto*, etc., ait : « Calix iste in manu Domini mensura est retributionis. Et bene in manu Domini dicitur, quia in manu et potestate illius est reddere unicuique secundum opera ejus, » etc.

A

B

C

D

§ VIII. *De sacramentis.*

Diximus supra Christum Dominum inter discipulos duodecim sibi elegisse, quos apostolos nominavit, eosque in Ecclesia constituenda primos operarios et ministros posuisse. Qua benevolentia toto suæ vitæ tempore illos complexus sit Redemptor noster, quæ secreta cœlestia eis communicaverit, quibus præceptis institutisque ad illud opus erigendum, stabiliendumque informaverit, evangelistæ cæterique scriptores sacri cumulatissime tradiderunt. Et, quia Jesus Christus plenus gratiæ et veritatis venerat, atque de plenitudine ejus quotquot credidissent in eum, accepturi erant, cœlestis benedictionis, sive gratiæ suæ fontes aperuit, quorum dispensatores apostolos fecit. Hi autem fontes sunt sacramenta, quibus datur gratia pro gratia, id est ea accipientibus vel primo communicatur, vel augetur.

Plurimis in locis agit S. Bruno de baptismo, qui sacramentorum est janua; et quidem omissis quæ de eo tradit illustrans cap. XIV Exodi, p. 64, c. 1, primo afferam expositionem in cap. III Joannis, ubi ejus efficaciam exaltans, ait : « Tanta est virtus hujus sacramenti, ut subito mundet hominem ab omni peccato. » In commentario autem super illa Matth. XXVIII, 16 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* A Christi divinitate, atque omnimoda potestate tantam baptismatis virtutem promanare docet. « Qui enim, ait, secundum divinitatem semper simul cum Patre, et Spiritu sancto omnium rerum potestatem accepit, ut homo ille, qui nuper passus est, et cœli, et terræ dominatur, neque jam solummodo Judæorum, verum etiam omnium gentium et Deus et Dominus esse credatur. Jam, inquit, nulla est distinctio : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Omnes docete, omnes baptizate : sive Judæi fuerint, sive gentiles. » Præterea tum in expositione cap. IX Levitici, tum cap. VII Numerorum memorat A. N. promissa, quæ qui baptizantur facere debent, abrenuntiandi diabolo, et omnibus pompis, et operibus ejus. Qui in cap. VII Deuteronomii dixit quod qui adhuc originali peccato tenetur, ideoque est maledictus, in maledictione non remaneat; sed eadem die, ut suæ mortis peccatum intellexit, in aqua baptismatis sepeliatur; idem de baptismo et de confirmatione apposite disseruit, illum Numer. cap. XIX, p. 186, c. 2, locum explanans; ubi legitur : *Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur, si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.* Ad hæc ita loquitur S. Bruno : « Quicunque ex Adam nascitur, cadaver hominis tetigit, quia, priusquam cadaver, et mortis legibus subditus es-

(28) Hæc omnia de gratuito gratiæ munere dixit S. Bruno, duce S. Aug., qui lib. De prædest. sanctor., c. 15, habet : *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt in Adam; et regnet, quæ regnat. Dei gratia per Jesum Christum unicum Filium Dei, Dominum nostrum.*

Digitized by Google

set, neminem generasse legitur. Propter hoc igitur, quantum ad se, septem diebus est immundus, quia nisi aqua baptismatis regeneretur, nunquam est mundus. Unde hic dicitur, ut hujusmodi homo aspergatur hac aqua die tertio, quatenus sub trina immersione baptizatus illuminari a Domino mereatur. Aspergatur autem et die septimo, ut per manus impositionem septem gratiis Spiritus sancti confirmetur. Quare autem die septimo emundari non potest, qui in die tertio hac aqua aspersus non fuerit; nisi quia nemo ab episcopo confirmatur, qui prius in Trinitate non sit baptizatus? » Ex his colligitur Brunonis diebus sub trina immersione, et SS. Trinitatis invocatione adhuc administrari baptismum, eumque præcedere debere confirmationem *ab* episcopo impertiendam. Sed de confirmatione, deque ejus effectu ex professo et erudite satis agit S. Bruno in tractatu *de sacramentis et mysteriis*, ubi, postquam de baptismo disseruisset, hæc habet : « Nunc autem sola confirmatio restat, quæ ab episcopis fieri jubetur, in qua totius Christianorum religionis mysterii plenitudo completur. In baptismo namque per Spiritum sanctum, datur remissio peccatorum. Hic autem ipse Spiritus invitatur ut veniat, et domum ipsam quam sanctificavit defendere et habitare dignetur. Nam et ipsi apostoli post baptismum acceperunt Spiritum sanctum, quem utique in ipso baptismo jam acceperant in remissionem peccatorum. Tunc per insufflationem acceperunt potestatem ligandi, atque absolvendi a peccatis, eumdemque Spiritum sanctum iterum receperunt in die Pentecostes, ad totius virtutis et scientiæ perfectionem. » Et in hoc proprie docet significari sacramentum confirmationis, quod, ait, iterari non potest, quia plenum et perfectum habet suum effectum.

Sacramentum autem baptismatis, sive regenerationis per aquam, et Spiritum sanctum, quo sanguis Christi applicatur, adeo necessarium tenet Bruno, ut omnes, ideoque etiam infantes perire asserat, qui sine eo decederent. Ejus doctrina ita se habet, exponens illa verba psal. cxviii, p. 561, c. 2 : *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* « Omnes homines, inquit, in Adam prævaricatores facti sunt, qui legem sibi impositam transgrediens, ad arborem sibi interdictam accessit. In illa utique prævaricatione pereunt quicunque sanguine Christi non sunt redempti. Qui vero redempti sunt, nisi legem sibi datam custodiant, prævaricatores fiunt. »

Si quæ de his duobus sacramentis, baptismate scilicet et confirmatione, tradidit S. episcopus Signiensis, cum catholico dogmate perfecte concordant, et traditionem Ecclesiæ in eorum usu perfecte confirmant; præstantiora atque illustriora sunt, quæ variis in locis suorum operum de sanctissimo Eucharistiæ sacramento scripsit et ante in concilio Romano contra Berengarium produxit. Præstat ante omnia splendidissimam referre expositionem in caput xvi Levitici, pag. 157, c. 1, ubi Deus promittit Moysi quod apparuisset in nube super tabernaculum. « (29) In nube, inquit, Dominus, et in caligine prius apparebat, quia postea carnis velamine tectus apparere debebat : nubes enim illa Christi carnem significabat. Apparet autem et nunc in nube super oraculum, quoniam in sacramento, sub aliena specie cernitur super altare. Ad hoc autem oraculum, ad hoc altare et sacramentum accedere neque semper, neque omnibus licet; prius enim necesse est offerre vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, id est credere necesse est Christum Dominum pro peccatis nostris immolatum, et totum in ara crucis corporaliter passum. » Qui symbolum SS. Eucharistiæ, ejusque significationem nuper descripsit, nunc apertius de ea loquitur, et quomodo conficiatur, edocet in Comment. ad illa verba psal. xciii : *Memor sit Dominus omnis sacrificii, et holocaustum pingue fiat.* « Ipse Christus est enim sacerdos magnus secundum ordinem Melchisedech, qui admirabili potentia panem et vinum in sui corporis et sanguinis substantiam vertit, deditque discipulis suis, dicens : *Accipite, et comedite, hoc est corpus meum : et hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine.* Altera autem die postquam hoc fecit, se ipsum in ara crucis pro nobis immolavit. » Sed major accedit catholicæ fidei confirmatio ex irrefragabili auctoritate, quam suppeditat commentarius in cap. viii Levitici, p. 141, c. 1, ubi etiam fit mentio de expansione manuum sacerdotis celebrantis super hostiam, et calicem consecrandum. « (30) Et si pontifices, inquit, et sacerdotes super Christi corpus et sanguinem manus expansas et elevatas habeant, unus tamen est pontifex Jesus, qui sanctificat et benedicit, cujus virtute ineffabili in sui corporis sanguinisque substantiam panis et vinum convertitur. *Fudit autem sanguinem ejus per altaris circuitum;* quoniam Christus suum sanguinem nobis obtulit ad bibendum. Altare enim Ecclesia est, quæ Christi sanguine tota aspergitur et inebriatur. » Si ex figuris symbolisque Veteris Testamenti tam perspicua, tamque significantia eruit S. Bruno testimonia ad asserendam in sacramento altaris corporis et sanguinis Christi Domini transsubstantiationem, quid luculentius audire non speramus in ejus Commentariis super Evangelia, qui realem ipsius Christi præsentiam, facta panis et calicis consecratione, tam valide propugnavit? Ecce quomodo edisserit tam ineffabile mysterium, exponens quæ de eo in Matth. cap. xxvi habentur : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, deditque discipulis suis dicens : Accipite, et comedite : hoc est corpus meum.* Declarat, inquam, Bruno hoc in loco quid Christus significarat, cum alibi, Joannis scilicet cap. vi, 54,

(29) Vid. totum comment. in cap. xxix Exodi, ubi agitur de sacrificio vituli et duorum arietum, quorum immolatio ad significandam traducitur oblationem corporis et sanguinis Christi Domini.

(30) Vide etiam quæ profert in Comment. super cap. i ejusdem Levitici, p. 126, c. 2.

Digitized by Google

diceret : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* « Ecce Sacerdos, ait, in æternum secundum ordinem Melchisedech, panem et vinum virtute ineffabili in sui corporis et sanguinis substantiam convertit. Sicut enim tunc et vivebat, et loquebatur, et tamen a discipulis comedebatur et bibebatur; ita et modo integer, et incorruptibilis manet, et a fidelibus suis in panis et vini sacramento quotidie bibitur et manducatur. Nisi enim panis et vinum in ejus carnem et sanguinem verterentur, nunquam ipse corporaliter manducaretur, vel biberetur. Mutantur ista in illa; comeduntur et bibuntur illa in istis, quod qualiter fiat ipse solus novit, qui omnia potest et omnia novit. Dixit enim per se, dicit et modo per suos ministros : *Hoc est corpus meum;* et tanta est ejus verbi virtus et efficacia, ut statim fiat quod dicitur. Similiter autem dum dicit : *Hic est sanguis meus;* mox in ejus sanguinem vinum convertitur. *Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes : hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hic, inquit, est sanguis meus, qui fundendus est, et non alius iste, et alius ille, sed unus idemque iste et ille. Cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modo bibitis et videtis in calice. » Eadem doctrina catholica refulget in comm. super Joannis cap. VI, 51 : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi,* etc. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* « Jam nunc, ait, ipso Domino exponente, intelligimus quid sit iste panis. Iste enim panis caro Christi est, quæ pro mundi vita in ara crucis immolata est. Hanc autem manducat Ecclesia; ideoque non moritur, sed vivit in æternum. Panis enim et vinum, quæ in altari ponuntur, ad sacerdotis vocem cœlesti benedictione sanctificantur, et in Christi carnem et sanguinem essentialiter commutantur; ut una eademque essentia sit et ejus carnis, quæ de Virgine nata est, et ejus, quæ de pane facta est. Hoc autem tam magnum et admirabile sacramentum eo tempore cœpit quo Salvator noster panem et vinum benedicens, discipulis ait : *Accipite, et comedite : hoc est corpus meum. Et hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine.* » Quoniam vero in missa non solum fit sacramentum, sed etiam sacrificium, A. N. his in doctrinis versatissimus, quotidie fieri et renovari a sacerdotibus affirmat in comment. cap. I, in Job, p. 222, c. 2, ubi legitur sanctum virum holocausta pro singulis filiis cunctis diebus offerre consuescere. « Offerebat autem Job, ait, holocausta per singulos; quia Salvator noster et pro omnibus, et pro singulis quibuscunque fidelibus se ipsum obtulit, et quotidie per suos ministros offerre non cessat. » Dixerat etiam paulo ante de oblatione arietis in holocaustum, etc. « Hoc autem est illud holocaustum quod quotidie in S. Ecclesia fit. Offert enim Moyses, id est Christus, arietem in holocaustum, quoniam et si sacerdotum ministerio fiat, ipse tamen carnem et sanguinem suum immolat et sacrificat. Non enim sacerdotis, sed ipsius vox est, quæ dicit : *Hoc est corpus meum,* et : *Hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur, in remissionem peccatorum,* » pag. 141, c. 1. Hæc de SS. Eucharistia cum pluribus SS. Patribus Brunonem dixisse, nemo erit qui non fateatur; at peculiaris ejus doctrina de Viatico, hoc est de corpore Christi in extremo vitæ discrimine accipiendo, quo ostenditur ex vetustissimo tempore Ecclesiam ad fideles periculose decumbentes illud deferre consuevisse. Exponens enim caput XV Deuteronomii, p. 198, c. 1, ubi dicitur non esse absque viatico dimittendum servum, hæc habet : « Vide quam bonus Dominus, qui nec etiam ipsos malos servos, et ingratos vacuos abire permittit, sed dat eis viaticum de gregibus, et de area, et de torculari. Intelligit enim hoc sacramentum, intelligit et hoc nomen, nec ignorat quid hoc viaticum significet. Unde et ultima hora pœnitentibus hoc viaticum recipere persuadet, qui per totam vitam usque ad sedem Judicis securi perferantur. »

Dum autem S. Bruno dignitatem et virtutem eucharistici sacramenti merito efferret, Christianos admonere non omisit, ut qui ad sacram mensam accedunt, a peccatis prius mundari curent, ne indigne corpori et sanguini Domini communicent. Quare in Levit. cap. V, afferens illud Pauli II Cor. VI, 1 : *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis;* hæc habet p. 135, c. 2 : « Hinc illa anima, in iis quæ sunt Domino consecrata, peccare videtur, per quam fides integra sacramentis non adhibetur; dum enim secundum quod potest gratiam non acquirit ab illis, maximum certe sacrilegium committit. » Sacerdotibus vero multo magis hanc munditiem incutcat, eis dicens : « Non accedant ad altare nisi loti : prope est aqua, prope sunt lacrymæ et pœnitentia. » Ita in cap. XXX Exod., p. 116, c. 1.

Non mirum ergo videatur, quod S. episcopus tam frequenter pœnitentiam commendet, ac doceat quod passio Christi virtutem ei conferat remittendi peccata. Vid. p. 132. Sed, ne quis putet Brunonem de pœnitentia cordis solum loqui, eamque ad emundationem conscientiæ satis esse, de confessione sacramentali peculiariter agit in comment. ad cap. VII Levitici, p. 142, c. 1. « Vult enim Dominus, ait, ut peccata nostra sacerdotibus demus atque aperiamus; quatenus eorum consiliis et doctrina repleamur. Demus eis adipem nostrum, confiteamur eis peccata nostra, dicamus eis quid male pinguis lasciviendo fecerit caro nostra. Ipsorum est adolere, ipsorum est incendere, et delere peccata. » Item declarans illa ps. LXI. *Effundite coram illo corda vestra,* quibus facienda sit confessio manifestat. « Quidquid, ait, in corde habetis, illi revelate et manifestate; et sic ut scriptum est Jacob. V, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini.*

Digitized by Google

Deo enim confiteris quod ejus vicarius, id est episcopis et sacerdotibus confiteris. Celat autem peccatum suum ille, qui nullum pœnitentiæ signum ostendit. Ut quis autem a peccatis mundetur non sufficit ut peccata sua sacerdoti confiteatur, sed absolutionem obtineat oportet. » Quare S. Bruno explanans cap. XIII Levitici, pag. 152, col. 1, talem confirmat veritatem. « Ut quid, ait, peracta pœnitentia absolvitur homo, et reconciliatur, nisi quia sacerdotis absolutione lavatur atque mundatur? Hoc audiant pœnitentes, in quibus peccata non delentur, quia in peccatis perseverantes, semper peccata peccatis adjiciunt. » Neque supervacaneum erit recensere quæ de necessitate sacramentalis absolutionis in *fine ejusdem* capitis addit super præceptum lavandi vestimenta etiam munda. « Quare, ait, secundo lavantur quæ pura sunt? nisi quia, quamvis pœnitentia sit homo mundus, attamen nisi a sacerdote sit reconciliatus et absolutus, adhuc a sacramentis abstinet, ut immundus : quamvis enim mundus sit, mundus tamen non videtur, nisi cum cæteris fidelibus ecclesiasticis communicet sacramentis. Primo ergo lavatur pœnitentia, secundo reconciliatione et absolutione. » Nemo non videt delirasse hæreticos, qui sacramentalem confessionem e medio tollere conati sunt, eam modernum inventum dicentes, et pœnitentiam cordis sufficere prædicarunt. Et quamvis A. N. de sacramentali confessione, hoc est de secreta peccatorum accusatione tam præclarum testimonium non solum in locis supra relatis, sed etiam in expos. ps. XXXI, p. 357, c. 1, præbuerit, non est oblitus pœnitentiæ publicæ, quam peccatores ob graviora publica delicta obire debebant, ut reconciliationem ab Ecclesia juxta præscriptam disciplinam adhuc Brunonis diebus vigentem obtinerent (31). A reconciliatione leprosi, ut habetur in cap. XIV Levitici, pag. 153, col. 1, speciem desumens hæc habet : « Egreditur sacerdos e castris ad leprosum reconciliandum ; quoniam usque hodie episcopos nostros ad peccatores reconciliandos Ecclesiæ januas egredi videmus. Non recipitur autem leprosus, nec mundatur; quia nec peccator reconciliari debet, qui pœnitentiam non egerit pro peccato, est enim pœnitentia commissa flere, flenda non committere. »

De extrema unctione nullus mihi occurrit locus, ubi de ea egerit S. Bruno, et de matrimonio perpauca habet in comment. II capitis in Genesim, et in cap. IV Joannis, quæ prætereo, cum plurima mihi dicenda sint de ordine, de quo tam copiose et erudite scripsit, ut vix summa capita complecti valeam. Cum vero per hoc sacramentum, cujus auctor, sicut aliorum fuit Christus Dominus, constituatur in Ecclesia hierarchia, quæ est assumptio et destinatio aliquorum fidelium ad sacrorum ministerium, et ad propagandam legis ejus veritatem, prius de Ecclesia, deinde de diversis ordinum gradibus agam.

§ IX. *De Ecclesia.*

Ecclesiam intelligimus, et profitemur esse fidelium societatem suis peculiaribus pastoribus, seu episcopis in spiritualibus subjectam, præcipue vero Romano pontifici, tanquam capiti visibili, in universa Ecclesia constituto. Olim primi Dei cultores, et ab Abraham primo credentium parente descendentes Ecclesiam repræsentabant; modo Ecclesia, cujus nos membra sumus, Christo auctore gaudet, atque in ejus constituta stabilitate, ipso regente sustentatur. « Sicut enim, inquit S. Bruno in exposit. cap. II in Genesim pag. 10, col. 2, dormiente Adam, una costa subtracta, facta est Eva; ita Christo mortis somno in cruce dormiente, de latere ejus sanguis exivit, qui redemit et fabricavit Ecclesiam. Redemit autem, qui totum humanum genus a damnatione suo sanguine liberavit : fabricavit autem Ecclesiam, suam gratiam, summique Spiritum largiens fidelibus, constituens præcepta, et promittens obtemperantibus æternum præmium. » In principio nascentis Ecclesiæ, ait A. N. in exposit. ad cap. XXXIV Exod., pag. 125, col. 1, soli apostoli a Domino vocati fidem susceperunt. Illos autem doctrina, exemplis et portentis ad tantum opus formavit, eorumque ministerio, sive apostolatu, ex omnibus mundi partibus, eodem S. Brunone docente in Genes. pag. 18. col. 2, tanquam diversas gentes in unam Ecclesiam congregavit. Neque plures Ecclesiæ factæ sunt, et si plures in diversis mundi partibus fundatæ fuerint, quod A. N. in Comment. super Cantic. canticor. opportune adnotavit. Nam, cum ante sacer scriptor vineas appellasset, sub quarum nomine Ecclesiæ intelliguntur, postea in numero singulari vineam dicat, significat, quotquot sunt vineæ, id est Ecclesiæ, vineam unam constituere. « Multæ autem vineæ multæ sunt Ecclesiæ. Una vero Synagoga est. Hanc autem reliquerunt apostoli, sicut scriptum est Act. cap. XIII, 46 : *Vobis oportuerat primum quidem loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Potest et sub interrogatione legi : Vineam meam non custodivi? Custodivi utique. Quod autem prius pluraliter, dein vero singulariter vineam posuit, unitatem Ecclesiæ significavit, quæ, quamvis secundum locorum qualitatem dividatur, in fide tamen et dilectione una est. » Duobus aliis in locis asserit S. Bruno Ecclesiæ unitatem; nam primo loquens de diversis mansiunculis in arca a Noe constitutis, ait per eas significari multiplices Ecclesias per totum orbem fundatas, quæ veluti quædam cameræ intra eamdem domum continentur. « Caret, inquit in Genes. cap. VIII, pag. 17, col. 2, Ecclesia macula et ruga. Per mansiunculas autem, singulas designat Ecclesias, quæ per provincias, et episco-

(31) Hoc autem in loco S. Bruno mentionem facit publicæ pœnitentiæ ob publica delicta, quæ expianda erant et pœna, et exempio, antequam pœnitens absolveretur.

Digitized by Google

patus divisæ infra universalem Ecclesiam, quasi quædam cameræ intra domum continentur. » Alter locus habetur, a comment. cap. II in Exod., pag. 49, col. 1. « Et si ob diversitatem locorum, ait, multæ in hoc mundo sint Ecclesiæ; in fidei tamen unitate, non nisi una catholica et universalis Ecclesia esse creditur. »

Ejusdem etiam Ecclesiæ sanctitas et excellentia asseritur ab A. N. in comment. ad cap. XLII Job, pag. 298, col. 2. « Neque, ait, Synagoga, neque idololatria, neque alia quælibet secta pulchritudini Ecclesiæ comparari potest. Ipsa enim est, quæ non habet maculam, neque rugam. Et ipsa quidem inter fratres suos, id est inter angelorum choros, qui ejusdem, cujus et ipsa (filii sunt) hæreditatem suscipit. »

Ecclesiam pariter apostolicam confitemur ab apostolis fundatam et propagatam, qui, ut inquit S. Maximus Taurinensis, quamvis parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtinuerint, unus tamen ab eo princeps omnium electus est, et præcipuum constitutus fundamentum, super quod suam ædificavit Ecclesiam. Quam præclare hanc asseruerit veritatem S. Bruno ex duplici loco constat, quorum primus exhibet comment. super caput XXXIII Exodi, pag. 122, col. 2, ubi relata celebri confessione Petri de Christi divinitate, ejus fidem, quam ei Pater cœlestis revelaverat, petram seu fundamentum super quod ædificaturus erat Ecclesiam, nuncupavit. « Vocatur autem, inquit, fides Petri petra, Unde cum Domino Petrus diceret Matth. cap. XVI: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* mox ejusdem fidem confirmans ait: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Id est super hanc fidem tuam, qua me dicis Filium Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam. » Consonat alter locus in comment. ad præcit. Matthæi caput. « Videamus, inquit, quid sit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Super hanc petram, quam tu modo in fidei fundamentum posuisti, super hanc fidem, quam tu modo docuisti, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* super hanc petram, et super hanc fidem ædificabo Ecclesiam meam. » Ex quo autem S. Bruno asserit fidem Petri esse petram, supra quam Christus Dominus promisit ædificare Ecclesiam suam, ipsam Petri personam exprimere voluit, a quo præclarum illud divinitatis suæ testimonium prodierat, et peculiariter designare ejus electionem, ut præ reliquis apostolis præcipuum foret Ecclesiæ fundamentum. Neque enim in primis dixit Jesus super fidem in genere se Ecclesiam ædificaturum, sed super fidem Petri, quam ipse confessus fuerat, eique Pater æternus mysterium hactenus hominibus absconditum revelaverat. Quod autem hoc ad Petri personam omnino referri debeat, ut affirmantem Christi divinitatem, ex antea dictis consequens est, et evidentius colligitur, si Christi verba in suo vero sensu accipiantur. Non enim intelligendum est Christum voluisse super materialem Petri personam, id est, super corpoream et spiritualem ejus naturam, Ecclesiam suam construere, cum ex se iners sit, nihilque agat, sed super fidem Petri. Sicut enim Ecclesia ex fide consistit, ita dicitur fundata super personam Petri habentis fidem, quæ in sustinenda Ecclesiæ fabrica stabile firmumque sit fundamentum. Hanc autem fuisse Brunonis mentem clarius patet ex his, quæ immediate subjungit. « Huic enim sententiæ Apostolus concordans I Cor. XXXII ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ac si dicat: Non est aliud fundamentum, nisi illa petra, quam Petrus in fundamentum posuit, cum diceret. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* » Et revera quod in fortitudine et stabilitate hujus petræ, scilicet Petri, ejusque successorum in eadem apostolatus præeminentia, et dignitate fundata Ecclesia conservetur; ex illo etiam Christi oraculo evincitur; cum dixit Petro: *Ego rogabo pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Nam firmitas illa et inerrantia a fide Ecclesiæ a Christo in Petro fundatæ characterem veritatis, ac proprietatem singularem ipsi inhærentem, et perpetuo duraturam ei constituebat. Ne autem interpretatio hæc divinorum verborum in alium sensum traducatur, præ oculis habeantur quæ idem S. Bruno perspicue adducit in comment. super cap. XXI Joannis, ubi supremam Petri, ejusque successorum auctoritatem ac potestatem in Ecclesia universa clarissime affirmat, a Christo ei traditam, neque cæteris apostolis communicatam. Cum enim Christus ter dilectionem Petri explorasset, eumque semper in illa constantem audivisset, non solum agnos, sed et oves suas ei pascendas tradidit, dicens ei: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Super quæ S. Bruno hæc commentatur: « Prius agnos, deinde oves ei commisit; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves: pascit filios, pascit et matres, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est. Oves ergo prælati sunt et episcopi, successores apostolorum divinitus constituti; qui sub supremo capite, nempe Romano pontifice gregem suum pascere et gubernare debent. » (52) Tandem, in comment. super psalmum LXIX, S. Petrum maximum apostolorum appellat S. Bruno, eique a Christo Domino commissam con-

(32) Hæc excerpta videntur ab auctore sermonis in natali apostolorum Petri et Pauli, a melioribus criticis S. Eucherio Lugdunensi attributi, quamvis sub nomine Eusebii Emiseni editi. *Prius agnos,* inquit, *deinde oves commisit ei, id est Petro; quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos et oves: pascit filios, pascit et matres: regit et subditos, et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est.* Hac auctoritate usus est clarissimus Bossuetius episcopus Meldensis in celebri oratione habita ad clerum Gallicanum congregatum an. 1682, ut Rom. pontificis universi Christiani gregis gubernandi potestatem comprobaret.

Digitized by Google

firmandorum fratrum curam iterum asserit, atque confirmat principatum, plenamque ejus in universa Ecclesia auctoritatem.

Quomodo autem Petrus Romanam Ecclesiam fundaverit, suamque sedem in ea stabiliverit, docet Bruno in comment. super illa verba cap. XXII Exod., pag. 80, col. 1 : *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam*, etc. « Bonus, inquit, seductor beatus Petrus exstitit, qui ad fidei justitiæque amorem Romanorum multitudinem convertit. Invenit enim hanc quasi virginem vacantem, nec dum desponsatam, neque viro traditam, dormivitque cum ea, et multos ex ea filios genuit. Cum ea namque dormiebat, quando prædicationi instabat, et verbi semine filios generabat; postea vero dotavit eam fide, scientia, et virtutibus, et S. Spiritus gratia eam roborando, quia gener, et dotes patri virginis placuerunt. » Petrus ergo ex Brunone Ecclesiam Romanam in sponsam sibi electam ab impio idolorum cultu ereptam, cœlestibusque veritatis radiis illustratam, eam in vera supremi dominatoris Dei religione, Christique reparatoris cognitione stabilivit, omnibusque scientiæ et virtutum dotibus exornavit. Ut autem hujusmodi hæreditas, quam constituerat, perpetuo successoribus suis in apostolica sede remaneret, gloriosissimo crucis martyrio, Christum magistrum suum imitatus, Romæ obire voluit, proprioque sanguine, veluti firmatum chirographum suæ voluntatis, ei reliquit.

Cum autem Bruno noster sanctissimus episcopus fuerit; et ut omnimodæ episcopalis perfectionis exemplar se gesserit, mirum non est, si tam copiose de electione, muneribus, virtutibusque episcoporum exponens Exodum et Leviticum tractaverit. Ne limites vero hujusce prolusionis transgrediar, aliqua tantum ex multis locis referam, quæ præsertim in Comment. super Exodum continentur. Et quidem primo audienda sunt quæ tradit, explanans verba illa cap. XXIX Exod., pag. 112, col. 2. *Vestem autem sanctam, qua utitur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, et consecrentur manus eorum.* « Vos enim, ait, episcopi et sacerdotes, filii estis Aaron, si tamen imitamini, et Moysi fratres estis, illius utique Moysi, qui ait psal. XXI, 23 : *Narrabo nomen meum fratribus meis.* Vos ergo habetis vestem Aaron, vos gloria, et honore, omniumque virtutum ornamento induti estis. Vos rationale, et superhumerale habetis, vos sancti Spiritus gratia inuncti estis : vestræ quoque manus ad Christi corpus et sanguinem conficiendum sunt consecratæ. Vos enim septem diebus hac veste utimini, et nunquam ea exspoliamini. Non enim sunt dies nisi septem. Quod autem septem diebus fit, omni tempore fit. » Mihi etiam liceat recensere quomodo idem S. Bruno episcoporum electionem et ministerium describat, exponens illud Exod. cap. XXVII, pag. 101, col. 2. *Ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii extra velum.* « Hanc autem lucernam, inquit, collocat Aaron, et filii ejus; hanc illi ordinant, consecrant et constituunt, qui et primi sacerdotis ejusque successorum vices gerunt (33). A populo quidem lucerna eligitur, et pontificibus offertur; ab episcopis autem consecratur, et ordinatur, et in sede collocatur. Lucerna autem usque mane coram Deo, et donec de hac misera et tenebrosa vita exeat, Dei populum prædicare et illuminare non cesset; ut, hac nocte finita, oriatur ei Sol justitiæ, et ingrediatur illum diem de quo Psalmista psal. LXXXIII, 10, ait : *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.* » Hic notandus est non tam usus electionis episcoporum, qui Brunonis ævo in Ecclesia adhuc vigebat, eorumque consecrationis, quam quod episcopi consecratores summi pontificis vices gerebant, neque eis licitum erat ad hujusmodi consecrationem procedere, nisi ejusdem summi pontificis mandatum, hoc est apostolicas litteras haberent, vi quarum vices ejus adimplerent. Sed et illud peculiare in consecratione episcoporum a Brunone memoratum silentio non præteribo; scilicet, quod episcopi antequam consecrentur, respondere teneantur de fide, et jurare se ab illa, et a regulis Ecclesiæ numquam excessuros. Exponens enim illa Levitici verba cap. VIII, pag. 141, col. 2 : *Obtulit*, inquit, *et arietem secundum in consecratione sa-*

(33) Conformis est hujusmodi regula sanctioni, seu canoni in concilio Romano sub Siricio papa promulgato. *Ut extra conscientiam sedis apostolicæ, nemo audeat ordinare.* Vid. observ. super Histor. eccl. Fleurii tom. I, p. 299. Hujusmodi regula adeo firma fuit apud Romanos pontifices, ut S. Leo Magnus in epistola ad episcopos provinciæ Viennensis de Hilario Arelatensi episcopo conquestus sit, quod in ea se non continuerit. *Hilarius*, ait, *Ecclesiarum statum, et concordiam sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit; ita suæ vos cupiens subdere potestati, ut se beato apostolo Petro non patiatur esse subjectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum sibi vindicans, et debitam metropolitanis sacerdotibus in suam transferens dignitatem : ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantibus minuendo : cui cum præ cæteris solvendi, et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius tradita est. Cui quisquis principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem; sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.* Tanta insonante auctoritate, quid validum afferre possunt, qui supremam Romanorum pontificum in ordinatione episcoporum potestatem impugnare contendunt? Si apostolos in jus et exemplum proferant, qui passim, ubi opus erat, episcopos ordinabant; respondent auctores omnes, eos extraordinaria missione et potestate, extraordinariis etiam privilegiis, ac portentorum operationibus a Domino munitos fuisse: ac proinde mirum non est, si in Ecclesiæ exordio ordinationem episcoporum egerint. Sed verius ex consensu S. Petri eorum capitis illam egisse fieri potuit, antequam ab eo ad Evangelium in omnem terram evulgandum se dividerent. Constituto enim Christi auctoritate capite Ecclesiæ Petro ipso, Ecclesia ut corpus regi debebat (atque ut corpus describitur in Evangelio) ita ut membra cum capite ipso convenire omnino deberent. Num vero in aliquo regno constituuntur civitatum moderatores sine aliqua supremi principis auctoritate? Idem affirmari libet de primis illorum successoribus.

Digitized by Google

cerdotum : posuerunt super caput illius Aaron et filii ejus manus suas, etc. « Moyses enim hoc in loco, qui sacerdotes consecrat, aliquem pontificem significare potest, cujus ministerio episcopi et sacerdotes consecrantur. Hic autem in principio consecrationis offert arietem, si eos qui consecrandi sunt de fide plenissime instruat. Unde et iidem ipsi super caput arietis manus ponunt, quia omnia de quibus interrogantur se credere quodammodo jurant, et confitentur. »

Neque recensere omittit S. Bruno quæ sint episcoporum munera, quæque Levitarum officia; cum in cap. VI Levitici, pag. 174, col. 1, inquit : « Ad episcopos majora Ecclesiæ sacramenta tractare et agere pertinet; quæ sunt confirmare et conferre ordines. Levitæ vero cæterique minores ordines in exterioribus officiis fideliter laborare, et desudare debent; ut nemo inutilis, nemo otiosus inveniatur; sed majorum jussionem et dispositionem confestim minorum obedientia consequatur. »

In tanta autem dignitate, munerumque excellentia constituti episcopi, quomodo vita sit eis componenda, ut tanquam luminaria in Ecclesia refulgeant, ex pluribus locis in quibus S. Bruno de illa disserit, illum præferam, ubi, quam conversationem tenere debeant, describit, explanans illa verba, cap. XXVIII Exod., p. 105, c. 1. *Facies et tunicam superhumeralis hyacinthinam*, etc. « Quia enim, ait, superhumerale super hanc tunicam ponebatur, ideo superhumeralis tunica vocatur. Hac autem totus pontifex tegebatur, et ideo collum capitium habebat, quo caput etiam tegeretur. Per hanc, sanctam et mundam episcopi conversationem intelligimus; ut sic sancta vita, et optima conversatione totus operiatur, quatenus nihil nudum, vel indecens, vel non ornatum in eo appareat; unde et tota tunica hyacinthina fuisse dicitur, qua videlicet pontifex indutus non terra, sed cœlum, non homo, sed Deus esse putaretur. Hyacinthus enim, ut jam sæpe diximus, quoniam aerei coloris est, cœlum significat. »

Cum vero episcopis verbi Dei prædicatio maxime sit obeunda, S. antistes Signiensis eam illis eodem in loco commendat; quippe, relatis his : *Et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus, quando ingredietur et egredietur sanctuarium in conspectu Domini, ait :* « Necesse est pontifices sine intermissione clamare, necesse est semper prædicare, et vocis tintinnabula sonare, et ad fidem, et ad baptismum, et ad pœnitentiam populum vocare. Sive enim ingrediatur sanctuarium, sive egrediatur de sanctuario, hoc agere debet; quia quandiu in ecclesia est, quando circa se populum cernit (populus enim sanctuarium est) semper ædificationis verba eorum auribus insonare, instillare convenit. Hoc enim, cum ubique agere bonum sit; ibi tamen præcipue fieri debet, ubi ad sacramenta sumenda populus venire consuevit. Quod quidem si episcopus fecerit, non morietur; si vero non fecerit, morietur. Quid est morietur? Non enim hoc de communi morte dici videtur; omnes enim moriemur. De alia igitur morte est intelligendum, aqua omnipotens Deus nos eripere, et liberare dignetur. » Iis addenda sunt, quæ A. N. docet in comment. super illud Matth. cap. V. *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio*, etc. « Ad hoc, inquit, lucerna accenditur, ut luceat : ad hoc episcopus ordinatur, ut cæteros illuminet. Lucerna enim episcopus est, lumen gratia Spiritus sancti, sive evangelica prædicatio. Qui ergo supra Ecclesiæ candelabrum positus est, videat ne gratiam Spiritus sancti, qua illuminatus est, sub modio ponat; videat ne talentum sibi traditum terræ suffodiat. » Oportet autem ut sana et orthodoxa sit doctrina episcopi; nam et si aliquibus ornetur virtutibus, et bona aliqua exerceat, male autem doceat; quidquid bene agit, officium suum prodit, et reus fit ante Dominum. Explicans enim illud præceptum, quod pontifex super humerale rationali conjunctum ferat, hæc eruit documenta. « Sicut enim, inquit, pag. 104, col. 2, per rationale, et prædicatio, ita per superhumerale onus, et operatio designatur. Si enim episcopus bene docet, et male operatur; aut si e contra bene operatur, et male docet, ejus superhumerale et rationale non junguntur. Hæreticorum quam plurimos fuisse legimus, qui bene quidem operabantur; sed male docebant. Jejunare namque, vigilare, eleemosynas dare, et similia, bonum opus est. Hæc autem Manichæorum, Arianorum, et Donatistarum episcopos fecisse audivimus; sed, quoniam male docebant, quamvis hæc et similia agendo superhumerale facere viderentur, rationale penitus non habebant : si enim habuissent, irrationabilia, id est falsa et erronea non prædieassent. »

Et cum S. Bruno perfectam episcopatus ideam tradere sibi proposuisset, etiam a lamina aurea, in qua scriptum erat *sanctum Domino*, et pontifex in fronte gestabat, de episcopi sapientia differendi opportunitatem accepit. « Erat autem, sic ait ad cap. XXVI Exod., pag. 106, col. 1, hæc lamina super thiaram, quoniam omnibus ornamentis sapientia in pontifice superior est, et clarius lucet. Et quamvis cætera ornamenta habeat, si tamen sapientiam non habet, non est in eo, ubi scribatur *sanctum Domino*, hoc est enim nomen pontificis, quo, qui non titulatur, pontifex non est. Imminet autem hæc stella fronti pontificis, ut nunquam abscondatur, ut ab omnibus videatur, ut omnes illuminet, et luceat omnibus qui in domo sunt. » Nec doctrina solum et sapientia clarescere episcopos oportet, sed quodammodo se onerare debent peccatis populi, et pro eo Deum continuo deprecari. Hæc enim docet S. Bruno in Expositione loci ejusdem, cap. XXVIII Exod., pag. 106, col. 1, *Portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerint et sacrificaverint filii Israel.* « Cum populus, inquit, ad delenda peccata sacerdotibus munera offerat, quid aliud sacerdotes, nisi peccata populi in muneribus portant? In muneribus ergo

Digitized by Google

peccatorum onera populus deponit : sacerdotes vero e contra peccatoribus onerantur. Hoc autem onus officii sacerdotibus sit, ut pro peccatoribus exorantes, et suum officium digne adimplentes, Dei indignationem et iram semper placare studeant. »

Super omnia autem episcopus integerrimis moribus emineat; si enim alios sanctificare debet, ad suam oportet totus incumbat sanctitatem. Quid autem illi agendum sit, opportune insinuat A. N. in Comment. ad illud cap. XXIX. Exod., p. 111, c. 2. *Ponesque omnia super manus Aaron, et filiorum ejus, et sanctificabis eos, elevans coram Domino.* « Tunc enim, ait S. Bruno., sanctificatur, quando sacram legem, et divina volumina ad meditandum et docendum suscipit, et se non labiis tantum, sed toto corde servare promittit. Elevat autem ea coram Domino, quoniam et in vita et in doctrina talem se exhibet, cujus obsequia sursum fieri, et a Deo videri, et recipi mereantur. Ille enim sursum non elevat se, nec munera sua, qui vitiorum contagio deturpat, et deprimit vitam, et animam suam. » Eadem habet in comment. ad cap. VI. Levit., pag. 157, col. 2.

Hic mihi apertus videretur aditus magnæ illius quæstionis discutiendæ de ordinationibus Simoniacis; utrum scilicet invalidæ habendæ sint, an tantum illicitæ. Sed cum de ea clariss. Petrus Lazzari in adnot. ad Comment. Brunonis super cap. X Joannis eruditissime scripserit, pluraque alia a me producenda sint in animadversionibus ad tractatum ejusdem S. Episcopi : *De statu corrupto Ecclesiæ;* paucis modo controversiæ statum exponam. Ecclesiam longe lateque a labe Simoniaca infectam deplorabant sancti viri, qui sæculi XI et XII florebant, quique sacri ministerii puritatem et sanctitatem tueri conabantur, quorum aliqui, ut Bruno noster, nullas prorsus et irritas Simoniacorum ordinationes propugnarunt. Auctoritati enim sacrarum litterarum innixi aiebant, Christum Dominum apostolis dixisse Matth. cap. X. *Gratis accepistis, gratis date :* et D. Petrum in Simonem magum, qui pro accipiendo Spiritu sancto, et gratia miraculorum, pecuniam obtulerat, divinam pronuntiasse maledictionem, Act. cap. VIII, 20. *Pecunia tua tibi sit in perditionem. Quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Secundo memorabant plura concilia Simoniam damnasse, et Simoniacos ut hæreticos habuisse. Tertio asserebant illam S. Leonis Magni sententiam a Gratiano relatam 2 part. Can. 1, q. 1, c. 1 : *Gratia si non gratis datur, vel accipitur, gratia non est. Simoniaci autem gratis non accipiunt : si autem non accipiunt, nec cuiquam dare possunt.* Ratio etiam eis suffragari videbatur; nam cum Ecclesiæ ministerium sanctum sit, et ad sacra peragenda destinatum, ad ea admittendi non sunt, nisi qui probentur a Deo vocati, quæ vocatio in Simoniacis præsumi non potest. Nihilominus, ut dicturi sumus, Ecclesia Simoniacas ordinationes, ut illicitas damnat, et pœnis canonicis Simoniacis subjicit : verumtamen ordines Simoniace collatos pro validis tenet, ac reiterandos negat.

Neque fugit Brunonem de sacerdotum ordinatione agere, quam asserit ab episcopis fieri, non tam consecratione, hoc est chrismatis unctione, sed tactu etiam libri divinarum Scripturarum, quo, juxta disciplinam sæculi XI, verbi Dei exponendi et prædicandi acciperent potestatem. Ita S. episcopus in comment. ad cap. VIII Levitici, p. 142, c. 1 : « Quod autem, ait, hæc omnia simul composita sacerdotibus tradidit, hoc significat, quia postquam sacerdotes consecrati sunt, de manu pontificis librum accipere debent, ut verbi Dei exponendi et prædicandi habeant potestatem. » Eodem etiam in loco admonet nos sacerdotes, quod quandiu in hac vita sumus, semper consecrari et sanctificari et in melius proficere debemus. « Maneamus ergo, inquit, die ac nocte, id est omni tempore in tabernaculo; observemus, custodiamus, quod ipse præcepit, ne moriamur. »

Levitas quoque sive diaconos admonet S. Bruno, quomodo cum episcopis et sacerdotibus se gerere, et quam servitutem præstare in Ecclesia debeant. Allato enim contextu cap. III. Numer., *Locutusque Dominus ad Moysen dicens : Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministret ei,* etc., his Levitas alloquitur p. 173, c. 1 : « Intelligite hæc, Levitæ, aperite oculos, videte : non vos superbia inflet; scitote quia ministri estis episcoporum et sacerdotum, et non solum ministri, sed dono dati ad serviendum, et obediendum, eorumque monitis et jussionibus obsequendum. Si vos aliter feceritis, moriemini. »

Ex quo autem Deus elegit tribum Levi ad sacra peragenda ministeria, inquit A. N. in comment. super cap. I. Numer., p. 172, c. 2, magnam esse differentiam inter clericorum ordinem, qui per tribum Levi significatur, et reliquum populum. « Ipse enim, ait, constitutus est super tabernaculum testimonii, ipse super totam Ecclesiam obtinet principatum, ipse ejus vasa, et cæremonias, ipsum quoque tabernaculum, et cuncta ejus utensilia portat, quoniam totam Ecclesiam ejusque sacramenta regit, ordinat et disponit. » Quare cum Deus quosdam homines sibi specialiter consecratos, et dicatos esse voluerit, eisque res sacras tradiderit administrandas, « nemo præter illos, sequitur S. Bruno, ad tabernaculum deponendum, vel erigendum, vel aliquo modo disponendum accedere audebit, quoniam quicunque exterorum accesserat occidebatur. » Sæcularibus ergo, et laicis vetitum est sacris se immiscere, officiaque ecclesiastica sibi usurpare. Constat ergo Ecclesia viris sanctuario addictis, et universa credentium multitudine, qui in baptismate Christo nomen dedere, qui eamdem fidem eademque sacramenta retinent, iisque in pietate restaurari profitentur. Credunt itaque Jesum Christum verum Deum, verumque hominem, pro nobis passum, mortuum resurrexisse, ad inferos ad liberandas justorum ani-

Digitized by Google

mas descendisse, gloriosum tandem cum illis ad cœlos remeasse. Hujusmodi fidei nostræ fundamenta, quoties se opportunitas obtulit, curæ fuit Brunoni, ex sacris Scripturis eruere, et quæ credenda sunt perspicue docere.

§ X. *De Jesu Christo redemptore.*

Actum est supra S. Brunonis doctrinis inhærendo, de veritate adventus Christi, sive de incarnatione Verbi divini ad formam hominis facti, ut humanum genus ab interitu vindicaret, et ad filiationem, et hæreditatem suam erigeret, et possidendam ei daret. Nunc autem eumdem doctorem sequentes, quæ proprietates in Christo sint agnoscendæ, quæque præcipua fuerint ejusdem gesta, persequi curabimus. Et quidem Christi divinitatem Bruno apertissime fatetur, cum explanans verba illa Exod. cap. XXIII, pag. 83, col. 1, *Et est nomen meum in illo*, subjungit : « Patris enim nomen in Filio est, quoniam et Filius, sicut et Pater, Deus est. » Speciosior etiam est locus in cap. XXXIII ejusdem libri, pag. 121, col. 1, ubi referens Deum ex nube cum Moyse loquentem, ait : « Sed quid columna nubis, nisi Verbum incarnatum ? ut enim Dominus in nube, sic Deus in homine loquebatur, et cernebatur : videbant enim nubem, videbant humanitatem ; audiebant vocem, nec tamen agnoscebant Deum ; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. »

De vera autem Christi humanitate plurimis in locis disertissime egit A. N., quorum aliqua tantum afferemus. Et quidem in cap. XXII Genes., pag. 28, col. 2, explicat quomodo Isaac sacrificandus a patre Abraham Christi figuram gesserit. « Allegorice, inquit, Abraham, qui pater multarum gentium interpretatur, vel pater excelsus, Deum Patrem significat, de quo scriptum est ps. CXII. *Excelsus super omnes gentes Dominus ;* Isaac vero filium ejus Jesum Christum, qui et ipse factus est obediens Patri usque ad mortem. Ara vero crucem designat, in qua ipse est immolatus. Aries autem, qui immolatur pro Isaac, caro Christi est. Est enim Christus Deus et homo ; secundum divinitatem quidem immortalis et impassibilis ; secundum humanitatem vero passibilis atque mortalis. Christo igitur in carne posito, solus aries immolatur, solus agnus occiditur, sola caro crucifigitur ; non enim secundum divinitatem passus est Christus. » Eamdem Bruno veritatem confirmat in declarandis illis verbis ps. LXXII. *Memor esto hujus creaturæ tuæ*, aiens pag. 458, col. 1. « Divinitati loqui videtur, ut eam, quam assumpsit, humanitatem ei commendet, quam ideo creaturam vocat, ut verus Deus, et verus homo Salvator noster esse credatur. Et valde conveniens erat ut qui tanta de potentia divinitatis ejus usque nunc locutus fuerat, de humanitate quoque aliquid diceret, atque illis hæreticis occasionem tolleret, qui eum non hominem, sed Deum esse credebant. Hujusmodi doctrinam, jam ante tradiderat in comment. ps. II. Quem Judæi, inquit pag. 301, col. 2, Christum, nos regem vocamus, Christus Dominus noster et Deus est, et homo, qui secundum humanitatem quidem non solum a Patre, verum etiam a se ipso, et Spiritu sancto rex, et dominus constitutus est. Ipse enim secundum divinitatem neque factus, neque creatus est ; secundum humanitatem seipsum creavit, et fecit. » Consonans est expositio illorum verborum ps. XVII : *Invenerunt me gemitus mortis.* « In eo vero, ait, pag. 328, col. 1. Quod gemitus mortis, et humanæ passionis affectus sibi accessisse dicit, verum se esse hominem ostendit, et non phantasticum, ut quidam hæretici prædicaverunt (34) ; sed in veritate idem ipse et captus, et ligatus, et crucifixus, et mortuus est. » Eamdem doctrinam de veritate humanitatis Christi tradidit S. Bruno in Expositione verborum illorum ps. CVIII, pag. 537, col. 2, *Et cor meum turbatum est in me.* « Et hoc quidem, ait, ad humanitatem Christi spectat. Quis enim nisi homo, sicut scriptum est Marc. XIV, 33, *Cœpit tædere, et mœstus esse?* Fecit humanitas quod suum est, et divinitas quod suum ; quia, nisi hoc faceret, quis eum hominem esse crederet ? Si enim solius divinitatis naturam et potentiam ostendisset, nemo eum hominem esse credidisset. Valde ergo necessarium fuit ut has affectiones in se esse Salvator noster ostenderet. » Affirmavit pariter S. Bruno pag. 302, col. 1, Jesum Christum secundum divinitatem non adoptive, sed substantialiter Dei filium esse, hoc enim, ait, ipse Pater testatus est dicens Luc. cap. III, v. 23 : *Tu es Filius meus dilectus ; in te mihi complacui.*

Et quia magis magisque probari potest in Christo utraque natura divina et humana, ex duplici ejus voluntate, quam olim negarunt monothelitæ ; id cumulatissime perficit A. N., exponens ps. LXVIII. *Salvum me fac, Deus*, etc. « Cum orans, inquit, pag. 443, col. 1, ante passionem Patri dixisset : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste ;* illico subjunxit : *verumtamen non mea, sed tua, voluntas fiat.* Volebat enim, procul dubio, quod petebat ; sed sic volebat, si Pater id ipsum voluisset. Si igitur aliquid petat, et quod petit, non accipiat, nemo propter hoc ejus voluntatem non esse exploratam dicere audeat. Neque est inconveniens, si natura mutabilis mutabilem habeat voluntatem. Omnia enim quæ nostra sunt, præter peccatum, eum suscepisse dubitare non debemus. Quod autem ait : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam ;* et multa alia, quæ sequuntur, non ore, sed cordis intentione locutus est Dominus. » Habebat autem Christus voluntatem humanam, quæ naturaliter pati et mori refugiebat ; sed ita subordinata erat voluntati divinæ, ut plene ei passionem obire consentiebat. Cum autem in Christo A. N. voluntatem divinam etiam agnosceret, ideo quidquid ipse vellet,

(34) *Manichæi Verbum Dei dicunt esse hominem, non quidem verum, sed similitudinarium ; in quantum dicunt Filium Dei corpus phantasticum assumpsisse.* D. Thom. 3, p, q. 16, art. 1.

Digitized by Google

in ejus potestate omnino esse fassus est. Explanans enim primum versiculum ps. LXIII. *Exaudi, Deus, orationem meam*, etc., hæc habet pag. 426, col. 1. « Sæpe jam diximus, quod quando Salvator noster aliquid orat, aliquid petit, et aliqua re indigere videtur, totum ad humanitatem referendum esse. Ipsa quoque humanitas non pro se orat, sed pro nobis; quia quidquid est in ejus voluntate, hoc est in ejus potestate; ipsum igitur orasse, voluisse fuit. » Et infra : « Non habebat necesse diu orare, cujus voluntas tam subito exaudiebatur. Similiter enim in ipso erant et voluntas, et voluntatis effectus; neque prius velle aliquid poterat, quam habere quod vellet. Hanc autem plenissimam suæ voluntatis potestatem Christus habebat, quia Deus erat et homo. » Dixerat S. Bruno in Comment. super cap. XII Exodi, pag. 58, col. 1, Christi passionem in Veteri Testamento per figuras, et ænigmata significatam haberi; quin tamen clara excludat, quæ in Veteri Testamento Christi passionem, et mortem, testimonia prænuntiabant. Cum igitur plura in figuris et mysticis significationibus sacramenta, seu mysteria complectantur, ea ingeniose proferre et illustrare nisus est. Primum subjiciam commentationem in cap. XXIV Exod., pag. 84, col. 2, super eo quod Moyses altare erexerit, et duodecim vitulos in eo sacrificari præceperit. « Mane ergo, ait, consurgens Moyses ædificavit altare ad radices montis; quoniam et Judæi, qui per Moysen sacrificantur, primo mane super Calvariæ montem, ad radices Jerusalem, et montis Sion Christo Domino crucem præpararunt : altare enim crucem significat. In hoc enim altari Christus immolatus est. Sed quia nulla duodecim tribuum de Christi morte excusare se valet, ideo duodecim vituli per duodecim tribus immolantur. Et quamvis unus fuerit vitulus, quoniam unus immolatus est Christus; tamen quia unaquæque tribus, imo unusquisque homo tenetur in integrum, ideo duodecim vitulos Moyses immolari præcepit. Et quidem unus Christus crucifixus est, immolatus est; unusquisque tamen, qui ejus morti consensit, interfecit; totius Christi homicida est; et quamvis non omnes manus in Christum injecerint, omnes tamen Judæi per consensum occiderunt. » Nullibi vero tanta cum amplitudine egit A. N. de Christi passione, quam in Exposit. cap. XXIX ejusdem Exodi, pag. 107, ubi præscribitur ritus arietis sacrificandi. Totam hic afferre possem ejus interpretationem; sed satis est ad rem nostram pars illa, in qua summa Christi vitæ colligitur, et dolorosissima ejus mors prædicatur. De intestinis enim, pedibusque arietis in frusta concisis ita loquitur : « Hæc autem, id est intestina, et pedes arietis ponimus super concisas carnes, et super caput illius; quoniam postquam Christum Deum de Virgine natum, inter homines conversatum, cæcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, et cætera, quæ fecit, singulariter ostendimus; tunc tandem ex his omnibus illud quoque super ponere, et reddere debemus, quia pro nobis passus est, et propter peccata nostra mortem turpissimam, et crucis ignominiam sustinuit, etc. Quod autem addit : *Et offeres totum arietem super altare*, tale est, ac si diceret : non solum Christi divinitatem, et humanitatem, verum etiam passionem, resurrectionem, et ascensionem, et quæcunque de eo scripta sunt, semper in memoria, in corde, et in mente habebis. Diximus enim, quia hoc altare mens et cor hominis intelligitur. » Mortuus est autem Christus juxta Brunonis sententiam pag. 148, c. 1, anno ætatis suæ trigesimo tertio, in quam plures illustres scriptores et chronologi conveniunt.

De passione et morte Christi satis huc usque dictum est; nunc de ejus resurrectione dicendum; de qua plura sacræ litteræ splendidissima testimonia complectuntur. Et quidem in Job, cap. XIX, legitur : *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.* Super quæ ait S. Bruno in commentario. « O quanta spes resurrectionis! Sola hæc verba sufficiunt contra omnes qui resurrectionem negant : *quem visurus sum*, inquit, *ego ipse.* Quid est ego ipse? Id est in hac carne, in hac essentia, in hac persona. *Et non alius*, carnis mutatione, sed unus idemque ipsius receptione. » Præterea explanans Psalmistæ vaticinium ps. XL : *Ego dormivi, et somnum cepi, et resurrexi;* hæc habet pag. 380, col. 2. « Mors Christi dormitio fuit, dormivit quantum voluit, surrexit quando voluit, quia si noluisset, nunquam obdormisset. » Et quia eodem in psalmo dicitur Christus Patrem deprecatus, ut eum resuscitaret : *Tu autem miserere mei, et resuscita me, et retribuam illis;* quomodo intelligendus sit Propheta, idem S. Bruno docet pag. 381, col. 1 : « Hæc, inquit, oratio Christi humanitatis intus fuit, in corde fuit, in sola voluntate fuit; cui ad precandum verba necessaria non erant, qui secundum voluntatem suam omnia habebat. Propter nos igitur hæc scripta sunt, quia si scripta non essent, ad nostram notitiam non pervenissent. »

Antequam tamen Christus a mortuis resurgeret, et eo triduo, quo corpus ejus quievit in sepulcro, ipse cum anima et divinitate descendit ad inferos, ut justorum animas ab illo carcere et tenebrarum loco liberaret. Hanc catholicam veritatem prænuntiatam agnovit S. Bruno illis in verbis Job. cap. XIV. *Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me?* Quæ ita declarat pag. 248, col. 2 : « Scio, inquit, quia in infernum descendam; sed quis ibi, nisi tu, a tormentorum pœnis me proteget, et liberabit? Tempus ejus ad misericordiam constitutum Christi passio fuit; quia tunc ad inferos descendens, justorum animas eripuit, et liberavit, secundum illud Oseæ cap. XIII, 14 : *O mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne.* » Idem confirmatum invenies in Exposit. ps. XV, 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* « Divinitas enim, ait pag. 325, col. 2, simul cum anima in inferno descendit, nec tamen corpus in sepulcro dereliquit. Anima enim a corpore separari potuit

Digitized by Google

divinitas non potuit : quia Deus ubique est, et omnia continet. Indignum valde esse ut illa caro sanctissima corruptionem aliquam videret, quæ sine omni corruptione de Virgine nata, sine omni peccato in hoc mundo est conversata. » Item ad illud ps. LIII : *Desiderium animæ ejus tribuisti ei. Et Dominus susceptor est animæ meæ.* « Quis enim alius, ait, pag. 407, col. 2, eam suscipere debuit, nisi divinitas ipsa, quæ ei ineffabiliter conjuncta erat. Statim enim ut Salvator noster spiritum emisit, simul cum divinitate illa sanctissima anima inferni claustra penetravit, et, inferno exspoliato, sanctorum animas, quæ ibi captivæ tenebantur, secum eduxit. » Eadem habet S. Bruno in comment. ad ps. LXVIII, super illa verba, v. 16. *Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* « Hic autem, inquit, pag. 444, col. 2, manifeste ostenditur, quia hæc oratio non ad corpus, sed ad animam pertinet : sola enim Salvatoris nostri anima in infernum descendit, qui per hunc puteum profundum significatur. Et quidem ibi teneri non potuit, sed ligato diabolo, et inferno exspoliato, cum magna victoria inde ascendit. » Similia habet in Job. cap. XLI (35).

Quærit deinde idem auctor quomodo intelligenda sit prædictio illa Christi apud Matthæum cap. XII, 40 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; ita erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* Si enim corpus Christi depositum fuit in sepulcro, nisi vespere diei parasceves, hoc est ante sabbatum Paschalis solemnitatis, et ipse altero die, qui Dominicus dicitur, valde mane surrexit; quomodo verificari potest eum tribus diebus, et tribus noctibus in monumento jacuisse? Respondet ergo S. Bruno serm. 2 de resurrectione Domini : « Fuit igitur Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. Nocte enim illa, qua a Judæis insanientibus, et super eum irruentibus captus est, ex quo ipse ait : *Si me quæritis, sinite hos abire*, in potestate illorum fuit Salvator noster. Simfliter autem et illis duabus aliis noctibus quæ post illam sequuntur, in quibus usque in diem Dominicam, ne resurgeret, custoditur ejus corpus, quod duntaxat in eorum potestate fuit. Tres quoque dies ita computantur, et sexta feria, et sabbatum, et diei tertii initium, in quo mundi Creator, et Dominus valde mane a mortuis resurrexit. Usitatissimum omnium scripturarum est, totum pro parte, et partem pro toto aliquando ponere. »

Non statim ac Christus resurrexit, in cœlos ascendit; sed ut testatur Lucas Act. cap. I, per dies quadraginta cum apostolis suis conversatus est, loquens eis de regno Dei, hoc est de Ecclesia, quam ipsis stabiliendam, et propagandam relinquebat. Et quidem eos primum in fide suæ resurrectionis confirmavit; quidquid postea de mysteriis, atque de sacramentis revelandum erat, illos docuit, novos legis suæ magistros instituit, in universum mundum ad eam propagandam misit, ac tandem, tradita eis Spiritus sancti virtute, plenam absolvendi a peccatis, atque ligandi potestatem impertitus est. Hujusmodi apostolatus institutionem figuratam invenit Bruno in cap. XXVI. Numer. ubi legitur, Deum Moysi præcepisse ut manus suas super caput Josue imponeret coram Eleazaro, et multitudine Israelis, eique daret partem gloriæ suæ; quæ ita illustravit pag. 192, c. 2. « Hoc enim, ait, et Christus fecisse legitur, qui priusquam cœlos ascenderet, vicarios sibi, totiusque Ecclesiæ duces, apostolos constituit, quibus et partem gloriæ suæ tribuens, signa et virtutes in suo nomine facere præcepit.

Præclare etiam disserit A. N. super illa verba Genes. cap. XXIV, pag. 85, c. 1, *Ascenderunt Moyses, et Aaron, Nadab, et Abiu, et septuaginta seniores Israel, et viderunt Deum Israel;* atque in eo facto significatam Domini ascensionem affirmavit. « Quod Moyses, inquit, confirmato testamento, simul cum senioribus Israel ad videndum Deum ascendit, significatio erat quod, immolato agno, et Christi sanguine fuso, novoque testamento confirmato, cœli porta aperitur, et Jesus sacerdos magnus Sancta sanctorum ingreditur, et in cœlesti palatio ab hominibus Deus videtur. » Cum autem, ut sæpe dictum est, omnia Christi gesta in psalmis prænuntiata reperiantur, ejus ascensionem ad cœlos prædictam accepimus ps. LXVII, v. 19 : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Ad quæ A. N. p. 439, c. 1 : « Hic, inquit, Deus et Dominus noster ascendens in altum, prius quidem in crucem, deinde in cœlum, captivam duxit captivitatem, sicut scriptum est Joan. cap. XII, v. 32 : Cum exaltatus fuero a terris, omnia traham ad me ipsum. Captivi diaboli erant omnes, sed captivi Christi facti sunt plures, non omnes; multi adhuc in captivitate detinentur; qui si voluissent, in captivitate non essent. Dedit autem dona hominibus, et maxima dona, quando Spiritum sanctum

(35) O tempora, o mores! Quis credit? Hisce diebus, quibus tot profligata exstinctaque sunt ab Ecclesia veritatis magistra hæreticorum deliramenta, non desunt subversores orthodoxæ doctrinæ, qui ea e cineribus revocare laudent. Ex his quidam nuper controversiam movit de descensu Christi ad inferos. Huic ergo primum opponimus Symbolum Apostolorum, ubi hujusce descensus confessio continetur : *Descendit ad inferos.* Secundo audiat S. Augustinum, quomodo hac de veritate sese exprimat ep. 164, al. 99, c. 5, n. 14 : *Teneamus*, inquit, *firmissime quod fides habet, fundatissima auctoritate firmata, quia Christus..... apud inferos fuit.* Idem autem S. Doctor contrariam opinionem inter hæreses refert lib. de Hæres. hæres. 79. Tertio plura habentur sacr. litterarum testimonia, quæ haud aliter exponi, et intelligi possunt, quemadmodum explanat S. Bruno, aliique SS. Patres, nisi dogma illud catholicum admittatur. Deest profecto in Symbolo Nicæno, quia non omnia fidei capita in eo comprehendere Patres voluere. Vid. D. Thom. 2, 2, q. 1, art. 9, ad 4, et Card. Gotti theolog. tom. XVI d. 1, § 3, atque Exposit. Symboli Nicolii; præterea eruditissimum Joan. Vincentium Patuzzium O. P. qui articulum Symboli apostolici *Descendit ad inferos* peculiari opere contra quosdam heterodoxos scriptores propugnavit.

Digitized by Google

apostolis misit, et tantam gratiam illis dedit, ut linguis omnium loquerentur, et infirmitates sanarent. » Descripserat pridem S. Bruno, exponens illa verba ps. XLVI, *Ascendit in jubilatione, et Dominus in voce tubæ*, maximam angelorum lætitiam, et exsultationem, cum Christum Dominum ascendentem in cœlum viderent, eique triumphatori plaudentes, et benedicentes occurrerint. Præstat commentationem ejus referre, p. 393 : « In jubilatione ascendit Dominus, id est in magno gaudio et lætitia apostolorum, qui eum in tanta gloria, tantaque virtute ascendere videbant. Sive enim in jubilatione angelorum, quos omnes summa cum exsultatione obviam ei venisse dubitare non debemus; quorum voces et laudes, quæ excellentissimæ erant, quamvis *nesciamus* quales erant, per vocem tubæ intelligere possumus. Et quis unquam dicere et cogitare valeat quanta tunc lætitia in cœlis fuerit, quando Christus Dominus in cœlos ascendit? Videor videre omnes angelos et archangelos illam gloriosissimam Salvatoris nostri humanitatem humiliter adorantes, et pro tanta, talique victoria de hoste superbissimo sic superato gratias agentes. Et hoc totum in his verbis significatum esse puto, quod hic dicitur : *In jubilatione et in voce tubæ*. Suscepit ergo Pater Filium, dixerat S. Bruno in Comment. ps. III, pag. 303, c. 2, ad se incarnatum, et hominem factum revertentem glorificavit, et in suæ majestatis sedem exaltavit. Ubi enim eum suscepit? in illo altissimo, et clarissimo secretario gloriæ suæ. Cum enim Deus ubique sit, est tamen aliquis locus ubi gloriam suam clarius et manifestius revelavit. »

A

B

C

§ XI. *De adventu Spiritus sancti.*

Pollicitus fuerat Christus apostolis, cum ad Patrem suum remeasset, se missurum ad illos sanctum Paraclitum, qui eos omni veritate, virtute, omnique gratiarum genere cumulasset. Portentosæ hujusce divinæ apparitionis, ut adnotat A. N., figura præcesserat, quando Deus apparuit Moysi in monte Sina, eique dedit, populo Israelitico audiente, inter tonitrua, fulgura, et coruscationes, præcepta sua, ut in testimonium essent supernæ ejus potestatis et majestatis. Eximia est comparatio, et ad probandum utriusque Testamenti consensum valde opportuna. Commentatio Brunonis in cap. XIX Exod., p. 70, c. 1, ita se habet : « Jam advenerat tertia dies, mane inclaruerat, et ecce cœperunt audiri tonitrua, et micare fulgura, et nubes densisima operire montem, clangorque buccinæ vehementer obstrepebat. Vide, inquit S. episcopus, quam bene utrumque testamentum sibi respondeat, et quam convenienter in utroque celebretur. In Actibus apostolorum, cap. I, 12, scriptum est : Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte qui vocatur Oliveti; et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt, ubi manebant Petrus, et Joannes, Jacobus, et Andreas, Philippus, et Thomas, Bartholomæus, et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus. Hæc tam sancta coadunatio vocatur Ecclesia, hæc dicitur mons Sion. In hunc montem descendit Dominus, servata quodammodo similitudine, et tempore, quo ascendit in montem Sinai. Jam enim, inquit Moyses, advenerat dies tertius, et mane inclaruerat, et cœperunt audiri tonitrua, et micare fulgura, etc. Dicamus ergo et nos : Jam advenerat tertius mensis, et Pentecostes, id est quinquagesimus dies inclaruerat, et, sicut beatus Lucas evangelista scribit Act. cap. II, « Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque super singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. » Ecce enim in utroque et sonus auditur, et ignis videtur. Sed in illo nubes caliginosa, in hoc autem clarissimi luminis splendor apparet; quoniam illa umbra erat, atque figura : hoc autem veritas. Quod enim ibi tonitrua, hic apostolorum voces intelliguntur : quod ibi micantia fulgura, hic miracula ubique fulgentia : nubes vero densissima, quæ montem operiebat, apostoli sunt salutaribus pluviis Ecclesiam irrigantes. Clangor vero buccinæ perstrepens vehementer, doctorum omnium prædicationem longe lateque intonantem significat. » Reddit deinde A. N. rationem cur Spiritus sanctus sub specie ignis apparuerit, et dispertitæ linguæ incumbere super singulos apostolos visæ fuerint : « Nunc autem (ita in serm. II, *de Spiritu sancto*) quid ille ignis, et quid illæ linguæ significent, videamus, quæ super apostolos apparuerunt : cum omnes, ut Evangelista dicit, in uno essent loco congregati, Heb. XII, 29 : Deus enim noster ignis consumens est. Merito itaque Spiritus sanctus in igne apparuit, ut peccata consumeret, mentis oculos illuminaret, et totum hominem in Dei amorem inflammaret. Hic ille baptismus, quem Joannes Baptista promittebat, cum diceret : Ego vos baptizo in aqua, sed alius venit post me, qui vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni Luc. cap. III, 17. In linguis quoque debuit apparere Spiritus sanctus : siquidem ipse est qui in apostolis loquitur; quis enim loquitur nisi lingua? Hoc officium non est alterius membri. Qui hac lingua loquuntur, non habent necesse cogitare quomodo aut quid loquantur. Hac igitur lingua suscepta loquebantur apostoli magnalia Dei. »

D

§ XII. *De Charitate.*

Cum vero ignis ille, quem Deus misit in terram, non aliam ob causam descendit, nisi ut eo humana corda incenderentur, S. Bruno, qui toto vitæ suæ tempore illo exarsit, oblata opportunitate interpretandi cap. VI Levit., ubi præcipitur quod ignis in altari semper ardeat, curæque sit sacerdoti ligna subjicere, ne exstinguatur, hæc eleganter complectitur p. 136, c. 2 : « Ignis vero iste, ait, qui nunquam deficit in altari, sed perpetuo ardere convenit, intermissæ dilectionis in corde fidelium ardorem

Digitized by Google

imponit : si enim hic ignis ab intellectu abfuerit, omne prorsus sacerdotis officium inutile erit. In hoc ergo sacerdos diligenter studeat, ut amoris ignem continuo nutriat, et per singulos dies ligna subjiciat : recordetur scilicet misericordiæ Dei ; recordetur quid fecerit, et quid diligentibus se præbere promiserit. His enim, et similibus lignis, de sanctarum Scripturarum silva collectis, ignis iste succenditur, et in Dei dilectione inflammatur. Super hunc igitur ignem, o sacerdos, pone holocaustum, ut immoles Deo sacrificium laudis ; hic est enim adeps pacificorum, cujus pinguedine Deum demulces. Iste est ignis perpetuus qui numquam deficiet in altare. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, Cant. VIII, 7. » Felices ergo illæ animæ, quæ cœlesti igne incensæ, eo semper usque ad vitæ exitum ardebunt, et ad æternam felicitatem transeuntes, ubi reliqua dona cessabunt, charitas nunquam excidet, sed purior, vehementiorque tota in æternitate fiet.

Docet tamen S. Bruno in cap. XXV Exodi, p. 87, col. 2, sanctos, qui Dei visione fruentur, perfectam omni ex parte beatitudinem non habituros, donec animabus corporibusque conjunctis, tota simul sanctorum multitudo super cœlos elevetur. Sed non statim post obitum, justi qui in charitate decedunt, ingressum in cœlum obtinebunt, si aliquid culpæ eis expiandum remanserit.

§ XIII. *De purgatorio, de cultu et invocatione sanctorum.*

Satis superque notum est unum ex erroribus Græcorum schismaticorum fuisse negare purgatorii existentiam, hoc est loci in inferis destinati pro animabus justorum, quibus adhuc vel leves culpæ, vel reatus remissorum peccatorum restant expiandi. Contra illos ergo concilium œcumenicum Florentinum definivit, purgatorium, tanquam dogma catholicum, esse admittendum. Ut igitur Florentinorum Patrum definitio confirmetur, et quam jure meritoque etiam hoc ex capite videantur proscripti recentiores hæretici Lutherus, Calvinus, Zuinglius, etc., quid de hac catholica doctrina senserit S. Bruno, in medium proferam. Ille ergo exponens caput XXII Levitici, p. 126, c. 2 : « Justi, ait, post hanc vitam Deo offeruntur, et in societatem sanctorum statim recipiuntur, vel deinceps, si forte purgatorio indigebunt. Non enim omnes, qui salvantur, mox ut obierint, in beatitudinem recipientur. » Idem repetit A. N. declarans verba illa ps. XXXI : *Beatus ille, cui non imputavit Dominus peccatum.* « Gaudeant, inquit, itaque pœnitentes, quia peccata dimissa sunt eis ; timeant tamen, quia nesciunt an adhuc pœna peccati dimissa sit eis. Quacunque enim die conversi fuerint, si tamen digne conversi fuerint salvi erunt : sed ignis manet ; peccatum dimissum est, sed non pœna peccati. Legimus quosdam post mortem miraculis claruisse, et tamen purgatorio deputatos fuisse. De quibus dubitari non potest, et peccata eis dimissa fuisse, et pœnam peccati dimissam non fuisse. De talibus dictum est, I Cor. III, 15 : *Si cujus opus exarserit, detrimentum patietur ; ipse vero salvus erit quasi per ignem.* »

Cum autem ex sacris Scripturis, ex traditione, et ex Ecclesiæ oraculo nobis constet justos aliquos inter sanctos, id est cœli habitatores esse habendos, eorum invocatio pia, et utilis erit ; quod idem S. Bruno docet in Comment. super cap. XI Job, pag. 244, c. 1. « Sancti tunc oriuntur, quando carnem deponentes moriuntur ; quia tunc primum immortalem vitam suscipiunt. Sed quomodo oriuntur ? Ut lucifer, id est clari, et immortales. Tunc habent fiduciam, proposita spe, quia indubitanter ea, quæ speraverant, consequuntur. Plurimi autem eorum faciem deprecabuntur ; quod tales fieri desiderant ; sicut de Ecclesia dicitur : *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis* ; sive illuc venire concupiscunt, ubi eos videant, et eis associentur. »

Quod vero pictæ eorum imagines, et præcipue B. M. V. cultu quodam, et obsequio prosequendæ sint, idem S. Bruno insinuat in Comment. super eumdem ps. XLIV. « Non solum, inquit, filium suum adorabunt filiæ Tyri, sed et te quoque deprecabuntur, tibique vota persolvent. Nam si ejus vultum, et imaginem intelligamus, non erit inconveniens ; cum sic ubicunque depingitur eam omnes venerari debemus. »

§ XIV. *De æternitate pœnarum infernalium.*

Alterum catholicum dogma assertum a S. Bruno ne reperimus ; miserrimam nempe iniquorum sortem, qui in peccato gravi decedentes, æternis inferni pœnis damnantur. Hujusmodi veritatem contra Origenistas, æternitatem ignis et pœnarum in inferno negantes, stabilivit S. episcopus, declarans illa Job, pag. 239, c. 2 : *Devorabit eum ignis, qui non succendetur, affligetur relictus in tabernaculo suo.* « Ignis enim ille, inquit, inexstinguibilis est, et semel succensus non indiget, ut ulterius succendatur. Relictus autem in tabernaculo carnis suæ semper affligetur ; quia caro, et anima in æternum cruciabitur. » In commentario etiam super ps. II, pag. 352, col. 2, ait : « Impii, et peccatores in judicio damnati misericordiam ulterius non invenient. » Plura alia ad doctrinam theologicam spectantia tradit S. Bruno, non tam in commentariis super utrumque Testamentum, quam in reliquis scriptis, quæ singula si producere vellem, nimis hanc prolusionem protraherem. Aliqua tamen majoris momenti annotabo.

§ XV. *De divinarum Scripturarum et traditionis auctoritate.*

Quanto in pretio habendæ sint divinæ litteræ, hoc est utriusque Testamenti libri, docet A. N. in cap. XXXIV, Exod. pag. 119, ubi relatis verbis Apostoli Rom. cap. VII, 8 : *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces rem proximi tui.* « Credamus ergo, inquit S. episcopus, testimonio legis, quæ quia semper verum dicit, et nunquam mentitur, non immerito testimonium appellatur : huic enim testimonio nemo contradicere audet ; ultima probatio legis est auctoritas. Hæc autem scripta est manu

Digitized by Google

Dei, opera Dei, Scriptura Dei; nihil humanum est in ea, tota divina est, tota Deo dictante et scribente composita est; unde veritate et auctoritate plena est. »

Traditionis etiam auctoritatem cum in rebus fidei, tum in ritibus ab Ecclesia pro sacramentorum administratione constitutis, duplici in loco statuit S. Bruno. Et quidem quod attinet ad mysteriorum intelligentiam, ait, in Comment. ad Exod., pag. 89, c. 2, nos non debere aliter credere quam SS. Patres docuerunt, et crediderunt; eorum enim dogmata tanquam divinitus revelata retinenda sunt; nec quemquam licet plus velle sapere quam ipsi credendum pronuntiarunt. « Fides ergo sanctorum, inquit, nobis sufficiat; neque ultra quæramus quæ *illis divinitus* sunt revelata. Et qui nos ipsos, et ea quæ in nobis sunt, intelligere non valemus, ad ea quæ super nos sunt, nos extendere non laboremus. » Ex eodem fonte, ex traditione scilicet, idem S. Antistes sacrorum rituum observantiam esse repetendam docuit, in tractatu *de Sacramentis, et Mysteriis*, ubi agens de baptismo, dicit, pro valliditate sacramenti, id est pro obtinenda ejus virtute et gratia, aquam, et Spiritum, hoc est invocationem sanctissimæ Trinitatis, quæ materiam, et formam constituunt, esse necessarias. « Sed cum alia posterius addita fuerint, ea omitti nequeunt. Hæc ergo sola, ait, sufficere poterunt ad baptismi sacramentum, sed SS. Patres nostri, qui ista Spiritu Dei constituerunt, voluerunt nobis satisfacere, non solum in his quæ pertinent ad virtutem sacramenti, verum etiam in illis quæ pertinent ad significationem. Sufficit enim aqua, et Spiritus ad baptismi perfectionem : cætera vero, quæ adduntur, ad significationem pertinent. Non enim oleum, et chrisma habuit Philippus apostolus, quando eunuchum baptizavit. Hæc tamen prætermittenda non sunt, quæ ad significandum aliquid sanctorum diligenti dispositione addita sunt. » Ritus igitur, et sacrorum administratio, quam per traditionem accepit Ecclesia, originem quamdam divinam habuere, quatenus a Deo inspirati SS. Patres eos constituerunt, eorumque custodem Ecclesiam ipsam reliquerunt. Quare nemini privato fas est illos omittere, vel immutare; cum traditionis auctoritati ex consensu Ecclesiæ majus pondus accedat.

§ XVI. *De auctoritate Ecclesiæ in doctrina fidei.*

Semper in Ecclesia maximi ductus est consensus ejus in doctrinis dogmata fidei continentibus; quo magna illa constituitur differentia mundum inter et ipsam Ecclesiam; ille enim a continua mobilitate, et varietate in scientiis, in legibus, in regiminis principiis agitatur; hæc autem firmitate ac stabilitate sua gaudet. Quamvis enim nonnunquam insurgant hæretici, qui tanquam procellosi venti eam commovere, ac scindere nitantur, non prævalent tamen, neque firmitatem, stabilitatemque ejus subvertere queunt; cum doctrinæ orthodoxæ concordia, ac depositi fidei servandi sanctorum episcoporum, et sacerdotum conspiratio semper eis resistat, inanesque eorum conatus reddat. Hæc copiose tradit S. Bruno in Comm. ad ps. LXV, p. 432, exponens illa verba : *Qui constituit mare in aridam, et flumina pede pertransibunt; ibi lætabimur in idipsum.* « Per mare, inquit, mundum, per aridam vero Ecclesiam intelligamus. Illud procellis et tempestatibus erigitur; hæc semper firma et stabilis manet. Convertitur autem mare in aridam, quando gentiles, et idololatræ ad Ecclesiam transeunt, et Christianorum fidem suscipiunt. Per flumina vero, quia aquæ multæ populi multi, diversæ hujus mundi gentes et nationes significantur. Quæ autem flumina transire possumus, ea ingredi non timemus. Quando igitur sancti prædicatores, episcopi, et sacerdotes secure, et sine timore in populis prædicant, tunc dicere possumus quia per flumina pede transeunt. Ubi prius erat timor, ibi lætitia nuntiatur. Ibi ergo, id est in populis, qui per flumina significantur, lætantur modo sancti in idipsum, id est simul, et communiter omnes. Omnium communis lætitia est, quia fides omnium est, nullus nulli contradicit, sed omnes pariter Christum laudant, et benedicunt. » Omnem autem vim confringentem hæreticorum errores a conciliis adhiberi fatetur idem S. episcopus, p. 370, c. 1, ubi explanans verba illa psalmi XXXVII, *Arcus eorum contritus est*, ait : « Arcus hæreticorum contritus est, quia omnis eorum hæresis, et deceptio in multis conciliis damnata est. » De concilio quidem Nicæno I, jam dixerat cap. XIV in Genesim, pag. 24, col. 1, ab eo hæresim Arianam damnatam fuisse, fidemque catholicam confirmatam. Sive igitur Ecclesia in conciliis generalibus congregata sit, sive dispersa, quoties aliquid docet, vel tanquam credendi regulam definit, audienda est, eique credendum quod, ut habemus ex Apostolo I, Timot. cap. III, 15, *Columna*, etc., *fundamentum veritatis sit a Deo constituta.* Quanta vero polleat Ecclesia potestate, quibusque divinis muneribus fulgeat exornata, repræsentat S. Bruno in nube quæ supra montem Sinai descendit, atque in eo cap. XXIV. Exod. gloriam Domini apparuisse legitur : « Nubes, ait, pag. 85, c. 2, quæ montem Sinai operuit, est omnis scientiæ, et sapientiæ plenitudo, quæ super Ecclesiam descendit, et in eo gloriam Domini apparere demonstravit; quoniam virtus miraculorum, et gratia Spiritus sancti usque ad sæculi consummationem Ecclesiam non relinquit; secundum illud, quod Dominus ait : *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* » His igitur privilegiis, et prærogativis munita Ecclesia, divinique auctoris sui præsidio semper adjuta, plenam super filios suos exercet potestatem, ut eos instruat, in veritate contineat, et perfectos mandatorum observatores reddat. Ut autem apostolis prædicantibus fides haberetur, per os eorum se loqui dixit, adeoque audientes illos fassus est, se docentem audire, Luc. cap. X, 16 : *Qui vos audit, me audit*, et despicientes, ipsum Redemptorem despicere : *Qui vos spernit, me*

Digitized by Google

spernit. Prosequitur autem A. N. in comment. ad hunc locum Lucæ, factis comprobans promissiones quas eis Dominus fecisse dixerat. Apostolos enim, ut superius dictum est, miserat Dominus *binos ante faciem suam, in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus.* « Nunc autem, inquit S. Bruno, reversi, Domino omnia scienti cum gaudio referebant ea, quæ non ipsi, sed ipse in illis fuerat operatus. Gaudebant enim de nomine Christi, cujus et virtutem experti erant. Gaudebant et de gratia immensa sibi a Domino attributa; quoniam non solum infirmitates curabant, verum etiam dæmonibus imperabant, et sibi subjectos esse videbant. » Præter evangelicam prædicationem, et signorum ostensionem, quibus eorum missio comprobatur, non tam missione, quam auctoritate ipsis proprie attributa, eam apostoli exercuerunt, suisque successoribus exercendam reliquerunt, ut malos a bonis separarent, eosque suo judicio subjicerent. Hanc legem in Levitici cap. XIII, adumbratam ostendit A. N. p. 149, c. 1, disserens de cognitione lepræ sacerdotibus reservata. Sicut enim leprosus, ita cognitus, ex Dei præcepto a reliquo cœtu separabatur; eodem modo qui spirituali lepra infectus dignoscitur, a consortio fidelium est separandus. Sed hæc cognitio, et separationis sententia ad Ecclesiam spectat, nec cuiquam licitum est, eam sibi usurpare. Audiatur Bruno, qui eodem in loco diversa excommunicationis genera exponit. « Solis episcopis, inquit, et sacerdotibus secundum animam condemnandi, et absolvendi potestas a Domino data est. Peccat autem, qui leprosum aliquem, et peccatorem a communione sua separandum putat, priusquam ab episcopis et sacerdotibus judicetur. Ducatur ergo leprosus ad sacerdotem. Sic enim Dominus ait : *Ostendite vos sacerdotibus*, Luc. cap. XVII, 14. Consideret sacerdos, diligenter perquirat, si lepra est. Habet enim lepra sua signa neque celari potest, facileque cognoscitur. Quis enim adulterum, homicidam, perjurum, sacrilegum, furem, et raptorem debitet esse leprosum? Talem ergo cum sacerdos invenerit, nec timore, nec amore mutet judicium : dicat enim esse leprosum, et secundum ejus arbitrium separetur : secundum ejus quidem, non secundum alterius : ipsius enim est eum judicare; ipsius est separare.

« Quomodo separare? Multis enim modis fit ista separatio : alii enim a corpore et sanguine Christi, alii ab Ecclesiæ introitu, alii a communione fidelium separantur. Separantur etiam a quibusdam cibis, et potibus, aliisque carnis voluptatibus, ut jam nunc licite non utantur his rebus, quibus prius licite utebantur. »

Sed quid de hæreticis judicare debeat Ecclesia, declarat S. Bruno in Comment. ad cap. XV. Numer. p. 183, c. 2, ubi postquam de diverso sacrificii genere, pro expianda diversorum reatuum qualitate egerit, ad peccatum superbiæ veniens, ait : « *Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis ille sit, sive peregrinus, quoniam adversus Domini rebellis fuit, peribit de populo Dei.* Hoc autem perspicue de hæretico intelligimus, unde et merito rebellis vocatur. Magna enim superbia est, ut tota Ecclesia reclamante, et fidei dogmata ostendente, aliquis contra rebellare, suamque sententiam contentiose defendere velit. Talis ergo peribit, cujuscunque generis sit, cujuscunque ordinis, cujuscunque conditionis et religionis. » Perire autem de populo Dei, idem est ac ab excommunicationis sententia a cœtu fidelium separatum esse, et ab Ecclesiæ communione depulsum. Id perspicue patet ex sequenti Brunonis interpretatione de homine, quem Israelitæ extra castra ducentes, quoniam in Sabbato ligna collegerat, lapidibus obruerunt. « Per hoc autem, inquit, pag. 183, c. 2, datur intelligi, quod illi, qui pactum Dei violant, et Ecclesiæ Dei instituta cum cæteris fidelibus custodire et observare recusant, ab Ecclesia pelli, et ab omnibus damnari, et excommunicari debeant; tot enim lapidibus obruitur, quot assentientibus excommunicatio obfirmatur. »

Si hæc de judicio, deque potestate episcoporum, et sacerdotum jure meritoque asseruntur, multo magis de summo sacerdote, et episcopo episcoporum sunt affirmanda, cui cum graviorum causarum reservata sit cognitio in Ecclesia, potestate clavium a Christo Domino ei tradita uti poterit, quoties expedire judicabit. Quamvis autem a nobis, cum de S. Petro apostolorum principe ageremus, plura allata sint gravissima Brunonis testimonia de suprema Romani pontificis in Ecclesiam universam auctoritate, ut ea tanto magis confirmentur, maxime opportuna erunt, quæ idem episcopus Signiensis in tractatu *De Sacrificio azimo* habet. Objiciebant enim Græci consecrantes in pane fermentato Latinis, nos cum Hebræis Judaico more azymum comedere, qui sacrificium in pane azymo conficimus. Respondet autem S. Bruno : « Absit hoc a catholica, atque apostolica, et Romana Ecclesia, quæ caput, et fundamentum, ac speculum dicitur, et probatur esse omnium Ecclesiarum, quam Deus, et Dominus noster Jesus Christus per semetipsum ædificare dignatus est, ac promittens specialiter suo dilecto discipulo Petro apostolo, dicens Matth. XVI : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum.* Atque iterum, Luc. cap. XXII, *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* » Cum autem S. episcopus hunc scripsisset tractatum rogatus a monachis Benedictinis Constantinopoli monasterium habentibus, his lucubrationem suam absolvit. « Quapropter, amantissimi fratres, state viriliter in sodalitate ac firmamento orthodoxæ columnæ, et nemo cum suasoribus verbis a sanctæ fidei catholicæ, atque apostolicæ præfatæ sedis, matris Ecclesiæ Romanæ consuetudine vos separet, quia teste Augustino luculentissimo doctore, et Africano episcopo, non est alia sedes in cœlo, aut in terra diguior, sive prior, nisi illa, quam Romana

Digitized by Google

tenet Ecclesia. Hanc tenete, hanc puro corde diligite, et ab ejus unitate non recedite; cum scriptum sit, Prov. cap. XXII, v. 28 : *Terminum, quem antiqui posuerunt Patres, ne transgrediaris.* Et Eccl. X, v. 8 : *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber;* serpens s licet ille, qui ejecit Adam de paradiso, ex cujus pestifero ore Dominus vos semper eruat. » Cum hæc de apostolica sede non ambiguis verbis, sed apertis, certisque significationibus dicta sint; in dubium A revocari nequit hanc esse constantem, firmatamque in omni ævo SS. Patrum sententiam, hujus supremæ sedis doctrinam pro regula fidei esse tenendam, ac proinde nemini licere ab ea recedere, eique non obtemperare. Commiserandi profecto sunt, qui tanto in lumine cæcutire volunt, et qui malo spiritu acti ab ulnis amantissimæ matris aufugiunt, et se, quosque seducunt, ad æternam pertrahunt ruinam.

VITA S. BRUNI SEU BRUNONIS

ASTENSIS

SIGNIENSIUM EPISCOPI ET ABBATIS MONTIS CASINI.

Edita lib. IV, c. 33, Chronici Casinensis a Petro Diacono, prout eam disposuerat Leo episcopus, et cardinalis Ostiensis; sed morte præventus explere non potuerat, ut testatur idem Petrus epistola nuncupatoria ad Reinaldum abbatem et cardinalem

Beatissimus Brunus, seu Bruno, abbas hujus monasterii quadragesimus, sedit annis tribus, mensibus decem. Hic Liguria provincia ortus ex illustri Astensium prosapia; sed illustriores ab infantia possidens mores, liberalibusque studiis a pueritia sufficienter instructus, Astensis episcopi canonicus extitit, qui desiderio regni cœlestis patriam parentesque relinquens, huc properans, ut Deo liberius sub monachali habitu deservire valeret, Romanam primum accessit ad urbem. His porro diebus Urbanus II universali præsidebat Ecclesiæ. Factum est autem, ut eo tempore, quo idem vir ad hunc locum tendebat, Signiensis episcopus ex hac vita discederet. Idem vero Romanus pontifex hunc spiritu fervere conspiciens, dixit ad eum : « Sicut tranquillitas maris multoties confert periculum nautis, ita et monachis a sæculi turbine remotis, quies et securitas ipsa perniciosissimum solet inferre naufragium. Unde nostris monitis te obedire convenit, et Signiensis Ecclesiæ curam, quæ tibi a nobis injungitur, tanto religiosius, ac diligentius, quantum scientia, et sapientia polles, regere stude. » Quibus cum ille sermonibus minime præberet assensum, præcepit ei ut ad civitatem prædictam pergeret; ibique vice Romani pontificis episcopum ordinans, iret quo vellet. Tunc supradictus vir illuc adveniens, cum s bi injuncta implere satageret, idem papa clam Signiensibus apices destinans, admonuit, ut eum episcopum ordinarent. Talia dum ad ejus notitiam pervenissent, intempestæ noctis silentio, B. Mariæ Ecclesiam egrediens fugam arripuit. Itaque dum meditata implere satageret, in quodam trivio virgo, quæ imperiali trabea adornata, cujus facies resplendebat ut sol, illi cominus astitit. Quam ille qualis, quæve esset, et quo tenderet, cum requisivisset, illa respondit : Sponsam, quam non bene fugis, me B noveris esse. Quapropter ut ad Ecclesiam redeas ex Dei omnipotentis parte præcipio. Et cave ne Dei ulterius velis resistere voluntati. Et his dictis disparuit. Perculsus ad hæc Bruno sanctæ virginis feminæ, Deique in sua ordinatione voluntatem advertens, succubuit, ac pontificalem cathedram lætantibus cunctis scandit. Ordinatus autem in ea qua fuerat mentis intentione permansit; unde adinventa opportunitate, sub supradicto abbate Oderisio, ad hunc locum perveniens, flentibus qui cum eo venerant, et nihil tale de ipso suspicantibus, monachus factus est. Signienses autem graviter illius ferentes absentiam Pascalem papam II adeunt, flentesque rogant, ut illum potius episcopatus sui curam gerere cogeret, quam sibi tantum consulentem in Casinensi C cœnobio quietum, et remotum a sæculi turbine habitare permittat. Pontifex autem ad illorum verba permotus strenuos a suo latere destinat viros, per quos eidem Brunoni ex parte sedis apostolicæ mandat, ut curæ ovium suarum studeat, et Romano pontifici in causis ecclesiasticis semper adhæreat; arguens insuper illum, et increpans cur absque apostolicæ sedis licentia, ausus fuisset monasterium petere, quo illum omnino non permitteret esse. Ad hæc præfatus Bruno, per episcopos et cardinales amicos hæc rescripsit : « Cuncti, procul dubio, qui in Romana sunt Ecclesia, noscunt, quia nisi contra Ecclesiam schismaticorum sæviret insania, hoc quod nunc egi, a multis jam annis opere implevissem. Nunc vero quia in Romana Ecclesia, Petro clavum D regente, tota per orbem Christi Dei nostri gratulatur Ecclesia, ventorum jam turbines silent, maria pacata quiescunt, idcirco, quod Deo semel devoveram, reddere cogor. Melius est enim non vovere, quam vovere, et non reddere. Quod si quis fortasse mihi objiciat, quod semel acceptum episcopatum relin-

Digitized by Google

quere non debebam, licenter respondebo : quod multi sunt, qui pontificatus sui jura non deseruerunt, et de sinistris sunt, dicente Domino, Oseæ c. II : *Principes fuere, et non cognovi : judices exstiterunt, et non per Spiritum meum.* Porro qui recta intentione episcopatum dimiserunt, certum est eos de æterna felicitate perenniter in Christo gaudere. Mihi porro exempla sanctorum non desunt, quorum vestigia secutus sum : qui relicto tumultu sæculi, quietam vitam adepti sunt. Unde per vos summum pontificem obnixe deprecor, ut de reliquo amplius mihi molestus non sit; et quietum portum, in quem Christo gubernante perveni, ne me relinquere cogat, suppliciter posco. » Cumque nulla ratione eumdem apostolicum, nec Signinum populum flectere valeret, supradictus abbas Oderisius rogavit pontificem, ut præfatum virum sub monachali habitu in hoc monasterio Deo militare permitteret; cujus precibus idem papa aurem accommodans quievit.

Post hæc autem ab eo pontifice una cum Boemundo in Gallia directus, vice Romani pontificis in iisdem partibus synodum secundum traditionem ecclesiasticam tenuit. Inde quoque Romam reversus, quadragesimo quarto die ab Othonis abbatis depositione exstante ad hoc monasterium rediit; atque a fratribus est in hujus cœnobii regimine ac cura prælatus. Idem vero apostolicus ad hunc locum postea veniens, non solum dignum illum esse abbatem illo in conventu peroratus est, verum etiam in apostolicam sedem dignum sibi successorem fore testificatus est. Non autem idem vir otiose hic vixisse credendum est, qui tales, ac tantos nobis Scripturarum exposuerit libros; de quibus summam illorum scilicet, qui in nostris manibus venere, pandere curamus. Super Genesim, super Exodum, super Leviticum, super Numeros, super Deuteronomium, super Psalterium, super Isaiam, super Cantica canticorum, super Judicum, super Apocalypsim. De totius anni festivitatibus, atque diebus Dominicis composuit sermones sexaginta novem, homilias centum quadraginta quinque.

Hoc præterea tempore Adenulfus, Lando, et Atenulfus Aquinenses comites diabolica inebriati vesania castrum Terame rusticorum proditione ingredientes, et ejusdem castri habitatores in suam fidelitatem jurare facientes, oppida monasterio pertinentia deprædare cœperunt. Hoc ubi prædicto abbati nuntiatum est, ad eosdem comites dirigens, ut castrum monasterio redderent, et a tantis iniquitatibus et direptionibus cessarent, monere studuit. Illi ne audire quidem admonentem passi, deteriora in dies se facturos minabantur. Tunc abbas, habito cum fratribus consilio, eosdem sacrilegos a liminibus Ecclesiæ separavit; ac e vestigio Robertum principem evocans ad eumdem castrum recuperandum invitavit; qui copioso valde congregato exercitu, super idem castrum adveniens, illud oppugnare modis omnibus cœpit. Cumque hostiliter ibi per dies quindecim resedisset, iidem comites miserunt ad eumdem abbatem, quod si illos cum armis suis inde exire permitteret, ipsum castrum absque omni controversia redderent. Quod cum idem abbas annuisset, supradictum castrum in monasterii hujus potestate rediit, die Iduum Augustarum anno Dominii 1108. Pro quo videlicet castro abbas Capuano principi libras 200 contradidit. Mense autem Octobrio advenit huc idem apostolicus, adjunctoque abbate nostro, Beneventum synodi celebrandæ causa perrexit; in qua prædecessorum vestigia secutus constituit, ut si quis ecclesiastica beneficia de manu laicorum acceperit, et dans, et accipiens communione priventur. Vestimenta vero sæcularia, et pretiosa reprehendit, et clericis talia uti interdixit. Cum autem Capuam devenisset, rogatus ab eodem abbate Ecclesiam Sancti Benedicti, quam Desiderius abbas intra eamdem civitatem renovaverat, solemniter dedicavit; in qua etiam de vestimentis sanctissimi Patris Benedicti recondidit; sicque ad hoc monasterium veniens, Romam reversus est.

Iis porro diebus Rogerius dux per præceptum B. Benedicto concessit, ut monasterii pecora nullum vectigal darent vel sibi, vel successoribus suis, sicut consueverant, in omnibus finibus Garpani montis; et ut ab Ecclesia, quæ Passari dicitur, usque ad Salpitanum pontem, et usque in mare, licentiam hospitandi ipsas oves haberent, apposita pœna decem librarum auri. Tunc temporis Laydulfus Pandulfi comitis filius de Præsenzano, in præsentia ejusdem abbatis manifestavit, se de universa parte sua de castello Mortulæ, et Casa Fortini, et Cucuruzzo, et Rocca de Bantra, pœna apposita centum librarum, si hoc removere quæsisset. Sed et Joannes Trivertinæ sedis episcopus, una cum Roberto filio Tristani, Limessani Castri domino, obtulit huic loco Ecclesiam S. Illuminatæ intra fines ejusdem Castri, cum omnibus ecclesiis et pertinentiis suis. Anno Dominicæ Incarnationis 1110. Indict. 3, mense Junio sexta ipsius mensis die cometes apparuit. Deinde III Idus Februarii imperator Henricus pervenit ad urbem. Igitur pontifex misit in occursum ejus. Cum vero in superiores gradus ecclesiæ Sancti Petri evasisset, illic dominus papa cum episcopis et cardinalibus interfuit. Post basilicæ ingressum uterque consedit. Pontifex instaurari ecclesiasticum jus petiit. Ille cum episcopis et principibus secessit. Interea pontifex, et qui cum eo erant custodiebantur. Vix tandem ad altare B. Petri pro agendis missarum solemniis ascendere licuit. Expleta missa, de sede compulsus descendere pontifex, deorsum ante B. Petri confessionem cum fratribus sedit, ibique ad noctem usque custoditus a militibus, ad hospitium tandem extra ecclesiæ atrium ductus est cum fratribus. Capta est cum illo clericorum, laicorumque copiosa multitudo. Pueri item, ac diversæ ætatis homines, qui obviam ei cum floribus, et palmis exierant, alios obtruncari, alios exspoliari, partim cædi, partim vinciri jussit. Joannes interea Tuscu-

Digitized by Google

lanus, et Leo Ostiensis episcopus, ubi papam captum perspexerunt, sub plebeio habitu in Urbem se receperunt.

Romani igitur cum audissent papam esse captivum, tantus eorum animos tumultus, et dolor, indignatioque pervasit, ut protinus Alemannos omnes, qui vel orationis causa, vel alterius cujuscunque negotii urbem ingressi fuerant, necarent. Postera die egressi urbe, conserta pugna, plurimos de imperatoris exercitu obtruncant, et eorum captis spoliis, adversus Teutones acriorem ineunt pugnam; adeo ut eos porticu pene propellerent, ipsumque imperatorem equo dejicerent, et in faciem vulnerarent. Alemanni cum se premi a Romanis cernerent, sese in castra receperunt. Romani vehementer animati, omnes adversus imperatorem se sacramento constrinxerunt. Hæc ubi imperatori nuntiata sunt, eadem nocte, eumdem apostolicum secum abducens, tanto metu cum omni exercitu profugit ex porticu, ut non modo sarcinas, verum et socios plurimos in hospitio relinquerent. Post duos dies pontificem sacris vestibus exui jussit; quod cum factum esset, vinctum eum pertraxere, Soractem usque pergentes. Pontifex autem cum duobus episcopis, Sabinense, et Portuense, et cardinalibus quatuor, apud castrum Trebicum, cæteri vero cardinales apud Corcodisum in custodia tenebantur.

Itaque cum et Romanorum agros imperator popularetur in dies, ipsorum animos pecunia, dolisque tentaret, tantam Deus populo constantiam tribuit, ut nihil cum eis pacisci, nec papæ quidem, cardinaliumque promissa liberatione potuerit. Cernens itaque sibi secus quam putaverat contigisse, cœpit jurejurando firmare, nisi pontifex illi morem gereret, et ipsum, et omnes, quos habebat in vinculis partim occisurum, partim amputatis membris quibusque debilitaturum. Sed cum ad id constantiam pontificis flectere nequiret in hoc tandem plena deliberatione convenit, ut omnes quos ceperat liberos faceret; dum tamen sibi in posterum apud pontificem prospicere posset. Cæterum pontifex vitam ponere, quam jura Ecclesiæ violare malebat, quamvis ille non Ecclesiæ jura, non officia quælibet, sed regalia sola se dare assereret. Proponebatur schismatis grave periculum, quod omni pene Latinorum imminebat Ecclesiæ. Victus tamen lacrymis, suspiriisque filiorum, totus in lacrymas solvitur. Et cogor, inquit, pro Ecclesiæ pace, et liberatione id perpeti, quod ne paterer, vitam quoque cum sanguine perfundere paratus eram. Igitur ex verbo pontificis juratum est hoc videlicet modo. Quod ulterius non inquietaret imperatorem, ejusque imperium de præsumpto, de temerato Ecclesiæ jure, eidemque imperatori privilegium sub anathemate confirmaret, ut episcopos, et abbates libere electos absque Simonia idem imperator annulo, et virga investiat; episcopusque sic investitus libere consecrationem ab archiepiscopo, ad quem pertinuerit, sumat. Si quis vero a populo, et clero eligatur, et non ab imperatore investiatur, a nemine consecretur. Et cum hæc sacramento firmasset, imperator demum quod eumdem pontificem cum episcopis, et cardinalibus, et omnes, qui cum eo, vel pro eo capti essent, obsidesque securos perduceret intra portas transtyberinæ civitatis, nec ulterius aut caperet, aut capi permitteret, juravit. Die igitur altera coronatus est imperator. Post coronationem, finitis missarum solemniis, imperator in castra regreditur; pontifex autem Urbem regressus est. Hinc jam in Romana Ecclesia scandala dissensionum et schismatum oriri cœperunt.

His quoque diebus dum abbas noster Bruno Ecclesiam S. Thomæ apostoli extra castrum Vallis Frigidæ solemniter dedicaret, mulier quædam a spiritu immundo vexata, ad eum deducta est; cujus calamitati compatiens, oratione præmissa, aquam unde manus lavaverat, patienti feminæ in potum dedit; moxque ab ea malignum spiritum excussit.

Præfatus autem abbas adjunctis sibi Guala Regino episcopo, et Roberto Pasiensi, aliisque cardinalibus, memorato pontifici omnino imminebat, ut privilegium, quod imperatori fecerat, rumperet, eumque anathematis vinculo innodaret. Illi autem, qui cum illo in vinculis fuerant, dicebant: quod ante diximus, dicimus; quod prædicavimus, consona voce prædicamus, damnamusque quod ante damnavimus. Alii autem non modo non damnabant quæ contra Ecclesiam catholicam fuerant gesta, verum impudenter satis tueri nitebantur. Igitur dum ejusmodi dissentionibus apostolica quateretur Ecclesia, relatum est pontifici memoratum virum illius dissidii, et scandali ducem signiferum fuisse. Quod ubi abbas audivit, temporis opportunitate captata, dixit ei: « Inimici mei dicunt tibi, quia non te diligo, et mala de te obloquor; sed mentiuntur. Ego enim sic te diligo, ut patrem, et dominum meum; neminemque alium, te vivente, volo habere pontificem; sicut cum multis aliis tibi promisi. Audio tamen Salvatorem meum dicentem mihi: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus* (*Matth.* x); unde et Apostolus: *Si quis*, inquit, *non diligit Dominum Jesum Christum, anathema sit* (*I Cor.* xvi). Debeo igitur diligere te, sed plus debeo illum diligere, qui te fecit, et me. Huic autem tanto amori nihil unquam præferendum est. Fœdus autem illud adeo fœdum, tam violentum, tam cum proditione factum, tam omni pietati, religionique contrarium, ego non laudo. Quis enim illud laudet, quo violatur fides, ecclesiæ libertas amittitur, sacerdotium tollitur, unicum et singulare ostium Ecclesiæ clauditur, multa ostia aperiuntur, per quæ qui intrat fur est, et latro? Habemus canones, habemus SS. Patrum constitutiones ab apostolorum temporibus ad te usque perductas. Via regia incedendum est, neque ab ea in aliquam partem declinandum. Apostoli illos omnes damnant, et a fidelium communione sejungunt, qui per sæcularem potestatem Ecclesiam obtinerent. Laici enim quantumlibet religiosi sint, nullam tamen disponendæ Ecclesiæ facultatem sunt

Digitized by Google

consecuti. Hæc enim apostolorum constitutio sancta est; cui qui contradicit, catholicus non est. Omnis autem qui hæresim tuetur, hæreticus est. Nemo hanc non esse hæresim dicere potest, quam sancta, et apostolica Ecclesia in multis conciliis hæresim nominat, et cum suis auctoribus damnat. »

Talis allocutio inter pontificem et abbatem invidiæ et odii fomitem ministravit. Inter cætera vero, quæ tunc pontifex in abbatem locutus est, ait : Nisi illum a monasterii administratione removero, ipse suis argumentis Ecclesiæ mihi regimen tollet. Quapropter eidem abbati direxit epistolam, qua vetuit ne ultra episcopus esset, atque abbas. Neque enim ultra ferre apostolicam sedem episcopum aliquem monasterio præesse tam celebri. Fratribus etiam per Leonem Ostiensem episcopum, et hujus cœnobii monachum litteras misit, mandans, ne ipsi viro ulterius obedirent, sed secundum Deum regulariter sibi abbatem eligerent; sin autem secus agerent, in omnibus monasterii cellis abbates ipse statueret. Hoc ubi abbas audivit, convocatis fratribus ostendere cœpit quænam inter ipsum et summum pontificem pro causis ecclesiasticis esset orta dissentio; simulque admonuit, ut si abbatem, quem ipse eligeret, vellent, et illos et hunc locum pro viribus protegeret atque defenderet. Erat tunc in monasterio frater Peregrinus nomine, natione Ligur, sæculari astutia callidus, cui regiminis onus imponere decernebat. Quod cum fratres didicissent, dixerunt abbati, quandiu ipse vellet ei abbatis jure præesse, omnes illi ut domino, ac Patri obedirent; sin autem ea cura desisteret, electionem quæ illis ex regulæ præcepto debebatur, nulli omnino permitterent, sed ipsi antiquo more abbatem sibi constituerent. Hoc Peregrinus ille audiens, et id violenter implere posse se putans, armatos milites ad custodiendum monasterium in suum auxilium evocat. Postera vero die, fratribus Ecclesiam ad missam celebrandam cum pace introeuntibus, subito armata telis occurrit multitudo furentium, et qui essent, qui voluntatem abbatis nollent implere, quærentium. Fratres autem hæc nimis ægre, et indigne ferentes, unanimiter in illos ruunt, monasterioque deturbant. Quod ubi abbati nuntiatum est, ad monasterium continuo ascendit, vocatisque ad se fratribus : Nolo, inquit, ut propter me inter vos, et Romanum pontificem scandalum oriatur, virgamque pastoralem super altare ponens : Accipite, inquit, quam mihi tradidistis; absolutioneque fratribus facta, ad episcopatum suum rediit. Ubi in sancta conversatione usque ad Oderisii secundi abbatis tempora vivens feliciter migravit ad Dominum pridie Kalend. Septembris. Sepultus est in civitate Signina, in Ecclesia S. Dei Genitricis et V. Mariæ. Ad cujus memoriam etiam hodie Dominus miracula patrare dignatur ipsius intercedentibus meritis.

Girardus abbas XLI istius monasterii, nobilissima Marsosum stirpe progenitus, post Othonis transitum, Bruno quo supra retulimus ordine abbas effectus fuisset, ac Rom. pontificis jussu monasterii relicta cura, ad episcopatum suum remeasset, a fratribus uno consensu abbas eligitur.

IN COMMENTARIUM VITÆ
S. BRUNONIS ASTENSIS SIGNIENSIUM EPISCOPI
PROŒMIUM.

Infaustæ virorum conditioni plerumque ascribitur, si illis temporibus ortum habuerint, vitamque duxerint, quæ obscura, inculta, infimique ævi appellantur. Fateor equidem prærogativam quamdam excellentiæ, et honoris ætati illi accedere, in qua humaniores litteræ, et facultates maxime claruerunt, præstantioraque scripta doctorum hominum prodierunt; quare felices, beatique censentur, qui fortunatis illis diebus floruerunt. Ab hoc eminenti subsellio hi dejici solent, qui ex temporum vicissitudine, scientiis ad occasum vergentibus, nati sunt; quique, neglectis pene bonis studiis, præclara exemplaria ante oculos sibi proponere non habuere. Verum quia virtus et sapientia tanto gloriosior exsurgit, quanto difficilior est progressus ad ipsam; cum majori conatu, proprioque ingenio adquiratur, iis equidem consentire nequeo, qui de meritis hominum a nota ætatis rationem desumere præsumunt. Hoc præjudicium, seu indignam de S. Brunone Astensi Signiensium episcopo a nonnullis usurpatam opinionem propulsare aggredior, eumque inter illustriores episcopos, celebriores inter doctores, interque optime meritos de Ecclesia catholica Patres collocandum esse contendo. Et quidem quod ad sapientiam spectat, non illam solum commendari velim, quæ humana est, et qua philosophi plures ethnici excelluerunt, sed illam *quæ desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* II, 17), quamque, ut monet sapientissimus Salomon, *Eccli.* I, 11 : *Effundit Deus in homines, secundum datum suum, et præbet illam diligentibus se.* Revera si S. Brunonis in divinos libros commentationes

Digitized by Google

æqua mente perpendantur, si theologici tractatus ad examen revocentur, si mysteriorum, sacrorumque rituum expositio, si homiliarum sermonumque seges copiosa suspiciatur, S. episcopus Signiensis clarioribus divinæ doctrinæ magistris accensendus erit. Quid mirum ergo, si hæc lucerna tam lucens, non sub modio latuerit, sed super candelabrum posita in domum Dei universam splendorem suum effuderit (*Matth.* v, 15), si hæreticos, hæresesque confutarit, si præcipuis ecclesiæ dignitatibus atque muneribus perfunctus fuerit, si exterarum nationum amorem et existimationem ubique sibi conciliaverit, si celebriores scriptores de sanctitate et doctrina ejus præclara testimonia reliquerint, si *summi* pontifices plurimi eum fecerint ? Cum hos supremos Ecclesiæ pastores memorem, velim præsentes habeantur S. Gregorius VII, Victor III, Urbanus II, Paschalis II, doctrina, prudentia, magnanimitate celeberrimi, qui Petri navem, magnis agitatam fluctibus, salvam, incolumemque servarunt. Is ille fuit, qui saluti Ecclesiæ Simoniaca peste laboranti occurrit, qui humanas potestates in transversum abeuntes non formidavit, qui pro sacris juribus invictus decertavit, qui tanquam validissimus murus pro sanctuarii incolumitate sese objecit. Hæc, quæ breviter complexi sumus, et quæ in ejus Vita fusius pertractabimus, si quis animo reputabit, S. Brunonem non mediocri nomine dignum, sed summis sanctioribusque viris coæquandum judicabit. Plurimum etiam decoris ei præstat ipsa episcopalis sedes in Signina civitate, cui tot annis præfuit ; siquidem insigne fuit Romanæ reipublicæ municipium, populosum, validissimeque munitum, ut C. Marius ad hibernandum cum suo exercitu Syllam oppugnaturus delegerit, ejusque castra in eo tutissimo loco collocarit. Sed inter primas Campaniæ urbes Signia recensetur, quæ, abdicatis falsis numinibus, Christianæ religioni nomen dedit, et episcopali dignitate decorata fuit. Profecto temporibus S. Symmachi, qui plura concilia Romæ celebravit, Signini episcopi Sanctulus, et Justus synodalibus decretis subscripti reperiuntur, illamque sedem plures antistites sanctitate et doctrina conspicui illustrarunt. Signiensis civitatis celebritatem auget S. Vitalianus Rom. pontifex, cui ipsa natale dedit, quique Romanam Ecclesiam ab 1155 ad 1169 sanctissime gubernavit, atque Anglorum coapostolus nuncupatur, quod eam in insulam, missis ministris evangelicis, primum catholicæ fidei lumen invexerit. Hæc sub ejus marmoreo simulacro in majori templo Signiæ ad perpetuam tanti pontificis suique civis memoriam inscripta S. P. Q. S. collocavit. Alter commendandæ Signiæ civitatis titulus desumi potest ex eo quod persæpe Romani pontifices, ab Urbe discedere coacti, rebellatis, aut parum tutis aliis suæ ditionis civitatibus, illam sibi domicilium elegerint, et non tam a loci opportunitate, cum in culmine excelsi montis sedeat civitas, sed ab incolarum fidelitate se satis defensos putarint. Tandem ad majus gloriæ Signiensium incrementum accedit, quod Alexander III S. Thomæ archiepiscopi Cantuariensis, et Lucius III S. Brunonis apotheosim, accitis ex tota Campania episcopis, atque præsentibus pluribus S. R. E. cardinalibus, in majori templo ejusdem urbis solemniter celebrarunt.

DE VITA S. BRUNONIS COMMENTARIUS.

CAPUT PRIMUM.

De patria et natali S. Brunonis.

Qui veterum temporum historias accuratiori ordine et veritatis investigatione producere cupiunt, dubii statim hærent in limine operis, si primos earum scriptores inter se discrepantes inveniant. Id sane mihi contingit acta S. Brunonis episcopi Signiensis scribenti, cum Petrus Diaconus monachus, Chronici Casinensis a Leone Ostiensi cœpti continuator, plurimum dissentiat ab auctore anonymo, ut ferunt, Signiæ canonico, non tam in designanda patria et parentibus Brunonis, quam in multis quæ gesta ejus complectuntur. Chronologus enim Casinensis scripsit Brunonem in Liguriæ provincia ortum ex illustri Astensium civium prosapia. Anonymus vero Brunoni Solerium agri Alexandrini oppidum natalem dedisse tradidit, parentesque ejus Andream et Willam nullo nobilitatis genere excelluisse. Sed scriptoris Casinensis partes multis propugnat rationum momentis Philippus Malabayles abbas Cisterciensis sua in disquisitione de Vita S. Brunonis, quam Maurus, Marchesius monachus cum præfatis scriptoribus edidit. Is igitur Brunonem Astæ natum, et ex gente, cognomento Astensi, sanguine, et dominatu Castri Solerii maxime illustri progenitum contendit. In eamdem venisse sententiam videntur Ferdinandus Ughellius, Arnoldus Wion, Matthæus Lauretus, Mabillonius, Ferrarius, Lucentius, pluresque alii, qui Brunonis gesta exornarunt. Parum tamen ad ejus nominis gloriam refert, si Astenses aut Solerienses civem illum sibi vindicent, cum non patria, nec generis clara propago, sed virtutes et facta eximia atque illustria virum commendabilem reddant. Silentio tamen præterire non arbitror Soleriensem gentem, apud Allobrogos clarissimam, S. Brunonem suum facere, ejusque nomen, tanquam in familia hæreditarium, jam longa per tempora assumere consuevisse (36). Quo vero anno in lucem prodierit Bruno, quamvis apud biographos nulla fiat

(36) Brunonem origine Astensem, et ex gente Solari aut Soleria ortum a pluribus scriptoribus affirmatur ; qui sunt, Ecclesia in catalogo scriptor. Pedemont. p. 42, Ughellius Ital. Sac. colum. 1256,

Digitized by Google

mentio, conjicitur tamen ex eo quo episcopus Signiensis ordinatus est. Id contigit post concilium Romanum, ut infra docebimus. Hæc autem synodus coacta fuit a S. Gregorio VII, anno 1079, nemine discrepante, cumque in ea Bruno Berengarium hæreticum confutaverit aliaque doctrinæ singularis prudentiæ ac sanctimoniæ testimonia præbuerit, tunc septimum circiter lustrum eum agere argui potest, eaque florere ætate qua episcopali munere optime fungeretur. His itaque positis, perspicuum erit anno 44 post millesimum natalem Brunonis consignandum esse (37).

CAPUT II.

De institutione Brunonis, ejusque studiis.

Mos jam ab ipso S. Benedicti ævo invaluerat, apud nobiles viros, quemadmodum SS. Placidus et Maurus fidem faciunt, quod liberos suos sub ejus disciplina collocarent, ut sanctiora pietatis Christianæ rudimenta perciperent bonisque litteris imbuerentur. Cum ergo S. patriarchæ alumni in monasterio S. Perpetui prope Astam tunc temporis maxime florerent, Andreas et Willa Brunonis parentes eum infantem adhuc, in quo eximia optimæ indolis primordia inspexerant, eximiis illis religiosis viris instituendum tradiderunt. Nescio utrum plus ingenii ad scientiarum facultates comparandas, an majus acquirendæ sapientiæ cœlestis studium in adolescentulo Brunone ejus educationi præpositi admirarentur, siquidem quidquid mentem et animum perficere atque exornare poterat, avidissime consectabatur. Absoluto apud Benedictinos humaniorum litterarum curriculo, Bruno a parentibus magna de eo sperantibus ad Bononiense Lycæum tota in Italia celeberrimum mittitur, altiores scientias comparaturus. Supervacaneum hic meminisse reor admirabilem candorem quo suos inter æquales Bruno statim enituit, ejusdemque in frequentandis præceptoribus suis diligentiam et sedulitatem. Hanc enim summam animi contentionem cum singulari ingenii felicitate conjunxisse Brunonem ostendunt, non tam honores omnes et gradus, quos Lyœei præsides ei contulerunt, quam præclara studiorum suorum specimina, quæ in lucem protulit quæque nos iterum colligere ac edere aggressi sumus. In his profundam divinarum Scripturarum intelligentiam, Hebraicæ et Græcæ linguæ cognitionem plurimam universæque eruditionis thesaurum sibi comparatum esse, omnes qui de ejus scriptis egerunt amplissime probaverunt. Postquam Brunonem parentes Astam revocarunt, ipse auctor fuit brevis commentarii in psalmos, ut Ingoni episcopo suo morem gereret, quemadmodum idem ipse in præfatione ad Apocalypsim testimonium præbet. Quamvis de Brunonis scriptis in prolegomenis actum sit, hæc commemorasse licuit, ut certo constet, expletis Bononiæ studiis suis, illustrioribus excultum facultatibus in patriam revertisse. Hoc de redditu scriptores aliqui dubitarunt, ut Corradius, eumque Bononia Romam continuo processisse docuerunt, sed eorum opinio prorsus est rejicienda.

CAPUT III.

De primis dignitatibus Brunonis.

Altera inter biographos non levis discrepantia occurrit, cum aliqui canonicum Astensem asserant, alii Senensem, alii etiam in utraque urbe illam dignitatem sustinuisse velint. Qui pro canonicatu Astensi contendunt, Petri diaconi auctoritatem afferunt, et vetustissimam Brunonis iconem apud canonicos cathedralis illius asservatam dicunt, quæ eum juvenem canonici vestimentis indutum repræsentat: itemque memorant similem statuam in sacello ipsi dicato, super omnium memoriam erectam. Aiunt etiam Bruni vel Brunonis nomen in aliquibus pervetustis tabulis descriptum haberi, quæ in canonicorum archivo asservantur. Addunt præterea ab ratione minime alienum esse Ingonem, episcopum sanctitate et doctrina præclarum (38), inter canonicos Ecclesiæ suæ Brunonem cooptatum voluisse, ut tanquam sidus in ea coruscaret, eximiæque sapientiæ lumina suum in populum effunderet. Jam, ut dictum est supra, primam psalmorum egerat interpretationem, qua quantum in sacris studiis versatus esset, eidem antistiti suo probaverat. Alii autem Brunonem canonicum Senis fuisse propugnant (39), cum ipse eadem in præfatione ad Apocalypsim de se dicat: « Senensibus canonicis, cum quibus et ipse qualiscunque canonicus victitabam, Cantica canticorum, pro ut potui, exposui. » Non ignorant hujusce opinionis assertores, locum hunc aliquos interpretatos, pro victu, quem Brunoni, dum Senis versaretur, canonici illi suppeditarint, non quod revera canonicatum inter ipsos obtinuerit. At hujusmodi interpretationem, ut indecoram nimis tanto viro, rejiciunt plures, nec

tom. I, Rosoli syllab. scriptor. Pedemont. pag. 127, Leiserus in Hist. poetic. et poem. medii ævi, et alii. Ex opposito alii tradidere S. Brunonem ex familia Astensi Solerii natalem habuisse, quos, ut superiores recenset claris. comes Joan. M. Mazzuchellius Brixien. tom. II, part. IV, p. 2227. Sunt autem Possevinus tom. I, Append. fac., Einsingerius, Gabriel Busselin. in Histor. univers., Porta in Alexandria illustrata, p. 220, Sopranius autem, et Oldoinius Brunonem inter scriptores Ligures numerant. Utraque opinio suos habet propugnatores. Astensem Brunonem dixere scriptores, vel ex Asta natalis ejus loco, vel quia Solerium ubi plures eum natum volunt eo tempore in diœcesi Astensi reperiebatur.

(37) Corradus Corradius O. P. qui an. 1694 breve gestorum S. Brunonis compendium Italice scriptum in 8 edidit, ortum ejus collocat anno post millesimum 48. A nostra tamen sententia non recedimus; quod conformior sit calculo annorum vitæ Brunonis.

(38) Hic ab anno 1072 ad annum 1079, Astensem gubernavit Ecclesiam.

(39) « Marcus Antonius Scipio in abbatum Casinensium elogiis rotunde pronuntiat (ut ait Malabayles) Brunonem emenso studiorum curriculo, jam natu grandiorem in Etruriam descendentem, Senis in templo maximo, magna sodalium approbatione, Canonicum aliquandiu egisse. » Corrigendus est Crillerius, qui Brunonem nostrum Signiensem, non Senensem canonicum dicit.

Digitized by Google

alium sensum verba illa referre volunt, quam ibi Brunonem ad canonicatum assumptum, conversationem suam canonicis illis omnino conformem reddidisse. Astæ enim ut Vercellis, canonici tunc velut monachi intra claustra regulariter vivebant Ecclesiæque majori plene addicti inserviebant. Senis autem aliis institutis canonici regi poterant, ac proinde verisimile est non diversam ab eis vitæ rationem Brunonem suscepisse (40). De Astensi canonicatu Brunoni tradito chronologus Casinensis lucrentum testimonium præbet, quod sequitur Ughellius; econtra vero Bollandiani, pro singularibus virtutis et doctrinæ meritis, canonicos Senenses Brunonem collegam suum fecisse judicant. Utramque sententiam ita conciliant alii, scilicet quod Bruno reversus *in patriam*, aliquot annis ibi canonicus fuerit; postea vero fieri potuit ut desiderio vel voto petendi Casinum, Astam relinqueret atque Romam versus proficisceretur. Verum cum Senas venisset, non ut incognitus ultra ei progredi libuit, siquidem Rodulphus Coloniensis illius urbis episcopus, sanctitate, et doctrina commendatissimus et canonici, ex quibus aliqui sodalem forsan et amicum Bononiæ habuerant, vel a fama jam celebratum noscerent, collato illi canonicatu, apud se retinere conati sunt; quorum deinde rogatu Bruno Cantica canticorum explanavit. Rem aliter refert Corradius. Inquit enim Brunonem, celebritate insignis pietatis et sapientiæ episcopi Senarum commotum eum adiisse. Cum autem ab eo de nonnullis theologicis quæstionibus interrogaretur coram aliquibus ex præcipuis ecclesiasticis viris, non tam elegantiam et doctrinæ copiam quam singularem ipsius modestiam et comitatem, admirati, eum licet reluctantem qui aliud perfectionis vitæ genus sibi proposuerat, inter majoris Ecclesiæ canonicos cooptare voluerunt. Addit etiam ab episcopo Senensi Brunonem sacerdotem ordinatum fuisse, et sex annis canonici dignitatem Senis sustinuisse atque insignia pietatis ac integerrimæ vitæ specimina dedisse. Neque repugnat ætati, qua asseritur Romam se contulisse Brunonem, si aliquos annos in canonicatu Astensi, alios in Senensi transegisse statuamus, cum major tunc triginta annis, ab episcopali ordinatione, ut superius dictum est, probetur. Opponunt aliqui nullum Senis Brunonem ibi canonicum fuisse exstare documentum, sed nemo ignorat quæ quantaque ubique vetustas temporum ac bellorum vicissitudines rapuerint atque destruxerint; cumque adsit ipsius Brunonis testimonium, satis est pro omnibus ejusdem auctoritas. Neque omittenda mihi est canonicorum Senensium erga S. Brunonem a majoribus suis in eos derivata pietas, anniversariaque apud ipsos ejus diei festi, juxta ecclesiasticum ritum, celebritas, quam non nisi ex probatis actis, S. Brunonem in metropolitana ecclesia canonicum fuisse, Romanos pontifices indulsisse supponi potest. His addo spectatissimum atque doctissimum D. Tiberium Burghesium archiepiscopum Senensem, quem diu sospitem Deus illa in sede conservet, nonnullosque etiam ejus Ecclesiæ canonicos S. Brunoni devotos hanc recentem operum ejus editionem, vix eis innotuit, sibi comparare voluisse.

CAPUT IV.

De itinere Brunonis ad urbem.

Qui patriam et parentes, quos maxime diligimus, reliquerat, ut Casinum peteret, ibique totus spirituali vitæ vacaret, a Senensibus retineri non potuit, quin in proposito abdicationis sæculi maneret. Valedixit itaque Bruno episcopo Senensi et canonicis collegis suis ægre ejus discessum ferentibus, et Romam venit SS. apostolorum limina et celebriorum martyrum monumenta pie ac obsequenter salutaturus (41). At neque hic celari potuit Bruno; sed innotuit S. Petro Igneo episcopo Albanensi, et cardinali (42), qui eum apud se hospitari voluit, eique officia omnia præstare non destitit, spectabilis viri præsentia et colloquio devictus. Cum autem Petrus familiariter ageret cum Brunone, et sapientiæ amplitudinem moresque sanctissimos in eo magis magisque admiraretur, Gregorio VII, summo pontifici illum commendans, valde utilem Ecclesiæ illis præsertim diebus prædicavit, quibus magni sane fluctus Ecclesiam conflictabant.

Desiderio incensus pontifex visendi Brunonem, ad se accersivit, pluraque collocutus cum eo de statu Ecclesiæ ac præcipue de hæresi Berengarii, qui jamdiu catholicum dogma de sacramento altaris penitus evertebat, adeo sapienter et apposite ad refutandum errorem coram pontifice disseruit ut ejus exspectationem singularem longe superaret. Paucis hic recolamus existimationem quam Bruno apud Petrum Igneum, et Gregorium papam tanta doctrina et sanctitate spectabiles sibi conciliavit (43), ut quamvis Romæ centum quinquaginta episcopi ad concilium convocati adessent, ipse electus fuit, Hist. eccl., l. LXIX, an. 1079, ut eadem in synodo cum Berengario disceptaret. A Fleurio docemur Albericum monachum Casinensem Brunoni adjunctum fuisse; at nec Binius, nec Ughellius, neque Spondanus de eo mentionem habent.

CAPUT V.

De disputatione cum Berengario in concilio Romano.

Mense Februario anni 1079, Gregorius VII Romæ

(40) Canonici Astenses regulam S. Benedicti profitebantur contra Pennoti opinionem, qui eos secundum S. Augustini institutum regi scripsit. Ita Gattula p. I, p. 372, Histor. Casin.

(41) « Refert Corradius Brunonem ab episcopo Senensi ad gravia quædam pertractanda negotia Romam missum. »

(42) Celeberrimus est in Ecclesiæ fastis S. Petrus ex nobilissima Aldobrandescorum gente Florentiæ natus, S. Joan. Gualberti ab infantia discipulus, ejusque congregationis insigne ornamentum, quod per incensum rogum bis illæsus transierit ad ostendendam Simoniacorum nequitiam.

(43) Ex Vita S. Leonis papæ IX a Brunone scripta constat quanta fuerit familiaritas ejus, et consuetudo cum Gregorio VII pontifice.

Digitized by Google

concilium habuit in ecclesia S. Salvatoris, cui episcopi interfuere, ex quibus clariores, Henricus patriarcha Aquileiensis, Petrus Igneus Albanensis, Anselmus Lucensis, Landulphus Pisanus, Raynerius Florentinus. Hujus conventus causa præcipua fuit relapsus Berengarii in eamdem hæresim (44), negantis realem Christi præsentiam in Eucharistiæ sacramento, propter quam tribus in conciliis jam damnatus fuerat, et modo novis sophismatibus et argumentationibus tueri nitebatur. Berengarium Turonensem Ecclesiæ Andegavensis archidiaconum acuminis ingenii insignem et in Peripateticorum schola exercitatissimum scriptores illius ævi fatentur. Hoc cum adversario viri cæteroquin docti, et in divinis litteris ac in theologicis disciplinis versati congredi renuebant, quia in disputationibus non exercitati, dolis et sophismatibus cavillosi hominis, se exponere nolebant (45). Tanti certaminis difficultas Brunonem non expavit, alacriter in arenam descendit, astantibus, non tam pontifice et episcopis, quam clero Romano universo. Longa fuit Brunonem inter et Berengarium concertatio, in qua, cum quidquid subtilius et argutius excogitaverat hæresiarcha refutasset, et feliciter contrivisset, victas ei manus dedit, publice in concilio hæresim suam damnavit, et orthodoxam fidem de sanctissima eucharistia profiteri pollicitus est. Hujusmodi victoria magnam Brunoni peperit gloriam nominisque celebritatem; atque ei pontifex et Patres festivis acclamationibus gratulati sunt, quas facilius est mente concipere quam referre. At Gregorius quanti Brunonem faceret, non solum verbis significavit, sed eo ex tempore sibi proposuit ad episcopatus dignitatem promovere (46).

CAPUT VI.

De Brunonis electione in episcopum Signiensem.

Ecclesia Signiensis in Campania, vita functo Erasmo pastore suo vacabat. Huic Gregorius pontificatus sui A. V. statuit Brunonem successorem dare, remque cum Petro Igneo cardinali et episcopo Albanensi contulit, ut quem maxime alienum ab honoribus, et Casinensis recessus vehementer cupidum perspexerat, ad onus subeundum adhortaretur. Vix Petrus Igneus Gregorii mentem Brunoni notam fecit, se tanto honore indignum professus est, precibusque et lacrymis eum exoravit, ut pontificem a sententia amoveret, sibique fas esset religiosæ vitæ quam voverat sub disciplina S. Benedicti se consecrare. Aiebat enim in mundanis curis et sollicitudinibus difficile admodum esse Deo servire, non autem segregatus a sæculo et in solitudine, ubi omnia ad Deum alliciunt plurimaque sunt ad pietatem incitamenta. Quæ a viris sanctis agantur, non nisi sancte probeque fieri censendum est. Jam pontifex Brunonem episcopum designaverat, sed illam quem valde diligebat præcepto compellere renuebat; quare convenit cum episcopo Albanensi, ut secum suum candidatum duceret, et pontificis mandatum ei significaret, quo jusserat ut electioni Signiensis episcopi præesset. Roma Petrus Igneus et Bruno proficiscuntur, Signiamque sub nocte perveniunt. Secreto episcopus Albanensis advocat canonicos et majores civitatis, eisque sermonem habet de eorum pastore eligendo, multis commendans virum quem mane concionantem audirent, et desiderium pontificis eis manifestavit. Vix dies illuxit, frequentissimus populus ad majus templum B. M. V., totusque cleri us advenit. Præmissis igitur consuetis precibus, Bruno suggestum ascendit, tantaque gratia et orationis copia de concordia et pace electionis egit, ut omnes in sui admirationem et gaudium arripuerit. Altera autem die fiunt comitia, in quibus Bruno unanimi consensu, et suffragio episcopus eligitur; sed hæc inopinata sui electio adeo animum ejus tristitia affecit ut nocte Signia fugere deliberaverit. Verum quia non hominum sed Dei voluntas erat ut Bruno Ecclesiam illam regendam susciperet, repugnantia ejus portentosis signis victa tandem fuit. De his chronologus Casinensis, et anonymus testimonium præbent. « Talia (ita Leo Ostiensis) dum ad ejus notitiam pervenissent, intempestæ noctis silentio, B. Mariæ ecclesiam egrediens, fugam arripuit. Itaque dum meditata implere satageret, in quodam trivio virgo quædam imperiali trabea adornata, cujus facies splendebat sicut sol, illi eminus astitit, quam unde, qualis, quæve esset, et quo tenderet, requisivisset, illa respondit. Sponsam, quam non bene fugis, me noveris esse. Quapropter, ut ad ecclesiam redeas, ex Dei omnipotentis parte tibi præcipio, et cave ne Dei ulterius velis resistere voluntati : et his dictis disparuit. Perculsus ad hæc Bruno, tanto virginis flamine, Deique in sua ordinatione voluntatem advertens,

(44) Ejuraverat enim errorem suum in concilio Vercellensi anno 1053, præsente S. Leone IX, denuo in synodo Turonensi an. 1054; iterumque in concilio I Lateran. sub Nicolao II, an. 1059.

(45) « Eodem tempore B. Gregorio VII, in Lateranensi palatio residente de sacramento corporis, et sanguinis D. N. J. C. a quodam magistro Berengario, qui de eodem sacramento minus fideliter sentiebat, gravis admodum agitabatur quæstio, nec inveniebatur aliquis, qui cum eodem magistro de tanti mysterii sacramento disputare præsumeret, quia magister ille in quæstionum conflictu nimis erat exercitatus, etc. Anonymus. » Severinus Binius in notis ad hoc concilium, hæc habet : « In hoc concilio S. Brunonem, qui paulo post Signiæ episcopus creatus est, adversus Berengarium disputasse, acta vitæ illius testantur. » Tom. X, col. 380, edit. Paris, 1671. Idem asserit Pagius ad an. 1079, n. 3, eumque laudat quod Berengarium confutaverit.

(46) In hoc concilio adversus Berengarium disputasse S. Brunum, sive Brunonem, doctrina et sanctitate hoc sæculo clarum, qui paulo post creatus est invitus, sed cogentibus eum divinitus ostensis visionibus, Signiæ episcopus; ejus Vitæ acta testantur. » Spondanus ad an. 1079. Gregorii VII, an. 7. Theophilus etiam Raynaudus *De bonis et malis libris*, p. I. Erot. 10, § 2, pag. 277, S. Brunonem Signiensem magnum appellat concertatorem in Berengarium sub Gregorio VII.

Digitized by Google

succubuit, et pontificiam cathedram lætantibus omnibus ascendit. » Anonymus vero addit Brunonem post electionem suam, una cum S. cardinali Albanensi, et legatis Signiensibus Romam venisse, quos ut Gregorius coram se habuit, valde lætatus est atque mandatum dedit, ut electus de more sacram ordinationem susciperet. Nova refert idem auctor portenta novasque visiones successivis noctibus Brunoni apparuisse, hanc esse Dei voluntatem confirmantes, ut Ecclesiam Signiensem sibi in sponsam conjungeret; quibus humillime paruit, et episcopus tandem ab ipso pontifice ordinatus est. Ita anonymus scriptor, quem sequitur Corradius. Hic duo sunt adnotanda; primum chronologum Casinensem nihil de Brunonis disputatione cum Berengario, quamvis *ab omnibus* scriptoribus celebrata, meminisse; alteram errasse in assignanda Urbano II, ejusdem Brunonis assumptione ad episcopatum, non S. Gregorio VII, ut certiora documenta testantur. Hæc, aliaque plura, quæ chronologus Casinensis omisit, anonymus autem aliique scriptores tradiderunt, satis ostendunt, illum non accuratam historiam de S. Brunone scripsisse.


CAPUT VII.

De Gestis Brunonis in episcopatu.

Ocius quam potuit, Bruno Roma discessit, et Signiam se contulit. Omitto lætitiæ significationes omnes, quibus ab universis civibus exceptus est, ut statim virtutum suarum imaginem gestorumque præstantiam oculis subjiciam. Jam a prima ætate monasticæ disciplinæ se penitus conformaverat eamque semper studiose retinuerat, hac ipsa ergo eximiæ sanctitatis exemplar videri poterat. Verum proprias etiam episcopi virtutes Bruno exhibere contendit, de quibus anonymus præclarum testimonium reddit. « Primum, inquit, juxta mandatum apostolicum (*1 Tim.* III, 2), irreprehensibilem se in omnibus exhibere cœpit, sobrium, castum, humilem, mansuetum, atque benignum. In incessu quoque, in statura, habitu, et in omnibus motibus suis, nullius unquam offendebat aspectum, sed omnes actus, sermonesque suos modesta semper gravitate moderabatur. Erat enim in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in jubendo discretus, in universa morum honestate præclarus. » Nocte ac die plurimum temporis orationi vacare in deliciis habuit, quotidie sanctum sacrificium piissime obtulit, SS. Patrum lectionibus mentem excolere, et nihil omittere solitus fuit, quod ad majus gratiæ cœlestis, et sapientiæ incrementum sibi conferret. Cum autem propriæ justitiæ studio mirificam adimplendi pastoralis muneris sollicitudinem copularet, clericos in primis suos ad optimos mores informabat, populum a vitiis avocare, et ad Christianas virtutes quotidianis concionibus incendere satagebat, et si quid jurgii, aut dissidii oriretur in urbe humanissime componebat. Si vero ad opera charitatis descendam, eum patrem pauperum amantissimum se gessisse dicam, quidquid enim habebat, eis liberaliter suppeditabat, vix necessaria sibi reservans. Hæc copiose, ab eodem anonymo scriptore traduntur, ex quibus pauca referam. « Circa vero opera, ait, charitatis atque eleemosynarum, ita erat attentus, ut nihil aliud cogitare videretur. Vestiebat nudos, esurientes alebat, peregrinos hospitio recipiebat, et omnibus pariter indigentibus subvenire curabat. » Pupilli enim, et viduæ patrocinium, mœrentes, infirmi, derelicti, orphani, calamitatibus oppressi apud Brunonem solatium et levamen inveniebant. Omnia omnibus factus erat qui omnes Christo, ut ait Apostolus, lucrari cupiebat (*1 Cor.* IX, 22). Verum quia in agro Domini semper spinæ, et cardui sunt, qui penitus evelli nequeunt, etiam Ecclesia Signiensis his nocentibus herbis infestabatur, nec omnes optimi cultoris labores ad meliorem frugem revocandas proficiebant. Hos inter flagitiosos homines de grege Brunonis quidam erat Adulphus, Viculi, ut aiunt, comes. Jam sæpe peramanter, patris instar, eum episcopus commonefecerat, ut mores suos pessimos corrigeret, ac omnipotentis Dei justitiam formidaret. Sed cum ex his esset, quibus cum bene feceris, pejores fiunt, paternam odio habens admonitionem; eum de medio tollere sceleste deliberavit. Accidit autem quod die quadam Bruno aliquibus eum clericis comitantibus Roma Signiam rediret, et Viculum pertransiens, Adulphus obviam ei se fecit, fictisque blandimentis invitavit, ut suis in ædibus pernoctaret. Gratias egit episcopus, neque a proposito suo removeri potuit, quare scelestus comes videns se illusum, satellitibus suis imperat ut Brunonem et clericos vinctos retineant et in carcerem trudant. Ad majorem angustiam et vexationem positi secum fuere custodes, homines nequam, qui, ut ipse narrat in Exposit. psalmi LIV, pag. 410, livore et rabie contra eum incensi erant, et oculis eorum semper expositus, nihil sine ipsis agere ei licebat. « Cum aliquando, inquit, captus fuissem, mihi quidam ad custodiam dati sunt, qui præ cæteris me odio habebant, et ipsi quidem semper erant mecum, juxta me sedebant, sine quibus nihil agere poteram. » Cum in squalore, omniumque rerum indigentia plures transegisset dies S. præsul, demum sitis ardore vehementer excruciatus, calicem aquæ sibi afferri petiit. Fertur aqua, a Brunone benedicitur, cumque eam gustare vellet, vinum reperit; quod portentum his, ac tertio renovatum, ubique prædicari cœpit; et ipse Adulphus stupore et timore correptus non solum episcopum suum et clericos in libertatem restituit, sed veniam humillime petiit, quam confestim impetravit. Antequam tamen discederet, comitem admonuit, ut de crimine suo pœnitentiam ageret, scelestamque vitam in Christianam commutaret. Hæc omnia summopere commendanda de Brunone chronologus Casinensis prætermisit, sed memoriæ tradidit historiographus Signiensis. Redux Bruno Signiam ad consueta sui pastoralis officii munera

Digitized by Google

per quam diligenter incumbebat, Deoque gratias agebat, quod in clero pietatem, et in populo bonos mores florere conspiceret. At semper versabat animo dilectam Casini solitudinem, et cœnobitis illis invidebat, qui omnibus terrenis curis soluti, toto animo, ad Deum aspirare poterant, ejus deliciis perfrui, et in cœlestium rerum contemplatione recreari. Sed antequam huic capiti finem imponamus, nonnulla adnotanda supersunt; primum quidem in propria Signiensi Ecclesia altare B. M. V. dicatum consecravit, repositis in eo multis sanctorum reliquiis. Item aliam consecrationem Capuæ habuit sacræ ædis sancti Angeli in Formis, ab Othone abbate Casinensi rogatus, qui in honorem S. Nicolai eam erexerat. Fatentur Bollandiani, ante-



triennium pridie Non. Septemb. S. Bruno adfuit assistens episcopus eidem Urbano II, in sacramento ecclesiæ Cavensis monasterii S. Benedicti, et ex mandato pontificis sacrum fecit sacellum privatum abbatis, ut habetur ex Muratorio, tom. VI, Italicor. scriptor. p. 238, et pag. 240.

CAPUT VIII.

De transitu Brunonis ad monachos Casinenses.

Valedixit Bruno Ecclesiæ suæ, et institutum S. Benedicti in Casinensi monasterio amplexus est. Sed quomodo, et quando, vitæ ejus scriptores non conveniunt. Petrus enim Diaconus, qui gesta S. antistitis in episcopatu prorsus omisit (48), verbo vix facto de ejus ordinatione, statim eum Signia profectum dicit cum paucis civibus, sui episcopi voluntatem omnino ignorantibus, et Casinum se contulisse. Quo anno ad monachos Casinenses Bruno transierit chronologus Casinensis non adnotavit, sed tantum memoriæ tradidit Brunonem vehementer flagitantem ab abbate Oderisio inter monachos cooptatum fuisse, apostolica sede penitus inconsulta. Rem aliter describit anonymus, et sub pontifice Paschali II id contigisse affirmat. Ait enim quod, cum Bruno graviter decumberet in Apulia, quo Paschalis secum duxerat, suum ei desiderium aperuit se instituto S. Benedicti devovendi in Casinensi solitudine, nec aliud sibi gratius futurum quam quod hujusmodi sibi daretur facultas, si convaluisset. Paschalis ergo pontifex, ne ex tristitia Brunonis infirmitas augeretur, votis ejus annuit, dummodo tamen proximus ei semper foret, et in omnibus negotiis, si oporteret, ei præsto esset. Paschalis Romanus pontifex creatus fuit anno 1099. Post sexennium scilicet an. 1105, mense Januario Bruno episcopus Signiensis subscriptus apparet in documento membranaceo, quod exstat in archivo Casinensi, ediditque Erasmus Gattula in Access. ad Histor. Casin. part. I, p. 222, in quo legitur quod Robertus Calatianorum comes per manus D. Brunonis episcopi Signiensis concessit Oderisio abbati Casinensi, partim dono et partim numerata pecunia, urbem Pontis Corvi, qui etiam præsens fuit pretii solutioni. Sub fine ergo anni 1105, vel initio sequentis anni 1106, assumptio monasticæ professionis Brunonis collocari debet; nam eodem anno in Gallias cum Boamundo Antiochiæ principe a Paschali missus fuit, ut infra dicemus. Cum autem ope divina, valetudinem Bruno recuperasset, et beneplacitum apostolicum obtinuisset, Casinum se contulit, atque, ut refert anonymus, « tam ab abbate Oderisio, qui tunc monasterio eidem præerat, quam ab universis ejusdem Ecclesiæ fratribus honorifice valde susceptus est; ibique secundum S. Benedicti Regulam facta professione, habitum religionis accepit. » Petro autem Diacono narranti querelas Signiensium, apud Paschalem pontificem, quod sine pastore relicti fuissent, quodque ille strenuos a suo

(47) Hujusmodi Urbani II constitutio edita reperitur in lib. III, pag. 204 et seq. Hist. urbis et eccl. Velitrensis a cl. Alexandro Borgia Firmano archiep., plurium aliorum operum auctore perillustri, et suprad. card. patruo.

(48) De Petro Diacono hæc habet Fleurius Histor. eccl. lib. LXVI, sub an. 1111. « Leo Marsicanus monachus Casinensis, postea Leo Ostiensis cardinalis, tribus libris Chronicon monasterii Casinensis complexus est. His quartum addidit Petrus Diaconus ejusdem cœnobii bibliothecarius, cœpitque ab anno 1087, sub abbate Oderisio, usque ad annum 1136. Hic autem liber non eadem fide, et diligentia, ut præcedentes scriptus fuit. » Idem cum clariss. Muratorio plures alii senserunt scriptores.

Digitized by Google

latere misisset viros, qui apostolicæ sedis nomine Brunoni præciperent ut suam ad Ecclesiam rediret, eumque redarguerent quod absque pontificio assensu episcopatus administrationem deseruisset, reticere nequimus. Quomodo enim supponi potest quod Bruno, sacris in sanctionibus versatissimus, qui non minorem cum doctrina sanctitatem copulabat, inconsulto Romano pontifice Ecclesiam sponsam suam relinqueret, quod profecto ei vetitum erat, et gregem sibi commissum nulli custodiendum committeret? Cum igitur doctrinæ magis et sanctitati Brunonis anonymi auctoritas hoc in facto consentanea videatur, eum potius, quam Petrum Diaconum sequendum ducimus (49). Interim monachorum omnium oculi in Brunonem conversi eximiam ejus admirabantur charitatem, assiduum orationis studium, profundam cum sapientia humilitatem, totaque domus odore sanctitatis Brunonis perfundebatur.

« Exacto quinquennio (verbis utar Erasmi Gattulæ) ut simplex monachus, defuncto Othone, qui Oderisio in prælatione successerat, S. Bruno de communi fratrum consilio eligitur in abbatem. » Vix hujusmodi electio Romæ innotuit, Paschalis Casinum adivit, atque in conventu fratrum, non solum celeberrimi illius cœnobii regimen Brunoni merito delatum dixit; sed eum etiam dignum habere, ut sibi in apostolicam sedem succederet; uti Petrus Diaconus testatus est. Quis hæc crederet, si Bruno, inscio pontifice, Signiensem Ecclesiam reliquisset? Magna ergo pontifex in Brunonem ferebatur existimatione; quare frequenter ad se accersebat, ut vel graviora Ecclesiæ universæ negotia secum consuleret, vel aliquid ei agendum mandaret. Hæc commemoranda erant, ut, si dissensiones aliquæ posteriori tempore inter utrumque ortæ recenseantur, quemadmodum olim fuisse inter Stephanum papam, et Cyprianum, omnibus constat eas non ex mala animi affectione, sed ex adversis circumstantiis originem habuisse dicamus. Dei causam uterque agere contendebat, sed non eodem modo pro ea certabat. Paschalis enim pastor Christiani gregis universi pacem et unitatem, ne schisma aliud fieret, præ oculis habebat; Ecclesiæ autem Romanæ jura, et episcopatus immunitatem a laica potestate Bruno asserere atque tueri satagebat.

Dum igitur S. Bruno præsul monasterium Casinense gubernaret, præter regularem observantiam, cujus semper verbo et exemplo exactor vigilantissimus fuit, ditiones bonaque illius nonnulla, ut tradit A Petrus Diaconus, a quibusdam comitibus Aquinatibus usurpata, armis Roberti principis Capuani vindicavit, aliaque ex largitione episcopi Triventini acquisita monasterio adjunxit, nec quidquam reliqui fecit, quin ad majus sanctitatis studium vimque redditnum conduceret. Hoc docent monumenta, qua per annorum seriem commemorabo. Anno enim 1108, Otho, Walterii filius jurat clientelam, vulgo homagium, et ligiam servitutem Brunoni, ut Casinensi præsuli, et monachis pro castro Pescii Constantii, cujus possessio ei tributa fuit. Eodem anno Landulphus Pandulphi Teani comitis filius, Brunone Casinum moderante, Castella, et possessiones monasterio donavit, quorum largitiones in membranis descriptas archivum Casinense possidet, ac inB ter edita documenta a prælaudato Erasmo Gattula reperiuntur. His addam acquisitionem alteram a monachis Casinensibus factam sub eodem Brunone abbate mense Januario an. 1109 cum Robertus Castri Limosiani dominus Ecclesiam S. Illuminatæ Pescii majoris jure hæreditario possideret, eam cum omnibus ejus juribus eidem monasterio cessit. Eo etiam tempore cum Triverni episcopus Joannes Celsus super eamdem Ecclesiam jura aliqua haberet, canonicis suis annuentibus, libere eis renuntiavit « ob fraternum amorem venerabilis pontificis et abbatis Bruni. » Hoc chirographum item publicavit Gattula in Histor. Casin. p. 421, fuitque munitum duobus sigillis, episcopi scilicet et comitis, ut modo etiam inspicitur. Tandem adeo increbuerat opinio C sanctitatis Brunonis, et monachorum Casinensium, ut idem Rogerius dux Apuliæ parentis sui pietatem erga S. Benedictum ejusque alumnos imitatus, Brunoni præsuli et monachis possessionem mentis Casini confirmavit, renuntiavitque proprietati, « quam habere solebamus, ita diploma, de peculibus S. Benedicti, sicuti de camera abbatis, et de cellario, et de infirmario fratrum, quæ scilicet proprietas nobis pertinebat in honore montis Gargani. » Item Rogerius dux eodem in diplomate, quod D. Joan. Bapt. Federicius archivi Casinensis præses, autographum non sine maximo labore plurimas inter membranas reperit, asseruit facultatem alias concessam « sospitandi, et pascendi greges omnes monasterii, ab D ecclesia, quæ dicitur Passari, usque ad Salpitanum pontem.... Et iterum usque ad mare. Dat. Capuæ A. D. J. 1110. Ducat. Dog. 24 mense Nov. Indict. IV. » Hujusmodi diploma, quod nos vidimus, et sigillo plumbeo munitum est, Gattulæ diligentiam

(49) Cum his huc usque relatis partim convenit clariss. Joannes Mabillonius, partim dissonat; collocat enim anno 1104 dimissionem Brunonis episcopatus Signiensis, quam saltem anno posteriorem demonstramus. Admittit tamen contra assertum Petri Diaconi eum infirmatum in Apulia, quo cum Paschali II pontifice se contulerat, facultatem obtinuisse, si salus ei a Deo daretur, Casini solitudinem petendi, ibique religiosam vitam profitendi. Sequitur tamen chronologum Casinensem in hoc, quod narrat a Paschali, enixe Signiensibus suum pastorem petentibus, missos fuisse nuntios, qui sedis apostolicæ auctoritate Brunoni præciperent, ut confestim suam ad Ecclesiam remearet; quod præceptum causa fuit epistolæ, quam Bruno Paschali scripsit, rogans ut a proposito suo non removeret. Addit etiam non tam Brunonis quam Oderisii abbatis preces tandem Paschalem flexisse, ut ad tempus ei permitteret Casini in habitu monastico remanere: sed paulo post cum Boamundo Antiochiæ principe eum in Gallias misit, eique alias legationes obeundas dedit; de quibus postea sermo erit. Vide tom. V Annal. Benedict., lib. LXX, p. 471.

Digitized by Google

effugit. Ex his igitur patet quod et si S. Bruno non nisi tribus annis, et decem mensibus Casinense monasterium rexerit, attamen valde reditus ejus dominationemque amplificavit, ut de eo maxime meritum S. Brunonem ipsimet monachi fateantur. Eo tempore, quo Bruno Casinum incolebat, cum legationes aliquas obierit, in sequenti capite de his agendum erit.

CAPUT IX.

De Brunonis legationibus.

Qui S. Gregorio VII, acceptissimus fuerat, nec minorem gratiam sibi comparaverat apud Urbanum II, Victoris III successorem, in Paschalis etiam II benevolentia et consuetudine totum fuisse videbimus. Primum de itinere Brunonis in Gallias verba faciam, deinde de legationibus, quas Paschalis nomine perfunctus est. Postquam Urbanus res ecclesiasticas, exstincto Guiberti schismate, in Italia composuerat, in Gallias se conferre deliberavit anno 1095, ubi plurima ejus præsentiam et auctoritatem requirebant. Ex Italis episcopis Daimbertum Pisanum, et Brunonem Signiensem secum assumpsit, eisque omnibus in negotiis usus est, et sine ipsis nihil agere consuevit; tanti enim eorum fidem et prudentiam faciebat. Claramontii Urbanus concilium indixerat, cui ipse præfuit, atque in eo sanctis triginta duobus canonibus pro restauranda ecclesiastica disciplina, actum est de bello contra Saracenos, sanctam urbem Jerusalem occupantes, et in Christi fideles omni crudelitate sævientes, crucis signum dabatur his, qui parati in Orientem proficisci, Christianæ militiæ ascribebantur, ut loca sancta ex barbarorum manibus eriperent, religionem, cultumque restaurarent, et a servitute infinitum animarum numerum liberarent. Hoc initium fuit celeberrimarum expeditionum Christianorum principum contra Turcas, quorum primi Ugo magnus Philippi Francorum regis frater, Gottefridus Bullionius, Boamundus Nortmannus, Raymundus Tolosanus comes, qui plures alios principes ad idem faciuus perficiendum excitarunt. Cum Claramontii multum Urbanus profecisset, Turonem divertit, ibique pariter, eadem pro causa, concilium habuit, quo absoluto, insignem monasterii illius ecclesiam consecravit, Lugdunensi, Pisano, et Signiensi episcopis assistentibus, similique sacramento templum Cluniacensis cœnobii decoravit; ubi adhuc, teste clariss. Jacobo Sirmundo, exstat monumentum referens internum infirmorum sacellum a Brunone Signiensi episcopo consecratum. His aliisque in Gallia peractis, Urbanus Romanum iter aggressus Brunonis rogatu, Astam divertit, ibique majus urbis illius templum solemni ritu dedicavit, anno, ut ferunt, 1096. Sacræ hujus cæremoniæ memoria legitur in marmore super majorem ecclesiæ januam posito.

A. M. D. G.
DEIPARÆ IN CŒLUM ASSUMPTÆ
URBANUS II. PONT. MAX.
S. BRUNONE SIGNIENSI EPISCOPO
PEREGRINATIONIS COMITE
ET IN HAC OLIM CATHEDRALI CANONICO INTERCEDENTE
BASILICAM ISTAM NOVA STRUCTURA
IN VETERI LOCO ÆDIFICATAM
DEDICAVIT.

Veniam modo ad legationes, quas Bruno Paschalis II, nomine obivit; et prima quidem fuit in Gallias Boamundum Antiochiæ principem sociatus (50). Is a Saracenis captus voverat, si a vinculis evasisset, se ad S. Leonardi sepulcrum, quod Nobiliaci in Lemovicibus erat, religionis causa profecturum. Voti compos factus Boamundus Romam venit, rogavitque pontificem, ut virum aliquem dignitate et prudentia præstantem secum in Gallias mitteret. Ad hoc opus Casino accersitur Bruno, cui etiam a pontifice injungitur, ut apud Pictavos concilium advocet, eique apostolicæ sedis legatus præsit. Roma Bruno et Boamundus discedunt, et primum Nobiliacum petunt; ubi Antiochiæ princeps S. Leonardo liberatori suo gratias egit, et argentea vincula, quibus constrictus fuerat, ad ejus aram appendit (51). Proficiscuntur deinde Pictavium ubi VII Kal. Jul. anno 1106, celebratur concilium Pictaviense II, præsente Boamundo, quod a Sugerio, qui adfuit, plenum et celebre appellatur (52). Publicatis aliquibus sanctionibus, tanta eloquentia de subsidiis in terram sanctam deferendis locutus est Bruno pontificius legatus, ut Gallorum plurimi armis instructi in Orien-

(50) « Anno 1106 VII Kalend. Junii Pictavis concilium fuit, in quo interfuit Boamundus dux, quem Bruno legatus S. R. E. adduxit, et tenuit concilium, et viam S. Sepulcri confirmavit. » Ex Chronico S. Maxentii, vulgo Maleacensi, Philip. Labbeus p. 217, tom. II Novæ bibl. mss. Jacobus Sirmundus pariter de legatione S. Brunonis in Gallias agit in notis ad 14 epist., lib. XI, Gottefridi abbatis Vindocinensis S. Priscæ cardinalis. « Incidit, ait, Brunonis Signiæ in Campania episcopi legatio in annum Christi 1106. Hoc siquidem anno in Gallias venisse Boamundum ducem notat Chronicon S. Albini. Boamundum autem Paschalis jussu comitatus est Bruno legatus. Auctores sunt Petrus Diaconus, et Sugerius abbas, qui et synodi ab eodem apud Pictavos celebratæ meminerunt. » Perfecte etiam consensit S. Ivo Carnotensis, qui Epist. 164 ad Gottefridum Blesensem eum redarguit, quod contra Brunonis S. R. E. Legati consilium, nullo eo cogente, imo ipse legato dissuadente abbatiam dimisisset, et in electione Mauritii primam vocem dedisset. Hisce luculentissimis testimoniis innixus Gattula ait Baronium et Mabillonium hallucinatos fuisse, cum Brunonis legationem in Gallias anno 1104 collocarunt. Spondanus etiam de legatione hac S. Brunonis mentionem habet his verbis: « Sed et cum illo Boamundo S. Brunonem episcopum Signiensem (quamvis dimisso jam episcopatus onere monasticum habitum apud cœnobium Casinense suscepisset) a Paschale missum fuisse in Gallias, ac synodum celebrasse, testatur Petrus Diaconus in Chronico Casinate, estque ejusdem legationis frequens mentio apud Ivonem Carnotensem. » Sed neque ille verum hujusce legationis tempus attigit; cum eam sub anno 1105 collocavit.

(51) Tom. X. Concil. pag. 728, edit. Paris, 1671.

(52) Vid. Pagium tom. II, pag. 554, edit. Antuerp. 1717.

Digitized by Google

tem migrarint; alii magnam vim auri suppedita- A rint. His absolutis, magnoque sibi in Galliis nomine comparato, in Italiam redux Bruno, probataque a pontifice ejus legatione, ægre facultatem obtinuit ad pristinam Casini solitudinem remeandi. At perbrevi tempore ea frui licuit; quod Paschalis iturus Beneventum ad concilium celebrandum, cum Casinum advenisset, Brunonem secum habere voluit. Hac in synodo plura optime constituta sunt, inter quæ illud præcipuum, quod vetitum fuit ecclesiasticis viris pretiosas et sæculares vestes deferre, atque anathema dictum contra Simoniacos, eosque quia laicorum manibus investituras sacerdotiorum acciperent. Cum tantis in negotiis Paschalis pontifex Brunonis dexteritatem, summamque prudentiam expertus esset, legationem alteram in Siciliam ei obeundam B dedit. Rogerius Siculorum princeps erat, qui Saracenos ab ea insula maxima virtute depulerat, Ecclesias ubique, cultumque Christianæ religionis restituerat. Ille ergo, sive legatum S. R. E. postulasset, sive Paschalis plura illis in Ecclesiis corrigenda et restauranda nosceret, rem tanti momenti optime versuram censuit, si Brunoni operam committeret. Neque eum fefellit opinio, cum Bruno provinciam omnem perlustrans, malas herbas concidit, vitia scilicet, pravasque consuetudines extirpavit, sanctiones canonicas clericis, et presbyteris observandas indixit, templorum sanctitati, sacrorumque nitori prospexit, omnia tandem feliciter exploravit, quibusque Dei cultus, sacerdotum exemplaris virtus, populorumque religio magis magisque floreC ret ac coruscaret. Sed non ad hæc solum restauranda Bruno legatus missus fuerat, verum etiam ut Siculos ad sacrum bellum contra Machumetanos excitaret, ampla subsidia ab his obtineret, et Rogerium ipsum ad iter Hierosolymitanum, pro Christiani nominis gloria suscipiendum incenderet. Ab hac legatione expeditus Bruno Romam revertitur, deinde Casinum, ubi a monachis suis, quibus præerat, maxima cum lætitia exceptus fuit. Quia vero alia S. abbati, et episcopo parabantur, de quibus diversa futura erat hominum opinio, mirabili cœlum portento sanctitatem ejus comprobavit. Solemni ritu in pago vallis frigidæ agebat Bruno consecrationem Ecclesiæ Deo, et in honorem D. Thomæ apostoli dicatæ; cum mulier a maligno spiritu miris modis D vexata ei exhibetur, et enixis precibus eum circumstantes deprecantur, ut misericordia motus illam liberaret. [Paululum oravit S. episcopus, dein præcepit ut obsessa aquam biberet, qua manus suas in ritus actione abluerat: quod mox ut actum est, mulier coram omnibus a dæmone liberatur. Actæ sunt Deo publicæ grates, et nemo fuit qui Brunonis patrocinium sibi non imploraret, cum supernis ornatum muneribus inspiceret. Hoc insigne portentum ad perpetuam ejus memoriam in sacello majoris Ecclesiæ Signiensis S. Brunoni episcopo dicato depictum conspicitur.

CAPUT X.

De investituris.

Quibus ignoti minime sunt cardinalis Baronius, Spondanus, Petrus de Marca, Natalis Alexander, cardinalis Norisius, de ecclesiastica historia optime meriti, necessarium non videbitur, ut cum mihi agendum sit de investituris ob discrepantiam ortam inter Paschalem II pontificem, et Brunonem Signinum episcopum, quæstionem ab initio exordiar. Satis erit commemorare privilegium a Paschali II Henrico V imperatori non sponte, sed ex vi et metu gravissimo datum, quo ei indulsit signa aliqua possessionis bonorum temporalium tradere iis qui ad sacra Ecclesiæ ministeria assumpti forent. Cum ecclesiastica disciplina, a veteribus conciliis constituta et a recentioribus sanctionibus confirmata, Paschalis concessioni adversaretur, diversa prodiit de eadem opinio. Aliqui servandas canonicas leges dixerunt; aliis placuit in casu Paschalis privilegium defendere. Primos inter delatus fuit Bruno tunc monasterii Casinensis abbas, et Signinus episcopus, cujus sanctitas, summaque in agendo prudentia non leviter obumbrata remaneret, nisi rerum veritas a suppositis factis eruta in lucem proferatur. Non enim imitabor Matthæum Lauretum, Malabailem, Ughellium, Ferrarium, Corradium, aliosque, qui Brunonis gesta scribentes, hanc controversiam penitus omiserunt. Optimo Brunonis nomini est consulendum, diluendæque ac propulsandæ criminationes contra eum illatæ. Ne prolixior tamen opportunitate causæ fiam, ad tria capita eam revocabo. Primam vellicandi Brunonis rationem desumunt criminatores ex Petro diacono Casinensi, quod ille lib. IV Chronic. Casinen., cap. 33, scripsit Brunonem querelam apud Paschalem movisse de privilegio Henrico concesso, utque rescinderet acerbis verbis cum pontifice usum fuisse. Secundo S. episcopum aggrediuntur, quod illud privilegium hæresim continere dixit. Tertio incusant, quod per eum adeo hujusmodi exarsit disputatio, ut Paschalis a pontificia sede dejici meruerit.

Non vereor statim asserere primam accusationem flocci faciendam; cum Petrus Diaconus supponit quidem Brunonem ante concilium a Paschali celebratum Casino Romam venisse; sed oppositum evincitur ex epistolis quas scripsit Petro episcopo Portuensi, S. R. E. cardinalibus, et ipsi Paschali pontifici, jam a Baronio et ab aliis editis, quas et nos in secundo volumine edituri sumus. Si enim Bruno vel ante, vel post Paschalis reditum in urbem Romæ fuisset, quid opus erat, ut quæ de investituris Henrico concessis sentiebat, litteris traderet, cum ipse coram persequi rem potuisset? Revera colloquium illud a Petro Diacono relatum iisdem verbis in epistola Brunonis ad Paschalem exprimitur. Primo sane loco suorum refutat inimicorum calumniam, quod pontificem non diligeret, quodque de eo male loqueretur: deinde rationem reddit, cur læsam Ecclesiam ex indulti concessione censeret, et illud omnino

Digitized by Google

revocandum et eliminandum diceret. Hujusmodi testimonium penitus evertit eminentissimus Baronius, qui tom. XII, edit. Rom., an. 1607, sub anno 1111, pag. 83, hæc habet. « At ista, quæ de mutua allocutione Bruni, sive Brunonis cum Paschale affirmat Petrus Diaconus Casinensis esse transacta potius litteris quam eo præsente tractata fuere. Nam ipsæ S. Bruni totidem verbis ad Paschalem datæ, eædemque prolixiores exstant litteræ, una cum aliis ipsius litteris eodem argumento tunc datis ad episcopum Portuensem, quas ambas ex Casinensi bibliotheca depromptas, hic totidem verbis reddere, et dicta repetere non pigebit. » Mirabitur non nemo quod Natalis Alexander, quamvis accuratus scriptor, non Annalium ecclesiasticorum parentem; sed Petrum Diaconum hac in narratione secutus sit, et epistolam ad Pascalem scriptam pro sermone cum eo habito produxerit (53). Cardinali tamen Baronio plene consensit clarissimus D. Remigius Ceillerius in Histor. generali auctorum sac. volum. XXI, pag. 101, edit. Paris., cujus verba sunt ista. « Il était encore à Mont-Casin (Brunon) en 1111, lorsque l'empereur Henri contraignit le pape Pascal II de lui accorder le droit d'investiture. Tous les cardinaux qui avaient été faits prisonniers avec le pape désaprouvèrent sa conduite. Brunon en témoigna lui-même son mécontentement. On le fit passer auprès du pape pour le principal moteur du trouble excité dans Rome à cette occasion, Brunon en écrivit au pape et à Pierre, évêque de Porto, qui avait souscrit la concession faite à l'empereur; mais ses lettres n'apaisèrent point Pascal, » etc. Concordia igitur Ceillerii cum Baronio pluris habenda est, quam Petri Diaconi narratiuncula, quæ de suppositione evincitur, et inferius etiam magis magisque apparebit. Aliud sane est superiorem aliquo de lapsu commonere, aliud coram provocare, ejusque dignitati injuriam facere. Primum licet, si modeste et temperanter fiat; alterum omnino est improbandum. Ex quo igitur superiores pontifices, et concilia investituras, pravumque earum usum damnaverant, qui se his noviter concessis, idem periculum agnoscentes, opponebant, Ecclesiæ jura, et pontificias sanctiones tuebantur; adeoque criminandus non est Bruno, si de his fuerit, cum causam bonam, et sanctam, illisque temporibus necessariam egerit (54). Nescio tamen cur aliquibus præcipuus damnandi privilegii auctor Bruno visus fuerit; nisi fortasse, quod cæteris contradicentibus sanctitate et doctrina præfulgeret (55); ideoque maximi haberetur sententia ejus. Celebres etiam hac in controversia fuere Joannes Tusculanus, Joannes Vercellensis, Robertus Parisiensis, et Gaula Reginus episcopi, qui palam investiturarum concessionem reprobarunt. Cæterum « vix pontifex urbem regressus est, statim (eodem Petro diacono narrante), in Romana Ecclesia scandala dissensionum, et schismatum oriri cœperunt (56); » quorum motor, aut incensor Bruno absens, et Casini commorans dici nequit; sed diversum partium studium, et diversa de privilegio opinio excitavit.

Alterum accusationis caput contra S. Brunonem, scilicet quod privilegium illud Paschalis hæresim dixerit, non minus facile quam superius a me refellitur. Inspiciamus litteras quas scripsit, volvamus acta conciliaria, ex his quid senserit, quid egerit, constabit (57). In epistola ad Paschalem, primum ejus constitutionem memorat, qua damnat, et a fidelium communione separat omnes illos clericos, quicunque de manu laici investituras suscipiunt, et quicunque eis manu imponunt. Deinde his prosequitur. « Hæc namque constitutio apostolorum (58), et tua sancta est, catholica est, cui quicunque constitit, cum sequenti in synodo Lateranensi, in qua investituras Henrico iterum abrogavit. »

(53) Easdem S. Brunonis epistolas retulit præclarus historiographus Casinensis D. abbas Erasmus Gattula pag. 371 et seqq. et illam præcipue, quam ad Paschalem pontificem S. episcopus dedit, veneratione et zelo plenissimam vocat. Præterea adnotat Brunonem reverentiam singularem erga S. sedem ostendisse, cum Paschalis ejusdem constitutionem investituras damnantem de apostolico fonte manasse dixerit. Deinde subjicit litteras S. Ivonis Carnotensis ad Henricum abbatem Angeriacensem quæ est 235, et Gottefridi ad eumdem Paschalem pontificem, lib. I, VII, ex quibus constat clarissimos illos viros de investiturarum privilegio cum Brunone perfecte consensisse. De hac Gottefridi ab Vendocinensis epistola in notis hæc habet Jacobus Sirmundus. Cum initio meminisset pacti, aut privilegii in Idus Aprilis, a. 1111, ab Henrico per vim et metum extorti, ait: « Quod factum Paschalis, et si excusare videbatur necessitas, quod alioqui, ut ipse in epistola ad Guidonem Viennensem causatur, servitus Ecclesiæ, captivis interius, excidium urbi, et Italiæ imminere videretur. Usque adeo tamen omnibus locis improbatum est, ut apertum schisma tantum non excitavit. Itaque prudentes, et cordati viri, qui violata Ecclesiæ jura male habebant, in quibus Godefridus hic noster, et alii, quorum exstant epistolæ, Paschalem hortari, atque urgere non desisterunt, ut pactum, quod invitus fecerat, et ipse ultro damnabat, publico decreto rescinderet, quod quidem præ-

(54) Odericus Vitalis lib. x, pag. 762, ait Robertum Parisiensem pluresque alios episcopos, et cardinales idem sentire ac S. Bruno de privilegio investiturarum a Paschali II, Henrico regi concesso, eumque tanquam nullum habendum esse. Idem confirmat auctor, Hist. eccl. Parisiis editæ an. 1740, pag. 40.

(55) Vid. Pagium tom. II, pag. 555.

(56) Eadem Pagius loc. cit. confirmat. « Paschalis in urbem reversus, cardinales, et universum clerum Romanum a se aversos invenit, et valde improbantem fœdus illud, quod cum imperatore Henrico pepigerat contra prædecessorum suorum decreta, paucorum duntaxat cardinalium concilio adhibito. » Quare « hoc eodem anno 1111, ita scripsit Baronius, Paschalis II, regressus in urbem ad universum catholicum orbem litteras dedit de his, quæ gesta erant cum Henrico, quibus se excusavit, quod ad evitanda imminentia mala, et ad redimendam pacem Ecclesiæ ita cessisset ad tempus. »

(57) Vid. Acta concil. Labei tom. XII, p. 767.

(58) S. Bruno sanctiones apostolorum et conciliorum perfecte noverat. Sunt autem quæ sequuntur. In can. 31 apostolorum ita statutum habetur: « Si quis sæcularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur, et abjiciatur, omnesque qui illi communicant. » Item ex Antiocheno concilio: « Si quis per sæcularem dignitatem Ecclesiam Dei ob-

Digitized by Google

tradicit, catholicus non est. Illi enim solum catholici, qui catholicæ fidei et doctrinæ non contradicunt. Sicut e contra sunt hæretici, qui catholicæ fidei et doctrinæ obstinato animo contradicunt. » Nonne hæc omnium est orthodoxorum doctrina, errorem in fide, et contumaciam in voluntate, hæresim constituere? Quid aliud, nisi hoc docuit S. Bruno? Sed ut probe hæc intelligantur, calamitosa illa tempora memoriæ sunt revocanda. Non unum erat Guiberti schisma, quod vastaret Ecclesiam, sed clericorum incontinentia, Simonia, bonorum ecclesiasticorum usurpatio et potentum tyrannica dominatio, omnia penitus subvertebant. Illisce malis, quibus Ecclesia laborabat, addebatur quod nonnulli, ut ipse Bruno ait in epistola ad Petrum episcopum Portuensem, *imprudenter* defendere investituras conabantur, quamvis eas anathemate percussas non ignorarent. Cum ergo investituræ Simoniacis, incontinentibus, usurpatoribus, nefandisque clericis ostium ad omne scelus aperirent, concessionem illam, seu privilegium Bruno hoc in sensu hæresim appellavit. Non inficiamur proprie hæresim vocari non posse, nisi dissensum ab aliquo dogmate fidei, cum pertinacia in eodem dissensu, sed improprie, et quasi per similitudinem sit reus hæresis, qui Ecclesiam lacerat aut lacerare permittit. Audiatur cardinalis Baronius ad an. 1112, quid in casu Paschalis II, scripsit. « Non est hæresis, inquit, ipsas investituras concedere, quod unum Paschalis II fecit. Sed hæresis id est, cum id sit falsum dogma, bonis moribus, et sacris Patrum testimoniis repugnans, in Ecclesiam introducere. » Præiverat hac in sententia Joannes Lugdunensis archiepiscopus in epistola ad Daimbertum Senonensem archiepiscopum, quæ est Ep. 233 ad Henricum abbatem Angeriacensem. Hæc Joannes: « Et licet exteriores investituras per laicos factas non satis proprie hæresis nomine censeamus; sentire, et fieri debere, indubitata hæresis est. » Ivonis vero consensus ex his constat : « De investituris Ecclesiarum, inquit, quas laici faciunt, sententiam præcedentium Gregorii, et Urbani, quantum in me est, laudo et confirmo. Quocunque autem nomine talis pervasio proprie vocetur, eorum sententiam, qui investituras laicorum defendere volunt A schismaticam dico. Nec ista contra dominum papam dico, quia quibusdam litteris mihi scripsit se coactum fecisse, quod fecit, et adhuc prohibere quod prohibuit. » In his certe sensibus memoratum privilegium hæresim appellavit Bruno, cui bene comperta erat vis Paschali pontifici illata, ut indultum illud relaxaret; nec voluntate, nec mala doctrina peccavit Paschalis, sed concidit animo, ubi tot tantasque calamitates sibi suisque imminere videbat.

Deceptos vero illos historiographos puto, qui cum non omnes, aut saltem præcipuos hujus ævi scriptores exploraverint, alicui minus tuto credentes, tradiderunt Brunonem in concilio Romano, atque in eo, ipso Paschale præside, dum cœtus Patrum universus exsultabat quod pontifex privilegium resciderat, B atque damnationis sententiam in illud pronuntiaverat, continere se non potuisse, quin iterum elata voce privilegium hæresim diceret; hoc purum putumque commentum ostendo. Duo concilia pro investiturarum damnatione Romæ Paschalis celebravit. Primum fuit anno 1112, alterum anno 1116. In primo equidem factum illud profecto non contigit, quippe Wilelinus Malnesburiensis refert Joannem episcopum Tusculanum, et Brunonem Signiensem, quamvis Romæ essent, illa die, qua facta est privilegii damnatio, absentes a concilio fuisse, sed altera, in qua lecta fuit proscriptionis sententia, cui consenserunt omnes, quamque laudarunt (59). Ita ad hoc concilium Severinus Binius adnotavit (60). Idem C confirmatur ex codice Andegavensi, cujus verba Stephanus Baluzius in addit. ad Petrum de Marca lib. VII, cap. 20, et cardinalis Norisius in Hist. Investit. col. 448, retulerunt. Hæc sunt : « Bruno Signinus, et Joannes Tusculanus episcopi cum essent illa die Romæ, concilio non interfuerunt; qui postea lecta damnatione privilegii, consenserunt et laudaverunt. » In secunda ergo synodo an. 1116 Paschalis iterum de male facto suo confessionem habuit, et privilegii proscriptionem hac allocutione confirmavit· « Postquam Dominus de servo suo fecit, quod voluit, et me, populumque Romanum tradidit in manus regis, videbam quotidie fieri rapinas, et incendia, cædes, et adulteria. Hæc, et hujusmodi mala cupiebam avertere ab Ecclesia, et populo Dei; et quod

D

tinuerit, abjiciatur et ipse, et ordinati ejus, et modis omnibus a communione separentur, et sint sub anathemate, sicut Simon Magus a Petro. » Similiter a synodo Romana in qua 240 interfuerunt Patres sub Nicolao I pontifice superiora decreta confirmata sunt. « Quisquis sæcularium principum ac potentum, aut alterius laicæ dignitatis adversus communem, et consonantem, atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat, atque consentiat, quod Ecclesia de electione, et ordinatione proprii pastoris se velle monstravit. »

(59) Edictum hac in synodo publicatum ita se habet : « Privilegium illud, quod non est privilegium (neque enim debet dici privilegium, sed pravilegium) pro liberatione captivorum, et Ecclesiæ a domno papa Paschali per violentiam Henrici regis extortum, nos omnes in hoc S. concilio cum eodem domno papa congregati, canonica censura, et ecclesiastica auctoritate, judicio Spiritus sancti damnamus, atque omnino cassamus, et ne quid auctoritatis aut efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Quod ideo damnatum est, quod in eo privilegio continebatur, quod electus canonice a clero, et populo a nemine consecretur, nisi prius a rege investiatur, quod est contra Spiritum sanctum, et canonicam institutionem. Perlecta autem hac charta conclamatum est ab universo concilio. Amen. Amen. Fiat. Fiat. »

(60) Id etiam narratur a Fleurio anno 1112 sub num. 12. « Bruno Signiensis, ait, sicut duo cardinales Petrus S. Sixti, et Albericus S. Sabinæ, cum Romæ moram agerent eo die, quo damnatum fuit privilegium, concilio abfuerunt, actum tamen condemnationis approbaruut. »

Digitized by Google

Casinenses, audito Brunone eis proponente in abbatem quemdam monachum, natione Ligurem, Peregrinum nomine, graviter commotos fuisse, ac unanimiter dixisse, si vellet ipse regimen retinere, libenter ei, ut antea, paruissent; si vero illud dimittere paratus esset, eos liberos sineret, ut juxta constitutum a S. Benedicto, ipsi suum abbatem eligerent, quem voluissent. Præterea addit monachorum commotionem, ne Peregrinus ille vir ambitiosus ac valde callidus prævaleret, adeo exarsisse ut Bruno timore perculsus in inferius monasterium descenderit. Interim cum Peregrinus armatos milites in cœnobii septa invexisset, ut vi obtineret quod sponte assequi non poterat; monachi pariter omnes insurrexere, tantoque impetu insolentem turbam adorti sunt ut ab ædibus illis omnino depulerint. Tandem Petrus Diaconus historiam ita concludit: « Quod cum abbati nuntiatum esset, ad hoc monasterium ascendit, et ad se fratres advocans, nolo, inquit, ut propter me, inter vos, et Romanam Ecclesiam scandalum oriatur, ideoque virgam pastoralem, quam mihi tradidistis accipite, et mox super altare ponens, fratribus absolutionem faciens, ad episcopatum suum reversus est. » Hac de concertatione ne verbum quidem apud Mabillonem reperies; meminit quidem epistolæ a Paschali ad Leonem Ostiensem episcopum missæ, qua Brunonem monebat ut se ab abbatia dimitteret, et monachi alium abbatem eligerent. His porro verbis totum factum perstringit: « Fecit, ait, quod in se erat, Bruno, ut alius pro se eligeretur; at fratribus constanter renitentibus, refert ea allocutum S. episcopum, quæ supra ex Petro Diacono tradita sunt: Nolo, ut propter me, » etc. Idem Mabillonius post hæc Petrum Diaconum redarguit de pluribus sua in Historia omissis, deque aliis falso relatis tom. V, lib. LXV, p. 139. (64) Anonymo vero Signiensi hoc in negotio nullam fidem præstare possumus, qui discessum Brunonis a regimine Casinensi ex conjuratione monachorum contra præsulem suum repetit, eosque, quod illum violenter et contumeliose ejecerint, criminatur. Ut figmentum ejus narrationem judicamus: primum ex eo, quod cum ipse anonymus septuaginta, et ultra annis Brunone posterior fuerit, neque ea, quæ hoc de facto scripsit, alicujus coævi auctoris testimonio confirmet, aut ex vulgi opinione, qua nihil incertius, accepit, aut Signiensibus nimis indulsit, qui male affectum animum erga religiosissimos illos viros habuere, quod p storem suum, ipsis invitis, tandiu apud se r t n erint. Secundo, quis credet scriptori seipsum contradicenti? Hoc de lapsu, qui juxta critices canones est gravissimus, evincitur anonymus; si quidem cum paulo ante monachos commendasset, dicens, « plerosque ex eis spiritu Dei agi, super Patris injuria commotos, libentique animo fuisse revocaturos, nisi timuissent mandatis apostolicis obviare; postea eosdem cœnobitas diabolicis suggestionibus instigatos contra S. abbatem conspirationem fecisse, ait, eumque non solum contumeliis, verum etiam verberibus animo infrunito et irriverenti a monasterio expulisse. » Tertio nemo nescit hujusmodi narrationem, jam eximie confutatam a D. Philippo Malabayle, et ab Erasmo Gattula, de quibus supra mentionem fecimus, eamque ut calumniam penitus despexisse quotquot scriptores Chronicon Casinense post Petrum Diaconum illustrarunt. Cum Bollandianis tandem dicimus omnem hujusce facinoris suspicionem esse abjiciendam, utpote Brunonis sanctitati, optimoque monachorum Casinensium nomini indignam, et injuriosam.

CAPUT XII.

De reditu Brunonis ad Signiensem Ecclesiam.

Qua lætitia, quoque plausu Bruno a Signiæ populis exceptus fuerit, cum illum sibi restitutum viderint, ex tristitia et mœrore argui potest, cum pluribus, annis eum absentem, aliisque votis illigatum doluerint. Reditus ejus mense Octobri 1111 a Petro Diacono collocatur. Et ita fieri debuit; nam sequenti anno accessit ad concilium Lateranense II, a Paschali II celebratum, ut ex sua subscriptione constat. Quamvis Signia non ita distet Casino, et cives haud raro S. episcopum suum videre atque consulere possent « omnique anno, ut ait anonymus, quandiu permansit in monasterio, de manu ejus chrisma, et sanctum oleum susceperunt, quia charissimo venerabantur affectu; » attamen ejus præsentiam vehementer exoptarunt, ex amore, quo eum prosequebantur, flagitantes, ut præsens universæ diœcesi spirituali consuleret saluti. Pristinam vitæ formam statim assumpsit S. Bruno, et singulis pastoralis officii muneribus cumulatissime satisfaciens novus virtutum splendor, novusque rerum ordo in Ecclesia Signiensi exsurgere ac reflorescere visus est. Adeo vero percrebuerat Brunonis celebritas non in Italia solum, sed in Galliis etiam, ubi suis in legationibus maxima negotia feliciter egerat; ut sæpe sæpius episcopi controversiarum suarum judicem eligerent, atque in ejus sententia conquiescerent. Ipse enim narrat grave dissidium ortum inter Sipontinum episcopum et Beneventanum, cum ad eum causa delata fuisset, quamvis archidiaconus Ecclesiæ Beneventanæ episcopi sui partes callide nimis ac violenter prosequeretur; attamen, quia rationum momenta Sipontino favebant, ei causam adjudicavit (65). Alterius causæ relatorem et judicem exstitisse Brunonem constat ex bulla Paschalis II, quæ est IX in tomo II collectionis Maynardi. Hac in constitutione pontifex monachis Casinensi-

(64) Eruditissimus etiam Tiraboschius Petrum Diaconum in manifestum errorem facti, et anachronismum lapsum demonstrat in Append. I, pag. 451, tom. I Histor. abbat. Nonantulanæ. edit. Mutinæ an. 1784. Et ante ipsum cardinalis Norisius Histor. De investituris p. 438, eumdem chronologum de similibus erratis reprehendit.

(65) Comment. ad cap. XXV Deuteron., p. 211.

Digitized by Google

bus confirmavit contra abbatissam S. Mariæ urbis Capuæ cellam Cinglensem, ubi hæc de Brunone habentur: « Regresso Brunone episcopo Signino proloquente, dixerunt rationabile ac justum sibi domini papæ judicium videri, ratumque id habendum tanquam canonico ordine pertractatum. » Eadem sententia jam prolata fuerat ab Urbano II, a qua prædicta abbatissa appellaverat. Constitutio hæc data reperitur Kalendis Aprilis A. D. 1102, Paschalis pontificis II. Plura fortasse alia hujus generis judicia a Brunone acta probabile est, quæ, ut illa, de quibus mentionem fecimus, vitæ ejus scriptores omiserunt. Iterum Bruno Romam se contulit, ut diximus in capite præcedenti, et interfuit concilio in Lateran., quod Paschalis pont. an. 1116 celebravit ad componenda dissidia, quæ adhuc Ecclesiam propter investituras divexabant, atque in eo rursum illud ipsum privilegium damnavit, et anathemate perculsit. Paschalis biennio elapso e vivis excessit, scilicet die 16 Januarii an. 1118, eique post duodecim dies successor datus Joannes S. R. E. cancellarius, opera præsertim Petri cardinalis episcopi Portuensis, cui Gelasii II nomen impositum fuit. Quam luctuosa Gelasio sui pontificatus initia fuerint, ut vix coronatus, Roma fugiens apud Gallos præsidium quæsiverit, a scriptoribus ecclesiasticis fuse descripta traduntur; qui etiam referunt illum pondum expleto primo pontificatus sui anno in celebri Cluniacensi monasterio pleuritide et podagra correptum piissime obiisse. Cum autem ad idem monasterium officii causa erga Gelasium Ugo archiepiscopus Viennensis se contulisset, eumque paucos ante dies vita perfunctum reperisset, cardinales, et episcopi ipsum Ugonem plenis suffragiis in summum pontificem elegerunt, atque Callixtus II appellatus est. Hæc commemorare duxi, ut simul dicerem singulare gaudium, quo affectus fuit Bruno, audita Ugonis electione in Romanum pontificem, quem in Gallis nobilitate generis, pietate ac doctrina ornatissimum agnoverat, atque cum eo familiariter egerat. Aliam lætitiæ causam sancto antistiti Signiensi attulit reconciliatio Henrici V, imperatoris cum Ecclesia catholica, quippe renuntiavit tandem investituris, easque remisit Calixto pontifici, a quo absolutus fuit a censuris, et in communionem sedis romanæ receptus, id testantibus Goffrido Vitebergensi Chronic. p. 17, et Othone Frisingensi chron. lib. VII, cap. 16. Anno Calixti pontificatus V humanæ conditionis debitum solvit Bruno, et terrenam habitationem cum cœlesti commutavit, ut probatiora documenta testantur.

CAPUT XIII.

De obitu S. Brunonis.

De anno migrationis ex hac vita S. Brunonis non una est scriptorum opinio. Matthæus Lauretus in notis ad supracit. Chronicon Casinense, ab ipso editum Neapoli an. 1616 putat, juxta suam computationem, obitum Brunonis an 1125 consignandum, quod Angelus Rocca lib. De canonizatione sanctorum testatur, Romæ in biblioth. PP. Congreg. Oratorii asservari bullam canonizationis S. Brunonis factæ a Lucio III, anno D. 1183, et cum hic solemnis actus referatur ad annum 58, a transitu adsuperos ejusdem S. episcopi, sequitur eum functum vita fuisse an. 1125. Sed hujusmodi bullæ apographum in illa bibliotheca non exstat; ut ego ipse quæsivi, et nemo se vidisse testatur. Verius anonymus annum beatæ dormitionis Brunonis descripsit: « Migravit, inquit, ad Dominum XV Kal. Aug., an. V Calixti II, sui vero episcopatus XLIV. » Notant hi characteres non annum 1125, sed an. 1123; currebat enim annus V ab assumptione Calixti II ad cathedram S. Petri, quando S. Bruno die 18 Julii, an. 1123, extremam diem clausit, nec ea ulterius differri potest. Accedit unanimis scriptorum accuratiorum consensus, qui episcopatum iniisse affirmant sub S. Gregorio VII, an. 1079, ut primo capite diximus; eo scilicet anno, quo cum Berengario in concilio Romano de SS. Eucharistiæ sacramento victor decertaverat. Additis igitur hujus inaugurationis initio annis 44 in episcopatu transactis, aperte evincitur, non ultra an. 1123 mortalem ejus vitam esse extendendam (66). Demum cum in confesso sit ex altera actorum appendice Honorium III, S. Brunoni aram erexisse, propriisque manibus consecrasse; is vero diserte fuisse dicatur annus ab obitu Brunonis centesimus; consequens iterum est eum ad immortalitatem transisse an. 1123. Idque etiam ex eo confirmatur quod, ut eadem appendix asserit, annus ille 1223 fuerit Honorii septimus, utpote qui in pontificem electus est an. 1216, quod cum epocha illius consecrationis consonat. Jam prope octogenarius erat Bruno, atque vitæ austeritate, et labore viribus etiam valde debilitatus, cum placuit Deo ei revelare, ut testatur anonymus, non longe futurum ab hac vita transitum suum. Hac prævisione admonitus tanto magis cœlestis exarsit amore, cupiens dissolvi et esse cum Christo; quare assiduis vacabat precibus, populumque suum frequenti verbi Dei pabulo reficiebat. Gravi ergo febri correptus decubuit, cumque invalescente infirmitate majori languore afficeretur, clero ac populo ad se convocato, postrema eis reliquit Christianæ vitæ documenta. Et quia languecens exsurgere non valebat, e lectulo ad fenestram deferri voluit, ubi extremos colligens spiritus, tanta vi tantoque dilectionis impetu concionavit ut omnes in lacrymas erumperent, imminentis interitus ejus dolore perculsi. Ut autem Signienses consolaretur,

(66) Diem emortualem S Brunonis vere fuisse XV Kal. Aug. confirmatur ex cod. Casinensi nuper recognito a claris. præside illius archivi D. Joan. Bap. Federicio; cum enim in eo descriptum sit martyrologium Usuardi, ejusque scriptio circa annum 1050, tempore celebris abbatis Desiderii ex characterum forma acta videatur, die 23 Julii addita fuit commemoratio S. Brunonis, hisce verbis. « Eodem die depositio S. Bruni episcopi, et confessoris. » Hujusmodi additionem factam fuisse credendum est, postquam Lucius III, P. M. solemnem ejus celebravit apotheosin.

Digitized by Google

duo S. episcopus eis pollicitus est : unum, patrocinium suum apud Deum semper ipsis adfuturum ; alterum, in tyrannicam nunquam amplius casuros dominationem, quæ vaticinia vera fuisse eventus comprobarunt. Tandem morbo excidium minitante, Bruno extrema sacramenta sibi administrari voluit, ac ferventissimos eliciens actus amoris Dei, purissimam animam suo reddidit creatori anno ætatis suæ 76. Hæc ab anonymo accepimus; cæteri autem scriptores satis dixisse visi sunt cum sanctissime obiisse (67). Dum funus S. episcopi in templo B. M. V., ubi corpus ejus tumulatum fuit, ageretur, Deus pluribus miraculis sanctitatem ejus comprobavit, quæ anonymus, Chronicon Casinense, nec non Ferrarius, ex vetustissimo quodam breviario memoriæ prodiderunt. In his describendis non immoror, cum ejusdem mirabilibus signis Angelus Toti canonicus Signiensis Vitam S. Brunonis typis Romanis 1783, ab ipso editam exornaverit.

CAPUT XIV.

De virtutibus S. Brunonis.

Maximis Brunonem claruisse virtutibus oportet, cum tantorum virorum summorumque pontificum gratiam et amorem sibi comparaverit. Jam supra diximus qua benevolentia eum complexi sint SS. Gregorius VII, et Petrus Igneus quamque splendida suæ dilectionis argumenta ei præbuerint. Plurimi etiam faciendum est S. Leonis IX testimonium, qui cum Joanni Tusculano episcopo apparuisset, ei præcepit ut Brunonem Signiensem ad ejus gesta scribenda excitaret. Nota etiam omnibus fuit maxima ejus cum Petro Anagniæ insigni episcopo necessitudo, cui morem gerens, Pentateuchum suis commentariis illustravit, ejusque vitæ sanctissimæ actæ compendium posteritati mandavit. Migravit autem ex hac vita S. Petrus anno 1105, eumque inter sanctos Paschalis II collocavit, Brunonis præcipue testimonio permotus. Qui primam adolescentiam in schola altioris perfectionis exegerat, quique desiderio ejus incensus terrena omnia deserere, et Deo soli vacare sibi proposuerat, jam firmissima omnium virtutum jecisse fundamenta dicendus est. Quis mundi fugam, honorum, ac divitiarum contemptum, perpetuam sui abnegationem ei inspiravit, nisi gratia cœlestis, quæ suis illum benedictionibus diluculo prævenit, ut eximiæ sanctitatis exemplar in Ecclesia emiteret? Cumque hæc ab humilitate germen accipiat, quantum Bruno hanc virtutem in deliciis habuerit, perpetuum ejus studium manifestavit. Neque mihi opus est reminisci dignitatem canonicatus Astæ et Senis ab eo dimissam, omnemque despectum nomen, quod apud cives illos sibi meruerat; cum non sint hæc nisi prima demissi animi ejus specimina, et longe majora nos in admirationem abripiant. Romæ Bruno ignotus advenerat, Casinum petiturus, a S. Petro Igneo cardinali, Deo afflante, quæritur, in ædibus ejus hospes recipitur, plurimumque S. Gregorio VII commendatur. Unus præ omnibus electus ad decertandum in concilio Romano de catholica fide contra Berengarium hæreticum, tanta eloquentiæ vi et doctrina eum confutat ut patefacta veritate, atque omni errore sublato, palinodiam canere, veniamque petere coegerit. Quo difficilius certamen, eo gloriosior cum fuerit Brunonis victoria, Patrum omnium laudibus exornatus, paratam sibi viam ad sublimiores Ecclesiæ gradus videbat. Revera a Gregorio episcopus Signiensis designatur, firmiterque hujusmodi dignitatem renuentem, solum iterata portenta ad eam subeundam flectunt. Multo majorem suæ demissioni conflictum fieri sentiebat Bruno a legationibus, præclarisque muneribus, quæ tum Urbanus II tum Paschalis II ei persæpe tradebant; quare ut sui nominis famam ubique resonantem effugeret, in Casini solitudine se abscondit. Verum neque ibi privatus cœnobita diu esse potuit; quo enim se occultabat, eo magis honores eum persequebantur; unde omnium monachorum suffragiis in Archimandritam Casinensem assumptus, celeberrimo illi cœnobio præesse coactus fuit. Scripsere aliqui, ex quibus Bellarminum, Oldoinium, Teisserium, Martenecum et Mabillonium proferam, Brunonem inter S. R. E. cardinales cooptatum, sed cum hac de dignitate, illi collata, desint certiora documenta, saltem conjicere licet eam sibi oblatam humiliter recusasse. Ab hac singulari virtute quam Bruno impense dilexerat profluxisse credenda est summa a mollioribus vitæ commodis abstinentia, qua semper modico ac frugali victu, detrita veste, et vix necessaria supellectili contentus vixit. Hinc plurimum apud Gallos scriptores commendatum Brunonem accepimus, quod dum alii suæ legationis tempore magnam auri vim habebant, et finita legatione, in via a prædonibus exspoliabantur; eamdem prædam sperantes, revertentem de Gallia Brunonem adorti sunt, sed cum nihil apud ipsum, nisi modicum viaticum invenissent, sua spe frustrati abierunt (68). Memor autem Bruno Gregorii Magni sententiæ, qua docuit, ad omnimodam perfectionem non sufficere omnia reliquisse, sed Christi Domini sequelam addendam; huic se conformari omnino contendit. Cum enim Servator noster dilectionis inimicorum præceptorem et exemplar se fecerit, quippe a ligno pendens Patrem rogavit ut crucifixoribus suis ignosceret; hujusce dilectionis et beneficentiæ Signiensis episcopus perfectum imitatorem se præbuit. Parum ei fuerat Adulpho viculi comiti injuriam et ærumnas carceris illi dimisisse,

(67) Cardinalis Baronius post mentionem demissionis Brunonis abbatiæ Casinensis, ejusque reditus ad Signiensem Ecclesiam hæc addit. « Ubi in sancta « conversatione usque ad Oderii secundi abbatis « tempora vivens, feliciter migravit ad Dominum « pridie Kal. Septembris. Sepultus est in civit. Si- « gnina in eccl. S. Dei genitricis et virginis Mariæ, « ad cujus memoriam hodie quoque Dominus mira- « cula patrare dignatur, ipsius intercedentibus me- « ritis. »

(68) Vid. Petrum de Marca De concord. sacerd. et imper., lib. v, cap. 50, n. 8.

Digitized by Google

sed cum magna ex potentia et divitiarum copia in extremam indigentiam et calamitatem cecidisset, Bruno illi nunquam defuit, omnibusque in egestatibus abunde subvenit. Difficile est vitæ nostræ hostibus beneficia rependere, sed multo difficilius temperare animum, et cum his liberaliter agere, qui bono nomini et integritatis opinioni insidiantur. Ab his conflictatus Bruno constat ex ejus epistolis, tam ad Paschalem pontificem quam ad S. R. E. cardinales, in quibus depellit quidem calumnias ipsi affixas, quod Paschalem e throno submovere cogitaret, adversarios ejus foveret, totamque turbaret Ecclesiam; sed eos, quos noverat sibi infensos, ut fratres semper coluit, nec verbo, nec scripto aliquid protulit, quod minorem charitatem et benevolentiam ostenderet. Qui ergo inimicos diligit, qui se persequentibus benefacit, cum ex Christi doctrina filius charissimus sit Patris, qui in cœlis est, hujus filiationis amplissimas gratias sibi Brunonem promeruisse nemo dubitabit. Jam vero quod spectat ad zelum puritatis Christianæ fidei, ad morum sanctimoniam, ad cultum Dei et sanctorum, Brunonem ea virtus omnibus promovisse, concilia quibus præfuit, munera quæ gessit, scripta quæ edidit, æterno illi erunt testimonio. Hæc, et superiora animo reputans a singulari quadam planeque generosa Brunonis fortitudine abripior, is enim nullis pepercit laboribus, apud plures nationes magnosque principes arduaque negotia aggressus feliciter confecit, ille etiam injuriis, obtrectationibus minisque infensorum hominum invictum animum objecit. Cum sibi conscius esset Bruno, nihil aliud quam Dei gloriam velle, eam in veritate justitiaque tuenda, in malis ad bonam frugem revocandis, in opportunis consiliis suppeditandis impavide prosequebatur. Hinc quid mirum, si ab invidia, ut perturbator Ecclesiæ, ut partium studiosus, ut suæ opinionis nimium tenax, insimulatus fuerit? ea est enim nobiliorum vicissitudo virtutum, ut qui eas oderint maledictis aspergant et ad opposita vitia traducant. Verum quemadmodum sol nebulas dissipat, easque non patitur sibi lucem eripere, ita virtus, suo splendore longe lateque coruscante, omnia sibi adversantia repellit. Alia plura addenda essent de fide, spe et charitate, quæ præcipuæ ac summæ in viro sancto requiruntur; cum autem tota Brunonis vita, cujus gesta huc usque complexi sumus, his maxime eluceat, et confirment præclara documenta in 1, 2 et 3 cap. lib. II Sententiarum tradita uberiore, non indigere probatione arbitramur.

CAPUT XV.

De S. Brunonis sapientia.

Cum plane intelligeret S. Bruno sacram Scripturam præter divinorum mysteriorum revelationem, atque legislationem, humanarum etiam cognitionum thesauros continere, nihil reliqui fecit, ut illis se exornaret facultatibus quæ mentem excolunt animumque perficiunt. Hinc est, quod dialecticam, ethicam, historiam, chronologiam, artem oratoriam et poesim insuper eum prosecutum fuisse, ejus scripta abunde testantur. Hujusmodi autem facultates ancillas vocat S. episcopus supremæ dominæ, nempe scientiæ Dei, cujus arcana earum ope felicius investigantur aliisque percipienda traduntur. Pluribus quidem in locis sophismata et cavillosas argumentationes redarguit, quibus utuntur hæretici, ut incautos decipiant, et ratiociniatione, velut Lydio lapide, nos uti debere docet, non ad obtegendum errorem, sed ad manifestandam probandamque veritatem. Præcepta vero moralia frequentissime tradit, quæ non solum mandatis evangelicis omnino sunt consentanea, sed ex probatioribus ethicis deprompta, Platone scilicet, Aristotele, Seneca, quos in deliciis habuisse videtur. Ad historiam pariter sacram incubuit, eamque primum in divinis libris, deinde ex lectione Philonis, et Josephi, aliorumque scriptorum Hebræorum sibi comparare studuit; eique profanam adjunxit, cum ritus, fabulas et sententias gentilium auctorum usurpare consueverit, si quid utilitatis ad rem suam ab ipsis conferri dignosceret. Cum scripta ejus colligeremus S. episcopum historiæ item naturalis, minime nescium fuisse cognovimus, siquidem cum de plantis, de arboribus, de lapidibus, de animalibus agit, apposite eorum proprietates, virtutes, indolemque describit, ut ex Theophrasti, Plinii, Dioscoridis, aliorumque similium promptuariis eas desumpsisse conspiciatur. Rectum insuper Chronologum Brunonem dicam; cum in annorum computatione, in qua tot tantique scriptores erravere, ipsum cum tutioribus chronologis consentire demonstrabimus. Neque in scribendo, ubi opus fuit, lepores, venustatesque poetarum neglexit; præcipue in Expositione super Canticum canticorum, ut sacri scriptoris imaginibus, dictisque allegoricis se conformaret. Fateor equidem nonnullas vulgares opiniones, et commenta quorumdam Brunonem adoptasse; sed danda est venia ætatis illius scriptoribus, cum critices leges nondum in scribendo lucem et normam præstarent. Carminibus utique Brunonem nostrum delectatum fuisse auctores aliqui affirmant, et specimina esse possunt versus illi, qui in Expositione Psalmi CL leguntur, quamadmodum hi diversi metri, quibus S. commentator speciosiora Cantici canticorum complexus est.. An vero fuerit disertus orator S. Bruno orationes ejus, homiliæ scilicet, et sermones luculenter demonstrabunt. Verum hæc studia, quæ mentem illuminant, animumque oblectant, ab excolendis gravioribus disciplinis eum non avocarunt; cum in jure canonico et civili plurimum valuisse compertum sit. Re quidem vera cur summi pontifices tot legationes ei demandarunt, nisi quia ipsis constabat, quantum in scientia canonum Bruno excelleret; quantaque prudentia, et doctrina in difficilioribus negotiis judicium ferret? Quædam ex multis hic tantum referam. Cum in Galliis pontificiæ legationis officio fungeretur, eique delata esset causa dissolutionis matrimonii, quam petebat Machildes Gallerano Pisa-

Digitized by Google

lippi Crassi a cubiculis nupta, et utraque persona absens esset, episcopo Parisiensi injunxit Bruno, ut utramque partem die competenti ad causam vocaret, apud quem, cum vis et metus gravis probatus fuisset, judicata est causa in favorem Machildis. Hæc habentur ex epist. 161 S. Ivonis Carnotensis ad Humbaldum episcopum Antissiodorensem. In concilio autem Pictaviense, cui Bruno S. R. E. legatus præerat Bertrandum archiepiscopum de Simonia convictum deposuit, atque in ejus sede Riccardum cardinalem abbatem S. Victoris collocavit. Tandem etiam jurisprudentiam Brunonem sibi sociam adscivisse dicemus, quod constat ex codice ms. archivi Casinensis, in quo compendiose quædam legum civilium collectio continetur. His ergo præsidiis episcopale munus maxima cum gloria, populique sui utilitate perfectus est Bruno, ecclesiamque, doctissimis scriptis suis illustravit. Hæc inter, plures scriptores deperditum ejus in Isaiam commentarium valde deplorant; cum enim nemini ex prophetis altius et copiosius divini Reparatoris mysteria et sacramenta revelata fuerint, eorum interpretatio ut expositio tentari nequit, nisi ab eo qui amplissima polleret divinarum rerum cognitione, et qui vetustiores interpretes plurimi habitos consuluisset. Fertur ex his Brunonem præcipue S. Ambrosium sibi ducem proposuisse, sed cum huc usque utriusque S. Patris illustrationibus careamus, eorum sapientia et labore frui non possumus, deprecamur tamen qui maximis bibliothecis præsunt, ut ad hæc comparanda sacræ doctrinæ monumenta omnem curam impendant.

CAPUT XVI.

De dilectione S. Brunonis erga ordinem S. Benedicti.

Nemo hactenus gestorum S. Brunonis illustrator de amore atque existimatione ejus erga sanctissimum Benedicti institutum tractavit. Cum autem singularis et eximia fuerit toto vitæ suæ tempore in illum monachorum cœtum ejus dilectio, peculiari hac dissertatione eam prosequi jure meritoque deliberavimus. Et quidem quod Bruno nobili genere natus, non puer a parentibus oblatus, sed liber, et adultus, non angusto exstimulatus patrimonio, nec obscurus in sæculo, nec spe dignitatum illectus, sed jam duplici canonicatu insignitus, et episcopus conspicuæ sedis ordinatus, a summis pontificibus ob præclaram sapientiam magni habitus monasticam professionem summo cum desiderio amplexus sit, atque illud vitæ genus cæteris prætulerit; hoc certe non nisi spectatissimis S. Benedicti devictus virtutibus, quarum filios ejus imitatores conspiciebat, est ascribendum. Id etiam spectabilem virum permovere potuit, quod temperata legum Benedicti observantia ei arriserit, cum unusquisque cœnobita ad spiritualem sui profectum incumbere valeat, et non deficientibus commodis, ipsi liceat graviora studia excolere, suasque lucubrationes ad posteritatem traducere. Factis hoc ostendit S. Bruno; cum dimissa episcopatus Signiensis administratione, et monachus in Casinensi solitudine receptus, majorem scriptorum suorum partem exaravit, quibus, quantum de Ecclesia meruerit, eam doctis in sacram Scripturam commentariis locupletando, jam diximus; et hic rursus prædicare supervacaneum judicamus. Sed et hoc maxime in ejus admirationem nos abripit quod tam cito prodigium veluti sanctitatis fieret adeo ut, post paucos regularis professionis annos, consentientes monachi omnes supremum cœnobii regimen illi detulerint. Tanti sane in conspectu Romanæ Ecclesiæ, qui hujusmodi dignitate exornati essent, habebantur, ut non solum cardinales, et episcopi fierent, sed ad summum etiam pontificatum assumerentur. Et ne vetustiora memorem exempla, illis iisdem temporibus fuere celebris abbas Desiderius, pontifex postea Victor III appellatus, et Gelasius II, Leo Ostiensis, et Reinaldus abbas cardinales, pluresque alii, qui non minus cœnobium Casinense, quam ordinem Benedictinum universum illustrarunt. Cum igitur Bruno sapientia et sanctitate maxime eniteret, quibus amorem et venerationem magnorum principum sibi conciliavit, haud difficile illi fuit largitiones plurimas ab eisdem impetrare, non ut suis commodis consuleret, sed ut Casini redditus et facultates amplificaret. Quam sæpe etiam ab ejus ore S. Benedicti laudes resonabant, ut modo Spiritum sanctum per eum locutum fuisse diceret, maximique habendas ejus sententias; ita serm. IV, lib. II Sententiarum; aliquando humilitatem ejus exaltabat, quod laneis, vilibusque gloriaretur indumentis, et paupere supelectili uteretur, idque in serm. 19 ejusdem libri, cui titulus *De abstinentia*. Alias parentem suum, quo Benedictum nomine non raro vocat, inter præcipuas S. Ecclesiæ columnas, apostolos scilicet Petrum, Jacobum, et Joannem, ac primos inter martyres, Stephanum, et Laurentium collocare non dubitavit lib. I Sentent. cap. 4, quem etiam cum austeritatis et abstinentiæ portentis, Antonio, Paulo, et Hilarione comparavit lib. II Sentent. c. 9. Præterea ipsum S. Benedictum serm. 2 De confessoribus lib. VI Sentent. Salomone sapientiorem appellavit, « non de sapientia hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum, ad quam iste nunquam accedere voluit; sed de illa sapientia, quæ vera est, et quæ ducit hominem ad vitam æternam. » In eodem autem sermone tam præcipuis vivisque coloribus totam S. Patris sui institutionem describit, ut cum ea Brunonis dictis integra et inviolabilis servaretur, hoc uno testimonio refutatur quidquid contra monachos Benedictinos ab iniquis scriptoribus commentatum est. Ille enim sibi proposita imagine reginæ Sabæ, quæ domum Salomonis regis ingressa obstupuit, cum tantum rebus omnibus ordinem, splendorem et decus conspiceret, hæc luculentissime tradidit : « O si regina ista Saba venisset ad S. Benedictum, et audivisset sapientiam ex ore ejus, famulos, ministros ejus, filios, et fratres ejus, mensas, et cibos ejus, qualiter omnia sunt ordinata, quam bene disposita, quomodo omnibus est

Digitized by Google

cor unum, et anima una, et nemo dicit aliquid esse suum, sed sunt illis omnia communia, quomodo se diligunt omnes, quomodo sibi invicem obediunt omnes, quantus amor, quanta charitas est inter omnes, quanta dilectio. Si, inquam, illa regina Saba, tam prudens, tam sapiens, tam religiosa, tam Deo devota, hæc omnia videre potuisset, vere totum spiritum amisisset, quia S. Spiritus gratiam accipere meruisset? Hinc arbitror ortam in Brunone magnam illam hæsitationem, tunc cum actum fuit de ejus reditu ad Signiensem Ecclesiam; retinebat enim eum S. Benedicto addictum ejus filiorum sancta conversatio, legum optimarum perfecta observantia, precum studiorumque æqua distributio, summaque Deo vacantis animi tranquillitas quare opus fuit, pontificia auctoritate, suique populi nunquam intermissis precibus, ut cœnobium Casinense relinqueret, et ad episcopale munus rursus obeundum rediret.

CAPUT XVII.

De canonizatione S. Brunonis.

Vix Bruno e terrena ad cœlestem patriam migraverat, cum crebris miraculis sepulcrum ejus gloriosum ac celebre redderetur id plane testantibus chronista Casinensi et anonymo, ut sanctus coli cœpit, et haberi non modo in Eccl sia Signiensi, sed a monachis etiam Casinensibus. At Deus, qui servum suum supernis honoribus exornari volebat, cum insignioribus portentis fama ejus, et celebritas, nec non populorum concursus ad illius patrocinium implorandum in dies augeretur, Lucium III pontificem permovit, ut juxta sanctiones ecclesiasticas, probatis Brunonis virtutibus et prodigiis, solemni ritu ac celebritate sanctorum nomine cultuque decoraret. Hujusmodi religionis actus, quem Romæ pontifex adimplere poterat, ut solemnior fieret, ipse cum tredecim cardinalibus, quorum nomina sub bulla canonizationis adnotata sunt, Signiam se contulit, et in cathedrali ecclesia, in qua Brunonis reliquiæ asservabantur, sanctorum fastis apostolica auctoritate eum ascripsit. In eodem templo exstat marmoreum hujusce canonizationis monumentum, quod ita se habet :

MEMORIÆ ÆTERNÆ BEATI BRUNONIS
QUEM LUCIUS III, P. M. CARDINALIUM ET EPISCOPORUM
CONVENTU SIGNIÆ IN ECCLESIA B. MARIÆ
UBI DEFUNCTUM CORPUS QUIESCEBAT
INTER SANCTOS JUSSIT ASCRIBI
ANNO AB EJUS ABSCESSU LVIII.
S. P. Q. S.

Quo ad annum hujusce celebritatis errasse demonstrant Bollandiani auctorem appendicis ad Chronicon Casinense, qui a Lucio III factam asserit anno 40, post Brunonis obitum, et tempore Bartholomæi Signiensis episcopi. Utrumque falsitate laborat; primum quidem, quia Lucii papæ III electio contigit die 29 Augusti an. 1181, ac proinde cum annis 58, distet a transitu Brunonis ad cœlos, fieri nequit ejus apotheosis anno ab ejusdem obitu 40, sed 58 Lucii III, pontificatus anno primo. Alterum vero non minus falsum apparet, quod Bartholomæus Lucio III conjungitur, et episcopus Signiensis dicitur, cum illo pontifice annis fere 70 posterior fuerit, ut ex Ughelli Catalogo constat. Fuit tamen Petrus ab Alexandro III creatus Signiæ antistes, quartus a Brunone. Nec omittenda videtur præclara alia honoris, specialisque cultus significatio; Honorius enim III Signiam ad hoc advenit, tribus cum cardinalibus comitantibus, Petro scilicet episcopo Prænestino, Nicolao episcopo Tusculano, et Andrea episcopo Portuensi, ut aram S. Brunoni dicatam suis ipse manibus sacram faceret, pluresque reliquias SS. apostolorum, martyrum et virginum in ea collocavit. Hisce summis pontificibus de S. Brunone optime meritis accenseam Gregorium XIII, qui diœcesi Signiensi an. 1584 indulsit, ut psalmodia et missa sub ritu duplici cum octava in die festo S. Brunonis celebretur. Ita constat ex litteris cardinalis Sirleti die 11 Junii 1584, Gregorii papæ an. XII. Postquam ergo tot Romani pontifices S. episcopum Signiensem in vita, et post obitum præclarissimis dignitatibus et honoribus exornarunt, flocci faciendi sunt scriptores illi qui non laudes ejus, sed detractiones ad posteritatem transmiserunt.

CAPUT XVIII.

De cultu sancti Brunonis.

Priusquam Bruno solemni ritu inter sanctos relatus fuisset, ut diximus in superiori capite, Signiensis Ecclesia et cœnobitæ Casinenses eum peculiari cultu et honore prosequebantur. Sed sacra ejus apotheosi a Lucio III peracta, et frequenter ad illius sepulcrum portentis coruscantibus, adeo Signienses amore et fiducia in S. Episcopum exarserunt ut illum in præcipuum patronum et protectorem sibi elegerint. Inde certatim non tam cives quam finitimi populi magnam vim auri contulerunt, ut majus templum, ubi sacri ejus cineres colebantur, decentius restauraretur, et pretiosa supellectili ornaretur. Accidit autem quod, cum Campania universa anno 1557, sedente Paulo IV in Romana cathedra, ab hostilibus copiis, sub Albensi supremo duce invasa et depopulata fuisset, eamdem calamitatem, suarumque rerum direptionem et combustionem Signiæ civitas passa est. Cum igitur nihil ab incendiis, rapinis et vastationibus militaris licentia intactum reliquisset, etiam capsula argentea, in qua S. Brunonis reliquiæ asservabantur, et bustum pariter argenteum sacrum caput ejus continens, eumdem furorem subierunt, sed caput a theca extractum, ac lino involutum in quoddam sepulcrum projectum fuit. Quæ arte humana reparare poterant, quam ocius licuit, Signienses restaurare curarunt. At maxima in tristitia versabantur; quod pretiosiore beneficentissimi Patris sui monumento carerent, nec ubi requirerent indicium ullum haberent. Longa post tempora a Signiensi depopulatione die 10 mensis Julii an. 1626, cum eodem in templo quoddam sepulcrum reseratum fuisset, ecce in tenebris lux magna refulsit, mirabiliter irradians circa li-

Digitized by Google

neum velamen, quo S. episcopi caput tegebatur. Hoc insigne portentum cum statim episcopo innotuisset, eo jubente, clero ac populo lætitia gestientibus, elevatum est sacrum caput atque honorifico loco depositum. Ut autem per publicas tabulas portentosa capitis S. Brunonis inventio constaret, implorata a Romana sacr. Rituum congreg. facultate, vocati ad examen idonei testes, portentum, quod viderant, sacramento confirmarunt. Omnibus itaque persolutis riteque probatis, ut publicus cultus venerando capiti restitueretur, nihil amplius supererat quam Signiensis episcopus decretum scripto traderet. Cum diutius, quam par erat Petrus Corbellius antistes illud protraheret, novo coruscante prodigio, rem perficere compulsus est. Super mensam proprii cubiculi idem Petrus sacrum caput retinebat, at quodam vespere supervenientibus noctis tenebris, in eo quod decretum illud exararet, iterum idem sacrum caput fulgentibus radiis circumdatum, totumque cubiculum splendore implentibus ei apparuit. Nescio utrum plus timoris an admirationis Petro episcopo accederet, cum adeo in decernendis publicis honoribus S. Brunonis capiti tardus fuisset, quos tandem III Id. Nov. an. 1703, maxima celebritate, civibusque universis exsultantibus restituit. Hæc omnia docet marmoreum monumentum in majori templo erectum.

SEDENTE SS. CLEMENTE XI PONT. MAX.
VEN. CAPUT S. BRUNONIS HUJUS ECCLESIÆ EPISCOPI
ARGENTEIS THECIS, GEMMISQUE AB IMPIIS MILITIBUS
IN EXCIDIO HUJUS URBIS ANNO 1557 DENUDATUM
ET IN SEPULCRO DEJECTUM ET AN. 1626
MIRABILITER REPERTUM DIVINA LUCE CIRCUMFUSUM
TANDEM DIVINO AFFLANTE SPIRITU
AD HUJUS CLERI, URBIS, ET DIŒCESIS ENIXAS PRECES
ILLUSTRISSIMUS, AC REVERENDISSIMUS DOMINUS
PETRUS COMES DE CORBELLIS FANENSIS
UTRIUSQUE SIGN. REFEREND., AC EPISCOPUS SIGNINUS
PONDERATO PROCESSU, PROBATIONIBUS, PRODIGIIS
EMINENTISSIMORUM S. R. E. CARDINALIUM
ET THEOLOGORUM VOTIS
MAGNA URBIS SIGNIÆ LÆTITIA
AD PRISTINUM CULTUM SOLEMNI RITU REDONAVIT
SAL. AN. MDCCIII TERTIO IDUS NOVEMBRIS.

Cum ergo tot, tantisque mirabilibus signis sibi datum e cœlo patronum Signienses noverint, quidquid ad ejus honorem et gloriam conferre potest, liberalissime huc usque largiti sunt, eademque pietas, et liberalitas a patribus in filios propagatur. Quibus vero beneficiis hujusmodi cultus a S. episcopo rependatur, ipsi Signienses experiuntur, qui toties præsens habent ejus patrocinium, quoties pro cœli serenitate, vel pro opportunis pluviis, aut pro repellendis tempestatibus, supplicibus votis implorant. Quanto autem apparatu, populorum concursu, omnique genere solemnitatis dies festus S. Brunonis XV Kal. Aug. celebretur, præcedentibus Novemdialibus, quibus cives tantam celebritatem præveniunt, et sanctiorem reddunt, cum paucis referre nequeam, præteribo. Sed Astenses etiam, et Solerienses, qui certatim S. Brunonem, ut diximus, civem suum sibi vindicant, suis in templis, erectis aris in ejus honorem, omni ecclesiastico cultu, ac festiva pompa die anniversaria transitus ejus ad cœlum cum prosequuntur. Senis etiam in cujus Ecclesia cathedrali, ut diximus, Bruno canonicus fuit die 18 Julii cum officio et missa sub ritu duplici ejus memoria celebratur, et peculiari in veneratione habetur.

Decretum cardinalis SIRLETI *concessionis officii* S. BRUNONIS *episcopi Signiensis De communi confessorum pontificum Signiæ civitati, et Diœcesi datum, cum lectionibus propriis ab eodem doctissimo cardinali approbatis.*

Nos Guillelmus Sirletus presbyter cardinalis Tit. S. Laurentii in Paneperna, fidem facimus et attestamur S. D. N. D. Gregorium papam XIII, vivæ vocis oraculo nobis facto concessisse, et licentiam dedisse episcopo, et clero Signino in ipsa civitate, et diœcesi Signina publice et privatim recitandi officium in choro et extra infra scriptum S. Brunonis episcopi et confessoris sub ritu duplici cum octava.

« Dat. in palat. apost., in loco nostræ residentiæ, die 11 Junii 1584, pontificatus S. D. N. Gregorii papæ an. XIII.

« LECTIO I. Bruno Soleriæ in Insubria non procul ab Asta civitate, Andrea, et Scylla parentibus honestis et religiosis natus, admodum puer religiosis viris monasterii S. Perpetui Astensis diœcesis in disciplinam traditus, in omni ecclesiastica doctrina mirabiliter profecit. Inde Bononiam studiorum causa missus, tum sæcularibus, tum divinis litteris egregiam operam cum navasset, doctoris nomen assecutus est. Cum autem in Etruriam, episcopi civitatis Senarum, cujus per id tempus nomen erat celeberrimum, visendi studio se contulisset, et ab eo est benigne acceptus, et in canonicorum majoris ecclesiæ collegium publico omnium gaudio allectus. Inde necessariis de rebus ab episcopo Romam missus quo tempore Gregorius VII regebat Ecclesiam, ac de eucharistiæ sacramento cum Berengario prava omnia sentienti, gravis orta esset controversia, Brunonis fama commotus pontifex ab eo petiit, ut cum Berengario (frustra expertis aliis) ipse unus congrederetur, et argumentis, atque ipsa veritate convictum ab errore demum revocaret. Quod ille Dei fretus opibus, magnoque animo agressus, feliciter perfecit.

« LECTIO II. Pontifex spectata Brunonis constantia, et ejus adductus virtutibus, Petro Albanensi episcopo cardinali, a quo cum benigne hospitio fuisset acceptus, hominem hunc, inquit, majorem in modum tibi commendo, quippe qui Ecclesiæ magno est usui futurus. Ergo Romæ sacris initiatus, et ab ipso summo pontifice consecratus (quamvis invitus) Ecclesiæ Signinæ creatur episcopus. A qua sane Ecclesia incredibili omnium gaudio susceptus est, actæque publice Deo grates, qui talem pastorem sibi dedis-

Digitized by Google

set. Ille vero suarum morbos ovium statim curare aggressus, Adulphi præsertim Signini quondam comitis, ab eodem capitur, atque in vincula conjicitur. Custodiæ locus fuit castrum Viculum, a quo non longe abest Lepinus mons, ubi ipsa condita est Siguia. Ibi vero gravia et atrocia multa perpessus, cum vehementissima siti laboraret, aquam sibi e proximo haustam puteo afferri jubet, quam cum libasset, melioris notæ vinum esse deprehendit. Eum qui attulisset verbis castigat, quod pro aqua vinum porrexisset. Ille vero jurejurando culpam deprecatus, cum itidem etiam frigidam jussus attulisset, ad episcopi benedictionem toties in vinum conversa est aqua. Eo miraculo perculsus comes Adulphus, suique facinoris conscius, ne peccando identidem culpam cumularet, ac bonorum odium magno cum suo dedecore susciperet, episcopum custodia liberatum dimisit.

« Lectio III. — Fuit autem S. Bruno in sacrarum litterarum lectione et meditatione valde frequens; quod ejus declarant egregiæ lucubrationes. Scripsit enim in quinque libros Moysi, in Judicum librum, in libros Regum, in psalmos David, in Cantica canticorum, in Isaiam prophetam, in Job, in Apocalypsim. Edidit quoque 155 quas ad populum habuit homilias, et sermones 69, in quibus et eruditio, et pietas ejus elucet. Cujus sanctitatem et sapientiam tanti fecit Paschalis II illi ut legationes in Gallias et Siciliam mandarit, ubi et Ecclesias ordinavit, et morum disciplinam restituit. Magnæ synodo Lateranensi habitæ laudabiliter interfuit, in qua legibus abrogatis iis, quas pontifex Romanus, cogente Henrico V imperatore, tulisset, invictus vehementissime studuit. Et cum sedisset in episcopatu annis 34, excessit e vita Signiæ XV Kal. Augusti an. 1125, natus annos 73, editis multis miraculis. Quem postea Lucius III P. M. Siguiæ anno Natalis Domini 1183, quinquagesimo octavo post beati Brunonis excessum in sanctorum numerum retulit. In ejusdem postea honorem Honorius III an. Sal. 1223, pontificatus vero sui VII, Petro Prænestinensi, Nicolao Tusculano, et Andrea episcopis cardinalibus administris aram suis ipse manibus solemni more dedicavit. »

Opportunum ducimus hic referre decretum synodi Alexandrinæ die 12 Novemb. an. 1618 de mandato D. Erasmi Pallavicini ejusdem urbis episcopi, et apud Ferdinandum II Austriacum imperatorem apostolicæ sedis nuntii, quod ita se habet. Consuluit antiquitas, nec hisce temporibus abolevit consuetudo, ut illustrium virorum gesta publicæ commendarentur historiæ, quo perpetuo, quantum fieri potest, in sæculo vivant, quem nos morem probatum prosequentes, memoriæ ac simul venerationi non modo vestræ, sed et cujusque posteritatis commendare contendimus virum, non solum ex gestis sæcularibus, aut virtutibus, humanisve scientiis illustrem; sed divinis etiam imbutum disciplinis, gloria æterna fruentem, ut merito in hominum memoria versetur, et digna veneratione colatur, qui ad gaudia transit angelorum. Cum itaque beatus Bruno Signiæ civitatis episcopus ex oppido Solerii hujus diœcesis, ex cujus etiam symbolo hanc ipsam civitatem constructam fuisse non ignoramus, gloriosam originem duxerit, congruum nobis visum est, ut tanti sancti in tota Alexandrina Ecclesia pietatis argumento officium recitari debeat. Quo circa præsenti decreto ordinamus, ut in festo ipsius sancti, qui ex martyrologio Romano celebrari consuevit die 18 Julii, fiat officium de ipso sancto Brunone episcopo et confessore duplex cum octava. Hujusmodi autem officium omnino fiat tam in ecclesia quam extra, ac etiam tam publice quam privatim, ac propterea sancimus ut quotannis in Kalendario referatur.

TESTIMONIA SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM

DE SANCTO BRUNONE.

I.

Petrus diaconus monachus Casiensis, De viris illustribus Casiensibus, cap. 34.

Bruno Signiensis episcopus et Cassinensis abbas, insignissimus et splendidissimus Ecclesiæ defensor, et doctor, inter multa et præclara ingenii sui monumenta scripsit (69) rogatu Signiensium canonicorum Expositionem super Psalterium, super Genesim, super Exodum, super Leviticum, super Numerum, super Deuteronomium, super Cantica canticorum, super Judicum (70). Fecit et sermones hos : De laudibus Ecclesiæ in dedicatione Templi, De paradiso, De arca Noe, De tabernaculo fœderis, De templo Salomonis, et De muliere, per quam Ecclesia significatur; De civitate S. Jerusalem, De basilicis quæ ab episcopis dedicantur. Item De Evangeliis; de ornamentis Ecclesiæ, De fide, De spe, De charitate,

(69) S. Bruno in præfatione ad commentarium super Psalmos aliter monet de iis, qui eum ad psalmorum expositionem impulerunt. Facto enim verbo de prima expositione, alterius sic meminit : « Rogatus igitur ab amicis, et præcipue a Peregrino venerabili abbate dedi operam, ut hæc quoque sicut illa propriam haberet interpretationem. » Hic est commentarius in psalmos, quem hoc in volumine complexi sumus. Erravit ergo Petrus Diaconus dicens precibus canonicorum Signiensium elaboratam fuisse illorum expositionem.

(70) In cap. 2 Prolegom. 1, ubi dictum fuit Petrum Diaconum inter adnotata S. Brunonis opera, mentionem non habuisse de ejus comment. in prophetam Isaiam, addi debebat hoc in catalogo, in quo proprius hujusmodi mentionis erat locus. Cæterum in Vita ejusdem sancti Petrum Diaconum Isaiæ expositorem dixisse fatemur.

Digitized by Google

De quatuor virtutibus; De humilitate, De misericordia, De pace, De patientia, De castitate, De obedientia, De abstinentia. Ubi Ecclesia ornatur, De novo mundo, De cœlis novis, De mari, et De piscatoribus novis, De arboribus novis, De animalibus novis. De festivitatibus festivitatum, id est de S. Trinitate sermones tres; De Nativitate Domini, De Circumcisione, De Epiphania, De octava Epiphaniæ, De Palmis, De cœna Domini, De Pascha, De Ascensione Domini, De Pentecoste, De nativitate S. Mariæ, De Annuntiatione, De Purificatione, De Assumptione ejus. De virginibus sermones tres, De martyribus sermones tres, De martyribus sermones septem; homiliam in festivitatibus confessorum, aliam in festivitate S. Benedicti, cum sermonibus duobus de pontificibus; quatuor De S. angelo; De apostolis homilias quinque; De pluribus martyribus homilias tres, De uno martyre homilias tres; De dedicatione Ecclesiæ, in Adventu Domini, Dominica II De Adventu, Dominica III De Annuntiatione B. M. Virginis duas; De Dominica IV Adventus. In vigilia Nativitatis D.; in die Nativ. D. homilias tres, in S. Stephani, in S. Joan. evangelistæ, in festivitate Innocentium. In Dominica I post Natalem Domini, in octava Natalis Domini, in Epiphania; Dominica I post epiphaniam, Dominica III, IV et V. In Purificatione S. Mariæ, in Septuagesima, in Sexagesima, in Quinquagesima, in Cinere, et cilicio. Feria VI, et Sabbato in capite quadragesimæ, usque in cœnam Domini hom. XL. In Cœna Domini, Sabbato sancto, in festivitate Paschali, in feria secunda, tertia, quarta, quinta, et sexta, et Sabbato in octavis Paschalibus, in Dominicas I, II, III et IV post octavas Paschæ, in processione majori, in festivitate apostolorum Philippi et Jacobi, in Inventione S. Crucis, in S. Angelo, in Ascensione Domini, in Dominicam I post Ascensionem Domini, in Penteeoste. Dom. I post oct. Pent. Dom. II, III et IV. In S. Joan. Baptistæ, in vigilia apostolorum Petri et Pauli, et in C die eorum. In Domina I post Natalem apostolorum homiliæ XXIV. In S. Laurentio, in Assumptione S. Mariæ, S. Matthæi, Vig. S. Andreæ, et in die ejusdem. Fecit et sermonem de S. Scholastica, sermonem De translatione S. Stephani e civitate Constantinopolitana ad Arcem Romanam: versus in laudem S. Mariæ: homiliam in decollatione S. Joannis Baptistæ, in Nativitate S. Mariæ. Fuit autem temporibus Henrici IV et V imperatorum. Sepultus est in episcopatu suo apud civitatem Signinam.

II.

Sixtus Senensis. Actuar. in Bibl. Sanct. p. 513, cum additis P. Pii Milante O. P. edit. Neapol. an. 1742.

Sanctus Bruno, seu Brunus, Italus Ligur, ex illustri Astensium sanguine, episcopus primum Signinus, seu Signiensis, deinde abdicato episcopatu monachus Casinensis, et postea omnium fratrum concordi voluntate abbas electus præfuit annis tribus et decem mensibus; sed a Paschali II R. P. coactus ad suum rediit episcopatum. Scripsit commentaria in Pentateuchum, in Job, in Psalterium, in Canticum Zachariæ, homilias seu serm. CLXIV, et quamplura alia theologica opera, quæ omnia studio et cura Mauri Marchesii, ut Cavius scribit in unum collecta, et auctori suo vindicata duobus tomis in-fol. fuerunt Venetiis impressa an. 1651. Obdormivit in Domino an. 1125, prid. Kal. Septemb.

III.

Robertus cardinalis Bellarminus, cum Supplementis Philippi Labbei, edit. Venet. an. 1727, p. 351.

Librum De laudibus Ecclesiæ, ac proxime sequentes omnes, quos patriarchæ suo sanctissimo vindicant Carthusiani, non ad eum, sed ad Brunonem Signiensem episcopum, S. R. E. cardinalem pertinere conatur evincere multis argumentis D. Maurus A Marchesius, Panormitatus, congreg. Casinens. monachus in dissert. historica, quam operibus editis præmisit.

Inter Brunonis scripta memoratur Vita S. Leonis papæ IX amplior ea quam scripsit Wibertus archidiaconus, a Sirmundo edita an. 1615, cum Vita Caroli Boni Flandriæ comitis.

Brunonis meminerunt præ cæteris Petrus Diaconus in Casinensi Chronico, cardinalis Baronius tom. XII Annalium, Marcus Anton. Scipio in elogiis abbatum Casinensium, Ferdinandus Ughellius tom. I Ital. Sac., in Signinis episcopis, et Philippus Malabayla in disquisitione de ortu, canonicatu, et recessu a Cassinatibus S. Brunonis, quem docent obiisse die 18 Julii anno circiter 1125 et a Lucio III in sanctorum numerum relatum. D. Lucas Dacherius edidit tom. XII, p. 79, Spicilegii, opus S. Brunonis De consecratione Ecclesiæ perfectius editione Veneta facta a Marchesio. B

IV.

Jacobus Le Long in Biblioth. Exegetica, p. 651.

Bruno Ligur civitatis Astæ, ex familia Soleria, Benedictinus, abbas Casinensis, deinde episcopus Signiensis, obiit an. 1123. Ejus opera sunt:

1. Commentarium in Pentateuchum.
2. In Job.
3. In Psalterium juxta vulgatam versionem.
4. In Cantica canticorum.
5. In Apocalypsim; quæ opera publicata fuere in duobus voluminibus comprehensa Venetiis an. 1651, et in Bibliot. PP. Lugdunensi.
6. In Lib. Judicum.
7. In Judith.
8. In Isaiam.
9. In quatuor Evang. Parisiis Bibl. S. Victoris Cod. 815, et Taurini in Bibl. Ducis Sabaudiæ.

Commentaria autem in librum Judicum, et in Isaiam exstant in Bibl. Carthusianorum monasterii C S. Barthol. ad Anagniam.

Aliud opus, scilicet commentarium, scripsit in psalmos, ut ipse testatur in ejus præfat: « Cum essem adolescentulus exposui Psalterium secundum aliam translationem; » quod quidem explicatur ab auctore anonymo ipsius Vitæ, operibus excusis præfixæ: « Rogatus, inquit, a quibusdam Ultramontanis Psalterium secundum Gallicanam translationem compendiosa expositione percurrit. »

S. Bruno Germanus Coloniensis Carthusianorum institutor obiit an. 1101; ejus opera sunt: 1. Expositio in psalmos David. 2. Commentaria in omnes Epistolas Pauli edit. in-fol. Paris. 1509, iterum Paris. 1524, in-fol., Colon. 1611, 1640. Non desunt qui hæc opera Brunoni nostro abjudicant, et Astensi ascribenda esse contendunt.

S. Brunonis homiliæ seu sermones 144, Eusebio Emiseno, aut Eucherio Lugdunensi, aut aliis nominibus perperam ascripti sunt: D

Tractatus in Canticum Zachariæ.

Tractatus De incarnatione Domini.

Argumentum De sacrificio azymi.

De sacramentis, Eccl. mysteriis, atque eccl. ritibus opusculum.

Vita S. Petri Anagnini.

Vita S. Leonis papæ IX, cui additur responsio ad quæstionem: *Cur corruptus Ecclesiæ status.*

Sententiarum libri sex.

Opusculum De consecratione eccle. edidit Lucas Dacherius, Spicil. tom. XII, pag. 79

V.

Ferdinandus Ughellius abbas Cisterciensis in Italia Sacra, de episcopis Signinis tom. I, pag. 1256.

Sanctus Bruno Astæ natus ex familia Soleria nobilissima, Castelli Solerii domina Andream Scylamque habuit parentes. In monasterio S. Perpetui ordinis Benedictini primis disciplinis excultus

Digitized by Google

deinde Bononiæ altiores facultates prosecutus est, nempe canonicam et jurisprudentiam. Astensis canonicus electus Romam sub pontificatu Gregorii VII, profectus in publico Romano concilio Berengarium, impie de sacramento altaris sentientem disputando repressit profligavitque, ita ut a summo pontifice honoris ac celebris victoriæ ergo Signinus crearetur episcopus. Quam quidem Ecclesiam ad annos multos sapientissime gubernavit, donec tranquillioris vitæque contemplatricis desiderio tactus, abdicato onere, monachum Casinensem professus est an. 1104, in quo a Paschali II pontifice missus in Gallias est, ubi celebrem synodum celebrasse narratur a Petro Diacono lib. IV, cap. 33, cujus legationis frequenter meminit Ivo Carnotensis. Reversus inde ad claustrum an. 1107, ex decessu Othonis abbatis, Casinensis abbas omnium monachorum consensu electus est Idib. Nov. Præfuit ad annos 3, et menses 10, quibus exactis, cum inter ipsum et Paschalem pontificem controverteretur, an præstaret magis præesse cœnobio, an episcopali munere fungi, pontificis reverentia victus, abbatiale munus renuntiavit, atque ad Signinam Ecclesiam rediit, quam summa pietatis laude, deinde, ut prius fecerat, rexit. Scribebat autem Bruno in otio sapientiam; siquidem hæc ejus monumenta in monte Casino adhuc visuntur.

In Genesim lib. I, in Exod. lib. I, in Judic. lib. I, in Psalmos lib. I, in Apocalypsim lib. I, Sententiarum libri sex. Sermones Dominicales, ac De sanctis. Homiliæ diversæ. In Psalmos aliam edidit expositionem, ut ipse fatetur. Extat hujusmodi expositionis codex ms. apud abbatem Hilarionem Rancatum. Hanc vitam cum cœlesti commutavit sub Calixto II an. 1125, XV. Kal. Aug.; a Lucio III inter sanctos relatus est ab ejus decessu anno 58. Baronius in Martyrolog. Romano, die 18 Julii memoriam habet. Plura autem de eo Leo Ostiensis in Chron. Casin. lib. IV, cap. 31, et in litteris Paschalis anno vero 1226. Honorius III pontifex suis manibus S. Brunoni in eadem cathedrali dedicavit altare. At ipse Bruno in eadem cathedrali altare B. Mariæ V. consecravit, ut antiqua fert inscriptio.

VI.

Franciscus Combefisius. Volum. I Bibl. concion., p. 8., edit. Paris. 1662.

Sanctus Bruno patria Astensis, Signiensis episcopus, ac abbas Montis-Casini, illarum auctor homiliarum, quæ Eusebii Emiseni nomine pridem vulgatæ sunt, ac Alcuini Homiliario postremæ editionis Coloniensis insertæ. Evincit rem Maurus Marchesius Panormitanus congreg. Casinensis, dissertatione de Brunone, et libris ab eo conscriptis, quæ præfixa est editioni operum ejus Venet. 1651. Quod vero attinet ad Sententiarum libros sex, quorum primus est De laudibus Ecclesiæ, qui ipsi sanctissimo Carthusianorum patriarchæ in aliquibus codicibus majoris Carthusiæ inscripti inveniuntur, ex quibus etiam sex sumptæ sunt lectiones ad officium ejusdem S. patriarchæ, ægre adducor ut assentiar Marchesio. Pugnant codicibus codices: asserenti Petro Diacono in opere De viris illustribus monasterii Casinensis lib. IV, cap. 31, ubi accurate percensens Brunonis Astensis libros, hujus tanti operis, ac velut palmarii nullam mentionem facit (71), sed postremum illud homiliasticum, ac sermonum opus pseudoeusebianum adducit. Styli affinitas, in qua Marchesius sibi præsidium putat, magis forte ipsi officit. Potuit sanctissimus patriarcha tanti S. Benedicti meminisse titulis, quem vitæ monasticæ singularem patronum, ac exemplar, ducemque novus ipse novæ militiæ initiator, pleraque mutuatus a Benedicto haberet. Hæc si levia videantur, malitque stare ab altero Brunone, qui domestica exempla, ac documenta apud suos urgeret, exque temporis et auditorum ratione stylum componeret non contendo, per me licet. Vixit in episcopatu Bruno supra annos 40, ex quibus aliquot egit monachus, aliquot abbas in Monte-Casino. Obiit anno 1101.

VII.

Natalis Alexander. Hist. eccl. sæc. XII.

Bruno Astæ, apud Insubres ex familia Soleria nobilissima natus, sanctitate et doctrina clarissimus, Berengarium hæresiarcham in synodo Romano anno 1079 confutavit. Deinde a Gregorio VII, qui huic synodo præerat, Signinus episcopus creatus, cum annos aliquot pastorale munus summa cum laude exercuisset, desiderio contemplationis illectus, Casinum migravit, ac religiosam vitam professus est, et Casinensis abbas electus; sed instante populo ad Ecclesiam suam apostolica auctoritate redire jussus, anno circiter 1125 ad vitam migravit immortalem. A Lucio III pontifice maximo sanctorum numero ascriptus est. Inter multa et præclara ingenii sui monumenta scripsit rogatu Signiensium canonicorum Expositionem in libros Judicum, in Psalterium, et Canticum canticorum. Item sermones plurimos, quos inter Petrus Diaconus lib. De viris illustribus CXXXIV eos enumerat, quos Theodorus Petræus Carthusiæ Coloniensis alumnus sub nomine S. Brunonis Carthusianorum patriarchæ edidit tom. III operum ejus. Quos sane ipsius non esse cum Petri Diaconi auctoritas, tum alia monumenta evincunt. S. Bruno Signinus episcopus, et Casinensis abbas, « splendidissimus Ecclesiæ defensor, et doctor » a Petro Diacono prædicatur. Brunonis Signini episcopi expositiones De consecratione Ecclesiæ ad Gotofredum Magalonensem episcopum: item De consecratione Chrismatis; De significatione vestimentorum sacerdotalium edidit D. Lucas Dacherius tom. XII Spicilegii.

VIII.

Arnoldus Wion Belga, monachus S. Benedicti de Mantua in libro cui titulus: Lignum vitæ, *p. I, pag. 19, edit. Venet. anno* 1595.

Sanctus Bruno, sive Brunus, ex illustri Astensium sanguine, episcopus primum Signiensis, deinde abdicato episcopatu monachus Casinensis, postmodum ab Othonis 44 abbatis obitu, omnium fratrum concordi voluntate abbas 45 an. 1107, Id. Novembribus electus, præfuit annis 3, mensibus decem, quibus elapsis, a Paschali II coactus, ann. 1111, Idibus Septembris abbatiam deponens ad episcopatum suum reversus est, ubi in sancta conversatione ad finem usque perseverans migravit ad Dominum pridie Kal. Septemb.

Cum non minus doctrina quam sanctitate floreret scripsit plura opera, videlicet:

In Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Numeros, in Deuteronomium, in Cantica canticorum, in Judicum, in Psalmos, in Isaiam, in Apocalypsim.

Sententiarum libri sex, qui sunt in bibl. Casinensi in membranis sermones 69, De Dominicis et præcipuis anni festivitatibus lib. 4, quorum primus De laudibus Ecclesiæ, habetque sermones 9; secundus De ornamentis Eccl. continet sermones 12, tertius De novo mundo serm. 10, quartus De præcipuis festivitatibus anni complectitur sermones 36.

(71) Hic Combefisium aut memoria lapsum, aut Petri Diaconi testimonium de operibus S. Brunonis non legisse quod primo collocavimus, manifeste evincitur. Libros quidem Sententiarum non nuncupavit; verum titulos singulos capitum, seu sermonum descripsit. In quantis hic erraverit Combefisius; quæ a nobis producta sunt in Prolegomenis, et in Vita satis manifestant.

Digitized by Google

Hi erant apud me in membranis; sed eos amicitiæ ergo dono dedi D. Constantino Syracusano monacho Catanensi.

Homilias de diversis 155, quæ eædem sunt a Possevino descriptæ.

IX.

Antonius Possevinus soc. Jesu. In Apparatu sac., pag. 243, edit. Colon. Agripp., a. 1608.

Bruno, sive Brunus, Ligur ex illustri Astensium sanguine, et vir sanctus, episcopus primo Signinus; deinde abdicato episcopatu, monachus Casinensis, postea ab Othonis 44 abbatis obitu, omnium fratrum concordi voluntate abbas 45, an. 1107, electus, præfuit annis tribus, et mensibus decem, quibus elapsis a Paschali II, coactus an. quarto Idibus Septemb. abbatia relicta ad episcopatum suum reversus est, quem sancte administrans migravit ad Dominum pridie Kal. Sep., an. 1125, scripsit:

In Genesim lib. I.
In Leviticum lib. I.
In Numeros lib. I.
(*Et hi tres sunt in biblioth. Casin. mss.*)
In Deuteron. lib. I.
In Cantic. canticorum lib. I.
In Exodum lib. I.
In Judicum lib. I.
In Psalmos lib. I.
In Isaiam lib. I.
In Apocalypsim lib. I.

Libri sex Sententiarum, qui exstant in bibl. Casinensi in membranis, serm. LXIX De Dominicis et præcipuis anni festivitatibus lib. IV. Quorum primus est De laudibus Ecclesiæ, ac continet sermones IX. Secundus De ornamentis Ecclesiæ, sermones XII. Tertius De novo mundo, serm. X. Quartus De præcipuis festivitatibus anni serm. XXXVI. Constantinus autem Syracusanus ordinis S. Benedicti monachus Catanensis hosce omnes dono accepit ab Arnoldo Wion. Homilias porro scripsit de diversis, quarum apud Arnoldum exstant sequentes mss.

In Dominica I Adventus incipit: *Duos discipulos.*

In Dominica II Adventus incipit: *Quibus interrogantibus.*

In Dominica III Adventus incipit: *Jounnes Baptista.*

In Dominica IV Adventus incipit: *Omnes enim existimabant.*

In feria VI Quatuor Temporum incipit: *Virgo Deo plena.*

In pervigilio Nativitatis Domini: *Primum autem quærendum est.*

X.

Guillelmus Cave. In Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum sec. Hildebrandini, pag. 559, edit. Coloniæ Allobrog., anno 1720.

Bruno patria Langobardus in Villa Soleria apud Insubres ex illustri Astensium prosapia natus, Andræ, et Willæ filius, pietatis et studiorum tirocinia posuit; inde in Etruriam transiens inter canonicos Senenses cooptatus est. Hinc Romam venit, et coram Gregorio VII, adversus Berengarium in synodo Romana anno 1079 disputavit; episcopus Signiensis mox designatus. Cumque vehementer pontifici ea in re reniteretur, pia quadam fraude a Gregorio circumdatus onus impositum suscipere coactus est. Claruit præcipue circa annum 1087. Anno 1096, concilio Turonensi interfuit. Post plures in episcopatu transactos annos, solitudinis desiderio victus, anno 1104 Casinum aufugit. Enixis precibus Paschali pontifici oblatis episcopum suum repetunt Signienses. Ille pontificis auctoritate compulsus ad suam sedem rediit. Eodem anno a pontifice missus est primo ad Rogerium Apuliæ comitem, deinde cum Boemundo Antiochiæ principe in Gallias, ubi concilium Pictaviense celebravit. Anno 1107 Casinum reversus ejusdem cœnobii abbas eligitur, Paschale papa electionem comprobante, atque illud ei elogium reddente, dignissimum esse, cui se vita functo Christianæ reipublicæ gubernacula traderentur. Anno 1108, Paschalem ad synodum Beneventanam comitatus est. Anno III, pontificis jussu sese abbatis munere abdicavit, et ad Signienses reversus anno demum 1125, prid. Kal. Sept. in Domino obdormivit, episcopatus anno 44.

OPERA.

Commentaria in Pentateuchum.
Commentarius in Job.
Commentarius in Psalterium.
Commentarius in Cantica canticorum.
Commentarius in Apocalypsim.
Homiliæ seu Sermones CXLIV Eusebio Emiseno, aut Eucherio Lugdunensi perperam ascripti.
Tractatus in Canticum Zachariæ.
Tractatus De incarnatione Domini.
Argumentum De sacrificio azymi.
De sacramentis, Ecclesiæ mysteriis, atque ecclesiasticis ritibus opusculum.
Vita S. Leonis IX papæ.
Responsio ad quæstionem, *Cur corruptus Ecclesiæ status?*
Vita S. Petri episcopi Anagnini.

Sententiarum libri sex. De laudibus Ecclesiæ. De ornamentis Ecclesiæ. De novo mundo. De festivitatibus festivitatum. De laudibus B. Virginis. De martyribus, confessoribus, etc.

Opuscula ista inter Brunonis etiam Carthusiani opera habentur.

Prodierunt Brunonis opera a Mauro Marchesio monacho Casinensi in unum collecta auctori suo vindicata, et notis illustrata. Venet. an. 1651, duobus tomis in-fol., et exinde in bibl. PP. tom. XX, pag. 294.

Opusculum Brunonis De consecratione Ecclesiæ integrius edidit Lucas Dacherius Spicil. tom. XII, pag. 79.

XI.

Ludovicus Ellies Dupinius, Bibl. script. etc., edit. Paris., tom. X, p. 159.

Bruno Astensis ejusdem urbis ecclesiæ cathedralis canonicus, et postea etiam canonicus Senensis, Romam venit Gregorio VII pontifice, eoque præsente contra Berengarium disceptavit; propterea Signiensi episcopatu remuneratus est. In montem Casinum se recepit, Paschale II Ecclesiam gubernante, qui ejus recessum ægre tulit; a quo revocavit, ut in Galliam, et in Siciliam apostolicæ sedis legatum mitteret. Aliquot annis archimandritam Montis Casini egit; sed ad suum tandem episcopatum remeavit, ubi functus est vita anno 1123.

Hujus auctoris opera a Mauro Marchesio monacho Casinensi Venetiis edita fuere an. 1651. in duo volumina distributa. Primum continet commentaria super V libros Moysi, super librum Job, super Psalmos, super Canticum canticorum, et super Apocalypsim, in quibus commentariis moralem sensum potius quam alium prosecutus est. Secundum volumen complectitur CXLIV sermones; quorum pars maxima sub nomine Eusebii Emiseni, aut Eucherii Lugdunensis publicata fuerat. Continet etiam tractatum super Canticum Zachariæ, tractatum De incarnatione, et De sepultura Christi Domini. Agitur de tempore, quo idem Dominus in sepulcro remansit; tractatum De usu Azymorum contra Græcos. Expositionem insuper aliquorum ecclesiasticorum rituum. Item Vitam Leonis papæ IX, tractatum ei annexum De statu corrupto Ecclesiæ, ubi disserit de ordinationibus ab episcopis

Digitized by Google

hæreticis, vel schismaticis factis; Vitam pariter S. Petri Anagniæ episcopi; binas litteras, unam Petro episcopo Portuensi, alteram Paschali II. Sententiarum libros VI, vel sermones varios morales, qui Brunoni Carthusianorum institutori ascripti fuerunt; sed a Marchesio Brunoni Signiensi vindicati, non tam ex testimonio Petri Diaconi, quam ex styli conformitate ex frequentibus commendationibus institutionis S. Benedicti, quam profitebatur, et quod se commentatorem dicat libri Apocalypsis, a Brunone Carthusiano non illustrati. Additum est commentarium super Psalmos Othonis monachi Casinensis, S. episcopo dicatum. Tractatus autem De sacramentis, seu De Ecclesiæ ritibus a Brunone pariter exaratus excusus fuit a Luca Dacherio tanquam novum inventum, quamvis in editione Veneta impressus haberetur.

XII.

Augustinus Calmet in Bibliotheca Sacra.

Bruno e Solerio in Astensi diœcesi oriundus, unde ipsi Astensis nomen, undecimo vivebat sæculo, et decessit an. 1120, sive 1125. Bruno Signiensis etiam appellatur, quod ad episcopalem Signiensis Ecclesiæ cathedram in agro Romano evectus fuerit. Dein ad montem Casinum se recepit, ubi ejus cœnobii abbas inauguratus est. Commentaria in Pentateuchum, in Job, in Psalmos, Isaiam, Cantica canticorum, Apocalypsim excusa in Bibl. PP., ex eo scriptore supersunt. Creditur auctor commentarii in epistolas S. Pauli, et quorumdam aliorum operum, quæ sub nomine S. Brunonis Carthusiæ institutoris prodiere. Ejus opera studio Mauri Marchesii decani Montis Casini in unum corpus prodiere anno 1651; morali, et allegorico sensu præcipue inhæret.

XIII.

Joannes Albertus Fabricius in Bibl. Latina mediæ et infimæ ætatis, cum additionibus Joan. Dominici Mansi, edit. Patav. an. 1754, pag. 287. S. Brunonis Astensis opera omnia a Marchesio publicata describuntur.

Sententiarum libri sex, qui non differunt ab his quos Carthusienses S. Brunoni institutori suo tom. III opp. ejus tribuerunt, S. Bruno Signiensis agnoscendus est auctor, ut anonymus Mellicensis agnovit, cap. 83.

Præter hæc in collectione operum ejus obvia, traditur Bruno hic scripsisse commentaria adhuc inedita in lib. Judicum, in Judith, et in Isaiam, ut Jacob le Long in ejus Bibl. Etiam versus ejus in laudem B. M. V. a Petro Diacono memorantur. Addit autem eruditissimus Mansius. In Bibliot. Riccardiana exstat ms. sæc. XII, opusculum ineditum S. Brunonis Astensis De muliere forti. Reperitur etiam in eo expositio in Cantica canticorum multum discrepans ab ea quæ prodiit in Bibl. PP., cujus operis fragmentum exhibet claris. Lami in catalogo ejusdem Bibl., qui et addit geminas epistolas ejusdem adhuc ineditas.

XIV.

Remigius Ceillerius. Hist. scriptorum sacrorum t. XXI, p. 101.

Bruno rogatus a S. Petro Damiani Isaiam et Apocalypsim commentariis suis illustrat, sed lucubratio illa in Isaiam adhuc in tenebris jacet. Commentarium autem in Apocalypsim in septem libros secundum numerum Ecclesiarum, vel episcoporum divisum est.

De Brunone Astensi mentionem habet P. le Long in bibl. Historic. Gallorum p. 654, ubi loquitur de duobus commentariis ejusdem S. Brunonis ineditis super libros Judicum, et Judith. Petrus Diaconus monachus Casinensis non memorat nisi commentarium super lib. Judicum. Scripsit pariter S. Bruno Vitam S. Petri Anagniæ episcopi. Vid. Bolland. die 13 Augusti. Item tractatum edidit de statu Ecclesiæ sæculo XI, qui cum aliis ejus operibus in tom. XX Bibl. Patrum edit. Lugdun. apud Annissonios reperitur. Ejus opera propter styli nitorem vel concinnitatem, itemque propter eruditionem, solidamque pietatem, quibus universim redundant, valde sunt commendanda.

XV.

Joan. Baptistæ Mari Romani S. Angeli in foro piscium canonici. Adnotatio in Petrum Diaconum.

Sanctus Bruno Astæ natus est ex familia Soleria nobilissima, a Gregorio VII episcopus Signinus creatur in virtutum ac doctrinæ præmium, quod Berengarium impie De sacramento altaris sentientem in publico Romano concilio disputando profligasset, deinde desiderio vitæ contemplatricis tactus, abdicato onere episcopali, monachum Casinensem professus est anno 1104, ubi postea omnium monachorum suffragio abbas Casinas electus anno 1107, Idibus Novembris, ibique præfuit annis tribus, et mensibus decem; quibus exactis, ad Ecclesiam Signinam, quam perinvitus acceperat, rediit, pontificis reverentia victus. Nos vero ne tanti doctoris laudes culpa deteramus ingenii, calamique parum felicis, illum aliis mittimus laudandum. Opuscula Brunonis duobus distincta tomis in lucem prodierunt anno 1651 Venetiis, studio et opera D. Mauri Marchesii Casinensis decani, scholiisque etiam illustrata, et licet non omnes lucubrationes, quæ in nostri Petri Elencho descriptæ sunt, inibi legantur, multæ tamen, quas Petrus præteriit, ibi habentur: nonnullæ vero mss. exstant Taurini in nobilissima, ac celeberrima bibliotheca serenissimi Sabaudiæ ducis, præsertim vero commentarius in cuncta quatuor Evangelia, uti etiam aliqua in bibl. illustrissimi D. Caroli de Montchal archiep. Tolosani, scribit Philip. Labbeus in nova bibliotheca mss. librorum p. 195. Forsan tempus, quod publica abscondit, et occulta manifestat, Dei miseratione orbem tanti ditabit continuo thesauris. Consule Actuarium de script eccles. Auberti Miræi in Brunone, ac virum clariss. Theophilum Raynaudum Soc. Jesu, De malis ac bonis libris, part. I, erot. 10, in Eusebio Emisseno, et in Brunone Carthus. fol. 131 et 138. E valle miseriarum in montes æternitatis ascendit Bruno anno 1125, XV Kal. Aug., cum multis tam in vita quam in morte claruisset miraculis, relatus postea inter sanctos a Lucio III, ut videre est in inscriptione marmorea, quæ in Signina cathedrali spectatur. Vide etiam Apparatum ad præfata edita opuscula S. Brunonis. Opera autem omnia S. Brunonis Astensis recusa reperiuntur in bibl. PP. edit. Lugd. tom. XX, p. 1294.

XVI.

Joannes Maria comes Mazzuchellius, tom. II, part. IV, pag. 2227.

Bruno Astensis et ex gente Solari, aut Soleria ortus a pluribus scriptoribus affirmatur; qui sunt Ecclesia in catalogo script. Pedemont. pag. 42, Ughellius Ital. Sac. tom. I, col. 1236, Rosotti Syllab. scrip. Pedemont. p. 127, Leiferius in histor. pœtic. et pœm. medii ævi, et alii. Ex opposito alii scriptores eumdem Brunonem ex familia Astensi progenitum dixere, ut Possevinus, tom. I Apparat. sac. pag. 253 et pag. 383; Ciacconius in Bibl. col. 458, Cave Histor. eccl. p. 539; Milantes tom. I Bibl. Sixti Senen. pag. 513. Actuar. in Bibl. Sanct., Einsingerius, etc. Gabriel autem Busselin in Histor. universali, Porta in Alexandria illustrata p. 220, et Quadrius, vol. 2, Brunonem Solerii oppido natum. Sopranius, et Oldoinius inter scriptores Ligures numerant. Oldoinius, et Teisseirius S. Brunonem cardinalem dixere, eumque tribus annis, et decem mensibus Casinense monasterium rexisse.

Auctores, qui de S. Brunone Astensi scripserunt,

Digitized by Google

sunt Baronius Histor. ecc.. XII, et in notis ad Martyrolog., Leo Ostiensis Chronic. Casin. lib. IV, cap. 31, ejusque continuator Petrus Diaconus, anonymus Mellicensis De script. eccl. cap. 83; Bolland. Act. SS. mensis Julii, Philippus Malabayla, disquisitio De ortu, canonicatu et recessu Casinen. S. Brunonis, le Long, bibl. Sac., tom. II, pag. 654; Legipontius, tom. II, Histor. Lec. ord. S. Benedicti p. 210, et tom. III, p. 129. Opera S. Brunonis collecta, et illustrata ab abbate D. Constantino Cajetano Romæ existente, edita deinde fuere a Marchesio. Vid. Armellini part. II. Bibliot. Benedict. Casinen. p. 105.

Expositio S. Brunonis in Evang. reperitur inter latinos codices mss. bibl. Regiæ Parisiensis cod. 2510, ejusdemque opuscula exstant in cod. 2311, ejusd. bibl.

Bib. Conv. S. Pantaleonis

S. BRUNONIS ASTENSIS

SIGNIENSIUM EPISCOPI

EXPOSITIO IN PENTATEUCHUM.

I Rogasti me, dulcissime Pater et coepiscope Petre, cujus dilectionis effectus tantum erga me semper exuberat ut merito non rogare, sed jubere debuisses, quatenus librum Geneseos tibi exponerem. Sed quia multis, ut tu ipse optime nosti, et quæ evitare non decebat, impeditus fui, ideo usque ad præsens tuam petitionem adimplere nequivi, magisque tibi, quem ad ignoscendum facilem esse sciebam, ad tempus inobediens existere volui quam ea non agere; quæ si non egissem, tibi quoque reprehensibilis apparerem. Tandem igitur, et si tarde, feci tamen quod rogando jussisti. A principio autem libri usque post arcæ Noe fabricationem, quoniam difficiliora esse videbantur, pernecessarium visum fuit, continue cuncta exposita sunt. Inde vero usque ad eum locum, in quo Jacob benedictionibus propriis filios benedicit, per singula quæque capitula, quæcumque expositione indigere videbantur, breviter historiis prænotatis satis compendiose allegorias subposuimus. Benedictiones quoque Jacob, quoniam et ipsæ difficultatis aliquid habere videbantur, continua expositione digestas invenies. Suscipe ergo quod rogasti, sitque tibi pignus amoris, nostrique te memorem semper tuis in orationibus facias.

INCIPIT

EXPOSITIO IN GENESIM.

CAPUT PRIMUM.

« In principio creavit Deus cœlum et terram. » (71) In principio, inquit, et ante omnem creaturam creavit Deus cœlum et terram. Hoc enim et Psalmista testatur, dicens : « Et tu in principio Deus terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli (*Psal.* CI, 26). » Non igitur prius cœlum, quam terram, sed simul et cœlum Deus creavit et terram. Unde et Istud : « Qui vivit in æternum creavit omnia simul (*Eccli.* XVIII, 1). » Nam et si sex diebus omnia Deus hoc (72) eodem in libro fecisse narratur, simul tamen ex nihilo cuncta creasse dubitari non debet. Ipsam omnium rerum materiam simul creavit, ex qua discretis temporibus cætera, prout voluit, fieri præcepit. Dicatur ergo : In principio creaturarum omnium creavit Deus cœlum, et ea scilicet quæ continentur in eo, id est angelos, virtutesque cœlestes, et terram jam quasi prægnantem et parturientem, omniumque eorum materiam et matrem quæ ex ea oriuntur. Manifestum est ergo quoniam nec eorum, quæ modo fieri videntur, et si tempore prima sint, natura tamen prior terra non exstitit.

« Terra autem erat inanis, et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas. » Inanis enim erat terra, quia sicut informis materia nondum eas quas nunc videmus in se formas impressas habebat. Erat autem et vacua, nullo eam habitante. Sed quare similiter de cœlo non dicitur quod inane fuisset et vacuum, nisi quia, ut arbitror, statim in ipsa sui creatione angelos habuit habitatores? Terra ergo, et si naturaliter cuncta quæ ex ea fiunt in se haberet, tamen quia nihil adhuc ex ea temporaliter factum fuerat, non immerito inanis vocatur et vacua. « Erant autem tenebræ super faciem abyssi, » quia nondum lux facta fuerat, quæ novam illam creaturam illuminaret. Abyssus vero, alta cœli, terræque profunditas intelligitur, quæ quidem tota tenebris replebatur Dei. vero Spiritus ferebatur super aquas, quia ut bonus artifex, hanc, quam videmus, tam multiplicem creaturarum varietatem, jam tunc facere disponebat (73). Sic enim et nos, exempli gratia,

(71) Cod. S. Crucis min. in Bibl. Laur.

(72) Idem Cod. S. Crucis min.

(73) S. Bruno D. Ambrosii sententiam secutus est, qui lib. I Hexameron, cap. 18, ubi omissis aliis

Digitized by Google

domum composituri, lignorum materiam oculis menteque contemplantes, alia trabibus, alia vero columnis, atque alia aliis officiis destinamus. Quod autem de aquæ creatione nihil superius dixerat, et tamen quasi jam creatas eas loquendo introduxit, illud profecto demonstrat, quod nomine terræ omnia intelligi debeant, quæ in terra continentur ut ignis, et aqua; et nomine cœli, quidquid continet cœlum, ut est aer, cujus creatio singulariter non describitur.

« Et dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux, et vidit Deus lucem, quod esset bona ; divisitque lucem a tenebris, vocavitque lucem diem, et tenebras noctem. » Apparet autem quod inter dicere et facere Dei nulla distantia est. Dixit itaque : « Fiat lux, et facta est lux. » Ipsum quoque dicere Dei quid aliud est quam velle (74). Non enim clamando, vel labia movendo, imo volendo perfecit omnia. Sed quæ est ista lux, quæ prior sole, luna, et stellis esse perhibetur? Audi quod sequitur : « Vocavit lucem diem, et tenebras noctem. » Lux igitur pro die ponitur. Bona ergo lux, quæ a tenebris divisa rerum formas, coloresque illuminat. Nos autem vix hanc lucem denotare valemus, quoniam majore, solis videlicet luce, perfundimur. Sequitur :

« Factumque est vespere, et mane dies unus. » Vespere et mane noctem et diem quidam intelligunt. Nam quoniam noctibus prætermissis, omnes per ordinem dies enumerat, uno diei nomine, et diem, et noctem intelligere volunt. Sed mirabilis ordo locutionis, in quo ante mane ponitur vespere, quasi non mane, sed a vespere operari cœpisset. Si enim dixisset, Factum est mane et vespere dies unus, nulla fortasse quæstio esset, sed quia inter duo mane vespere posuit, ad quid illorum referatur dubitari potest. Si enim ad præcedens mane vespere refertur, nox procul dubio tota relinquitur; quod si ad subsequens, die quidem tota prætermissa, soli noctis termini ponuntur. Unde convenientius factum est vespere et mane dies unus, sed nox una dici potuit. Sed quia divina providentia non ad laborem, sed ad quietem noctem creavit, nullum est inconveniens, si in Dei operatione, quæ utique non in nocte, sed in die fiebat, solius diei termini ponantur. Si enim hoc in loco totum, ut volunt, diei noctisque spatium, unum diem intelligimus, frustra Deus utraque a se divisit, divisisque diversa nomina dedit; vocavit enim lucem diem, ac tenebras noctem (75). Nulla igitur dies ex nocte constat ac die. Quia igitur non somnia, quæ in nocte videntur; sed opera, quæ in eo fiunt, hic describuntur, dies utique non noctes enumerare necessarium fuit (76). Fecit ergo Deus in principio cœlum, et terram et lucem; quibus patratis, factum est vespere, atque hoc præcedente mane continuato, factus est dies unus, et tunc quidem a tenebris lucem divisit, quo finito die, factum est vespere. Neque enim in die noctem fecit, sed suo ordine post diem fieri præcepit. Quod autem dictum est, factus est dies unus, et non dicitur, factus est dies primus, ad hoc valet quod primus et secundus relativa sunt, neque sine altero alter esse potest. Cum igitur nondum esset secundus, erat utique dies unus, ipse tamen unus primus dici non poterat. His autem ad litteram dispositis, quid etiam allegorice significent, videamus.

« In principio creavit Deus cœlum et terram (77). » In quo principio? In eo utique qui ait : « Ego principium qui et loquor vobis (*Joan.* VIII, 26). — Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). » In hoc igitur principio omnem mundi fabricam, ipsosque angelorum ordines ab exordio creavit Deus. In hoc, in fine sæculorum, carne suscepta, cœlum et terram, apostolos et Ecclesiam, justos et peccatores, Judæos et gentiles verbo prædicationis, et aqua baptismatis et S. Spiritus illustratione genuit, creavit et in novam pristinamque naturam restauravit. Adhuc tamen inanis et vacua erat terra, adhuc infecunda, et absque liberis erat Ecclesia, quam etiam propheta de sterilitate consolans, fecunditatemque promittens, dicebat : « Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe, et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum (*Isa.* LIV, 1; *Gal.* IV, 27). » Sed quare inanis et vacua? Quia adhuc tenebræ erant super faciem abyssi. Nemo enim Scripturas intelligebat, utpote profundas et ignorantiæ tenebris obvolutas, quæ quidem ut intelligi valeant, « abyssus abyssum invocat (*Psal.* XLI, 8). » Has autem tenebras Christus amovit, quando apostolis sensum aperuit, ut Scripturas intelligerent. Si enim Judæi has intelligerent, ad Ecclesiam confugerent; sed quia, ut Apostolus ait : « Usque hodie dum legitur Moyses, velamen positum est super corda eorum (*II Cor.* III, 15), » eas quidem intelligere non valent. Cum autem plenitudo gentium introierit, tunc amoto velamine Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). Neque enim ulterius inanis, et vacua terra nostra vocabitur, tantorum filiorum plenitudine inhabitata. Hoc autem quomodo fiat sequentia docent.

« Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. » Quod enim per abyssum, hoc per aquas intelligimus. Hæ sunt enim aquæ salientes in vitam æternam, quas qui biberit, non sitiet unquam (*Joan.* IV 14). De quibus dicitur : « Sitientes, venite ad aquas (*Isa.* LV, 1). » (78) Super has ergo Spiritus sanctus se

opinionibus, « Nos, inquit, cum sanctorum et fidelium sententia congruentes, Spiritum sanctum accipimus, ut in constitutione mundi operatio Trinitatis eluceat. »

(74) Cod. Casinen. *Quam facere.*

(75) Idem S. Cruc. min.

(76) Idem cod. S. Crucis.

(77) Vid. August. De civit. Dei, lib. XI, cap. 32 quid sentiat de principio, in quo dicitur Deus cœlum et terram fecisse.

(78) Cod. Casin. *Hæc autem quomodo fiant. Ut Trinitatis commemoratio compleretur, Et Spiritus, inquit, ferebatur super aquas.* Eadem docet S. Aug. lib. et loco cit. De civit. Dei.

Digitized by Google

rebatur, qui splendore suæ illustrationis, fugatis tenebris eas illuminavit, atque potabiles, et intelligibiles reddidit. Unde bene subditur :

« Et dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux. » Ac si dicat : Fugatæ sunt tenebræ, illuminata est terra, fiat ergo lux ; pereat ignorantia. « Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum (*Isa.* LX, 1). » Hæc autem lux, hæc Spiritus sancti fidelibus inspirata conscientia, quia supernæ majestatis oculis perplacuit, e tenebris eam divisit. Unde Apostolus : « Quæ enim participatio lucis ad tenebras? quæ pars fideli cum infideli? quæ conventio Christi ad Belial? » (*II Cor.* VI, 15.) Et alibi : « Hæreticum hominem post secundam correctionem devita (*Tit.* III, 10). » Hanc enim separationem Deus significabat, quando lucem a tenebris dividebat.

« Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio « aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus « firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub « firmamento, ab his quæ erant super firmamen« tum ; et factum est ita. Vocavitque Deus firma« mentum cœlum ; et factum est vespere et mane « dies secundus. » Si enim, quod verum est, in medio aquarum factum est firmamentum, et aquas quidem ubique fuisse dubitari non potest. Quod si ubique erant, quæso, ubi redactæ sunt, tanto cœli terræque spatio vacuo relicto? Non hujus igitur, cujus nunc sunt, fuisse spissitudinis, sed veluti nebula et nubes cuncta replesse manifestum est. Firmamentum autem, quod in medio aquarum perhibetur, non illud intelligitur, quod in principio Deus creasse dicitur, alioquin his cœlum creatum fuisset, sed illud nimirum, quod sine intermissione volvitur, in quo sol, et luna et stellæ apparent. Est autem et illud cœlum super hoc, valde dignioris, excellentiorisque naturæ, super quod antiquus hostis ascendere cupiens, dicebat : In cœlum ascendam (*Isa.* XIV, 13). In cœlum namque erat, cum ista diceret, sed altius ascendere cupiens talia loquebatur. Utrum autem etiam superiores aquæ, firmamento interposito, naturam mutaverint, non facile dixerim. His autem ita peractis, factum est vespere, quo mane cohærente fit dies secundus. Sed hæc ad litteram. Quid autem spiritualiter significent, audiamus.

« Fiat, inquit, firmamentum in medio aquarum, « et dividat aquas ab aquis. » Quid enim firmamentum, nisi apostoli? Unde Psalmista ait : « Cœli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* XVIII, 1). » Hoc enim firmamentum nos munit et firmat, hoc salutis pluvias lumenque ministrat, hoc inferiores aquas a superioribus dividit. Aquæ enim, quæ sub firmamento sunt, Novum est Testamentum : quæ vero super firmamentum, Vetus Testamentum intelligitur. Sed quomodo has aquas apostoli dividunt? Vis audire quomodo? Præcipit enim lex ut unusquisque circumcidat carnem præputii sui. Econtra Apostolus : « Ego, inquit Paulus, dico vobis quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Gal.* V, 2). » Vides ergo quanta divisio, quantumque interpositum firmamentum aquis aquas jungi prohibeat. Illud quoque quod hic dicitur : « Vocavitque Deus firmamentum cœlum, » apostolis convenire videtur ; celant enim, et servant secreta cœlestia. Unde Apostolus inquit : « Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 4). »

« Dixit vero Deus : Congregentur aquæ, quæ sub « cœlo sunt in locum unum, et appareat arida. Et « factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram, « congregationesque aquarum appellavit Maria. » Iste autem locus in quem aquæ congregantur, mare, lacus et flumina intelliguntur, ipsaque abyssus de qua quasdam secretas terræ venas, fontes aquarum, manare videmus. Sic igitur divina providentia in unum locum congregatæ sunt aquæ, ut neque terræ superficiem, ut prius cooperiant, et tamen terræ ariditatem suo humore ubique fecundent (79). Ipsa quoque nomina satis rebus convenientia Deus imposuit, dum et aridam Terram vocavit, et aquarum congregationes Maria appellavit. Terra a *terendo* dicitur, quam et colendo, et calcando homines, et cuncta animalia assidue terunt ; mare vero ab *amaritudine*, quod et salsum et amarum esse probavimus. Sed hæc ad litteram ; nunc autem significationem videamus :

« Congregentur, inquam, aquæ, quæ sub cœlo sunt, « in locum unum, et appareat arida. » Hunc enim locum, in quem aquæ congregatæ sunt, maria, lacus, et flumina, superius interpretati sumus, per quæ vel duo Novi Veterisque Testamenti volumina, vel apostolos, Ecclesiæque doctores intelligimus. In his enim omnis sapientiæ et scientiæ plenitudo continetur, quæ nimirum aquarum nomine significantur. Quod autem ait, « et appareat arida, » magis ad historiam quam ad allegoriam pertinere videtur. Sed quare mutato nomine aridam Deus vocavit terram, nisi quia jam tunc S. Ecclesiam flagellandam, conterendam, calcandam, et multisque modis affligendam significabat? Aquarum vero congregationes, maria dixit, quoniam et si scire et intelligere sacras Scripturas dulce sit et suave, facere tamen quæ jubet amarum et asperum est. Mare enim ab *amaritudine* nomen accepit. Jejunare namque, vigilare, omniaque mundi hujus oblectamenta relinquere, cui non videtur esse amarum? Hoc enim sacræ Scripturæ præcipiunt ; merito igitur tali nomine significantur.

« Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Germi« net terra herbam virentem et facientem semen, « lignumque pomiferum faciens fructum juxta genus « suum, cujus semen in semetipso sit super terram, « et factum est ita. Et protulit terra herbam viren« tem et afferentem semen juxta genus suum, li« gnumque faciens fructum, et habens unumquod-

(79) Id. cod. S. Cruc. in Laurent.

Digitized by Google

« que sementem secundum speciem suam. Et vidit « Deus quod esset bonum; factumque est vespere et « mane dies tertius. » Hæc quoque, quæ ad litteram satis aperta, si spiritualiter intelligantur, in sanctorum Ecclesia fieri videmus. Quid enim per terram, nisi Ecclesiam? Quid per herbam virentem, lignumque faciens fructum; nisi apostolorum, et prophetarum exempla, et doctrinam intelligimus? hæc enim semper virent, et vivunt, semper fructificant, et juxta genus, et species suas diversos fructus, et semina ferunt, habent enim in semetipsis naturaliter inditum semen, quod quidem semper spargitur, et nunquam deficit, semper pullulat, semperque crescit. Vide namque ex quanto tempore liber iste editus est. Vide quanta volumina ex se fructificavit. Considera ejus fructus et semina, doctrinam scilicet atque præcepta, quam viventia, quam valentia sint. Et alios quidem in Veteri, alios in Novo fructus reperies Testamento. Quot doctores, tot semina, fructuumque varietates.

Quod autem dicitur: « Et vidit Deus quod esset « bonum; » tale est, ac si diceret: Nos videre et intelligere fecit, quia nihil nisi bonum ipse creavit. Et factum est vespere, nocteque transfacta, factum est mane; atque simul cum nocte sua dies tertius completus est. Sic enim hunc locum quidam intelligunt. Quod si allegorice intelligatur, hoc modo dici potest: Quia finito hujus præsentis, laboriosæque vitæ termino, vespere fiet et mane. Vespere quidem his qui de luce et felicitate in tenebras et miserias præcipitabuntur; mane vero his qui de hac infelici et ærumnosa vita in lucem perpetuam et gaudia æterna transferuntur. Sequitur:

« Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firma- « mento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint « in signa et tempora, et dies et annos, ut luceant « in firmamento cœli et illuminent terram. Et fa- « ctum est ita. Fecit quoque Deus duo luminaria « magna, luminare majus, ut præesset diei, et lumi- « nare minus, ut præesset nocti; et stellas, et po- « suit eas in firmamento cœli, ut lucerent super « terram, et præessent diei ac nocti, et dividerent « lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bo- « num; et factum est mane et vespere dies quar- « tus. » Duo namque luminaria, sol, et luna intelliguntur, quæ in firmamento cœli posita, diem ac noctem dividunt, quæ etiam in signum nobis sunt, et sereni, et pluviæ, et in quacunque mundi parte fuerimus, mundi climata nobis designant. Quæ quidem signa, quam necessaria sint, nautæ intelligunt, qui subito in profundum a ventis rapti, nisi per signa cœli, quo tendant, ignorant. Dant autem et alia signa, de quibus in Evangelio dicitur: « Erunt signa in sole, et luna, stellis (*Luc.* XXII, 25). » Hæc autem et tempora, et dies, et annos determinant, quod qualiter fiat, quia facile patet ad alia transeamus. Et majus quidem luminare Solem dicit, qui in die quidem obtinet principatum; minus vero Lunam, quam noctis tenebris præesse videmus. Stellæ quoque, et splendore et magnitudine diversæ in cœlo positæ, et lumen nobis et signa præstant. Sed hæc ad litteram. Spiritualiter autem, duo magna luminaria, sol videlicet et luna, Novum et Vetus Testamentum designant, et majus quidem Novum, minus vero Vetus Testamentum intelligitur. « Lex « enim, ut Apostolus ait, per angelos ordinata est in « manu Mediatoris (*Gal.* III, 19). » De Novo vero Testamento loquitur dicens: « Novissimis diebus istis « locutus est nobis in Filio (*Hebr.* I, 2). » Itemque: « Quod si ministratio mortis, litteris deformata fuit « in gloria, quomodo non magis ministratio spiritus « erit in gloria? (*II Cor.* III, 7.) » Et paulo post: « Nam nec clarificatum est, quod claruit in parte « propter excellentem gloriam (*Ib.*, 10). » Ex his vero, et similibus aperte colligitur Novum quidem Testamentum majus esse quam Vetus. Hæc autem in cœli firmamento posita, id est apostolorum et doctorum pectori firmiter inhærentia, diem et noctem dividunt, diei noctique præsunt. Dies enim et nox, Ecclesia et Synagoga, gentium et Judæorum populus intelligitur. Novum ergo Testamentum diei præest, quia S. Ecclesiam sui fulgoris radiis illuminat, eamque recti itineris viam designando a noctis, et tenebrarum errorisque caligine separat. Luna vero obscura et pallida præest nocti et tenebris, quia Vetus Testamentum Judæorum populo tenebroso semper, et cæco obscurum et tenebrosum lumen demonstrat; cæcitas enim ex parte in Israel contigit. Unde Moyses quando legem accepit, totum Sinai montem nubes, et caligo operuit (80). Hæc ergo et diem, et noctem dividunt, utramque tamen terram illuminant, utramque Ecclesiam regunt, utraque in cœlo, id est in apostolorum cordibus, fixa relucent. Dant autem nobis 5 et signa, quibus hostium incursus, insidiasque evitare possimus; ipsa dies et annos (81) determinant, dum ea, quæ videntur, fugitiva, et transitoria, ea, quæ non videntur, æterna esse dicunt, ideoque ista despicere, illa vere nos appetere admonent. Unde Psalmista: « Melior est dies una in atriis tuis super millia « (*Psal.* LXXXIII, 11). » Itemque: « Tu autem idem « ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI, 28). » Sic igitur hæc clarissima cœli lumina in signum nobis sunt, et in tempora, et dies et annos. Stellas quoque fecit Deus, quas et ipsas in firmamento posuit, ut lucerent super terram, et diei ac nocti præessent, et a tenebris lumen dividerent, per quas quidem singulos prophetarum et apostolorum libros intelligere possumus, quibus doctores Ecclesiæ, qui cœli nomine significantur, illustrati, terram nostram et sanctam Ecclesiam illuminant. Cum ergo hoc firmamentum, sole, luna et stellis, omnique venustate tam eleganter decoratum videamus, quid de illo superiori cœlo putabimus, in quo cœlestium spirituum

(80) Id. cod. sanctæ Crucis in Laurent.

(81) Id. cod. *tempora*.

Digitized by Google

ordines ipsum solem justitiæ admirantes contemplantur? Sequitur :

« Et factum est vespere, et mane dies quartus. « Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ « viventis, et volatile super terram sub firmamento « cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem « animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile « secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset « bonum, benedixitque illis, dicens : Crescite, et « multiplicamini, et replete aquas maris, avesque « multiplicentur super terram. Et factum est vespere « et mane dies quintus. » Duplex animalium ex aquis oritur genus : unum scilicet, quod supra aquas inhabitat, et extra eas non vivit : alterum vero, quod volando superiora petit, terræque vescitur alimentis. Et mirabilis ordo divinæ dispositionis : priusquam animalia creasset, herbas et ligna pomifera fecit, ut statim orta, unde viverent, invenirent. Novissime autem creatus est homo, cui hæc omnia ad utendum a Deo donata sunt. Cete vero tam grandia in ulteriori maris parte esse referuntur, ut montium magnitudinem excedant. Cæterorum vero piscium et volucrum quam diversæ multiplicesque species sint et genera, dici non potest; quæ omnia Deus benedicens, aquas, et terras multiplicando replere præcepit, quæ quidem benedictio tantum prævaluit ut et quotidie crescant, et nihil eorum ex toto perire valeat. Quid autem metaphorice per aquas nisi baptismum intelligimus? Quid vero per pisces et volucres, qui ex eis oriuntur, nisi fidelium populus qui aquis baptismatis regenerantur? Quorum quidem alii sapientiæ, et scientiæ, atque cæterarum virtutum alis sumptis, usque ad cœlestia volare nituntur. Ex quibus hæretici et philosophi importunarum volucrum specimen tenent, quoniam et altius quam necesse sit sæpius volant, et in rapinis exsultantes, animarum sanguinem avidissime fundunt. Cæteros vero qui ab aquis non separantur, simplices quosque intelligimus, qui quamvis per sapientiam et inanem philosophiam volare non norunt, tamen taliter vivunt, ut ab Ecclesiæ piscatoribus in Christi convivium præsentari mereantur. Cete vero grandia, et principes designant; sed pisces quoque, sicut et volucres quidam sunt, qui prædonum more de rapina vivunt, qui eos quidem significant, qui quamvis Christi fidem, et nomen in baptismo susceperint, tyrannorum tamen, et iniquorum vitam agentes (82), inter immunda animalia computantur. Merito autem his Deus benedixit, quoniam nulli nisi baptizati Christi benedictionem promerentur. Sequitur :

« Dixit quoque Deus : Producat terra animam « viventem in genere suo, jumenta et reptilia, et « bestias terræ secundum species suas, et jumenta, « et omne reptile terræ in genere suo. » Hic autem oritur quæstio. Cum universa preoter hominem Deus creavit, quare tam multa venenosa, et mortifera, et homini inimica facta sunt? Ad quod dicendum : Quia nisi homo peccasset, cuncta ejus imperio obedirent, nihil magis anguis quam anguilla noceret; sicut ovis, ita et lupus ei obsequeretur. Sed postquam suo Conditori superbiendo inobediens exstitit, ab ipsis quoque animalibus contemptui haberi cœpit, neque ei obedire voluerunt, quem illi inobedientem viderunt, a quo illius ditioni subjecta fuerant, et quæ prius in obsequium creata erant. postea in vindictam conversa sunt. Illud quoque quæritur : Quare et ante per tam immensa, et infinita temporis spatia mundum Deus non creaverit? Unde tam subita mentis permutatio ei acciderit qui mutari non potest? Hæc autem quæstio ideo inutilis esse videtur, quoniam si antea, vel postea id facere Deo placuisset, nihilominus tamen quæri potest quare tunc, et non alio tempore egerit. Mutatio autem in Deo nulla est, cui nihil novi accidit, cui et præterita et futura præsentialiter adsunt, qui priusquam mundum faceret, in suæ mentis dispositione jam factum gestabat. Neque dum aliquid creat in aliquo movetur, quia nihil, quantum ad se, novi agit, sed quia ante tempora disposuit, quomodo, et quo in loco, vel tempore disposita sunt, fieri jubet : Erat igitur mundus, priusquam fieret, qui in Dei dispositione nullum unquam initium habuit. Nunquam enim Deus non habuit quod habet, alioquin accidentibus subjaceret, si modo aliquid agere disposuisset, quod antea non 6 disposuerat. Ideo enim Joannes Apostolus ait : « Quod factum est, in ipso vita erat (*Joan.* I, 4). » Omnia enim, quæ temporaliter fiunt, in ipso quidem ante tempora vivebant, et vigebant. Unde bene dicitur : « Qui vivit in æternum creavit omnia simul (*Eccli.* XVIII, 1). » Simul enim cuncta creavit, quia quando, vel qualiter cuncta fierent, simul disposuit. Cum ergo disposito tempore cœlum fieret et terra, nihil novi Deo accidit, quia quod tunc temporaliter fiebat, apud Deum, ut tunc fieret, multo tempore dispositum erat. Sed quia de his disputare periculosum, et difficile est, tanta dixisse nos sufficiat. Spiritualiter autem terram sanctam Ecclesiam intelligimus (83). Per animam vero viventem omnium fidelium multitudinem, quæ ideo quidem vivit, quoniam in baptismate cum Christo surrexit. Jumenta autem illos significant, qui aliorum opera misericorditer portant, de quibus Apostolus ait : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Gal.* VI, 2). » Reptilia vero sunt qui magis terrena quam cœlestia diligunt; ideoque toto corporis nisu his adhærentes, vix aliquando oculos mentis ad cœlestia dirigunt. Terræ vero bestiæ illos significant, qui majora non cogitant, quæstionibus sese non implicant, sed aliorum ducatu et regimine semper indigent. Hæc autem omnia, quia terra nostra, id est sancta Ecclesia, ea produxit, et baptismatis aquis

(82) Idem cod. Laurent. *Qui quamvis fidem in baptismo susceperint, et nomen Christianorum; tamen iniquorum*, etc.

(83) Ex cod. Casin.

Digitized by Google

regeneravit, bona vocatur. Hoc est enim, quod dicitur. « Et vidit Deus quod esset bonum. »

« Et ait : Faciamus hominem ad imaginem, et « similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, « et volatilibus cœli, et bestiis, universæque creaturæ terræ, omnique reptili quod movetur in « terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem « suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum, « et feminam creavit eos. » Vidit, inquit, Deus, quod esset bonum, et ait : « Faciamus hominem. » Deus ergo est qui loquitur. Nunquid ad angelos? Absit! Non enim ab angelis creatus est homo; alioquin non unus, sed multi creatores essent, ut solus Deus est omnium Creator. Sic enim scriptum est : « Creator omnium terribilis, et fortis (*II Machab.* I, 24). » Itemque : « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CIII, 24). » Si igitur verum est, quod negari non potest, solus Deus creavit omnia; quos ad hominem creandum invitabat, dicens : « Faciamus « hominem. » Audiamus igitur quid in capite libri hujus dicatur : « In principio creavit Deus cœlum et « terram. » Habes ergo Deum, id est Patrem; habes et principium, id est Filium; sic enim ipse ait : « Ego principium qui et loquor vobis (*Joan.* VIII, 25). » Sed quid sequitur? « Et Spiritus Dei ferebatur super « aquas. » Habes igitur et Spiritum sanctum. Quod autem non solus Pater cœlum creaverit, sed simul cum eo Filius quoque, et Spiritus sanctus, dicat Psalmista : « Verbo, inquit, Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII, 6). » Tota autem Trinitas, id est Deus, et Verbum ejus, et Spiritus ejus, unus Deus, et iste quidem dicit : « Faciamus hominem; » non extra se auxilium petens, sed in se cum Filio suo, et Spiritu sancto cuncta disponens (84). Semel enim locutus est Deus, quia simul cuncta disposuit, neque ulterius disponere aliquid necesse habet. Veniente ergo tempore, hora, vel momento, in quo, ut aliquid fiat, ante tempora dispositum est, Deo quidem in sua immobilitate permanente; ipsa ejus dispositio ineffabili voce proclamat : Tempus venit, hora est; modo fiat, factumque appareat, quod ut nunc fiet, ante tempora dispositum est. Aut igitur Trinitatem Judæi credant, aut alios præter Deum hominis creatores inveniant. Sed quia ut diximus, qui dixerit, et cui dixerit : « Faciamus hominem (85); » videamus etiam ad cujus similitudinem factus sit homo. « Ad imaginem, inquit, et similitudinem nostram. » Quamvis enim aliud sit imago, aliud similitudo, hoc tamen in loco idipsum significat et imago, et similitudo, sic ad Dei similitudinem factus est homo; sapiens quidem, justus et bonus, immortalis et incorruptibilis factus est; siquidem Deus talis est (86). « Sed immortalitatem quidem tunc homo amisit, quando peccavit, atque in hoc Deo dissimilis factus est, quamvis nihil Deo per omnia simile sit. Quoties ergo peccavimus, Dei similitudinem amisimus. Soli ergo illi Dei similitudinem habent, qui sapientiam, justitiam, bonitatem, cæteraque his similia rationabiliter custodiunt. Magnus est honor homini virtutibus adhærere, secundum quas Deo similis esse videtur. Sed quoniam dicitur : « Crea- « vit Deus hominem ad imaginem suam; » deinde subinfertur, « ad imaginem Dei creavit illum, » sic etiam intelligi potest ut talem corporaliter quoque homini imaginem daret qualem Filium, qui utique Deus est, quandoque suscepturum ante tempora disposuerat. Sic igitur non solum interior, verum et exterior homo noster Deo quodammodo assimilis esset. Neque hoc Deo sufficiens fuit, quod ad similitudinem 7 suam fecit hominem; sed insuper omni creaturæ, quæ sub cœlo est, eum præposuit. His autem ita dispositis, significationem videamus. Quis enim, inquam, iste homo, qui Dei similitudinem habet, cui pisces maris, et volucres cœli, et bestiæ, universæque creaturæ terræ, et omnia reptilia sunt subjecta? Quamvis enim Christum hunc esse quidam non immerito intelligant ego tamen apostolorum, et doctorum ordinem, cæterorumque qui in Ecclesia Dei obtinent principatum, hunc esse puto : hinc enim prælati vocantur, quia alii eis subjecti sunt; nam quia Dei similitudinem habent, ideo quasi superiores omnes eos venerantur. Dei namque similitudinem Apostolus habebat, qui dicebat : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (*Philip.* III, 17). » His autem pisces maris, id est baptismatis aquis regenerati; his volucres cœli, id est philosophi et sapientes; his bestiæ, id est idiotæ et indisciplinati; his universæ creaturæ terræ, id est cujuscunque sexus, vel generis, vel naturæ, vel conditionis, his omnia reptilia sunt subjecta. Cum enim sæculi amatores et terrenis voluptatibus inhærentes eis serviunt, tunc eos procul dubio etiam reptilia venerantur. Sed quia inter Ecclesiæ doctores alii virilem fortitudinem, alii muliebrem mollitiem habent; merito dicitur quia masculum et feminam creavit eos. Sequitur :

« Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite, et

(84) Ex hoc loco probari trinitatem personarum, multorum est sanctorum Patrum sententia; ita sanctus Basilius homil. 9 in Genesin; Joan. Chrysost. hom. 8 in Genes.; Augustinus De civit. Dei, lib. XVI, c. 6; Cyrillus Hierosol. adversus Jul. lib. I, quorum auctoritates referuntur a Petavio. De Trinit. lib. II, cap. 7; cui consonat Calmetus in hunc locum; ubi ait his verbis : « Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, » plurium exprimi inter se consultationem et deliberationem.

(85) Id. cod. Casin.

(86) « Fecit ergo Deus hominem, inquit Augustinus, ad imaginem, et similitudinem suam. Talem quippe illi animam creavit, qua per rationem atque intelligentiam omnibus præstantior esset animalibus terrestribus, et natatilibus, et volatilibus, quæ mentem hujusmodi non haberent. Et cum virum terreno formasset ex pulvere, eique animam, qualem dixi, sive quam jam fecerat, insufflando indidisset : sive potius sufflando fecisset eumque flatum quem sufflando fecit; nam quid est aliud sufflare, quam flatum facere, animam hominis esse voluisset, etiam conjugem illi in adjutorium generandi ex ejus latere osse detracto, fecit, ut Deus? » De civit. Dei, lib. XII, cap. 23.

Digitized by Google

« multiplicamini, et replete terram, et subjicite A
« eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus
« cœli, et universis animantibus quæ moventur super
« terram. » Hæc autem superius exposita sunt : benedixit, inquit, Deus, et subinferens ipsam benedictionem, ait : « Crescite, et multiplicamini, » in sapientia videlicet, virtutibus et sanctorum filiorum progenie.

« Dixit quoque Deus : Ecce dedi vobis omnem
« herbam afferentem semen super terram, et uni-
« versa ligna quæ habent in semetipsis semen
« generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis
« animantibus terræ, omnique volucri cœli, et uni-
« versis quæ moventur in terra, et in quibus est
« anima vivens, ut habeant ad vescendum. » Hæc
quoque eo loco exposita sunt, ubi dicitur : « Germinet B
« terra herbam virentem, et lignum faciens fructum. »
Hæc autem, sicut juxta litteram, cunctis terræ animantibus ad vescendum data sunt, ita et secundum spiritualem intelligentiam, non solum sapientibus atque doctoribus, verum etiam cunctis eis uti volentibus hæ deliciæ præparantur. Unde Apostolus : « Judæis, inquit, et Græcis, et barbaris, sapientibus, et insipientibus debitor sum (*Rom.* I, 14). » Et Dominus in Evangelio ait : « Ite in universum mundum; prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 16). — Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt (*Rom.* XV, 4). Quis igitur fame pereat, tot tantisque divitiis antepositis? Sequitur : C

« Et factum est ita : viditque Deus cuncta, quæ
« fecerat, et erant valde bona, et factum est vespere,
« et mane dies sextus. » Cum igitur Deus cuncta fecerat, et sexta die, qua omnia patrata sunt, ea inspiciens, bona cuncta conspexit; ubi malum, ubi ipse diabolus princeps mali? An nondum ceciderat, qui, ut dicitur : « In veritate non stetit, et ab initio mendax fuit? (*Joan.* VIII, 44). » Aut fortasse ipsa die qua factus est homo, ejus gloriæ invidendo, atque ideo mortifera suadendo, simul cum bonitate ipsum quoque principatum amisit? Simul enim, et non prius hominis et diaboli condemnatio legitur. Nam quia mulier dixit : « Serpens decepit me, et comedi » statim Domino serpenti maledicens ait : D
« Maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ : » Mulieri quoque dixit : « Multiplicabo ærumnas tuas. » Adæ vero : « Maledicta terra in opere tuo. (*Gen.* III, 13, 17. » De his autem, quæ sunt in apostolorum, et prophetarum libris nihil certum reperi, et doctores Ecclesiæ diversa sensisse cognovi, aliis hæc disputanda relinquo. Dico tamen quoniam, et si prius cecidisset, nihilominus dici posset, quia « vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. » Valde, inquam, bona erant cuncta quæ fecerat, quoniam et in ipso diabolo adhuc bonum est quod Deus fecerat.

(87) Idem cod. Laur., et Casinen.

CAPUT II.

« Igitur perfecti sunt cœli, et terræ, et omnis
« ornatus eorum, complevitque Deus die septimo
« opus suum, quod fecerat, et requievit die septimo
« ab universo opere, quod patrarat. Et benedixit
« diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso
« cessavit ab universo opere suo, quod creavit Deus,
« ut faceret. » Quod autem dicitur, « complevitque
« Deus die septimo opus suum, quod fecerat, » non sic est intelligendum quasi in die septimo aliquid fecerit, sed quod ipso inchoante omnia sint completa, atque ipse terminus fuerit, post quem ad complendum nihil defuerit. Sed quid allegorice sex dies, nisi sex mundi ætates significavit? Prima quidem ætas, ab Adam usque ad Noe; secunda, a Noe usque ad Abraham, tertia, ab Abraham usque ad David; quarta, a David usque ad transmigrationem Babylonis; quinta a transmigratione Babylonis usque ad Christum; sexta ab adventu Domini usque ad finem sæculi. In his operari Deus non cessat, sicut in Evangelio ipsa Veritas ait : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor (*Joan.* V, 17). » Quis enim, nisi ipse ea fecit quæ assidue fieri videmus; nam et si sex diebus omnium seminaria fecit, nihil tamen, nisi ipso jubente et volente, ipsa seminaria per se facere possunt (87) 8 « Namque, ut Apostolus ait, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (*I Cor.* III, 7). » Prius ergo disposuit, deinde creavit; postmodum vero ex ipsis creatis, omnia quæ fiunt oriri fecit. Hæc autem tertia operatio Dei non cessabit, nisi prius hæc sexta dies, id est ultima ætas, finem faciat; qua finita, nova fient omnia, neque ulterius novi aliquid fiet. Sed cum cœlum tunc novum fiat et terra nova, fiatque claritas lunæ ut claritas solis, et claritas solis septempliciter, qualem tunc terra putamus, speciem habebit (88)? Neque enim post illam generalem exustionem etiam herbas, et ligna fructifera, sicut prius, producere necesse erit, cum nemo sit qui eis utatur. An forsitan ea solummodo erunt quæ oriendo et moriendo nulla ulterius renovatione indigebunt? Sed quia hoc fortasse quærere superfluum est, ad alia transeamus.

« Et requievit die septimo ab omni opere, quod pa-
« trarat. » De hoc enim die scriptum est. « Quia melior est dies una in atriis tuis super millia (*Psal.* LXXXIII,). » Hæc dies finem non habebit, huic nox ulla succedet; neque enim sicut in cæteris, ita et in ista dicitur : « Et factum est vespere et mane dies « septimus. » Quare hoc? Quia et si mane habeat, ad vesperam tamen non declinabit. Huic Deus benedixit. Quid est benedixit, nisi quia omnem jucunditatem, omnem lætitiam, et omnem benedictionem ei tribuit? Sic enim benedixit Deus et sanctificavit illum. O admirabilis sanctificatio, post quam peccare nemo poterit! Sequitur. Quia in ipso cessaverat ab universo opere suo, quod creavit Deus, ut faceret. Creavit enim in sex diebus, ut faceret in sex æta-

(88) Id cod.

Digitized by Google

tibus, quod qualiter disposuerit, nemo novit (89).

« Istæ generationes cœli et terræ quando creatæ « sunt in die quo fecit Dominus cœlum et terram, « et omne virgultum agri antequam oriretur in « terra omnemque herbam regionis priusquam « germinaret. — Ipsæ, inquit, generationes cœli, et « terræ quando creatæ sunt. » Vis audire quando? « In « die quo fecit Dominus cœlum et terram. » Quid igitur? Nunquid uno, et non sex diebus creavit omnia? Et uno quidem die creavit, quia simul omnium materiam fecit, et sex diebus creavit, quia ex ipsa materia in diversas species cuncta formavit; et quotidie tamen creat, dum alia ex ipsis generando multiplicat. De his autem superius sufficienter diximus. Sequitur :

« Non enim pluerat Dominus Deus super terram, B « et homo non erat qui operaretur eam, sed fons « ascendebat de terra, irrigans universam superfi- « ciem terræ. Formavit igitur Dominus Deus no- « minem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus « spiraculum vitæ, et factus est homo in animam « viventem. » Si enim antequam homo fieret intelligatur quod non pluerit Dominus super terram, et quod fons eam irrigaverit, non valde ad rem pertinere videtur, cum neque pluviis, neque fontium irrigatione illis tam paucissimis diebus terra non multum indiguisse videatur. Potest igitur intelligi quod in tota prima ætate usque ad diluvium Deus non pluerit, sed fons de terra ascendens competenti tempore eam irrigaverit, quod quidem Nilus per C Ægyptum usque hodie facere perhibetur. Quod autem interpositum est : « Et homo non erat, qui « operaretur eam, » recapitulatio est. Nam quia de hominis creatione, qui sexta die factus est, parum quid dixerit, nunc ad eamdem diem revertitur, ut de eodem homine plenius loquatur. « Formavit, inquit, « Dominus Deus hominem de limo terræ, » ecce carnis materia. « Et inspiravit in faciem ejus spiraculum « vitæ, » ecce anima. « Et factus est homo in animam « viventem. » Totus enim homo ex anima constat et corpore, sed corporis quidem materiam posuit, animæ non posuit. Pene enim ubique invisibilibus prætermissis, de solis Moyses visibilibus loquitur. Unde non de his, quæ super cœlo, sed de his quæ sub cœlo sunt (90), rationem fecit. Exspectabat enim eum, D qui dixit : « Qui de terra est, de terra loquitur, qui de cœlo venit, super omnes est (*Joan.* III, 32). » Et plura quidem sunt, cujus materiam ignoramus; plura quoque, quæ non de aliquo, sed ex nihilo creavit Deus. De qua enim materia facti sunt cœli De qua terra? Unde aquæ, unde angeli? Cum igitur animæ creationem ignoremus, illud profecto sciamus, quia quamvis a Deo inspirata sit, ejus tamen, ut hæretici fingunt, pars non est, neque enim partem A sui posset damnare suppliciis. Utrum autem omnes simul creaverit Deus an sicut ex carne caro, ita ex anima animæ oriantur, an certe in matris utero formato jam corpori eas inspiret (91), non parva quæstio est. De primo tamen homine dicitur, quod eum de limo terræ Deus creaverit, deinde subinfertur quod in faciem ejus spiraculum vitæ inspiraverit, ad cujus similitudinem, si cæteri quoque animas habeant, non est inconveniens (92).

« Plantaverat autem Dominus Deus paradisum « voluptatis, ut operaretur a principio, in quo po- « suit hominem, quem formaverat. Produxitque « Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum « visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ « posuit in medio paradisi, lignumque scientiæ « boni et mali, et fluvius egrediebatur de loco vo- « luptatis ad irrigandum paradisum, qui inde « dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison : « ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, « 9 ubi nascitur, et aurum terræ illius optimum « est, ibique invenitur odellium, et lapis onychinus. « Et nomen fluvii secundi Gehon; ipse est, qui cir- « cuit omnem terram Æthiopiæ (93). Nomen vero « fluminis tertii, Tigris; ipse vadit contra Assyrios. « Fluvius autem quartus est Euphrates. » Quantum autem Dominus hominem dilexerit, ex hoc quoque facile intelligi potest quod talem habitationis locum ei præparaverat, in quo, si non peccasset, et castissimo conjugio sine omni concupiscentia filios procreasset, ex quibus, completo electorum numero, nulla mortis amaritudine degustata, supernam Jerusalem conscendens, nec merito, nec numero ab angelis discrepans æterna beatitudine frueretur. Inter cætera quoque ligna paradisi (quorum odorem, saporem, pulchritudinem et virtutem enarrare nemo potest,) etiam lignum Vitæ Dominus posuit, cui hanc naturam dederat ut si quis de eo gustasset, mori non posset. Posuit et lignum scientiæ boni et mali, de quo postquam primi homines comederunt, quibus bonis caruerunt, quibus malis subjacuerunt confestim intellexerunt. Omne enim contrarium per suum contrarium melius cognoscitur. Unde fit ut magnis laudibus sanitatem ægri extollant, de qua quidem, dum sani essent, raro loquebantur. Sic igitur et D isti postquam peccaverunt, videntes quantum discriminis, quantumque periculi eis immineret, bonum ipsum, quod prius quidem ignorabant, multo magis quam prius admirari cœperunt (94). Vocatur igitur lignum scientiæ boni et mali, quia in primis prævaricatoribus nos docuit quam bonum sit Dei præcepta servare, et quam malum et periculosum sit ejus præceptis non obedire. Sed cujus saporis et jucunditatis fluvium illum esse putamus, qui de loco voluptatis egreditur? Cum enim in Orientis partibus,

(89) Id. cod.
(90) Id cod. Laurent. *sub cælo fiunt.*
(91) Id cod.
(92) D. Th., I p., q. 90, art. 3 et 4, probat animam hominis a Deo immediate creari, et corpori præformato uniri, quia naturalis perfectio humanæ naturæ requirit, ut illi tanquam forma copuletur.
(93) Phison fluvius est Ganges, Gehon vero Nilus.
(94) Id. cod.

Digitized by Google

ut philosophi tradunt, flumina sint, quæ omni potione ad bibendum sint jucundiora, qualem fluvium illum esse dicemus, qui de paradiso procedit? Sed hæc ad litteram; nunc autem significationem videamus: Paradisus namque voluptatis, quem a principio Deus plantaverat, sanctam Ecclesiam designat. Et bene a principio eam plantasse dicitur, quia ante mundi constitutionem eam elegit. Interpretatur enim paradisus *hortus deliciarum*. Sed quis delicias enumerare valeat? Solus enim panis vivus, qui in ea comeditur, omnes delicias superexcelbit. Quod autem lignum Vitæ, nisi Christus? Ipse enim ait: « Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, vivet in æternum (*Joan.* VI, 5, 3). » Itemque: « Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? (*Luc.* XXIII, 1.) » Et Psalmista: « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (*Psal.* I, 3). » Et Salomon de Sapientia, quæ Christus est, loquens ait: « Lignum vitæ est his; qui apprehenderit, et tenuerit eam beatus (*Prov.* III, 18). » Lignum vero scientiæ boni et mali transgressio est mandatorum Dei. Cum enim dicit: « Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, non concupisces rem proximi tui (*Luc.* XVIII, 25); » tunc quidem ne ad hoc lignum accedat, homini interdicitur. Si vero cuncta hæc fecerit homo, moriendo quidem sentiet quid boni sit hæc observare, et quid mali sit transgredi. Fluvius vero, qui de paradiso egreditur, doctrina evangelica intelligitur, cujus quidem saporem ille gustaverat, qui dicebat: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII, 103). » Hæc autem in quatuor capita dividitur, quia quatuor Evangeliorum libri ex ea conscripti totum aquis divini eloquii irrigant mundum. Vide quantum ipsa quoque fluviorum nomina quatuor Evangeliis conveniant. Phison namque *oris invocatio* interpretatur. Evangelium vero omnium gentium ora mutavit, ut non jam plures deos laudent, sed unum Deum in veritate colant et venerentur (95). Gehon vero *pectus* dicitur; quoniam evangelica prædicatio fidelium pectora et sapientia replevit, et contra hostes robustiora fecit. Tygris autem a velocitate nomen accepit, quia Evangelium quidem veloci cursu totum subito mundum replevit. At vero Euphrates *fertilitas* dicitur, quoniam Evangelii doctrina cunctis bonis S. Ecclesiam fertilem reddit, et abundare facit.

« Tulit ergo Dominus hominem, et posuit eum in « paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret « illum, præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et « mali ne comedas; in quocunque enim die comede- « ris ex eo, morte morieris (96). » Extra paradisum factus in paradiso ponitur homo. Et quia otiositas inimica est animæ, ne otiose vivat, operari jubetur. Audiant hæc, qui sacra, et religiosa loca inhabitant, et quantum diaboli insidias eos cavere oporteat, intelligant; dum non extra paradisum, sed in paradiso hominem tentatum et victum cognoscunt. Omnia paradisi ligna ad vescendum homini dantur, solum vero lignum scientiæ boni et mali ei interdicitur; ut nos intelligamus, eis solis nos uti debere, quæ Dominus fieri præcepit, ab iis vero abstinere, quæ ne fiant, interdicit. « Diliges, inquit, Dominum Deum tuum; et proximum tuum sicut te ipsum; honora patrem et matrem (*Matth.* XXII, 27). » Hæc sunt poma, hi sunt fructus quos nos comedere præcipit. « Non occides, non mœchaberis, » etc. Hi sunt, a quibus abstinere jubet. Quocunque ergo die comederis ex eo, morte morieris (97). Et Adam quidem 10 mox ut comedit, mortuus est; non quod de hac vita confestim exiret; sed ut quandoque exiret, in se suscepit, qui si non peccasset, nullatenus unquam mori potuisset. Nos quoque talia agentes morimur, quia a vita, quæ Christus est, peccando separamur. Est autem mors vitæ amissio.

« Dixitque Deus: Non est bonum hominem esse « solum, sed faciamus ei adjutorium simile sibi (98). « Formatis ergo Dominus Deus de humo cunctis « animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, « adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. « Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, « ipsum est nomen ejus: appellavitque Adam nomi- « nibus suis cuncta animantia terræ, et universa « volatilia cœli et omnes bestias terræ. » Dic, Adam, quibus in scholis ista didiceris? Quis te docuit, ut tam competentia nomina rebus imponeres? Non enim, ut quidam delirant, cæcus et insipiens factus es, neque tibi peccatum oculos aperuit; sed perfectus homo sapiensque creatus (99), tuæ nostræque perfectioni multa superbiendo derogasti. Et bene quidem ab eo nomina suscipiunt, cui obedire et servire debebant.

« Adæ vero non inveniebatur adjutorium simile « sibi (100). Immisit ergo Dominus Deus soporem « in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis « suis, et replevit carnem pro ea: (101) et ædificavit « costam quam tulerat de Adam in mulierem, et « adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc

(95) Idem cod. Casin., *unum Deum in Trinitate colant.*

(96) Adam peccando morte multatus est; cui non subjecisset, si insons stetisset. « Constat, inquit, Aug. lib. XIII, De civit. Dei, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ, sed merito inflictam esse peccati. »

(97) Id. cod. Casin. *Quocunque ergo die contra hæc facimus; illam sententiam mortis incurrimus, qua dicitur:* « In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. »

(98) Idem cod. Casin. *Simile sui.* Cod. bibl. Mont. Amiat. *adjutorium simile sui.*

(99) Ita habetur in Eccles. cap. XVII, ubi facta mentione mulieris ex primo homine Adam formatæ, ait: *Creavit illis scientiam spiritus; sensu implevit cor illorum, bona et mala ostendit illis*, etc.

(100) Id. cod. *Adjutor similis ejus.*

(101) Id. cod. M. Amiat. *Ei applicavit Dominus Deus costam, quoniam tulerat Adam*, etc.

Digitized by Google

« os de ossibus meis, et caro de carne mea : hæc « vocabitur virago, (102) quia de viro assumpta est. « Quam ob rem relinquet homo patrem et matrem, « et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne « una (103). Erant autem uterque nudi, Adam scili- « cet et uxor ejus, et non erubescebant » Adam enim ad Dei similitudinem, et imaginem factus nihil in creaturis simile habebat. Facta est ergo mulier, quæ et in filiorum propagatione, et in aliis necessitatibus eum adjuvaret. Sed, ut major inter eos dilectio foret, non aliunde, (104) sed de viri costa facta est mulier; unde fit, ut naturali quodam amore, viri insectantes costam suam, mulieri adhærere cupiant, quasi carni suæ, cujus amoris appetitum, qui divinitus adjuti in se vincere possunt, quasi qui propriam naturam dimicando vicerint, merito cæteris hominibus præferuntur. Subtracta quoque costa, locus ejus non osse, sed carne repletur, ut ex eo etiam nos infirmiores, et molliores esse sciamus. Sed quis neget, Adam non tantum sapientiæ, sed et prophetiæ spiritu repletum fuisse; cum statim, visa muliere, dixit : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et « caro de carne mea? » Quamvis enim, eo dormiente, facta sit mulier; tamen non somniante, sed Deo revelante, et os suum, et carnem in ea recognovit; unde et subditur : « Hæc vocabitur virago, quia de « viro assumpta est. » Secundum hoc enim, quod de viri costa facta est mulier, non magis cum uxore quam cum omni muliere una (105) caro est omnis homo. Sunt autem duo in carne una, quadam naturali delectationis commistione, unitatisque amore. Hunc autem locum in epistolis suis Apostolus exponens, ait : « Sacramentum hoc magnum est : ego autem in Christo, et in Ecclesia hoc intelligo (*Ephes.* v, 12). » Quodam namque modo Patrem Christus reliquit, dum semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Unde ipse ait : « Exivi a Patre, et veni in mundum (*Joan.* xvi, 28). » Reliquit autem et matrem, Synagogam videlicet, quæ secundum humanitatem, sicut aliorum Judæorum, ejus mater exstitit. Adhæsit vero uxori suæ, quia, ut Apostolus ait : « Gloriosam sibi Ecclesiam desponsavit, non habentem maculam neque rugam (*Ephes.* v, 27). » Sunt autem duo in carne una, quia caput Ecclesiæ Christus est. Sequamur igitur et nos Apostolum, et ea quæ diximus allegorice exponamus. « Immisit, inquit, « soporem in Adam; » Adam namque Christum significat. Unde Apostolus : « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis; sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis (*I Cor.* xv, 47). » Dormitio Adæ mortem Christi prætendebat. Sicut enim, dormiente Adam, una costa subtracta, facta est Ecclesia; ita Christo mortis somno in cruce dormiente, de latere ejus sanguis exivit, qui et redemit et fabricavit Ecclesiam (106). Sequitur : « Erant autem nudi, et non erubescebant. » Ut quid erubescerent qui nihil verecundiæ in se cognoverunt, in quibus nulla titillatio carnis erat, in quibus nullum membrum contra eorum voluntatem se movebat? Non magis in ipsis verendis, quam in oculis, vel manibus contemplando movebantur (107). Sequitur :

II CAPUT III.

« Sed et serpens erat callidior cunctis animanti- « bus terræ, quæ fecerat Dominus Deus; qui dixit « ad mulierem : Cur præcepit vobis Deus, ut non « comederetis de omni ligno paradisi? Cui dixit « mulier : De fructu lignorum, quæ sunt in para- « diso, vescimur : de fructu vero ligni, quod est in « medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comede- « remus, et ne tangeremus illud, ne forte moria- « mur. » Potest autem intelligi, quod serpens non solum diabolica inspiratione, qui in eo habitabat, verum etiam in propria natura, Deo largiente, hoc habuerit, ut præ cunctis animantibus callidior esset. Malignus autem Spiritus, quia invisibilis est, nisi per aliquam formam, mulieri se ostendere non potuit. Si enim, ut ait Apostolus, « transfigurat se ipse Satanas in angelum lucis (*II Cor.* xi, 13), » facile ei fuit ut in serpentem se transformaret (108). Et quidem poterat ibi mulier fraudem esse cognoscere; cum contra naturam serpentem loqui audiebat, nisi quia et Dei creaturas bonas omnes esse sciebat, et nihil mali usquam in aliquo suspicabatur; neque enim audierat ab aliquo aliquem fuisse deceptum. Quid igitur mali suspicari potuit; præsertim cum non serpens, qui videbatur, sed ipse diabolus ei in serpente tam callide loqueretur? Quasi enim nescius eam interrogat, et cur de omni ligno paradisi Deus præceperit, ut non comederent, sciscitatur. Volebat enim scire, an Dei præcepti memores essent, ut dum scientes, volentesque peccarent, majorem Dei indignationem incurrerent. Sed quid ei mulier respondit? « De fructu, inquit, lignorum paradisi vescimur : « de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, non « comedimus, ne moriamur. » Bene, inquam, dicis, mulier : in hoc permane, fidem tene, scis quale est lignum, scis tibi interdictum, et scis peccatum, et

(102) Id. cod. Casin. *quoniam*. Cod. M. A. *de viro sumpta est*. Id. cod. *relinquet homo patrem suum*.

(103) Id. cod. *Erat autem uterque nudus*.

(104) Uterque codex Laurent. et Casin. corrigunt editionem in qua habetur *creatio*.

(105) Mysterium, magnaque significari in creatione Evæ ex Adami costa putant SS. Patres; ut exponit Natalis Alex. dis. 3, art. 2, Vet. Test.

(106) « Dormit Adam, ut fiat Eva : moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de latere : mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia. » Aug. tract. 9 in Joan. n. 10.

(107) « Adam, custodiens honestatis angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mundanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus. Nihil pravum respiciebant ejus oculi : non cor ejus turpe aliquid cogitabat, erat apud honestas mentes nuditas ipsa vestita. » Max. Taurinen. hom. 85, in edit. Rom. p. 286.

(108) Veri serpentis organo usum in tentatione mulieris diabolum SS. Patres communiter docent; et Natalis Alex. contra Cajetanum probat dis. 3, a. 3, Hist. Vet. Test.

Digitized by Google

pœnam peccati; nulla, si tetigeris, excusatio esse poterit, si qua autem erit, inutilis erit. Sequitur :

« Dixit autem serpens ad mulierem. Nequaquam « morte moriemini, scit enim Deus, quod in quo- « cumque die comederitis ex eo, aperientur oculi « vestri : et eritis sicut dii (109), scientes bonum « et malum. Vidit ergo mulier, quod bonum esset « lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspe- « ctuque delectabile, et tulit de fructu ejus, et co- « medit, deditque viro suo, qui comedit, et aperti « sunt oculi amborum (110). » Non moriemini, inquit serpens, si comederitis, sed mentis oculis apertis, ipsa quoque invisibilia videbitis, « et eritis « sicut dii; » sicut angeli in cœlo, quia non videtis, quanto vobis præstantiores sint, ignoratis. « Eritis, « inquit, sicut dii; » sed in quo? « scientes bonum, et « malum. » Scire enim, non ad corporis, sed a mentis oculos pertinet; neque enim cum oculos aperimus, sapientiores sumus; alioquin stolidi, et mente capti cæci essent. Sed nunquid angeli sciebant bonum, et malum, et primi homines adhuc ignorabant, quid esset bonum, et quid malum? Si enim hoc ignorabant, stulti erant : quod si tales erant, ad imaginem, et similitudinem Dei facti non erant : in hoc enim præcipue Dei similitudinem habere dicuntur, quia rationabiles sunt : est enim rationalitas boni malique discretio; qui ergo rationabiles erant, bonum et malum sciebant; in hoc ergo ab angelis non differebant. Et quidem in hoc quoque loco callida diaboli persuasio manifestatur; nam quia arbor illa, quæ scientia boni, et mali vocata, ipsoque nomine, ne forte ad se accedere præsumerent, eos terrere poterat, male ipsum nomen interpretatus est : « Eritis, « inquit, sicut dii, scientes bonum et malum. » Quod tale est, ac si diceret : Scientes omnia; quidquid utile vel inutile, quidquid prosperum, vel adversum, quidquid prodesse, vel nocere vobis possit, omnia scietis (111). Mentitur autem diabolus, quia non ideo arbor illa scientiæ boni, et mali vocata est, quod omnia hæc præstare debuisset, sed bonum et malum pro justo ponitur et injusto. Sed quid tu, o infelix mulier, facies? cui credes, Deo an diabolo? Dicit enim Deus : « In quocunque die comederitis ex eo, « morte moriemini. » Dicit diabolus : « nequaquam « moriemini. » Sed ille quidem verax; hic autem a principio mendax. Huic tamen, malo quidem tuo, et nostro credidisti. Vidisti arborem atque ex ea et gustu, et visu delectata comedisti, dedisti viro tuo, decepta es, et decepisti; comedit et ipse, et sunt aperti oculi amborum. Nunquid ergo et tui oculi, o Adam, aperti non erant? Quomodo ergo videns mulierem dixisti : « Hæc nunc os ex ossibus meis, et « caro de carne mea? » Quales ergo oculi vobis aperti sunt? Utique oculi mentis? Tunc enim primum intellexistis, quantum bonum amiseratis, et quantum malum incurrebatis.

« Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt « folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. Et cum « audissent vocem Domini Dei (112) deambulantis « in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se « Adam, et uxor ejus a facie Domini Dei in medio « paradisi. » Prius namque nudi erant, et non erubescebant; postquam autem peccaverunt, quemdam concupiscentiæ motum in membris suis cognoverunt, quem in alterutrum videre erubuerunt. Et prius quidem etsi nudi essent, nuditatem tamen in se non cognoscebant, quoniam ipsa eorum nitidissima caro ante peccatum quidem, omni veste ad intuendum delectabilior erat. Sed quare ficus folia consuentes succinctorium sibi fecerunt? An fortasse, quia prima occurrerant; sive etiam quia cæteris quæ tunc aderant, ampliora erant. Feruntur enim ficus folia in Orientis partibus esse, quæ clipei latitudinem excedant. Habent autem in se ficus folia quamdam asperitatem naturalis pruritus; unde ipsas corporis partes, quæ eis operiebantur, quodam fervore concupiscentiæ semper vexari, et inquietari significant. Sequitur :

« Et cum audissent vocem Domini Dei deambu- « lantis in paradiso, abscondit se Adam, et uxor « ejus. » Quam vocem Domini? Fortasse minantis, et quia peccaverunt, errorem significantis; sive etiam quia nudi erant, ei apparere erubescebant. Sed quare ad auram deambulasse dicitur? Qui enim auram quærit, æstuationis calorem se passum esse demonstrat. Unde datur intelligi, quia primi hominis peccatum in fervorem, et iram Dominum commoverat; non quod istæ passiones in Deo sint, sed quia ejus voluntas nisi humanis affectionibus significari non potest. Quod autem hora erat post meridiem, eorum mortem, et occasum significabat; propinquabant enim morti, quia de lætitia ad mœrorem properabant. Hoc autem quasi hæreditarium nobis reliquerunt, ut peccantes nos abscondamus, et impia quadam excusatione nostra facinora occultare semper nitamur. Sequitur :

« Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei : « Adam, ubi es? » O piissimum Dominum, qui non vult mortem peccatoris, sed vitam : semper enim ad pœnitentiam vocat errantes. Quid enim ait? « Adam, « ubi es? » non ignorando locum, sed ejus compatiendo ruinæ loquitur, ac si dicat : « Adam, ubi es? » in quanta miseria es, de quanta gloria in quantum barathrum demersus es? Qui ait : « Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quod nudus essem,

(109) Id. cod. M. Amiatæ et *eritis ut dii*.

(110) Id. cod. M. A. *oculi eorum*.

(111) Tripliciter a diabolo aggressum primum hominem docet S. Thom. III, p., q. 41, art. 4. « Nam primo, inquit, sollicitavit mentem primi hominis de ligni vetiti esu, dicens : Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Secundo de inani gloria, cum dixit : Aperientur oculi vestri. Tertio perduxit tentationem ad extremam superbiam, cum dixit : Eritis sicut dii, scientes bonum et malum. »

(112) In cod. M. A. *in medio ligni paradisi.*

Digitized by Google

et abscondi me (112*). » Audivi, inquit, vocem tuam, A sensi iram, et indignationem tuam, et timui. Quare hoc? Eo quod nudus essem, quod ad flagella paratus essem, quia illam justitiæ vestem amiseram, qua cum indutus essem, neque timebam, neque erubescebam. Ideoque abscondi me. Sed quo fugiam a facie tua? « Si enim ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades (*Ps.* CXXXVIII, 8). » Cui dixit :

« Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi » quod ex ligno, de quo tibi præceperam ne come- « deres, comedisti? » Ac si ille dicat : Si lignum vetitum non comedisses, nunquam in membris tuis verecundiæ nuditatem cognovisses; sed quia comedisti, jam nunc vides aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ (*Rom.* VII, 23); ideo te abscondisti, ideo erubuisti. Dixitque Adam :

« Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi « de ligno, et comedi; » ac si patenter dicat : Verum est, Domine, negare non possum : sed quod ego comedi, hoc mulier fecit. Sed quæ mulier? quam tu in sociam dedisti. O infelix homo in tanta sapientia creatus, quomodo tam cito sensum amisisti? Peccatum tuum non tibi, sed Deo imputas, ut quia tibi mulierem sociam dederat, ipse tui lapsus principalis causa exstiterit? « Dixitque deinde ad mulie- « rem : Quare hoc fecisti? Quæ ait : Serpens decepit « me, et comedi. » Uterque comedit, neuter indulgentiam petit, sed excusant peccatum, ideoque non veniam, sed maledictionis pœnam incurrunt. Hoc enim ille timebat, qui dicebat : « Non declines cor meum C in verbum malum ad excusandas excusationes in peccatis (*Psal.* CXL, 4).

« Et ait Dominus ad serpentem : Quia hoc feci- « sti, (113) maledictus eris inter omnia animantia « et bestias terræ : super pectus tuum gradieris, et « terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimici- « tias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, « et semen illius, ipsa conteret caput tuum, et tu « insidiaberis calcaneo ejus. » Non solum enim malignus spiritus, qui per serpentem significatur, verum etiam ipse serpens præ cunctis terræ animantibus ab omnibus maledicitur, et odio habetur. Graditur autem super pectus suum hostis antiquus, qui omne suum consilium, et sapientiam, quæ utique in peccatore continetur, conculcat, et dissipat, eosque, D quorum pectora possidet, non derelinquit; sed in eis superbe regnat, graditur, et dominatur. Terram vero comedit cunctis diebus, quia peccatores, quos decipit, æternis suppliciis insatiabiliter cruciat. Sunt autem inimicitiæ inter diabolum et Ecclesiam (114), quæ quidem per mulierem significatur, et inter semen et filios utriusque, quia diversa sentientes, diversa cupientes, diversa sectantes, nunquam pacem et concordiam inter se habere possunt. Conterit autem Ecclesia ipsius caput, quoniam ejus callidæ machinationis principium præcavens, statim in ipso exordio ejus consilium, ingenium, versutias dissipat. Ipse vero insidiatur calcaneo ejus, quia nisi recte incedat, et in boni operis itinere firmiter gradiatur, mox eam invadit, et quasi 13 titubantem supplantare et dejicere nititur.

« Mulieri quoque dixit : Multiplicabo ærumnas « tuas, et conceptus tuos, in dolore paries filios, « et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. » Hæc autem juxta litteram intellecta, expositione non indigent. Ecclesiæ vero ærumnas multiplicatas fuisse cognosces, si sanctorum carceres, vincula, et B flagella, aliosque diversos cruciatus recorderis. Quod vero conceptus ejus sint multiplicati, propheta testatur, dicens : « Lætare, sterilis; erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Gal.* IV, 27). » Parit autem in dolore, sicut ipse Dominus ait : « Mulier cum parit tristitiam habet. (*Joan.* XVI, 21) » Est autem sub viri potestate, quia nemo nisi Christus ei dominatur.

(115) « Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxo- « ris tuæ plus quam meam, et de ligno (116), de quo « præceperam tibi ne comederes, comedisti, male- « dicta erit terra in opere tuo. In laboribus comedes « ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; spinas et tribulos « germinabit tibi, et comedes herbas terræ. In sudore « vultus tui vesceris pane tuo; donec revertaris in « terram de qua assumptus es, quia pulvis es, et in « pulverem reverteris. » Nulla, inquit, tibi proderit excusatio; sed quia præcepta mea contemnendo, mulieri obedisti, maledicta erit terra in opere tuo, sed non in meo (117). Cum enim male agis, opus tuum est; cum vero bene, non tuum, sed meum : ergo non in meo, sed in tuo maledicitur terra, id est caro tua; de ligno vetito comedisti, opus tuum est. In hoc autem opere, quid benedictionis terra amiserit, quis ignorat? Cum manifestum sit quod ea sua sponte omnibus omnia necessaria subministraret, si hoc opus primi homines non egissent. Unde et subditur : « In laboribus comedes ex ea cunctis diebus « vitæ tuæ. » Si enim non peccasses, omnibus bonis D sine labore abundasses; sed quia peccasti, ipsius quoque laboris debitum non dabit, sed « spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ, » quoniam paradisi deliciis male usus es. « In sudore vultus tui vesceris pane tuo; » quoniam superbiendo quietem despexisti, « donec revertaris in terram, de qua sumptus es, » quia non, ut putabas, deus eris, sed « pulvis es, et in pulverem reverteris. »

(112*) « Latenti et celanti se a Divinitate Adæ dicitur : « Adam, ubi es? » Non quod Adam conspectum Domini latere potuerat : sed quod peccatrici conscientiæ nullus locus tutus, vel certus sit, dum metuit deprehendi. » S. Max. hom. 53, p. 166.

(113) Id. cod. M. A. *maledictus es.*

(114) De hac inimicitia Christus Petrum admonuit, dicens : « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut criticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. » (Luc. XXII, 31).

(115) Id cod M. A.: *Ad Adam vero dixit.*

(116) Id cod. *ex quo præceperam tibi, ut non comederes.*

(117) « Si bonum quis agat, ex Deo est; si malum, ex ipso homine : quia Deus auctor mali non est. » Fulgent. ad Monim., cap. 19.

Digitized by Google

« Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Evam, eo « quod mater esset multorum viventium. » Non enim cunctorum viventium, sed solummodo mater hominum est Eva : sed quia solæ animæ hominum mori non possunt, merito inter cætera terræ animantia, soli homines viventes dicuntur.

« Fecit quoque Deus Adæ et uxori suæ tunicas « pelliceas, et induit eos. » In hoc enim eos mortales esse monstrabat, quia mortuorum pellibus eos vestiebat. Ergo quasi damnaticii in ipso suo indumento, cui maledictioni subjacuerunt, ostendebant, dum suæ damnationis signa quasi pro vituperio ferebant. Unde et subditur :

« Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, « sciens bonum et malum. » Hoc autem ironice intelligitur, et tale est, ac si diceret : Ecce quoque sua dignitate imminutus est homo, dum superbiendo plus voluit esse quam homo.

« Videte ergo, ne forte mittat manum suam, et « sumat etiam de ligno vitæ, et vivat in æternum. » Sicut enim de ligno scientiæ boni et mali gustando mortis se legibus subdidit ; ita etiam de ligno vitæ sumere potuisset, recuperata, quam nuper amiserat, immortalitate, viveret in æternum (118). Ideoque factum est quod subditur :

« Et emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, « ut operaretur terram, de qua sumptus est. Ejecitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque « versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. » Cherubim namque *scientiæ plenitudo* interpretatur. Significat autem apostolos, Ecclesiæque doctores, in quibus sapientiæ et scientiæ thesauri reconditi sunt. Cum autem propter peccatum suum aliquis de paradiso, id est de S. Ecclesia, ejicitur, ne ad lignum vitæ, id est ad Christi carnem participandam, accedere præsumat, ab iis interdicitur. Est autem iste gladius lucens, et flammeus, splendidus, et sine rubigine, quo quis percussus fuerit, aut illuminatur, aut exuritur. Unde Apostolus, « Aliis, inquit, sumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem (*II Cor.* II, 16). » Est autem et versatilis, facilisque, et velox ad feriendum, undique circa se delinquentes percutit, pauperes pariter condemnat et divites.

CAPUT IV.

« Adam vero cognovit Evam uxorem suam, et « concepit, et peperit Cain, dicens : Possedi homi« nem per Deum. » Ego, inquit Eva, propter transgressionem sub viri potestate constituta sum, jam nunc per filiorum generationem hominem habeo in possessionem. Unde datur intelligi, quia utrique parenti pari modo subjici et obedire debemus.

« Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit Abel « pastor ovium, et Cain agricola. » Cain, qui *possessio* interpretatur, ad 14 colendum, et possidendum terram suscepit. Abel vero, qui dicitur *luctus*, oves pascebat, Christum significans, cujus oves nos sumus, quem Judæi secundum carnem fratres ejus, impia semperque lugenda morte occiderunt.

« Factum est autem post multos dies ut Cain « offerret de fructibus terræ munera Domino : Abel « quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de « adipibus eorum, et respexit Dominus ad Abel, et « ad munera ejus : ad Cain vero, et ad munera « ejus non respexit. » Dominus enim non tantum ad munera, quæ ei offeruntur, quantum ad offerentium desiderium mentemque respicit. Unde hic quoque ad offerentes prius, quo videlicet animo offerrent, quam ad eorum munera respexisse dicitur. Sed unde Cain, quod ad ejus munera Deus non respexit, cognoscere potuit, nisi quia fratris sacrificium ab igne cœlitus veniente consumptum vidit, suum autem non vidit ? Id ipsum autem de Abrahæ, Manue, et Eliæ sacrificio legitur. In hoc enim viri sancti sua sacrificia Deo placuisse putabant, quando igne cœlitus misso ea consumi videbant.

« Iratus est Cain vehementer, et concidit vultus « ejus. » Irascitur enim Cain non tantum quod sua munera spernuntur, quantum quod fratris dona recipiuntur. Quod quidem invidiæ zelo contigisse non dubium est. Magnum igitur malum invidia, quæ primi homicidii causa exstiterit.

« Dixitque Dominus ad eum : Quare iratus es, et « cur concidit facies tua ? nonne si bene egeris, « recipies ? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit : sed sub te erit appetitus ejus, et tu « dominaberis illius. » Ac si dicat : Noli irasci, vel contristari, noli invidiæ facibus succendi, nihil adversum te Abel commisit ; tu quoque bene age, ut bona recipias. Si enim male egeris, vel si leviter male agere cogitaveris, præsto est diabolus, ante januam stat princeps peccati, qui tui cordis domicilium ingressus, tuam malam voluntatem ad effectum usque perducat. Sub te tamen erit appetitus ejus, te assentiente veniet, te resistente recedet. Si ergo resistas, omni ejus appetitus, et desiderium frustra fiet. Quod si consenseris, non tu illius, sed ipse dominabitur tui. « Qui enim facit peccatum, servus est peccati (*I Joan.* III, 41). »

« Dixitque Cain ad fratrem suum : Egrediamur « foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain « adversus Abel fratrem suum, et interfecit eum. » Cain namque Judæorum populum ; Abel vero Christum significat, qui tunc nimirum foras egrediebantur, quando Judæi ad crucifigendum extra civitatem Christum trahebant.

« Et ait Dominus ad Cain : Ubi est frater tuus ? « Qui respondit : Nescio, nunquid custos fratris « mei ego sum ? Dixitque ad eum : Quid fecisti ? Vox « sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc

(118) Aliter hunc locum exponit D. Thomas, 2-2, q. 164, art. 2 : « Dicendum quod si homo post peccatum de ligno vitæ comedisset, non propter hoc immortalitatem recuperasset, sed beneficio illius cibi potuisset vitam magis prolongare. Unde quod dicitur : « vat in æternum, » sumitur pro diuturno Hoc non expediebat homini, ut in miseria hujus vitæ diutius permaneret. »

Digitized by Google

« ergo maledictus eris super terram, quæ aperuit « os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de « manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit « tibi fructus suos, sed spinas, et tribulos germi- « nabit tibi: vagus, et profugus eris super terram. » Interrogatus Cain de Abel ubi sit, se nescire respondit; quoniam et Judæi interrogati de Christo, quis sit, et ubi sit, sive timore, sive ignorantia, se nescire dicunt. Unde et in Evangelio interrogantes dicebant: « Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* x, 24). » Et alibi: « Hunc autem quis sit, nescimus (*Joan.* IX, 29). » Quibus ipse: « Et me scitis, et unde sim scitis (*Joan.* VII, 28). » Sed quid tunc sanguinem Abel clamasse putamus? Nisi quod sanctorum animæ clamare dicuntur, videlicet: « Vindica sanguinem nostrum, Deus noster (*Apoc.* VI, 10). » At vero Christus Dominus noster compatienter ait: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Unde sanguinem Christi melius clamare, quam sanguinem Abel, Apostolus testatur (*Hebr.* XII, 24). Clamat autem etiam nunc sanguis Christi de terra, quia ejus passionis digna memoria fit quotidie in Ecclesia. Hæc est enim illa terra, quæ os suum aperiens Christi sanguinem quotidie sitibunda bibit, quem (119) impius Judæorum populus fundere non timuit; ideoque in omni terra maledicitur, et apud omnes opprobrio et derisioni habetur. Vagus et profugus est super terram, quia ubique dispersus, nunquam suæ dominationis possidet locum.

« Dixit Cain ad Dominum: Major est iniquitas « mea, quam ut veniam merear. Ecce me ejicis hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero « vagus, et profugus in terra; omnis, qui invenerit me, occidet me. » Hæc verba desperatione plena sunt. Major est iniquitas mea, quam satisfacere, vel pœnitere valeam, ut a te indulgentiam et veniam merear, A terra viventium ejiciar, a facie tua abscondar, te ulterius videre non merebor. Insuper et in hac terra peregrinationis vagus ubique et profugus ero, et non solum cœlestia, verum etiam nec terrena sine timore et tristitia potero possidere. Hæc quoque Judæis conveniunt, qui ab hæreditate expulsi, ubique vagi et profugi, quia se divina facie illustrari non sentiunt, ab omnibus occidi pertimescunt. Quod jam forte eis accidisset, nisi is, quem occiderunt, Christus Dominus noster pro eis oraret, dicens: « Ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei (*Psal.* LVIII, 12). »

« Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet; sed « omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. » Alia translatio habet: Septem vindictas persolvet, A quod quidem planius intelligitur. Hoc autem tale est, ac si diceret: Nequaquam ita fiet, ut tu vis: **15** non morieris modo, neque omnis, qui te invenerit, occidet te, in longum servaberis, ad septimam generationem pervenies; qui te occiderit, septem in te vindictas persolvet, id est (120) de plena et integra tribulatione te liberabit. Septenarius namque numerus perfectionem designat. Hoc ergo septenario dum longe Cain pro fratricidio pœnitentiam ageret, tandem, ut fertur, septima generatione a Lamech interemptus est. Sic ergo septem vindictas Lamech in eo persolvit, dum, morte intercedente, ab omnibus angustiis eum liberavit, quas usque ad id tempus per septem jam generationes passus fuerat. Si vero dicatur, «septuplum punietur,» quod quidem nostra B translatio habet, intelligendum est quod plus Lamech quam Cain peccaverit, ideoque majori pœna dignus habeatur; sciebat enim Lamech jam Cain propter homicidium fuisse damnatum; Cain vero nullum ante se pro tali causa damnatum audierat; hunc ergo vel pœna Cain corrigere potuit, Cain vero nullum, quo instrueretur, exemplum præcessit; et sicut in Evangelio dicitur: « Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens digna, plagis vapulabit multis; nesciens vero, et non faciens, vapulabit paucis (*Luc.* XII, 47). » Nihil autem aliud est septuplum punietur, nisi omnino abundanter, et valde punietur.

« Posuitque Dominus signum in Cain, ut non eum C « interficeret omnis qui invenisset eum. » Hoc autem signum membrorum tremor fuisse dicitur, quia quasi insaniens, et melancholico similis, ad miseriam sui homines provocabat (121). Quis enim occidere vellet, qui ipsa morte deteriora pati videbatur. Judæis quoque circumcisionis signum a Domino datum est, quo a cunctis gentibus discernuntur, et qui cunctis gentibus subditi sunt, semperque timori et despectui dediti, nemo est qui occidere eos velit.

« Egressusque Cain a facie Domini habitavit in « terra profugus ad orientalem plagam Edem. » A facie namque Domini egreditur, qui ejus misericordiæ respectum non meretur (122). Quod bene Judæis quidem convenit, qui Christum Dominum fugientes, D vagi et profugi mundum inhabitant, et quia voluptati dediti, non occasus, sed ortus, id est non mortis perpetuæ, sed vitæ præsentis memores sunt; merito ad orientalem plagam Edem habitare dicuntur. Edem namque *voluptas*, sive *delicia* interpretatur. Ea vero in quibus vel historia sola narratur, vel non multum ad rem pertinere videntur, ut allegorice exponamus, huic operi non miscere (123) disposuimus.

(119) Id. cod. Casin. *ipsorum Judæorum.*

(120) Cod. Lauret. *de plena et integra angustia, et tribulatione.*

(121) Ejusdem opinionis fuere S. Joan. Chrysost. in hunc locum; August. in Faustum lib. II, c. 12; Hieronym. epist. ad Damasum; Theodoretus q. 42, in Genes.: LXX Interpretes secuti, qui pro illis verbis, *vagus et profugus eris super terram*, verterunt, *gemens eris et tremens*, etc., unde omnium artuum illius tremorem, faciei abominationem, squaloremque pravæ conscientiæ morsus ostendentes, signum dixere positum a Deo in Cain, ut a cæteris hominibus distingueretur, ne ullus eum occideret.

(122) Uterque codex editionem corrigit; ubi legitur, *metitur.*

(123) Id cod. Lauret. *non inserere.*

Digitized by Google

quatenus et volumen brevius fiat, et in magis necessariis diutius immoremur.

« Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate (124) sermones meos, quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum, (125) septies ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. » Lamech primus bigamus duas habuit uxores, quibus quantum scelus (125*) fecerat manifestat. Narrant Hebræi quod cum aliquando Cain suo more solivagus inter fruteta per silvam incederet, Lamech sagittandi peritum ad sonitum sagittam direxisse; qui cum se feram aliquam occidisse putaret, invenit Cain suo vulnere interfectum, quo dolore commotus etiam adolescentulum quemdam, qui secum erat, interemit, sive ut causa occultaretur; sive etiam, quia ejus hortatu res acta fuerat; et hoc esse quod dicitur, « quia occidi virum in vulnus meum, » id est Cain, « et adolescentulum in livore, » id est in ira et indignatione mea. Sed sive hoc, sive alio modo interfecerit, manifestum quidem est quod Cain Lamech interfecerit. Quod vero sequitur : « septies ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies, » prophetæ judicantis sententia est. Et fortasse id ipsum est septuplum, quod est septuagies, quoniam uterque numerus perfectionem significat. Si vero majorem pœnam de Lamech, quam de Cain sumptam, vel sumendam esse intelligamus, ideo fieri arbitramur, quia saltem exemplo damnationis Cain Lamech deterreri debuit, ne homicidium perpetraret. Audierat enim jam Cain propter fratricidium Dei indignationem et iram incurrisse; audierat fortasse et eum divinitus fuisse signatum, ne quilibet contra Dei præceptum eum occidere præsumeret. Multum ergo peccavit, quem nec signum impositum, nec exemplum damnationis, nec vox Dei minantis et contradicentis ab homicidio compescere potuit.

CAPUT V.

« Hic est liber generationis Adam in die: qua « creavit Deus hominem, ad similitudinem fecit illum : masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis, vocavitque nomen eorum Adam in die « qua creati sunt. » Hic, inquit, est liber generationis Adam, in quo **16** qualiter sit generatus et creatus plenissime continetur. Et ne senior Adam fortasse quam Eva esse putetur, una die creatos esse dicit; siquidem in uno creati sunt ambo, atque uno nomine vocati, scilicet Adam. Simul enim cum Adam facta est Eva, non persona, sed materia; personæ nempe duæ sunt, materia vero una. Denique prima costa, de qua mulier facta est simul cum Adam, et in Adam creata est, et quia illa costa pars erat A Adam, totus autem homo ille vocatus est Adam, merito et illa costa, imo mulier in costa vocata est Adam. Hoc est enim quod ait : « vocavitque nomen eorum Adam. » Quod autem dicitur, quia Enoch cœpit invocare nomen Domini, est intelligendum quod post mortem Abel iste dignius Deum invocaverit, eique servierit. De Mathusalem vero libri scriptorum vitio corrupti tantum errorem genuerunt, ut multi eum post diluvium vixisse contenderint, cum manifestum sit solummodo quinque animas in arca fuisse salvatas. Illius igitur difficillimæ quæstionis hæc facillime erit solutio, ut in ejus annorum numero libros dicamus esse corruptos (126).

CAPUT VI.

« Noe vero, cum quingentorum esset annorum, B « genuit Sem, Cham et Japhet. Cumque cœpissent « homines multiplicari super terram, et filios pro- « creassent, videntes filii Dei filias hominum, quod « essent pulchræ, elegerunt sibi uxores ex omnibus, « quas elegerant. » Hoc autem in loco periculose quidam errantes, vel angelos, vel dæmones filios Dei putaverunt, qui mulierum specie delectati ad terram descenderent, et quod dictu quoque nefas est, cum eis concumberent, unde et quoddam dæmoniorum genus incubos vocari dicunt. Nos autem filios Dei, filios Seth intelligimus, quorum primus est Enoch, de quo scriptum est, quia cœpit invocare nomen Domini (126*). Sunt filii Dei, qui Dei faciunt voluntatem; hominum vero filiæ illæ intelliguntur, C quæ de Cain stirpe ortæ sunt. Ecce iterum mulieres fiunt viris causa ruinæ: Qui enim Deo debuerant gignere filios, mulierum pulchritudine illecti, gigantes generant mundo. Talem igitur tantamque superbam generant prolem, quotiescunque filiabus hominum, id est hæreticæ et philosophicæ pravitati, conjunguntur filii Dei.

« Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in « homine in æternum, quia caro est, eruntque dies « ejus (127) centum viginti anni. » Si enim hoc loco spiritus ille intelligatur, de quo scriptum est, qui « inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ (*Gen.* II, 8); » divina est utique comminatio, ut homo, qui animæ vivificanti, et nunquam morienti obtemperare noluit, carne caduca, et transitoria moriatur, D quæ semper adversus spiritum concupiscit. Sunt autem qui hoc ita intelligunt, ac si diceret : Non permanebit spiritus iræ, et indignationis meæ in homine in æternum, id est, modo de homine ulciscar, et non ulciscar in æternum. Quare hoc? quia caro est, quia mutabilis est, quia fragilis materiæ est; miserebor ergo illius, sicut dignum est, eruntque dies

(124) Id. cod. M. A. *sermonem meum.*

(125) Id. cod. M. A. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero*, etc.

(125*) Id. cod. Laurent. *quantum scelus egerit.*

(126) Codex Samaritanus 240 annis Mathusalem vitam breviorem facit quam Hebræorum textus, et 70 Interpretes, qui ad annos 969 protrahunt. Vid. Natal. Alex. Diss. VIII de annis patriarchar.

(126*) Eadem est Joan. Chrysost., Theodoreti, Augustini aliorumque SS. PP. sententia, quod hic Scripturæ locus ita sit intelligendus; nempe quod non de angelis sac. textus loquatur, qui nullibi filii Dei appellati inveniuntur, sed de filiis Seth veri Dei cultoribus, qui amore carnali cum filiabus Cain se conjunxerant. Vid. Natal. Alex. Diss. VII, p. 1, Veter. Test.

(127) Id. cod. M. A. *centum viginti annorum.*

Digitized by Google

ejus centum viginti anni. Non quod postea plus non vixerit homo, sed quia usque ad diluvium tot dies ad pœnitentiam concessit homini, in quibus si digne pœnituisset, diluvium factum non esset. Quoniam autem in sua malitia homines perstiterunt, viginti annis de numero detruncatis, centum vero peractis, factum est diluvium. Sciebat enim Deus (quem nihil unquam latere potest) quoniam illi, qui per centum annos inconvertibiles exstiterant; etiam si reliquis viginti annis vixissent, nihilominus tamen in sua malitia permansissent. Merito igitur non veniunt ad numerum, qui nihil perficiunt in numero. « Gigantes « autem erant super terram illis diebus. Postquam « enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, « illæque genuerunt; » subauditur, hoc genus hominum natum est. Omne enim animal rationale et morale utriusque sexus, cujuscunque naturæ, sive membrorum numero, sive corporis quantitate aut crescit, aut minuitur : homo enim non ex alia quam ex Adam stirpe descendens; et « isti » quidem « sunt potentes a sæculo viri famosi (127*). »

« Videns autem Deus quod multa malitia homi- « num esset in terra, et cuncta cogitatio cordis in- « tenta esset ad malum omni tempore, et præcavens « in futurum, pœnituit eum quod hominem fecisset « in terra, et tactus dolore cordis intrinsecus : De- « lebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ; « ab homine usque ad animantia, reptili usque ad « volucres cœli : pœnitet enim me fecisse eos. » Videns, inquit, Deus hominem, quem ad suam imaginem et similitudinem fecerat, et pro quo cætera mundi animantia, et quæque huic vitæ 17 necessaria creaverat, totum ad malum esse conversum, sese de hominis creatione (et si pœnitere nequeat) pœnitere dicit. Deus enim non pœnitere, nec dolere, nec irasci potest; tamen cum pœnitentis, et dolentis, et irascentis opus agit, et pœnitere, et dolere, et irasci dicitur; quamvis ipse in se nullam commutationem recipiat, cujus utique natura incommutabilis est. Cum enim dicit : « Pœnitet me fecisse hominem, » tale est, ac si diceret : Quia mea præcepta transgressus est homo, talem me erga eum exhibebo, ac si me pœnituisset fecisse hominem. Quod enim fecisse pœnitet, hoc delere placet. Ergo quoties de Deo loquimur, et eum loquentem introducimus, quia aliter de eo loqui non possumus, humanis utimur verbis, humanisque affectionibus (128). Sequitur : « Noe vero « justus atque perfectus fuit in generationibus suis, « cum Deo ambulavit, et genuit tres filios, Sem, « Cham et Japhet. Corrupta est autem terra coram « Domino, et repleta est iniquitate. Cumque vidis- « set Deus terram esse corruptam (omnis quippe « caro corruperat viam suam super terram) dixit « ad Noe : finis universæ carnis venit coram me, « repleta est terra iniquitate eorum, et ego disper- « dam eos cum terra. » Fuit, inquit, Noe vir justus atque perfectus : non quantum ad justitiam, et perfectionem consummatam, sed in generationibus suis; in illa hominum generatione nemo tunc temporis tam perfectus fuit. Sed quid aliud est, ambulare cum Deo, nisi Deum sequi, et ejus custodire præcepta? Quod autem dicitur terra esse corrupta, solius hominis corruptione et peccato corrupta est; non quod vel ipsa terra, vel terræ animantia aliquid peccaverint, unde ipsa terra merito dicatur esse corrupta. Omnis quippe caro in hoc loco nihil aliud intelligitur, nisi omnis homo (128*). Merito tamen omnia perduntur cum homine, quæcunque facta sunt propter hominem; hoc enim est, quod ait, « finis universæ carnis venit coram me; » id est, sic mihi placet, sic a me dispositum est, ut omnis caro finiatur, et simul cum terra disperdantur homines, et ea quæ facta sunt propter hominem. In hoc enim ipsam terram disperdidit Deus; quia multo plus ante diluvium quam post diluvium fecundior fuit. Unde et post diluvium carnes ad edendum homini concessæ dicuntur.

« Fac tibi arcam de lignis levigatis, mansiuncu- « las in arca facies, et bitumine linies intrinsecus, et « extrinsecus; et sic facies eam : Trecentorum cubi- « torum erit longitudo arcæ; quinquaginta cubito- « rum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius. » Hanc vero arcam, sanctam Ecclesiam intelligimus, extra quam qui inventus fuerit peribit. De lignis vero levigatis construitur arca, quia et S. Ecclesia de illis ædificatur, qui et gladio spiritus bene dolati et quadrati, et moribus et virtute ornati, omnique pulchritudine decorati, et nihil tortuosum, nihil vitiosum habere noscuntur; caret Ecclesia macula et ruga. Per mansiunculas autem, singulas designat ecclesias, quæ per provincias, et episcopatus divisæ infra universalem Ecclesiam, quasi quædam cameræ intra domum continentur. Omnia autem ligna, totaque arca bitumine liniri præcipitur, ut tota Ecclesia charitatis vinculo ligata, nulla hæresi vel discordia valeat separari. Bitumen enim charitatem significat, sine qua Ecclesia nec stare nec durare potest. Bituminis enim fertur esse natura, ut et diversa ligna inseparabiliter jungat, et perpetuo incorrupta conservet. Bene autem intrinsecus et extrinsecus liniri jubetur, quia vera dilectio, et intus per cordis affectionem tenetur, et extrinsecus per misericordiæ operationem exhibetur. Trecentorum vero cubitorum est longitudo arcæ, quia a principio primæ ætatis usque ad ultimæ ætatis finem Ecclesiæ

(127*) Hujusmodi assertio communis est quoad SS. Patres contra illos qui perperam opinati sunt gigantes ex concubitu dæmonum cum mulieribus procreatos. Vid. Aug., De civit. Dei lib. XV, c. 9; Cyrillum Alex.; Theodor., etc. citatos a Natal. Alex.

(128) Cum Deus natura sit incommutabilis, quomodo pœnitere dicitur se fecisse hominem? « Metaphorice intelligendum est, inquit D. Th., I p., q. 19, art. 7, secundum similitudinem nostram. »

(128*) « Carnem hic posuit pro homine terreno, in quo carnis illecebra viam ejus corruperit. » Ambros. De Noe et Arca c. 5, n. 12.

Digitized by Google

extenditur longitudo. Trecenti namque cubiti sex quinquagenas faciunt, per quas sex ætates intelligimus ; quarum prima est ab Adam usque ad Noe; secunda a Noe usque ad Abraham ; tertia ab Abraham usque ad Moysen : quarta a Moyse usque ad David : quinta a David usque ad Christum ; sexta a Christo usque ad finem sæculi. Has autem illæ sex hydriæ significabant, quarum aquas Christus convertit in vinum. Tanta est igitur Ecclesiæ longitudo, quanta est hujus vitæ dimensio. Merito autem latitudo quinquaginta cubitorum esse perhibetur, ut unicuique ætati æqualis inveniatur. Tanta enim est Ecclesiæ latitudo, quantum est et spatium mundi. Unde et Dominus apostolis præcepit, dicens : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 20). » Et quia quinquagesimo numero et lex datur, et Spiritus sanctus mittitur, et per jubilæum annum propriis dominis hæreditas restituitur, insuper et David quinquagesimo psalmo pœnitentiam agens misericordiam est consecutus, non immerito per hunc numerum hæc arca dividitur. Hæ sunt enim maximæ et principales causæ, quibus Ecclesiæ longitudo, et latitudo crescit et dilatatur. Est autem et altitudo Ecclesiæ triginta cubitorum, quoniam ad hanc plenitudinis suæ ætatem Christus perveniens baptizatus est, suæque prædicationis sumpsit exordium. De hac autem ætate Apostolus 18 dicit quia « occurremus obviam Domino in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV, 13) » Ad hanc igitur altitudinem sese Ecclesia pervenire glorietur, in qua perfecti hominis Salvator noster monstravit indicium.

« Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus. Ostium autem arcæ pones ex latere deorsum, cænacula, et tristegia facies in ea. » Quid enim per fenestram, nisi doctores et apostolos intelligimus, qui sanctam Ecclesiam illuminantes, a Domino audire meruerunt : « Vos estis lux mundi (*Matth.* V, 14). » Omnis enim domus nisi fenestras habuerit, obscura est, et sine lumine. Merito ergo apostoli fenestræ dicuntur, per quos cœlestis sapientiæ, et doctrinæ claritatis nobis lumen illuxit. In cubito vero consummatur Ecclesia, quia omnis ejus perfectio in unitate consistit, cui nimirum est cor unum, et anima una : « Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et pater omnium (*Ephes.* IV, 5, 6) ; » qui utique ad unam gloriam, et unam beatitudinem, et requiem tendens, unius ejusdemque denarii mercedem consequitur. Ostium autem, quod ponitur ex latere deorsum, ille est, qui ait : « Ego sum ostium, per me qui introierit salvabitur (*Joan.* X, 9). » Per hoc enim ostium qui non intrat, fur est et latro. Ponitur autem ex latere deorsum, quia per humanitatem carnis deorsum assumptæ, sponsæ suæ lateri adhærens, omnibus ingrediendi præbuit iter. Cœnacula autem, et tristegia, sive etiam, ut alia translatio habet (129), bicamerata, et tricamerata, quamvis et alia multa per hæc intelligi valeant. Cætera autem quæ sequuntur, non necessarium est cuncta exponere. Summatim igitur breviterque exponentes, ibi tantum, ubi necesse fuerit, allegorias ponamus. Sequitur autem quod Dominus adducet aquas diluvii super terram, et interficiet omnem carnem, ponetque fœdus cum Noe, cui et præcipit, ut ingrediens arcam, de cunctis animantibus bina et bina secum tollat, simulque et escas, unde vivere valeant. Hoc autem si allegorice intelligatur, illud significat, quod S. Ecclesia adversitatum procellis, et aquis perturbationum assidue concutitur et turbatur, et æterna damnatione pereuntibus peccatoribus, hoc fœdus sancti cum Domino pepigerunt, ut eos non timeant, qui occidunt corpus, quia ipse eos non deseret, neque derelinquet, sed usque ad sæculi consummationem cum eis erit. Quod autem dicitur de cunctis animantibus, quæ Noe secum in arcam tulit, omnium gentium diversitatem in Ecclesiam convenire significat. Omnis autem esca, quæ mandi potest, omnis est doctrina tam Novi quam Veteris Testamenti.

CAPUT VII.

« Fecit ergo Noe omnia quæ præcepit Deus. » Quia cum filiis, uxore, et mulieribus arcam ingressus, quæcunque Deus illi præceperat, secum invexit : de mundis videlicet animalibus septena, et septena, de immundis autem bina, et bina. Septena autem, et septena sic accipiuntur, quasi si de singulis generibus septem, et non amplius introducere jussisset ; et de immundis bina imponuntur tantummodo, ut semen servetur. De mundis vero septena introducuntur, ut et semen similiter servetur; et Noe de arca egredienti supersit aliquid, quod Domino immoletur. Ergo in articulo diei, primo diluculo, die jam elucescente, ingressus est in arcam, et filii ejus, et uxor illius, et uxores filiorum ejus cum eo. Nec debet movere aliquem, quomodo Noe tot animalia in unam arcam, et per unum ostium coadunare potuerit, quoniam qui sine labore, et ex nihilo omnia fecit, facile et sine labore in unum cuncta collegit : majus est enim creare, quam adunare. Mihi autem hoc non mirabilius esse videtur, quam quod ex omnibus mundi partibus tot gentes, tam feras, tamque divisas Christus Dominus noster per paucos apostolos in unam Ecclesiam congregaverit. Quod autem ait : « Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt : » hoc significari videtur, quod non solum per occultos terræ meatus aqua sursum ebulliens mundum repleverit, verum etiam ea, quæ super firmamentum est, per quas-

(129) S. Max. Taurin. eadem versione utitur, cum serm. 6 de Quadrag. p. 450 habeat : « Triplex enim arca est Ecclesia ; quia Trinitatis continet sacramentum. Nam cum dicit Scriptura, bicameratam et tricameratam eam fuisse, utique demonstrat triplici Divinitatis illam gratia esse distinctam. »

Digitized by Google

dam cœli fenestras irrumpens terram inundaverit. Quamvis et hoc rectius intelligi valeat, quod totus aer iste, qui frequenter cœlum vocatur, in aquas more insolito ruentes solutus fuerit (129*). Quadraginta autem diebus, et quadraginta noctibus factum est diluvium, quoniam hic numerus, et ad peccata delenda, et ad pœnitentiam insinuandam, videtur esse sufficiens, quod etiam Novi et Veteris Testamenti in se continet plenitudinem, quoniam ex quatuor et decem conficitur, quatuor enim decem, vel decies quater quadraginta faciunt.

CAPUT VIII.

« Recordatus est autem Dominus Noe, et cuncto-
« rum animantium, et omnium jumentorum, quæ cum
« eo erant in arca, adduxit spiritum super terram, et
« imminutæ sunt aquæ. » Deus enim, qui nunquam B
obliviscitur, tunc recordari dicitur, quando peccatoribus misereatur. Adduxit **19** autem spiritum, id est ventum serenitatis super terram, quem nos aquilonem fortasse intelligere possumus (130). Si quis autem mirabitur, ubi tanta aquarum inundatio redierit, cogitet prius, unde exierit; quod quidem utrumque cognoscere difficile est. Scriptum tamen est, quod « Dominus super maria fundavit terram, et super flumina præparavit eam (*Psal.* XXIII, 6). » Itemque : « Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis (*Gen.* I, 6). » Multæ igitur sunt aquæ, siquidem in eis et cœlum continetur et terra.

« Cumque transissent quadraginta dies, aperiens
« Noe fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit corvum : C
« qui egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram. » Quid enim corvus iste, nisi peccatores designat? Qui si aliquando per schisma, vel hæresim, aut cætera peccata ab Ecclesia separantur, in sua malitia perseverantes, et mundi gloriam, et amplitudinem diligentes, pœnitentiam agere negligunt, ut matri Ecclesiæ reconcilientur: sicut enim ille colore, sic et isti mente immutabiles sunt.

« Misit quoque columbam post eum, ut videret si
« jam cessassent aquæ : quæ cum non invenisset ubi
« requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in ar-
« cam; aquæ enim erant super universam terram,
« extenditque manum, et apprehensam intulit in ar-
« cam. » Columba autem illi sunt, de quibus Dominus ait : « Super quem requiescet spiritus meus, nisi D
super humilem, et quietum, et trementem verba mea? » (*Isa.* LXVI, 2.) Tales enim, si qualibet occasione quandoque ab Ecclesia recedunt, ad eam redire quantocius festinant, neque sibi ullam requiem fore putant, qui talem matrem reliquerunt ; sponte redeunt, pacem, et olivam ore ferunt. Quid enim aliud est olivam ore ferre, nisi pacem ostendere verbis? Et bene virentibus foliis hæc oliva fuisse dicitur, ut viva, et vera, et non ficta talis pax esse credatur. Hoc non agit corvus, hoc dedignatur facere hæreticus, hoc superbi ab Ecclesia excommunicati facere contemnunt. Sed quid est, quod post tertiam missionem jam ad arcam columba non redit; nisi quia carne soluta, aquis cessantibus, cunctisque adversis deficientibus majorem sibi requiem reperit? Ergo tertia emissio, carnis hujus mortalis est dissolutio. Ergo illos suos filios Rachel miserat, de quibus dicitur : « Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt (*Jer.* XXXI, 15). » Quid est dicere, quia non sunt? (131) nisi quia in hac vita non sunt, quia superna bona relinquere non possunt, ut iterum ad hæc caduca et transitoria redeant.

« Et aperiens Noe tectum arcæ, aspexit, viditque
« quia exsiccata esset superficies terræ. » Dum enim hoc per fenestram satis cognoscere posset, ad hoc tamen intuendum super tectum ascendere maluit, quia quanto virtutum gradibus altius quilibet ascenderit, tanto magis mundi hujus (132) aquas, adversitatesque despiciens, spem sibi prosperitatis in futurum promittit.

« Egredere de arca tu, et uxor tua, filii tui, et
« uxores filiorum tuorum tecum. » Ecce viri cum mulieribus egrediuntur de arca, qui seorsum a mulieribus ingressi sunt arcam. Quia viri ecclesiastici (133) alio tempore vacant orationibus, alio, secundum quod Apostolus ait (*I Cor.* VII), revertuntur in idipsum, ut vir uxori, et uxor viro debitum reddat, ne propter eorum incontinentiam tentet eos Satanas.

« Ædificavit autem Noe altare Domino, et tollens
« de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtu-
« lit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait ad eum : Nequaquam
« ultra maledicam terræ propter homines : sensus
« enim et cogitatio humani cordis in malum prona
« sunt ab adolescentia sua ; non igitur (134) percutiam omnem animam, sicut feci cunctis animantibus terræ. » Quia enim omnis caro corruperat viam suam, totusque mundus aquis diluvii purificatus fuerat, ideo de omnibus mundis animantibus Deo offerri holocaustum necesse erat, quatenus qui cunctis offensus fuerat, cunctorum sacrificio placaretur. Solus autem homo hoc sacrificio non est immolatus, quia restabat, ut Christus suo tempore immolaretur verus Agnus, qui tollit peccata mundi. Tamen, quia justus erat Noe, ejus devotione et pia voluntate, magis quam illo animalium fumo delectabatur.

(129*) Ex quibus fontibus tanta aquarum copia eruperit in diluvio Noetico designatur a Natal. Alex. De universalitate diluvii Noetici art. 4, p. unica, tom. I.

(130) Contra sensit Ambrosius. « Non puto, inquit, hoc ita dictum, ut Spiritus nomine ventum accipiamus, neque enim ventus poterat siccare diluvium. » Concludit vero his verbis : « Spiritus igitur divini virtute invisibili diluvium illud repressum esse non dubium est, cœlesti operatione, non flatu. At nemo negabit Deum vento virtutem illam dare potuisse. »

(131) Id. cod. Laurent. *Nisi quia jam in hac vita non sunt, quia cum Deo, quia superna bona*, etc.

(132) Id. cod. *aquarum adversitatem despiciens.*

(133) Hic *ecclesiasticus* idem valet ac *religiosus*, et *timens Deum*, ut oportet esse eos qui sunt in Ecclesia Dei.

(134) Id. cod. M. A., *percutiam omnem animantem, sicut feci.*

Digitized by Google

tus est Deus; unde et dicitur : « Odoratusque est Dominus odorem suavitatis. » Nullum animal immundum immolatur Deo, quia soli sancti, et a peccatis mundati Deo placent. Quod autem dicitur, se non maledicere terræ propter homines, subsequenter exponit, dicens : « Non ergo percutiam omnem animantem, sicut feci. » Quid igitur hoc in loco est maledicere? Hoc est percutere, vel disperdere. Hoc autem cur fiat, adnectitur. « Sensus enim et cogitatio hominis prona sunt ad malum; » ipsaque humana natura per se fragilis, et miserabilis, nisi Dei auxilio protegatur, facile labitur in peccatum, unde digna esse videtur, cui misericordia præstetur. Sed quare ait, «ab adolescentia sua?» nisi quia qui in infantia et pueritia peccat, magis hoc ignorantia facit, quam sensu et cogitatione.

20 « Cunctis diebus terræ, sementis et messis, « frigus et æstus, æstas et hyems, nox et dies, non « requiescent. » Quam breviter et pulchre omnem temporum varietatem posuit, ut nobis et spem daret quietæ vitæ, et timorem diluvii auferret.

CAPUT IX.

« Benedixitque Deus Noe, et filiis ejus, et dixit ad « eos: Crescite, et multiplicamini, et replete terram; « et terror vester, et tremor sit super cuncta animantia terræ, et super omnes volucres cœli, cum « universis quæ moventur in terra. Omnes pisces « maris manui vestræ traditi sunt, et omne quod « movetur, et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera « virentia tradidi vobis omnia, excepto, quod carnem « cum sanguine non comedetis. » Sicut enim superius maledictio perditionem, ita et hic benedictio multiplicationem significat; quæ benedictio tantum valuit, ut usque hodie ubique efficaciter operetur. Sed quid est, quod hominem non timeat, cui vultus hominis terribilis non appareat? Quid tam ferox, tamque indomitum, quod humano ingenio aut non vincatur aut non dometur? Quod si allegorice intelligatur, crescunt quotidie sancti, et non solum hominibus, verum etiam ipsis dæmonibus sunt terrori. Et quia omne quod movetur, et vivit, datur nobis in cibum et quasi olera virentia nobis traduntur, erubescant qui nobis carnes comedere interdicunt, et ipsi, quia infirmi sunt, olera manducent. « Omnia enim, secundum Apostolum, sunt munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum (*Rom.* XIV, 20). » Sicut enim omnes gentes fidei gratiam suscipere (secundum quod beato Petro apostolo ostensum est (*Act.* X, 11), ita et omnem cibum comedere, non est peccatum. Quædam tamen quia sunt nociva, quædam vero, quæ scandalum generant; quædam quia sunt fastidiosa, vel insuavia, in cibum ab ipsis catholicis non recipiuntur. Usus quoque multa respuit, quæ si sumerentur, non esset peccatum. Beatus enim Joannes locustas comedit, quæ nec ipsis gentibus sunt in usu. Quod autem ait: « Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis, » magis ad figuram, quam ad litteram attinet. Nullum peccatum est sanguinem manducare; neque enim ob aliud in Actibus apostolorum ab ipsis apostolis interdicitur, nisi ne Judæis ad fidem venientibus scandalum fieret (*Act.* XV, 29). Unde et Apostolus ait se magis nolle manducare carnem, et bibere vinum, quam ut fratrem scandalizet (*I Cor.* X, 28). Allegorice autem carnem cum sanguine comedere est hæreticis, et criminosis viris, in suis iniquitatibus perseverantibus communicare. Non ergo prius hi tales in communionem ecclesiasticam recipi debent, quam sanguine dividantur. Hoc enim sanguine propheta minui cupiebat, cum diceret : « Libera me de sanguinibus, Deus Deus meus (*Psal.* L, 16). »

« Sanguinem enim animarum vestrarum requiram « de manu cunctarum bestiarum: et de manu homi- « nis, de manu viri, et fratris ejus requiram (135) « animam ejus. Quicunque (136) effuderit humanum « sanguinem, fundetur sanguis ejus : ad imaginem « quippe Dei factus est homo. » Hæ sunt fortasse illæ bestiæ, de quibus Psalmista ait : « Ne tradas bestiis animas confitentes tibi (*Psal.* LXXIII, 19); » ut non solum ab hominibus, verum etiam ab ipsis dæmonibus mors, et sanguis hominis requiratur. Possumus autem et per bestias hæreticos, et tyrannos intelligere, qui et astutia et crudelitate Dei populum perdere non cessant. Requiritur autem sanguis iste de manu hominis, ut de manu Cain requiritur sanguis Abel. Unde et Dominus in Evangelio ait : « Requiretur a generatione illa omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ (*Matth.* XXIII, 36). » Sequitur : « De manu viri requiram animam viri, et de manu fratris ejus requiram animam ejus. » Omnes enim fratres sumus : Domini sententia est. Nemo autem impune proximum et fratrem suum interficiet. Unde et subditur : « Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. » Non quod omnis homicida temporaliter occidatur, sed quia, nisi resipuerit et pœnitentiam egerit, pro morte quam fecit, mortem suscipiet æternam. Et hoc quidem merito; ad imaginem enim Dei factus est homo. Quicunque igitur hominis non timet effundere sanguinem, saltem venerari debet in illo imaginem Dei.

« Hæc quoque dixit Deus ad Noe, et ad filios ejus: « Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum « semine vestro post vos. » Hoc enim pactum posuit Deus cum Noe, cunctisque animantibus, ut ulterius non inducat aquas diluvii super terram. Quod ut firmum credatur, et nullatenus dubitetur, posuit insuper et signum quod inter Deum et hominem omni tempore maneat in testimonium, arcum videlicet, quem et Deus intuens sui fœderis recordetur, et homo cum viderit, cognoscens Deum non immemorem sui, omni expulso timore, tanti testimonii illu-

(135) Id. cod. M. A. *animam hominis.*

(136) Item *fundetur sanguis illius.*

Digitized by Google

stratione consoletur (137). Et quia prius per aquam judicatus 21 est mundus, iterum autem per ignem est judicandus; ideo duo principales colores in arce apparent, viridis scilicet, et rubeus; et viridis quidem aquam, rubeus vero ignem prætendit.

« Erant igitur filii Noe, qui egressi sunt de arca, « Sem, Cham et Japhet, ex quibus disseminatum « est (138) omne humanum genus. » Deinde sequitur quod Noe plantavit vineam, et bibens inebriatus est, et nudatus jacuit in tabernaculo suo; quem Cham vidit, et irrisit, fratribusque nuntiavit, qui, accepto pallio, patrem operuerunt, et verenda patris non viderunt; unde et a patre isti benedicuntur, ille vero maledictioni subjicitur et servituti. Sed quid per Noe, nisi Christum; quid per ejus vineam, *nisi Judaicum* populum intelligamus? « Vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est (*Isa.* v, 7); » cujus vinum ipse bibit, calicem videlicet mortis, de quo et beato Petro dicebat : « Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? » (*Joan.* XVIII, 11.) Tali ergo calice tunc inebriatus obdormivit, quando inclinato capite emisit spiritum. Sed quid nuditatis, quid verendum, quid irridendum filius ejus Cham, Judaicus scilicet populus, in eo vidit? Quid unde dolerent, et verecundarentur, et operire cuperent? Illud scilicet, quod usque hodie nobis Judæi improperant. Objiciunt enim nobis mortem Salvatoris nostri, et crucis ignominiam; se Deum viventem, nos hominem mortuum adorare, hominem nimirum captum, ligatum, flagellatum, consputum, spinis coronatum, aceto potatum, et demum crucifixum. Hæc sunt ejus verenda, hæc sunt quæ videre erubescimus; hæc sunt, quæ pallio rationum et prophetarum testimonio operire nitimur. Unde Apostolus ait : « Christus pro peccatis nostris mortuus est semel (*I Petr.* III, 18). » — « Quod autem vivit, vivit Deo (*Rom.* VI, 10). » Ipse quoque suam operiens nuditatem dicebat : « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ; nonne sic oportuit pati Christum, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam? » (*Luc.* XXIV, 25.) Talis igitur nuditas tali indiget operimento. Isti duo fratres gentiles sunt; isti sunt Græcus et Latinus; his enim duabus linguis Dei gloria prædicatur, et Judæorum protervitas expugnatur

CAPUT X.

« Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ « fecerat ei filius suus minor, ait : Maledictus Cha- « naan, servus servorum erit fratribus suis. » Chanaan filius fuit Cham, de quo Chananæi, et Ethei, et Jebusæi, et Evæi, et Amorrhæi nati sunt, et cæteri, qui terram promissionis inhabitantes Dei populo restiterunt; quorum Israelitæ alios peremerunt, alios servituti subjecerunt, ut compleretur illud, quod dictum fuerat, « Servus servorum erit fratribus « suis. » Unde non Cham, sed Chanaan maledicitur, a quo hæ gentes originem ducunt. Interpretatur autem Chanaan *negotiator*, per quem Judæos intelligimus, qui quoniam Dominum suum triginta argenteis negotiati sunt, nulla gens est cui servitute non serviant, et non solum servi, sed servorum servi merito dicantur. Sequitur : « Dixitque : Benedictus « Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus; dila- « tet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, « sitque Chanaan servus ejus. » De Sem quoque qui merito *nominatus* interpretatur, natus est Abraham, omnisque Hebræorum populus, unde patriarchæ et prophetæ orti sunt. Ipse quoque secundum carnem Salvator noster, omnesque apostoli originem habent, quibus non solum Chananæos, verum etiam omnes gentes servire non dubium est. Ideoque in suis benedictionibus dicit, ut Japhet habitet in tabernaculis Sem, id est, sive in Ecclesiis ab apostolis fundatis, sive in illis mansionibus, de quibus Dominus ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2). » De Japhet namque, qui *latitudo* interpretatur, gentilis populus natus est, qui non solum Chananæis, sed cunctis gentibus imperavit.

CAPUT XI.

De eo agitur, quod filii Noe venerunt in campum Sennaar, et ut celebre nomen sibi facerent, turrim ibi ædificare cœperunt, cujus cacumen cœlum tangeret. Sed Dominus descendens eorum linguam confudit, ut se ad invicem non intelligerent : unde et Babel ille locus vocatur, qui *confusio* interpretatur. Sicque ubique terrarum (139) diffusi sunt. Una enim et simili lingua loquebantur omnes, quam utique Hebræam fuisse credimus (140). Hanc autem superbia, et vana gloria confudit, et cum omnes mundi nationes se vicissim intelligere possent, jam in parvo terrarum spatio quasi irrationales sese intelligere nequeunt. Semper enim Deus superbiam odit, ideoque superbos humiliat, et exaltat humiles. Sic enim et diabolum, cum super cœlorum altitudinem sedem suam exaltare vellet, dejectus est. (141) Descendit igitur Dominus in montem, imo non descendit, qui ubique est; qui enim descendit, ubi descendit, ibi non est. Descendit ergo non per se, sed per angelos sibi subjectos. Ideo, et vocans eos, ait : « Venite, « descendamus, et confundamus ibi linguam 22 « eorum; » id est, descendite, me vobiscum ferte, meam in vobis virtutem et potestatem habete; quidquid utile et necessarium fuerit, meo nomine agite. Sic igitur descendit Dominus.

(137) Putat Ambrosius arcum illum, ex refractione radiorum solarium in nube roscida efformatum, non accipiendum esse pro signo a Deo Noe promisso; sed significari « virtutem invisibilis Dei, quæ et specie istius arcus extendendi et remittendi moderatur, pro divina voluntate, misericordia, potestate, quæ neque omnia confundi nimia solutione, neque dirumpi nimia irruptione patiatur. » Loc. cit., cap. 27, n. 104.

(138) Idem cod. M. A. *hominum genus.*

(139) Id. cod. *divisi sunt.*

(140) Hanc esse communiorem SS. Patrum sententiam demonstrat Natalis Alex. Hist. Vet. Test. prop. IV, eamque linguam mundo ipsi coævam fuisse docet.

(141) Id. cod. Laurent. corrigit hic editionem valde corruptam.

Digitized by Google

« Hæ sunt generationes Thare. Thare genuit « Abraham, et Nachor, et Aran. Porro Aran genuit « Lot. Mortuusque est Aran ante Thare patrem « suum in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum. » Tradunt Hebræi Aran, quod idolis sacrificare noluerit, ante patrem suum, id est in conspectu patris sui, igni traditum a Chaldæis interiisse. Ur enim ignis dicitur. Abraham quoque ob eamdem causam in igne præcipitatus, et Dei auxilio liberatus, cum patre, uxore, et Loth nepote suo fugit, ut iret in terram Chanaan, veneruntque usque Aram, et habitaverunt ibi (142).

CAPUT XII.

« Dixit autem Dominus Abraham : Egredere de « terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris « tui, et veni in terram, quam monstravero tibi, « faciamque te in gentem magnam, et benedicam « tibi. » Rem valde difficilem in principio suæ locutionis præcipit Dominus Abrahæ, in quo ejus fides maxime commendatur, qui statim relicta domo, jubentis obedivit præcepto. Non permittitur Abrahæ diutius habitare in uno loco, sed semper de loco transfertur ad alium locum, ut facile intelligamus quia peregrini sumus in hoc mundo, neque habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 14). Quod autem ait : « Atque in te benedicentur omnes cognationes terræ, » id est in semine quod orietur ex te, in Christo videlicet, a quo, et in quo, et per quem omnes benedicuntur, et sine quo nemo benedicitur.

« Egressi sunt de Aram, ut irent in terram Cha- « naan, » in quam prius venire disposuerunt. « Ap- « paruitque Dominus Abraham, et dixit ei : Semini « tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Do- « mino, qui apparuerat ei, et invocavit nomen ejus. » Cum enim ipse Dominus dicat : « Non me videbit homo, et vivet (*Joan.* I, 18); » et apostolus : « Deum nemo vidit unquam (*I Joan.* IV, 12), » quid est, quod Dominus Abrahæ apparuisse dicitur? Non enim Dominus in se, id est in propria substantia, quæ utique ineffabilis et invisibilis est, sed per angelum apparuit Abrahæ (143). Audita vero tanta promissione Abraham, quamvis pauper et advena, tamen non incredulus, vel ingratus, mox altare ædificavit, et Deo de promisso gratias egit, magnum videlicet posteris relinquens exemplum.

« Facta est autem fames in terra : descendit Abra- « ham in Ægyptum, rogavitque uxorem suam, ut « ejus sororem se esse diceret, ne ejus pulchritudinis « causa occideretur. » Sublata est ergo mulier in domum Pharaonis, quam ob causam maximis plagis eum Dominus flagellavit. Bis Sara propter pulchritudinem rapta est, sed, Domino protegente, non est violata. Sic enim in libro Esther legitur (*Esth.* II). Sex mensibus myrrhino ungebantur, sex autem quibusdam aliis odoramentis, priusquam ad reges tales mulieres introducerentur. Hoc ergo temporis spatio, sicut scriptum est, corripuit pro eis Dominus reges, semperque intacta et incorrupta viro suo reddita est mulier. Sunt autem qui putant maximis plagis et Pharaonem et Abimelech in verendis corporis partibus fuisse flagellatos, ut quanto tempore Saram secum habuerunt, usum cum muliere non habere nequiverint : inde est etiam quod, cognita causa, non resistunt, sed libentissime viro reddunt.

CAPUT XIII.

Nemo autem Abraham reprehendat, quasi uxorem mentiri coegisset; ut cum esset uxor, mentiretur suam esse sororem. Re enim vera, sicut Abraham ipse fatetur, soror ejus erat Sara, de patre tamen non de matre; unum enim patrem, non eamdem matrem ambo habuerunt. Si quis autem ex hoc falsum esse contendat, quoniam superius scriptum est : « tulit autem Thare Abraham filium suum, et Saram nurum suam (*Gen.* XI, 31), » quod non dixit filiam suam; defendit se Abraham illa sententia, qua dicitur : « Omnes vos fratres estis; unus est enim Pater vester qui in cœlis est (*Matth.* XXIII, 9); » Dominus est qui loquitur. Secundum hoc igitur et Abraham et Sara, et si non unam matrem, unum tamen patrem habere probantur.

CAPUT XIV.

Hinc autem sequitur quomodo Lot captus fuerit; et Abraham, numeratis trecentis decem et octo vernaculis suis, eum liberarit. Insuper et Melchisedech rex Salem sacerdos Dei altissimi quomodo, proferens panem et vinum, ei benedixerit, decimasque susceperit. Abraham namque, qui *pater excelsus* interpretatur, S. Ecclesiam designat. Quid vero Melchisedech nisi Christum, de quo in Epistola ad Hebræos plenissime Apostolus loquitur? Tulit ergo Abraham, id est **23** Deus omnipotens, trecentos decem et octo vernaculos suos, id est trecentos decem et octo sacerdotes, quos in Nicænum concilium congregavit, atque per eos Lot, id est S. Ecclesiam, jam in hæresim declinantem liberavit, (144) et, cæsis principibus, hæretica pravitate damnata, fidem catholicam confirmavit. De qua victoria Melchisedech, id est Christus Dominus noster, rex pacis, et justitiæ gratulabundus, qui prius seipsum Deo Patri in sacrificium obtulit, jam ex eo tempore victis inimicis ejus, sacerdotio confirmato, quotidie per servos suos pa-

(142) Hanc narrationem ut fabulam rejiciunt critici omnes, quamvis aliquam fidem habuerit apud Hieronymum, cujus vestigia Bruno secutus est. Vid. Ludov. Vives in adnotat. ad cap. 15 lib. XVI De civit. Dei.

(143) Eadem est D. Augustini sententia, qui lib. XVI, cap. 29, De civit. Dei, « Esse quidem, ait, divinæ potestatis, et invisibilis, incorporalis, incommutabilisque naturæ, sine ulla sui mutatione etiam mortalibus aspectibus apparere : non per id quod est, sed per aliquid quod sibi subditum est. Quid autem illi subditum non est? »

(144) Non quod tota Ecclesia a fide catholica deficere posset, contra Christi promissionem Petro factam. « Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua (*Luc.* XXII, 32); » quod Ariana hæresis invalescere cœperat.

Digitized by Google

nem et vinum, carnem videlicet et sanguinem suum, Deo Patri offerre non cessat. Decimas autem a Patre suscipit Christus, quia et propter decimam drachmam carnem suscepit, et propter centesimam ovem (quæ et ipsa decima est) in hunc mundum venit. Sciendum est autem, quoniam aliquando allegoria sequitur historiam, aliquando nominum interpretationem. Unde Abraham, qui *pater excelsus* interpretatur, secundum nominis interpretationem major est quam Melchisedech, minor vero secundum historiam; ideoque Apostolus de his loquens (*Hebr.* VII) : Sine controversia qui minor est a majore benedicitur; minorem Abraham significans, cui Melchisedech benedicit. Nam et Christus, qui Patri æqualis est secundum divinitatem, minor est Patre in hoc quod factus est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

CAPUT XV.

Iterum factus est sermo Domini ad Abraham, promittens ei hæredem, et semen ad stellarum comparationem. « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam (*Rom.* IV, 3). » Jam enim Abraham simul cum uxore senectuti appropinquabat, cum ei Dominus sæpe filium promitteret, non tamen daret. Sciebat enim Abraham Deum mentiri non posse; ideo contra spem in spem credebat, fides naturam superabat, nihilque Deo impossibile credens, ipso jubente, in qualibet ætate se filium habiturum non desperabat. Quia vero ita credidit, quia hanc fidem habuit, reputatum est ei ad justitiam. Ergo fides justitiam operatur (*Rom.* IV, 3) : non circumcisio, sed fides justum hominem facit, nondum enim Abraham circumcisus erat.

« Dixitque Dominus ad eum : Ego Dominus, qui « eduxi te de Ur Chaldeorum, ut darem tibi terram « istam, ut possideres eam. At ille ait : Domine « Deus, unde scire possum quod possessurus sim « eam? Et respondens Dominus : Sume, inquit, mihi « vaccam triennem et capram triennem, et arietem « annorum trium, turturem quoque et columbam. » Per hæc enim animalia, tota Judæorum progenies, et quicunque Abrahæ stirpe descenderunt, designantur. Siquidem per vaccam partem plebis, quæ Domino serviens legis jugum humiliter ferebat : per capram autem partem aliam prævaricatricem, et peccatricem, et idolis servientem; per arietem autem duces populi, id est judices, et reges, et principes : at vero per turturem et columbam, prophetas, et sacerdotes designat, quæ bene trium annorum esse referuntur, quoniam Hebræorum regnum, virtus et potestas, in tribus ætatibus, quasi in tribus annis perseveravit, viguit et floruit. Prima siquidem ætas ab Abraham, cui hæc ostenduntur, usque ad David : secunda a David usque ad transmigrationem Babylonis : tertia a transmigratione Babylonis usque ad Christum. Habet autem unaquæque istarum ætatum generationes quatuordecim. In hoc igitur sacrificio ostendit Deus Abrahæ quantus populus, et qualis de ejus stirpe esset futurus, quantumque regnaturus; quanta etiam adversa passurus.

« Qui tollens universa hæc, divisit per medium, « et utrasque partes contra se altrinsecus posuit; « aves autem non divisit. Descenderuntque volucres « super cadavera, et abigebat eas Abraham. » Merito autem cæteris divisis, aves non dividuntur, quoniam in solis spiritualibus et catholicis viris, qui per aves intelliguntur, unitas, et concordia regnat. Volucres autem, quæ super cadavera descendunt, vitia sunt, et maligni spiritus, qui semper insatiabili voracitate populum Dei diripere et laniare conantur. Sed Abraham abigit eas : per quem sanctos et apostolicos viros intelligimus, qui semper sanctam Ecclesiam ab eorum insidiis protegunt et defendunt.

« Cumque sol occumberet, sopor irruit super « Abraham, et horror magnus et tenebrosus in- « vasit eum : dictumque est ad eum : Scito præno- « scens, quia peregrinum futurum sit semen tuum « in terra non sua, et subjicient eos servituti, et « affligent quadringentis annis; verumtamen gentem « cui servituri sunt, ego judicabo, et post hæc « egredientur cum magna substantia. Tu autem « ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute « bona. Generatione autem quarta revertentur huc, « nec dum enim completæ sunt iniquitates Amor- « rhæorum usque ad præsens tempus. » — « Cum, inquit, soloccumberet, » et jam nox appropinquaret, sopor irruit super Abraham, » in quo, quia, ut sæpe fit, mira et horrenda videbat, « horror magnus et tenebrosus invasit eum. » Neque enim non terreri poterat, cui, quamvis in somno, divina tamen revelatione talia monstrabantur. « Dictum est ergo ad eum : Scito » (inquit angelus, qui loquebatur ei) et multo antequam 24 fiat, prænoscas quia « peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, » id est in terra Ægypti, « et subjicient » Ægyptii « eos servituti et affligent quadraginta annis. » Hoc autem in Exodo plenius narratur. « Verumtamen gentem, cui servient, ego judicabo; » quia decem plagis totum Ægyptum potenter afflixit : Hebræi autem exspoliata Ægypto egressi sunt cum magna substantia. « Tu autem ibis ad patres tuos in pace, » id est pacifice et quiete, « sepultus in senectute bona; » ipsi vero « quarta generatione revertentur huc. » Hoc autem verum est, si non secundum Judæ, sed secundum Levi generationem computetur. « Nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum; » — « Peccatum » enim, « cum consummatum fuerit, generat mortem (*Jac.* I, 15). » Sordidus igitur sordescat adhuc, ne forte convertatur et sanetur. Iniquus enim est, qui pœnitentiam agere renuit, qui quanto plus a Domino exspectatur, tanto majori pœna dignus nullam habebit excusationem.

« Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tene- « brosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis « transiens inter divisiones illas. » Solis occasus, qui finis est diei, hujus sæculi finem designat (145). Caligo vero tenebrosa est de qua dicitur : Quia « sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum (*Matth.*

(145) Ita etiam Augustinus De civit. Dei, lib. XVI, c. 5.

Digitized by Google

xxiv, 29). » Sunt etiam tenebræ, quas in inferno patientur iniqui. Clibanus fumans, et lampas ignis, hujus sæculi conflagratio est, qua ultimo judicio totus mundus terribiliter succendetur. Bene autem ignis inter divisiones illas transisse, non tamen cadavera consumpsisse dicitur; quia, jam peracto judicio, cunctisque immortalibus factis, transire per eos ignis poterit, penitus tamen incendere et consumere non poterit. Si vero per solis occasum mors Christi intelligatur, per caliginem vero tenebræ, quæ in ejus passione factæ sunt, quid erit clibanus, et lampas ignis, nisi Spiritus sanctus, qui die quinquagesima descendens super apostolos venit, atque per eos transivit? Sequitur :

« In die illa pepigit fœdus cum Abraham, dicens: « Semini tuo dabo terram hanc. » Deinde vero describit terminos terræ quam ei daturus erat. Tantis enim revelatis secretis, cum jam nihil esset in quo Abraham dubitare posset, merito et fœdus cum eo ponitur, et hæreditas futura describitur.

CAPUT XVI.

Hinc autem narratur quod Abraham, rogatu uxoris, cum Agar ejus ancilla dormiens, Ismaelem genuerit; sed cum Sara domina ejus eam affligeret, ipsaque a facie ejus fugeret, ab angelo admonita ad dominam suam reversa est. Quid autem per has duas mulieres intelligi debeat, Apostolus exponens ait : « Hæc sunt duo Testamenta (*Galat.* iv, 24); » per Saram siquidem Ecclesiam, per Agar vero Synagogam intelligere volens. Unde Isaac filios Ecclesiæ, Ismael vero Synagogæ filios designat. Et prius quidem quam Sara, peperit Agar, quia prius Synagoga quam Ecclesia peperit. Quomodo autem Synagogam Ecclesia afflixit, nisi fortasse fidem Christi prædicando, quam ipsa audire non vult, scire non possum. Tamen et ab Ecclesiæ filiis multis in locis temporaliter affligitur Synagoga, tributa solvendo, aliaque obsequia servitutis exhibendo. Angelus autem, qui Agar ad dominam suam redire admonet, Ecclesiæ doctores sunt, qui Judæis, ut ad fidem Christi, et ad Ecclesiam convertantur, sæpissime persuadent. Revertetur igitur, et si non modo, aliquando tamen Agar ad dominam suam, quia, « cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* xi, 25). » Quod autem sequitur de Ismaele, quia fuerit « ferus homo, et manus « ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, » quantum ad historiam non procedit. Sed quia, ut dictum est, Ismael Synagogæ filios significat, nulli genti eum convenire et concordare manifestum est. Dum enim legem, et circumcisionem defendere nititur, non solum a Christianis, verum etiam a cæteris gentibus impugnatur; dumque præter suam, omnis religio ei displiceat, garrula disputatione cum omnibus contendit. Omnes igitur ejus tabernacula odio habent, omnes Judæorum Synagogas abominantur, qui contendere quidem volunt, veritati autem et rationi acquiescere nolunt. Dixitque Agar : « Profecto hic vidi posteriora videntis me. (146) » Agar fugiens monetur ab angelo ut redeat ad dominam suam, quod utile sibi forte cognoscens, ait : « Tu es « Deus, qui audisti me, tanquam salubre consilium « mihi dedisti ; » et adjecit : « profecto hic vidi posteriora videntis me. » Dictum est etiam quod Agar Synagogam, angelus autem Ecclesiæ doctores significat. Dicat igitur Agar, dicat Synagoga : Vera sunt, o doctores, quæ dicitis, utilia mihi nuntiatis; revertar igitur ad Ecclesiam, revertar ad dominam meam; video enim quod videbam, video Christum Dominum meum, video ejus posteriora, cujus despexi anteriora, præsens mihi locus est, et non cognovi, transivit, et jam cognosco, quem utique non cognovissem nisi ad puteum venissem. Sic enim mulier Samaritana ad puteum eum cognoscere meruit. Puteus iste Novum Testamentum est. Lege Evangelium, si vis cognoscere Christum. Vocatur autem puteus iste *putens* 25 *viventis*, *et videntis* me; viventis quidem, quia mortuum eum Synagoga esse putabat : videntis autem, quia, quamvis eum multum offendisset, misericorditer tamen semper eam respexit.

CAPUT XVII.

Longa autem deinc describitur historia, quod Deus apparuit Abrahæ, et posuit sempiternum fœdus cum eo, et adjecta una littera vocavit eum Abraham, omnemque terram Chanaam promisit ei possessionem æternam. Sarai quoque, mutato nomine, appellavit Saram. Præcepit insuper ut Abraham circumcidat carnem præputii sui. « Masculus « enim, qui circumcisus non fuerit, peribit anima « ejus de populo suo. » Merito enim Abraham tunc crevit nomine, quando filius ei promissus est, in quo hæreditare debebat omnes gentes. Unde et dicitur : « Nomen tuum non vocabitur ultra Abram, « sed Abraham erit nomen tuum, quia patrem mul« tarum gentium posui te. » Sarai vero, quæ vocatur *princeps nostra*, e contra nomine diminuta est, ut jam non princeps nostra, sed princeps absolute dicatur; sic enim interpretatur Sara. Significat enim, ut diximus, Ecclesiam, quæ non unius populi, sed omnium gentium princeps est. De circumcisione autem Abrahæ dicit Apostolus in Epistola ad Romanos, quia « signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei (*Rom.* iv, 11). » Est igitur circumcisio signum, est autem et signaculum justitiæ fidei. Signum quidem, ut populus, qui ubique gentium dispergendus erat, ab omnibus agnosceretur. Justitiæ vero signaculum, ut per illius superfluitatis diminutionem Ecclesiæ filii intelligerent, se aliter fideles, et justos esse non posse, nisi membris omnibus circumcisis, superflua omnia et nociva a se repellant; et Judæi quidem uno, nos autem membris omnibus circumcidamur. Pes enim circumcisus non currit ad malum. Manus circumcisa non percutit

(146) Id. cod. Laur. : *Profecto hic vidi posteriora videntis me; propterea appellavit puteum illum*, viventis, et videntis *me*.

Digitized by Google

innocentem. Lingua circumcisa non loquitur mendacium. Auris circumcisa non vult audire detractionem. Audi denique quod scriptum est : « Circumcidite corda vestra, et corpora vestra (*Joel.* II, 13). » Et beatus Stephanus loquens Judæis ait : « Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis (*Act.* VII, 51). » Sola enim ista sufficiunt contra eos, qui omnia ad litteram intelligere volunt : aut si non sufficiunt, abscidant aures, et secent corda, quod a nemine usque hodie factum audivimus. Aut hoc igitur non intelligunt, aut si intelligunt, facere negligunt.

CAPUT XVIII.

De eo quod tres viri apparuerunt Abrahæ (147), quibus occurrens adoravit, et dixit : « Domine, si « inveni gratiam in oculis tuis, ne transeatis servum « tuum : sed afferam pauxillum aquæ, et laventur « pedes vestri. » Quibus acquiescentibus, tulit Abraham butyrum et lac, et vitulum, quem coxerat, et posuit coram eis. Postquam autem comederunt, dicunt quod, emenso anno, eodem tempore habebit Sara filium. Deinde surgunt, et vadunt contra Sodomam ; Abraham autem deducebat eos. Cui Dominus : « Clamor, inquit, Sodomorum et Gomorrhæ « multiplicatus est ; et peccatum eorum aggravatum « est nimis ; descendam igitur illuc. » Iverunt ergo Sodomam duo angeli. Abraham vero stans loquebatur cum Domino. Semper enim Abraham in fide crescit, semperque de Deo majora cognoscere meretur (148). Ecce enim, quod ante id temporis omnibus incognitum fuerat, in Trinitate Deum cernit, et in unitate adorat ; non quod Trinitatem ipsam viderit ; sed quia per hoc, quod viderat, in Trinitate, et unitate Deum cognoscere meruit ; unde cum tres viderit, attamen nonnisi unum adorat, nonnisi unum Dominum vocat. De hoc enim Dominus in Evangelio ait : « Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, vidit, et gavisus est (*Joan.* VIII, 56). » Angeli enim, quando volunt, ex aere corpus assumunt, quo et videri, et tangi, et loqui, et manducare, et bibere possunt. Sicut enim corpus est aer, ita et corpora, quæ sumuntur ex aere. His enim ad tempus induuntur, quibus cum se exspoliaverunt, mox in eumdem aerem resolvuntur. Angelus enim Raphael ad Tobiam loquens ait : « Pax vobis, nolite timere : etenim cum essem vobiscum per voluntatem Dei, videbar quidem vobiscum et manducare et bibere, sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor (*Tob.* XII, 17). » Secundum igitur hanc sententiam, et cæteros angelos manducare et bibere intelligant, quibuscunque impossibile videtur esse, ut angeli manducent, et bibant. Moyses tamen eos comedisse testatur, dicens : « Cumque comedissent, dixerunt ad eum : Ubi est « Sara uxor tua ? Ille respondit : Ecce in tabernaculo est. Cui dixit : Revertens veniam ad te tempore isto, et habebit filium Sara uxor tua : quo « audito, risit Sara. » Desierant enim jam fieri muliebria, tempus menstrui ab ea cessaverat, post quod secundum legem naturæ mulierem parere impossibile est. Unde et a Domino Sara de risu reprehenditur. Abraham quamvis et ipse superius 26 risisse dicatur, non tamen reprehenditur, quoniam non dubitando, sed admirando risit ; sciebat enim Deo nihil impossibile esse. Sequitur autem de peccato Sodomorum, et Gomorrhæorum, quod pro sui magnitudine clamor appellatur. Sic enim et de peccato Cain dicitur : « Ecce sanguis fratris tui clamat ad me de terra (*Genes.* III, 10). » Clamant igitur peccata, neque secundum hominum voluntates celari possunt, semperque aures Dei sollicitant, et inquietant. Sed mira Conditoris patientia, qui non statim punit, neque temere credens accusanti clamori, quamvis omnia sciat, descendit tamen, et videt utrum vera sint, quæ sic de peccatoribus nuntiantur : magnum videlicet homini exemplum tribuens, ut nemo in judicando sententiam temere depromat. Et hoc est, quod dicitur : « Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita ut sciam. » Converterunt igitur sese duo angeli inde, et abierunt Sodomam. Abraham vero stans loquebatur cum Domino, suisque orationibus hæc ab eo impetravit, ut si saltem decem justi ibi inventi fuissent, illæ civitates non essent delendæ. Infelix ergo illa civitas, et perditioni jam proxima, quæ solis peccatoribus abundans, sanctos et justos viros habere non meruit !

CAPUT XIX.

Venerunt ergo duo angeli Sodomam, quos Lot invitavit, imo in hospitium coegit. Viri autem civitatis, ut eis impie abuterentur, domum violenter circumdant, quibus ne hoc fiat, duas filias suas exponit. Sed cum adhuc importune instarent, a minimo usque ad maximum, percussi sunt cæcitate. Lot vero cum uxore et filiabus egressus secutus est angelos. Uxor autem ejus post se respiciens versa est in statuam salis. Magna est virtus hospitalitatis, per quam ipsi quoque patriarchæ Domino placuisse probantur. Magna iniquitas Sodomorum, qui tam impudenter viros etiam ignotos polluere non erubescunt. Sed quid dicam de Lot, qui, ut hospites tueretur, propriis filiabus non pepercit (149) ? Allegorice au-

(147) *Apparuerunt tres viri*, etc. S. Ambrosius lib. I De Abraham : « Credidit tres hos viros, de quibus hic est sermo, sanctissimas Trinitatis personas representasse. » Alii Patres, ut Irænеus lib. III, cap. 6, et lib. IV, c. 23. ; Tertull. lib. II. contra Marcion., cap. 27 ; Justinus in Dialogo cum Triphone ; Hilarius lib. IV De Trinit., arbitrari sunt duos fuisse angelos, et tertium fuisse Filium Dei, secundam Trinitatis personam. Ecclesia in officio suo sententiam hanc amplexa videtur, ubi ea repetit verna, quæ in Scriptura non exstant, sed in SS. Patribus, velut apud August. lib. II. contra Maximinum cap. 6, art. 3, *Tres vidit, et unum adoravit.*

(148) Emendatur editio valde errata a Codice Laurentiano.

(149) Excusatur ab Ambrosio hujusmodi filiarum oblatio, ne scelestius in angelos ageretur. « Nam etsi, inquit, illa quoque flagitiosa impuritas erat ;

Digitized by Google

tem duo angeli, duo sunt Testamenta : his enim nuntiantibus, Accepimus quidquid sapientiæ, et scientiæ habemus : horum sententia damnantur mali ; horum consilio liberantur boni. Sodomitæ autem, hæretici intelliguntur, qui semper verbum Dei adulterare conantur, qui utroque Testamento abutentes, prave intelligendo et exponendo, illud impie violare contendunt. Lot vero, qui *declinans* interpretatur, S. Ecclesiam designat, cui semper est cordi declinare a malo, et facere bonum. Per duas autem filias ipsius, carnem nostram, et substantiam, quam possidemus, significari puto. Has autem filias sancti Dei despiciunt; has, inquam, furori objiciunt, magisque his privari volunt, quam peccare in legem Dei, et Testamentorum non defendere puritatem. Sed quid per uxorem Lot? nisi fatuam illam Christianorum plebem intelligimus, quæ in bono perseverare negligens, facile ad pristina peccata delabitur? Talibus autem Dominus ait : « Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei (*Luc.* IX, 62). » Merito quidem in salis statuam conversa est mulier, ut de se, ne talia patiantur, cæteris sapientiæ præberet exemplum. Bene autem et duos generos suos secum Lot educere voluit; quoniam etiam eos, quos carnaliter diligimus, a morte, si possumus, liberare debemus. At illi egredi Sodoma noluere; perierunt ergo cum civitate universa. Quid autem est, quod dicitur : « Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor? » nisi quod Sole justitiæ Domino Jesu Christo ad judicium veniente, et sanctis viris in Segor, id est in cœlesti patria, receptis, mox ignis super Sodomam descendet, ille nimirum qui habet incendere totum mundum. Segor enim interpretatur *parva* : « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* XX, 16). » Parva igitur Segor, quia pauci electi. (150) Nemo autem dubitet ante ignem judicium fieri.

Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte. Duæ quoque filiæ ejus, cum neminem virorum remansisse super terram putarent, inito consilio, patrem inebriantes cum eo dormierunt, et ex eo concipientes genuerunt Moab et Ammon. Hic autem solum historia narratur, quæ ideo quibusdam impossibilis esse videtur, quia non credunt, quod aliquis nesciens cum aliqua concumbere possit. Scimus autem quod in somnis aliquando nescientibus semen effunditur, quod si genitali alvo susciperetur, generare posse non dubitamus, et non minus Lot, qui inebriari potuit, peccasse putamus, quam eas, quæ non luxuriæ stimulis, agitatæ, sed filiorum amore, ne hominum genus periret penitus, provocatæ fuerunt (151).

27 CAPUT XX.

Sequitur autem quod Abraham profectus inde venit in terram australem. Ibi quoque, sicut et superius, dixit Saram suam esse sororem. Tulit igitur eam Abimelech ; propter quod ipse et uxor et ancillæ ejus flagellati sunt a Domino. Hoc autem superius expositum est, ubi Sara propter eamdem causam a Pharaone rapta fuisse narratur. Quod autem dicitur : quia, « orante Abraham, sanavit Deus Abimelech, et uxorem, et ancillas ejus, » et peperit, hoc est quod superius diximus, ne inter se commisceri possent, eos in genitalibus ægrotasse. Unde et subditur : « Concluserat enim Deus omnem vulvam « domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ. » Tandiu nec sua uti potuit, quandiu aliena desideravit abuti uxore.

CAPUT XXI.

Visitavit autem Dominus Saram, et peperit filium eo tempore quo prædixerat ei Deus, vocavitque Abraham nomen ejus Isaac, quod *risus*, sive *gaudium* interpretatur. Unde et ait : « Risum fecit mihi « Deus; quicunque audierit, conridebit mihi. Rursumque ait : Quis auditurum crederet Abraham, « quod Sara lactaret filium suum, quem peperit ei « jam seni? Crevit igitur puer, et ablactatus est, « fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus. » Merito enim in die ablactationis fit grande convivium, ut a lacte separatus magnas inveniat delicias, quibus utatur. Unde Apostolus ait : « Lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III, 2). » Quare hoc? « Nondum enim poteratis (*ibid.*). » De ablactatis vero quid dicitur? « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* II, 6). » Hoc est enim grande convivium ; hoc Abraham, hoc Apostoli præparant filiis suis, utique jam ablactatis, jam ab uberibus avulsis.

« Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ lu« dentem cum Isaac, dixit ad Abraham : Ejice an« cillam, et filium ejus, non enim erit hæres ancillæ « cum filio meo Isaac. Mane igitur surgens Abraham, « tollensque panem, et utrem aquæ, imposuit sca« pulæ Agar, tradiditque ei puerum, et dimisit eam. « Quæ cum abiisset, et errasset in solitudine Bersa« bee, et jam aqua consumpta esset, abjecit puerum « subter unam arborum, quæ ibi erant. » Misertus autem Dominus exaudivit puerum, ostenditque ei puteum aquæ. Puto autem quod ad turpem et inhonestum ludum puerum Isaac Ismael provocaverat, de quo Sara tam impatienter est indignata. Nam quia primogenita ei subripere desiderabat, ideo eum ad flagitia incitabat. Diximus enim superius quod Sara Ecclesiam, et Agar Synagogam significet : hoc enim et Apostolus ipse testatur (*Galat.* IV, 25). Tunc autem quantum ad litteram, Synagogam cum filio rejectam esse credo, quando capta Jerusalem, ubique gentium dispersi sunt Judæi. Spiritualiter autem tunc ejecta est, quando Judæis verbum Dei

tamen minus erat secundum naturam coire, quam contra naturam delinquere. » De Abraham lib. I, c. 6, n. 52.

(150) Idem tradit alibi in locis, ut homil. in Septuag. homil. in Dominic. II post Pentecosten, et lib. I Sentent. cap. 2, de Arca Noe. Ita censent et plurimi alii Patres, quorum testimonia collegit Petrus Franciscus Fogginius in libro inscripto : *Patrum Ecclesiæ de paucitate adultorum fidelium salvandorum*, etc.

(151) Hæc eadem habet Ambrosius lib. de Abraham, c. 6, n. 56.

Digitized by Google

audire nolentibus, ad gentes apostoli sunt conversi. Unde Apostolus ait : « Vobis primum oportuit prædicare verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur, ad gentes (*Act.* XIII, 47). » Ejecta est igitur Synagoga, portavit panem et utrum aquæ, legem videlicet et prophetas, quibus suos adulterinos reficeret. Hæc enim Judæi secum ubique et portant et legunt, sed non intelligunt. Sequitur :

« Quæ cum abiisset, et errasset in solitudine Bersabee, » etc. (152). Errat igitur Synagoga, errat utique : sed ubi errat? in solitudine. In qua solitudine? in solitudine Bersabee, id est juxta puteum satietatis; sic enim interpretatur Bersabee. Puteum enim satietatis Ecclesiam, circa quam pluribus in locis Hebræi morantur, vel ipsam legem, quam portant, intelligere possumus; circa quam ideo errant, quia prave eam intelligunt. Quod quidem ex eo facile probatur, quia quoties nobiscum disputant, cito deficiunt, cito quid proferant non habent, cito eis aqua siccatur in utre; nobis autem non siccatur aqua, quia Spiritus est qui loquitur, cui nemo resistere valet. Sequitur :

« Cumque aqua consumpta esset in utre, abjecit « puerum subter unam arborum, » etc. Quando enim Judæi in disputatione deficiunt, quando ex lege et prophetis competentia testimonia, quæ contra fidem Christianam proferant, non inveniunt; tunc eis aqua siccatur in utre. Quod quidem tunc eis prodest, quando compuncti convertuntur ad Christum (153). Unde et sequitur : quia « exaudivit Do- « minus vocem pueri, et ostendit ei puteum aquæ, « implevitque utrem et bibit. » Hunc autem puteum S. Ecclesiam, Novum Testamentum, et Evangelia putamus. Huc igitur, Judæi, venite, huc flentes et pœnitentes accedite, de hac aqua bibite, de hac utrem legis implete, et aridæ litteræ spiritualem intelligentiam adhibete. Hoc enim etsi non modo, aliquando tamen facturi estis, ut Apostolus ait : « Cum enim plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25); » tunc Agar, id est Synagoga, implebit utrem, et sitientem morientemque Ismaelem, id est populum Judaicum, viva et nova aqua potabit, quam quidem de plenis semperque abundantibus Ecclesia fontibus hauriet.

De eo quod Abraham et Abimelech percusserunt fœdus inter se, ne nocerent **28** sibi alterutrum, et de redditione putei, quem vi abstulerant servi Abimelech, deditque Abraham Abimelech oves, et boves, et septem agnos : Abraham enim *pater multarum gentium ;* Abimelech vero *pater meus rex* interpretatur : quid igitur per hos duos patres, nisi animam et carnem intelligimus? Quæ si inter se convenerint, nihil molle et femineum habentes, sed totum virile et masculinum possidentes, merito non matres, sed patres appellantur. Unde ipsa Veritas ait : « Si duo ex vobis consenserint, de omni re, quam petierint, fiet eis (*Matth.* XVIII, 19). » Sed quoniam anima possidet intellectum, consilium et rationem, quod caro non habet, aliter vicissim convenire non poterunt, nisi animam caro sequatur. Abraham igitur vir sanctus et spiritualis significat animam : Abimelech vero carnalis homo et sæcularis carnem designat. Servi autem Abimelech, id est carnis ingluvies, ebrietas, luxuria, et his similia intelliguntur, quæ utique soli carni serviunt. Per puteum autem, quem isti servi iniquissimi abstulerant Abrahæ, id est animæ, sapientiæ fontem intelligimus, quæ simul cum eis esse non potest. Unde scriptum est : « In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* I, 4). » Reddito igitur animæ sapientiæ puteo, et carne jam domita, spiritui conscientiæ dat Abraham, id est anima donat Abimelech, id est carni, oves scilicet, ut simpliciter vivat; boves autem, ut jam non vitiis serviat, sed jugum Christi, quod suave est, ferens, in ejus agro laborare incipiat. Dat ei præterea septem agnas, id est septem gratias Spiritus sancti, quæ semper sunt (154) ei testimonium fœderis, ne contra se bellum ulterius servos suos movere permittat. Bene autem interveniente Fichol militiæ principe facta est hæc conventio; quia Fichol, qui *os omnium* interpretatur, sapientiam designat, quæ et linguas infantium facit disertas, et sine qua vera pax, et concordia esse non potest.

CAPUT XXII.

« Quæ postquam gesta sunt, tentavit Deus Abra- « ham, et dixit ad eum : Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram « visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum « super unum montium, quem monstravero tibi. » Præcipitur Abrahæ ut eo in monte immolet filium, in quo Christus Dominus est crucifixus. Mons enim visionis est Sion, qui et ipse *visio* vel *speculatio* interpretatur. Quamvis igitur non eodem loco, tamen eodem monte utrumque actum est, ut aptissime Deus monstraret quid per hoc sacrificium monstrare vellet. Ducitur ergo Isaac ad victimam, et cum resistere posset, sponte tamen se ligari, et super aram poni permittit. Sic enim Josephus ait : Jam illius erat ætatis, ut patrem, si vellet, facile superare posset; sed postquam hoc Deum præcepisse cognoverat, sponte se ad immolandum dedit, ne Dei resisteret voluntati. Quis igitur in hoc, Abraham an Isaac, laudabilior sit, non facile apparet. Abraham tamen resurgere mox filium, si occideretur, sperabat, quoniam Deum non posse mentiri sciebat. Quomodo enim gens illa cœli stellis comparata de Isaac nasceretur, si mortuus non resurgeret? Interdicitur ergo Abrahæ, ne puerum occidat. Puerum autem usitato locutionis more eum appellat, quo-

(152) Sensus, in editione mutilus, suppletur ab eod. cod. Laurent.

(153) Id. cod. Laurent., cum quo concordat Casin.

(154) Ab eod cod. Laurent. textus emendatur.

Digitized by Google

modo majores quoque natu pueros dici consueverat. « Respiciens ergo Abraham (155) vidit arietem inter « vepres hærentem cornibus, quem assumens obtu- « lit holocaustum pro filio. » Laudatur Abraham de facto, benedicitur a Domino, promittitur ei semen insuperabile, et in quo omnes gentes benedicantur; pro quo Christus intelligitur, in quo qui non benedicitur, non est benedictus. Allegorice autem Abraham, qui *pater multarum gentium*, vel *pater excelsus* interpretatur, Deum Patrem significat, de quo scriptum est : « Excelsus super omnes gentes Dominus (*Psal.* CXII, 4). » Isaac vero filium ejus Jesum Christum, qui et ipse factus est obediens Patri usque ad mortem. Ara vero crucem designat, in qua ipse est immolatus. Aries autem qui immolatur pro Isaac, caro Christi est; est enim Christus Deus et homo, secundum divinitatem quidem immortalis et impassibilis; secundum humanitatem vero passibilis atque mortalis. Christo igitur in cruce posito, solus aries immolatur, solus agnus occiditur, sola caro crucifigitur : non enim secundum divinitatem passus est Christus. Hoc igitur causæ exstitit, quare pro Isaac aries est immolatus. Quod autem circa cornua, et in capite arietis vepres hærebant, nonne tibi spinea corona esse videtur in capite Salvatoris? Quid est autem, quod Dominus Abrahæ loquitur dicens : « Nunc cognovi « quod timeas Deum? » Nunquid prius non cognoscebat? Tale est igitur, ac si diceret : Nunc te tentando, te probando cognovi, id est, cunctis gentibus notum feci quod timeas Dominum : nisi enim Abraham tentaretur, ejus obedientia non cognosceretur.

CAPUT XXIII.

Vixit autem Sara centum viginti septem annis, et mortua est; quam, empto agro, Abraham sepelivit in spelunca duplici, in qua Adam et Eva, Abraham et Sara, Isaac et Rebecca sepulti **29** esse referuntur, in quam et Jacob de Ægypto delatus est. Quid enim per speluncam duplicem, in qua patriarcharum corpora requiescunt, nisi cœlestem patriam intelligimus? quæ ideo duplex dicitur, quia bona duplicia sanctis præstat. Unde scriptum est : « Duplicia in terra sua possidebunt (*Isa.* LXI, 7). » Ibi enim usque ad judicium solæ animæ; post judicium autem animæ et corpora æterna beatitudine perfruentur. Merito igitur non in sepulcris Chananæorum, sed in hac tam nobili spelunca vir sanctus et Spiritu Dei plenus uxorem suam sepelire voluit.

CAPUT XXIV.

Post hæc narratur quomodo Abraham præcepit servo suo ut poneret manum subter femur suum, et juraret quod non acciperet uxorem Isaac filio suo nisi de cognatione sua. Fecit igitur servus quod ei præceptum fuerat, tulitque decem camelos de grege domini sui, oneravitque eos ex omnibus bonis ejus, et pergens in Mesopotamiam invenit Rebeccam filiam Bathuelis filii Nachor fratris Abrahæ domini sui, quæ venerat ad puteum, ad hauriendam aquam, cui inaures, et armillas, vasa aurea et argentea dedit, et vestes pro munere, eamque domino suo accepit uxorem. Dicamus ergo quid femur Abrahæ, quid Isaac, quid servus, quid Rebecca, quid puteus, quid ornamenta sibi data, quid ejus propinqui significent. Quid enim per femur Abrahæ (de quo, sicut Matthæus evangelista describit (*cap.* I), Christus secundum carnem originem ducit,) nisi humanitatem intelligimus? Magnum est igitur hoc juramentum, quod super carnem fit mundi Conditoris. Quod autem Isaac Christum significet, Apostolus testatur, dicens : « Non dicit : In seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno : Et semini tuo, quod est Christus (*Galat.* III, 16). » Decem vero cameli prophetarum est multitudo, qui ideo decem fuisse dicuntur, quoniam decenarius numerus omnes in se numeros continet : hoc est decem, quod omnes. Multum ergo conveniens fuit ut ad Rebeccam deferendam omnes prophetæ ducerentur. Onerati pergunt cameli, quia magnæ sunt divitiæ prophetarum. Sed quis est iste servus, qui eos ducit? Quis, inquam, nisi apostolorum chorus, et præcipue Paulus, servus Jesu Christi? Isti ergo inveniunt Rebeccam, isti inveniunt S. Ecclesiam, isti inveniunt patientiam. Sic enim interpretatur Rebecca. Ipsa est enim, cui Dominus ait : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* XXI, 19). » Sed qualis erat Rebecca, dicat Moyses. « Puella de- « cora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita « viro. » Talis est igitur Ecclesia, non habens maculam neque rugam. Hæc autem venerat ad puteum, hæc venerat ad hauriendam aquam. Sed quid invenit? Servus Abraham, servus Christi, eos invenit, qui vivam et indeficientem ferebant aquam. Sic enim et mulier Samaritana, dum venit ad puteum haurire aquam, et Christum ibi reperit promittentem aquam vivam. Sed multo melior Rebecca, quam mulier Samaritana : ab illa enim vix aqua extorquetur, hæc autem sua sponte promittit. Illa denique dicit : « Quomodo tu, cum Judæus sis, a me bibere petis, quæ sum mulier Samaritana? » (*Joan.* IV, 9.) Hæc autem ait : « Bibe, Domine mi; nam et camelis tuis « potum tribuam. » Sed quid est quod isti aquam ab eis petunt, quibus aquam dare venerant, nisi ut in re vilissima, et quæ plurimum abundat, eos probent, quam circa proximos habeant misericordiam et charitatem, quibus Christi sacramenta committere debent? Ideo enim dicitur, quia non perdet mercedem suam, qui vel calicem aquæ frigidæ proximo dederit (*Matth.* X, 42). Postquam autem obediens, patiens et misericors Rebecca esse probatur, dantur ei inaures, quibus ornata, fiat apta et docilis audire verbum Dei. Tales enim, et sic ornatas aures quærebat Christus, cum diceret : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* VIII, 8). » Merito autem prius aures Ecclesiæ ornantur, et sic per eas venitur ad reliqua membra, quia ipsæ sunt, quæ

(155) Cod. bibl. M. A., *Viditque post tergum arietem*. etc.

Digitized by Google

prius occurrerunt venienti Verbo Dei. Ideo Psalmista ab auribus incipiens ait : « Audi, filia, et inclina aurem tuam (*Psal.* XLIV, 12). » Quibus ornatis, venitur ad manus, per quas opera intelligimus; quia non sufficit audisse, nisi et ea quæ audiuntur opere compleantur. Unde et ipse Dominus ait : « Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud (*Luc.* XI, 28). » Et Apostolus : « Non auditores, inquit, legis justi sunt apud Deum, sed factores (*Rom.* II, 13). » His autem ita gestis, interrogatur cujus sit, quæ ait : « Filia sum Bathuelis, filii Nachor, et Melchæ. » Bathuel enim interpretatur *virgo Dei;* Nachor *requies luminis;* Melcha *regina ejus.* Quæ est ergo virgo Dei, cujus filiam se esse Rebecca gloriatur, nisi illa de qua Apostolus ait : « Illa autem Jerusalem, quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra (*Galat.* IV, 26). » De qua et Joannes ait : « Vidi civitatem sanctam, Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo (*Apoc.* XXI, 2). » Hujus ergo virginis filia est Rebecca, hujus filia est Ecclesia, quæ in hac vita moratur, et degit. Sed quid Nachor, id est requies luminis, nisi Deus pater intelligitur, in quo ille requiescit, qui dicitur lumen de lumine? Quid vero Melcha, id est regina ejus, nisi Christus, Dei virtus, et Dei sapientia? Talibus igitur parentibus, talique progenie exorta, magnis ditata muneribus, prophetarum vehiculo, Christo Domino desponsata, Rebecca deducitur. Est enim superædificata super fundamentum apostolorum et prophetarum. Quid autem vasa aurea et argentea, et vestes quæ dantur Rebeccæ, significant, **30** nisi doctrinam, exempla, mores, vitam, conversationem, et institutionem apostolorum et prophetarum, quibus instructa et ornata S. Ecclesia Domino placet?

Eo autem tempore egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro, quem Rebecca cum vidisset, descendit de camelo, et cooperuit se pallio. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, et accepit uxorem, et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret. Eo, inquam, tempore, quo apostoli prædicare cœperunt, quo ad Christum Dominum suum Ecclesiam duxerunt, Christus Dominus egressus fuerat a Patre, et venerat in mundum : de quo scriptum est : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch.* III, 38). » Sed quare venerat? Ad meditandum : de eo namque dictum fuerat : « Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Ps.* I, 2). » Inde etiam animalia, quæ non ruminant, immunda vocantur. Venerat ergo ad meditandum; id est, ad hoc venerat, ut nos meditari, et scripturas ruminare, et spiritualiter intelligere doceret. Ideoque hinc dicitur : quia ambulat per viam, quæ ducit ad puteum, cujus nomen est viventis et videntis. Puteus iste Spiritus sanctus est, qui nos spiritualiter Scripturas intelligere facit. Ambulabat ergo per viam, non per illam quæ ducit ad litteram, qua Judæi gradiuntur, sed per illam, quæ ducit ad Spiritum, qua Ecclesia incedit : quia « littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6). » Puteus viventis ideo dicitur, quia mentis oculos illuminat, et quia videre facit, videntis appellatur. Hac igitur aqua, hoc spiritu repletus Christus dicebat : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus misit me (*Luc.* IV, 18). » Quod autem Rebecca eum videns, de camelo descenderit, timoris, et humilitatis est indicium. Quod vero pallio se operuit, aut erubuit, aut decentior apparere voluit. Quanto igitur sancti viri Deo familiarius appropinquant, tanto magis se humiliare, ut ei placeant, et decentius adornare se debent. Introduxit autem eum in tabernaculum matris suæ, et accepit uxorem; quia eo amore Ecclesiam diligere cœpit, quo prius dilexit Synagogam : illa namque cadente, ista surrexit. Unde et subditur : « et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ei ex morte matris accíderat, temperaret. » Plus enim hic optimus filius de morte matris quam de sua dolebat, eum in cruce pendens diceret : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Mater enim illius, secundum carnem, Synagoga fuit, quia de Judæorum stirpe natus est Christus.

CAPUT XXV.

Sequitur autem quod Abraham duxit aliam uxorem nomine Cethuram, de qua plures filios habuit, deditque cuncta, quæ possederat, Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac. Non est autem putandum quod vir sanctus et Deo charus libidinis causa alias duxerit uxores : sed quia nomine pater erat, re etiam multorum aliorum pater esse volebat. Significabat præterea Deum unam sanctam uxorem habere, quæ sibi legitimos, et hæreditate dignos filios pareret, et multas haberet concubinas, quæ spurios et ab hæreditate pellendos filios generaret, quales sunt Judæi, pagani, et hæretici. Unde bene subditur : « Quia dedit filio « suo Isaac cuncta quæ possidebat; filiis autem « concubinarum largitus est munera. » Ipse enim Christus ait : « Omnia, quæ habet Pater, mea sunt (*Joan.* XVI, 15). » Si enim sua, ergo nostra. « Sumus enim, ut Apostolus ait, hæredes Dei, et cohæredes Christi (*Rom.* VIII, 17). » Filiis autem concubinarum largitus est munera (156), bona scilicet temporalia, mundi substantiam, intellectum et rationem, multarum artium peritiam, et multa alia bona præcipua, quibus illi male utuntur, et separavit eos ab Isaac. « Quæ enim societas luci ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli? quæ conventio Christi ad Belial? » (*II Cor.* VI, 15.) Apostolus est, qui loquitur. Notandum vero est quod easdem et uxores, et concubinas vocat.

Vixit autem Abraham centum septuaginta quinque annis, et deficiens mortuus est in senectute bona, utpote in cujus vita nihil reprehensibile in-

(156) Hi sunt gentiles, qui, ob aliquas morales virtutes, bonis temporalibus, scientia et gloria multa ditati sunt.

Digitized by Google

venitur. Et sepelierunt eum Isaac, et Ismael in sepulcro duplici. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio ejus, qui habitabat juxta puteum nomine viventis et videntis omnia; quoniam sapientiæ, et justitiæ intentus, in lege Dei meditabatur die ac nocte. Supervixit autem Abraham, postquam Isaac duxit uxorem, triginta quinque annis.

Quadraginta autem annorum erat Isaac quando duxit uxorem, pro qua, quia sterilis erat, rogavit Dominum, et concepit. « Sed collidebantur in utero « ejus parvuli. Ivit igitur, ut consuleret Dominum, « qui respondens ait: Duæ gentes in utero tuo, et « duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque « populum superabit, et major serviet minori. Nati « sunt igitur; sed prior Esau egressus rufus erat et in « morem pellis totus hispidus: alter egrediens plantam « fratris manu tenebat, ideoque vocatus est Jacob. » In Evangelio enim Dominus ait: « Petite, et accipietis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur (*Luc.* XI, 9). » Apparet **31** ergo quia vult rogari Deus, et quod facturus est, precibus accelerat. Sterilis erat Rebecca, paritura tamen; quæ non peperisset, nisi pro ea Isaac Dominum rogasset. Pugna vero eorum parvulorum in utero, discordiam, quam ipsi et filii eorum habituri erant, significabat. Sed quo ivit Rebecca, ut consuleret Dominum, nisi quia more solito sacrificavit, et responsum petiit? Accepit autem responsum, quod major minori serviret, et populus populum superaret. Non quod Esau servierit Jacob, sed quia filii Jacob usque ad Christi nativitatem, non solum filios Esau, sed cunctas gentes in circuitu afflixerint, et superaverint. Lege veteres historias, et invenies. Post Christi nativitatem, jam non Judæi, sed Christiani dicuntur semen Jacob, ejusque filii, quibus etiam secundum litteram et secundum spiritum, non solum filii Esau, verum etiam ipsi Judæi et cunctæ nationes serviunt. Quod autem post Christi nativitatem non Judæi, sed Christiani dicantur semen Jacob, dicat Apostolus: « Non utique omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen (*Rom.* IX, 6); » id est non qui filii carnis, hi sunt filii, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Et in Evangelio dicitur: « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ (*Luc.* III, 8). » Et Dominus ad Judæos: « Si filii, inquit, Abrahæ fuissetis, opera Abrahæ faceretis (*Joan.* VIII, 39). » Ex his ergo manifestum est quia jam non Judæi, sed Christiani semen Jacob appellantur. Qui etiam nunc Esau per plantam tenent, quoniam eos nequaquam Judæi eorumque servitia effugere possunt. Per primogenita vero, quæ Esau vendidit, sacerdotalis dignitas intelligitur, quæ quidem bene Jacob emisse dicitur, quia S. Ecclesia, quæ per Jacob figuratur, modo possidet hanc dignitatem, Judæis sine lege, sine rege, sine sacerdotio permanentibus. Pro panis namque et lentis edulio, pro commodo terrenæ substantiæ, ne forte locum amitterent, clamaverunt Judæi: « Non habemus regem, nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15); hac enim voce negaverunt Christum, et hac sacerdotem, et sacerdotium amiserunt, et qui timebant, nisi Christum occiderent, et locum et gentem perderent, eo occiso, omnia perdiderunt. At vero Jacob et filii Ecclesiæ esuriunt et sitiunt, et non solum panem et lentis edulium, verum etiam omnia, quæ possident, vendentes, hanc dignitatem et gratiam emunt. Miseri Judæi, qui tantam dignitatem perdiderunt, et qui omnium primogeniti fuerant, alios supra se in sacerdotii dignitate stare conspiciunt. Quanto melius eis fuisset esuriisse, et jejunasse, quam ut eis male saturatis diceretur: « Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo (*Deut.* XXXII, 15). »

CAPUT XXVI.

Sequitur autem quod, orta fame super terram, Isaac abiit ad Abimelech regem Palæstinorum, dixitque de Rebecca, quod soror sua esset; sed cognita causa, præcepit Abimelech ne quis eam tangere auderet. « Sevit autem in terra illa, et invenit in « ipso anno centuplum. Benedixitque ei Deus, et « locupletatus est valde. Ob hoc invidentes ei Pa« læstini, omnes puteos quos foderant servi patris « sui Abraham, obstruxerunt, implentes humo, in « tantum, ut ipse Abimelech diceret: Recede a nobis, quia nobis potentior factus es valde. » Recessit igitur, sed jurgium pro puteis non quievit, donec Abimelech veniens posuit fœdus cum eo. Sciebat enim Isaac patrem suum sapientem virum fuisse, et exempla sequens, ubi haberet consilium evadendi periculum, stultum esse putat casui se committere et fortunæ. Si enim dixisset Rebeccam suam esse uxorem, fieri poterat ut occideretur; maluit igitur dicere suam esse sororem, ne suspensus staret inter utrumque: sic enim et Abraham fecisse cognoverat. Sic et nos in rebus dubiis facere debemus. Noluit autem Moyses silentio prætorire rem tam memorabilem, et quæ raro accidere solet, videlicet, quod Isaac de uno modio sementis centum colligere meruit. Hoc enim in Evangelio ait Dominus: « Semen cecidit in terram bonam, et protulit fructum, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum (*Matth.* XIII, 8). » In hoc igitur eum justum perfectumque virum fuisse demonstrat, qui centesimum fructum colligere meruit. Sed qui sunt servi Abrahæ, qui puteos fodiunt et tam laboriose omnibus in locis aquam quærunt? Qui sunt etiam Palæstini, qui eos obstruunt et humo replent? Servi enim Abrahæ, majoris videlicet Abrahæ, prophetæ sunt, apostoli et doctores. Isti puteos fodiunt; isti Scripturas perscrutantur; isti libros sacros spiritualiter exponunt; isti, abjecto velamine litteræ, vivam aquam nobis propinant. Palæstini, qui cadentes poculo interpretantur, hæretici sunt, Judæi et philosophi. Hi enim falsa et hæretica doctrina inebriati, et quasi frenetici, et ebrii propter insaniæ et falsitatis poculum cadentes, non solum alios puteos, verum etiam ipsa

Digitized by Google

quatuor Evangeliorum doctrinæ fluenta claudere, et obstruere conantur. Sed quoniam in quibusdam nobiscum sentiunt, ideo etiam pro quibusdam puteis non contendisse dicuntur. De fœdere autem Abimelech cum Isaac, id ipsum intelligamus, quod superius exposuimus de fœdere ejusdem cum Abraham. (157) Ut modo Isaac significat animam, **32** ut superius significavit, ita et Abimelech significat carnem. Veniat igitur Abimelech ad Isaac, veniat caro ad animam, audiat quod scriptum est ; (158) *Redite, peccatores, ad cor:* faciant fœdus, conveniant pariter, et jam non carnalem, sed et spiritualem intelligentiam sequantur : bibant aquam de fontibus Israel. Quod si fecerint, jam ulterius puteos Abrahæ obstruere non optabunt; servi quoque ejus puteos effodere non cessabunt. Quot enim puteos Hieronymus, quot Augustinus, quot Ambrosius fodit, ut merito locus ille, in quo isti habitant (Ecclesia videlicet), Bersabee, id est puteus (159) satietatis, appelletur.

CAPUT XXVII.

« Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et « videre non poterat, vocavitque filium suum, ut « ei benediceret. » Sed consilio Rebeccæ intervenit Jacob, hædorum pellibus involutus, ne cognosceretur, ferens pulmentum et patrem ad vescendum invitans : quem postquam Isaac tetigit, et osculatus est, ejusque vestimentorum fragrantiam sensit, benedicens ait : « Ecce odor filii mei, sicut odor « agri pleni cui benedixit Deus : det tibi Deus, de « rore cœli et de pinguedine terræ, abundantiam « frumenti, et vini, et olei, et serviant tibi populi « et adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum « et incurventur ante te filii matris tuæ : qui male- « dixerit tibi, maledictus erit, et qui benedixerit « tibi, benedictionibus repleatur. » Quid enim per Isaac, nisi Judaicus populus, qui alio nomine Synagoga vocatur? Quid vero per Esau, nisi Judæi carnaliter viventes? Quid autem per Jacob, nisi Christum, et Ecclesiam intelligere debemus, cujus ipse caput est? Senuit autem Isaac, quando, succedente baptismo, circumcisio cessare cœpit; qui enim veterascit et senescit, prope interitum est. Caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat, quia spiritualem intelligentiam sub velamine litteræ non cognoscebat. Denique et cum Christo loquens cæcutientibus oculis, quis esset, nesciebat. Vocavit igitur Esau, vocavit carnales filios, præcepitque ut, more solito, de venatione sua sibi afferret. Nunquam hostiis et holocaustis, nunquam animalium sanguine et sacrificiis satiatur Synogoga. Præsens erat Christus, cujus eloquia super mel et favum sunt dulciora, immolabatur agnus, qui tollit peccata mundi : adhuc tamen Synagoga carnes quærebat; adhuc hircos immolabat, et comedebat, et hoc quidem esuriens Isaac significabat. Clamat Dominus : « Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos (*Psal.* XLIX, 9). » Itemque : « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum; holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui (*Isai.* I, 11). » Et tamen Isaac dicit, insatiabilis Synagoga postulat : « Affer mihi de venatione tua. » Cum autem quotidie Synagoga his sacrificiis inhiaret, advenit Jacob, advenit Christus, sed quomodo venit? Vis audire quomodo ? hædorum pellibus involutus, id est in similitudine carnis peccati. « Exinanivit enim se, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philip.* II 7). » Hoc enim fuit primum hominis indumentum, quando primus homo de paradiso expulsus est. Tali igitur veste indutus venit Christus, ferens secum duos hædos optimos; alterum pro peccato, et alterum in holocausto, carnem videlicet et sanguinem suum : his etenim peccatum originale solvitur, et Deus ab indignatione placatur. Hos autem hædos coxit Rebecca, quæ interpretatur *patientia multa*. Multa igitur patientia hoc fecit, quod pro nobis Christus se coqui et occidi permisit; nisi enim patientiam multam habuisset, se a Judæis crucifigi passus non fuisset. « Ipse enim, ut Apostolus ait, dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis (*Ephes.* V, 2). » Oblatus est igitur, quia ipse voluit, et passus est patientia sua. De hoc enim hædo dictum fuerat : « Ne coquas hædum in lacte matris suæ (*Exod.* XXIII, 19). » Coquitur ergo hædus, sed non in lacte matris, quando occiditur Christus, sed jam ablactatus. Quid est autem, quod Isaac osculatur, et tangit Jacob, et in ejus vestimentorum fragrantia delectatur, nisi quia præsentia carnis cum Judæis Christus et locutus, et conversatus est, et odore notitiæ suæ et miraculorum, quæ faciebat, ad tempus sunt delectati? Scriptum est enim (*Matth.* XIV, 36), quoniam et ejus vestimenta infirmos sanarint; quotquot autem tangebant eum salvi fiebant a quacunque detinebantur infirmitate. Benedicit autem Isaac Jacob et non cognoscit : quoniam usque hodie Judæi Christum benedicunt; cui tamen benedicant, non intelligunt : omnes enim Scripturæ benedictionibus plenæ sunt, nam et patriarchæ et prophetæ Christi benedictiones scripserunt, quas quidem Judæi legentes, Christum etiam nolentes benedicunt (160). Putant enim se benedicere quemdam alium Christum, qui non est alius, nisi Antichristus. Sicut enim Jacob Christum et Ecclesiam significat, cujus caput iste est, ita Esau Antichristum et Judæos carnaliter viventes designat, qui ipsius membra sunt. **33** Hic autem cum venerit, cum de venatione redierit, omnes legis cæremonias et sacrificia restaurabit. Sed priusquam hic veniat, audiamus qualiter

(157) Idem cod. Laur. et Casinen.

(158) Is. XLVI, 8. Vulgata habet : *Redite, prævaricatores, ad cor.*

(159) Uterque codex editionem emendat.

(160) « Christus Dominus noster etiam ex ore Judæorum, quamvis errantium, sed tamen legem prophetasque cantantium, benedicitur; id est veraciter dicitur, et alius benedici putatur, qui ab eis errantibus exspectatur. » Aug. De Civit. Dei lib. XVI, c. 38.

Digitized by Google

Isaac benedicat Jacob. « Ecce, inquit, odor filii mei, » sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. » Hoc autem, et ipse Dominus ait: « Ego flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II, 1). » Talis est igitur odor Christi, qualis odor campi, liliorum, et rosarum, et aliorum odoramentorum repleti. Per quæ virtutes intelligimus, et sancti Spiritus gratias, quibus ipse unctus est pro participibus suis. Unde et subditur: « Det tibi Deus de rore cœli. » Quid est enim ros cœli, nisi spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini? (*Isa.* XI, 2). Tali enim rore abundat Christus (160*). Terræ vero pinguedine, quæque meliora, quæ terra, id est Ecclesia, possidet, intelliguntur. Unde consequenter adjungitur: « Frumenti et vini et olei abundantiam. » Per hæc enim, quibus homines nutriuntur et vivunt, fidem, spem et charitatem, sive apostolos et doctores, qui nos spiritualibus nutriunt alimentis, intelligimus. De fide enim dicitur quod: « Impossibile, est sine fide placere Deo (*Hebr.* XI, 6). » De charitate autem: « Deus charitas est (*II Joan.* IV, 16), qua Christus dilexit nos, et lavit a peccatis nostris in sanguine suo (*Apoc.* I, 5). » De spe vero: « Quia spe salvi facti sumus (*Rom.* IX, 34). » Quod autem populi ei serviant, et tribus eum adorent, et quod ipse sit dominus fratrum suorum, et filii matris ejus, id est Ecclesiæ vel Synagogæ ante eum incurventur, tam manifestum est, ut expositione non indigeat. Ipse enim ait: « Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua (*Is.* XLV, 23). » Et Apostolus: « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Domini omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II, 10). » Hæc autem dum agerentur, venit Esau. Venturus est enim in fine sæculi cum magna multitudine Judæorum. Nondum enim venit, quia nondum Synagoga a Christi benedictione cessavit; benedicit enim ei et manifeste per bonos, benedicit et in Scripturis sanctis per non bonos. Veniet igitur cibos afferens, sacrificia immolans. Hæc autem sacrificia non recipiet Isaac: isti cibi non placebunt patriarchis et prophetis. Jam enim suscepit Isaac cibos Jacob, jam sanctorum Synagoga saturata est de sacrificiis Christi. Sed quia scriptum est: « In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter (*Jer.* XXXIII, 16). » Et, « cum plenitudo gentium venerit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25); » et: « Si fuerit numerus filiorum Israel, sicut arena maris, reliquiæ convertentur ad Dominum (*Rom.* IX, 27). » Quia, inquam, hoc scriptum est, necessario credere debemus quia non ex toto privabitur Esau, id est populus Judaicus, benedictione patris; sed quicunque convertentur ad Dominum, suscipient benedictionem Synagogæ, id est patriarcharum et prophetarum. A Christi ergo nativitate usque ad id tempus, Esau errans in venatione, maximoque labore cibum quærens, tunc convertetur, tunc gemens, plorans et pœnitens audire merebitur: « In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio « tua. » Hoc autem superius expositum est. Et quia pœnituit, eamdem cum fratre benedictionem suscipiet. Quod autem sequitur: « Vives gladio, » secundum litteram, ad Esau pertinet, quia venator exstitit. « Et fratri tuo servies. » Quoniam in circuitu Israeliticus populus dominatus est. « Tempusque veniet, « cum excutias et solves jugum ejus de cervicibus « tuis (161). » Hoc totum juxta litteram completum est, multumque Judæis nocuit, quod jugum fratris excusserint de cervicibus suis. Jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve (*Matth.* XI, 30). Hoc autem sciendum est quod non omnia quæ historia narrat allegorice exponenda sunt; alioquin historia non esset.

CAPUT XXVIII.

« Oderat ergo Esau Jacob, et cogitabat occidere « eum. Nuntiata sunt autem hæc Rebeccæ. » Sed a quo nuntiata sunt, nisi ab eo, qui solus novit cogitationes hominum, et nunquam deserit sperantes in se? Ex præcepto igitur patris et matris profectus est Jacob in Mesopotamiam ad Laban avunculum suum. « Cumque venisset in quemdam locum, et « vellet ibi requiescere, tulit unum lapidem, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Vidit- « que in somnis scalam, stantem super terram, cujus cacumen cœlos tangebat, et angelos ascendentes, et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, dicentem sibi: Ego sum Dominus « Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac; terram, « in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo etc. Gunque evigilasset Jacob de somno, ait: « Vere Dominus est in loco isto. Quam terribilis, inquit, est « locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, et « porta cœli. Surgens ergo mane, tulit lapidem, « quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, « fundens oleum desuper; » vovens se decimas ex omnibus esse daturum, si Dominus eum custodiret, et vitæ necessaria ei tribueret. Dicamus ergo quid lapis, quid scala, et quid angeli significent. Lapis ille, super quem Jacob dormivit, Christus 34 est, qui pluribus in locis lapis vocatur. Super ejus pectus quoque Jo. Evangelista recumbens, non minora, quam Jacob, videre meruit. Super hoc igitur lapide dormiant (« beati » enim « mortui, qui in Domino moriuntur *Joan.* XIV, 13 »), quicunque cœlestia videre desiderant. Scala vero, quæ cœlum tangebat, virtutum et bonorum operum concatenatio intelligitur. (162) Sicut enim per scalam quibusdam gradibus ad altiora conscenditur, ita de virtute in vir-

(160*) Emendatur editio hoc in loco depravata.

(161) Idem cod. Laurent. corrigit, et supplet editionem. Cod. vero Casinensis ita habet. *Tempusque veniet, cum excutias, et solvas jugum de cervicibus tuis. Hoc totum juxta litteram completum est, multumque Judæis nocet, quod jugum fratris excusserunt de cervicibus suis.*

(162) Vid. Aug. De civit. Dei, lib. XVI, c. 38.

Digitized by Google

tutem proficiscentibus, « videbitur Deus deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII, 8). » Angeli vero, qui per hanc scalam ascendebant et descendebant, sanctos viros significabant, qui virtutum gradibus et bonis operibus ad cœlestia regna conscendunt; sic enim itur ad astra. Quid est autem quod angeli non solum ascendere, sed descendere quoque videntur, nisi quia sancti viri in hac vita sine peccato esse non possunt? « Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8). » Quoties igitur sancti peccant, per hanc scalam descendunt. Bene autem huic scalæ innixus, sive obfirmatus Dominus stare videtur, ut nos quoque doceat quod semper virtutum baculo innixi debeamus. Hic enim non est baculus arundineus, et qui facile frangatur; qui innixus fuerit, secure stare poterit. Evigilans autem a somno Jacob ait: « Vere Dominus est in loco isto, » in quo eum et loquentem audivi, et super dormiens quievi, et ego nesciebam; ideoque, si quid peccavi, non exhibens huic lapidi dignam reverentiam, ignoranter feci. « Quam terribilis est locus iste, » in quo Deus habitare dignatur; « non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli: » in quo et angeli habitant, et sanctorum scala conspicitur. « Erexit igitur lapidem in titulum, » venerans illum in lapide, qui per illum lapidem significabatur, quem quia Deus oleo lætitiæ unxerat præ participibus suis, ipse quoque super eum oleum fudit. Deinde ait: « Et lapis « iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus « Dei. » Ille etenim lapis Christi carnem significabat, in quo omnis plenitudo divinitatis habitabat corporaliter, de qua scriptum est: « Sapientia ædificavit sibi domum (163) (*Prov.* IX, 1). » Sapientia Verbi ædificavit sibi domum, carnem videlicet, quam assumpsit; quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). » Et « excidit columnas septem; » id est septem Spiritus sancti gratias, quæ semper hanc domum sustinerent. Nondum autem de decimis lex scripta erat, et jam se Jacob decimas datorum esse promittit. Hoc enim et Abraham fecisse legitur. Mirum enim per hoc significare volebat, ut quia decimus est homo (novem enim sunt ordines angelorum), illuc quasi pro pignore sui decimas mitterent, ubi se quasi decimas venturos esse sperarent.

CAPUT XXIX.

Profectus inde Jacob venit ad quemdam puteum, juxta quem tres greges ovium accubabant. Ibi, quia cognoverat Rachel cum grege esse venturam, eam præstolatus est, et adaquato grege, osculatus est eam. Deinde venit ad Laban, servivitque ei pro Rachel septem annis, septemque aliis pro Lia. Dicendum est ergo, quid Jacob, quid Laban, et filiæ ejus significent. Jacob autem multis de causis Christum significat, præsertim hoc in loco, quia pastor exstitit. Laban vero, qui *candidus* interpretatur, mundum designat, quorum nomina satis sibi convenire videntur. Quis enim mundi hujus candorem et pulchritudinem non miretur? Lia vero, quia lippis erat oculis, et *laboriosa* interpretatur, Synagogam, sive activam vitam demonstrat. At vero Rachel, quæ decoram faciem habebat et interpretatur *ovis*, Ecclesiam, sive contemplativam vitam ostendit. Sequamur igitur ordinem. Venit Jacob ad puteum. Puteus iste Novi Veterisque Testamenti scientia mihi esse videtur. Tres vero greges ovium, Judæi sunt, Samaritani et hæretici: hi enim tres de hoc puteo bibunt. Bene autem puteus iste magno lapide claudituf; illo scilicet, de quo scriptum est: « Qui claudit, et nemo aperit, qui aperit, et nemo claudit (*Apoc.* III, 7). » — « Ipse est leo de tribu Juda, qui aperuit librum, et solvit septem signacula ejus (*Apoc.* V, 5). » Stabat igitur Jacob juxta puteum, et stabant greges ovium; sed quia nondum venerat Rachel, adhuc puteus clausus erat. Tandiu enim clausus est puteus, quandiu Christus loqui non incipit. Venit Rachel, aperitur puteus, adaquantur oves, baptizantur fideles, loquitur, et prædicat Christus. Hoc est enim, quod ait. « Et osculatus est eam. » De hoc enim osculo dicitur: « Osculetur me osculo oris sui (*Cantic.* I, 1). » Quod autem Rachel nuntiavit Laban patri suo de adventu Jacob, hoc datur intelligere, quod S. Ecclesia Christi adventum huic mundo prædicavit. Qua annuntiante, occurrit Laban; quia prædicante Ecclesia totus mundus ad Christum convertitur. Septem autem annis servivit Jacob pro Lia, septemque pro Rachel, quia per se, sive per servos suos tota hac ultima ætate, quæ in septem diebus volvitur, pro conjungendis sibi animabus fidelium Christus Dominus noster huic mundo servit; « Non enim venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX, 28). » Quid est autem quod pro Rachel subintrolucitur Lia, nisi quia prior est activa vita, quam contemplativa? Prædicare namque, baptizare, eleemosynas dare ad activam vitam pertinent, quæ nisi præcedant, nemo erit, qui in Dei contemplatione delectetur. Quis enim contemplabitur, quod nescit? Sequitur:

35 « Videns autem Dominus quod Jacob despi« ceret Liam, aperuit vulvam ejus, sorore sterile « permanente. » Sterilis namque a principio erat Ecclesia, cum jam Synagoga innumerabiles filios peperisset. Activa semper Deo filios parit; contemplativa vero sibi soli proficit. Et illa quidem lippis est oculis; hæc vero decora facie, sed sterilis. Hæc, omnibus prætermissis, solum Deum videre desiderat; illa sic ad Deum caligantes mentis oculos dirigit, ut hujus vitæ necessaria non amittat.

CAPUT XXX.

Sed quid est, quod hæ sanctæ mulieres, nimio desiderio filiorum non solum per se, verum etiam

(163) Id. cod. Laurent.

Digitized by Google

per ancillas filios pariunt, (164) nisi quod S. Ecclesia, non solum per justos et catholicos, verum etiam per peccatores et hæreticos, et baptizat, et filios generat? Non tamen hi ancillarum filii dicuntur; quoniam quicumque baptizet, sola tamen mater Ecclesia est. Sequitur autem, quod Ruben egressus in agrum invenit mandragoras, quas dedit Liæ matri suæ; pro quibus Rachel concessit sorori, ut ea nocte Jacob dormiret cum ea. Dicuntur autem mandragoræ hanc habere naturam, ut somnum provocent, et hominis imitentur imaginem, et sterili præstent fecunditatem. Per quod datur intelligi quod sancti viri, et solius Dei amplexibus inhærentes, aliquando quasi gravi somno gravati, eos, quibus Deum contemplabantur, oculos claudunt, et cæterorum hominum imitantes imaginem, nolentes huic vitæ penitus inutiles esse et infecundi, terrenarum rerum dispositionem et procurationem in se suscipiunt. Hoc autem et Apostolus faciebat, qui, quasi Rachel, raptus ad tertium cœlum, mox quasi Lia ad maritales descendens concubitus, ait: « Vir uxori debitum reddat, similiter et uxor viro. Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier; et mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir (*I Cor.* VII, 3). » Et quoniam exemplo activæ vitæ agit hoc contemplativa, non immerito dicitur, quod Rachel has mandragoras emerit a sorore. Quia vero non nisi una nocte ei maritum concessit, non diutius ab ejus contemplatione se extraneam fore significavit. Aliter autem cum Lia, aliter vero cum Rachel habitat Jacob; cum illa carnaliter, cum hac spiritualiter. Ex qua filios generat, huic se visibilem præbet. Suscipiens igitur mandragoras Rachel, id est terrenarum rerum ad tempus curam gerens, concepit, et peperit filium. « Lætare igitur, sterilis, quæ non paris; erumpe, et clama, quæ non parturis: quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Galat.* IV, 27). »

Sequitur autem de eo quod Jacob postulavit a Laban, ut quidquid in ovibus, et capris rufum fuerit et maculosum et varium, sibi pro mercede daretur. Hoc autem cum Laban concessisset, vidisset que in sommis Jacob omnes mares varios et maculosos super feminas ascendisse, tulit virgas populeas, et amygdalinas, et ex platanis, quas ex parte decorticavit, et ex parte cum corticibus reliquit, posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut, dum venissent greges ad bibendum, in earum conspectu conciperent. Dicunt enim philosophi quod in conceptu exteriorem visum natura sequatur, et quod visus contemplatur exterius, hoc A natura operatur interius. (165) Unde in conceptu equarum sive canum, quidam eis ante oculos mares optimi generis ponere solent. Narrant enim quamdam muherem Æthyopem peperisse, quoniam eo tempore quo concipiebat, ejus figuram in pariete depictam conspexerit; quod quidem ex his, quæ jam modo narrantur, satis verisimile esse videtur. Sed quid per canales, quibus aqua effundebatur, nisi Ecclesiæ doctores intelliguntur, ex quorum ore, quasi ex quibusdam canalibus, sapientiæ et scientiæ fluenta decurrunt? Quid vero per virgas, nisi sermones prolixi, longæque sententiæ Scripturarum, quæ quidem ex ea parte decorticatæ sunt, secundum quam spiritualiter intelliguntur? Ex ea parte vero quæ cum corticibus relinquuntur, illæ Scripturæ sunt quæ juxta litteram et solam superficiem exponuntur; quia quæ semper crescunt et nunquam deficiunt, merito virides fuisse perhibentur: quarum aliæ quidem his, qui vitiorum æstu ardent, refrigerii et suavitatis umbram præbent, secundum populi platanique naturam: aliæ vero dulcedinem et delectabilem saporem præstant ad amygdalæ similitudinem. In istorum igitur conspectu et intelligentia, oves S. Ecclesiæ, quas pastor bonus nutrit, verbi Dei semen concipientes, multarum varietatum filios pariunt. De quibus scriptum est: « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus (*Psal.* XLIV, 14). » Non enim unifis coloris Ecclesiæ filii sunt, sed pro diversitate virtutum, quasi quædam gemmæ diversi coloris in eis refulgent. Hoc autem Jacob ex eo tempore prævidebat, 36 quando mares in somnis super feminas, non nisi varios ascendisse videbat. Hanc autem varietatem, non solum doctores Ecclesiæque magistri, verum etiam ipsæ plebes habere probantur.

CAPUT XXXI.

Debinc autem narratur quod Jacob fugiens Laban, cum uxoribus et liberis omnique substantia quam possederat, reverteretur in terram nativitatis suæ; quem Laban septem diebus persecutus, comprehendit in monte Galaad. Admonitus autem a Domino, ne contra Jacob quidquam asperum loqueretur, facto fœdere cum eo, reversus est in locum suum. Jacob vero abiit itinere quo cœperat. Diximus enim, quod Laban hunc mundum significet. Merito igitur Jacob cum uxoribus et filiis omnique substantia fugiens Laban, revertitur in terram patrum suorum, quatenus nobis daret exemplum, ut non diligamus mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Fugiamus ergo mundi servitutem cum omnibus

(164) Notandum cum August. quod, « ex eo tempore quoniam multiplicandæ posteritatis causa, plures uxores lex nulla prohibebat, accepit Jacob etiam illam, cui uni futuri conjugii fidem fecerat. » De civit. Dei lib. XVI, c. 38.

(165) Philosophi ex recentioribus plures existimant commotam matrum phantasiam esse non posse causam cur maculæ, aut alia signa fetibus appareant; id vero censent potissimum post Blondellum philosophum Anglum, qui hac de re metaphysicam physicamque dissertationem conscripsit. Rationibus quidem anatomicis uti videtur Blondellus ad rem probandum validissimis; sed quam multa latent adhuc incomperta quoad ipsas physicas hominum actiones hominumque affectus! Scriptura sacra hoc in loco aperte omnino non tribuit effectum illum commotæ genitorum phantasiæ, sed naturalis loquendi ratio videtur illud suadere.

Digitized by Google

amicis, et propinquis, quos vel exemplo, vel admonitione salvare valemus. Revertamur in terram patrum nostrorum, in terram lacte, et melle manantem, in terram, quam habitat Abraham, Isaac, et Jacob, nostramque substantiam bene disponentes nobiscum feramus, ut Deo serviat, et non mundo. Non timeamus Laban, id est non timeamus hunc mundum, qui septem diebus, id est omni tempore, nos persequitur, ut suæ nos subjiciat servituti. Deus enim non patietur nos tentari supra id quod possumus (*I Cor.* x, 13); ponamus fœdus cum Laban, ponamus fœdus cum mundi deliciis et voluptatibus, ut neque ipsæ ad nos, neque nos ad ipsas revertamur. Hujus autem fœderis testis sit Galaad. Interpretatur autem Galaad *acervus testimonii*, per quem Scripturas sacras intelligimus, in quibus sanctorum testimonia sunt coacervata. Hæc autem separant nos a mundo; hæc sunt, quæ separant nos ab hujus sæculi vanitatibus. Beatus igitur ille, qui stat juxta Galaad, qui sanctorum credit testimoniis, et in lege Domini meditatur die ac nocte.

CAPUT XXXII.

Ivit igitur Jacob itinere quo cœperat; fueruntque ei obviam angeli Dei, quos cum vidisset, ait: « Castra Dei sunt hæc: » misitque nuntios ad Esau, ut inveniret gratiam apud eum. Insuper et munera ei obtulit, ut, si non precibus, saltem muneribus placaretur. Cumque omnibus ante missis, solus in castris remaneret: « Ecce vir luctabatur cum eo « usque mane, qui cum eum superare non posset, « tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. « Dixitque ad eum: Dimitte me, aurora est. Re- « spondit: Non dimittam, nisi benedixeris mihi. Ait « ergo: Quod nomen est tibi? Respondit: Jacob. « At ille: Nequaquam Jacob appellabitur nomen « tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis « fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? « Interrogavit eum Jacob: Dic mihi, quo appellaris « nomine. Respondit: Cur quæris nomen meum? « (166) Et benedixit eum in eodem loco. Vocavitque « Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi « Dominum facie ad faciem, et salva facta est ani- « ma mea: ortusque est ei statim sol, postquam « transgressus est Phanuel. Ipse vero claudicabat « pede. » Quam ob causam non comedunt filii Israel nervum, qui emarcuit in femore Jacob. Merito autem Jacob, postquam separatus est a Laban, obviam angelos habuit: quoniam qui mundum relinquunt, mox in Dei militia computantur, et qui castra fugiunt sæculi, videre et habitare merentur castra Dei. Nemo autem a mundi principibus virisque secularibus pacem quærere dedignetur; cum Jacob vir sanctus, et cui se auxilium præstiturum Deus promiserat, tam suppliciter et precibus et præmiis Esau placare contendat. « Superbis enim Deus resistit; humilibus autem dat gratiam (*Jacob.* iv, 6). » Quid autem hoc in loco significat Jacob nisi Judæorum populum, qui ab eo originem ducit? Quid vero angelus nisi Christum designat? De quo scriptum est: « Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator Dominus, quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis (*Malach.* iii, 1). » Si enim luctamen angeli cum Jacob tantum ad litteram intelligere velimus, nonne ridiculum esse videtur? Quid enim utilitatis fuit cum Jacob angelum pugnasse? præsertim cum dicatur quod eum superare non posset. Quis hoc credat? Quid est denique quod claudicare eum facit et benedicit? Angelus igitur iste Christus est; ideoque modo vir, modo angelus appellatur. Qui carnem susciptens, et in mundum veniens usque mane cum Jacob luctatus est; quoniam usque ad horam resurrectionis, quæ primo mane facta est, eum Judæi persequi non cessarunt. Luctabatur autem Christus cum Judæis, quoniam admonendo, agendo, increpando, eos sæpissime ad iracundiam provocabat. Luctabantur Judæi cum Christo, insidiando, accusando, irridendo, multisque modis persequendo. Qui cum eos superare non posset (non potuit quidem, quia noluit, « oblatus est enim, quia ipse voluit [*Isa.* liii, 7]; » noluit autem per carnem vincere, quia carnem redimere venerat) tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. Sic igitur Christus et ex parte benedixit Jacob, et ex parte non benedixit. **37** Benedixit pedem rectum, non benedixit pedem claudum. Benedixit Apostolos, cæterosque credentes, non benedixit crucifigentes et persequentes. Secundum igitur hanc partem benedicuntur Judæi, secundum autem illam claudicant. Unde et dicitur: « Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis suis (*Psal.* xvii, 46). » Usque hodie namque uno pede claudicant Judæi, Vetus et non Novum Testamentum suscipientes (167). Ergo quia in duo dividitur Jacob, id est credentes et non credentes, altera ejus pars luctatur cum Christo, illa videlicet quæ claudicat; altera ejus benedictionem petit a Christo. Et illa quidem pars, quæ superbe luctabatur, emarcuit; hæc autem, quia pie eum detinere nitebatur, benedicitur. Non enim vi, sed amore detinetur Christus. Cur enim non totus, sed ex parte percutitur Jacob, nisi quia non totus Judaicus populus, sed ex parte ei contrarius fuit? Unde Apostolus: « Cæcitas ex parte contigit in Israel (*Rom.* xi, 15). » Quare autem dicit: « Dimitte me, aurora est? » bonis utique dicit, qui post auroram, post resurrectionem per dies quadraginta cum tenere in hoc mundo meruerunt. Unde ipse quasi teneretur, dicebat: « Expedit vobis, ut ego vadam: nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos (*Joan.* xvi, 7). » Neque enim prius eum dimittunt, nisi benedicat. Sic enim evangelista ait: « Et elevatis manibus benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum (*Luc.* xxiv, 50). » Sola ergo pars bonorum eum tenuit; sola benedicitur, sola, mutato nomine, vocatur Israel. Interpretatur enim Israel *vir videns*

(166) Cod Casin. addit, *quod est admirabile*?

(167) Eamdem interpretationem, sed compendiosius affert August. lib. cit. De civit. Dei, cap. 39.

Digitized by Google

Deum. Soli igitur huic parti dicitur : « Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? » In hoc enim contra Deum fortis fuit, qui tandiu eum tenuit, donec ei benediceret. Sic et Moyses eum tenebat, cum Dominus ait : « Dimitte me, ut destruam populum hunc, et faciam te in gentem magnam. » Nisi enim teneretur, non dixisset, dimitte me. Prævaluerunt autem sancti contra hostes, quoniam sancti per fidem vicerunt regna (*Heb.* II, 33). Dixitque Jacob : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. » Vidit enim Jacob Dominum, non in propria substantia sua, qui quidem invisibilis est, sed per angelum, qui ei loquebatur. Viderant et apostoli Christum, prius quidem secundum humanitatem; postea vero contemplatione spiritualis intelligentiæ.

CAPUT XXXIII.

Audiens autem Jacob quod Esau veniret ei obviam, divisit pueros suos et uxores, dicens : Si percusserit Esau unam turmam, salvabitur altera. Gregibus præmissis, posuit ancillas et liberos earum in principio, Liam vero cum suis secundo loco; Rachel autem et Joseph novissimos. Hoc autem facto Ecclesiæ persecutiones et martyrum pugnas significabat Jacob. Prius enim substantia et possessionibus privabantur sancti, ut et Apostolus quosdam laudans, ait : « nam et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis (*Hebr.* X, 34). » Cumque sic tyranni superare non possent, domos ejus et familias auferebant, sed cum neque sic sancti vincerentur, tormenta eorum corporibus, quæ per Liam intelliguntur, adhibebant; sic enim ad Rachel, id est animam se pertingere posse sperabant. Sed quia Dominus dixerat : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, quoniam animam non possunt occidere (*Matth.* X, 18), » cæteris omnibus relictis, solam animam defendere nitebantur. Id ipsum et Job significavit, qui prius omnem substantiam, deinde filios et filias perdidit, postmodum vero toto corpore gravissime flagellatus, solam animam custodire studuit, de qua Dominus dixerat ad Satan : « Verumtamen animam illius serva (*Job* II). » Hinc enim per Psalmistam dicitur : « Dominus custodiat te ab omni malo; » et statim determinans, ait : « Custodiat animam tuam Dominus (*Ps.* CXX, 10). » Negligitur ergo Lia propter Rachel; negliguntur ancillæ et filiæ earum propter Liam, negliguntur greges, cunctaque substantia propter ancillas; quoniam et caro negligenda est propter animam, totaque familia negligenda est propter carnem, omnique possessioni privata familia præponi debet.

CAPUT XXXIV.

Postquam autem Esau, viso Jacob, reversus est in Seyr, et Jacob veniens habitavit juxta urbem Salem, egressa est Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius. Quam Sichem filius Emor princeps illius terræ rapuit, et dormivit cum ea. Unde Simeon et Levi, fratres Dinæ, vehementer indignati, opportuno tempore considerato, ingressi sunt urbem, cunctisque interemptis, sororem suam eripuerunt. Quid enim per Dinam, nisi simplices quosque et carnales intelligimus, qui ad matris similitudinem lippitudinem in oculis habentes facillime decipi possunt? Quid vero per Sichem, qui interpretatur humerus, nisi hæretici intelliguntur, qui quasi viri fortes, quoscumque decipere possunt, in suum gregem ferre conantur? Bene autem Sichem filius Emor esse dicitur; Emor enim asinus interpretatur : hic igitur humerus et hic asinus multos ferunt in perditionem æternam. Hæretici igitur, quia asini filii sunt, sanum et rationabilem intellectum habere non possunt. Egreditur autem Dina ad videndas mulieres regionis illius, quoniam simplices viri ab Ecclesia separantur, quos hæreticorum et philosophorum dogmata audire 38 delectat. Mox igitur capiuntur et decipiuntur, et in hæreticorum gregem transferuntur; unde fit ut anima Deo desponsata scortum diaboli esse incipiat. Sed mira hæreticorum astutia! non sufficit eis unam animam rapuisse; quinimo in totam Ecclesiam animum intendunt : circumciduntur igitur, et sanctorum religionem se habere velle simulant, ut, inter sanctos conversantes, facile eos decipere valeant; hoc est enim quod dicit Sichem et Emor. Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes, et substantia eorum, et pecora, et cuncta quæ habent nostra erunt. Non ergo religionis causa circumciduntur, sed ut domum et universa quæ possident sibi subjiciant. Sed quid faciunt Simeon et Levi? Quid faciunt sacerdotes et levitæ? Quid faciunt episcopi Ecclesiæque doctores? Accipiunt gladium spiritus, quod est verbum Dei, conveniunt in unum, invadunt conventicula hæreticorum, deteguntur hæreses, patefiunt simulationes, a maximo usque ad minimum aut rapiunt, aut occidunt : occidunt autem, quoniam, eos anathemate percutientes, æterna morte condemnant; eos vero rapiunt, quos ab hæretica pravitate ad fidem Christi convertere valent. Sic igitur eripiunt Dinam et simplices animas Ecclesiæ conciliant. Hæc autem vindicta ex hoc Deo placuisse probatur, quia terror Domini omnes per circuitum civitates invasit, neque sunt ausi persequi recedentes. Quod autem Jacob displicuisse dicitur, ad historiam magis pertinere videtur.

CAPUT XXXV.

Post hæc autem præcepit Dominus Jacob ut ascenderet Bethel et habitaret ibi. Jacob vero jussit domui suæ ut abjicerent deos alienos, et mundarentur, et vestimenta mutarent. Dederunt ergo ei deos quos habebant, et inaures quæ erant in auribus eorum. At ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem. Bethel enim interpretatur *domus Dei*. Merito ergo illuc ascendunt qui hæretici interea erant, priusquam ascenderant; deos alienos abjiciunt, quia nemo habitat in domo Domini; qui diis serviat alienis. Mundantur præterea, et vesti-

Digitized by Google

menta mutant, ut, anima et corpore baptizati, Christum induere mereantur. Jacob autem et deos, et inaures terræ infodit, ut velut mortui intelligantur et ad homines decipiendos ulterius non appareant. Sed quare inaures cum eis infodiuntur, nisi ut nemo ulterius in eorum memoria aures hominum sollicitare præsumat? Sunt enim inaures aurium ornamenta, pro quibus auditus intelligitur. Aures enim, quæ non audiunt, ornatæ non sunt. Sic igitur Jacob domesticorum suorum aures circumcidens, ad deorum laudes audiendas, surdos, et sine auditu esse volebat. Unde scriptum est : « Perlit memoria eorum cum sonitu (*Psal.* IX, 8). » Si enim non sit qui audiat, et sonitus, et prædicatio, et memoria perit. Venit ergo in Bethel, et ædificato ibi altare, vocavit nomen loci illius domus Dei. « Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, et sepulta est ad « radices Bethel subter quercum, vocatumque est « nomen loci illius, Quercus fletus. » Eodem, inquit, tempore, quo Jacob ascendit de Bethel, mortua est Debora nutrix Rebeccæ, quoniam eo tempore mortua est Synagoga, quo Christus domum Domini, id est Ecclesiam ædificare et inhabitare cœpit. Debora enim interpretatur *apis*. De hac enim Dominus, ait : « Circumdederunt me sicut apes (*Psal.* CXVII, 12). » Fuit vero Debora nutrix Rebeccæ, quoniam Ecclesiam parvulam et lactantem Synagoga nutrivit. Ipsa enim et legem et prophetas nos docuit, et quidquid habemus Veteris Testamenti, ab ipsa suscepimus. Locus autem in quo Debora, id est Synagoga, sepulta est, vocatur Quercus fletus, quia in tenebris exterioribus posita Synagoga, umbra ejus, et refrigerium, fletus est et stridor dentium. Cum enim a calore nimio mali transeant ad aquas nivium, melius erat eis semper sub sole esse, quam sub illius quercus umbram succedere, quæ eos nimio frigore et flere et stridere cogeret.

« Egressus autem inde Jacob venit in terram quæ « ducit Ephratam, in qua cum parturiret Rachel, pe« riclitari cœpit ob partus difficultatem. Vocavit igi« tur nomen filii sui Belom, id est filius doloris mei : « pater vero vocavit eum Benjamin, id est filius dex« teræ. » Pulchre autem eo in loco peperit Rachel, in quo S. Ecclesia sumpsit initium, de qua scriptum est : « Audivimus eam in Ephrata (*Psal.* CXXXI, 6). » Ephrata enim est ipsa Bethlehem, in qua Christus dominus noster secundum carnem natus est. Pariens autem filium moritur Rachel, quoniam S. Ecclesia moriendo parit. Pariendo namque decollatus est Paulus : pariendo crucifixus est Petrus. Quomodo enim moriendo non pariebat, qui in cruce positus prædicando filios generabat? Nullo enim tempore sancti martyres plures filios genuerunt Domino, quam eo tempore, quo patiebantur. Inde in Evangelio Dominus, ait : « Mulier cum parit, tristitiam habet (*Joan.* XVI, 21). Vocat autem filium suum Belom, id est filius doloris mei, quia in dolore, id est morte, et in angustiis eum peperit. Pater vero vocavit eum Benjamin, id est filius dexteræ. Si enim Christus dextera vocatur, Jacob autem significat Christum, ergo filii Christi, filii sunt dexteræ. Inde autem et de Benjamin dicitur, quia utebatur utraque manu pro dextera. In morte autem Rachel non fuit fletus, quoniam S. Ecclesia non ad mœrorem, sed ad gaudium moriendo tendit. Fletur autem, 39 et flet Debora anus decrepita et despicienda, de qua per Jeremiam dicitur : « Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus, non est qui consoletur eam ex omnibus charis suis (*Thren.* I, 2). »

CAPUT XXXVI.

Hinc autem sequitur : quia completis centum octoginta annis, mortuus est Isaac, quem filii ejus Esau, et Jacob sepelierunt in spelunca duplici. Inde narrantur filii Esau, et duces eorum ; similiter filii Seyr et duces eorum. Quod autem dicitur : Iste est Onan, qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui, sic accipiendum est ac si diceret : Iste Onan sua arte suoque ingenio reperit, ut ex asino simul et equa mulus nasceretur; sive etiam ad litteram : invenit aquas, quæ difficile in solitudine reperiuntur.

CAPUT XXXVII.

« Joseph cum sedecim esset annorum, pascebat « greges cum fratribus suis adhuc puer : accusa« vitque fratres suos apud patrem crimine pessimo. « Israel autem diligebat Joseph, fecitque ei tunicam « polymitam bene ornatam. » Vidit autem in somnis se ligare manipulos cum fratribus in agro ; surgens autem, et stans manipulus ejus, a fratrum manipulis adorabatur. Quod cum fratribus retulisset, responderunt ei : « Nunquid rex noster eris et subji« ciemur ditioni tuæ? » Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait : « Vidi per som« nium quasi solem, et lunam, et stellas undecim « adorare me. » Quod pater audiens, et intelligens, ait : « Nunquid ego, et mater tua, et fratres tui ado« rabimus te super terram? » Invidebant ergo ei fratres ejus. Joseph enim, qui *accrescens* interpretatur, Christum significat, cujus regnum, et imperium tantum crevit, ut mundum impleret universum, de quo Joannes ait : « Me oportet minui, illum autem crescere (*Joan.* III, 30). » Hic autem cum adhuc puer esset, sedens in medio seniorum audiebat, illos et interrogabat, omnesque in ejus responsis et doctrina mirabantur (*Luc.* II, 46). Sic igitur et noster Joseph adhuc puer, et gregem pascebat. Quod autem dicitur quia Joseph accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo, plurale pro singulari posuit ; non enim omnes fratres, sed solum Ruben accusaverat, qui cum Bala concubina patris sui concubuerat. Sed nunquid Christus aliquando accusaturus est? Apostolus enim dicit : « Quis accusabit adversus electos Dei? Christus, qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34). » Si ergo constat Christum apud Patrem interpellare pro nobis, non dubium est

Digitized by Google

etiam ipsum accusare et damnare malos. Fecit autem pater huic filio suo dilecto tunicam polymitam, per quam, carnem, qua divinitas induta est, intelligimus. Ejus autem manipulum optimo grano plenum, et quo totus mundus nutriendus erat, fratrum manipuli adorant, quia « in nomine Jesu omne genu flectetur cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philip.* II, 10). » Ipsum præterea sol, et luna, et stellæ (168) undecim adoraverunt; quoniam reges, et principes, totaque Ecclesia, omnesque ejus discipuli eum adorant, et venerantur. Quomodo ergo, juxta litteram, luna Joseph adorare potuit, siquidem per lunam Rachel intelligitur, quæ jam defuncta erat? (169.) Invidebant igitur ei fratres, et jam eum occidere Judæi cogitabant, quoniam ejus somnia, ejus monita atque doctrina eis videbatur esse contraria, et talem tanquam justum regem sibi præesse metuebant; unde et dicebant : « Venite, occidamus eum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et promittit se scientiam Dei habere, Filium Dei se nominat (*Sap.* II, 13). » Post hæc autem, jubente Jacob, ivit Joseph visitare fratres suos, qui pascebant greges. Cum eum a longe vidisseut, « cogitaverunt illum occidere, et mutuo « loquebantur : ecce somniator venit, venite occi- « damus eum, et mittamus in cisternam veterem. » Confestim ut pervenit ad fratres, nudaverunt eum tunica talari et polymita; postea vero consilio Judæ vendiderunt Ismaelitis. Postquam enim Judæi viderunt signa et miracula quæ Christus faciebat, et quod omnis populus eum venerabatur et sequebatur, zelo et invidia commoti pontifices et Pharisæi « collegerunt concilium, quomodo Jesum dolo tenerent et occiderent (*Joan.* XI, 47). » Deinde « cum diabolus misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ (*Joan.* XIII, 2), » ivit igitur ad pontifices, et dederunt ei triginta argenteos. Fuerunt igitur et facto similes, qui nomine non differebant; ut alter Judas Joseph, alter vero venderet Christum.

« Dixit enim Judas fratribus suis; ecce Ismaelitæ « transeunt, venite, venundetur. » Acquieverunt ergo fratres, et vendiderunt eum viginti argenteis. Recte autem Joseph quia minoris erat meriti, minori etiam venditur pretio. Per Ruben, qui Joseph liberare nitebatur, eum populi partem intelligimus quæ in morte Salvatoris non fuit consentiens. Per hædum, quem occiderunt, Christi mortem, per tunicam vero, quam in ejus sanguine tinxerunt, carnem Christi sanguine proprio cruentatam designamus. Liberatur igitur a morte Joseph, si ejus tunica cruentatur, quoniam 40 et Christus secundum carnem passus est, qui secundum divinitatem mori non potest.

CAPUT XXXVIII.

Quod vero sequitur de filiis Judæ, qui fuerunt nequam in conspectu Domini, et ab eo occisi sunt, et de ipso Juda, qui concubuit cum nuru sua, aliis ad exponendum relinquimus, non magnopere docentes hominum flagitia spiritualibus inserere sacramentis. Veruntamen quoniam omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, nos talia facere timeamus, ne hæc agentes similia patiamur. Et quidem nisi quia primogenitus Judæ nequam fuit; secundus ejus filius Judæos et hæreticos significare poterat, qui primogenito fratri, id est Christo invidentes, (170) illud verbi semen in aures audientium infundere nolunt, per quod veritas, quæ Christus est, in eorum cordibus oriatur; effundunt igitur illud in terram, ubi sciunt nullum ex eo posse fieri fructum. Hoc autem fit, ne in fratris nomine filius oriatur. Secundum legem namque, si quis conjugem fratris uxorem duceret, non sibi, sed fratri suo filios generabat.

CAPUT XXXIX.

Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis princeps exercitus, qui præposuit eum omnibus quæ possidebat. Ille vero nihil aliud noverat, nisi panem quo vescebatur; sed quia noluit dormire cum domina sua, ut putabatur, ab ea accusatus in carcerem missus est. Deinde vero, jubente Pharaone, de carcere eductus, atque ab eo præpositus ordinatus, totum Ægyptum a fame liberavit; unde et *salvatorem mundi* lingua Ægyptiaca eum vocaverunt. Cujus abstinentiæ Joseph fuerit, ex eo facile dignoscitur, quia cum multis divitiis præesset, necessariis tantum contentus, solo pane vescebatur; unde et vitiorum strenuus dominator, maximeque libidinis exstitit, quæ ex nulla re magis vincitur quam carnis macerazione. Sic et Daniel cum tribus illis nobilissimis pueris, pane et leguminibus contentus fuit. Quamvis panis nomine cibus omnis intelligi possit; unde in Evangelio dicitur : « Cum introiisset Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem (*Luc.* XIV, 1). » Quod ergo dicitur nihil noverat nisi panem quo vescebatur, id est nulla gloria vel honore, nullisque divitiis delectatus, solius corporis necessariis utebatur. Sed quia Joseph significat Christum, Christus autem non nisi semel venditus est, quid secunda venditio Joseph in Christo significavit? Semel enim in se, multoties autem in fidelibus suis Christus Dominus noster venditus est. Unde ipse discipulis ait : « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit (*Luc.* XVI.) » Et Saulo persequenti : « Saule, Saule, quid me persequeris? » (*Act.* IX, 4.) Itemque : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* XXV, 40). » Sic igitur Christus in servis suis et flagellatur, et tenetur, et venditur, et occiditur. Hæc enim lex a tyrannis quodam tempore data fuerat, ut quicunque proderet Christianum, ejus facultates haberet; qua cupiditate ducti ubique (171) mali, Christianos studiose quærebant. Sic igitur fiebat, ut suismetipsis

(168) Cod. Casin. omittit *undecim*.
(169) Aliquid deest amanuensium inscitia.
(170) Ab eod. cod. Laurent. errata editio corrigitur.
(171) Id. cod. mendosæ editioni occurrit.

Digitized by Google

facultatibus christiani venderentur. Sed cui vendebant, nisi Putiphar, nisi principi Pharaonis, per quem diabolus intelligitur? Putiphar enim *os inclinans ad discendum* interpretatur. Cum enim sancti martyres ante judices ducerentur statim qui et unde, servi an ingenui, et cujus essent religionis examinabantur. Hoc igitur modo Putiphar, os ad discendum inclinans, subtili examinatione de eis omnibus interrogabat; qui, cum se esse Christianos dicerent, mox eos omnibus facultatibus suis, quantum in ipso erat, præponebat, divitias, honores, et dignitates eis promittens, si suæ voluntati consensissent. (172) Dicitur autem Putiphar iste ad nefarios usus emisse Joseph, quia pulcher erat et decora facie; propter quod, exsiccatis testiculis, divino judicio sic eunuchatur; deinde vero sacerdos Heliopoleos constitutus, cujus filiam Joseph postea duxit uxorem. Et hoc quidem tyrannis satis convenire videtur, qui sanctorum fidem polluere et corrumpere cupientes, multis modis a Domino percussi fuisse leguntur, et illi præsertim qui sacras virgines violare tentarunt. Sed quid per uxorem Putiphar, nisi idololatriam intelligimus? Cui, quia Joseph et SS. martyres consentire noluerunt, quasi sacrilegi et adulteri, et carceri, et morti, et exsilio damnati sunt. Cum hac enim meretrice Israel fornicatus est, de quo dicitur: « Fornicatus est Israel post deos gentium (*Judic.* VIII, 27). » Positi igitur sancti in carcere, ibi quoque Deum adjutorem invenerunt, qui nunquam deserit speranles in se. Quamvis enim Joseph, qui venditus, accusatus missusque in carcerem, omnes martyres significare posset, eos tamen principaliter significat, qui temporibus Diocletiani et Maximiani exstiterunt. Isti enim adeo idololatriam prosecuti sunt ut quicunque sacrificare noluisset, mox carceri vel exsilio traderetur, aut diversis supplicijs puniretur. Post hos autem secutus est Constantinus Maximus imperator, cui Deus per visionem piscinam pietatis revelare dignatus est, in qua et ipse, et totus mundus a vitiorum lepra mundatus est. Quæritur igitur Joseph, quæritur Silvester, qui *regis somnia* interpretetur. Trahitur igitur Joseph de carcere, ducitur Silvester de latibulis in quibus jam ex multo tempore latitaverat; interpretatur somnia, exponit mysteria, fit amicus imperatoris, magis quam ille Pharaonis. Joseph enim a Pharaone secundus in regno declaratur et annulum, et stolam, et torquem auream circa collum suscepit: Silvester vero a Constantino primus omnia Romani imperii insignia suscipere meruit, quibus usque hodie Romani pontifices in magnis festivitatibus utuntur: inde est, quod pontifices clamyde, quodque purpura vestiuntur (173). Si ergo Joseph salvator mundi, quia solum Ægyptum a fame liberavit, cur et Silvester salvator mundi non dicatur, qui pane verbi Dei, et spiritualibus alimoniis totum mundum refecit? Illi filia Putipharis: huic sancta et universalis Ecclesia traditur; multoque plura Silvester quam Joseph fecisse narratur. Ille horrea, iste Ecclesias aperuisse legitur. Ille Ægyptiis servitutem; iste christianis tribuit libertatem. Quod autem Jacob cum filiis et nepotibus, totaque domo ac familia sua lætus ad Joseph super plaustra ducitur in Ægyptum, nonne tibi significasse videtur quod ex voluntate Silvestri, jubente Constantino, ex carcere et exsilio, ubi detinebantur, cum gloria et honore omnes sancti ad propria remearunt? Si enim, quod verum est, ubicunque sunt duo vel tres in Christi nomine congregati, ibi et ipse est in medio eorum, quis negare audeat quod noster quoque Joseph simul cum sanctis suis de carcere et exsilio non duceretur? Longum autem est singula singulis comparare. Illud tantum nos dixisse sufficiat, quia non magis tunc Pharao, amore Joseph, profuit Israelitis, quam postea Constantinus, Silvestri gratia, profuit Christianis.

Prætermittens S. Bruno expositionem in sequentia septem capita, devenit ad caput XLVII, *quod cum reliquis illustrat, præsertim extremum, ubi singulæ prædictiones a Jacob moriente filiis suis factæ eleganter, copioseque explicantur.*

CAPUT XLVII.

Venit igitur Israel in Ægyptum, benedixitque Pharaoni, et habitavit in terra Gessen, auctusque est, et multiplicatus nimis, factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta et septem annorum. Cumque appropinquare cerneret mortis diem, vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, et jura mihi, quod de hac terra auferas me, et sepelias in sepulcro patrum meorum. Juravit igitur Joseph; quo jurante, adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput. Venit, inquit, Israel in Ægypto, quia et Dominus noster Jesus Christus in hunc mundum veniens benedixit Pharaoni, cunctisque mundi hujus principibus, qui sanctorum meritis obedire non renuunt; tantumque in eo auctus est, ut a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari ejus imperium dilatetur.

CAPUT XLVIII.

Quid autem significet quod Joseph sub patris femore juravit, jam superius expositum est, ubi sub femore quoque Abrahæ servus ejus jurasse narratur. Quod autem dicitur: et adoravit Israel Dominum, conversus ad lectuli caput, versus orientem caput le-

(172) Ex Hebræorum fabulis hoc commentum fortasse desumpsit auctor.

(173) Vigebat adhuc Brunonis ævo hujusmodi opinio ex canone 14, distinct. 96, posteriori tempore inter apocriphos relato; quem affert clar. Sebast. Berardi tom. I, diss. 1, 5 *de archiep. insignibus*, eumque valde antiquum ait. Nihil tamen hoc officit supremæ Rom. pontificis dignitati in Ecclesia; cum jam antea, ut inquit Spondanus ad an. 324, n. 28, pontifices corona, vel lamina aurea, aliisque summi sacerdotii sui insignibus uterentur. Vid. Anast. Bibl. in Vita S. Silvestri, edit. Rom. 1731, tom. I, p. 27.

Digitized by Google

ctuli fuisse significat, in qua parte Deum adorare solitus erat, cum jam ex eo tempore solem justitiæ Christum Dominum ipse veneraretur. De hoc autem Apostolus, aliam sequens translationem, sic ait: « Fide Jacob benedixit duobus filiis Joseph, et adoravit fastigium virgæ ejus (*Hebr.* XI, 21); » ut sit sensus quod Jacob senio confectus, fastigio virgæ ejus innixus Deum adoravit, non quod ipsam virgam, vel sceptrum Joseph filii sui Jacob adorasse intelligatur (174).

CAPUT XLIX.

Iis ita peractis, nuntiatum est Joseph, quod ægrotaret pater ejus, qui, assumptis duobus filiis suis Manasse et Ephraim, ivit ad eum, quos Jacob sibi hæredes esse constituit, ut pariter cum filiis suis dividerent possessionem. Cumque eos Joseph applicuisset ad patrem, commutatis manibus, benedixit eis, posuitque manum dexteram super caput Ephraim, qui ei sinister erat: sinistram vero super caput Manasse, qui erat ei a dextris. Hoc autem Joseph graviter ferens, nitebatur patris dexteram super caput Manasse transferre, qui major natu erat. Ille vero renuens ait: « Scio, fili mi, scio; et iste « quidem erit in populos, et multiplicabitur; sed « frater ejus junior major illo erit, et semen ejus « crescet in gentes. 42 Benedixitque eis in ipso « tempore, dicens: In te benedicetur Israel, atque « dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, et sicut « Manasse; constituitque Ephraim ante Manassen. » Joseph enim filios suos sic ad patrem applicuerat, ut Manasses, qui major erat, esset a dextris, Ephraim vero a sinistris. Vir ergo sanctus, et Spiritu Dei plenus, manibus commutatis, et quodammodo ipsis suis brachiis crucis signum super eos faciens, eis benedixit, deprecans Deum patrum suorum, et angelum qui eruit eum de cunctis malis, in quo et Patrem, et Filium intelligebat, ut eis benediceret, ut nomen suum, et nomen patrum suorum Abraham et Isaac super eos invocari faceret, ut videlicet tales existerent, qui talium patrum filii digne vocarentur. Hæ autem duæ tribus valde multiplicatæ sunt; si quidem Ephraim decem tribubus imperavit, quia proverbium erat in Israel, ut cuicunque bona quis optaret, ei in prædicando diceret: « Faciat tibi Deus sicut Ephraim, et sicut Manasse. » Quod autem dicitur: « Quia constituit Ephraim ante Manassen, » tale est ac si diceret: Constituit, firmavit, et præcepit ut ex inde Ephraim major esset quam Manasses. Sic enim et Joannes Baptista in Evangelio dicit: « Qui post me veniet, ante me factus est (*Joan.* I, 27). » Dixitque Jacob Joseph filio suo: « En ego morior, eritque Deus vobiscum, reducetque « vos in terram patrum vestrorum; do tibi partem « unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, et arcu meo. » Quod enim Jacob Amorrhæis violenter terram abstulerit, nusquam superius legitur; sed quia hic dicitur, factum quoque fuisse intelligi potest: aut si ita non intelligitur, prophetia est de futuro, ut se jam fecisse dicat, qui filios Joseph facturos esse cognoscit. Fortasse autem hoc est illud prædium, de quo in Evangelio dicitur: « Venit Jesus in civitatem Samariæ, « quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit « Jacob Joseph filio suo (*Joan.* IV, 5). »

(174) Vide Cornel. a Lap. Comment. in cap. XI. Ep. ad Heb.

CAPUT L.

« Vocavit autem Jacob filios suos, et ait eis: « Congregamini (175) et audite, filii Jacob, audite « Israel patrem vestrum; congregamini, ut annuntiem vobis quæ ventura sunt novissimis diebus. « Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, et « principium doloris mei, prior in donis, major in « imperio: effusus es sicut aqua, non cresces, quia « ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum « ejus. » Ruben namque filius Liæ primogenitus fuit; ipse autem, et Gad, et dimidia tribus Manasse possedit omnem terram quam ceperunt filii Israel, priusquam transirent Jordanem. Relictis igitur uxoribus, liberis, et gregibus, cunctaque supellectile expediti, et armati incedebant ante fratres suos. Ideoque modo Jacob dicit Ruben: « Tu fortitudo mea, » quo præcedente et præliante vincam: « et principium doloris mei, » quia concubuit cum Bala concubina patris sui. Unde in sequentibus dicit: « Quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus. » Principium igitur doloris sic est, ac si diceret, maximus dolor. « Prior in donis, » vel quia prior benedicitur, sive quia prius hæreditatem suscepit. « Major in imperio; » major quippe in imperio fuisset, nisi propter peccatum supradictum primogenita perdidisset. « Effusus es sicut aqua, » non considerans ubi te præcipitares, libidinis furore devictus, ideoque non cresces; si enim non crescet, quomodo in imperio major erit? Major enim esse debuerat, sed quia inconsiderate ruit, suæque effusionis impetum non retinuit, neque crescet, neque major erit. Unde et Moyses ei benedicens ait: « Vivat Ruben, et non moriatur, et sit « parvus in numero. » Potest autem et sic intelligi, non cresces in peccatis, videlicet ut peccatis peccata adjicias; sed peccasti: quiesce. Quoniam autem superius dicitur: « Congregamini, filii Israel, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis diebus novissimis; » juxta litteram quidem ad Ruben, allegorice vero ad totum populum Judaicum pertinere videtur, ut sit vox loquentis Domini: « Ruben primogenitus meus. » Sic enim scriptum est: « Filius meus primogenitus Israel. » Hunc enim populum quasi filium primogenitum præ cunctis gentibus quodam tempore Deus dilexit; principium doloris mei, id est, tu mihi principalis es, maximusque dolor, tum propter alia, tum quia filium meum charissimum occidisti. « Prior in donis, » quia tibi legem, tibi manna, tibi spiritualia dona mandavi. « Major in imperio, » quia quandiu fidelis fuisti, nulla gens te

(175) Vulgata ita habet: *Ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis. Congregamini*, etc.

Digitized by Google

superare, imo tibi resistere potuit. « Effusus es sicut A « nec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspe-
aqua, » cunctos submergens, et destruens inimicos, « etatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum,
sive etiam supra numerum multiplicatus. Non cre- « et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in
sces, sed sicut timebas, venient Romani, qui tibi « vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium
locum tollant, et gentem. Quare hoc? « Quia ascen- « suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes
disti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus, » « ejus lacte candidiores. » Tribus namque Juda,
multorum videlicet animas Domino desponsatas quia templum habebat, et legem, et prophetas, a
doctrina, et exemplis, et violentia maculasti et cor- cæteris semper laudari meruit. Qualiter autem su-
rupisti. Et quoniam Pater est in Filio, et Filius in per cervices inimicorum manus tenuerit, libri Re-
Patre, quasi alter alterius cubile dicitur. gum testantur. Quomodo vero et David, et alios
« Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellan- reges ab eo, totus populus adoraverit, et veneratus
« tia, in consilio eorum ne veniat anima mea, et in fuerit, ibi quoque reperitur. Dictus est autem catu-
« cœtu eorum non sit gloria mea; quia in furore lus leonis Juda propter fortitudinem, quam ille po-
« suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffode- populus habuit. Ascendit autem ad prædam, omnes in
« runt murum, maledictus furor eorum, quia per- circuitu civitates devastans. Requievit ut leo, et
« tinax, et indignatio eorum, quia dura: 43 dividam B quasi læna, quia quandiu legem sibi datam custodi-
« eos in Jacob, et disperdam eos in Israel. » Nam vit, omnes ejus quietem et pacem perturbare, sibi-
quia superius legimus, Simeon et Levi fratres, pro- que bellum movere timebant. Unde et subditur:
pter Dinam sororem suam, Sichem et Emor dolo « Quis suscitabit eum? » ad bellum scilicet provo-
interfecerunt, ideo vasa iniquitatis bellantia appel- cando. « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de
lantur, quorum conventus atque consilia, furore, « femoribus ejus (176), donec veniat, qui mittendus
ira, et indignatione plena, nec ab ipsis satisfacienti- « est, et ipse erit exspectatio gentium; » manifesta
bus et indulgentiam quærentibus placari potuerunt; est de Christo prophetia. Ipse est enim, quem omnes
ideoque precatur Jacob ne in eorum consilium, et gentes exspectabant, et a quo de morte perpetua
potestatem ejus vita et gloria aliquando veniat; sunt liberatæ. Ex quo autem tribus Juda regnare
sive etiam, ut eorum nunquam credat consiliis, qui cœpit, id est a temporibus David, de nulla alia, nisi
dolo, et simulatione tantum facinus perpetrare po- de propria tribu regem habuit. Quod autem dicitur:
tuerunt; de quo et subditur: « Quia in furore suo « Non auferetur sceptrum de Juda, » sic est acci-
occiderunt virum, » Sichem videlicet et Emor. « Et piendum, non quod omninò non auferetur (ducta
in voluntate sua suffoderunt murum, » et totam ci- enim in captivitatem non semper regem habuit) sed
vitatem illorum destruentes, vel aditum sibi ad C quia hæc dignitas ab hac tribu non auferetur, ut de-
intrandum præparantes. « Maledictus furor eorum, tur alteri tribui, quæ huic imperare debebat. Nam-
quia pertinax, » id est implacabilis, « et indignatio que unoquoque rege moriente, sceptrum quidem
eorum, quia dura, » quæ mitigari non potest. No- auferebatur; dignitas tamen, et honor regius, quasi
tandum autem, quia non ipsis, sed eorum furori et quiddam naturale et hæreditarium in hac tribu
indignationi maledicit, ut videlicet post maledictio- permanebat. Unde et post regis cujuslibet obitum,
nem jam hæc in eis ulterius esse non valeant. « Di- et post reditum de captivitate, sine ulla contentione
vidam eos in Jacob, et disperdam in Israel. » Si- de hac tribu Juda rex eligebatur. Hoc autem sicut
meon namque infra sortem Judæ suscepit hæredi- Jacob prædixerat, usque ad Christi adventum perse-
tatem, habitavitque in medio filiorum Judæ. Levi veravit; tunc enim Herodes, quamvis fraudulenter
autem de cunctis tribubus datæ sunt civitates ad in Judæa regnabat, qui tamen uxorem de tribu Juda
inhabitandum. Spiritualiter vero per Simeon et habebat, eam qua et regnum, et sceptrum posside-
Levi, Judæos omnes, maximeque sacerdotes et le- bat quod autem sequitur: « Quia ligabit pullum et
vitas intelligimus, qui vasa iniquitatis bellantia, tota asinam ad vitem, et quia lavabit stolam, et pallium
die constituebant prælia, qui pravo consilio inito, D in vino, » quantum ad litteram, pacem, et quietem
in furore suo occiderunt virum, Christum scilicet: habiturum esse significare videtur, ut secure dor-
« et in voluntate sua suffoderunt murum, » ipsum miat sub vite sua, tantamque vini abundantiam
eumdem, qui muniebat, et defendebat Jerusalem. habere, ut in eo, si necesse fuerit, etiam pannos la-
Ideoque divisi sunt in Jacob, et dispersi sunt in vare sufficiat. Spiritualiter autem per Judam Chri-
Israel: id est ubique terrarum, ut per Jacob Eccle- stum intelligimus, quem non solum fratres, verum
siam intelligamus, quæ per totum mundum diffusa etiam omnis creatura laudat, et benedicit, cujus
est. quidem manus in cervicibus est inimicorum suorum,
« Juda, te laudabunt fratres tui. Manus tua in quoniam nemo est qui ei resistere valeat. Hunc
« cervicibus inimicorum tuorum, et adorabunt te autem et filii patris sui adorant, angeli videlicet
« filii patris tui. Catulus leonis Juda, ad prædam, atque homines. Ipse autem est et catulus leonis, qui
« fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, omnium fortissimus bestiarum, ad nullius timebit
« et quasi læna, quis suscitabit eum? Non aufere- occursum. Dicitur autem quod catulus leonis quando
« tur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, do- nascitur, usque ad tertium diem, quasi mortuus

(176) Vulgata legit. *Et dux de femore ejus.*

Digitized by Google

dormiens, non movetur ; die vero tertia rugitu quodam, et voce parentis a somno excitatur. Christus autem de se loquens ait : « Ego dormivi, et somnum capi, et resurrexi, quoniam Dominus suscepit me (*Psal.* III, 6). » Dormivi in sepulcro, die tertia resurrexi, scilicet voce Patris a somno excitatus. » Unde et subditur : « Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum ? » pater utique, qui non derelinquet animam ejus in inferno, sive ipse seipsum, quoniam potestatem habet ponendi animam suam, et iterum sumendi eam. Quod autem ait : « Ad prædam, fili mi, ascendisti ; » hoc est, quod alibi dicitur : « Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem (*Ephes.* IV, 8) : » ascendens enim crucem, prædam de manu diaboli rapuit, id est totum mundum. Sed quid est, quod ait : « Ligans ad vineam pullum suum? » Quid per vineam, quid per pullum? « Vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est (*Isa.* V, 7) ; » pullus autem, populus gentilis lascivieus et indomitus. Ligavit igitur pullum ad vineam, Judæos et gentiles in unam fidem conjungens, ut fiat unum ovile et unus pastor. « Et ad vitem, fili mi, asinam suam. » Ego, inquit Dominus, sum vitis vera, et vos palmites (*Joan.* XV, 5). Asina autem est Synagoga, quam secundum eam quidem partem, quæ credidit, insolubili vinculo sibi Dominus conjunxit, atque ligavit. Unde Paulus hujus asinæ filios, huic viti indissolubiliter ligatos dicebat. « Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio, an angustia? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita separabit nos a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* VIII, 35). » Si ergo pullus ligatur ad vineam, id est ad Synagogam, asina autem, id est Synagoga, ligatur ad vitem, ergo et pullus ligatur ad vitem. « Lavabit in vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum. » Stola et pallium Christi caro est, quam militis lancea perforavit, et continuo exivit sanguis, et aqua. Unde et dicitur : « Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua (*Isa.* LXIII, 1). » Notandum vero, quod vinum sanguis vocetur, quia in sanguinem vinum convertitur. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores : oculi Christi prophetæ intelliguntur, qui superspicaci mentis acumine, usque ad sæculi consummationem Ecclesiæ sacramenta videre meruerunt. Hi autem sunt pulchriores vino, quia Spiritu ferventes omnia superflua et nociva a se mundantes expulerunt ; sic enim et vinum fervendo et bulliendo purgatur. Dentes autem apostoli sunt, qui nobis Scripturarum difficilia, et duriora ruminando et exponendo, quasi infantes nos nutrierunt. Et isti quidem sunt lacte candidiores, quia super nivem dealbati, nulla in eis apparet macula peccati.

« Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem. » Hæc autem magis sortis hæreditatisque descriptio quam benedictio esse videtur, quamvis et ipsa sors ei pro benedictione data sit, de qua scriptum est : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali (*Is.* IX, 1). » Istæ namque duæ tribus juxta mare Galilææ habitaverunt. Unde et Matthæus ait : « Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam ; et, relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim (*Matth.* IV, 13). » Multum enim Christus in Galilæa conversatus est, quæ sanctorum apostolorum Petri, et Andreæ, et Jacobi, et Joannis habitatio quondam fuit, pro quibus videlicet Nephtalim merito dicatur cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis. Cervi namque sunt apostoli, quibus cum a Domino mitterentur, dictum est : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15). » Cujus autem pulchritudinis eloquia isti dederint, lege et vide. Magna est igitur benedictio Zabulon et Nephthali, quia tantos, talesque viros habere meruerunt.

« Issachar, asinus fortis, habitans in terminis ; « vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod « optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tribubus serviens. » Habitat autem Issachar in terminis, quia sicut in libro Josue scribitur, ab Austro est Ephraim, ab Aquilone Manasse, et conjunguntur ab Oriente in tribu Issachar, ita ut Issachar sit terminus utriusque. Hic autem, quia parum quid secundum litteram dicere valemus, ad allegoriam nos transferamus. Issachar enim asinus fortis, Ecclesiæ doctores sunt, quia totius Ecclesiæ pondus ferunt. Hi autem habitant in terminis : inter activam vitam videlicet, et contemplativam, nunc orationibus vacant, nunc fidelibus necessaria subministrant. Isti vero, quia cognoscunt requiem cœlestis beatitudinis, quod bona sit, quia sciunt etiam hanc terram, id est sanctam Ecclesiam optimam esse, supponunt humeros ad portandum, totisque viribus elaborant, ut hanc terram ad hanc requiem transferre valeant, unde et facti sunt tributis servientes. Quoniam, sicut Apostolus ait, omnibus omnia facti sunt, ut omnes lucrifaciant, et quasi omnium tributarii omnibusque debitores, admonendo, increpando, arguendo omnibus serviunt. Cum enim Apostolus dicat : « Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum (*Rom.* I, 14), » nonne tibi omnibus tributa solvere videtur? Sequitur :

« Dan judicabit populum suum, sicut alia tribus « Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, « mordens ungulas equi, et cadat assessor ejus retro. Salutare tuum exspectabo, Domine. » De tribu namque Dan fuit Samson, qui viriliter satis, et strenue populum judicavit, et Philisthæos afflixit. De hac quoque tribu, ut fertur, Antichristus est nasciturus, de quo cætera, quæ sequuntur, intelligi debent. « Fiat, inquit, Dan, » id est Antichristus, « coluber in via, » quatenus, ad antiqui serpentis similitudinem, populum in viam mandatorum Dei gradientem, suæ fallaciæ veneno perdat et decipiat.

Digitized by Google

Sed qualis serpens? « Cerastes in semita. » Cerastes enim *cornutus* interpretatur. Lege Danielem, et invenies quomodo Antichristus per cornua significetur. Namet in Apocalypsi cornua duo, agni similia habere describitur; per quæ ejus hypocrisis et falsa humilitas intelligitur. Erit autem serpens iste cornutus, quoniam regiam præferet dignitatem, pluresque cornibus, et violenta fortitudine quam opere, vel sermone ad se convertet. « Sedebit » enim « in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem (*Ps.* x, 8). »—« Mordens ungulas equi (177). » Quid vero per ejus ungulas, nisi mundi finem significat? Est enim in ungulas ultima pars corporis; mordet igitur serpens iste ungulam equi, quia in mundi fine Antichristus apparens mundi amatores mordendo devorabit. « Ut cadat ascensor ejus retro. » Quia hujus equi ascensores, reges, et principes, cunctique mundi hujus potentes intelligi possunt, quibus mundus iste subjicitur, et quasi a quibusdam equitantibus regitur, et gubernatur. Hi autem retro cadent; qui autem retro cadit, non videt quo cadit : merito igitur retro cadere isti dicuntur, quia non intelligunt quæ tormenta post casum mortis exspectant. Quoniam autem non diu post hæc finis sequetur, et Dominus in majestate sua ad judicandum veniet; ideo subdidit dicens : « Salutare tuum exspectabo Domine, » nequaquam ad Antichristum respiciens, qui et ipse cum cæteris retrorsum cadet.

« Gad accinctus præliabitur ante eum. » Ante quem cum? Utique ante Israel. Tribus namque Gad trans Jordanem, accepta possessione, omnibus expeditus, armatus præcedebat fratres suos. Hoc enim Moyses præceperat. Sequitur : « Et ipse accingetur retrorsum; » id est ipse quoque Israel accinctus, et ad bella paratus, sequetur post eum. Si autem spiritualiter intelligatur, Gad accinctus præliabitur Christum significat; de quo modo dixerat : « Salutare tuum exspectabo, Domine » Et per Gad apostolos intelligamus, qui nihil timentes et ad bella parati, etiam inter ipsos adversarios Christi nomen prædicabant. Ipse vero quasi bonus imperator sequebatur post eos, signis et miraculis eis auxiliando. Unde scriptum est : « Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* xvi, 20). » Ipse quoque Salvator, ait : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv, 5). » Hoc est ergo, quod dicitur : « Et ipse accingetur retrorsum. »

« Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus, » Hoc autem ad litteram non procedit, nisi forte terræ fecunditatem significet. Spiritualiter autem Aser, qui *beatus* interpretatur, Ecclesiam significat. Panis vero ipsius Christus est, qui ait : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* vi, 42). » De quo pane scriptum est : « Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat (*Ps.* xix, 4). » Hoc enim pane non corpora, sed mentes saginantur. Præbebit autem delicias regibus, id est episcopis et sacerdotibus, qui cœlesti benedictione super mensa altaris hunc panem conficiunt. His autem panis iste præbet delicias, qui ipsi ejus saporem gustant, et intelligunt. « Gustate, inquit, et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* xxxiii, 9). »

« Nephthalim, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis. » Hoc autem ibi expositum est, ubi Zabulon benedicitur. Hæ enim duæ tribus juxta mare Galilææ habitabant, ubi apostoli nostri piscari consueverant. Omnis igitur benedictio ad illos referatur.

« Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu. Merito enim Joseph accrescens filius dicitur, qui in tantum crevit, ut mundi Salvator, et dominus Ægypti, et pater Pharaonis vocaretur. Filius quoque ejus Ephraim decem tribubus imperavit, sola Juda et Benjamin sequentibus domum David. Fuit autem et decorus aspectu, in cujus pulchritudinem et Putiphar, et uxor ejus vehementer exarsit. Unde et Ægyptiæ mulieres, filiæque nobilium, si quando transibant ad eum intuendum, super murum ascendebant. Hoc est enim quod ait : « Filiæ discurrerunt super murum, » ut ejus pulchritudinem mirarentur, « et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. » Quid autem per habentes jacula, nisi milites, cæterosque potentes Ægypti intelligamus? Illi autem cum hominem externum, et captivum super se cernerent exaltatum, inter se (ut moris est) quod talia paterentur, et fortasse contra ipsum regem, propter invidiam jurgati sunt. Hoc autem eos fecisse parum profuit, quoniam vigilanti fortique consilio, et dispositione, Joseph cuncta agebat. Unde et subditur : « Sedet in forti arcus ejus. » Fortis erat manu, fortis erat et arcu, ideoque insurgentes adversarios non metuebat. Sequitur : « Et soluta vincula « brachiorum et manuum ejus, per manus potentis « Jacob : »—« Humiliaverunt » enim dicit Psalmista, « in compedibus pedes ejus; postea vero misit rex, et solvit eum princeps populorum, et dimisit eum (*Psal.* civ, 18). » Hoc autem solius Dei voluntate, suisque intercedentibus meritis factum esse manifestat, cum dicit : « per manus potentis Jacob; » id est ut Joseph solveretur, utriusque Jacob meritum, vel potentia fecit. « Inde pastor egressus est Israel lapis, » inde, inquam, id est ex Jacob pastor egressus est, pastor utique bonus. Sic enim ipse ait : « Ego sum pastor bonus (*Joan.* xi, 14); » hic enim, secundum carnem, de semine Jacob natus est. Dicatur ergo : inde pastor egressus est. Quis pastor? 46 Israel. Quis Israel? Lapis. Ergo non primus Israel egressus est de Jacob (alioquin de Jacob egressus esset Jacob), sed ille Israel egressus est de Jacob, qui vocatur lapis, per quem Christum intelligimus, de quo scriptum est : « Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (*I Petr.* ii, 7). » Hinc autem ad Joseph loquitur di-

(177) Cod. Casin. : *Quid enim per equum, nisi mundum? Quid per ejus ungulas*, etc.

Digitized by Google

cens : « Deus patris tui erit adjutor tuus, et omnipotens benedicet tibi. » Hoc autem nullo pacto de Christo intelligi potest; nullum enim dominum pater ejus habet, imo ipse est ei Deus deorum, et Dominus dominantium. Hoc igitur, et cætera quæ sequuntur, super Joseph intelligantur. Sequitur : « Benedictionibus cœli desuper, et benedictionibus abyssi « jacentis deorsum, Omnipotens, » inquit, « benedicat « tibi ; » sed quibus benedictionibus ? « Benedictionibus cœli, inquit, desuper. » Similiter enim et Isaac eum benedixerat, dicens : « Det tibi Deus de rore cœli, et benedictionibus abyssi jacentis deorsum, » id est de pinguedine terræ abundantiam. Terra enim cœlo comparata, abyssus vocatur. Possumus autem per benedictiones cœli, Dei, et Angelorum benedictiones intelligere; at vero per benedictiones abyssi, prophetarum et patriarcharum. Abyssus enim dicuntur prophetæ, propter spiritualis intelligentiæ profunditatem. Unde scriptum est : « Abyssus abyssum invocat (*Psal.* XLI, 8), » id est apostoli prophetas in testimonium vocant. « Benedictionibus uberum, et vulvæ, » subauditur, benedicat tibi Omnipotens. Hæ autem benedictiones, si ad litteram intelligantur, et dicere, et audire satis absurdum, et turpe esse videtur. Secundum litteram tamen et filiorum multitudinem, et victus abundantiam, ei sic benedicendo, optasse intelligi potest. Sed quid per ubera, nisi duo Testamenta intelliguntur ? Unde per Salomonem Ecclesiæ dicitur : « Duo ubera tua sicut duo hinnuli capræ gemellæ (*Cant.* IV, 5). » Hæc autem ubera cunctis fidelibus sufficienter hac subministrant : iis uberibus Ecclesiæ filii nutriuntur : in iis benedictionibus illæ continentur, quibus omnes populi benedicuntur. Quid vero per vulvam, nisi baptismum intelligamus ? Omnes enim Ecclesiæ hac vulva regenerantur et nascuntur, neque inter ejus filios computantur qui per hanc vulvam non regenerantur. « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* III, 5). » Hic autem illæ benedictiones recipiuntur, quibus et anima et corpus mundantur a peccatis. Et nusquam majores benedictiones, quam in hac vulva, suscipit homo. Magnæ igitur sunt uberum et vulvæ benedictiones, quibus et nascimur et alimur. Sed quare non prius vulvæ, et deinde ubera ? Nisi quia uberibus concipimur, vulva vero nascimur ? Præcedit enim conceptio nativitatem, præcedit prædicatio baptismum : mirabilis generatio, in qua homo prius lactatur quam nascatur. Quis enim in primitiva Ecclesia prius ad baptismum venit, quam fidei sacramentis instrueretur ? Sequitur : « Benedictiones patris tui confortatæ sunt, » id est fortes, et efficaces factæ sunt. Hæ autem, benedictionibus patrum ejus adjunctæ, in vanum cadere non possunt, donec veniat desiderium collium æternorum; ac si dicat : Hæ benedictiones, fili mi, ad præsens tibi sufficiant ; his interim contentus vivas, donec veniat desideratus cunctis gentibus, cujus benedictionibus nullæ unquam benedictiones comparari poterunt. Ipse est enim semen, in quo benedicentur omnes gentes; ipse est desiderium collium æternorum; id est patriarcharum et prophetarum, de quibus dicitur : « Montes exsultaverunt ut arietes (*Psal.* CXIII, 4) ; » itemque : « Montes et colles cantabunt coram Domino laudes. » Et iterum : « Fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal.* LXXXVI, 1); ipse est enim, in quem desiderant angeli prospicere. » Hæ autem benedictiones fiant in capite Joseph, et eorum qui imitantur Joseph; et in vertice Nazaræi inter fratres suos. Nazareus erat Joseph, utpote qui primogenitus fuit Rachel, et Deo ab infantia consecratus. « Omne enim masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur (*Luc.* II, 23). »

« Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, « et vespere dividet spolia. » Jerusalem namque in tribu Benjamin sita est; ibi et templum et altare constructum. Dicitur ego Benjamin lupus rapax, propter altare, super quod quotidie sine intermissione immolabatur, et tamen quasi rapax lupus cunctis sacrificiis saturari non poterat. Tanta enim erat sacerdotum et levitarum multitudo, ut vix in sumptu quotidiano multa animalia eis sufficerent. Unde et tale sacrificium præda vocatur. Hanc autem prædam mane post immolationem comedebant; vespere autem spolia, id est animalium pelles sacerdotes et levitæ inter se dividebant. Allegorice autem Benjamin Paulum apostolum significat, qui de ea tribu originem duxit ; Unde ipse ait : « Nam et ego Israelita sum, et ex tribu Benjamin (*Rom.* XI, 1). » Hic autem quasi lupus rapax, magno furore sanctam Ecclesiam persequendo, tantam stragem ubique faciebat, ut ab ipsis quoque apostolis ejus sævitia timeretur. Ideoque et ipse dicit : « Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (*I Cor.* XV, 9), » Mane autem et vespere, tale est ac si diceret : Primum, et postea. Primum enim comedebat prædam, persequendo, vastando et dilaniando Ecclesiam ; sic enim dicitur : « Qui comederunt Jacob. » Postea vero dividebat spolia Christi, prædicando, sacros ordines distribuendo, per episcopatus et Ecclesias episcopos et presbyteros ordinando(178-9).

47 « Hæc autem locutus est Jacob, benedixitque « filios suos benedictionibus propriis; finitisque man« datis quibus filios instruebat, collegit pedes suos « super lectulum, et obiit. » O quam pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus! Ecce enim Jacob vir sanctus et Deo charus, quandiu voluit locutus est, et quasi mors et vita in illius esset potestate, quando voluit, obiit. Vixit autem centum quadraginta septem annis, et conditum aromatibus sepelierunt eum, sicut ipse jusserat filio suo, in spelunca

(178-9) Eadem habet S. Augustinus, serm. de Sanctis

Digitized by Google

duplici. Ibi autem Abraham et Sara, Isaac et Rebecca, Jacob et Lia, et (ut fertur) maximus Adam conditi sunt; ibi etiam ossa Joseph a filiis Israel (119) delata ex Ægypto, locata sunt.

Explicit expositio Venerabilis Brunonis episcopi in Genesim; ita Codex Laurentianus.

INCIPIT
EXPOSITIO IN EXODUM.

Librum Exodi (180) expositurus omnipotentem Deum adjutorem invoco, cujus digito non solum duas tabulas, quæ in hoc volumine continentur, verum etiam totum librum scriptum, et editum credo.

CAPUT PRIMUM.

« Hæc sunt, inquit, nomina filiorum Israel, qui « ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob; singuli cum « domibus suis introierunt. Ruben, Simeon, Levi, « Issachar, Zabulon et Benjamin, Dan et Nephtha- « lim, Gad et Asser. Erant igitur omnes animæ eo- « rum, qui egressi sunt de femore Jacob septuagin- « ta quinque (181). Joseph autem erat in Ægypto; « quo mortuo, et universis fratribus ejus, (182) om- « nique cognatione sua, filii Israel creverunt, et « quasi herba germinantes multiplicati sunt, ac ro- « borati nimis impleverunt terram. » Hæc autem ideo præmissa sunt, ut intelligatur ex quorum paucis quasi seminibus tanta hominum creverit multitudo. Soli enim illi, qui ad bella procedere poterant a vicesimo anno, et supra numerati fuerunt sexcenta tria millia virorum, et quingenti sexaginta sex : cæteros vero, qui numerati non sunt, multo plures fuisse non dubitamus. Semper enim bonorum numerus crescit et multiplicatur. Quod autem ait : « Quia erant omnes animæ, quæ egressæ sunt de femore Jacob, septuaginta quinque, » per eas filios et nepotes in utroque sexu significat, nisi et eos, qui jam defuncti fuerunt, et eos qui nondum nati erant intelligamus, stare non potest. Nam in Genesi dicitur, quod omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta, quod utique verum non est, nisi duo filii Judæ, qui jam mortui fuerant, Her videlicet et Onan, et duo filii Joseph, qui in Ægypto nati sunt, cum cæteris annumerentur. Hinc autem quidam hæreticorum suum confirmare errorem videntur, qui ex traduce animas descendere opinantur, quoniam de femore Jacob exisse dicuntur; ponitur autem pars pro toto, et a privilegio majoris partis totus homo anima vocatur; et tale est ac si diceret : Omnes homines qui egressi sunt de femore Jacob, fuere septuaginta animæ.

« Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui « ignorabat Joseph, et ait ad populum suum : Ecce « populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est, « venite, sapienter opprimamus eum. » Rex enim iste diabolus est, rex utique tenebrarum, quoniam Ægyptus *tenebræ* interpretatur; et iste quidem ignorat, id est non diligit Joseph. Hac enim significatione dicitur : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* xxv, 12). » Joseph autem Christus est, qui vere mundi Salvator, non solum Ægyptum, verum etiam totum mundum a fame liberavit. Unde et ipse dicebat : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* xi, 28). » Hujus autem populum rex niger, et tenebrarum ideo persequitur, et opprimere nititur, quia multus et fortis esse videtur : « Venite, inquit, et sapienter opprimamus « eum. » Quid est sapienter, nisi astute et callide? Hoc autem cur facere debeant, subjungit : « Ne forte « multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, « addatur inimicis nostris; » per quos Deum ipsum et angelos intelligimus. Sequitur : « Expugnatisque « nobis, egrediatur de terra. » Tunc enim revera diabolus se expugnatum et victum esse intelligit, quando viri sancti egrediuntur de terra, quando Ægyptum fugiunt, 48 quando terrena spernentes, cœlestia appetunt, quando de terrenis ad cœlestia transeunt. « Præposuit itaque magistros operum, ut « affligeret eos oneribus. » Qualis rex, tales et præpositi. Talibus namque oneribus Propheta afflictus dicebat : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Psal.* xxxvii, 5). » — « Ædificaverunt quoque urbes « tabernaculorum Pharaoni, Phitom et Ramesses. » Phitom namque *os abyssi*, Ramesses vero *tinea* interpretatur. Quid enim os abyssi, nisi porta inferni? Quid vero tinea, nisi vermis ille, qui non moritur, intelligitur? Qui igitur diabolo serviunt, tales et sibi, et diabolo urbes ædificant : lacum aperiunt, et cadunt in eum, quorum vermis non morietur, et ignis non exstinguetur.

« Præcepit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum una vocabatur Sephora, altera « Phua, ut masculos occiderent, et feminas reserva- « rent. Timuerunt autem obstetrices Deum, et non « fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed con-

(180) Exodus vox Græca, voce ἔξοδος, quæ valet idem ac Latina *exitus* : ut in psal. cxiii : *In exitu Israel de Ægypto*. Hic igitur liber continet narrationem egressus Israeliticarum de Ægypto, duce Moyse.

(181) Vulgata habet *septuaginta;* unde videtur S. Bruno usus alia versione, cui suam aptavit interpretationem.

(182) Cod. Bibl. M. A. *Omnique cognatione illa, filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt*

Digitized by Google

« servabant mares, et quia timuerunt obstetrices « Deum, ædificavit eis domos. Præcepit igitur Pha- « rao, ut in flumine masculos projicerent, et femi- « nas reservarent. » Semper enim rex iste iniquus eos, qui fortes sunt, et ejus iniquitati resistere possunt, perdere quærit : diligit autem feminas, quas quidem facile decipere potest, per quas sibi a principio mundum subjecit et quia primum hominem per feminam perdidit, idcirco, et modo per obstetrices, quæ Deum timent, masculos occidere nititur. Sed quid per obstetrices, quæ Deum timent, et Pharaoni non obediunt, nisi Ecclesiæ ministros intelligimus? Hi enim statim in Christo renatos suscipiunt, alunt et conservant, et ad vitam introducunt. Ideoque ædificatur eis domus ab illo, qui ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* xiv, 2). » Unde et Apostolus : « Scimus, inquit, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod domum habemus non manufactam in cœlo (*II Cor.* v, 1). » Neque enim juxta litteram intelligi potest, quod Deus obstetricibus domos ædificaverit : nisi fortasse per hoc intelligatur, quod earum familias Deus amplificaverit. Ecce autem novo iterum invento consilio, masculos omnes in flumen projicere jubet; hoc est flumen utique, quod in sanguinem versum est, in quo nec ipsi pisces vivere potuerunt. Per quod nimirum philosophorum et hæreticorum falsam doctrinam intelligimus, in quam qui ceciderit, iniquitatis et deceptionis sanguine suffocabitur.

CAPUT II.

Eo tempore natus est Moyses, quem cum pater ejus diutius celare non posset, posuit eum in fiscellam scirpeam, et misit in flumen; cujus miserta filia Pharaonis suscepit eum, et adoptavit eum in filium. Narrat autem Josephus de Moyse, cum adhuc puer esset, et filia Pharaonis lætabunda eum ad patrem detulisset, sacerdotem quemdam idolorum exclamasse : hic est qui destruet Ægyptum, et insurgens volebat occidere eum; sed mox puella accipiens puerum, aufugit. Qui tantæ pulchritudinis fuisse dicitur, ut si quando per civitatem egrederetur, certatim viri cum mulieribus, relictis necessariis, ad eum speculandum occurrerent. Crevit igitur Moyses, cunique omnes sapientia et fortitudine præiret, magister militum factus est. Inde prospere cuncta gerens, omnes circumquaque inimicos superavit. Cumque dominus Ægypti, si vellet, esse potuisset, maluit tamen cum fratribus suis humiliter vivere. Unde Apostolus : « Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis (*Hebr.* xi, 24). » Quid autem Moyses, nisi Christum significat? De quo ipse ait : « Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis (*Deut.* xviii, 15), » quia et ipse propter Herodis timorem in Ægyptum a parentibus delatus est, ibique terra Ægypti (quam filiam Pharaonis intelligimus) aliquanto tempore eum cum parentibus suis quasi proprium defendit, et aluit. Inde vero A postea reversus est in terram Juda, completa prophetia quæ ait : « Ex Ægypto vocavi filium meum (*Osee* xi, 2; *Matth.* ii, 15). »

In diebus illis egressus est Moyses ad fratres suos, viditque afflictionem eorum. Vidit autem et virum Ægyptium percutientem quemdam Hebræum, quem ipse occidens, abscondit sabulo. Similiter et Christus Dominus noster veniens in hunc mundum visitare fratres suos, totum videlicet genus humanum, multos Ægyptios, id est malignos spiritus interfecit, virtute privavit, atque de obsessis corporibus ejecit. Qui merito sabulo absconduntur, ut per hoc detur intelligi, quod maligni spiritus in terra arenosa, sterili et infructuosa nec latere, nec habitare queunt. Egressus autem altera die, cum duos He- B bræos rixantes vidisset, et eum, qui injuriam faciebat, redarguisset, indignatus ille respondit : « Quis « te constituit principem et judicem super nos? Num « occidere me tu vis sicut occidisti heri Ægyptium? » Hic sermo nuntiatus est Pharaoni, et quærebat occidere eum. Fugiens ergo Moyses venit in terram Madian. Sic autem Christus cum frequenter pro suis iniquitatibus Judæos redarguisset, et ad salutis viam provocasset, illi e contra insidiabantur, observabant, et accusabant, et occidere cogitabant. Unde et ipse dicebat : « Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan.* viii, 47). » Reliquit propterea Judæos, secundum quod ipse ait : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Luc.* xiii, 35). » Et venit C in terram Madian, id est ad gentes. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, per quas omnes mundi hujus Ecclesias intelligimus. Hic autem numerus in divina pagina frequenter universitatem **49** significat. Hæ autem venerant ad puteum adaquare greges; sed pastores supervenientes ejecerunt eas. Surrexit igitur Moyses, surrexit et Christus, et de manu pastorum, id est de violentia philosophorum et hæreticorum Ecclesias liberavit. Insuper et greges adaquavit, dicens discipulis suis : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* xxviii, 19). » Quoniam autem, et si ob di- D versitatem locorum, multæ in hoc mundo sint Ecclesiæ, in fidei tamen veritate, non nisi una catholica, et universalis Ecclesia esse creditur, de qua dicitur : « Una est columba mea, perfecta mea, immaculata mea (*Cant.* vi, 8). » Ideo Moyses non omnes has puellas, sed unam tantum accepit uxorem, quæ bene Sephora nuncupatur, quoniam Sephora *pulchritudo* interpretatur. Ipsa est enim, de qua Apostolus ait : « Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam (*Ephes.* v, 17). » Ipsa est cui dicitur : « Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, abi, etc. (*Cant.* i, 8). » Post multum vero temporis mortuus est rex Ægypti, ille videlicet, qui quærebat occidere Moysen. Quo mortuo, clamaverunt filii Israel ad Dominum, et exaudivit eos.

Digitized by Google

CAPUT III.

« Moyses enim pascebat oves Jethro cognati sui « sacerdotis Madian. Cumque minasset gregem ad « interiora deserti, venit ad montem Dei Oreb; « apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio « rubi, et videbat quod rubus arderet, et non com- « bureretur. » Jam incipiunt mysteria, jam revelantur sacramenta. Hæc est autem prima visio Moysi, hic primum cum Deo loqui incipit. Sed quid per rubum, nisi beatam Virginem Mariam, quæ sic de Judæorum spinosa et peccatrice gente exorta est, sicut de rubi asperitate pulchra et odorifera nascitur rosa? Hæc autem visa est ardens, sed non arsit, quia sine carnis concupiscentia, sine libidinis æstu, sancto Spiritu obumbrata concepit. Hoc est enim, quod Angelus ait : « Spiritus sanctus superveniet in te, B et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I, 35). » Erat igitur ignis in rubo, splendor in virgine, lux in Maria, lux illa, quæ ait : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12), lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). » Volebat enim propius accedere Moyses, ut videret quare rubus non combureretur, sed quia nondum aptus erat tanta cognoscere sacramenta, dictum est ei : « Ne appropies huc; » id est non quæras ea quæ supra te sunt; noli Virginis castitatem, noli Christi incarnationem investigare : « solve calceamenta de « pedibus tuis. » Quare hoc? Locus enim in quo stas, terra sancta est; in terra sancta non licet habere calceamenta, non licet indui pellibus mortuorum; ideo enim Adam in paradiso nudus exiens zona C pellicea indutus est. Et ait Dominus : « Ego sum « Deus patris tui Deus Abraham, et Deus Jacob; « vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamo- « rem ejus audivi, et descendi liberare eum. Veni « igitur, et mittam te ad Pharaonem; ne timeas, « ego ero tecum, et hoc habebis signum quod mise- « rim te. » Id est, in hoc te a Deo missum esse cognosce, quia Deus semper tecum erit, et signa, et miracula quæcunque facere volueris, per te, et in te semper operabitur. Cumque eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Domino super montem istum, id est super montem Dei Oreb, qui *corvus* interpretatur, per quem populum gentium intelligimus, a quo, et in quo magnum et singulare sacri- D ficium quotidie Domino immolatur. Huic enim corvo Apostolus ait : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V, 10). »

« Dixitque Moyses : Ego vadam ad filios Israel, et « dicam eis : Deus patrum nostrorum misit me ad « vos, si dixerint mihi : Quod est nomen ejus, quid « dicam eis? Dixitque Dominus ad Moysen : Ego sum « qui sum. Sic dices, filiis Israel : Qui est, misit me « ad vos. » Mirabile nomen! Nunquid enim cœlum non est? Nunquid terra, mare, angeli, et homines non sunt? An quia scriptum est : « Omnes gentes quasi non sunt, sic sunt coram eo? » Quid est quod dicitur : « qui est, misit me ad vos? » Dicat ergo, qui semper est, qui idem semper est, qui nunquam A cœpit esse, qui nunquam desinit esse, qui omnibus dat esse, qui de proprio esse non mutatur in esse, vel non esse. Ille qui sic vocatur, misit me ad vos : hoc enim nomen nulli alii convenit, hoc nomen solius Dei est.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Hæc dices filiis « Israel : Dominus Deus patrum nostrorum, Deus « Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me « ad vos; hoc nomen mihi in æternum, et hoc me- « moriale meum in generationem et generationem. » Ecce jam familiarius nomen, et quod ipsum non intelligant Hebræi, dicere non possunt. Hoc nomen et vetus et nova generatio cognoscit, hoc Synagoga, hoc Ecclesia intelligit. « Vade igitur, et dic filiis « Israel, quia ego vidi afflictionem illorum, et edu- « cam eos de terra Ægypti, ingredierisque tu, et « seniores Israel ad regem Ægypti, et dices ad eum : « Dominus Deus Hebræorum vocavit nos : ibimus « viam trium dierum per solitudinem, ut immolemus « Domino Deo nostro. » Quid est enim viam trium dierum? Quid est solitudo? « Ecce, inquit David, elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV, 8). » Est ergo solitudo gentium Ecclesia; hic immolatur, hic sacrificatur; extra hanc non est locus veri sacrificii. Via vero trium dierum Trinitatis fidem demonstrat; uno siquidem die venitur ad Patrem, secundo ad Filium, tertio ad Spiritum sanctum. Sufficit hæc venientibus **50** ad immolandum, nec infra stare, nec ultra procedere libet; qui enim aliter egerit, ejus sacrificium non suscipietur. Veniunt Judæi usque ad Patrem; fuerunt hæretici, qui crediderunt in Patrem, et in Filium, et non suscipiebant Spiritum sanctum; fuerunt autem qui multos crederent deos, sicut gentiles, qui idola colebant. Nulli ergo horum ad præfixum fidei terminum veniebant; abominabile igitur est eorum sacrificium. Sequitur :

« Sed ego scio, quod non dimittet vos rex « Ægypti, ut eatis, nisi per manum validam; ex- « tendam enim manum meam, et percutiam Ægy- « ptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus « sum in medio eorum. » Vere judicia Dei abyssus multa. Scit quia non dimittet, mandat tamen, ut dimittat, in quo Dei justitia, et Pharaonis iniquitas manifestatur. Non vult violenter auferre, quod ab alio, quamvis injuste, possideatur : exercet suum jus, ne forte injuste fecisse dicatur quæ contra Ægyptios facturus est. Denique et suos cautiores reddit, dum ea, quæ ventura sunt, eis manifestat. « Post hæc, inquit, exhibitis, daboque gratiam « populo huic coram Ægyptiis : postulabit mulier « a vicina sua vasa argentea, et aurea, ac vestes, « et spoliabitis Ægyptum. » Hoc autem alicui injustum videtur, ut populus Dei fraudulenter rapiat; sed quia hoc fieri Deus ipse præcepit, non potest injustum esse, quod justitia fieri jubet; nondum enim dictum fuerat : « Diligite inimicos vestros (*Matth.* V, 44), » imo lex erat, quæ postea promulgata est : « Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum (*Ibid.*, 43). » Si igitur inimici erant, qui eos

Digitized by Google

afflígebant, qui gravi jugo servitutis eos opprimebant, qui non solum sua, sed seipsos injuste detinebant, cur injustum esse dicatur, quod juste fieri videatur? Justitia enim est, quæ jus suum unicuique tribuit. Ubi enim neque judex est, neque justitia, ibi vindicta est necessaria. Hæc tamen specialiter intellecta magnum videtur habere sacramentum. Quamvis enim Ægyptum, id est mundum istum violentum et tenebrosum fugiamus, si quæ tamen bona, si quæ utilia et honesta in eo esse judicemus, amplectenda, rapienda, et tenenda sunt. Habent enim multoties et sæculi amatores scientiam litterarum, mores honestos, multarum artium peritiam. Multa enim a poetis et philosophis accepimus, quæ valde amplectenda, et diligenda sunt : hæc rapere, hæc possidere, et habere, his Ægyptum exspoliare non est peccatum.

CAPUT IV.

« Dixit autem Moyses : Non credent mihi, neque « audient vocem meam; sed dicent : Non apparuit « tibi Dominus. » Incredulitas Moysi ad totum populum refertur. In se enim ipse ostendit quam durus et semper incredulus ille populus fuerit. Non crederet sine signis, quoniam Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. « Generatio enim prava et perversa signum quærit (*Matth.* XVI, 4). » Unde et subditur :

« Dixit ergo Dominus ad Moysen : Quid est hoc « quod tenes in manu tua? Respondit : Virga; dixit- « que Dominus : Projice illam in terram; projecit, « et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. » Interrogatur enim Moyses, non propter aliud, nisi ut de suæ responsionis vinculo teneatur. Ipse enim confessus est se tenere virgam, quam mox in serpentem conversam expavit. Signum est hoc, et mirabile signum. Credat ergo signo, qui non vult credere verbis. Sed quid per virgam, nisi Dei correctio signatur? Unde scriptum est : « Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt (*Psal.* XXII, 4). » Itemque : « Virga directionis, virga regni tui (*Psal.* XLIV, 7). » Et Salomon : « Qui parcit baculo, odit filium (*Prov.* XIII, 24). » Et Apostolus : « Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in misericordia, et mansuetudine? (*I Cor.* IV, 21.) » Hæc autem virga illis vertitur in draconem, qui sæpius correcti se emendare nolunt, quia incorrigibiles existunt, tandem divinæ ultionis iram et indignationem super se sævientem sentiunt. Unde et Psalmista : « Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos (*Psal.* II, 9). » Sic igitur divina correctio, aliis est virga, aliis est draco : alios misericorditer castigat, alios insanabiliter percutit. Hujus autem caudam Moyses tenet, et in virgam serpens convertitur; quoniam aliquis vir justus est, qui vindictam peccatoribus imminentem suis orationibus avertit. Cum enim Deus ultionis ab ira placatur, tunc draco sæviens in virgam vertitur. Hujus serpentis caudam David tenebat quando videns angelum percutientem, clamabat : « Ego sum, Domine, qui peccavi, ego inique egi, isti, qui oves sunt, quid fecerunt? (183) Avertatur, obsecro, furor tuus a populo tuo (*II Reg.* XXIV, 17). » Similiter et Phinees, de quo scriptum est : « Stetit Phinees, et cessavit quassatio (*Psal.* CV, 30). » Sic et Moyses iste, cui a Domino dicitur : « Dimitte me, ut deleam populum istum. »

« Dixitque Dominus rursum : Mitte manum tuam « in sinum tuum, quam cum misisset in sinum « suum, protulit leprosam tanquam nivis. Retrahe, « ait, manum in sinum tuum; retraxit, et protulit « iterum, et erat similis carni reliquæ. Si non credi- « derint tibi, nec audierint sermonem signi prioris, « credent verbo signi sequentis. » Manus namque Moysi Hebræorum populus intelligitur. Sinus ejus terra promissionis. « Mitte, inquit, manum tuam in sinum tuum, » id est, duc populum in terram promissionis. Traxit autem Moyses manum de sinu, **51** significans populum propter peccata sua ducendum esse in captivitatem; unde et manus leprosa apparuit, quia, nisi leprosa fuisset, de sinu non traheretur; nisi populus peccasset in captivitatem non duceretur. Sed quid ait Psalmista : « Ut quid, Domine, avertis manum tuam, et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem? (*Psal.* LXXIII, 11.) » Hoc est enim quod sequitur. Retrahe, ait, manum in sinum tuum, id est, reduc populum de captivitate iterum in terram suam. Ductus namque in captivitatem, quoties se peccasse confitebatur, et pœnitentiam agens Dei misericordiam implorabat, mox a misericordiosissimo Domino exaudiebatur, et qui leprosus de patria ejectus fuerat, mundus per pœnitentiam redibat. Unde et subditur : « Retraxit, et protulit « iterum, et erat similis carni reliquæ. » Sic igitur qui neque per virgam, neque per serpentem, neque per duram correctionem corrigebantur, saltem de patria expulsi ad pœnitentiam redire cogebantur. Quod si neque sic convertebantur, sed adhuc in sua malitia persistebant, ejectos quoque divinæ ultionis gladius persequebatur, quo semper cadentes in proprio sanguine volutabantur. Et hoc est, quod dicitur : « Si non crediderint tibi, neque audierint ser- « monem signi prioris, credent verbo signi sequentis.

« Quod si nec duobus quidem signis crediderint, « neque audierint vocem tuam, sume aquam flumi- « nis, et funde eam super aridam, et quidquid hau- « seris de fluvio, vertetur in sanguinem. » Quod enim dicitur : Si non audierint sermonem signi prioris, hoc est, quod in Evangelio Dominus ait : « Si verbis non vultis credere, operibus credite (*Joan.* X, 38). » Nam et signa suo modo loquuntur, et non minus signis, quam verbis creditur. Sed quid per aquam fluminis, quid per aridam intelligitur? « Aquæ enim multæ populi multi (*Apoc.* XVII). » Aqua sumitur de flumine, quando de toto pars aliqua separatur. Funditur autem super terram, quando a suæ habitationis loco, ad alias ducitur nationes. Quæ quidem in sanguinem vertitur, si inimicorum

(183) Vulgata habet : *Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei.*

Digitized by Google

gladiis percussa cadat. Hoc est enim, quod Ezechieli dicitur (*cap.* v, 1), ut caput et barbam radat, et accepta statera, in tres partes pilos dividat; unam partem igni comburat in medio civitatis : alteram gladio concidat : tertiam in ventum dispergat, postquam se Dominus gladium missurum esse dicit. Barba namque prophetæ populus est Judæorum, cujus una pars in medio Jerusalem igne et fame periit; altera in eodem loco gladiis est trucidata; tertia vero super terram effusa, et ubique gentium dispersa, divinæ ultionis nusquam gladium effugere potuit. « Dixitque Moyses : Obsecro, Domine, « non sum eloquens ab heri, et nudius tertius; et ex « quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et « tardioris linguæ sum (184). » Non sum eloquens ab heri, et nudius tertius, per quod totum tempus intelligitur præteritum. Deficit enim omnis sapientia, et eloquentia, summæ illi et incomparabili sapientiæ, et eloquentiæ comparata. Nam et in hominibus hoc sæpe contingit, ut aliquis, qui se sapientem esse putabat, cum aliquo sapientiore rationem habens, mox quid minus habeat, et quam multis ad discendum indigeat, colloquendo intelligat. « Dixit- « que Dominus ad eum : Quis fecit os hominis? aut « quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et « cæcum? nonne ego? » Ego, inquit, omnes feci, ego propria dona unicuique largitus sum, ego eloquentem et mutum, sapientem et insipientem creavi : non amisi potestatem, facio quod volo; perge igitur; et ego ero in ore tuo, et cui nec sapientia, nec eloquentia deerit, doceboque te quid loquaris. At ille : « Obsecro, inquit, Domine, mitte quem mis- « surus es, » tantumque negotium alii agendum committe.

« Iratus Dominus in Moysen ait : Aaron frater « tuus levites, scio quod sapiens et eloquens sit « (levites autem erat, quia primogenitus); loquere, « inquit, ad eum omnia verba mea, et ego ero in « ore tuo, et in ore illius, ipse loquetur pro te ad « populum, » et quia eloquens est, adimplebit officium oris tui. Sacerdotum est ergo loqui ad populum. Tu autem eris in his, quæ ad Deum pertinent, sicut internuncius et mediator. Abiit autem Moyses ad Jethro cognatum suum, dixitque ei : « Vadam in « Ægyptum videre fratres meos. Dixitque Jethro : « Vade in pace.

« Dixit ergo Dominus ad Moysen : Revertere in « Ægyptum : mortui enim sunt, qui quærebant ani- « mam tuam. » Manifestum est igitur, quia non solum Pharao quærebat occidere Moysen. Omnes autem reges Ægypti Pharaones dicebantur. Alius igitur Pharao Ægyptiis modo præerat, qui illi quidem successerat, quem fugerat Moyses. « Tulit ergo Moyses « uxorem et filios, et imposuit eos super asinum, « reversusque est in Ægyptum. Dixitque ei Domi- « nus : (185) Vide ut cuncta signa facias coram « Pharaone, quæ tibi facere præcepi, ego indurabo « cor ejus, et non dimittet populum. » Quid est hoc, Domine? Tu indurabis cor ejus? « Tu enim, ut Apostolus ait, cui vis miseris, et quem vis induras (*Rom.* IX, 18). » Quod si induras, cui nemo resistere valet, quid ad Pharaonem? Cur qui populum dimittere non potest, ideo punitur, quia non dimittit? Non potest quidem, quia induratur : a quo? a te. Tu enim dicis : « Ego 52 indurabo cor ejus. » Aliter ergo est intelligendum (186). Quod ergo dicitur : « Ego indurabo cor ejus; » tale est ac si diceret : Ego cor ejus indurari permittam, nullam vim ei faciam, totum se sibi dimittat, faciat quod velit, ut sive bene, sive male egerit, totum sibi, et non mihi imputetur. Miser ille, qui sic suæ voluntati relinquitur. Hinc ergo colligitur, quia (187) quod boni salvantur, Dei gratia est, qui eos suæ misericordiæ freno ad se trahens, etiam cum peccare velint, peccare eos non patitur; hoc autem non vim faciendo, sed cor molliendo, et in melius immutando. Quod vero mali pereunt, justitia est; « quæ enim seminaverit homo, hæc et metet (*Galat.* VI, 2). » Nunquam enim humana natura ad malum proclivis est, ut nisi coacta bene agere queat (188). Ex hoc igitur apparet quam iniquus Pharao iste fuerit, qui toties flagellatus, qui tot miraculorum signis, nullo in signo, et naturali bono ad misericordiam flectebatur. Noluit ergo eum Dominus emollire, ne fortasse bonus putaretur, qui sua sponte tam malus et iniquus erat.

« Vade, dic Pharaoni : Filius meus primogenitus « est Israel; dixi tibi : Dimitte filium meum, et no- « luisti : ecce ego interficiam filium tuum primoge- « nitum. » Primogenitus est namque Dei filius Israel, non natura, sed gratia. Hæc enim gens, prima omnium a Deo electa, præ cunctis dilecta fuit. Quando autem omnia primogenita Ægypti interfecta sunt, tunc et primogenitum Pharaonis interfecit Dominus; non enim est personarum acceptor Deus. Cumque esset Moyses in itinere in diversorio, occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum. « Tulit illico Se- « phora acutissimam petram, et circumcidit carnem « præputii filii sui, tetigitque pedes ejus et ait : « Sponsus sanguinum tu mihi es. » Ex hoc datur intelligi, quia Moyses de filio circumcidendo jam admonitus fuerat, sed quia mater ejus alia lege vivebat, ea fortasse resistente, aut non potuit, aut ne-

(184) Hic locus valde corruptus in editione a Cod. Laurent. emendatur.

(185) Cod. Bibl. Mont. Amiatæ : *Vide ut omnia offensa, quæ posui in manu tua facias coram Pharaone : Ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum.*

(186) Libertas arbitrii stabilitur. Deus auctor mali esse non potest; deficientem hominem a bono, hoc est a justitia, si placet, in prava ejus voluntate relinquit, et a pravitate, et justitia non retrahit.

(187) Doctrina gratiæ efficacis non cogentis, sed admirabiliter allicientis traditur; homines enim, quos peccare non sinit, misericordia sua excipit; aufert eis cor lapideum, et dat cor carneum, hoc est flexibile ad bonum.

(188) Natura humana etsi per peccatum originale vulnerata, ejus tamen bonitas absumpta non est, ut nisi coacta bene agere valeat. Bonæ enim operationis potentiam habet. Vide Natal. Alexand. Dissert. 26, sect. 3, adversus Manichæos.

Digitized by Google

glexit. Non igitur jam mater ejus, quæ alia lege vivebat, hinc admonetur, sed quodammodo cogitur, ut eum circumcidat. Si enim ad fratres suos, qui omnes circumcisi erant, filium suum incircumcisum detulisset, quasi Dei pacti prævaricator, scandalum eis movere poterat. Tulit ergo Sephora acutissimam petram (*petra autem erat Christus*) et circumcidit præputium filii sui. Hac enim petra et Judæi circumciduntur, et baptizantur. « Quicunque, inquit Apostolus, baptizati estis in Christo, Christum induistis (*Galat.* III, 27). » De circumcisione autem, in libro Geneseos plenissime exposuimus. Sequitur :

« Tetigitque pedes ejus, et ait : Sponsus sangui-« num tu mihi es. » Cur enim pedes ejus petra tetigit, nisi quia circumcisio, et baptismus inutilis est, si post baptismum, vel circumcisionem pedes supra petram non stabiliantur? Unde Psalmista : « Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis, et statuit super petram pedes meos (*Psal.* XXXIX, 3). » Quæ cum ait : « Sponsus sanguinum tu mihi es, » feminea pietate videtur loqui, ac si dicat : Hoc ex tua conjunctione beneficium capio, ut filiorum meorum sanguinem fundam. Quod si hoc ad Dominum Sephora dixisse intelligatur, sic exponetur, ac si diceret : Novum genus conjugii, in quo ex sanguine filii generantur; mirabilis sponsus, cui vel ex aqua, vel ex sanguine filii generantur. « Et dimisit eum, postquam dixit; « Sponsus sanguinum tu mihi es, » non quia hoc dixit, sed « ob circumcisionem. » Ad hoc enim venerat, ut non mulieris verba attenderet, sed ut puer circumcideretur.

CAPUT V.

Venit ergo Moyses, et narravit fratri suo quæcunque audierat. Veneratque simul ad seniores Israel, locutusque est Aaron, quæ Dominus jusserat, et fecit signa, et credidit populus, omnesque gavisi sunt, et proni adoraverunt. Ad majora tendimus, ideo in exponendis historiis laborare nolumus, ne forte, sicut quorumdam moris est, quæ per se plana sunt, difficilia reddamus. Inde autem venerunt ad Pharaonem, dixeruntque ei ut dimitteret populum; quod audire noluit, sed vehementius quam prius eos afflixit. Hoc autem Dei providentia fiebat, quo et Pharaonis malitia, et Dei potentia innotesceret.

CAPUT VI.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Ja-« cob, in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai « non indicavi eis. » Quid est hoc, quod dicitur : apparuit Dominus patriarchis, seque et Deum omnipotentem illis esse ostendit, et tamen nomen suum, quod est Adonai, non indicavit eis? Per hos enim tres patriarchas, ex quibus omnes Judæi originem ducunt, omnem Judæorum populum intelligere debemus. Dei vero nomen Jesus **53** Christus est (189). Ipse enim et Verbum vocatur. « Ecce, inquit propheta, nomen Domini venit de longinquo (*Isai.* XXX, 27). » Hunc autem non cognoverunt Judæi, « quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). » Excæcavit enim eos malitia eorum, secundum illud : « Excæca cor populi hujus, ut videntes non videant, et audientes non intelligant (*Isai.* VI, 10). » Interpretatur autem Adonai *Dominus Deus*. Salvator autem discipulis suis loquitur dicens : « Vos vocatis me Magister, et Domine, et bene dicitis; sum etenim (*Joan.* XIII, 13). » Itemque : « Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet (*Matth.* XXI, 3). » Ignorantia igitur ista patriarcharum, non est patriarcharum, sed seminis patriarcharum. Indicavit eis Dominus nomen suum, et non indicavit. Indicavit secundum se, non indicavit secundum membra. Indicavit primis, non indicavit novissimis. Sic enim terram promissionis illis promittit, et illis non datur. « Tibi, inquit Do-« minus, dabo terram hanc, » tibi, et non tibi. Tibi in semine, tibi non personaliter. Potest autem et sic intelligi : nomen meum Adonai non indicavi eis, quia non quasi Dominum, sed quasi Patrem me eis exhibui. Nunc autem vos liberando, et Ægyptios affligendo, qualiter et rex et Dominus esse noverim, cunctis gentibus innotescet. Unde et frequenter dicitur : « Ego Dominus Deus vester. » Itemque : « Et scietis, quia ego Dominus. »

CAPUT VII.

« Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ego « Dominus. » Hoc est, quod modo superius dixit, Adonai. Hoc est illud nomen, quod patriarchis non indicavit, id est filiis patriarcharum. Sequitur :

« Loquere ad Pharaonem quæ ego loquar tibi. Et ait « Moyses : En incircumcisis labiis ego sum, quo-« modo audiet me Pharao? » Incircumcisis enim labiis est, qui superflua, vana et inutilia loquitur : circumcisis vero, qui et interrogare, et respondere rationabiliter novit. Quod hic Judæi dicant, cum labiorum inusitatam circumcisionem audiant; et ut ego quoque incircumcisis labiis eloquar; utinam et nares sibi circumcidant, ut jam nunc ab inutili circumcisione quiescant.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce constitui te « Deum Pharaonis; » eam videlicet potestatem tibi tradendo, ut juxta voluntatem tuam eum affligas, et in signis, et miraculis, quæ feceris, obstupescat, tibique in nullo nocere valeat. Et Aaron frater tuus erit propheta tuus, ut quia facundus, et eloquens est ipse, pro te loquatur ad Pharaonem. « Sed ego indurabo cor ejus. » Hoc autem superius expositum est. Huic autem simile est, quod dicitur. « Et ne nos inducas in tentationem (*Matth.* VI, 13). » Similiter et Pharao dicere poterat : Ne indures cor meum, Domine. Deus enim neque indurat, neque in tentationem aliquem inducit : sed quia in ejus est potestate et induratum mollire, et in tentationem euntem retinere, ideo et indurare, et in tentationem ducere dicitur.

« Fecit itaque Moyses, et Aaron, sicut præceperat « Dominus; tulitque Aaron virgam coram Pharaone,

(189) Id. cod. Laurent. *Ipse enim et nomen, et sermo, et Verbum vocatur.*

Digitized by Google

« et servis suis, quæ versa est in colubrum. » De virga quidem ejusque commutatione satis superius dictum est. Bene autem principium signorum virga fuit, quoniam correctionem Dei significare diximus. Venit igitur Moyses ad Pharaonem, non cum gladio, sed cum virga : unde si pœnitere voluisset, facilem ad ignoscendum Dominum, per hoc cognoscere poterat. Sed quia pœnitere noluit, in colubrum virga convertitur, ut majoribus dignus suppliciis, majoris correctionis tormenta se exspectare intelligat. Et ideo qui virga non corrigitur, draconi, id est diabolo puniendus traditur. « Vocavit autem Pharao « sapientes, et maleficos, et fecerunt ipsi per in- « cantationes Ægyptiacas, et arcana quædam simi- « liter, projeceruntque singuli virgas suas, quæ « versæ sunt in dracones, sed devoravit virga Aaron « virgas eorum. » Infelix Pharao, cum humiliare se debuisset, ad suæ deceptionis figmenta confugit, ut per falsa, quæ ipse operatur, probet non esse verum, quod Dominus ait. Hoc enim tyranni sæpe fecisse leguntur, qui videntes signa et miracula, quæ per martyres suos Deus faciebat, maleficos eos et incantatores esse putabant. Ipsi quoque Salvatori nostro Judæos dixisse legimus : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* xi, 15). » Nec mirum si suis incantationibus et arte diabolica hoc malefici facere potuerunt; cum ipse Satanas, ut Apostolus ait, transfiguret se in Angelum lucis (*II Cor.* xi, 14). Quod autem virga Aaron virgas eorum devoravit, nihil divinæ ultioni resistere posse significat.

« Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingravatum « est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. « Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas, et « dic ei ut dimittat populum. Quod si audire con- « tempserit, tolle virgam, et extolle super aquas « Ægypti, et super rivos, et paludes, et lacus, ut « vertantur in sanguinem, et pisces moriantur. » Hæc est enim prima plaga, qua Ægyptus a Domino percutitur. Decem enim plagis flagellavit Dominus Ægyptum, quibus significavit quibus modis, et propter quam causam mundum affligat universum. Quoniam autem denarius numerus omnes in se numeros continet, ideo frequenter decem pro omnibus 54 accipiuntur. Unde in Apocalypsi de sanctis dicitur : « Quia « habebunt tribulationem diebus decem (*Apoc.* ii, 10), » id est cunctis diebus. Decem namque et centum, et mille, nisi per se, et in se resolvantur, nihil habent ulterius ubi crescant; unde cum sint finiti, sæpe pro infinitis accipiuntur. Decem ergo plagæ omnes plagas significant, quibus ob duritiam cordis nostri in hoc mundo a Domino flagellamur. Omnis enim homo Pharao dici potest, qui Dei præcepta per Ecclesiæ doctores audiens parvipendit, eisque indurato corde et animo resistit. Detinet autem Dei populum in servitute, quando homo quinque corporis sensus, animæque virtutes Deo servire non permittit. Hic est enim populus Dei, qui gravi corporis servitute deprimitur. Hic dum in populosa Ægypto habitat, vitiorum et malignorum spirituum multitudine vallatus Deo sacrificare non potest. Vult igitur ire in desertum, quærere locum secretum, iniquorum evadere conversationem, hoc autem non corpore, sed mente. Qui enim a vitiis et malignis spiritibus separatur, ubicunque sit, in deserto est, quoniam desertus est, derelictus est, et a malo populo mente et spiritu sequestratus, jam solitarius cum Deo est. Cætera videamus.

« Vade, inquit Dominus Moysi, ad Pharaonem, « ecce egredietur ad aquas. » Quid enim hoc in loco per aquas, nisi stultam hujus mundi et philosophorum et poetarum sapientiam designat? Quæ quoniam voluptatem summum bonum prædicat, quoniam mundi gloriam, et honores, et delicias laudat, quoniam vitia, carnisque concupiscentias non reprehendit, ideo Pharao omnesque mundi amatores ad eam currunt, eam sitiunt, eam bibere cupiunt. Ideoque Moyses correctionis virgam ferens, fortemque manum potenter extendens, eam in sanguinem convertit. In sanguinem quidem eam convertit, quia quam sit venenosa, quam periculosa, quam fetida, quam peccatorum sordibus plena, Christus Dominus noster, ejusque discipuli vera ratione probaverunt. Qui ergo non vult mori, qui timet perire, fugiat has aquas, neque suscipiat hanc doctrinam; moriuntur enim, qui eam bibunt, quod quidem illi pisces significabant, qui in Ægypti flumine mortui sunt. Malefici autem, qui sicut Moyses signa faciunt, hypocritæ intelliguntur, quoniam et ipsi, sicut Ecclesiæ doctores, philosophorum et poetarum scientiam damnant; de quibus Dominus ait : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi (*Matth.* xxiii, 2). » Hi autem omnia opera sua faciunt, non ad laudem Dei, sed turpis lucri gratia, et ut videantur ab hominibus. Foderunt autem aquam Ægypti per circuitum fluminis, quoniam cognita veritate, hanc ulterius bibere noluerunt. Aquam quippe fodere, est pure et sincere sapientiæ fontem investigare. Quæ bene quidem circa flumen foditur, quoniam non nisi in divinis Scripturis invenitur. Fuit autem sanguis iste per septem dies, quoniam prædicta philosophorum scientia in sanguinem et peccatum conversa, amplius in æternum a viris catholicis non suscipietur; non enim sunt dies nisi septem. Hoc est ergo diebus septem, quod est diebus omnibus. Noluit autem Pharao dimittere populum.

CAPUT VIII.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Dic ad Aaron : « Extende manum tuam super fluvios, et super rivos, « et paludes, et educ ranas super terram Ægypti. « Extendit Aaron manus super aquas Ægypti, et « ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægy- « pti (190). » In prima namque plaga philosophi, et poetæ perierunt, omnisque eorum scientia, et paganorum ritus destructus est. Ecce autem in hac se-

(190) Omnes plagas a Deo Pharaoni, et Ægyptiis inflictas. S. August. perstringit lib. xvi De civit. Dei, cap. 45.

Digitized by Google

cunda ranæ ebulliunt : hæretici insurgunt, qui et loquacitate omnes inquietant, et sua immunditia cuncta commaculant; non aliunde veniunt, sed de aquis ascendunt, quoniam male Scripturas intelligendo, perverseque exponendo, ibi errores concipiunt, et ibi hæretici fiunt. Prius enim philosophi et poetæ, deinde vero hæretici erronea sapientia mundum deceperunt. Eo ergo ordine ponuntur, quo et temporaliter sese sequuntur. Merito autem hæreticos ranæ significant, quoniam non in ratione, sed in loquacitate hæretici confidunt. Fecerunt autem et malefici per incantationes similiter, jam tunc significantes, quoniam et hypocritæ sanctorum exempla (191) quadam similitudine imitaturi erant. « Dixit « Pharao : Orate Dominum, ut auferat ranas a me, « et a populo meo, et dimittam populum, ut sacrificet « Domino. Oravitque Moyses, et mortuæ sunt ranæ. » Hoc enim usque hodie peccatores agunt, et in arcto positi Dominum orant, cujus mox liberalitatis obliviscuntur. Mors vero ranarum hæreticorum monstrat interitum. « Videns autem Pharao, quod data « esset requies, induravit cor suum, et non dimisit « eos, sicut præceperat Dominus. Dixitque Dominus « ad Moysen : Loquere ad Aaron : Extende manum « tuam, et percute pulverem terræ, et sint sciniphes « in universa terra Ægypti. Feceruntque ita, et « facti sunt sciniphes in hominibus, et in jumentis, « omnisque pulvis terræ versus est in sciniphes. » Sciniphes autem culices, alii muscas minutissimas vocant, ad quarum differentiam musca canina dicatur. Sed quid per sciniphes, qui et homines, et jumenta nimiis **55** angustiis inquietabant, nisi cura, et sollicitudo rerum temporalium intelligitur? Cum enim aliquem pro hac substantia transitoria et fugitiva tam anxio animo laborare, discurrere, sudare, et festinare videas, nonne sciniphes eum stimulent, et sequantur, tibi videtur? Qui merito de terræ pulvere oriuntur, quoniam hæc talis cura, et sollicitudo ad terrena et fugitiva bona homines invitat. Et isti quidem in hominibus sunt, et in jumentis, quoniam et sapientes, et insipientes fatigant. Ipsa quoque juxta litteram, jumenta non fatigarentur, nisi hæc talis sollicitudo fuisset. Hæc enim et boves arare, et equos in bella ruere, cæteraque jumenta oneribus deprimi cogit. Ab hac autem sollicitudine liberare nos volens Dominus, dicebat : « Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? » (*Matth.* VI, 31). Hæc autem tertia plaga, qua mundus percutitur, nulla magis quam ista eum vexat. Voluerunt autem et malefici sciniphes facere, et non potuerunt, non quod difficilius sit facere ranas, vel colubros; sed quia ibi tantum possunt, ubi eos Deus posse permittit. Unde ipsi quoque dicunt : « Digitus Dei est hic; » intelligentes Dei manus hanc esse potentiam, quæ a solita operatione tam subito eos coercere valeat.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Dic Pharaoni : « Dimitte populum, alioquin immittam in te, et in « servos tuos et populum tuum, et in domum tuam « omne genus muscarum. Factumque est ita. Venerunt « muscæ gravissimæ in domum Pharaonis, « et in omnem terram Ægypti, corruptaque est « terra ab hujuscemodi muscis. » Quid enim per muscas, nisi spiritum fornicationis, ipsamque omnium vitiorum turpissimam libidinem intelligimus? De qua Apostolus : « Omne, inquit, peccatum, quod fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (*I Cor.* VI, 18). » Unde et hic dicitur, quod ab hujuscemodi muscis terra corrupta fuerit. Quid est enim, quod libidinis æstus terram, id est carnem nostram corrumpit? Hujus autem multæ sunt species; idcirco et muscæ diversorum generum fuisse referuntur; quas quia gravissimas dicit, quantum hoc vitium in hominibus grassetur, innotuit. His etenim muscis adulter, his fornicator, his sodomita, his cujuscunque libidinis operator stimulatur, vexatur, incenditur, persequitur, corrumpitur. Hæ tamen muscæ non erant in terra Gessen, ubi filii Israel habitabant, quoniam sancti viri jejuniis, vigiliis, orationibus, carnisque maceratione omnem libidinis impetum a se repellunt. « Vocavitque Pharao Moysen, et Aaron, et ait illis : Ite, sacrificate Deo « vestro in terra hac. Et ait Moyses : Non potest ita « fieri; abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro? quod si mactaverimus « ea, quæ colunt Ægyptii coram eis, nos lapidibus « obruent. » Abominationes Ægyptiorum dicit. Et est mirabilis viri prudentia, qui coram ipso rege suos deos abominationes appellat; Ægyptii enim non solum hircos, et oves, et vaccas, sed alia multa portenta adorabant. « Viam trium dierum pergemus « in solitudine, et sacrificabimus Deo nostro, sicut « præcepit nobis. » Quid vero via trium dierum significet, supra exposuimus. « Dixitque Pharao : « Ego dimittam vos; verumtamen ne longe abeatis, « orate pro me. » Considera, Pharao, quid possit virtus, et potentia tua : rogas Prophetam, ut ipse pro te Dominum roget, quatenus a te, et a populo tuo muscas repellat : adhuc te virga percutit, et ferre non potes : quid si ignem de cœlo pluat? Noli ulterius indurare cor tuum, noli amplius fallere servos Dei, ne si forte pro te orare desierint, pereas et tu, et populus tuus. Egressusque Moyses a Pharaone oravit Dominum, et perierunt muscæ. Ingravatum est autem cor Pharaonis, et noluit dimittere populum. Qui autem Pharao sæpius induratur, ideo sæpius flagellatur. Sequitur :

CAPUT IX.

« Dixit autem Dominus ad Moysen : Vade dic Pharaoni : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum « meum, alioquin ecce manus mea erit super agros « tuos, et super equos, et asinos, et camelos, et « boves, et oves, pestis valde gravis. Fecit ergo « Dominus verbum altera die, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum; de animalibus vero « filiorum Israel nihil omnino periit. » Quid autem

(191) Cod. S. Cr. in Laurent., *quadam simulatione.*

Digitized by Google

per hæc, quæ modo numerata sunt, nisi exteriorem substantiam intelligimus, quam cum Dominus repente peccatoribus aufert, aut probatio est, aut vindicta. Sic enim et beato Job fecisse legitur, qui patiens, tamen patienter gratias agens dicebat : « Dominus dedit, Dominus abstulit (*Job* I, 21). » Vir etenim sanctus in hoc quoque Dei misericordiam agnoscebat, quod non se, sed sua feriebat. Cum ergo in exterioribus homo flagellatur, gratias agat, convertatur et pœniteat. Denique misericordiam recognoscat, qui eum tam misericorditer ad pœnitentiam vocat. Corripit enim Dominus omnem filium, quem recipit (*Hebr.* XII, 7). Et beatus homo, qui corripitur a Domino. Non induretur ut Pharao, sed confessus se peccasse, veniam postulet, ne forte usque ad animam vindicta desæviat. Unde scriptum est : « Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus (*Psal.* CXX, 7). » Hæc autem quinta plaga est per quam in his quæ possidet, et non in se homo percutitur. « Et induratum est cor « Pharaonis, et non dimisit populum : et dixit « Dominus ad Moysen, et Aaron : Tollite plenas « manus cineris de camino, spargat illum Moyses in « cœlum coram Pharaone, sitque pulvis super 56 « universam terram Ægypti. Erunt enim in homini- « bus, et in jumentis vulnera, et vesicæ turgentes in « universa terra Ægypti. Factumque est ita. Nec « poterant malefici stare coram Moyse propter vul- « nera, quæ in illis erant. » Ecce non animantia tantum, sed ipsi homines percutiuntur, ut qui virgam non sentiunt, saltem tormentis corrigantur. Quid enim per caminum nisi afflictionem? Quid vero per cinerem, nisi populum diuturno jam afflictionis igne crematum? Cinis ergo de camino tollitur, et in cœlum spargitur, quoniam afflicti populi preces in cœlo exaudiuntur. Et bene quidem per manus Moysi cinis in cœlum spargitur, quia Christi, et sanctorum manibus omnis populus Domino præsentatur. Vulnera vero, et vesicæ turgentes, quas et videre horribile, et pati intolerabile est, futura illa tormenta significantur, quibus nulla tormenta comparari possunt. Hæc autem tormenta illos exspectant, qui obstinato corde usque ad finem in sua malitia perseverant. Fit autem hæc plaga et in hominibus et in jumentis, quia et sapientes et insipientes, nobiles et ignobiles, divites et pauperes æqualiter divina ultione affliguntur. Hoc enim sunt stulti ad sapientes, quod jumenta ad homines. Malefici vero propter vulnera coram Moyse stare non poterant, quia sicut leprosi, et Christi visione indigni, extra castra expulsi, in sanctorum civitate non habitabunt. « Indu- « ravitque Dominus cor Pharaonis, et non dimisit eos. »

Sequitur autem sexta plaga, in qua sicut et in cæteris monetur Pharao dimittere populum; quod si facere contempserit, minatur Dominus se immittere omnes plagas super eum, et super populum ejus, et pluere grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die, qua fundata est, usque in præsens. Unde præcipit Moyses, ut homines, et ea, quæ foris sunt, intus congregentur, ne moriantur. Quid est autem, quod Moyses prius admonet Pharaonem dimittere populum, deinde omnem plagam, priusquam fiat, ei denuntiat? Nisi quia et Christus, qui per Moysen intelligitur, ejusque discipuli, quos Aaron significabat, prius populum ad pœnitentiam vocabant, deinde mala futuri sæculi, et infernos cruciatus eis denuntiabant? Quasi enim grandinem super eos pluebant, quando tormenta diabolo, et angelis ejus in inferno præparata exponebant. Fulgura autem discurrentia tunc mittebant, quando quasi ignitis jaculis, sententiis Scripturarum vitia, et malignos spiritus in humanis pectoribus interficiebant. Cum quibus et ignis mistus ferebatur, quia signorum et miraculorum fulgor eorum prædicationem sequebatur, ut qui verbis credere nolebant, saltem miraculorum igne et splendore illuminati, territi, et corde compuncti ad Dominum converterentur. Pereunt autem omnia, quæ foris sunt, quia quicunque a sanctorum fide, et consortio separati, extra Ecclesiam inventi fuerint, judicio peribunt. Unde et Moyses congregari omnia præcipit, ne forte doctorum incuria et negligentia foris manentia pereant. Quod autem ait : « Idcirco posui te, ut « ostendam in te fortitudinem meam, et narretur « nomen meum in omni terra; » sic est accipiendum, ac si diceret : Idcirco tuam duritiam patior, ideo toties tibi parco, ut per te mea fortitudo monstretur, et quoties volo, te supero, et superatum vires iterum sumere permitto, ut narretur nomen meum in omni terra, cui obediens est omnis creatura, cujus miraculorum non est numerus, cui nemo impune resistere valet, qui per ranas et muscas non minus quam per fulgura, qui ad reges et principes superandos non armatos milites, sed locustas et culices mando. « Misitque Pharao, et vocavit Moy- « sen et Aaron, et dixit eis : Peccavi etiam nunc; « Dominus justus, reddens mihi secundum opera, et « juxta peccata puniens; ego et populus meus impii, « quibus toties Dominus miseretur, et non cogno- « scimus : orate Dominum, ut desinant tonitrua, et « grando, et dimittam vos, et nequaquam ultra hic « maneatis. » Felix esses Pharao, si hanc sententiam terminasses, si sicut dicis ita fecisses, si cor ulterius non indurasses. Oravitque Moyses Dominum, et cessavit grando.

« Induratum est ergo cor Pharaonis, et servorum « ejus, et non dimisit populum. » Quod autem serotina non sint læsa, posterioris et christiani populi salutem significare potest.

CAPUT X.

Post hæc autem, cum Pharao admonitus, sicut prius, noluisset dimittere populum; cum Moyses locustas denuntiasset esse venturas, et ille contempsisset, « extendit Moyses virgam super terram « Ægypti, et Dominus induxit ventum urentem tota « illa die, et nocte, et mane facto ventus urens leva- « vit locustas, quæ ascenderunt super universam « terram Ægypti, operueruntque eam, vastantes

Digitized by Google

« omnia. Devorata est igitur herba terræ, et quid- A « quid pomorum grando reliquerat. » Quid enim per locustas, quæ quasi imperatorum agmina, facto exercitu, cuncta vastantes incidunt, nisi vitiorum et malignorum spirituum multitudinem intelligamus? Has autem ventus urens elevat, et portat, quoniam violento et impetuoso spiritu superbiæ vitia quæque et maligni spiritus deferunt. Initium enim omnis peccati superbia : hæc vitia portat, hæc dæmones elevat, hæc peccatores exaltat. Hac enim superbus ille inflatione, hoc superbiæ vento 57 inflatus dicebat (192): « Super cœlum ascendam, et super sidera cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis et ero similis Altissimo. » Sic ergo locustæ volant, sic vitia, et maligni spiritus feruntur. Omnis enim inobedientia superbia est. Quicunque autem peccat, inobediens est. Sic ergo vento superbiæ universa peccata feruntur. Hæ sunt illæ locustæ, quæ omnia devorant, corrodunt, cuncta dissipant, nihil pulchrum, nihil viride in arboribus relinquunt, ideo steriles et infructuosæ fiunt, ad nihil aliud utiles, nisi ut excidantur et in ignem mittantur. Hoc autem fit tantum in terra Ægypti, in regno Pharaonis, in terra tenebrosa, quæ solis justitiæ radiis non illustratur. Sequitur :

« Quam ob rem Pharao festinus vocavit Moysen « et Aaron, et dixit eis : Peccavi in Dominum Deum « vestrum, et in vos; sed nunc dimittite peccatum « etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, C « ut auferat a me mortem istam. » Sic igitur es tu homo quicunque es, si senseris locustarum exercitum devorare terram tuam : si senseris luxuriam, avaritiam, discordiam, concupiscentiam, fornicationem, ingluviem, ebrietatem, vanam gloriam, iram, et cætera his similia, quæ per locustas intelliguntur, vastare, et disperdere carnem tuam; curre festinus, curre ad Moysen, deprecare Christum, ut tibi parcat, ut tibi peccatum dimittat. Sed noli cor tuum postea indurare cum Pharaone, ne et tu pereas ad similitudinem Pharaonis. Audi Prophetam dicentem : « Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Psal.* xciv, 8). » Quod autem, orante Moyse, omnes locustæ a vento elevatæ, et in mare Rubrum projectæ perierunt, hoc est intelligen- D dum, quod vitia, et maligni spiritus, qui populum jam pœnitentem, et se peccasse confitentem prius persequebantur, Christo jubente, in baptismo omnino delentur. « Et induravit Dominus cor Pharaonis, « nec dimisit filios Israel. »

« Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende ma- « num tuam in cœlum, et sint tenebræ super ter- « ram Ægypti, tam densæ, ut palpari queant. Ex- « tendit Moyses manum in cœlum, et factæ sunt te- « nebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus « diebus. Nemo vidit fratrem suum, et movit se de « loco in quo erat. Ubicunque autem habitabant « filii Israel, lux erat. » Ecce qui regem sequuntur tenebrarum, qui toties admoniti et flagellati, qui tot signa et miracula videntes, adhuc indurato corde in malitia perseverant, tenebris involuti, nihil vident, et quasi lapides immobiles permanent, ut saltem per tenebras exteriores cordis sui cæcitatem intelligant (193). De his enim tenebris Apostolus ait : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.*, v, 10); » et Joannes : « Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, et in tenebris manet (*I Joan.* iii, 15). » Qui igitur non vult manere in tenebris, vitiis expulsis, sequatur lucem, lucem videlicet, quæ ait : « Ego sum lux mundi B (*Joan.* viii, 12). » Sed quia Moyses significat Christum, manus ejus, quam in cœlum extendit, Christi manus in cœlo extensas significare potest, nam et in Christi passione tribus horis tenebræ factæ sunt, ut merito in his tribus diebus tres illas horas significatas fuisse intelligamus. Has autem tenebras non patitur populus Dei, illum sequens, qui ait : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris (*ibid.*). » Vocavit autem Pharao Moysen et Aaron, dixitque eis, ut cætera relinquentes cum filiis irent sacrificare Domino, noluitque Moyses sine gregibus ire, ne quid sibi forte in sacrificio deesset. « Dixitque Pharao : « Recede a me, et cave ne ultra faciem meam vi- « deas : quocunque die apparueris mihi, morieris : « At ille ait : Ita fiet, ut locutus es : non videbo ul- « tra faciem tuam. » Quid est hoc, quod dicit Moyses : Non videbo ultra faciem tuam? postea eum vidit, et locutus est cum eo. Sed quia frequenter in sacro eloquio videre, misereri significat, sic accipi potest, ac si diceret : Non ultra videbo faciem tuam, non ultra miserebor tui, non te ulterius populum dimittere admonebo, neque amplius pro te Deum rogabo.

CAPUT XI.

« Et dixit Dominus ad Moysen : Adhuc una plaga « tangam Pharaonem et Ægyptum, et post hæc « dimittet vos, et exire compellet. Dices ergo omni « populo, ut postulet vir ab amico suo, et mulier a « vicina sua vasa argentea et aurea; dabit autem « Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis. » Hoc autem quid significet superius expositum est; facilius est autem illuc reverti, quam iterum eadem replicare. Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti coram Pharaone et omni populo. Magnus quidem fuit in verbis, magnus in miraculis, magnus in constantia, et ideo magnus, quia Christi figuram gerebat. Et ait ad Pharaonem : « Media nocte ingre- « diar in Ægyptum, et morietur omne primogeni- « tum, a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio « ejus usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad

(192) Vulgata habet : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* (*Isai.* xiv, 13.)

(193) Videtur Bruno illis Patribus adhærere, qui induratos peccatores in pœnam suæ obstinationis omni prorsus gratiæ lumine, et auxilio privatos asserant.

Digitized by Google

« molam, et omnia primogenita jumentorum..... « Descendentque omnes servi tui isti ad me, et ado- « rabunt me dicentes : Egredere tu, et omnis popu- « lus, qui subjectus est tibi. » Hæc autem in se- quentibus exponemus, eo videlicet loco, **58** ubi complebuntur. « Post hæc egrediemur. Et exivit a Pharaone iratus nimis. » Bona ira, qua superbia vincitur, stultitia superatur, cor impœnitens ad pœ- nitentiam, quamvis inutilem revocatur, et Dei popu- lus de servitute gravissima liberatur.

CAPUT XII.

« Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron in terra « Ægypti : Mensis iste vobis principium mensium, « primus erit in mensibus anni. » Mensis, inquit, iste aliorum mensium principium est, qui apud nos Martius vocatur. Hic autem sit vobis primus, id est maximus et principalis in mensibus anni, quoniam majora in hoc mense, quam in cæteris, fiunt sacra- menta. « Loquimini ad universum cœtum filiorum « Israel, et dicite eis : Decima die mensis hujus, « tollat unusquisque agnum per familias et domos « suas. Sin autem minor est numerus, ut sufficere « possit ad vescendum agnum assumet vicinum « suum, qui junctus est domui ejus, juxta numerum « animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. « Erit autem agnus absque macula, masculus, anni- « culus; juxta quem ritum tolletis et hædum, et ser- « vabitis eum usque ad quartamdecimam mensis « hujus, immolabitque eum universa multitudo « filiorum Israel ad vesperam. » Decima namque die tolluntur agnus et hædus, et servantur usque ad diem quartamdecimam ejusdem mensis, et tunc immolantur. Nam quia tabulæ Testamenti decem verba, id est decem præcepta principalia scripta ha- buerunt, in quibus tota lex quodammodo continebatur, ideo frequenter per decem totum Vetus Testa- mentum intelligitur. Quia vero quatuor sunt Evan- gelia, in quibus Novum Testamentum clauditur, ideo per quatuor Novum Testamentum designatur. Decima igitur dies Vetus Testamentum, quarta vero post de- cimam Novum designat. Decima autem die tollitur agnus, sed usque ad quartamdecimam immolandus servatur; quoniam Christi passio in Veteri Testa- mento per figuras et ænigmata significata, tandem in Novo veraciter est adimpleta. Ibi Christus monstra- tur; hic immolatur. Ibi significatur; hic sacrificatur. Ibi denique agni immolatio narratur; hic vero Christi passio prædicatur. Vetus enim Testamentum eo tempore finem fecit, quo Christus Dominus noster suis discipulis ait; « Amen dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno meo (*Matth.* XXVI, 29). » Vetus igitur vinum spernitur, novum promittitur, non quod lex vetus omnino de- struatur, sed quod novo et spirituali sensu intelliga- tur; hoc autem in regno Dei, quod est Ecclesia. Christus autem et agnus est propter innocentiam, et hædus dicitur propter similitudinem carnis peccati. De hoc enim dicitur : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi (*Joan.* I, 29). » Et de hoc si- militer dicitur : « Ne coquas hædum in lacte matris suæ (*Exod.* XXIII, 19). » Ad hunc autem vescendum propinquos et vicinos invitare debemus, ut qua cha- ritate omnium salutem desideramus, innotescat. Vi- cinus enim noster omnis Christianus est, et quicun- que ab Ecclesia longe non est. Est autem agnus iste absque macula; quoniam sic scriptum est : « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II, 22). » Est autem et masculus, an- niculus, quia nihil habet molle, nihil femineum, nihil corruptioni obnoxium, nihil carnalis sentiens titillationis. Et agnus quidem per domos comeditur, hædus vero ab omni multitudine immolatur, per quod apertissime designatur, et hoc sacrificium, quod modo in Ecclesia assidue sumitur, et illud, quod a Judæis insanientibus in ara crucis est obli- tum. Quamvis enim et hoc et illud unum idemque sit; tamen aliter et aliter fit; unde illi hædum occidunt, inter iniquos et peccatores mundi Salva- torem deputantes, sicut scriptum est : « Et inter iniquos deputatus est (*Luc.* XXII, 37). » Itemque : « Nisi hic esset malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan.* XVIII, 30). » Nos autem, quia innocen- tem, sanctum et justum, et sine ulla contagione pec- cati Dei Filium esse credimus, agnum absque macu- la, et immolamus, et sumimus (194). Ideoque quam- vis agnus et hædus immolatur, solus tamen agnus a populo manducatur; illud enim sacrificium in isto sumitur, quia hoc in illud verissime convertitur. Nunquam enim illud comederetur; nisi hoc in illud converteretur. Est enim hæc mutatio dexteræ Ex- celsi. Omnis autem multitudo filiorum Israel hædum immolavit, sed quando? Ad vesperam, quo- niam proditor Judas circa hanc cum Judæis loqui- tur, Christum vendidit, nummos accepit, atque altera die circa horam vespertinam, id est post nonam Salvator noster spiritum emisit. Unde Psalmista ait : « Elevatio manuum mearum sacrificium vesperti- num (*Psal.* CXL, 2). » Sed quia Dominus noster VIII Kalendas Aprilis est crucifixus, et pridie quam cru- cifigeretur, hæc agni immolatio facta fuerat, quo- modo verum est quod quarta decima die prædicti mensis agnus dicitur immolatus? Judæi namque non sicut nos menses computant, sed secundum lu- næ innovationem, mensium quoque principia su- munt (195). Sequitur :

59 « Et sument de sanguine agni, et ponent super « utrumque postem, et in superliminaribus domo- « rum, in quibus comedent illum. » Super utrum- que enim postem agni sanguinem ponunt, qui ore

(194) Quia Christus sanctus et innocens pro no- bis victima in cruce fieri voluit, in agno sine ma- cula sacrificandus et edendus repræsentatur; quia idem Dominus tanquam impius a Judæis morti tra- dendus erat; ideo hædi figuram sumpsit in eadem Paschatis solemnitate immolandus; sed diversimode ob diversam repræsentationem.

(195) Judæi a lunæ innovatione menses comput- tant, nos autem a cursu solis.

Digitized by Google

et corde illum suscipiunt. Qui vero vel indigne illum suscipiunt, vel suscipientes, Christi sanguinem esse non credunt, isti in unum tantummodo postem sanguinem ponunt, de quibus Apostolus ait: « Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit (*I Cor.* XI, 29). » Nos igitur et ore sumentes, et corde Christi sanguinem esse credentes, in utrumque postem eum ponamus, et corpore, et mente eum suscipiamus. Cum autem crucis signum in nostris frontibus facimus, tunc in superliminaribus domorum Christi sanguinem ponimus. Sequitur:

« Et edent carnes nocte assas igni, et azymos « panes cum lactucis agrestibus. » Idem enim hoc in loco, et per carnes, et per panes azymos intelligimus, et bene utrumque posuit, quoniam de panibus hæ carnes fiunt. Has autem cum lactucis agrestibus comedunt, qui corde compuncto et humiliato eas suscipiunt, et crucis amaritudinem compatientes, in cordis palato quodammodo sentiunt. « Non « comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, « sed assum tantum igni. » Agni enim carnes, si vel crudæ, vel aqua coctæ edantur, facile stomachum pervertere solent, si vero assæ fuerint, et confortant, et avidius sumuntur. Qui ergo eas a cæteris carnibus non discernit, et omni cibo suaviores esse non intelligit, et quasi fastidiens, digne eas sumentibus salutem et vitam præstare non credit. Ille vel crudas, vel aqua coctas has carnes comedit. Ille vero assas igni eas manducat, qui vitam in eis credens, avidissime suscipit, et suscipiendo Christi passioni communicat (196). Ipse enim Dominus dicit: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam (*Joan.* VI, 55). » Non sunt præterea hæ carnes crudæ, quia passus est Christus, neque in aqua coctæ, quia non occulte, sed palam, et cunctis videntibus, est crucifixus. Redolet caro, cum assatur, redolet et passio Christi.

« Caput cum pedibus ejus, et intestinis vorabitis, « nec remanebit ex eo quidquam usque mane. » Caput enim Christi, sicut ait Apostolus, Deus est; pedes vero, qui terram tangunt, ejus carnem significant, quæ de terra sumpta est. Quid vero ejus intestina, nisi occulta omnia, et profunda mysteria designant? Caput ergo illius cum pedibus et intestina vorant, qui et Deum et hominem esse credunt, et quæcunque de eo scripta sunt digne fideliterque suscipiunt. Non enim sufficit, si et Deum et hominem esse credamus, nisi intestina quoque suscipientes, et de virgine natum, et circumcisum, et veraciter passum, et die tertia resurrexisse, et cætera, quæ de eo scripta sunt, indubitanter crediderimus. Unde et subditur: « Nec remanebit ex eo quidquam usque mane; » omnia sumantur, omnia credantur, nihil de hoc agno remaneat, quod in fidei pectore non claudatur. Mane autem vitæ hujus finis intelligitur, quoniam Christus sol justitiæ apparebit, et fugatis tenebris, nox ulterius non erit; tunc autem non erit tempus convertendi, nec agni carnes comedendi, quia qui tunc credere incipient, cum fatuis virginibus audient: « Amen dico vobis: Nescio vos (*Matth* XXV, 12). »—« Si quod residuum fuerit, igne « comburetis. » Residua sunt, quæ comedi nequeunt, ut est pellis et ossa. Pellis etenim agni caro Christi est, quæ quidem qualiter Deo unita, qualiter Verbum caro factum est, neque dici neque intelligi potest. Sed quis illa ossa comedere, vel, ut ita dixerim, corrodere valeat, ut qualiter ante omnia tempora sit a Patre genitus, diutissime, si licuerit, semperque investigando intelligat? Sunt autem et alia multa, quæ quoniam comedi et intelligi non possunt, charitatem fideique ardore comburantur (197). Sufficit enim credere, si non datur intelligere. Plures enim credendo quam intelligendo has carnes comedunt. Comedunt ergo qui possunt; qui vero non possunt, credant, et charitatis igne comburantur. Sequitur:

« Sic autem comedetis illum. Renes vestros ac- « cingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, te- « nentes baculos in manibus, et comedetis festi- « nanter. Est enim phase, id est transitus Domini. » Renes quidem accingere est castitatis et continentiæ cingulo luxuriam refrenare. Unde ipse Dominus ait: « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 35). » Calceamenta vero in pedibus habent, qui quasi alio pergere parati, peregrinos in hoc mundo se esse cognoscunt: et isti quidem viam mandatorum Dei currentes, secure, et sine timore, utpote bene calceati, super serpentes et scorpiones incedunt. Baculos autem in manibus teneant, ut se ab incurrentibus adversariis defendere valeant. Habes humilitatem, baculus est tibi, hoc enim superbiam vincis. Habes castitatem, et hic baculus est quo luxuria superatur. Sed quid multa? Quot virtutes, tot et baculos habes. Sic igitur præparetur, sic muniatur, sic armetur qui has carnes comedere venit. Cito autem et festinanter comedetis ea, ut cum Dominus venerit, jam plani et saturi sitis, ne tunc credere incipiatis, quando per fidem liberari debetis. In fide namque suscipienda, nulla mora debet **60** esse: « Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam (*Matth.* XXV, 12). »

« Et pertransibo per terram Ægypti nocte illa, « percutiamque omne primogenitum in terra Ægy- « pti, ab homine usque ad pecus, et in cunctis diis « Ægypti faciam judicia, ego Dominus. » Agno etenim immolato, Christo Domino crucifixo, postquam Jesus, inclinato capite, tradidit spiritum, mortua sunt omnia primogenita in terra Ægypti, quoniam

(196) Sumentes eucharistiæ sacramentum passioni Christi communicamus.

(197) Hic adnotandum quanta de ritu edendi agni paschalis præscripserit Moyses, quæ omnia significativa erant spiritualis puritatis, et dispositionis, quibus novæ legis fideles ad edendas carnes veri Agni cujus sacrificium quotidie mystice in Ecclesia innovatur, accedere debent.

Digitized by Google

originale peccatum, per universum mundum in omnibus illis periit, qui crediderunt, et baptizati sunt, ut peccatum, quod per lignum concupiscentiæ cœpit, per lignum crucis destrueretur. Quot enim sunt homines, tot sunt et originalia peccata; omnis enim horum cum eo nascitur, quod, nisi Christi sanguine, et aqua baptismatis deleri non potuit. Merito autem ab homine usque ad pecus omnia primogenita feriuntur, quoniam sine personarum acceptione, in omni gente, et in omni sexu, et in omni ætate omnia peccata originalia destruuntur. « Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Rom.* x, 13). » Fecit autem Dominus judicia sua in cunctis diis Ægypti, quoniam ejus morte interveniente, infernus exspoliatur, templa ruunt, et ubique gentium deorum cultura et religio abominatur.

« Erit autem vobis sanguis in signum in ædibus « in quibus eritis, et videbo sanguinem, et transibo « vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando « percussero terram Ægypti. » De hoc enim signo Joannes apostolus ait: « Vidi supra Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis (*Apoc.* xiv, 1). » Vidit etiam duodecim millia signatos ex omni tribu filiorum Israel. In his autem non est quod perculiatur, quoniam in utroque poste Agni sanguinem suscipientes, et ore et corde ipsius carnes comedentes, totos se intus et foris se Domino dedicaverunt. Sequitur:

« Habebitis autem hanc diem in monumentum, « et celebrabitis eam solemnem Domino in gene- « rationibus vestris cultu sempiterno. » Sic enim Dominus ipse præcepit, dicens suis: « Hoc facite in meam commemorationem (*I Cor.* xi, 24), » cum de hoc sacrificio loqueretur. Unde et Apostolus ait: « Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat (*ibid.*, 26). »

« Septem diebus azyma comedetis (198); in die « primo non erit fermentum in domibus vestris: « quicunque comederit fermentum, peribit anima « illius de Israel, a primo die usque ad septimum. » Hoc est enim quod Apostolus dicit: « Modicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi; etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* v, 7). » Et Dominus in Evangelio: « Cavete, inquit, a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis (*Luc.* xii, 1). »

Non solum enim vetus et prava intelligentia legis, verum etiam omnis corruptela, omnisque depravatio mentis fermentum dici potest (199). Azyma autem e contra sinceritatem et veritatem appellat. Jubemur ergo septem diebus azyma comedere, quatenus omni tempore, quo vivimus, et in hoc mundo sumus sinceritatis et veritatis alimentis nutriamur, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore, neque carnis concupiscentiis serviamus. Nam quia septem diebus factus est mundus, et septem volvitur, atque consistit, ideo frequenter omne tempus in septem diebus intelligitur. In die, inquit, prima non erit fermentum (200) in domibus vestris. Prima namque hujus solemnitatis dies est, quoties ad participandam (201) Christi carnem, et sanguinem accedimus. Cum ergo omni tempore in sinceritate et veritate vivere debeamus, eo maxime die omne fermentum malitiæ et nequitiæ in domibus nostris esse non debet, quo Christi carnem et sanguinem sumimus. Mundemur ergo hac die ab omni peccato, ne indigne Christi carnem suscipiamus. « Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* xi, 29). » Hoc est enim quod ait: « Quicunque comederit fermentatum, peribit anima « illa de Israel, a primo die usque ad diem septi- « mum, » id est toto tempore solemnitatis istius.

« Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies « septima eadem festivitate venerabilis; nihil operis « facietis in eis, exceptis iis quæ ad vescendum « pertinent, et observabitis azyma. » Quæ sit autem prima dies, dictum est. Septimam vero illam esse putamus, de qua Apostolus ait: « Relinquitur ergo sabbatismus populo Dei (*Hebr.* iv, 9). » Hæc autem quam sit venerabilis, illi sciunt, qui in cœlesti Jerusalem sine omni cura et sollicitudine cum Domino gloriantur. In utraque autem solemnitatem nihil operis fieri debet, exceptis iis, quæ ad vescendum pertinent (202), de quibus ipse Salvator ait: « Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis est (*Joan.* iv, 34). » Hoc autem in nulla festivitate fieri prohibetur: **61** facere eleemosynam, voluntas Dei est; vestire nudos, voluntas Dei est, et quidquid ad misericordiam et pietatem respicit semper operari, voluntas Dei, et cibus animæ est. Si ergo his et similibus nutritur et vescitur anima, et sola ea quibus anima vescitur in festivis diebus operari licet, ergo in festivis diebus bene facere non prohibemur. Sic igitur in his solemnitatibus nihil operis agere debemus, exceptis quæ ad vescendum pertinent, ut nullo scilicet die suo cibo anima careat. Quod autem ait: « Et observabitis

(198) Animadvertit eruditissimus Mazochius Spicil. in cap. xii Exod. divinum præceptum Hebræis traditum de abstinentia a pane fermentato septem diebus Paschatis, tale esse, ut non illo solum tempore, vel illa præcipue celebritate vim habuerit, sed ut in perpetuum, hoc est quotis annis eodem ritu Pascha celebrarent.

(199) Cod. S. Crucis. in Laur. *Christus enim hypocrisim, Apostolus vero malitiam et nequitiam fermentum vocat.*

(200) Id. cod. *Non erit fermentatum.*

(201) Id. cod. *Ad percipiendum.*

(202) Ab Hebræis ritum habendorum dierum festorum gentiles accepisse docet idem Mazochius Spicil. in Exod., p. 37, et cessationem ab operibus famulis præcipue observatam.

Digitized by Google

« azyma; » quam sincere et caste nos vivere velit, patenter insinuat.

« In eadem ipsa die educam exercitum vestrum « de terra Ægypti, et custodietis diem istum in « generationes vestras ritu perpetuo. » Ipsa enim eademque die qua Agnus noster est immolatus, infernus exspoliatus est, et universus mundus de diaboli servitute liberatus. Quo circa omni tempore, ritu perpetuo hunc diem solemnem habet Ecclesia. « Primo mense quartadecima die mensis ad vespe- « ram comedetis azyma usque ad diem vigesimam « primam ejusdem mensis ad vesperam. » Hæc autem computatio, nisi secundum Hebræos accipiatur, stare non potest. Sæpe enim hæc solemnitas sic totum primum mensem transit ut penitus infra mensem Aprilis contineatur, cum tamen secundum Hebræos, nunquam nisi quartadecima die mensis primi celebretur; post quam celebrationem, mox proximo Dominico nostra quoque celebratio est. Sequitur : « Septem diebus fermentatum non inve- « nietur in domibus vestris. » Confirmatio est eorum, quæ dicta sunt. Quæ quidem idcirco repetit, ut firmissime memoriæ commendentur.

« Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum « Israel, et dixit ad eos : Ite tollentes animal per « familias vestras, et immolate Phase : fasciculumque « hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, « et aspergite ex eo superliminare, et utrumque « postem. Nullus vestrum egrediatur ostium domus « suæ usque mane. » De hoc animali quando tollatur, superius dictum est. Restat igitur ut de hyssopo dicamus. Dicit enim Psalmista : « Asperges me hyssopo, et mundabor (*Psal.* L, 9). » Hyssopus enim naturaliter in petris nascitur ; « Petra autem, dicit Apostolus, erat Christus (*I Cor.* X, 4). » Nascitur igitur hyssopus in Christo, bona herba hyssopus, quæ in Christo nascitur, et merito, quia nulla herba tangit sanguinem Christi, nisi ea quæ nascitur in Christo ; sola enim Ecclesia in Christo nascitur, et renascitur, sola Ecclesia in Christo fundatur. Hæc est ergo hyssopus, quæ tangit et spargit sanguinem Christi, unde non immerito fasciculus dicitur, quoniam multos in se et ligat, et colligit. Hic ergo fasciculus Christi sanguine tingitur, Christi sanguine inebriatur, Christi sanguine superliminare, et utrumque postem aspergit, quoniam sancta Ecclesia interius et exterius hoc sanguine munitur. Est enim in limine, id est in introitu domus, in ore videlicet, unde super utrumque postem aspersus et animam et corpus sanctificat. Quod autem præcipit, ut nullus usque mane ostium domus egrediatur, ut fideliter usque in finem in sancta Ecclesia habitemus, significare videtur, extra quam qui inventus fuerit, simul cum Ægyptiis, Domino jubente peribit.

« Factum est autem in noctis medio, percussit « Dominus omne primogenitum in terra Ægypti a « primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, « usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in « carcere, et omne primogenitum jumentorum. « Unde clamor magnus ortus est in Ægypto, voca- « vitque Pharao Moysen, et Aaron nocte, et ait : Ite, « sacrificate Domino, sicut scitis, et euntes bene- « dicite mihi (203). » Quid enim per primogenitum Pharaonis, nisi illud primum, et maximum peccatum ; quo in paradiso primus homo deceptus est, intelligamus? Quod quia maximam stragem dedit mundo, ideo magno suscepto triumpho, quasi rex in solio Pharaonis, sedere describitur. Captivam vero, quæ in carne erat, multitudinem animarum, quæ in inferno propter originale peccatum tenebantur, intelligere debemus. At vero per ancillam, quæ est ad molam (204), omnem hominum multitudinem huic laboriosæ vitæ servientem, et quasi molam dierum, mensium et annorum rotam volventem intelligere voluit. Horum autem primogenita Christus interemit, quia non solum viventium, verum et mortuorum, et nondum natorum originalia peccata suo sanguine interficiens, omnia Deo Patri reconciliavit. Ideoque maximus clamor fit in Ægypto, diabolo cum omni malitia sua lugente, atque de tanta sibi erepta præda dolente, jamque in sanctorum animabus nullam spem habente. Quod autem Pharao ait : « Euntes benedicite mihi, » hoc est intelligendum, euntes, ab hoc periculo me liberate. « Urgebant Ægyptii populum Israel de terra « Ægypti exire velociter, dicentes : Omnes mo- « riemur. »

« Tulit ergo populus conspersam farinam ante- « quam fermentaretur, et ligans in palliis posuit « super humeros suos, et petierunt ab Ægyptiis « vasa argentea, et aurea, et vestem plurimam. « Dedit autem Dominus illis gratiam coram Ægy- « ptiis, ut commodarent eis, et spoliaverunt Ægy- « ptum (205). » Populus 62 enim egrediens ex Ægypto farinam incorruptam, et sine fermento portat, quoniam Pascha celebraturi novis sincerisque cibis uti debemus. Nam quia in hac festivitate de Veteri Testamento in Novum transferimur, omnia nobis sincera, nova et incorrupta esse debent, ut aqua baptismatis, et nova lege immutati, exspoliemus nos veterem hominem, cum actibus suis, et induamus novum, qui secundum Deum in justitia, et sanctitate veritatis creatus est (*Col.* IX, 3). Quid autem exspoliatio Ægypti significet, jam superius dictum est.

(203) Aliter habet Vulgata : *Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus, et ortus est clamor magnus in Ægypto ; neque non erat domus, in qua non jaceret mortuus. Vocatisque Pharao Moyse, et Aaron nocte ait : Surgite, et egredimini a populo meo vos, et filii Israel ; ite, immolate Domino, sicut scitis. Oves vestras, et armenta assumite, ut petieratis, et abeuntes benedicite mihi.*

(204) Errata editio a cod. s. Cr. in Laurent. emendatur.

(205) Id. cod. M. A. *Ægyptios :* ita et Vulgata.

Digitized by Google

« Profectique sunt filii Israel de Ramesse in So- A
« chot. » Ramesses namque interpretatur *tinea*, vel intonuit *lætus*. Populus igitur egrediens de Ramesse, id est de diaboli servitute, ubi omnium corruptionum tinea vastabatur, lætus intonuit, utpote qui in Sochot veniebat, quod *tabernacula* interpretatur, dicens cum Psalmista : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini (*Psal.* LXXXIII, 1). » Statim enim, ut de Ægypto, id est, de hujus mundi conversatione homo exit, in Sochot, id est in Ecclesiæ tabernacula lætus venit. Hic autem sibi panes azymos facit, hic nova pulmenta sibi præparat, ut relicto fermento malitiæ et nequitiæ, vivat in azymis sinceritatis et veritatis. « Habitatio autem « filiorum Israel, qui manserant in Ægypto, fuit B « quadringentorum triginta annorum. Quibus ex- « pletis, eadem die egressus est omnis exercitus « de terra Ægypti. Nox ista est observabilis, hanc « observare debent filii Israel in generationibus « suis. » Hæc namque nox est observabilis quam tam læta dies subsequitur, in qua Christus de sepulcro procedens sua resurrectione mundum illustravit.

« Dixit Dominus ad Moysen, et Aaron : Hæc est « religio Phase : omnis alienigena non comedet ex eo. » Phase enim hoc in loco agnum qui immolabatur significat. De hoc autem nulli alienigenæ comedere licet; non hæretico, non gentili, non falso Christiano; solis enim Ecclesiæ filiis comedendus traditur; cæteri C sunt alienigenæ. « Omnis autem servus emptitius « circumcidetur, et sic comedet. » Quis est iste servus emptitius? dicat Apostolus : « Empti enim estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI, 20). » Nos ergo sumus servi emptitii, quoniam nobis ista dicuntur. Nobis igitur hunc Agnum comedere licet, sic tamen, si prius circumcidamur : nostra autem circumcisio non in solo præputio, sed in cunctis membris exigitur; nam et Moyses incircumcisum labiis se esse, superius conquestus est. Qualiter autem omnia membra circumcidantur, in Genesi exposuimus, cum de Abrahæ circumcisione tractaremus.

« Advena, et mercenarius non comedent ex eo. » Advena enim est omnis homo, quem Ecclesia non D genuit; mercenarius autem, qui non sincero affectu, neque pro salute animæ, sed pro mercede, et lucro Domino servit, de quibus Dominus ait : « Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est (*Joan.* X, 13). » Si ergo mali pastores mercenarii sunt, mercenario autem de hoc Agno edere non licet, quomodo malis pastoribus edere licebit, quod edere non licet? In una domo comedetis, nec deferetis de carnibus ejus foras; nec os illius confringetis. Si enim per domos, et familias, ut superius dixit, tollitur Agnus, quomodo in una domo comeditur? Una enim domus Ecclesia est, extra quam non est veri sacrificii locus. Et quoniam scriptum est: « Nolite dare sanctum canibus (*Matth.* VII, 6); » ideo hic dicitur : « Non deferetis de carnibus ejus foras. » Quod autem sequitur : « Nec os illius confringetis, » beatus Joannes evangelista exposuit, dicens : « Et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui cum eo crucifixus est. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo (*Joan.* XIX, 32 et 33). »

« Omnis cœtus filiorum Israel faciet istud. Quod « si quis peregrinorum in vestram voluerit transire « coloniam, et facere Phase Domini, circumcidetur « prius omne masculinum ejus, et tunc rite cele- « brabit, eritque sicut indigena terræ. Si quis « autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. « Eadem lex erit indigenæ, et colono qui peregri- « natur apud vos. » Constat ergo, quia non dignitate gentis, sed merito sanctitatis homo vel abjicitur, vel eligitur; non enim Judæorum Deus tantum, sed et gentium. Quicunque ergo in sanctorum coloniam et societatem transire, et nova circumcisione circumcidi, et baptizari volunt, accedant ad carnes agni, et comedant. Notandum est autem quia ipsa die, qua agnus comeditur, exit populus de Ægypto, quoniam nulla est participatio luci ad tenebras, neque Christo ad Belial (*II Cor.* VI, 15).

CAPUT XIII.

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : San- « ctifica mihi omne primogenitum, quod aperit « vulvam in filiis Israel tam de hominibus quam « de jumentis; mea sunt enim omnia. » Nam quia noviter omnia primogenita Ægyptiorum Dominus occiderat, idcirco omnia primogenita filiorum Israel sibi dedicavit, ut nunquam de eorum memoria laberetur, primogenita Ægypti fuisse deleta. Et ait Moyses ad populum : « Hodie egredimini mense « novarum frugum; » quoniam primum terra gelu soluta novam herbam incipit producere. « Venietis « in terram fluentem lacte et melle; » quæ propter hoc quod terram viventium **63** significat, omni terra fertilior est. « Ibi celebrabitis hunc morem « sacrorum mense isto; septem diebus comedetis « azyma, nec erit aliquid fermentatum in domibus « vestris. » Hoc autem quid significet, sufficienter dictum est. Sequitur :

« Et narrabit hæc filio suo in die illa, dicens : « Hoc est, quod fecit mihi Dominus, cum egressus « sum de Ægypto, et erit quasi signum in manu tua, « et quasi monumentum appensum ante oculos « tuos. » Quod enim manu tenemus, et ante oculos habemus, non facile obliviscimur. « Cumque introduxerit te Dominus in terram, de qua juravit « tibi, separabis omne primogenitum Domino, « quidquid fuerit sexus masculini. Primogenitum « agni mutabis ove; quod si non redemeris, inter- « ficietur. » Primogenitum namque agni ove mutamus, quando stultum aliquem, et indisciplinatum arguendo, increpando, observando, et admonendo ad ovinam simplicitatem convertimus. Hic vero si non redimitur, interficietur, qui si pœnitentiam non

Digitized by Google

egerit, et Ecclesiæ doctoribus non crediderit, morte morietur. « Omne autem primogenitum hominis de « filiis tuis pretio redimes. » Hominis enim primogenitum fides est, sine qua impossibile est placere Deo. Hæc autem omnium virtutum prima in mentibus fidelium nascitur : hæc prima a sacerdotibus in Christianorum cordibus gignitur; sed quia fides sine operibus mortua est, ut pretio redimatur, necesse est. Baptizatus es? fidem habes : cessas a bono opere? morfitur fides tua. Si ergo in iis, qui a bonis operibus cessant, fides otiosa et mortua est, quanto magis in homicidis, adulteris, sacrilegis et in ipsis perjuris fides mortua credenda est? Apostolus enim dicit : « Qui enim suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior (*I Tim.* v, 8). » Non ergo semel, sed multoties fides redimenda est, quæ nisi redimeretur, cum toties mori videamus, perpauci essent, quibus eam semel emisse sufficeret. Inde autem maximas gratias Deo agere debemus, qui nobis hanc legem de redimendo charissimo primogenito nostro instituit, quem si non habeamus, ei placere non possumus. Redimat ergo; sed quando? Post unum mensem; post unum namque mensem offerebantur primogeniti Domino; post unum ergo mensem redimi debent. Quæ enim redimimus, nostra fuisse monstramus. Postquam ergo offerimus fidem nostram, si propter peccata a nobis alienata fuerit, tunc redimenda est. Sed quanto pretio? Quinque utique siclis argenti. Ego quinque siclos argenti, quinque corporis sensus intelligo, qui tunc quidem argentei sunt, quando pro sua pietate digni fiunt ut in Dei thesauros reponantur. Quinque igitur siclis fides redimitur, quia et si peccator fuerit homo, postquam tamen omnibus viribus mentis et corporis, postquam interioribus et exterioribus sensibus Deo servire cœperit, jam non infidelis vocabitur. Vivant ergo Deo, et nunquam moriantur primogenita nostra ei, qui primogenita Ægyptiorum propter nos interfecit.

Noluit autem Dominus ducere populum per terram Philisthinorum, quæ vicina est, ne forte si bellum insurgeret contra eum, cito reverterentur in Ægyptum, sed circumduxit eos per desertum longo itinere. Per hoc enim significare voluit, quia non brevis, neque facilis via est, quæ ad patriam ducit, sed per multas tribulationes oportet nos intrare in regna cœlorum. Denique quanto plus in Dei servitio excitati longius ab hoc mundo recedimus, tanto minus vitiorum insurgentium bella timemus. Si vero in terram Philisthiim venientes, quæ Ægyptiis vicina est, ebrietati et voluptati operam damus (Philisthiim namque *cadentes poculo* interpretantur), facile quidem in prælio victi revertimur in Ægyptum. Quod autem filii Israel armati ascenderunt de Ægypto, significatio est, quia ex quo mundum relinquimus, semper contra vitia et malignos spiritus a dextris et a sinistris armati pugnare debemus. Sequitur :

« Nunquam defuit columna nubis per diem, neque « columna ignis coram populo per noctem. » Altera enim eos a solis ardore, altera vero a tenebris defendebat. Hæc autem columna sancti Spiritus gratia est, quæ nos et a vitiorum æstu defendit, et ne errorum tenebris involvamur, illuminat. De hac enim columna dicitur ad beatam Mariam : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I, 35). » Profectique de Sochot, castrametati sunt in Ethan in extremis finibus solitudinis. Ethan namque *insipiens navigationem* interpretatur. Merito igitur de Sochot, id est de tabernaculis venitur in Ethan, quia postquam ad Ecclesiam homo veniens baptizatus est, non otiosus sedere, sed per hujus maris pericula cum apostolis navigare debet; positusque adhuc in extremis finibus solitudinis, quoniam ad deserti loca periculosa nondum pervenit, præparare incipiat animam suam ad tentationem

CAPUT XIV.

Profectique filii Israel venerant e regione Atharoth, quæ est inter Magdalum et mare, contra Beelsephon. Atharoth interpretatur *corona*, Magdalus *turris*, Beelsephon *habens speculam*. Venit igitur populus de Ethan in Atharoth, quia jam cœpta navigatione, quibusdam virtutum gradibus proficiens, venit ad coronam, sperans, si necesse fuerit, mori posse pro nomine Christi. Est autem hæc corona inter Magdalum et mare, id est 64 inter fidem et baptismum, quoniam per fidei fortitudinem et per baptismi gratiam pervenitur in coronam. Respicit contra Beelsephon, quia Dei populus speculatorum Ecclesiæ recordatus, nunquam sanctæ prædicationis obliviscitur, ideoque non timet eos, qui occidunt corpus, quia animam non possunt occidere.

Nuntiatum est autem Pharaoni quod fugisset populus Israel, immutatumque est cor ejus; persecutusque est Israel cum omni exercitu Ægyptiorum. Quos cum vidissent Hebræi, timuerunt valde. Dixitque Dominus ad Moysen : Quid clamas ad me? Eleva virgam, et extende manum tuam super mare, et divide illud. Quod cum fecisset Moyses, divisum atque siccatum est mare, et ingressi sunt filii Israel per medium maris sicci. Erat autem aqua quasi murus a dextris et a sinistris. Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos. Angelus autem Domini, qui præcedebat castra filiorum Israel, posuit se medium simul cum nube inter Ægyptios et Hebræos, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. Jamque advenerat vigilia matutina, et jubente Domino, Moyses supra mare manum extendit, reversæque sunt aquæ ad priorem locum, omnesque Ægyptii mortui sunt. Quid enim Pharao cum omni exercitu Ægyptiorum; nisi diabolus cum omni militia dæmoniorum? Quid autem Hebræi, nisi Christianorum populus? Quid vero mare Rubrum nisi baptismatis aqua intelligitur? Persequuntur ergo Ægyptii Hebræos, ibique moriuntur, quoniam vitia, et maligni spiritus usque ad baptismum Christianos persequentes, viribus amissis, pereunt et deficiunt.

Digitized by Google

Tunc cecinit Moyses, et filii Israel carmen hoc Domino, et dixerunt.

CAPUT XV.

« Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus « est (206), » tam potenter destruens inimicos. « Equum et ascensorem projecit in mare. » Equus superbia est, ascensor diabolus; hoc enim equo elevatus, furibundus in bellum ruit, omnisque ejus exercitus hoc equo in omnia facinora præcipitatur. « Fortitudo mea, et laus mea Dominus, » per quem fortis et laudabilis sum. « Et factus est mihi in sa- « lutem, » suo sanguine me salvans et liberans. « Iste Deus meus, et glorificabo (207). Dominus « quasi vir pugnator. » Ubique pro nobis certat (208) et vincit. Omnipotens nomen ejus, cui nihil impossibile est. « Currus Pharaonis, » de quo modo diximus, « et exercitum ejus, » omnium vitiorum scilicet multitudinem, « projecit in mare, » id est perdidit in baptismo. Quot enim sunt vitia, tot sunt et currus, quibus diabolus fertur. « Electi principes « ejus submersi sunt in mari Rubro, » quoniam originale peccatum, et idololatria in baptismo perierunt. « Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profun- « dum quasi lapis, » ut ultra non appareant. Cætera vero transcurrimus, quia expositione non indigent. « Ascenderunt populi, et irati sunt. » Prophetia est de futuro : ascenderunt enim populi, de quibus in sequentibus dicetur, contra eos ad pugnandum. « Et « irati sunt : » quia, quamvis fortiori exercitu et majori apparatu, eis tamen resistere non valebant. « Dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim ; » videntes gentem insuperabilem insurgentem adversum se. « Tunc conturbati sunt principes Edom, » hujus populi fortitudinem audientes : « robustos « Moab obtinuit tremor; » prope jam de salute desperantes. « Obriguerunt omnes habitatores Cha- « naan, » plusquam febrium terrore percussi. Unde Moyses lætabundus et jubilans ait : « Sic, Domine, « sic fiat semper; Irruat super eos formido, et pa- « vor in magnitudine brachii tui. Fiant immobiles « quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Do- « mine, donec pertranseat populus tuus iste, « quem possedisti. Introduces eos, et plantabis in « monte hæreditatis tuæ, » de qua jurasti patribus nostris. « Firmissimo habitaculo tuo, quod operatus « es, Domine. » Hoc autem magis ad supernam Jerusalem, quam ad hanc pertinere videtur, in quam Dei populus est introducendus. De qua adhuc subditur : « Sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt « manus tuæ, » per quod cœlum intelligitur, ubi sunt Sancta sanctorum. « Dominus regnabit in æternum et « ultra; » hoc quomodo vel dici vel cogitari possit? « Do- « minus regnabit in æternum, et ultra : » quid dicam? In æternum dixi, quid ultra dicere non habeo : si quid ultra æternum scissem, ultra æternum aliquid dixissem. Dixi ergo : « Dominus regnabit in æternum. » Quid est in æternum? semper, et sine fine. « Ingressus est « enim eques Pharao cum curribus, et equitibus « ejus in mare ; » insultatio est, « et reduxit super « eos Dominus aquas maris. Filii autem Israel am- « bulaverunt per siccum in medio ejus. » Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu, egressæque omnes mulieres post eum cum tympanis et choris, quibus pertinebat, dicens : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus « est; equum et ascensorem projecit in mare. » Quid enim Maria nisi S. Ecclesia intelligitur? Hæc autem in tympano cantat, quia in carnis maceratione Deum laudat. Nam quia ex mortuorum animalium pellibus tympana fiunt, ideo pro carnis mortificatione sæpe ponuntur. Hanc autem cæteræ mulieres cum tympanis et choris sequuntur, quoniam et ipsæ carnem domant, pulchroque 65 et regulari ordine vitæ Domino serviunt; in choro enim et ordinate statur, et consonanter canitur. De his autem mulieribus Psalmista dicit : « Adducentur regi virgines post eam (*Psal.* XLIV, 15) ; » id est post Mariam; ab hac namque nostræ virginis nomen deductum est; quæ, quoniam post filium suum, totius Ecclesiæ caput est, non immerito cæteræ tympanistæ eam tympanizantem sequuntur.

« Tulit autem Moyses et Aaron Israel de medio « mari Rubro, et ingressi sunt in desertum Sur. » Quid est autem, quod Israel mox ut de mari exivit, in desertum venit, nisi quia Christianorum populus statim ut baptizatus est, arctam et periculosam viam ingreditur, et ad sui Salvatoris similitudinem a diabolo tentatur? Sic enim et Christus de baptismo ducitur in desertum, ut a diabolo tentaretur. Quod autem mare Rubrum baptismum significet, Apostolus manifestat, dicens : « Et omnes baptizati sunt in nube, et in mari (*I Cor.* X, 1). » Quid est in nube et in mari, nisi in aqua et spiritu? « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum (*Joan.* III, 5). »

« Ambulaverunt que tribus diebus per solitudinem, « et non invenerunt aquam, et venerunt in Marath, « nec poterant bibere aquas de Marath, eo quod « essent amaræ, et ostendit Dominus Moysi lignum, « quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ « sunt. » Tres namque ætates ab Abraham usque ad Christum, quas per hos tres dies intelligimus, in quibus populus per solitudinem, per terram invian et inaquosam gradiens, aquas invenire non potuit. Nondum enim venerat ille, qui ait : « Si quis sitit, veniat, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 37). » Habebant enim Hebræi aquas, sed non inveniebant; quia tenentes legem non intelligebant. Tandem ergo tertia die transacta, id est tertia ætate venerunt in Marath, venerunt ad montem Myrrhæ, et ad collem Thuris, venerunt ad locum, et ad tempus amaritudinis, quando Dominus est cru-

(206) Cod. Mont. Amiat. *'gloriose enim honorificatus est.*

(207) Cod. S. Cr. Laurent. *Et glorificabo eum. Deus patris mei, et exaltabo eum.*

(208) Cod. Casin. *pro nobis certat, et pugnat vincens.*

Digitized by Google

cifixus : ibi invenerunt aquas ; quia « de latere ejus exivit sanguis, et aqua (*Joan.* xviii, 34). » Tunc velum templi scissum est, et Scripturæ apertæ sunt. Et istæ quidem sunt aquæ, quæ quoniam prius amaræ erant, ideo populus bibere non poterat. Misit ergo Moyses lignum in eas, et in dulcedinem versæ sunt. Lignum hoc, lignum crucis est, hoc enim omnis aqua (209), omnis Scripturarum amaritudo in dulcedinem vertitur. Cum enim Scriptura dicat : « Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos (*Luc.* vi, 27) ; » cui hæc aqua non videtur esse amara? quis eam potare et suscipere velit? Memores tamen crucis Christi, memores Christi passionis, qui pro impiis mortuus est, et pro iniquis et peccatoribus exoravit, magistri exemplum sequimur, dulcescunt aquæ, inimicos diligimus, et pro persecutoribus oramus. Ideo enim semper crucem portare præcipimur ut ipsius semper memores, nihil amarum et impossibile divinæ Scripturæ nobis præcipere videantur ; nihil enim nobis præcipiunt quod sit amarius cruce Christi ; legis enim amaritudo vincatur amaritudine crucis, et Christi tormenta considerantes, tormenta hæc transitoria non sentiamus. Sic igitur omnes aquæ dulcescunt, quæ cum ligno potatæ fuerint. Merito autem, transfretato mari, populus venit in Marath, quia statim baptizatus Christi compungitur passione, et quæ prius amara videbantur, desiderio bibendi, dulcia reputat. Ibi constituit ei præcepta atque judicia, et ibi tentavit eum. Ubi? In Marath, id est in aquis amaris, quæ ligno crucis dulces factæ sunt. Ubi enim, nisi in sacris voluminibus constituuntur præcepta atque judicia? Ibi enim et instruimur et judicamur, ibique a Deo tentamur, inde tentationis præcepta ferimus, quibus obedientes coronamur, inobedientes damnamur.

« Venerunt autem in Elim, ubi erant duodecim « fontes aquarum, et septuaginta palmæ, et castra- « metati sunt juxta aquas. » De Marath namque veniunt in Elim, quod interpretatur *aries*, quia post Christi passionem, apostolos Ecclesia suscepit doctores. Duodecim autem fontes aquarum et septuaginta palmæ, duodecim apostoli et septuaginta Christi discipuli intelliguntur ; de his enim fontibus aqua manavit, quibus totus mundus reficitur, et irrigatur (210). Quoniam autem palmæ victoriam significant, merito palmæ illi vocantur, qui per fidem vicerunt regna. Christi autem discipuli duodecim, et septuaginta duo fuerunt ; quatenus duodenarius numerus septies compleretur, ut ipso quoque numero, omni gratia Spiritus sancti eos repletos fuisse intelligamus.

(209) Apud S. August., q. 56, in Exod., aqua illa vocatur *Merra*, eo quod amara, et inquit ex injecto in eam ligno, dulcis facta, quod lignum gloriam, et gratiam crucis Christi præfigurabat. Eamdem interpretationem habet S. Maximus homil. 3. De Quadrag., pag. 116, de qua hæc pauca feram : *Austeritatem, quam noxia unda gestabat, ligni abstulit sacramentum.*

CAPUT XVI.

« Profectique sunt de Eli, et venit omnis multi- « tudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est « inter Elim et Sinai. » Sin etenim *amphora* interpretatur, per quam mensura intelligitur. Merito igitur de Eli venit populus in desertum Sin, quoniam postquam ad apostolos Ecclesia venit, qua mensura viveret, 66 invenit ; audivit enim Evangelium, ubi dicitur : « Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* vii, 2). »

Sequitur autem de eo, quod populus murmuravit, dicens : « Utinam mortui essemus per manum Do- « mini in terra Ægypti, quando sedebamus super « ollas carnium, et comedebamus panem in saturi- « tate. Et dixit Dominus ad Moysen : Ecce ego « pluam panes de cœlo ; colligat ex eo unusquisque « quantum sufficiat ad vescendum gomor per sin- « gula capita : die autem sexto colligant duplum, « quam colligere solebant per singulos dies. » Murmuravit populus exasperans et incredulus, et quamvis multa armenta bovum et greges ovium habeat, tamen sibi propter carnes mortem exoptat, desiderabat enim avium carnes, quibus in Ægypto uti solebat. Aves enim in Ægypto, et circa Nilum multum abundant. Unde lautiores cibos (211) appetere, nemo dubitet esse peccatum. Datur autem unum gomor per singula capita, ut et natura se pares intelligant, et his tantum, quæ sibi sufficiant, contenti vivant, neque de crastino cogitantes plus colligant ; quia neque qui plus collegerat habebat amplius, neque qui minus, habuit minus. Et melius quidem est minus colligere, et abundare, quam plus, et inutiliter fatigari. Die enim sexta duplum colligitur, quia die septima non invenitur. Nam et nos modo parare debemus, unde post hanc vitam in sabbatismo vivere valeamus (212).

« Dixitque Dominus ad Moysen Loquere filiis « Israel : Vespere comedetis carnes, et mane satu- « rabimini panibus, scietisque quod sim Dominus « Deus vester. Factum est ergo vespere, et ascendens « coturnix operuit castra : mane quoque ros jacuit « per circuitum castrorum, cumque operuisset su- « perficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, « et quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super « terram. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt « ad invicem : Manhu? quod significat, quid est « hoc? ignorabant enim quid esset. » Carnes enim hoc in loco, et panes idem significant. Divina namque Scriptura, et caro, et panis est ; caro quidem quantum ad litteram ; panis vero secundum spiritualem intelligentiam. Unde et Elias vespere carnes,

(210) Consonat Bruno S. Maximo Taurin. qui, hom. 5 De Quadrag., hunc eumdem locum eloquentissime illustrat et exponit.

(211) Cod. S. crucis in Laurent. *lautiores escas.*

(212) Idem codex addit. *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Galat. vi, 7.

Digitized by Google

mane vero panes suscepit, quia prius juxta litteram, postea vero secundum spiritum Scripturæ intelliguntur. Nam et panis de cœlo descendit; aves vero de terra ascenderunt : et quia non est difficilis, altæque scientiæ juxta litteram Scripturas intelligere, inde prope terram aves volasse referuntur. Illud quoque attendendum, quod usque hodie dum Scripturas legimus, *manna* dicere non cessamus : nam per unamquamque sententiam interrogantes, dicimus : Quid est hoc? Quid hoc significat? Quid *hoc* vel *illud* interpretatur? Fertur autem et hic panis pro utentium voluntate omnis saporis fuisse, per quod dabatur intelligi, quia divina Scriptura multis diversisque modis intelligenda esset. Nam et ipsi quoque hæretici ad suum sensum eam convertunt. Principalis tamen ejus gustus quasi similæ cum melle erat. Quid enim melle dulcius? Quid tritico pane robustius? Sanus ergo intellectus Scripturarum, et dulcis ad gustandum, et fortis ad alendum et roborandum esse debet : infirmus enim cibus, infirmos nutrit humores. Quod vero ad mensuram gomor manna colligebatur, hoc est quod Apostolus ait : « Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* XII, 3). » Sanus namque sensus mensuram non excedit, hæreticus autem in mensura non continetur. Semper enim alta hæretici dicunt, et fidei mensuram excedentes, terminos a patribus constitutos transgrediuntur. Tantum enim unicuique de hoc pane colligere licet, quantum ei in cibo quotidiano sufficere possit. Hoc enim et nos Dominus orare jussit : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Matth.* VI, 11), » quod quidem nihil aliud significat, nisi ut fides nostra catholica, sola veritate contenta, cuncta superflua a se repellat. Verbum enim abbreviatum posuit Deus super terram. Quod vero superfluum erat, id est quod in diem alteram servabatur, scatebat vermibus et putrefiebat, et sole incalescente liquefiebat; quoniam omnis hæreticorum superflua scientia, veritatis lumine illustrata evanescit et deficit. Præcipitur ergo ut nihil ex eo relinquat usque mane, quia quod relinquitur superfluum est. Et melius quidem est ut in campis liquefiat, quam ut collectum putrefiat; quoniam melius est divinam Scripturam in sacris voluminibus otiosam manere, quam in hæreticorum cordibus collectam prava intelligentia sordere. Quid est autem quod in sexta die colligitur, unde in septimana vivitur, nisi quia hac in vita præparare debemus, unde in futura vivamus? Præcipitur autem Moysi, ut ex eo impleat gomor, et reponat coram Domino, servetque illud in memoriam in omnes generationes, per quod nimirum intelligere possumus, quia sana et spiritualis intelligentia Scripturarum nulla unquam generatione sit evacuanda. « Cœlum et terra transibunt, Dei autem verba non præteribunt (*Matth.* XXIV, 35). »

Filii autem Israel comederunt manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem. Quid enim per quadraginta annos, nisi utriusque testamenti opera intelligimus? Hic enim numerus ex decem et quatuor constat, de eo namque quatuor, vel quatuor decem quadraginta fiunt; 67 per decem omne illud tempus intelligitur, in quo Vetus Testamentum ad litteram observabatur; per quatuor vero hoc, in quo quatuor Evangeliorum fides tenetur. Comederunt ergo filii Israel manna quadraginta annis, quia sancti et spirituales viri, spiritualiter et in Novo et in Veteri Testamento Scripturas intellexerunt. Hic autem cibus non deficiet, donec in terram habitabilem et in terram viventium veniamus, quia postquam illic venerimus, jam nobis Scripturæ amplius non erunt necessariæ. Erit enim Deus omnia in omnibus. Unde Apostolus : « Sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. (*I Cor.* XIII, 8). »

CAPUT XVII.

« Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel « de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem « Domini castrametata est in Raphidim, ubi non « erat aqua ad bibendum populo, qui jurgatus con- « tra Moysen petivit aquam. » Raphidim namque interpretatur *sanitas judicii*. Sanum autem judicium est : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum, sicut te ipsum (*Matth.* XXII, 37). » — « Et quod tibi non vis, alteri ne feceris (*Tob.* IV, 16), » et similia. De deserto ergo Sin venit populus in Raphidim, quia postquam ab apostolis vivendi mensuram accepit, et eadem mensura, qua mensus fuerit, sibi quoque remetiendum esse cognovit, mox ad sanum judicium conversus, Deum et proximum diligere nullique hominum nocere disposuit (213). Cibi autem potusque penuria, quam tunc corporaliter populus patiebatur, eam quam nunc spiritualiter homines patiuntur significabat, de qua Dominus quibusdam comminatur, dicens : « Immittam vobis famem et sitim, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini (*Amos* VIII, 11). » Unde in Ezechiele dicitur : « Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, nec poteris loqui, quia domus exasperans est (*Ezech.* II, 6). » Propter peccata namque populi sæpe silet lingua doctorum. De plebe quoque Judaica sub vineæ specie a Domino dicitur : « Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem (*Isai.* V, 6). »

« Et ait Dominus ad Moysen : Antecede populum, « et sume virgam in manu tua, et vade; en ego « stabo coram te ibi supra petram Oreb, percutiesque petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecitque Moyses ita coram senioribus Israel. » Quod autem et hæc, et ea, quæ superius dicta sunt, spiritualiter intelligi debeant, Apostolus manifestat, dicens : « Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt; bibebant au-

(213) Ex cod. Casin. corrigitur editio.

Digitized by Google

tem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus (*I Cor.* x, 1). » Quis autem igitur ad litteram ea intelliget, quæ Apostolus spiritualia esse dicit? Venit ergo Moyses cum omni multitudine filiorum Israel ad petram, quoniam principes sacerdotum cum tota populi multitudine tenuerunt Christum. Stabat autem Dominus ibi coram populo super petram, nec videbatur, quoniam Deus manens in homine non cognoscebatur. Sed quid per virgam, qua petra bis percutitur, nisi arundinem et lanceam intelligimus? Semel autem petra nostra arundine percussa non dedit aquas; iterum autem lancea percussa est, et exivit sanguis et aqua. Sunt autem, qui per duplicem virgæ hujus percussionem duo crucis ligna intelligere velint. Et vocavit nomen loci illius tentatio, propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum dicentes: « Estne Deus « in nobis, an non? » sic et Judæi tentantes Christum dicebant: « Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* x, 25). » Item: « Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credimus ei (*Matth.* xxvii, 43). » Et rursum: « Si tu es rex Judæorum, salvum te fac (*Luc.* xxiii, 37). » His enim verbis quid aliud significabant, nisi: « Est Deus in nobis, an non? » Vere non est Deus in vobis, quia Deum repellitis a vobis. Et sicut ipse ait: « Relinquitur vobis domus vestra deserta (*Matth.* xxiii, 38). » Erat tamen Deus in vobis, quia Deus erat, qui inter vos manens loquebatur vobis.

« Venit autem Amalec, et pugnabat contra Israel « in Raphidim. Dixitque ad Josue: Elige viros, et « egressus pugna contra Amalec. Moyses autem, et « Aaron, et Hur ascenderunt super verticem collis, « cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel, si « autem paululum remisisset, superabat Amalec. » Quid enim Amalec, qui *populus brutus* interpretatur, nisi vitiorum multitudinem significat? Contra hæc autem Josue minister Moysi cum viris electis pugnat, quia sancti et catholici viri semper contra vitia bellum gerunt. Stat autem Moyses in vertice collis, virgam Dei in manu tenens, quia episcopi, populique rectores in altioribus Ecclesiæ soliis constituti, virgam correctionis et directionis manibus ferunt. Levat autem Moyses manus, et vincit Israel; levant sacerdotes et episcopi puras manus cum precibus ad Deum, et victoria datur fidelibus; remittit Moyses manus, et superat Amalec; cessant ab orationibus sancti, et regnant in populo vitia et peccata (214). His autem facile intelligitur quam necessarium sit, Ecclesiæ rectores semper pro populo Dominum exorare. Unde Apostolus ait: « Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem 68 pro animabus vestris reddituri (*Heb.* xiii, 17). » Manus autem Moysi erant graves. « Sumentes ergo lapidem posuerunt subter eum, quo « sedit. Aaron autem et Hur sustentabant manus « ejus ex utraque parte, et factum est ut manus « illius non lassarentur usque ad occasum solis. »

A Manus, inquit, Moysi erant graves, quoniam et sacerdotum manus peccatorum pondere sæpe gravantur. Multum enim maligni spiritus in hoc laborant, ut sanctorum orationes et manus impediant. Hoc autem Aaron et Hur sentientes lapidem posuerunt subter eum, quo sedit Moyses, quatenus supra firmam petram firmatus, stabilis et inconcussus permaneat. Sed quid per Aaron, qui *mons fortis* interpretatur, nisi illum intelligimus, de quo dicitur: « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio? » (*Psal.* xxiii, 8.) Quid vero per Hur, qui *ignis* dicitur, nisi Spiritus sanctus, qui in igne discipulis apparuit? Merito igitur Aaron, et Hur Moysi manus sustentant, ne lassentur, quoniam quod sanctorum manus, virtutes et opera stant, neque B ruant, hoc Christus, Dominus noster, et sancti Spiritus gratia operatur. Factum est igitur ut manus Moysi non lassarentur usque ad occasum solis, quoniam quem Christus, et Spiritus sancti gratia sustentat, sine omni lassitudine usque ad mortem in bonis operibus perseverat. Per solis occasum diei et vitæ terminum intelligimus. Beatus ille, cujus manus talibus adjutoribus sustentantur. Fugavitque Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii. Quod tamen Josue vincit, quod vitia, et maligni spiritus superantur, non Josue, sed Moysi, non populo, sed sanctorum orationibus ascribendum est. Unde et subditur: « Scribe hoc ad monumentum in libro, et trade in « auribus Josue; delebo enim memoriam Amalec « sub cœlo. » Ideo enim hoc in libro scribi, et C memoriæ commendari, et in auribus Josue tradi præcipitur, ut quicunque ad similitudinem Josue spirituales vincat inimicos, non sibi, sed sanctorum meritis et orationibus, et Deo miseranti et adjuvanti victoriam imputet; ipse enim pugnat, et vincit; ipse memoriam Amalec sub cœlo delet; ipse vitiorum multitudinem destruit. « Ædificavitque « Moyses altare, et vocavit nomen ejus Dominus « exauditio mea, dicens: Quia manus soliI Do« mini, et bellum Dei erit contra Amalec a genera« tione in generationem. » Merito enim Moyses post victoriam Domino altare constituit, ut ei gratias agat, qui eum exaudiens victoriæ tribuit facultatem; inde autem et altari nomen imposuit: « Dominus « exauditio mea, » id est Dominus exaudivit me; D atque addit protinus: « Quia manus soliI Domini, » id est virtus, et fortitudo sanctorum, in quibus, quasi in propria sede Dominus sedet, et habitat: « et bellum Dei erit contra Amalec, » id est contra vitia et malignos spiritus a generatione in generationem, quia pacem et concordiam nunquam inter se habebunt.

CAPUT XVIII.

« Cumque audisset Jethro sacerdos Madian cogna« tus Moysi omnia, quæ fecerat Dominus Moysi, et « Israel populo suo, tulit Sephoram uxorem Moysi, « quam remiserat, et duos filios ejus, et duxit eos « ad Moysen, qui mutuo se salutantes lætati sunt. »

(214) S. Maximus Taurinen. hom. 2 De cruce, eumdem Scripturæ locum similiter interpretatur.

Digitized by Google

Obtulit autem Jethro holocausta, et hostias Domino, deditque consilium Moysi, ut constitueret tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicarent populum, tales videlicet, qui potentes essent et timerent Dominum, in quibus esset veritas, et odissent avaritiam; ipse vero majoribus negotiis operam daret. Fecitque Moyses, ut ille suggesserat. Quod enim Moyses, qui assidue cum Domino loquebatur, utile consilium Jethro cognati, quamvis gentilis, non respuerit, viris ecclesiasticis, et in sublimitate constitutis exemplum præbuit, ut minoribus, quamvis peccatoribus, bona et utilia suadentibus credere non dedignentur. Unde et Apostolus ait: « Non alta sapientes, sed humilibus consentientes (*Rom.* XII, 16). » Quales autem judices esse debeant, satis compendioso sermone comprehendit, dum eos potentes, dominumque timentes, veraces et sine avaritia eligi admonet. Impeditur enim multumque turbatur rectum judicium, ubi ex his unum aliquid defuerit. Quod vero Christiani non passim, nec temere omnibus communicare debeant, ex hoc facile intelligitur, quia non prius Jethro cum senioribus filiorum Israel cibum sumpsit quam holocausta et hostias Domino obtulerit. Unde et beatus Joannes ait: « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit illi Ave, communicat operibus illius malignis (*II Joan.* I, 10-12). »

CAPUT XIX.

« Mense tertio egressionis Israel de Ægypto(215) « in die hac venerunt in solitudinem Sinai. Nam « profecti de Raphidim, et pervenientes usque in « desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco. « Ibique Israel fixit tentoria e regione montis. » Eadem, inquit, die qua Jethro recessit ab eis, filii Israel profecti de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai. Raphidim namque, ut diximus, *sanitas judicii* interpretatur. Venit ergo populus de Raphidim in desertum Sinai, quia, postquam viri ecclesiastici, sanum judicium suscipientes, Dei mandata custodire promittunt, ad majora deducuntur, ut et Deum loquentem audiant, et Spiritus sancti gratias 69 plenius suscipiant. In Sinai enim filii Israel legem susceperunt, et Deum in nube et caligine loquentem audierunt. « Moyses autem ascendit « ad montem. Vocavitque eum Dominus de monte, « et ait : Hæc dices filiis Israel : Vos ipsi vidistis « quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos « super alas aquilarum, et assumpserim mihi. » « Quod enim super alas aquilarum filios Israel Deus portaverit, verum non est, nisi fortasse metaphorice intelligatur. Nam quoniam aquilæ præ cæteris avibus altius volant, inde super alas aquilarum elevati fuisse dicuntur, quod eos terrena pericula lædere non potuerunt. « Si ergo audieritis « vocem meam, et custodieritis pactum meum, « eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea « est enim omnis terra, » quoniam quasi proprios, et peculiares præ cæteris gentibus vos magis diligam. Et quamvis mea sit omnis terra, attamen vos soli eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta, quia non diabolus, non vitia, neque tyranni, sed Spiritus sanctus, sacerdotes, et virtutes super vos, et in vobis regnabunt.

« Venit Moyses, et convocatis majoribus natu « populi, exposuit eis omnes sermones, quos mandaverat Dominus. Responditque universus populus « simul : Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. » Omnia enim, quæ illi populo dicebantur, nobis dicta esse intelligere debemus (216). Nos enim, si volumus ipso adjuvante gens sancta sumus et regnum sacerdotale, diabolo et operibus ejus abrenuntiantes, Deo fideliter servire promisimus. Teneamus ergo fidem, servemus promissa, quia propitium et veracem Dominum habemus, cui nos servisse non pœnitebit. « Cumque retulisset Moyses « verba populi ad Dominum, ait ei, dicens : Jam « nunc veniam ad te in caligine nubis ut audiat me « populus loquentem ad te, et credat tibi in perpe« tuum. » Quod enim in caligine nubis cum Moyse Dominus loquebatur, jam tunc suæ incarnationis mysterium significabat. Sicut enim tunc Moysi loquebatur, sed nubis caligine tectus non videbatur, ita et postea cum Judæis loquens carnis velamine tectus videri non potuit. De hac enim nube scriptum est : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (*Isai.* XIX, 1). »

« Et dixit Dominus ad Moysen : Vade ad populum, « et sanctifica illos hodie, et cras, laventque vesti« menta sua. Et sint parati ad diem tertium, die « autem tertia descendet Dominus coram omni plebe « super montem Sinai. Constituesque terminos per « circuitum, et dices ad eos : Cavete ne ascendatis « in montem, nec tangatis fines illius. » Quid enim per hodie et cras, nisi præsens et tempus futurum intelligimus? Qui igitur hodie et cras sanctificatur, omni tempore sanctificatur. Vestimenta vero lavare, est a peccatorum sordibus carnem mundare. Nam quia carne anima vestitur, ideo vestimenta carnem significant. De his enim vestimentis dicitur : « Omni tempore sint vestimenta tua candida (*Eccle.* IX, 8). » Tertius vero dies, tertius post agni immolationem mensis intelligitur, quo et tunc Dominus super montem Sinai, et postea Spiritus sanctus super Christi discipulos descendens, omnis scientiæ plenitudine fecit eos esse perfectos. Constituuntur autem termini supra montem Sinai, quoniam et mons Sion suos terminos habet, ultra quos eos qui vocati sunt accedere non licet. Quod enim Sinai hoc in loco Sion significet, audi Apostolum dicentem : « Non enim accessistis ad tractabilem montem et accensibilem ignem, et turbinem, ac caliginem; sed accessistis

(215) Vulgata habet *de terra Ægypti.*

(216) Hæc ad dicta Apostoli, Rom. XV, referuntur. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Multo enim majoribus, donis quam Hebræi a Deo cumulati omnem fidem et obedientiam ei præstare studeamus.

Digitized by Google

ad Sion montem, et civitatem Dei viventis (217) (*Hab.* XII, 18). » Qui enim non vocatus ad gradus et honores ecclesiasticos ascendere nititur, ille procul dubio ad interdictos terminos montis accedit, morte morietur. Unde et subditur : « Omnis enim qui « tetigerit montem, morte morietur. Manus non « tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut con- « fodietur jaculis, sive jumentum fuerit, sive homo, « non vivet. Cum cœperit clangere buccina, tunc « ascendant in montem. » Quæ enim prope sunt, manu tanguntur; quæ vero longe, aut lapidibus, aut jaculis feriuntur; per quod non in præsenti, sed in futuro contra hos tales judicandum esse significat, quasi enim de longinquo super eos lapides, et jacula venient, quoniam non modo feriuntur, sed post hanc vitam æternis suppliciis damnabuntur. Sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet, quoniam sive stultus, sive sapiens hæc talia præsumpserit, mortis periculo subjacebit. Multos enim et fatuos, et sæculi sapientia præditos, quamvis non vocentur, montis tamen hujus excelsa audacter conscendere videmus; exspectent igitur, donec vocentur : exspectent, donec buccina clangat. Hoc est enim, quod dicitur : « Cum « cœperit buccina clangere, tunc ascendant in mon- « tem, » tunc ascendant, quando eis invitatis dicetur : « Amice, ascende superius (*Luc.* XIV, 10). »

« Descenditque Moyses de monte ad populum, et « sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta « sua, ait ad eos : Estote parati in diem tertium, et « ne appropinquetis uxoribus vestris. » O quantum ab illicitis abstinere debent, quibus ipsa quoque licita interdicuntur. De his enim Apostolus ait : « Qui habent uxores, tanquam non habentes sint (*I Cor.* VII, 29). » « Jam advenerat tertia dies, mane « inclaruerat, et ecce cœperunt audiri 70 tonitrua, « ac micare fulgura, et nubes densissima operire « montem, clangorque buccinæ vehementer obstre- « pebat. » Vide quam bene utrumque testamentum sibi respondeat, et quam convenienter Pentecostes in utroque celebretur. In Actibus apostolorum scriptum est : « Tunc reversi sunt Jerosolimam a monte, qui vocatur Oliveti, et cum introiissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus, et Joannes, et Andreas, et Thomas, Bartholomæus, et Matthæus, Philippus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus (*Act.* I, 12). » Hæc tam sancta coadunatio vocatur Ecclesia; hæc dicitur mons Sion. In hanc montem descendit Dominus, servata quodammodo similitudine, et tempore quo descendit in montem Sinai. Jam enim, inquit Moyses, advenerat dies tertius, et mane inclaruerat, et cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, etc. Dicamus ergo et nos : jam advenerat tertius mensis, et Pentecostes, id est quinquagesimus dies inclaruerat, et sicut beatus Lucas evangelista scribit : « Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*Act.* II, 2). » Ecce enim in utroque et sonus auditur, et ignis videtur. Sed in illo nubes caliginosa, in hoc autem clarissimi luminis splendor apparet, quoniam illa umbra erat, atque figura, hoc autem veritas; quod enim ibi tonitrua, hic apostolorum voces intelliguntur, quod ibi micantia fulgura, hic miracula ubique fulgentia; nubes vero densissima, quæ montem operiebat, apostoli sunt, salutaribus pluviis Ecclesiam irrigantes. Clangor vero buccinæ perstrepens vehementer, doctorum omnium prædicationem longe lateque intonantem significabat.

« Timuit populus, qui erat in castris. Cumque « eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco « castrorum, steterunt ad radicem montis; totus « autem mons fumabat, eo quod descendisset Do- « minus super eum in igne, et ascendit fumus ex « eo, quasi de fornace. » Hic autem timor admirationis et reverentiæ erat. Quod autem dicitur quia « venerunt de loco castrorum in occursum Dei ad ra- « dices montis Sion, » id est quod in Actibus apostolorum dicitur : « Facta autem hac voce convenit multitudo, et mente confusa est (*ibid.* II, 6); » convenit populus de tota Jerusalem ad radices montis Sion, id est ad eum locum, ubi Sion, id est S. Ecclesia, jactis quodammodo fundamentis ædificabatur. Ibi enim erant apostoli, ibi erat mater Jesu, ibi in semine, atque principiis erat totus mons Sion, et mente confusa est, præ timore videlicet, et admiratione. Unde et hic dicitur quia « timuit omnis populus, qui erat in castris; » hic enim timor illum timorem significabat. Totus autem mons fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascendit fumus ex eo, quasi de fornace. Hoc enim prædixerat Joel propheta, dicens : « In diebus illis effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, etc., et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi (*Joel* II, 28). » Non enim poterant non ardere, et non fumare, quos tantus ignis Spiritus sancti succenderat. Sicut enim per fumum ignis adesse monstratur, ita per verborum constantiam, per linguarum diversitatem, Spiritus sanctus in apostolorum cordibus ardere monstrabatur. Beata illa corda, quæ hoc igne replentur! beati illi, qui sic ardere merentur! Stupebant autem omnes, et mirabantur dicentes : « Nonne isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam no-

(217) Id. cod. S. Cr. Laurent. : *Non enim accessistis ad tractabilem, et accessibilem ignem et turbinem, et caliginem et procellam, et tubæ sonum*, etc. *sed econtra accessistis ad Sion montem*, etc. Consonat cod. Casinensis.

Digitized by Google

stram illos loquentes? » (*Act.* II, 8.) Hic ergo fumus monstrabat exterius, quantus qualisque ignis arderet interius. Sequitur : « Eratque mons om- « nis terribilis, et sonus buccinæ paulatim cresce- « bat in majus, et prolixius tendebatur. Moyses « loquebatur, et Dominus respondebat ei. » Cui enim mons iste, id est coetus apostolicus non videbatur esse terribilis, qui homines prius inscios, et vix unius linguæ peritos, nunc omnibus linguis loqui audiebat? Crescebat autem paulatim sonitus buccinæ, et prolixius tendebatur, quoniam apostolorum vox, et prædicatio paulatim proficiens crescebat, et longius audiebatur donec « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5). » Hæc est enim illa buccina, cui dicitur : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam (*Isai.* LVIII,). »—« Moyses autem loque- « batur, et Dominus respondebat ei; » quoniam, prædicantibus apostolis, eorum corda Dominus respondendo docebat. Siquidem non ipsi, sed Dominus loquebatur in eis.

« Descenditque Dominus super montem Sinai, « in ipso montis vertice, et vocavit Moysen in cacu- « men ejus. » Stat autem Dominus super verticem montis Sinai, per quem Sion intelligitur de quo ait : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psal.* II, 6); » ibique in ipsum ejus cacumen Moysen vocat, per quem apostoli intelliguntur, qui super universam Ecclesiam principes constituti, altiores præ cæteris possident sedes. « Dixitque ad eum : Descende, et contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo. » Terminos namque transcendere est ecclesiasticas dignitates contra Dei voluntatem usurpare. Stet igitur unusquisque in suo ordine, neque prius quam vocetur, interdictum sibi terminum transcendere velit. 71 Sacerdotes quoque et populi, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur ne percutiat eos. Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Si enim nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur (*II Cor.* XI, 30). » Timeat ergo ne percutiatur, qui non sanctificatus ad Dominum accedere præsumit. Accessit enim rex Ozias, et lepra percussus est; accesserunt filii Aaron, et mortui ceciderunt; secessit Datham et Abiron, et devoravit eos terra; accessit Oza ad arcam, et percussus a Domino interiit. Sequitur :

« Vade et descende, ascendesque tu, et Aaron « tecum : sacerdotes autem et populus, ne trans- « eant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne « forte interficiat illos. » Hoc audiant sacerdotes, et suis terminis contenti illuc ascendere non præsumant, quo soli Moyses et Aaron jubentur ascendere; altius enim episcopis quam sacerdotibus ascendere conceditur, et quædam Dei secretorum agunt episcopi, quæ cæteris sacerdotibus agere non licet. Descenditque Moyses ad populum, et omnia narravit eis. Sic enim et apostoli, quæcunque audierunt a Domino narraverunt nobis.

CAPUT XX.

« Locutusque est Dominus cunctos sermones hos : « Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra « Ægypti, et de domo servitutis. » Hos autem sermones cum Dominus loqueretur, cunctus populus audiebat. Hæc sunt decem verba legis, in quibus tota lex continetur, quæ quidem, cunctis audientibus, prius in monte locutus est; postea vero bis in tabulis lapideis scripsit, quoniam primas tabulas Moyses iratus confregerat. In principio autem locutionis docet eos, quis sit, dicens : « Ego sum Dominus Deus tuus, » cui non immerito obtemperare, et credere debes; quoniam ego « eduxi te de terra Ægypti, et de domo servitutis. »

« Non habebis deos alienos coram me. » Hoc est mandatum, quo omnes dii abjiciuntur, et unus ac verus Deus adorari præcipitur, qui ubique est, in cujus conspectu stat omnis creatura. Et ideo dicit, coram me, quia qui coram eo non sit, nusquam sit. Pro hoc autem mandato et SS. apostoli et cæteri martyres sunt interfecti. Merito igitur ponitur primum, quod prius defendere necesse erat. Secundum autem mandatum est : « Non facies tibi sculptile, » in quo idolorum et simulacrorum omnium religio evacuatur (218). Neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, ut solis, lunæ et stellarum, et quæ in terra deorsum, ut Saturni, Jovis et Mercurii, nec eorum quæ sunt in aquis, ut Neptuni, et Nympharum, et quæ sub terra, ut Plutonis, Charontis, Cerberi et similium. Hæc enim omnia gentilitas decepta colebat, et quia eos videre non poterat, eorum simulacra adorabat. « Ego enim sum Dominus « Deus tuus, fortis, et zelotes; » et quia fortis sum, vindicare me possum; quia vero zelotes, utrobique merita reddam. Zelotes enim, qui diligit, et qui odit, intelligi potest. « Visitans iniquitatem patrum « in filiis in tertiam et quartam generationem « eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam « in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præ- « cepta mea. » Filius enim, si bonus fuerit, non portabit iniquitatem patris; si vero malus fuerit, et suam, et patris iniquitatem luendo sustinebit. Quod si et pater bonus fuerit, et a patris bonitate filius non recesserit, multo majoribus bonis pro patris bonitate ditabitur. Inde enim est, quod semen Abrahæ a Domino diligebatur; inde et de tribu Juda propter David, regnum penitus non auferetur. « Non « assumes nomen Dei tui in vanum; nec enim habe- « bit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen

(218) Castus Innocens Ansaldus O. P. in libro inscripto : *De sacro et publico apud ethnicos picturum tabularum cultu, adversus Græcos schismaticos*, eruditissime demonstrat, locum illum Exodi ita intelligendum, ut non vetentur modo alta sculptilia, sed nec etiam picturæ et levia sculptilia, quæ anaglyphica dicuntur.

Digitized by Google

« Dei sui frustra. » Hic enim et omne mendacium tollitur, et gratia Dei, ne in vanum recipiatur, indicitur. Nam uterque reus est, et ille, qui in Christi nomine jurat, et non custodit, et ille qui in Christi nomine vocatur Christianus, et fidem Christi non observat. Et quidem nomen Domini in vanum assumit, et quasi parvipendens pro nihilo reputat, quicunque ea, quæ vel affirmat vel negat, non custodit. Cum vero quasi pignus nomen Domini tibi creditur, recordare pignoris, et noli abjurare promissum. « Memento ut diem Sabbati sanctifices. » Sic enim dicitur : « Sanctificate jejunium. » Sabbatum sanctificare est, a bonis operibus non cessare. Cum enim Sabbatum per se sanctum sit, bene operando fit sanctus. « Sex diebus operaberis, et facies omnia « opera tua; » id est opera tuæ utilitatis. Cum enim male agis, non tua, sed diaboli opera facis. « Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est : « non facies in eo omne opus. » Reprehenditur Christus quasi male agens, quoniam multa in Sabbatis operabatur. Sabbato enim homini, quem sanaverat, præcepit, dicens : « Tolle grabatum tuum, et ambula (*Joan.* v, 8). » Aliter ergo Christus, aliter Judæi de Sabbato intelligebant. Nam quia dicitur : « Nihil operis facietis in eo, » etiam bonum opus si in eo fieret, putabant esse peccatum. Quorum stultitiam Dei sapientia irridens, dicebat : « Si licet Sabbato curare? » (*Luc.* xiv, 3.) Et nullo quidem die tot homines, quot in Sabbato Salvator noster sanasse legitur; unde datur intelligi, **72** quia ille melius Sabbatum colit, qui plus bonitatis, misericordiæ et pietatis in eo operatur. Sed nunquid uno tantum die in hebdomada, bona agere, et sabbatizare debemus? Omni namque die Sabbatum est illis, qui omni die declinant a malo, et faciunt bona. Quiescere enim ab operibus, quid nisi a peccatis debere quiescere significabat? Dicatur ergo : « Sabbatum est, non facies in eo omne opus tu, et filius « tuus, et filia tua, et servus tuus, et ancilla tua, « jumentum tuum, et advena, qui est intra portas « tuas; » hæc enim omnia nocere possunt, atque in his omnibus peccamus. Non enim solum si filius, et servus meus, et advena, qui in mea custodia est, per meam negligentiam furantur et occidunt, et aliis modis delinquunt, peccatum mihi est; verum etiam si jumentum meum aliis damnum inferat, mihi imputari debet. Sex enim diebus fecit Deus cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo; idcireo benedixit Dominus die septimo, sive Sabbato, et sanctificavit eum. Requiescamus igitur et nos omni die, nihilque mali operemur, quatenus, et dies nostri omnes benedicantur. « Dies enim illi, ut Apostolus ait, mali sunt, in quibus mala opera fiunt (*Ephes.* v, 16). » Omnes igitur dies nostri vertuntur in Sabbatum, si in omnibus quiescamus et cessamus a malo. Nec hoc dico, quod in festivis diebus, etiam a licitis vacare non debeamus, quoniam quidquid contra sanctorum constitutiones fit, peccatum est (219).

« Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis « longævus super terram, quam Dominus Deus tuus « dabit tibi. » Magnum est hoc mandatum, quod qui observaverit, et terra habitationis, et longa vita eis promittitur. Quamvis enim juxta litteram intellectum mentem ædificet, plenumque sit pietatis; majus tamen aliquid significare videtur. Pater enim noster ille est, cui quotidie dicimus : « Pater noster qui es in cœlis (*Matth.* vi, 10) : » mater vero nostra, sancta Ecclesia, quæ nos ex aqua et Spiritu sancto Domino genuit. Hos autem si honoramus, omnia legis mandata adimplemus. Qui enim peccat, Dominum inhonorat, qui peccare omnibus interdicit : qui vero proximum in aliquo lædit, contra Ecclesiam facit, cujus membrum et filius ipse est. Id ipsum igitur est : honora patrem tuum, et matrem, quod est : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum, sicut teipsum (*Matth.* xxii, 37). »

« Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum falsum « testimonium : non concupisces domum proximi « tui : non desiderabis uxorem ejus, non servum, « non ancillam, non ovem, non bovem, non asinum, « nec omnia quæ illius sunt. » Hæc enim quinque mandata ad proximum, quinque vero superiora ad Deum spectant. Et quamvis hæc in illis contineantur, satisque in illis intelligi possent, voluit tamen Deus nominatim et speciatim ponere, quoniam in his homines frequentius peccant. Cum enim præ cæteris hæc interdici audiunt, curiosius hæc evitare et fugere debent. De concupiscentia vero dicit Apostolus : « Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret : Non concupisces (*Rom.* vii, 8). » Quomodo enim non potest esse peccatum, quod pene in omnibus est causa peccati? Fornicatores enim, adulteros, fures et raptores concupiscentia facit, et alia quidem multa ex hac radice oriuntur, quæ si succisa fuerint, pariter cum ea cessabunt.

« Cunctus autem populus audiebat voces, et lampades, et sonitum buccinæ (220), montemque fumantem, et perterriti, ac pavore concussi steterunt « procul, dicentes : Loquere tu nobis, et audiemus, « non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. » Mons enim iste apostolos designat, per quem igne Spiritus sancti interius ardent; ideo exterius fumare videntur. De his enim dicitur : « Tange montes, et fumigabunt (*Psal.* cxliii, 5); » non enim fumarent, nisi arderent; fumus igitur pro incendio ponitur. Per voces autem et sonitum buccinæ, qui in monte audiuntur, verbum prædicationis intelligitur, per apostolorum ora ubique resonans. « Non enim, ut ipsa Veritas ait, ipsi loquebantur, sed Spiritus sanc-

(219) Alludit S. Bruno ad SS. canones quibusdam temporibus et festivis diebus vetantes solemnitatem nuptiarum, choreas et venationes, quæ alias licitæ sunt.

(220) Ita Vulgata, et cod. bibl. M. A.

Digitized by Google

ctus in eis (*Act.* VI, 10). » Lampades autem splendor sunt miraculorum. Perterriti autem, et pavore concussi Judæi fuerunt, quoniam ad apostolos venientes dixerunt : « Quid faciemus viri fratres? » Quod beatus Petrus ait : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum (*Act.* II, 38). » Quid enim aliud dicere erat : « Quid faciemus, viri fratres? » nisi quod populus dicebat Moysi : « Loquere tu nobis, et audiemus? » Utrumque enim ex timore procedit. Quid faciemus, inquiunt, loquimini, date consilium : « non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. » Qui enim apostolis loquentibus credere noluerunt, quandoque ipsum Dominum loquentem, et mortis sententiam inferentem, audituri sunt. Hoc igitur timentes dicunt : « Loquere tu nobis, « quid faciemus? » Date consilium, monstrate viam, non loquatur nobis Dominus, non irascatur nobis, peccavimus, veniam petimus. « Et ait Moyses ad « populum : Nolite timere; ut enim probaret vos, « venit Deus, et terror illius esset in vobis, et non « peccaretis. » Hoc enim et Petrus dicebat : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. » Nolite timere : non ad perdendum, sed ad servandum vos, venit Deus. Si enim non venisset, et locutus fuisset, peccatum non haberetis 73 amodo excusationem non habebitis de peccatis vestris : probati enim estis, vocati estis, signa et miracula vidistis; nolite ergo peccare, convertimini, et timete Dominum. Sequitur :

« Stetitque populus de longe : Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Dominus. » Quid enim per caliginem, nisi Scripturarum obscuram, et profundam scientiam intelligimus? secundum illud : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris (*Psal.* XVII, 12). » Ab hac autem populus longe stat, solus Moyses eam ingreditur, quoniam soli sancti, et spirituales viri secreta Scripturarum sacramenta intelligunt, ibique Deum inveniunt. Neque enim credendum est totum illum populum hæc intellexisse, quæ tunc in illa caligine Moysi revelata fuerunt.

« Dixitque præterea Dominus ad Moysen : Hæc « dices filiis Israel : vos vidistis, quod de cœlo locutus sum vobis. » Non enim de cœlo, sed de monte Dominus loquebatur. Nisi forte per cœlum, aerem intelligamus, qui frequenter pro cœlo accipitur. Unde est illud : « Volucres cœli (*Psal.* VIII, 8), » cum utique volucres in cœlum non ascendant. « Non facietis deos argenteos, nec deos aureos « facietis vobis. » Hoc audiant avari, qui aurum et argentum quasi deos colunt et venerantur. Unde avaritia idolorum servitus dicitur (*Gal.* V, 20). « Altare de terra facietis mihi; » altare namque de terra homo est, quia de terra factus est homo. In hoc enim altari Christi carnem et sanguinem suscipit; in hoc altari fit illud sacrificium, de quo Psalmista loquitur, dicens : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus (*Psal.* L, 19). » Unde et subditur : « Et offeretis super eum holocausta, et pacifica vestra. » In hoc altari, Deum quidem nobis placabilem et propitium facimus, oves videlicet et boves offerendo. Oves enim offerimus, cum patientiam et simplicitatem Deo vovemus. Boves autem, quando nos sub jugo Christi humiliamus. Hoc autem non in sola Jerusalem, sed in omni loco fieri jubet, in quo fuerit memoria nominis ejus; quoniam et altare ubique habemus; siquidem nos ipsi altaria sumus, et hostiæ, quas offerimus, quia non aliunde eas accipimus, sed in nobis eas portamus. « Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædifi- « cabis illud de sectis lapidibus. » Fit enim altare de lapidibus, quando ex infructuosis et peccatoribus hominibus Ecclesia ædificatur. Unde scriptum est : « Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ (*Matth.* IX, 9). » Non autem de sectis lapidibus hoc altare ædificatur, quia non est personarum acceptator Deus, sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi. Unde et Apostolus ait : « Videte, fratres, quia non multi nobiles secundum carnem, non multi potentes, vel sapientes sunt inter vos. Sed quæ stulta sunt, elegit Deus, ut perdat sapientiam, et infirma elegit Deus, ut confundat fortia (*I Cor.* I, 26). » Si ergo solos sapientes, divites, nobiles et potentes admonuissent apostoli et prædicassent, tunc de sectis lapidibus altare construere conarentur; sed quia hi tales magis terrena, quam cœlestia appetebant, apostolorum prædicationem et Christi passionem stultitiam reputabant. Unde Apostolus ait : « Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*ibid.*, 23). » Ideo autem subditur : « Si enim levaveris cultrum « tuum super eo, polluetur. » Quid enim per cultrum, nisi gladium spiritus, quod est verbum Dei, intelligamus? Hic autem culter ad mactandam hostiam super altare levatur, quando in populo Christi passionem, et qualiter agnus in cruce immolatus fuerit, doctores prædicant. Polluitur autem culter, id est sanctorum prædicatio super tali altari elevata, quando contemptui et derisioni ab eis habetur. Unde ipse Dominus ait : « Nolite dare sanctum canibus, neque mittere margaritas ante porcos (*Matth.* VII, 6). » Sequitur : « Non ascendes per gradus ad altare « meum, ne reveletur turpitudo tua. » Ecce jam aliud altare, cæterisque excellentius, ad quod per gradus tamen ascendere interdicitur. Illoc enim altare fides est Trinitatis, ad quam ille per gradus ascendit, qui majus et minus in Trinitate credit, et intelligit. Plane igitur, et non per gradus ad hoc altare ascendamus, et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum æquales esse credamus. Per gradus enim Arius ad altare ascendit; ideoque ejus turpitudo, ejus stulta et nefanda hæresis cunctis gentibus est revelata : ascendens enim cecidit, fusisque visceribus turpiter, et inaudita morte interiit.

CAPUT XXI.

« Hæc sunt judicia, quæ proponeres filiis Israel. « Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet « tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cum qua-

Digitized by Google

« veste inserverit, cum tali exeat ; si habens uxo- A « dominus diis, et applicabitur ad ostium et postes,
« rem, et uxor egredietur simul. » (Quid enim per « perforabitque aurem ejus subula, et erit servus in
Hebræum, qui transiens interpretatur, nisi eos, qui « perpetuum. » Bonus servus, qui dominum diligit,
ad Ecclesiam et ad fidem catholicam transeunt, tamque religionem uxorem, et tam præclaros filios
intelligamus ? Hos autem Christus Dominus noster et filias, magisque vult cum his servus manere,
(qui per Moysen, cui ista dicuntur, significatur) quam, his relictis, egredi cum libertate. Non enim
suo pretioso sanguine emit. Sed quia sex diebus omnes servi mali. Bonus enim servus ille est, cui di-
factus est mundus, et sex ætatibus consistit, fre- citur : « Euge, serve bone et fidelis, intra in gau-
quenter per sex annos, vel dies omne vitæ hujus dium Domini tui (*Matth.* XXV, 21). » Hunc ergo
tempus intelligitur. Sex ergo annis servit, qui omni servum offert dominus diis : ille utique dominus, qui
vitæ suæ tempore servit. Sunt autem qui fideliter super juventutem suam hominem a lapsibus vul-
serviunt, et a Domini sui servitio, et servitute nun- neratam imponens, duxit in stabulum, et curam ejus
quam recedere volunt. Sunt autem alii, qui, quam- egit. Sed quibus diis, nisi episcopis et Ecclesiæ rec-
vis servire videantur, et in domo Domini sui, quæ toribus? Si enim regum filii reges dicuntur, cur Dei
est Ecclesia, omni vitæ suæ tempore conversentur, filii dii non dicentur? Dicit enim Psalmista : « Ego
graviter tamen ferunt 74 servitutem. De talibus B dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI,
igitur dicitur : « In septimo anno egredietur liber 6). » Isti autem dii, et ostium dicuntur et postes;
gratis. » Bonus et clemens Dominus qui, quamvis quoniam in introitu ecclesiæ stantes, omnes venien-
servum suum infidelem et nequam esse sciat, de tes in ecclesiam introducunt. Merito ergo bonus ser-
domo tamen eum non expellit ; exspectat septimum vus diis offerri, atque ad ostium et postes appli-
annum, exspectat finem hebdomadæ, et terminum cari dicitur, quoniam omnis qui Christum et Chri-
vitæ ; si vel tunc conversus pœnituerit, et nocivam stianam religionem diligit, his semper adhærere de-
libertatem non dilexerit, adhuc cum Domino suo siderat, et verba vitæ ab eis defluentia, vigilanti sem-
poterit habitare ; alioquin egredietur liber, sed perque aperta aure cordis incessanter suscipit;
malæ libertate. Soli enim illi liberi sunt, qui Domino « qui enim ex Deo est, verba Dei audit (*Joan.* VIII,
serviunt. Et gratis quidem liber egreditur, quia 47). » Unde et subditur : « Et perforabit aurem ejus
nihil apud Dominum de ejus pecunia, vel substantia « subula, et erit servus in perpetuum. » Illæ enim
retinetur. Unde et subditur : « Cum quali veste intra- aures sunt apertæ et perforatæ, quæ semper ver-
« verit, cum tali exeat : » male quidem indutus ve- bum Dei audire cupiunt; sic e contrario illæ sunt
nit, et male indutus recedit; quoniam illam vestem C clausæ, de quibus dicitur : « Sicut aspidis surdæ,
candidam perdidit, quam in baptismate suscepit. In- et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem
duitur autem prima veste, primæque conversationis incantantium (*Psal.* XVII, 6). » Stemus igitur et
indumento. De hac enim veste Ecclesia dicit : « Exspo- nos ad ostium, et postes, et aures perforatas et
liavi me tunica mea, quomodo induar illa? » (*Cant.* apertas altius erigentes, Dominum dicentem audi-
V, 3.) Qui enim sic loquitur, non vult a Dei rece- mus : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Marc.*
dere servitute. « Si habet uxorem, et uxor egredia- IV, 23); » et beatum Joannem : « Qui habet aures,
« tur simul; » malum maritum mala uxor sequatur : audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis (*Apoc.* II, 29). »
hæc enim vana religio est, et stulta mundi hujus sa- Subula autem, qua aures perforantur, Spiritus san-
pientia intelligitur; hæc uxor malos, et vitiorum cti afflatio intelligitur.
filios gignit et nutrit : de hac enim avari, superbi et
raptores oriuntur. Hæc ergo tam impia pellatur de « Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non
Ecclesiæ penetralibus. « egredietur; sicut ancillæ exire consueverunt. »
Quæ enim superius exstitit uxor, nunc filia vocatur.
« Sin autem dominus suus dederit illi uxorem, et Christiana namque religio et uxor est, cum filios
« peperit filios, et filias, mulier, et liberi ejus erunt generat; et filia est, cum ipse ab aliis generatur.
« domini tui, ipse vero exibit cum vestitu suo. » D Generatur enim a prædicatoribus in cordibus audi-
Nulli servorum fit violentia, nullus retinetur invitus, torum. Unde hic dicitur : « Si quis vendiderit filiam; »
vult recedere, relinquat domesticas vestes, recipiat vendit enim prædicator filiam suam, id est Christia-
proprias, eas videlicet, de quibus modo superius nam religionem, quando pretio fidei quodammodo
diximus. Huic enim servo dominus suus dedit uxo- generat. Bene autem famula vocatur, quoniam nulli
rem, sanam scientiam et ecclesiasticam religionem, sine fidei pretio datur : nemo enim baptizatur, nisi
quæ peperit et filios et filias, per quos mores hone- prius fidem promittat. Hæc autem non egreditur,
stos et virtutes intelligimus; tales enim filios et filias sicut ancillæ exire consueverunt, sed caste traditur,
generat Christiana religio. Hæc igitur mulier cum honeste ducitur, et religiose suscipitur : bene in-
liberis suis ingratum et fugitivum servum non duta, bene composita, et bene ornata, ut merito pla-
sequitur, sed, ea recedente, cum eo remanet, a quo, ceat emptori. Si displicuerit oculis domini sui, cui
servo tunc fidem promittenti tradita fuerat. « Quod tradita fuerit, dimittat eam; populo autem alieno
« si dixerit servus : Diligo dominum meum, et uxo- vendendi non habeat potestatem (221), si spreverit
« rem, et liberos, non egrediar liber : offerat eum eam. Multi enim baptizati sunt, et Christianam re-

(221) Cod. Casin. *non habebit potestatem.*

Digitized by Google

ligionem cum amore susceperunt, qui male vivendo, et per flagitia ruendo, quantum eis ea displiceat, patenter ostendunt. Irascuntur enim et fugiunt, si bene agere admoneantur : hi autem dimittunt eam, quia nolunt vivere et habitare cum ea. Populo autem alieno vendendi non habent potestatem, quoniam 75 qui eam spernit, aliis eam tradere, et prædicare non licet ; secundum illud : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitiam meam, et assumis testamentum meum per os tuum? » (*Psal.* XLVIII, 16.) Unde et Apostolus : « Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrificium facis (*Rom.* II, 22). » Soli igitur illi filiam Christi aliis vendant, et tradant, qui eam diligunt, et ab ea recedere nolunt.

« Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiorum faciet illi. » Iste enim filius animus est, qui de cordis utero procedit et gignitur. Si ergo desponderit eam filio suo, et eam diligens, casto et sincero amore colligaverit animo suo, juxta morem filiorum faciet illi, bene dotando, bene ornando, bene tractando matrem familias, et dominam totius domus constituendo. « Quod si alteram ei acceperit, « providebit puellæ nuptias, et vestimenta, et pretium pudicitiæ non negabit; si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia. » Illis etenim verbis illi apertissime denotantur, qui a sincera et vera religione in hypocrisim et amorem sæculi postea delabuntur. Isti enim prioris amoris obliti, et a prioris uxoris complexibus longius distracti, aliam uxorem filio suo, id est animo, et desiderio suo accipiunt, atque conjungunt ; sequuntur avaritiam, congregant divitias, et sæculi voluptatibus traditi, caduca, et transitoria diligunt et quoniam prioris uxoris religione multa conquirunt, eam se adhuc habere et tenere simulantes, illam laudant, illam extollunt, illam prædicant, illam verborum compositione ornant et vestiunt. Hoc est enim et nuptias puellæ providere, et vestimenta, et pretium pudicitiæ non negare. Nuptias quidem ei providet, dum eam laudantes, dignam esse dicunt, quæ ab hominibus suscipiatur, dum neque legitimos filios ex alia nasci, neque legitimum matrimonium cum alia fieri posse testantur. Dant autem ei et vestimenta, dum verborum compositione eam exornant. Dant et pretium pudicitiæ, dum ejus castitatem, verecundiam, et mores laudant, et hæc agentes non hypocritæ et simulatores, sed veri et religiosi Christiani esse creduntur. Si vero tria ista non fecerit, et ea, quæ modo diximus, simulare nescierit, illa egredietur gratis, et absque pecunia, quia et ille religionem perdet, et pecuniam non acquiret. Et multos quidem tales videmus, qui a prima suæ conversationis religione separati nescientes decipere, quales sunt interius, tales exterius apparent.

« Qui percusserit hominem, volens occidere, « morte moriatur. » Omnia enim, quæ vel in Veteri, vel in Novo Testamento scripta sunt, si juxta litteram intelligi non possunt, spiritualiter intelligere necesse est. Homicidæ autem alii corporis, alii animæ. Hæretici enim, et adulatores animas occidunt, quod quia sponte faciunt, nisi pœnitentiam egerint, morte æterna morientur. Ad quorum similitudinem de corporis quoque homicidis intelligendum est. « Qui autem non est insidiatus, sed Deus tradidit « illum in manus ejus, constituam tibi locum, quo « fugere debeat. » Hoc autem de illis dicitur qui non sponte, sed casu hominem occidunt. Iis enim ad civitates fugitivorum fugere conceditur, in quibus manere debent, donec maximus pontifex moriatur. Sex enim civitates æquali spatio inter se divisæ fuerant, in quibus hi tales homicidæ salvi erant. Sed quid per sex civitates, nisi sex dies, in quibus operari licet? Quid vero per maximum pontificem, nisi Christum intelligimus? Fugiebant ergo homicidæ ad has civitates, ut quandiu in hac vita consisterent, non otiose in his civitatibus, id est in his sex diebus vitam ducerent, sed dura pœnitentia carnem domantes, mortis periculum evadere desudarent. Unde etiam extra eas inventi impune occidebantur; quoniam et peccatores sine pœnitentia reperti damnabuntur. Manebat autem in civitate, donec summus pontifex moreretur; quoniam ante Christi passionem, etiam peracta pœnitentia, nulli in cœlestem patriam redire concedebatur (222).

« Si quis de industria occiderit proximum suum « et per insidias, ab altari meo avellas eum, ut moriatur. » Ubique autem subaudiendum est, nisi satisfecerit et dignam pœnitentiam egerit. Mors quoque, sicut supra, dupliciter intelligi debet.

« Qui percusserit patrem suum, aut matrem suam, « moriatur. » Quamvis enim patrem et matrem percutere magnum sit peccatum, ego tamen majus aliquid hic intelligo. Patrem enim et matrem, Deum et Ecclesiam dici puto. His autem qui derogaverit, vel linguæ jaculo eos blasphemando percusserit, mortis sententiæ subjacebit. Id ipsum autem ei con-

(222) A Christo Domino mortis, ac diaboli triumphatore ad paternam sedem remeante, apertas fuisse paradisi portas ; divinis adhærentes oraculis omnes fassi sunt a primis usque sæculis Ecclesiæ Patres, nec ante hujusmodi divini Servatoris triumphum, et ingressum in cœlum, ulli justorum datum in supernam illam mansionem introire, sed detenti sunt cuncti justi in sinu Abrahæ, donec veniret Christus eos ab illo carcere liberare, et secum ad cœlestem beatitudinem adducere. Unum pro omnibus afferam S. Maximum Taurin. qui serm. 44, primo De Ascens. Domini pag. 514, edit. Rom. 1784, hæc habet : « Lætemur itaque, fratres, et exsultemus in Domino, quia hodie cœli alta transcendens ad paternæ sedis incogitabilem majestatem Christus ascendit, et hominem quem invidia malignantis inimici prima illa paradisi habitatione depulsum, projectumque, angelica in patria collocavit, et paradisi exsulem, civem cœlestium fecit. » SS. ergo Patribus hanc catholicam veritatem asserentibus accensendus est S. Bruno, qui idem aliis in locis confirmat.

Digitized by Google

tingit, qui patri, vel matri maledixerit; quod nisi A de Deo et Ecclesia 76 intelligatur, valde severa sententia esse videtur. Maledicere autem Ecclesiæ, male loqui intelligi potest.

« Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit « eum, convictus noxæ, morte moriatur. » Hoc enim et Romanis legibus cavetur, et hi tales plagiarii vocantur. Hominem enim furari et vendere, est Christianum aliquem diabolica versutia a Christi fide, et religione separare, et diaboli subjicere servituti.

« Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proxi- « mum suum lapide, vel pugno, et ille mortuus « non fuerit, sed jacuerit in lecto; si surrexerit, et « ambulaverit foras super baculum suum, innocens « erit, qui percusserit; ita tamen, ut opera ejus, et « impensas in medicos restituat. » Quod enim ait, B innocens erit, qui percusserit, tale est ac si diceret: Non moriatur; quamvis enim peccaverit, non tamen usque ad mortem. Possunt per eos, qui rixantur inter se, illi qui de lege divina arroganter disputant, intelligi; quorum si alter alterum superaverit, et sophistice in errorem duxerit, si tamen de fide non agatur, et tale quid non fuerit, ubi anima non periclitetur, innocens erit; id est, non morietur qui percusserit, ille videlicet qui sic proximum suum errare fecerit; debet enim eum tamen et verbis placare, et vel per se, vel per aliquem sapientem ad veritatis scientiam revocare.

« Qui percusserit servum suum, vel ancillam vir- « ga, et mortui fuerint in manibus suis, criminis C « reus erit. » Hoc autem de Ecclesiæ doctoribus dici videtur. Fit enim multoties, ut pastor Ecclesiæ peccantem servum, vel ancillam, id est masculum, vel feminam sibi subjectos, eorum facinora exagerando, et futura tormenta minando, duramque canonum pœnitentiam nuntiando, nimis aspere virga correctionis percutiat. Quod si in ejus manibus mortui fuerint, si eos propter immanitatem sceleris et importabile onus pœnitentiæ, veniam desperare senserit, eosque verbis mitioribus, et antidoto pietatis non confortaverit, quasi qui male medendo ægrum occiderit, reus erit. « Sin autem uno die « supervixerit, vel duobus, non subjacebit pœnæ, « qui a pecunia illius est. » Si, inquam, uno die, vel duobus supervixerit, id est si in ejus præsentia D nulla impossibilitatis, vel desperationis signa monstraverit, et correctionis, et pœnitentiæ flagella susceperit, postea vero ita discedens, eodem vel secundo die pœnitentiam agere veniamque se posse consequi diffiderit, non subjacebit pœnæ. Quare hoc? Quia pecunia illius est, quia subjectus est, quia ad eum illum arguere, admonere, increpare opportune et importune pertinebat. Ille enim in sua iniquitate morietur, qui uno vel duobus diebus superveniens, cum pœnitentiam ferre non posset, ad eum non rediit, et misericordiam non petiit.

« Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulie- « rem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, « sed ipsa vixerit, subjacebit damno quantum mari- « tus mulieris expetierit, et arbitri judicaverint. » Viri enim rixantes, legis periti intelliguntur, de Scriptura divina inter se disputantes. Prægnans vero mulier, anima est, quæ jam verbi, et prædicationis semen in cordis utero suscepit, sed nondum perfecte intelligendo formavit, neque memoriæ commendavit. Dum ergo viri rixantur, et inter se de legibus disputant, prægnans mulier percutitur, et abortivum facit, quia in earum disceptatione, dum cui credere debeat anima ignorat, verbum Dei, quod conceperat, imperfectum informatumque amittit. Percussor igitur, secundum mariti et arbitrorum existimationem subjacet damno, quoniam, secundum Dei, qui animæ maritus est, et apostolorum sententia, hic talis judicabitur. Ait enim Dominus: « Væ illi, per quem scandalum venit (*Matth.* XVIII, 7). » Ait et Apostolus: « Utinam abscidantur qui vos conturbant (*Gal.* V, 12). » Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, ut videlicet amisso semine, in errore anima moriatur, reddet animam pro anima, ut, qui animam occidit, in anima moriatur. Hic autem aperte demonstrat quod de anima in mulieris figura loqueretur. « Oculum pro oculo, dentem pro dente, « manum pro manu, pedem pro pede, adustionem « pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro « livore. » Hoc autem breviter Dominus exponens, ait: « Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* VII, 2); » non quod ibi oculum perdat, qui hic oculum excæcaverit, sed quia pro hoc, et similibus digna pœna ei recompensabitur.

« Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut « ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet liberos pro « oculo, quem eruit. » Oculum enim servi, vel ancillæ Dominus percutit, quando prælatus aliquis errorem docendo subjectum aliquem suorum in animæ oculo ferit, quem quidem luscum facit, si sua prava doctrina a veritatis lumine deviando separat. Huic autem servus nullam debet subjectionem, sed liber egreditur, ne diutius morando penitus cæcus fiat. Dentem quoque si excusserit servo, vel ancillæ suæ, similiter eos dimittet liberos. Idem enim et per dentem, et per oculum intelligitur. Dentem namque exstruere, est sanum intellectum, quo panis divini eloquii ruminatur, et violenter et fraudulenter ab ore cordis evellere.

« Si bos percusserit virum, et mulierem, et mortui « fuerint, lapidibus obruetur, et non comedentur car- « nes ejus, dominusque bovis innocens erit. » Boves enim sacerdotes intelliguntur, qui Christi jugum ferunt, et ejus agrum colunt, et sanctam Ecclesiam arando, et prædicando fertilem reddunt, de quibus dicitur: « Non alligabis os bovi trituranti (*I Cor.* IX, 9). » Quot ergo 77 sacerdotes, tot boves habet episcopus, et quidem ipse quoque bos est. Bos igitur virum aut mulierem cornu percutit, quando sacerdos aliquis maledicendo, superbiæ cornu et hæretica doctrina interiorem hominem, loquendo, imo vulnerando et feriendo, occidit. Hic autem lapidibus obruitur, quando multorum sanctorum concilio congregato, plurimorum

Digitized by Google

sententiis, quasi multis lapidibus percutitur atque damnatur. Quot enim linguis damnatur, tot lapidibus obruitur. Ejus vero carnes non comeduntur, quia ejus carnalis et hæretica sententia non suscipitur. Talis bos fuit Arius, Montanus, Manichæus, Novatus, Jovinianus, qui superbis cornibus multos interemerunt. Dominus autem bovis tandiu innocens est quandiu bovis malitiam non cognoscit. Si vero sciens consenserit, ipse quoque occidetur; quia non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Hoc est enim, quod ait : « Quod si bos « cornupeta fuerit ab heri, et nudius tertius, et « contestati sunt dominum ejus (potest enim fieri, « ut domino, nesciente bos cornupeta sit) nec re- « cluserit eum, occideritque virum aut mulierem, « et bos lapidibus obruetur, et dominus illius occi- « detur. » Hic enim per prophetam dicitur : « Si non annuntiaveris ei (id est impio) neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III, 18). » Multum autem ab episcopis est providendum, ne suis in ecclesiis hæresis aliqua prædicetur.

« Quod si pretium ei fuerit impositum, dabit pro « anima sua quidquid fuerat postulatus. » Pretium enim episcopo imponitur, quando ei de negligentia, quam in subjectis habet, pœnitentia injungitur. Unde et quidquid postulatus fuerit, pro anima sua dare jubetur, quia non aliter valet pœnitentia, nisi pœnitens se totum illius arbitrio, qui sibi dat pœnitentiam, tradat. « Filium quoque aut filiam si cornu « percusserit, simili sententiæ subjacebit. » Unde manifestum est quia, quantum ad tutelam fidei, eamdem curam de omnibus sibi subjectis, quam de propriis filiis prælatum habere oportet. « Si servum, « ancillamque invaserit, triginta siclos argenti dabit « Domino. » Servum enim hoc in loco gentiles, et cæteros alterius religionis homines intelligimus, qui quamvis inter Dei servos, non tamen inter Dei filios computantur; soli enim filii Dei sunt, de quibus dicitur : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12). » Per triginta vero siclos Decalogi scientiam triplicatam accipimus. Dat igitur Dominus bovis triginta siclos argenti, pro servi, vel ancillæ redemptione, quoniam episcopus totam legis plenitudinem ad Trinitatis fidem convertit, et eos, quos prius bos vulneraverat, ipse rationabili medicina jungendo sanat. »

« Si quis aperuerit cisternam et foderit, et non « operuerit eam, ceciderilque bos vel asinus in eam, « dominus cisternæ reddet pretium jumentorum; « quod autem mortuum est, ipsius erit. » Quis enim per hunc alius significari videtur, nisi ille, qui inveterato odio fratri suo insidiatur, et in odio perseverans tandiu insidiarum foveam apertam tenet, donec proximum suum in ea capiat et occidat, qui quoniam pravam voluntatem ad effectum usque perduxit, jumentorum pretium reddit, quoniam vel dura pœnitentia peccatum solvit, vel ipse pro eo occidetur. Unde et subditur : « Quod autem mortuum est, « ipsius erit, » quia quasi ad collum ejus pendens, ut dici solet, mors illius sibi, et non alii imputabitur. Ille quoque cisternam fodit, et aperit, qui de profundis fidei quæstionibus coram simplicibus disputat. Qui enim cisternam aperuit, videlicet, vel a tali disputatione subito cessando, vel in tantum auditoribus satisfaciens, ut omnia plana, et nihil ibi profundum esse videatur, quidquid illic errans perierit, domino cisternæ persolvet.

« Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et « ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, et di- « vident pretium; cadaver autem mortui inter se « dispertient. »

« Si, inquit, bos meus bovem tuum vulneraverit; id est si aliquis de populo meo hæreticæ pravitatis veneno infectus vulneraverit, et seducendo occiderit aliquem de populo tuo, vendamus bovem vivum, et dividamus pretium, id est conveniamus, et tradentes hæreticum hominem Satanæ, æternæ morti eum damnemus; pretium autem ejus damnationis, et retributionem a Domino suscipientes pariter dividamus, ut qui pares fuimus in ejus damnatione, pares simus in ea, quam pro ipso suscipiemus, retributione (223). » Cadaver vero mortuum inter nos dividamus; quia ambo peccavimus, ambo negligentes fuimus, ambo de bovis cadavere, et peccato partem habemus. Nam et ego meum, et tu tuum diligentius custodire debuisti. « Si autem sciebat quod bos « cornupeta esset ab heri et nudius tertius, et non « custodivit eum dominus suus, reddat bovem pro « bove, et cadaver integrum accipiat. » Quoniam si episcopus illum hominem de plebe sua hæretica dogmata prædicare prius cognoverat, eumque non redarguit, neque ab ea perversitate compescuit, reddet bovem pro bove, quia pro anima illius, qui seductus, et deceptus fuerat, erit anima ejus. Unde et subditur : « Et cadaver integrum accipiet, » quia totum peccatum mortis illius in episcopum redundabit.

78 CAPUT XXII.

« Si quis furatus fuerit ovem, aut bovem, et oc- « ciderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno « bove restituet, et quatuor oves pro una ove. » Nam quia boves majorem præstant utilitatem quam oves, merito quantum ad litteram majori pœna digni sunt, quamvis alii converso modo hoc capitulum legere velint; sicut enim per boves sacerdotes, ita per oves cæteram hominum multitudinem intelligimus. Nam et secundum canones, majori pœnæ subjicitur qui sacerdotem occidit, vel ei injuriam facit, quam ille qui cæteris hominibus vel injuriam, vel mortem infert. Ovem enim, et bovem furari, occidere, et vendere est, qualicunque occasione Christianum hominem a Christi fide, et a Deo separare. Sed quid per quinque boves, nisi quinque corporis sensus? Quid vero per quatuor oves, nisi quatuor corporis elementa intelligendum? Item igitur et per boves, et

(223) Hic locus ex cod. S. Crucis in Laur. suppletur.

Digitized by Google

per oves intelligitur, quoniam in utrisque solum corpus hominis figuratur. Qui ergo corde compunctus pro anima quam occidit, et a Deo separavit, quinque sui corporis sensus Christi jugo subjiciens, totum se lamentis, et pœnitentiæ tradit, ille procul dubio quinque boves pro uno bove restituit. Qui vero quatuor sui corporis elementa in omnem simplicitatem convertens, pro reatu, quem patravit, soli Deo servire compellit, ille nimirum pro una ove, quatuor oves Domino reddit.

« Si effringens fur domum, aut suffodiens inventus « fuerit, et accepto vulnere mortuus fuerit, percus- « sor non erit reus sanguinis; quod si, orto sole, « hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse mo- « rietur. » Inter manifestum namque, et non manifestum furtum et furem differentiam facere videtur. Est autem manifestus fur, qui die, non manifestus autem, qui nocte furatur, et secundum humanas quidem leges major pœna est furti manifesti; hic autem econtra, qui furem in die occidit, reus est; qui autem in nocte, innocens est. Et ego quidem hunc furem, qui nocte domum confringit et fodit, diabolum intelligo, qui semper occulte per insidias domum corporis nostri, quod et templum Dei vocatur, corrumpere et dissipare nititur, quatenus virtutum et bonorum operum thesaurum nobis furetur et rapiat. Hunc autem si quis invenerit, et domum suam depopulari senserit, occideritque, non solum innocens, sed insuper munere dignus erit; facile autem ab his invenitur, qui ejus insidias cognoscunt. Homo autem, quia visibilis est creatura, orto sole, id est in die, et in manifesto furari dicitur; quem si quis pro vindicta suarum rerum occiderit, et non magis carnem suam, et proximum suum, quam pecuniam suam dilexerit, ipse quoque in anima morietur. Hac autem lege judices non tenentur, qui totum quod agunt, amore justitiæ faciunt. Unde et Apostolus ait : « Non enim sine causa gladium portat; vindex enim Dei est (*Rom.* XIV, 4). » Sequitur : « Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipe venun- « dabitur. » Ille enim non habet, quod pro furto reddat, qui tam nequam et impius est ut pœnitere nesciat; pœnitentia namque et furtum, et cætera peccata redimuntur, et sine pœnitentia nullum peccatum redimi potest. Hic igitur venditur, diabolo traditur, in carcerem mittitur; inde non exiet, donec solvat universum debitum. Si inventum fuerit apud eum, quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis, duplum restituet. Duplum quidem restituit quia et quæ furatus est reddidit, et super hoc si conversus fuerit, duram pœnitentiam pro peccato agit; vel si inconvertibilis fuerit, duplici contritione conteretur.

« Si læserit quispiam agrum, vel vineam, et di- « miserit jumentum suum, ut depascatur aliena, « quidquid optimum habuerit in agro suo, vel vinea, « pro damni æstimatione restituet. » Hoc autem de hæreticis intelligi potest, qui superbum, indomitum, luxuriosum, et insatiabile jumentum, id est animum suum in Dei agrum, et vineam, quod est Ecclesia dimittunt, ut eam vastet et depascatur. « Sepulcrum enim patens est guttur eorum (*Psal.* XIII, 3). » Hi autem pro damni æstimatione quidquid melius habent in agro suo restituunt, quia ipsam animam, quæ cunctis quæ possidet melior est, pro hoc facinore amittunt. Quod autem ipse homo ager vocetur, audi Apostolum dicentem : « Dei enim agricultura estis (*I Cor.* III, 9). » Homo enim et ager, et vinea vocatur, quoniam et frumentum boni operis, et vinum sacri eloquii generat.

« Si egressus ignis invenerit spicas, et compre- « henderit acervos frugum, sive stantes segetes in « agris, reddet damnum, qui ignem succenderit. » Dominus in Evangelio loquitur, dicens : « Ager enim est mundus (*Matth.* XIII, 38). » Si ergo mundus ager est, quid spicæ, et acervi frugum, et stantes segetes, nisi homines intelliguntur? Ignis igitur egrediens, spicas, et acervos frugum, et stantes segetes in agris comprehendit, quando furor indignationis, et odii totum populum conturbat, et amore prælìandi æstuare, et ardere compellit. Hujus autem incendii damnum ille restituet, qui primus ignem succendens principalis dissidii causa exstitit.

« Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in « custodiam, et ab eo qui susceperat, furto ablata fue- « rit, si invenitur fur, duplum reddet. » Per hunc enim, qui pecuniam amico commodat, nemo melius quam Christus intelligi potest, qui ait : « Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis (*Joan.* XV, 14). » Pecunia autem fides, et vera **79** scientia intelligitur; vasa vero, homines sunt, in quibus Dei thesauri reconduntur. Unde et vas electionis Apostolus dicitur. Amicus vero, cui pecunia commodatur, prælatos ecclesiæ, doctoresque significat, quoniam pecuniam suam, fidem et doctrinam, et populum suum istis ad custodiendum Deus tradidit. Et bene prius pecuniam, deinde vasa commendat, quia sine fide et doctrina nemo animarum custos esse debet. Hæc autem furto a custodibus auferuntur, quoniam hæreticorum, vel malignorum spirituum erroribus, insidiisque decepti a Christi fide homines separantur. Quoniam vero furum alii inveniuntur, alii vero omnino latent, subditur : « Si invenitur fur, duplum reddet; » hæretici enim inveniri possunt; maligni vero spiritus, quia natura invisibiles sunt, inveniri, et ad rationem cogi omnino non possunt. Duplum autem hæretici reddunt, quoniam ad fidem conversi, eos quoque quos deceperant, converti faciunt; insuper et pro commissis pœnitentiam agunt. Si vero in malitia perseverant, duplum tamen nihilominus reddunt, quoniam duplici contritione conteret eos Dominus. Sequitur :

« Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, « et jurabit quod non extenderit manum ad rem « proximi sui, ad perpetrandam fraudem tam in « bove, quam in asino, et ove, ac vestimento et « quidquid damni inferri potest, ad eos utriusque « causa perveniet, et si illi judicaverint, duplum

Digitized by Google

« restituet proximo suo. » Usque hodie namque videmus, si aliquis de populo malo, et in gravi facinore moriatur, totum crimen in episcopum converti, illum homicidam esse illius culpa, et negligentia; illam animam periisse, et Deo furatam clamant. Tunc episcopus currat ad deos, festinet ad canones, audiat ibi apostolos doctores, et sanctos Patres loquentes et judicia ponentes, ipsorumque judicio si se defendere nequiverit, damnum persolvat. Sed quomodo se defendet, nisi juramento? Juramentum autem propria conscientia est. Unusquisque enim sua conscientia, quasi juramento defenditur. Unde Apostolus ait : « Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer; nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum (*I Cor.* IV, 3). » Si ergo tua conscientia tibi dixerit, si hoc juraverit (jurat enim, si non mentitur) quod hominem illum sæpe admoneris, sæpe rogaveris, sæpe docueris, ut a malo declinaret, et ille tibi credere noluerit, conscientia tua quidem defenderis, quod in re proximi fraudem non commiseris; sed nunquid idcirco liberatus es? Apostolus enim dicit : « Sed non in hoc justificatus sum (*ibid.*, 4). » Potest autem fieri ut per negligentiam peccaverit, qui fraudem non commisit. Exspecta igitur judicium, et quamvis conscientia te defendat; tamen, si judices judicaverint, duplum restitue : duplum enim restituere est, et de peccato pœnitentiam agere, et in futuro, ne quid tale contingat, magnam vigilantiam et curam habere. In bove autem et asino, et ove, ac vestimento, potest aliquid proprie et differenter intelligi, ut per bovem, sacerdotes; per asinum, stultos; per oves, simplices; per vestimentum, fidei ornamenta intelligamus.

« Si quis commendaverit proximo suo asinum, « bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, « et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum « ab hostibus, nullusque hoc viderit, jusjurandum « erit in medio, quod non extenderit manum ad rem « proximi sui. » Facile hoc capitulum intelligit, qui in superiori non dormivit. Hoc tantum notandum, quia in his, qui per se moriuntur, aut debilitantur, aut violenter ab hostibus auferuntur, non tenentur custodes, quoniam neque illi ab episcopis requiruntur, qui sine eorum culpa et negligentia pereunt. Exigitur tamen jusjurandum, si nullus hoc viderit, qua conditione spirituales custodes solvi videntur. Quis enim audeat dicere, quod nullus hoc viderit; cum ipse Deus et Dominus, qui eis res suas ad custodiendum tradidit, quod factum est, viderit? Ipsa enim veritas illis testis est, quia illi in hoc damno peccaverunt, et quoniam conscientia defenduntur, conscientiæ illorum testimonium suscipitur, et illi reddere non coguntur. Hoc est enim, quod ait : « Suscipietque Dominus juramentum, et ille reddere « non cogatur. » Quod si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. Furto enim ablatum ideo restituitur, quia negligentiam ibi fuisse aperte dignoscitur; non enim furantur quæ diligenter custodiuntur. Si comestum a bestia perferet ad eum, quod occisum est, et non restituet; et hoc quod non negligentia, sed violentia perit : inimicus enim noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Occisum autem ideo ad dominum perfertur, ut videns cadaver, credat animal a bestia comestum. Hoc autem si spiritualiter intelligatur, sola episcopi conscientia probatur, et soli conscientiæ creditur.

« Quod si a proximo suo quidquam horum mu- « tuum postulaverit, et debilitatum, aut mortuum « fuerit, domino suo non præsente, reddere com- « pelletur. Quod si inpræsentiarum fuerit dominus, « non restituet, maxime si conductum fuerit pro « mercede operis sui. » Ideo enim, non præsente domino, animal debilitatum aut mortuum a suscipiente restituitur, quia sine ejus culpa debilitatum aut mortuum esse non creditur; si vero dominus præsens est, animal non redditur, quia ipse cognovit quod sine culpa suscipientis debilitatum aut mortuum fuerit; quod quidem ex eo probari potest, quoniam si ille qui animal mutuum accepit, præsente domino, illud occidisset, nihilominus quidem reddere compelleretur 80 quasi, absente Domino, hoc fecisset. Unde manifestum est quod animalis restitutio pro sola culpa et mala custodia jubetur : ubi ergo non est culpa, ibi nec restitutio. Hæc autem ideo dixi, quia hic Dominus noster, a quo hæc animalia, quæ custodimus, mutua et conducta accepimus, quamvis semper inpræsentiarum sit, tamen sine nostra culpa, si aliqua ex eis debilitata aut mortua fuerint, nos tamen reddere non compellet. « Si « seduxerit quis virginem nondum desponsatam, « dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam « uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet « pecuniam juxta modum dotis, quam virgines acci- « pere consueverunt. » Sunt seductores boni, et seductores mali. De bonis enim seductoribus Apostolus ait : « Ut seductores et veraces (*II Cor.* VI, 8). » Talis seductor Christus fuit, de quo Judæi dicebant : « Scimus quia seductor ille dixit adhuc vivens (*Matth.* XXVII, 63). » Et : « Alii quidem dicebant, quia bonus est : alii vero non, sed seducit turbas (*Joan.* VII, 12). » De malis vero quid attinet dicere? Manifesti enim sunt. Bonus ergo seductor beatus Petrus exstitit, qui ad fidei justitiæque amorem Romanorum multitudinem convertit (224). Invenit enim hanc quasi virginem vacantem, necdum desponsatam, neque viro traditam, dormivitque cum ea, et multos ex ea filios genuit. Cum ea namque tunc dormiebat, quando prædicationi instabat, et verbi semine filios generabat; postea vero dotavit eam fide, scientia, virtutibus et sancti Spiritus gratia eam roborando; et habuit eam uxorem, quia et gener, et dotes patri virginis placuerunt. Sequitur : « Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam « juxta modum, quem virgines accipere consue- « verunt. » Si, inquam, talis seductor fuerit, qui

(224) S. Petrus Romam veniens eam quasi virgineam vacantem sibi in uxorem duxit, et ex ea verbi Dei prædicatione, et Spiritus sancti gratia plurimos fidei filios generavit.

Digitized by Google

patri virginis non placeat, quamvis eam seduxerit, corruperit, et dotaverit; uxorem tamen eam habere non poterit. Simon Magus namque Romanam plebem seduxit, violavit, corrupit, multisque magicis illusionibus, quasi quibusdam magnis dotibus suo amori copulavit; attamen quia non solum patri hujus virginis, sed et cunctorum omnipotenti Deo displicuit, eam utique uxorem habere non potuit. Pro dotibus tamen illicite maleque compositis, pecuniam et pretium integrum reddidit, quia pro iniqua sua præsumptione æternis incendiis traditus est.

« Maleficos non patieris vivere. Qui coierit cum « jumento, morte moriatur. Qui immolat diis, occi« datur, præter Domino soli. » Quibus enim lex mortem corporis irrogat, eos, nisi pœniteat, morte perpetua, damnatos esse significat. Coire vero cum jumento, hæreticis, et immundis commisceri potest intelligi. « Advenam non contristabis, neque affliges « eum; advenæ enim, et ipsi fuistis in terra Ægy« pti. » Hoc est enim, quod dicitur : « Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. » Advenæ enim illi sunt, qui aliam patriam se habere intelligunt; sicut Psalmista ait : « Quoniam advena ego sum apud te in terra, et peregrinus, sicut omnes patres mei (*Psal.* xxxvIII, 13). » Tales qui affligit, damnationem sibi acquirit. « Viduæ, et pupillo non nocebis; si læseris « eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamo« rem eorum, et indignabitur furor meus, percu« tiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, « et filii vestri pupilli. » Quamvis enim super omnibus viduis, et pupillis valde pium sit hoc intelligere, ego tamen hanc viduam, Ecclesiam esse puto, de qua scriptum est : « Viduam ejus benedicens, benedicam (*Psal.* cxxxI, 13). » Pupilli autem sunt, quibus diabolus pater antiquus mortuus est, aqua et Spiritu sancto regenerati, facti sunt filii Dei; hos autem qui lædit, Deum vindicantem exspectet (225).

« Si pecuniam mutuam dederis populo meo pau« peri, qui habitat tecum, non urgeas eum quasi « exactor, nec usuris opprimes. » Hoc autem avari feneratores intelligant, quia hoc propter eos scriptum est : « Si pignus a proximo tuo acceperis « vestimentum, ante solis occasum redde ei : ipsum « est enim solum, a quo operietur indumentum car« nis ejus, nec habebit aliud, in quo dormiat. Si « clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors « sum. » Illis ergo præcipitur vestimentum reddi, qui tam pauperes sunt, ut aliud, quo operiantur, non habeant. Et in vestimento quidem cætera quoque intelligere possumus, quibus miseri homines vitam sustentant, quæ si eis auferantur, magnum est peccatum. Penuria namque constricti, non solum vestimentum, sed seipsos tradunt servituti; et quod adhuc durius est, ipsam quoque candidissimam fidei vestem, quam in baptismate susceperunt, et qua sola anima induitur, et sine qua unde nuditatem et turpitudinem tegant, non habent, necessitate compulsi, loco pignoris dare coguntur. Quam qui accipiunt, nisi ante solis occasum, id est antequam ad diei vitæque finem miser homo perveniat, ei reddant, et a tali obligatione eum absolvant, fraternam charitatem non habere probantur. Cum enim ille reddere pretium nequeat, et tu propter avaritiam dimittere nolis, subito ille de hac vita subtrahitur, et tu pro illo exactori traderis. Hoc illi audiant, qui eos, quos injuste in carcerem clauserant, tandem ad pecuniam deferendam in fide susceptos abire permittunt; cumque illi pecuniam habere non possint, et iterum ad carcerem reverti timeant, utique æternæ damnationis periculum 81 incurrunt. « Diis non detrahes, et prin« cipi non maledices. » Dii apostoli, Ecclesiæque doctores sunt, quibus illi quidem detrahunt, qui de eis male loquuntur, sicut Judæi et hæretici. Princeps autem populi nostri Christus est, cui qui maledixerit, maledictus erit.

« Decimas tuas, et primitias non tardabis offerre. » Decimas enim dare jubemur, quoniam ipsi decimæ sumus. Nos enim sumus drachma decima, pro qua inventa mulier gratulatur; his enim decimis electorum numerus adimplebitur. Primitias vero damus, quoniam primogenita Ægypti, et peccata originalia Dominus percussit. « Primogenitum filiorum tuorum « dabis mihi. » Primogenitus enim iste Christus est, de quo dicitur : « Qui est primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ (*Apoc.* I, 5). » Hunc autem Israel dono dedit, quoniam eum B. Maria, de ipsius stirpe nata, in templo Domino obtulit. « De bobus « quoque et ovibus similiter facies. » Si enim per boves prælatos, per oves vero subjectos intelligimus, manifestum est quia tota Ecclesia in bobus et ovibus consistit; horum autem primogenita soli illi intelliguntur qui sanctorum fidem et exemplar sequuntur, quoniam inter omnes fratres soli primogeniti obtinent principatum. « Septem diebus sit cum « matre sua, die octava reddes illum mihi. » Per septem namque, ut sæpe jam diximus, omnis hæc præsens vita intelligitur; dies vero octavus, quo Christus resurrexit, dies judicii est, in quo et nos omnes resurgemus. Unde et pro octavo quidam psalmi titulantur. Septem ergo diebus est primogenitus cum matre sua, quia sancti viri, quoadusque vivunt, ab Ecclesiæ uberibus non recedunt. Octavo vero die redduntur Domino, quia, hac vita finita, statim post carnis resurrectionem Domino præsentantur. « Viri sancti eritis mihi, carnem, quæ a « bestiis fuerit prægustata non comedetis, sed pro« jicietis canibus. » Quid enim per bestias, nisi hæreticos? Quid vero per carnem a bestiis prægustatam, nisi vel Scripturas ab eis depravatas, vel peccatores ab eis corruptos intelligimus? Talem igitur carnem comedere non debemus, quia neque eorum dogmata recipere, neque his qui ab eis violati sunt communicare, sed canibus et latronibus, quales ipsi sunt, projicere debemus.

(225) Ex cod. S. Crucis in Laurent. corrigitur errata editio.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

« Non suscipies vocem mendacii, non junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium. » Prope enim simili modo peccat, et qui mentitur, et qui mentientes libenter audiens, non redarguit. Manum autem jungit impio, qui eum sequitur, et falsum testimonium pro eo dicat. Quantum autem peccatum sit falsum testimonium dicere, ex eo apparet quod inter decem mandata hoc in tabulis lapideis a Domino scribatur.

« Non sequeris turbam ad faciendum malum. » Sed quia multi sunt, et eos retinere non vales, saltem eorum iniquitatibus auxilium et consensum præbere noli. « Nec in judicio pessimorum acquiesces « sententiæ, ut a vero devies. » Non enim quia a multis falsitatis sententia datur, ideo non peccat, qui ei acquiescens, a veritate deviat. « Pauperis « quoque misereberis in negotio. » In omni enim negotio illis maxime misericordia facienda est, qui plurimum misericordia indigere videntur.

« Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, « reduc ad eum. » Inimicus enim noster est sermo divinus, qui semper nobis, id est carni nostræ, contraria præcipit; et quamvis hic bonus noster inimicus carnem nostram semper affligat et persequatur, attamen si ejus bovem, aut asinum, id est doctum, vel indoctum aliquem errare viderimus, ad eum reducere debemus, quatenus ejus salutifera mandata suscipiat, et ab illius plenis præsepibus non recedat. Carnem quoque nostram, quæ prius ejus jugo subdita fuerat, aut quasi ejus asinus onus subinde portaverat, si jam fatigatam fugere et errare senserimus, ad eum reducere debemus, et quidquid nobis præceperit, sive jejunare, sive vigilare, sive aliud aliquid agere jusserit, adimplere.

« Si videris asinum odientis te jacere sub onere, « non pertransibis, sed sublevabis cum eo. » Hoc est enim quod Apostolus ait : « Alter alterius onera portate (*Gal.* VI, 2). » Asinus sub onere jacet, quando peccator pondere peccatorum premitur. Unde Psalmista ait : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Psal.* XXXVII, 5). » Est ergo asinus corpus humanum : quare si tibi odientes et inimici fuerint, si sub tali onere jacere videris, noli pertransire, subleva eum et adjuva; da ei consilium et auxilium quo tantum onus deponere valeat. Recordare illius Samaritani, qui hominem a latronibus vulneratum suo jumento superposuit. Et quidem in salvatione animarum, nemo inimicitias et odium attendere debet. « Non declinabis in judicium pauperis, sed « semper sine personarum acceptione judicabis. « Mendacium fugies, insontem et justum non occides, » quia adversus impium Deus est (226).

« Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. » Deus est qui loquitur, et qui mentiri non potest. Quicunque igitur excæcari, et subverti non vult, libenter munera non accipiat.

82 « Peregrino molestus non eris; scitis enim « advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis « in terra Ægypti. » Hoc autem superius dictum est, sed ideo hic repetit, ut firmius teneatur.

« Sex annis seminabis terram tuam, et congrega- « bis fruges ejus; anno autem septimo dimittes « eam, et requiescere facies, ut comedant pau- « peres populi tui; et quidquid reliquum fuerit, « comedent bestiæ agri. Ita facies in vinea et in « oliveto tuo. Sex diebus operaberis, septima die « cessabis, ut requiescat bos, et asinus tuus, et re- « frigeretur filius ancillæ tuæ, et advena. » Sæpe namque jam diximus quod sex anni, et sex dies, et sex ætates nostræ operationis tempus significant, quoniam sex diebus totum suum opus Deus peregit, et quia septimo requievit; ideo septimus annus, et septimus dies pro requie ponitur, in quo et bos, et asinus, et servus, et ancilla, et advena in cœlesti Jerusalem requiem habebunt; non quod hi, sed quod horum significata ibi habitabunt. Quod autem ista significent, prudens lector intelligit. Tunc enim adimplebitur quod scriptum est : « Euntes ibant, et flebant mittentes semina tua; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos (*Psal.* CXXV, 6). » Quod autem hic dicitur « ut comedant pauperes populi tui, et quidquid reliquum fuerit comedant bestiæ agri, » ad litteram tantum intelligendum est. Sex ergo annis terra nostra, vinea et olivetum exercetur, quoniam in hac præsenti vita carnem nostram exercere debemus; quatenus et frumentum boni operis, et vinum, quod lætificet cor hominis, et oleum misericordiæ et pietatis Deo fructificemus. Septimo autem anno requiescit, quia post hanc vitam beatitudo et requies sequitur. « Om- « nia quæ dixi vobis custodite, et per nomen exte- « rorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore « vestro; » homines enim per ea jurare solent. Ut ergo tales deos nec colant, nec venerentur, per eorum nomen jurare prohibetur.

« Tribus vicibus per singulos annos mihi festa « celebrabitis. » Tribus enim vicibus in uno anno festa celebrat, qui in unitate et trinitate Deum adorat. Hoc autem Judæus non intelligit, quia, quamvis ter in anno festa celebret, tamen Trinitatis mysterium non agnoscit. « Solemnitatem azymorum custodies, « septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi « tempore mensis novorum, quando egressus es de « Ægypto. » Hæc est autem prima festivitas, quæ quando, vel qualiter celebrari debeat, satis diligenter superius exposuimus.

« Non apparebit in conspectu meo vacuus. » Illi enim ter in anno cum muneribus Domino præsentabantur; nos autem ante conspectum et in præsentia Dei sumus. Nunquam vacuum et sine muneribus es oportet. Unde Apostolus ait : « Sine intermissione

(226) Hæc addit cod. S. Crucis in Laurent.

Digitized by Google

orate, in omnibus gratias agite (*I Thessal.* v, 17). » Qui enim sic agit, neque vacuus est, neque sine munere. « Et solemnitatem primitiarum operis tui, « quæcunque severis in agro. » Hæc autem secundâ solemnitas tunc agebatur, quando primum meteré incipientes, primitias Domino offerebant.

« Solemnitatem quoque in exitu anni, quando « congregaveris omnes fruges tuas de agro. » Et hæc quidem tertia solemnitas, prima die mensis Septembris fiebat, de qua scriptum est : « Canite initio mensis tuba, in insigni die solemnitatis vestræ (*Psal.* LXXX, 4). » Hic autem mensis ideo in exitu anni esse videtur, quoniam, totius anni tunc fructibus collectis, iterum a principio homines seminare, et annum quodammodo renovare incipiunt. De his autem solemnitatibus, vita comite, in Levitico plura dicere speramus. « Ter in anno apparebit omne masculinum « tuum coram Domino Deo tuo. » Soli masculi Deo præsentari jubentur, quoniam nihil femineum, nihil molle, nihil voluptati et luxuriæ deditum recipit vel intuetur Omnipotens.

« Non immolabis super fermento sanguinem vi- « ctimæ meæ. » Fermentum enim corruptionem, et peccatum ac malitiam, Apostolo teste, significat. Sanguinem vero victimæ, Christi sanguinem intelligimus. Præcepit ergo sanguinem victimæ super fermento non immolari, id est Christi sanguinem ab iniquis non recipi, nec sacrificari. Super fermento namque victimæ sanguis immolatur, quoniam Christi sanguis vel ab iniquis sacerdotibus conficitur, vel iniquis ad bibendum traditur. « Non remanebit adeps « solemnitatis meæ usque mane. » Omnis enim adeps Domini erat, semperque in odore suavitatis super altare incendebatur. De hoc enim adipe dicit psalmus : « Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII, 6). » Itemque : « Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat (*Psal.* XIX, 4). » Ut autem holocaustum pingue fiat, ut et gustu et odore Deum delectet, nunquam sine adipe victima offeratur, nunquam ille qui immolat adipis obliviscatur. Noli eum servare in alteram diem, quia ignoras si veneris ad alterum diem; hodie illum incende, hodie odorem suavitatis Domino redde; non sit macra solemnitas, non sit sine adipe victima; hoc est enim victima sine adipe, quod servitium sine fide. Apostolus enim dicit : « Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII, 1). » Quando ergo sic immolas, quando carnem maceras, non obliviscaris adipis, pinguescat et redoleat sacrificium tuum. « Frange esurienti panem tuum, et e- « enos, vagosque induc in domum tuam; eum vide- « ris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris (*Isa.* LVIII, 7). » Hic est enim adeps, hæc est pinguedo tuæ solemnitatis; sic pinguescat sacrificium, et sic igne charitatis accendatur in odore suavitatis.

83 « Primitias frugum terræ tuæ deferes in do- « mum Domini Dei tui. » Terra namque homo est, quia de terra factus est, cujus primitiæ, fides, spes, charitas dici possunt, quoniam de baptismate natus, has ante omnia fructificavit; sine his autem in domo Domini offerre non potest. Si autem per terram Ecclesiam intelligamus, primitiæ quidem apostoli erunt, quos Christus in domum Patris deferens ait : « Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum (*Joan.* XVII, 24). »

« Non coques hædum in lacte matris suæ. » Salvator enim noster, per similitudinem carnis peccati, hædus erat. Hunc autem, cum adhuc ad Virginis Matris ubera penderet, Herodes iniquus occidere voluit; cui nunc dicitur : « Non coques hædum in lacte matris suæ, » id est, non occides Christum, cum adhuc lactens et parvulus est; cessa a stultitia tua, quia sic a Domino præfinitum est.

« Ecce ego mittam angelum meum, qui præce- « dat te, et custodiat in via, et introducat ad locum « quem paravi; observa eum, et audi vocem ejus, « nec contemnendum putes : quia non dimittet, cum « peccaveris, et est nomen meum in illo. » Ipsum enim, quem modo hædum dixerat, nunc angelum appellat, de quo alibi scriptum est : « Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis (*Malac.* III, 1); » ideoque ait : « et est nomen meum in illo. » Patris enim nomen in Filio est, quoniam et Filius, sicut et Pater Deus est. Hic ergo Angelus a Patre missus, nos præcedit, et custodit, et in æterna tabernacula introducit. De nobis enim ista dicuntur, ut Apostolus ait : « Omnia hæc in figura contingebant illis (*I Cor.* X, 11). » Hunc observare, hunc audire, huic obedire debemus, quia non dimittet ei qui peccaverit, id est qui in peccato obduraverit.

« Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia « quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam « affligentes te, præcedetque te angelus meus, et « introducam te ad Ammorrhæum, et Hetæum, et « Pherezæum, Chananæumque, Hevæum, et Jebu- « sæum quos ego conteram. » Per has enim gentes, vitia et maligni spiritus intelliguntur, quos Dominus contrivit, et de terra lacte et melle manante ejecit, et de Ecclesia spiritualium gratiarum dulcedine abundante expulit.

« Non adorabis deos eorum, nec coles; non facies « opera eorum, sed destrues, et confringes statuas « eorum. » Si quis sanctorum martyrum passiones legerit, hoc eos fecisse inveniet; quapropter et diversis tormentis ab impiis interfecti sunt. « Servie- « tisque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus « tuis et aquis, et auferam infirmitatem de medio « tui. » Ideo enim de medio nostri, ideo de anima, et corde nostro, peccata et iniquitates auferuntur, quia panes verbi Dei quos edimus, et aquæ baptismatis quibus abluimur, efficaci benedictione a Domino benedicuntur.

« Non erit infecunda nec sterilis terra tua. » Primo namque homini dictum est : « Cum operatus fueris

Digitized by Google

terram, non dabit fructum suum, sed spinas et tribulos germinabit tibi (*Genes.* III, 18). » Nunc autem econtra terræ nostræ fecunditas promittitur, quatenus et nos, qui terra sumus, spiritualibus donis semper abundantes, et de spiritu metamus vitam æternam. Illa enim terra non est sterilis, in qua virtutum segetes oriuntur et crescunt. « Numerum « dierum tuorum implebo. » Scriptum est enim quia : « Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV, 24), » quoniam neque hic tantum vivunt quantum se vivere sperant, et ad æternæ beatitudinis dies non perveniunt. Sanctorum vero dies implebuntur, quoniam per prædestinationem qua ante sæcula prædestinati sunt vivent in æternum (227).

« Terrorem meum mittam in præcursum tuum, B « et occidam omnem populum ad quem ingredieris. » Populi enim illi, quos illi vincebant, vitia et peccata, quæ et nos vincimus significabant. Et quidem tanto hæc pugna fortior est, quanto et inimici sunt fortiores, fortiores quidem quia invisibiles. « Cunctorum- « que inimicorum tuorum coram te terga vertam, « emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, « Chananæum, et Hethæum, antequam introeas. » Quamvis enim per crabrones et vespas aliqua pars illius terræ a suis habitatoribus derelicta fuisse intelligi possit, tamen major pars magnis et duris præliis superata est.

« Non ejiciam eos a facie tua anno uno, ne terra « in solitudinem redigatur, et crescant contra te C « bestiæ; paulatim expellam eos de conspectu tuo, « donec augearis et possideas terram. » Hæc autem nos juxta litteram intelligimus; quæ si otiosus aliquis allegorice exposuerit, non contradicimus.

« Ponam terminos tuos a mari Rubro, usque ad « mare Palæstinorum, et a deserto usque ad fluvium : « tradam in manibus vestris habitatores terræ, et « ejiciam eos de conspectu vestro. » Per hos enim quatuor terminos, quatuor mundi partes intelligi possunt, ex quibus, gentium diis et malignis spiritibus expulsis, S. Ecclesia jam nunc ad eas in pace sub Christo duce tenet ac possidet. Unde scriptum est : « Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ (*Psal.* LXXI, 8). »—« Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eo- D « rum. » Hoc autem Judæi non audierunt. Nos autem nec gentium ritus, nec gentium deos colentes unum Deum colimus et adoramus, qui ait : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (*Matth.* IV, 10). » — « Non 84 habitent in terra tua; ne forte « peccare te faciant in me, si servieritis diis eorum « qui certe tibi erant in scandalum. » Propter hoc enim Judæi, sæpe in captivitatem ducti, quantum scandali sustinuerint, ipsi noverint. Nos quoque, quia has gentes, vitia intelligimus, quorum utique dii sunt maligni spiritus, non permittamus ea habitare in terra nostra; ejiciamus ea de carne nostra, ne et nos diis suis servire compellant, et in magnæ tentationis scandalum inducant. Donec enim in terra nostra vitia inhabitant, eorum insidias evitare non possumus, ideoque Apostolus ait : « Non igitur regnet peccatum in vestro mortali corpore (*Rom.* VI, 12). »

CAPUT XXIV.

« Moysi quoque dixit : Ascende ad Dominum, tu « et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta senes ex « Israel, et adorabitis procul; solusque Moyses « ascendet ad Dominum, et illi non appropinquabunt, « nec populus ascendet cum eo. » Moyses enim legislator, et Dei populi mediator, mediatorem Dei et hominum Jesum Christum significat, utriusque Testamenti datorem. Aaron vero, qui *mons fortis* interpretatur, apostoli sunt, de quibus dicitur : « Fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal.* LXXVI, 1). » Nadab vero interpretatur *spontaneus*, per quem martyres figurantur, qui sua sponte morti se pro Christo tradiderunt. At vero Abiu, qui interpretatur *pater meus est*, significat episcopos et sacerdotes, qui, quasi patres, cæteros in baptismate generant. Unde Apostolus Corinthiis ait : « In Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui (*I Cor.* IV, 16). » Septuaginta vero senes, septuaginta Christo discipuli accipiuntur. Omnes enim isti ad Dominum ascendere, et procul adorare jubentur. Solus tamen Moyses ad Dominum ascendens ei appropinquat, quoniam « nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis, qui est in cœlo (*Joan.* III, 13). » Solus enim Filius appropinquat Patri, solus sedet ad dexteram Patris. « Nemo enim novit Patrem nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare (*Luc.* X, 22). » Ascendit ergo unus, ascendunt et omnes; solus tamen ascendit, quia nemo cum eo vel ad illius similitudinem, unquam ascendit. « Venit ergo Moyses, » postquam cum Domino locutus est, « et narravit plebi « omnia verba Domini, atque judicia. Responditque « cunctus populus una voce : Omnia verba Domini « quæ locutus est, faciemus. » Nunquam enim Dominus qualis fuit, vel erit, sed qualis est, hominem judicat. Videbat enim hos quales futuri erant; recipiebat tamen eos, quales tunc erant apud Deum, non quales postea futuri (228).

« Scripsit autem Moyses universos sermones Do- « mini, et mane consurgens ædificavit altare ad ra- « dices montis, et duodecim titulos per duodecim « tribus Israel. Misitque juvenes de filiis Israel, et « obtulerunt holocausta, immolaverunt victimas « pacificas Domino, vitulos duodecim. » Ideo enim Moyses sermones Domini scripsit, ut temporis longitudine oblivioni non traderentur. Et quoniam in morte testatoris testamentum confirmatur, hic autem testator mori non poterat, aliquid fieri necesse erat, quo testamentum illud confirmaretur. Confir-

(227) Ita emendatior Cod. S. Cr. in Laurentiana.

(228) Alia lectio in cod. S. Cr. in Laurent. : *Sciebat enim quia postmodum vitulum aureum erant adoraturi; non tamen tales tunc erant apud Deum, quales postea erant futuri.*

Digitized by Google

matum est ergo sanguine vitulorum, donec veniret Ille, qui per vitulos significabatur. Unde Apostolus ait : « Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris; testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguinis effusione dedicatum est (*Heb.* IX, 16). » Mane ergo consurgens Moyses ædificavit altare ad radices montis, quoniam et Judæi, qui per Moysen significantur, primo mane super montem Calvariæ ad radices Jerusalem, et montis Sion Christo Domino crucem præpararunt; altare enim crucem significat. In hoc enim altari Christus Dominus immolatus est. Sed quia nulla duodecim tribuum de Christi morte se excusare valet, ideo duodecim vituli per duodecim tribus immolantur. Et quamvis unus fuerit vitulus, quoniam unus immolatus est Christus, tamen quia unaquæque tribus, imo unusquisque homo tenetur in integrum, ideo duodecim vitulos Moyses immolari præcepit. Et quidem unus Christus crucifixus est, immolatus est; unusquisque tamen, qui ejus morti consentiens, interfecit, totius Christi homicida est, et quamvis non omnes manus in Christum injecerint, omnes tamen Judæi per consensum occiderunt. Possumus etiam et per duodecim vitulos, duodecim apostolos intelligere, qui in Christi passione contristati, et scandalizati et quodammodo immolati sunt. Unde Apostolus ait : « Si Christus pro omnibus mortuus est, et omnes mortui sunt. Sed pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit (*II Cor.* V, 15). » Et unus ergo vitulus fuit, quantum ad immolatum, et duodecim fuerunt, imo multo plures quam duodecim, quantum ad compatientes et occidentes. Missi sunt autem « juvenes de filiis Israel, » per quos omnes Judæos intelligimus, Christi morti consentientes. « Et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino; » quibus et Deus mundo, et inter se totus pacatus est mundus. Sed quas victimas? vitulos duodecim; unusquisque enim unum vitulum immolavit, quia quicunque 85 Christi morti auxilium præbuit, Christi mortis in integrum reus habetur.

« Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, « et misit in craterem; partem autem residuam fudit super altare. » Hunc enim sanguinem Ecclesia bibit, hic ad totius populi emundationem ubique gentium effusus est. Partem vero, quam super altare fudit, illam sanguinis Christi partem intelligimus, quæ de ipsius manibus et pedibus manans crucis lignum cruentavit. « Assumensque volumen fœderis, « legit audiente populo. Qui dixerunt : Omnia quæ « locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in « populum, et ait : Hic est sanguis fœderis quod « pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. » Postquam enim populus legem sibi datam audivit, et fœdus quod cum eo pepigerat intellexit promisitque se legem tenere et fœdus servare, confestim Moyses, assumens sanguinem et spargens in populum, confirmavit testamentum, dicens : « Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus suis. » Hoc enim et Christus fecit, qui Novum Testamentum confirmans, calicem accipiens, ait : « Hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Luc.* XXII, 21). » Totum enim quod Moyses aiebat hoc quod Christus postea peregit significabat.

« Ascenderunt Moyses, et Aaron, Nadab et Abiu, « et septuaginta de senioribus Israel, et viderunt « Deum Israel, et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum, cum serenum est. » Quod enim Moyses, confirmato testamento, simul cum senioribus Israel ad videndum Deum ascendit, significatio erat quod immolato agno, et Christi sanguine fuso Novoque Testamento confirmato, cœli porta aperitur, et Jesus Sacerdos magnus, Sancta sanctorum ingreditur, et in cœlesti palatio ab hominibus Deus videtur. « Ubi enim fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ (*Luc.* XVII, 37). » Erat autem « sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini » Sapphirinus enim cœli sereni habet colorem; unde et subditur : « Et quasi cœlum, cum serenum est. » Qui igitur ad Deum accedere, Deum videre, Dei pedibus propinquare desiderat, fugiat tenebras, pellat nubes, ejiciat animi perturbationes, totus tranquillus, totus serenus, cœlo similis, terræ dissimilis, quatenus totus clarus et purus angelorum consortia mereatur. Sequitur : « Nec super eos, qui procul re« cesserant, misit manum suam. »—« Longe enim a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII, 155), » et qui Deum fugiunt et funibus peccatorum distracti procul ab eo recedunt, ejus protectione indigni sunt. « Viderunt« que Deum, et comederunt ac biberunt. » Deus enim, qui natura invisibilis est, se quodammodo videri permittit, dum qualicunque similitudine potentiam suam demonstrat. Unde superius in rubo ardente se Moyses eum vidisse testatur. Quod autem isti comederint ac biberint, nisi de supradicto sacrificio intelligatur, scire non possum. Sanctorum vero et Deum videntium cibi et potus, summi boni contemplatio est.

« Dixit autem Dominus ad Moysen : Ascende ad me « in montem, et esto ibi, daboque tibi duas tabulas « lapideas, et legem, ac mandata, quæ scripsi, ut « doceas filios Israel. » Quicunque Dominum videre alloqui et audire desiderat, ascendat in montem, propinquet cœlo, et totus a terrenis voluptatibus elevetur. Hoc enim Moyses toties in montem ascendens significabat. Quod vero filii Israel legem et mandata in lapidibus scripta suscipiunt, eorum duritiam et incredulitatem demonstrat; lapides enim erant, ideo dura mandata in lapidibus efformata suscipere meruerunt.

« Surrexeruntque Moyses et Josue, minister ejus, « ascendensque montem, senioribus ait : Exspectate

Digitized by Google

« hic, donec revertamur ad vos. Habetis Aaron, et « Hur vobiscum. Si quid natum fuerit quæstionis, « referetis ad eos. » Ascendens enim Moyses in montem, reliquit pro se vicarios, qui lites, quæstiones et discordias vice sua in populo definirent.

« Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes « montem, et habitavit gloria Domini super Sinai, « tegens illum sex diebus. Septimo autem die vo- « cavit eum de medio caliginis. » Moyses enim hoc in loco, apostolos et doctores; mons vero Sinai, montem Sion, id est sanctam Ecclesiam, significat. Ut enim Moyses in monte Sinai, ita apostoli et doctores in monte Sion legem susceperunt. Nubes vero, quæ montem operuit, est omnis scientiæ et sapientiæ plenitudo, quæ super Ecclesiam descendit et pluit. « Habitavit autem gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus; » quoniam virtus miraculorum et gratia Spiritus sancti usque ad sæculi consummationem Ecclesiam non relinquit, secundum illud quod Dominus ait : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Sex enim dies, ut jam sæpe diximus, totam hanc laboriosam vitam significant. « Septimo autem die vocavit Dominus Moysen de medio caliginis; » quia, finitis hujus vitæ laboribus, et diebus, de hoc mundo, tenebris et caligine pleno, fideles suos ad se Dominus vocabit.

« Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis « ardens super verticem montis in conspectu filio- « rum Israel. » Illud enim est gloria Domini : in quocunque glorificatur Dominus. Si enim videns ignem, glorifices Dominum, gloria Domini est ignis. Similiter autem sol, luna, et stellæ gloria Domini sunt, quoniam in eis glorificatur 86 Dominus, et ad hunc modum, cætera. « Ingressusque Moyses medium « nebulæ, ascendit in montem, et fuit ibi quadra- « ginta diebus et quadraginta noctibus. » Non immerito quidem Vetus Testamentum obscurum et profundum est, siquidem in nebula et caligine datum est; illa enim nebula prætendebat hanc obscuritatem quam nos modo sentimus. Et quia nos quoquomodo nebulam et profundiorem hujus libri caliginem intrare incipimus, omnipotentem Dominum deprecemur, qui lucem habitat inaccessibilem, ut ea quæ Moysi in caligine dedit, nobis in luce revelare dignetur. Illud quoque non vacat a mysterio quod in quadraginta diebus lex data est; quadragenarius enim numerus ex quatuor et decem constat; quatuor enim decem, et decies quater quadraginta sunt. In decem ergo Vetus, in quatuor vero Novum Testamentum accipias, quoniam illud in decem mandatis, hoc in quatuor Evangeliis continetur; dies ergo quadraginta significant, quoniam ambo Testamenta unum sunt, et alterum in altero datum, et sine altero alterum esse non potest, sicut in quadraginta, quatuor et decem sine se esse non possunt : utrumque enim Testamentum novum fit, si spiritualiter intelligamus.

CAPUT XXV.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias ab « omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas. « Hæc sunt autem quæ accipere debetis : aurum, « et argentum, et æs, hyacinthum, et purpuram, « coccumque bis tinctum, et byssum, pilos caprarum, « et pelles arietum rubricatas, pelles hyacinthinas, « et ligna Setim, et oleum ad luminaria concinnan- « da, aromata in unguentum, et thymiamata boni « odoris, lapides onychinos, et gemmas ad ornan- « dum ephod et rationale. » Præcipit enim Dominus Moysi, ut eorum primitias et oblationes, ad tabernaculi usum, suscipiat qui eas sponte et voluntarie Domino offerant. Nullam enim oblationem diligit Deus, nisi eam, quæ cum affectu animi, et desiderio offertur. Hæc sunt autem prima munera, quæ filii Israel Domino obtulerunt, unde et primitiæ non immerito vocantur. « Hæc sunt, inquit, quæ accipere « debetis; aurum, et argentum, et æs. » Aurum pro sapientia ponitur, unde scriptum est : « Desiderabilis thesaurus requiescit in ore sapientis (*Prov.* XIV, 33). » Et Apostolus : « Habetis, inquit, thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV, 7). » Argentum autem eloquii puritatem designat; unde Psalmista ait : « Eloquia Dei, eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI, 7). » Æs vero quia præ cæteris metallis clarius sonat, facundiam et eloquentiam significat. Unde Apostolus : « Si linguis, ait, hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens (*I Cor.* XIII, 1). » Aurum igitur, argentum et æs simul ad tabernaculi ædificium deferuntur, quoniam sapientia sine veritate, et eloquentia, mala et inutilis est; ideoque de sapientibus sine veritate scriptum est : « Sapientes sunt, ut faciant mala; bene autem facere nesciunt (*Jer.* IV, 21). » De multis quoque et infacundis sapientibus dicitur : « Canes multi, non valentes latrare (*Isa.* LVI, 10). » Et illud : « Qui abscondit frumentum, maledicitur in populis (*Prov.* XI, 26). » Itemque : « Sapientia occulta, et thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque? (*Eccli.* XX, 32.) » Habet igitur Dei tabernaculum aurum, id est sapientiam; habet et argentum, id est eloquii puritatem; habet et æs, id est eloquentiæ fecunditatem. Tale ego ædificium, talem decet habere materiam. Sequitur : « Hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum. » Hæc autem et Josephus exponens, quatuor elementa significare dixit, volens per hyacinthum, qui aerei coloris est, aerem significari; per purpuram vero, aquam, quia ex piscium sanguine tingitur, qui de aqua oriuntur et in aqua versantur. Coccum vero, quoniam penitus ardentis, et sanguinei coloris est, ignem significare voluit. Byssum vero terram, quoniam de terra oritur. Per hoc nimirum significare volens, quoniam Dei tabernaculi homines ipsi materia sunt, et sicut ex his quatuor elementis constituitur homo, ita ex hominibus Dei tabernaculum

Digitized by Google

constituitur. Aliter autem per has quatuor res nobilissimas, quatuor virtutes principales intelliguntur, in quibus cæteræ omnes virtutes continentur, et sine quibus vanæ et inutiles esse probantur; sunt autem hæc, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Hyacinthus igitur, qui cœlestem, et divinum colorem habet, prudentiam significat, quæ de cœlestibus a Deo descendit, secundum illud : « Omnis sapientia a Domino Deo est (*Eccli.* I, 1). » Purpura vero, qua reges et principes induuntur, justitiam designat. Unde et his qui purpura induti sunt dicitur : « Diligite justitiam, qui judicatis terram (*Sap.* I, 1). » Per coccum vero, qui sanguinei coloris est, fortitudo signatur, qua SS. martyres, usque ad sanguinem pugnantes, in Christi fide fortissimi exstiterunt. At vero per byssum, qui de terra oritur, temperantia intelligitur, quoniam sicut terra omnium elementorum media est, et in se omnia recipit elementa, ita et temperantia inter omnes virtutes media discurrit, omnesque conciliat, atque conjungit. Hæc autem in Dei ædificio posita sese respiciunt, et sibi vicissim decorem et pulchritudinem subministrant; aurum ad argentum inspiciat, et sapiens sine puritate eloquii non loquatur; argentum respiciat aurum, et sine sapientia ipsum quoque, quod purum et verum est, non dicatur. **87** Non enim quod verum est, dicere idoneum, et utile est, et non magis mentiri, quam verum dicere, aliquando noceat. Aurum quoque, et argentum æs intueatur, ut nec sapientia, nec veritas sit otiosa. Otiosa quidem est, si non dicatur, si non proferatur, si æris, vocisque sono non audiatur. Æs quoque aurum et argentum attendat, et qui facundus et eloquens est, sine sapientia, et veritate, silentium habeat. Similiter autem prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, quæ per hyacinthum, purpuram, coccum, et byssum intelliguntur, sic consentiant seque vicissim sequantur, quoniam unaquælibet earum sine cæteris inutilis est. Sapiens enim erat Salomon, sed quia fortitudine carebat, a mulieribus victus est. Ozias rex justus, quia temperantiam non habuit, ab hostibus interfectus est. Fortissimus inter omnes fuit Samson, sed sapientiæ pauper, oculos amisit. Sed quid de temperantia dicam? quæ nisi aliarum auxilio virtutum muniatur, facile Deum et veritatem negare compellit; ipsa tamen cæterarum est condimentum, atque sine ea omnes aliæ vanæ et stultæ esse videntur. Cætera videamus.

« Pelles caprarum, et pelles arietum rubricatas, pelles hyacinthinas et lignum Setim. » Hæc quoque ad tabernaculi constructionem offerri jubentur. Offerunt ergo pilos caprarum, ut peccatoribus ad pœnitentiam venientibus non desint cilicia quibus induantur. Offerunt autem et pelles arietum rubricatas, ut et martyres inveniant indumentum; offerunt et pelles hyacinthinas, quibus prælati quique induti sola cœlestia contemplentur. Sed quid per ligna Setim, quæ fortia et imputribilia esse perhibentur, nisi viros sanctos intelligimus, qui quoniam per fidem vicerunt regna, æternas adepti sunt repromissiones? Bene autem Setim *spinas* interpretatur; siquidem viri sancti per multas tribulationes intrant in regna cœlorum. Setim autem locus est, de quo in libro Numeri dicitur : « Morabatur autem eo tempore Israel in Setim (*Num.* XXV, 1). » Cætera autem, quæ sequuntur, suo loco exponenda relinquimus. Nunc autem quod instat, dicamus.

« Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in « medio eorum. Juxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, et omnium vasorum in « cultum ejus; sicque facietis illud. » Sanctuarium, totum tabernaculum dicit, quod ad eam similitudinem fieri jubet, quæ Moysi in monte monstratur. Non solum enim verbis narrata, sed spirituali quadam visione hæc Moysi a Domino fuisse revelata, non incongrue dici potest. Totum autem tabernaculum in duo dividitur, in Sancta videlicet, et Sancta sanctorum. Unde Apostolus : « Tabernaculum, inquit, factum est primum, in quo erat candelabrum, et mensa et propositio panum, quod dicitur Sancta (*Hebr.* IX, 12) » Post velamentum autem, secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et aream testamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea, habens manna, et virgam Aaron quæ fronduerat, et tabulas testamenti. Hæc autem ideo præmisi, ut de arca loecuturi facilius quid significent intelligamus.

« Arcam de lignis Setim compingite, cujus longitu- « do habeat duos et semis cubitos; latitudo cubitum et « dimidium; altitudo similiter cubitum, et semissem, « et deaurabis eam auro purissimo intus et foris. » Quid enim per hanc aream, nisi Ecclesiam catholicam intelligamus? Non autem hanc, quæ in hoc mundo adhuc degens, multas injurias patitur; imo illam, quæ cœli velamentum transgressa jam habitat et moratur in Sancta sanctorum. De qua Apostolus ait : « Illa autem Jerusalem, quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra (*Gal.* IV, 16). » De hac autem arca et Joannes apostolus ait : « Et apertum est templum Domini in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus (*Apoc.* XI, 19). » Hæc autem arca compingitur atque construitur de lignis Setim, id est de lignis fortibus, et imputribilibus, de lignis spinarum, de quibus Christus coronatur. Christi namque corona, sancti sunt, quoniam pro ipsis et certavit, et vicit, et coronatus est. Omnis autem hujus areæ dimensio aliquid imperfectionis habere videtur, quoniam et in longitudine et in latitudine dimidium posuit; in altitudine vero semissem. Hoc autem ideo fit, quia illa nobilis et cœlestis arca nondum perfecta est, neque ad sæculi consummationem perficietur; quotidie enim aliqui ædificantur in ea; quotidie, deferentibus angelis, lapides, id est sanctorum animæ, illuc ascendunt, ex quibus ejus muri ædificantur (229). Unde Psalmista ait : « Benigne fac, Domine, in bona voluntate

(229) Cod. S. Cr. in Laurent. *aliquid ædificatur in ea.*

Digitized by Google

tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem (*Psal.* L, 20). » Unde et sanctorum animabus a Domino dicitur : « Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum (*Apoc.* VI, 11). » Non enim perfectam beatitudinem habebunt sancti, donec animabus, corporibus conjunctis, tota simul sanctorum multitudo super cœlos elevetur. Et tunc quidem, omnibus perfectis, nihil erit in quo hæc arca crescat, nihil erit in quo minui timeat; nihil tunc habebit dimidium, quia « cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (*I Cor.* XIII, 10). » Deauratur autem auro purissimo intus et foris, quia sapientiæ nitorem, quem interius habet, foris quoque prædicando monstrabit. Qui enim sibi datam sapientiam celant, illi intus, et non foris sunt deaurati. Cum enim Apostolus dicit : « Sapientiam SS loquitur inter perfectos (*I Cor.* II, 6), » tunc intus et foris se deauratos esse significat.

« Faciesque super coronam auream per circu- « itum. » Quid est enim quod hæc arca per circuitum coronatur, nisi quia sanctorum multitudo, quæ per hanc arcam significatur, jam bello peracto et superatis inimicis, pro victoria et triumpho a Deo est coronata? « Nemo enim, ait Apostolus, coronabitur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 3). » Itemque : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona justitiæ (*II Tim.* IV, 7). » Coronatur ergo tota arca, coronatur et unusquisque, qui est in arca, quoniam et singuli proprias, et omnes simul unam habent coronam. « Facies et quatuor circulos au- « reos, quos pones per quatuor angulos arcæ : duo « circuli sint in latere uno, et duo in altero. » Quatuor enim circuli, quatuor sunt virtutes principales, sine quibus hæc arca nec moveri, nec portari potest. Ponuntur autem per quatuor arcæ angulos, ut hinc habeat prudentiam, inde justitiam, hinc fortitudinem, inde temperantiam. Quatuor quoque Evangelia, per quatuor circulos intelliguntur, quæ quoniam sapientiæ fulgore rutilant, non immerito auro comparantur; horum autem prædicatione hæc arca construitur, levatur et portatur. « Facies quoque « vectes de lignis Setim, et operies eos auro, indu- « cesque per circulos, qui sint in arcæ lateribus, ut « portentur in eis. Qui semper erunt in circulis, nec « unquam extrahentur ab eis. » Quid enim per vectes, nisi doctores? Hi autem sunt de lignis Setim, utpote fortes, æterni, indeficientes. Qui ideo auro operti dicuntur, quoniam sapientiæ luce præfulgent. Inducuntur autem per circulos aureos, ut arca portetur in eis, quoniam Evangeliorum sententiis involuti ad arcam sublevandam debent esse parati. Unde et in circulis semper esse, et nunquam ab eis extrahi recte jubentur, ut quoties arcam elevari necesse fuerit, nulla in eis mora inveniatur. Arcam enim elevare, est sanctorum virtutes, triumphos, gloriam, et honorem, et beatitudinem verbis extollere, et prædicare. Arcam enim Apostolus levabat, cum diceret : « Quæ A oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 9). » Christus quoque non solum eam levabat, sed etiam super cœlos exaltabat, quando dicebat : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V, 3), » etc. Non ergo separentur vectes a circulis, non recedant doctores ab Evangeliis, semper præsto sint, semper ad arcam ferendam, et Evangelium prædicandum sint parati, ut valeant reddere rationem de quibuscunque fuerint interrogati; ne forte tunc circulos quærant, et non inveniant, quando eis respondere, et arcam elevare necesse fuerit.

« Ponesque in arcam testificationem, quam ego B « dabo tibi. » Hanc autem testificationem legem intellige, quam in duabus tabulis lapideis Dominus scripsit. Hæc autem in arca posita est, quoniam sanctorum cordibus tradita est. Et bene lex in arca clauditur; Evangelium autem circa eam per quatuor angulos ponitur, quoniam legis ritus, et cæremoniæ absconsæ jacent; Evangeliorum vero præcepta per quatuor mundi partes diffunduntur et prædicantur. Erat autem in hac arca, ut Apostolus ait, « urna aurea habens manna (*Hebr.* IX, 4), » per quod Christum intelligimus, omnis sapientiæ et scientiæ dulcedine plenum. Erat ibi et virga Aaron, quæ fronduerat, id est Virgo Maria, quæ arida et sine semine peperit filium.

« Facies et propitiatorium de auro mundissimo: C « duos cubitos et dimidium habebit altitudo ejus, « semissem et cubitum latitudo. » Propitiatorium, oraculum vocat, quo arca tegebatur (230). Merito autem arca Dei sanctarum animarum et beatorum spirituum collectio est, et propitiatorium appellatur; quoniam Dei clementiam, et propitiationem super se semper intuentes, non solum quæ petunt et orant, verum et quæcunque desiderant, adipiscuntur : nihil enim aliud velle possunt, nisi quod Dominum velle cognoscunt. Et si igitur aliquid desiderant, sic illud desiderant ut a Dei voluntate non recedant. Est et propitiatorium de auro mundissimo, quoniam tam sapienter propitiatur Deus, ut sua propitiatione nunquam fallatur, quoniam nisi pœnitenti nulli unquam D propitiatur. At vero homines illis multoties propitii sunt, quibus propitii esse non deberent. Et quoniam nec semper, nec omnibus propitiatur Deus, ideo in propitiatorii quoque dimensione imperfectum aliquid, semissem videlicet et dimidium posuit.

« Duos quoque cherubim aureos et productiles « facies ex utraque parte oraculi, et cherubim unus « sit in latere uno oraculi, et alter in altero, utrum- « que latus propitiatorii tegant, expandentes alas, « et operientes oraculum. » Quid enim per duos cherubim nisi duo Testamenta intelligere debemus? Interpretatur enim cherubim *scientiæ plenitudo;* at vero scientiæ plenitudo in his duobus continetur. Qui bene aurei et productiles esse dicuntur, quo-

(230) Errata editio corrigitur a cod. S. Cr. in Laurent.

Digitized by Google

niam et sapientia fulgent, et non sine magno labore in cordis incude formari possunt. Est autem cherubim unus in latere unc oraculi, et alter in altero, quoniam nisi per eos, nemo ad oraculum venire potest. Nemo enim Deum propitium inveniet, nisi prius ab his fidei documenta suscipiat; hæc enim, prius etiam quam 89 scriberentur, Abraham et cæteri patriarchæ docuerunt; omnis enim divina sapientia hinc manavit. Tegunt autem utrumque latus propitiatorii, quatenus ipsum propitiatorium, et quæcunque sub eo sunt, id est arca et vectes, Ecclesia et doctores, sapientia et scientia repleantur: et videntes eorum alas, volare discant, quoniam in pennis eorum sanitas est, omnesque eorum sententiæ homines ad cœlestia ferunt: his enim alis volant, his ad corda hominum dilabuntur.

« Respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca; in qua ponnes testimonium, quod dabo tibi. Inde præcipiam, « et loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio « duorum cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel. » Quod cherubim se mutuo respiciant, amborum testamentorum amicitiam et concordiam significat; idem enim ambo testantur et dicunt. Habent autem vultus versos in propitiatorium, quo tegitur arca, quatenus ab omnibus videantur et cognoscantur, nullusque in arca et sanctorum congregatione sit, qui eorum faciem extraneam et incognitam habeat. Hoc autem illi audiant, qui sacras Scripturas meditari negligunt. In hac autem arca, ut superius dixerat, testimonium ponere jubetur, per quod tabulæ testamenti intelliguntur; quatenus S. Ecclesia nunquam legis sibi datæ obliviscatur; et quoniam duo sunt Testamenta, Vetus videlicet et Novum; ideo bis in arca Testamentum ponere jussit. Sequitur: « Inde præcipiam, et loquar ad te; » id est, si quando tibi loquar, si qua filiis Israel per te mandavero, ibi me quæras, ibi me invenies, inde tibi loquar; unde? super propitiatorium et de medio duorum cherubim. Qui ergo vult loqui cum Deo, veniat ad cherubim, currat ad Scripturarum testamenta, ibique Dominum et loquentem, et propitiantem inveniet. Vis enim in cherubim Dominum loquentem audire? « Ego, inquit, sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: non habebis Deos alienos absque me (*Levit.* xi, 45). » Et in Novo: « Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* x, 9). » Sic igitur loquitur Deus de medio cherubim.

« Facies et mensam de lignis Setim, habentem « duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, « et in altitudine cubitum ac semissem, et inaurabis « eam auro mundissimo. » Post arcæ fabricationem, mensam Moyses facere jubetur, quæ quidem idipsum significat, quod modo cherubim significare diximus. Mensa enim hoc in loco divina sapientia intelligitur, de qua mensa scriptum est: « Parasti in conspectu meo mensam (*Psal.* xxii, 5). » Itemque: « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum (*Psal.* lxviii, 22). » Divina namque Scriptura et cherubim dicitur, quoniam omnis scientiæ est plenitudo, et quibusdam velocibus alis subito volans omnia replet; et mensa vocatur, quia multis diversisque deliciis animam pascit. Fit autem hæc mensa de lignis Setim, quæ fortia quidem et imputribilia sunt, per quod divinam Scripturam æternam et indeficientem demonstrat. Est autem mensa ista et in longitudine, et in latitudine perfecta, et sine diminutione, quoniam neque in longitudine, neque in latitudine semissem habet; in altitudine vero semissem habet, unde et imperfecta in altitudine esse videtur; ad semissem namque ut cubitus perficiatur, semper addere aliquid necesse est; cubitus autem nihil indiget. Et bene quidem in longitudine et altitudine diminutionis nihil habet hæc mensa; quoniam usque ad sæculi consummationem, quæ est ejus longitudo, cunctis ad eam venientibus, spiritualem cibum sufficienter ministrabit. In latitudine quoque, qua per universos mundi terminos dilatatur, nihil habens diminutionis, abunde ter reficit omnes; at vero cum in altum se extendit, ut de superioribus loquatur, quoniam de Deo, et de unitate, et Trinitate, qualiter etiam Spiritus sanctus a Patre et Filio procedat, nos ad plenum instruere et satiare non valet, magnam in altitudine diminutionem hæc mensa habere videtur. Beatus enim Paulus in altitudinem captus, quædam se audisse dicit, quæ super hanc mensam ponere non audet. « Audivi, inquit, enim arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor* xii, 4). » Quæ enim loqui non licet, nec scribere licet; quæ vero scribere non licet, super hanc mensam non ponuntur. Est enim hæc mensa divina Scriptura. Patet igitur, quantum diminutionis hæc mensa in altitudine habeat; est autem auro mundissimo inaurata, quoniam sincerissimo sapientiæ et scientiæ nitore tota refulget. Sequitur:

« Faciesque illi labium aureum per circuitum, et « ipsi labio coronam interrasilem, altam quatuor « digitis, et super illam alteram coronam aurea- « lam. » Quid est enim, quod huic mensæ labium fieri jubetur? numquid ipsa locutura est, et dictura: « Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam? » (*Psal.* l, 17.) Ipsa certe hoc dicit, quoniam quicunque hoc dicit, per eam dicit; imo ipsa non per se, sed per alios hoc dicit: illi ergo sunt hujus labia, per quos hæc dicit. Vos quidem, vos, apostoli, hujus mensæ labia estis; vos labia aurea in circuitu ejus omnes ejus delicias devoratis. Tu labium aureum, beate Paule, quid dicis? Vis audire quid? « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* ii, 6). » Vere utique hoc labium aureum est. Et illud quidem labium aureum est, a quo dicitur: « In principio erat Verbum (*Joan.* i, 1). » Quid est hoc, quod dicere volui? Omnes enim apostoli labia aurea sunt. Indulge mihi, Deus, indulge, qui pollutis labiis, de labiis aureis loqui præsumo. Et ipsi quoque labio fecit coronam interrasilem,

Digitized by Google

altam **90** quatuor digitis. Non ergo mensa, sed labium coronatur. Quis enim regum, sicut apostoli, dignus unquam fuit corona ? Quis tot hostes vicit ? Quis tot regna superavit ? Quis toties de suis adversariis triumphavit ? De hac enim corona certus Apostolus dicebat : « De reliquo reposita est mihi corona justitiæ (*II Tim.* IV, 8). » Habet igitur labium coronam interrasilem, sculptam et variatam, multoque artificio compositam, quoniam per multos labores victoriæ palmas et coronas apostoli susceperunt. Hæc autem corona quatuor digitis alta esse dicitur, quia quatuor mundi partibus superatis, hanc sui sanguinis pretio apostoli mercati sunt. Ergo juxta regnorum mensuram crevit et quantitas coronæ. Nam et mundi principes quot regna vincebant, tot sibi diademata antiquitus imponere solebant. Fecit autem et alteram coronam aureolam super illam. Primam ergo coronam habent, quia mundum vicerunt; secundam vero, quia vitia superaverunt. Sic ergo apostoli Ecclesiæque doctores duas merentur habere coronas; unum pro eis, quos ad fidem convertunt, de qua Apostolus ait : « Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, charissimi. (*Phil.* IV, 1). » Alteram vero pro vitiis et malignis spiritibus superatis, qua quidem Christi confessores coronantur.

« Quatuor quoque circulos aureos præparabis, et « pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per « singulos pedes. Subter corona erunt circuli aurei, « ut mittantur vectes per eos, et possit mensa portari. » Quid vero quatuor circuli aurei, et quid vectes significent in arcæ constructione, superius dictum est. Quatuor enim circuli, quatuor sunt virtutes principales ; vectes vero, episcopi et doctores. Sunt autem isti circuli in quatuor angulis, ut omnibus ad mensam venientibus primi occurrant. Hujus etenim mensæ cibis ille indignus est, qui per hos circulos intrare non vult. Hæc est enim illa angusta porta, de qua dicitur : « Intrate per angustam portam, quæ ducit ad vitam (*Luc.* XIII, 24). » Qui ergo his circulis non tenetur; scilicet qui prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam non custodit, hujus se mensæ facit indignum. Per hos ergo circulos transeant vectes, his virtutibus catenati et connexi teneantur episcopi et doctores ; nunquam ab eis recedant, nunquam prudentiæ, nunquam fortitudinis, nunquam temperantiæ obliviscantur. His enim vectibus portatur mensa, quoniam ab episcopis spiritualis alimoniæ cibaria deferentibus nutritur populus. Quod autem circuli subter coronam ponantur, hoc est intelligere, quod omnes quicunque circulis adhærent, digni sunt, qui coronari debeant. Sequitur : « Ipsos quoque vectes « facies de lignis Setim, et circumdabis auro, ad « subvehendam mensam. » Beati episcopi si hoc intelligant, si se ligna Setim, ligna fortia et imputribilia, esse cognoscant, si auro circumdati, et virtutum nitore, et sapientiæ, et scientiæ luce præfulgeant.

« Parabis et acetabula, ac phialas, thuribula, et « cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex « auro purissimo. » Quid nos peccatores faciemus ad libamina offerenda vocati, cum de auro purissimo Deus omnia hæc fieri præcipiat? Per hoc enim minores gradus Ecclesiæ intelligimus. Omnia enim hæc vasa ministerii sunt, in quibus sacrificium offerebatur. Vult igitur Deus noster, qui ait : « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (*Levit.* XI, 44). » ut non solum episcopi, verum et diacones, et subdiacones, et cæteri Ecclesiæ et altaris ministri, et doctrina et vita refulgeant.

« Et pones super mensam panes propositionis, in « conspectu meo semper. » Ego panes istos puto omnia sanctarum Scripturarum volumina. Quinque enim panes Moyses in hac mensa posuit, et quidem ineffabilis saporis et pulchritudinis. Christus autem quamvis omnes posuerit « ipse est panis vivus, qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 59), » tamen quatuor principales obtulit, quibus nullæ deliciæ comparari possunt. Posuit autem et Isaias, et Jeremias, omnesque prophetæ. Posuit et beatus Paulus panes suos, quos quales sint non est necesse laudare. Sed quis omnes enumerare valeat, qui ad hanc mensam panes detulerunt ? Et adhuc quidem super hanc mensam panes ponuntur. Idem enim ait : « Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. » Non enim sine causa additum est, « semper » ; quod enim semper fit, omni tempore fit. Ego autem quia super hanc mensam panes ponere dignus non sum, precor te, Domine Jesu, ut saltem de his, qui positi sunt, ventrem mihi adimplere concedas. Hæc autem de mensa dicta sufficiant; nunc de candelabro videamus.

« Facies et candelabrum ductile de auro mun- « dissimo, hastile ejus, et calamos, scyphos, et « sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia. Sex ca- « lami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, « et tres ex altero. Tres scyphi quasi in modum « nucis per calamos singulos, sphærulæque similiter « et lilium, et tres similiter scyphi instar nucis in « calamo altero, sphærulæque et lilium. Hoc erit « opus sex calamorum, qui producendi sunt de « hastili. In ipso autem candelabro erunt quatuor « scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, « et lilia. Sphærulæ sub duobus calamis per tria « loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili « uno. Et sphærulæ igitur, et calami ex ipso erunt, « universa ductilia de auro purissimo. Facies et lu- « cernas septem, et pones eas super candelabrum, « ut luceant ex adverso. » Totum candelabrum posuimus, ut prius ad litteram ejus forma dignoscatur, et qualiter factum fuerit intelligatur. **91** Hastile enim ejus usque ad summum continuum erat, in quo per quatuor loca, quatuor scyphi in modum nucis erant, quos fortasse nos modo dicere

Digitized by Google

possumus. Super quos sphærulæ, id est rotulæ quædam erant, atque super ipsas rotulas erant lilia per quatuor loca. Erantque tres calami ex uno latere hastilis et tres ex altero, qui simul sex fiunt. Sub calamis autem erant spherulæ, per tria loca tres scyphos in modum nucis habebant, et super scyphos spherulas, et super sphærulas lilia. Septem autem lucernæ desuper erant, una in hastili, et sex in calamis. Non enim putandum est, quod ad inanem usum pascendum, sed ad magnum sacramentum insinuandum tam artificiosum, et mirabile candelabrum Dominus per Moysen fieri jussit. Hoc enim candelabrum Christus est, qui ait : « Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt (*Luc.* XI, 33). » Quod quidem merito fit de auro purissimo, quia Christus Dominus noster, Dei virtus et Dei sapientia, totus mundus, et purus sine ulla vitiorum contagione, peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Hastile autem hujus candelabri, corpus Dominicum intelligimus ; calami vero de hoc hastili procedentes, et septem lucernæ super eos ardentes, septem sunt gratiæ Spiritus sancti, quibus Salvator noster repletus est. Unde per prophetam dicitur : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI, 1). » Hæ sunt ergo septem lucernæ, quæ super candelabrum positæ lucent ; ex adverso quidem, quia sicut in sequentibus dicetur, contra mensam ex alia parte candelabrum positum erat ; tota enim mensa his lucernis illuminatur, omnisque locus tenebrosus est, quem istæ lucernæ non illustrant. Quatuor vero scyphi erant in hastili, per quos quatuor Evangelia intelligimus, quorum tota integra et perfecta scientia continetur in pectore Salvatoris ; siquidem et inde emanaverunt. Bene autem Evangelia scyphis comparantur, quoniam ipsis propinantibus et fidei vinum ubique fundentibus, totus mundus ex eis repletus et inebriatus est. Posuit autem et quatuor sphærulas super scyphos, quoniam unumquodque Evangelium, totum portat et sustinet mundum : spærulæ enim totius mundi rotunditatem et ambitum significant. Et quamvis unus tantummodo sit mundus ; tamen, quia quatuor sunt Evangelia, quibus tenetur et regitur, unicuique Evangelio totus in integrum mundus ascribitur. Et quidem non immerito, quia unumquodque Evangelium per se universo mundo sufficeret ad fidem, doctrinam, et salutem. Quamvis per quatuor sphærulas, quatuor mundi partes, Oriens videlicet et Occidens, Septentrio et Meridies non incongrue intelligi possint, ut unicuique Evangelio una pars mundi ascribatur ; et ita fiet ut singuli scyphi suas proprias sphæras habeant. Restat autem ut de liliis dicamus : sicut enim singuli scyphi singulas sphæras, ita et singulæ sphæræ singula lilia super se habent. Sed quid per lilia nisi virtutum flores, et bonorum operum odores, et candidatum sanctorum exercitum intelligimus? Hæc autem lilia tunc primum super sphæras apparuerunt, quando scyphi Evangelicæ prædicationis mundum irrorare et infundere cœperunt. Et ego quidem superiorem sphæram episcoporum chorum esse puto, quæ sphæra, quoniam lucernis propior erat, majoribus sacramentis episcopos illustrari, et plus luminis et intelligentiæ eos suscipere significabat. Secunda vero sphæra, chorus sacerdotum et aliorum graduum intelligatur, qui quidem et sub episcopis est, et non tantum ad luminis claritatem accedit. Tertia vero laicorum omnium, qui non solum episcopis, verum etiam cunctis ordinibus ecclesiasticis superpositis adhærebant, omnes Ecclesiæ ordines aliquid gratiarum sancti Spiritus participare demonstrat.

Descriptis ergo omnibus, quæ ad candelabri hastile pertinebant, nunc de ejus calamis videamus. Habebat enim unusquisque calamus tres scyphos, totidemque sphærulas et lilia. Tres enim scyphi tres species sapientiæ sunt : physica, id est naturalis, ethica, id est moralis, logica, id est rationalis. Ex his enim tribus sapientiæ partibus, quasi ex tribus scyphis, imo quasi ex tribus fluminibus omnis sapientia decurrit ; his totus mundus potatur et inebriatur. Hos ergo tres scyphos unusquisque calamus, id est unaquæque gratia Spiritus sancti habet, quoniam quæcunque Spiritus sancti gratia tetigerit, omnis scientiæ plenitudine replere valet ; portat enim hos scyphos, quibus omnes satiat sitientes. Unde ipsa Veritas ait : « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 38). » Quod evangelista continuo exponens ait : « Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum (*ibid.*, 39). » Tres ergo scyphi calamis adhærent, quoniam sapientia a Domino Deo est, et sine gratia Spiritus sancti haberi non potest. Ipse etiam iniquis dat sapientiam, qui « solem suum oriri facit super bonos, et malos (*Matth.* V, 45). » De sphærulis autem et liliis idipsum, quod supra, intelligatur. Ut ergo breviter intelligatur, candelabrum est corpus Christi, quatuor scyphi quatuor Evangelia. Sphærula vero vel mundus, vel ejus potestas, quæ circumvenit totum mundum ; lilium autem ejus divinitas, vel virtutum odores. Septem vero lucernæ, septem gratiæ Spiritus sancti. Sequitur :

« Emunctoria quoque, et ubi quæ emuncta sunt « exstinguantur, fiant de auro mundissimo. » Nisi enim hæ lucernæ in quibusdam pigre 92 et tarde arderent, emunctoriis utique non indigerent. Ad hoc enim emunctoria lucernis adhibentur ut melius luceant. Est enim aliquis in Ecclesia, cui spiritus sapientiæ datus est, qui si forte in prædicatione et doctrina piger est, ejus lucerna emunctorio indiget ut clarius luceat. Emunctorium autem charitas est : qui enim hanc habent, otiosi esse non possunt, secundum illud : « Charitas Dei urget nos (*II Cor.*

Digitized by Google

v, 14). » Hæc autem emundat et emungit lucernas pigre et tarde ardentes, et ipsa pigritiam et tarditatem, quam ab eis tollit, in vasis ad hoc præparatis exstinguit et interimit, quatenus vel sic omnis lucernæ obscuritas penitus diluatur. Ego quidem hæc vasa (si tamen vasa dici debent; non enim eis nomen impositum est,) curam et sollicitudinem esse puto, quam qui habet, pigritiam et tarditatem in se penitus exstinxit, qui quoniam semper sollicitus est, nunquam ejus lucerna obscuratur. Talis enim erat Apostolus, qui ait: « Præter ea, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum (*II Cor.* xi, 28). » Iste enim sic clare ardebat, ut emunctorio non indigeret.

« Omne pondus candelabri, cum universis vasis « suis, habebit talentum auri mundissimi. » Septies autem decem vel decies septem, septuaginta sunt. Septem autem gratias Spiritus sancti non solum in lucernis, verum etiam in ipso pondere possidet hoc candelabrum. Unde et corpus Domini quod, operante Spiritu sancto, credimus fabricatum, ipsumque Salvatorem nostrum et Spiritum sanctum ejusdem confitemur esse ponderis et æqualitatis. Sequitur: « Suscipe, et fac secundum exemplar, quod « tibi in monte monstratum est: » attentum eum reddit, et ut diligenter inspiciat, admonet, quoniam magna sunt quæ hic apparent, multo majora quæ latent. His autem ita compositis, ad tabernaculum fabricandum cum ferramentis Spiritus sancti accedamus.

CAPUT XXVI.

« Tabernaculum vero ita fiet: Decem cortinas de « bysso retortas, et hyacintho, et purpura, coc- « coque bis tincto variatas opere plumario fa- « cies. » Quid ista significent jam superius diximus. Per hæc enim quatuor elementa, et quatuor virtutes principales significantur. Byssus enim, quia de terra oritur, terram designat; hyacinthus vero, quia coloris aerei est, pro aere ponitur; purpura autem, quia piscium sanguine tingitur, aquam demonstrat, quoniam et pisces de aqua nascuntur. Coccus vero, quia igniti et rubei coloris est, pro igne accipitur. Quoniam igitur ex his quatuor elementis homines constant, tota harum cortinarum materies homines sunt. Si enim Ecclesiæ parietes ex hominibus constituuntur, quare et cortinæ tabernaculi ex hominibus non texuntur? Idem enim est Ecclesia et tabernaculum. Sint ergo illa in cortinis, quæ in Ecclesiæ parietibus lapides vocantur. Tot autem sunt hæ cortinæ, ex quibus hoc tabernaculum, id est sancta Ecclesia, construitur, quot sunt gentium nationes: quæ quidem ideo decem esse dicuntur, quoniam denarius numerus omnes in se continet numeros; idem ergo est decem, quod omnes. Has autem cortinas apostoli texuerunt. Unde doctor gentium beatus Paulus de arte scenofactoria vivebat. Tot enim cortinas texuerunt apostoli, quot gentes vel civitates ad Dominum convertuntur. Ponebant igitur apostoli byssum retortam in cortinis, quando terram, id est terrenos et peccatores, a mundi voluptatibus ad Christi amorem et fidem retorquebant. Ponebant et hyacinthum, quando sola cœlestia contemplari et diligere hominibus suadebant. Ponebant et purpuram, quando ad baptismi gratiam eos vocabant. Ponebant ad coccum, quando ut igne spiritus flagrarent, et Deum et proximum diligerent, eos admonebant. Ideo enim coccus bis tingitur, quia charitas et ignis amoris et ad Deum et ad proximum accensus extenditur. Si enim solum Deum diligas, semel tinctus es; si solum proximum, semel tinctus es; si vero Deum et proximum diligas, et coccus es, et bis tinctus es; coccus quidem, quia igne amoris ardes; bis tinctus vero, quia duplici amore rubescis. Fiunt autem hæ cortinæ opere plumario, quatenus et ipsæ volare valeant, et omnes eas intuentes volare doceant. Hic enim hæ cortinæ fiunt, sed hic diutius manere non debent. Sument enim pennas, ut aquilæ, volabunt et non deficient.

« Longitudo unius cortinæ habebit viginti octo cu- « bitos; latitudo quatuor cubitorum erit. Unius men- « suræ fient universa tentoria. » Cur enim viginti octo cubitorum est cortinarum longitudo, nisi quia in viginti octo utrumque testamentum duplicatur? Bis namque decem, et bis quatuor viginti octo fiunt. Duplicatur autem utrumque testamentum, quando prius secundum litteram, deinde vero spiritualiter intelligitur. Merito igitur cortinarum longitudo est viginti et octo cubitorum, quatenus unaquæque pars Ecclesiæ tantum extendatur, donec et secundum litteram, et spiritualiter utrumque testamentum intelligere valeat. Qui utrumque testamentum non suscipit, cortina esse non potest; omnes enim cortinæ unius mensuræ sunt. Omnis igitur gens, omnis secta, omnis anima, quæ utrumque testamentum non recipit, ad utrumque amplexandum se non extendit, et utrumque dupliciter intelligendum esse non credit, in Ecclesiæ cortinis nequaquam 93 intexetur. Latitudo autem cortinarum est quatuor cubitorum, quoniam et lex et prophetæ in quatuor Evangeliis coarctantur. Verbum enim abbreviatum fecit Deus super terram. Quia igitur omnia intelligere non valet, saltem quatuor cubitis se extendant, et Evangelii brevitatem intelligat.

« Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo, et alia « quinque simili nexu cohærebunt. » Quod in duas partes cortinæ dividuntur, duos Ecclesiæ parietes significat; unum ex circumcisione, alterum ex præputio venientem. Unde et lapis angularis Christus vocatur, duos in se conjungens parietes, Judæos scilicet et gentiles. Conjurguntur autem cortinæ ad invicem, per quod sanctorum pacem, concordiam et charitatem intelligimus.

« Ansulas quoque hyacinthinas in lateribus a « summitatibus facies cortinarum, ut possint invi- « cem complicari. Quinquagenas ansulas cortina « habebit in utraque parte ita insertas, ut ansa

Digitized by Google

« contra ansam veniat, et altera alteri possit aptari. » Dixit enim, ut quinque cortinæ sibi mutuo jungerentur, quomodo autem jungi debeant, insinuat. Habebat enim unaquæque cortina per longum quinquaginta ansulas ex utraque parte, quibus alteri cortinæ juxta positæ conjungeretur. Erant autem hæ ansulæ hyacinthinæ, id est cœlestis et aeri coloris, per quas, virtutes intelligimus, quæ utique non terrenam, sed cœlestem habent originem; nullam enim virtutem, nisi inde venientem habemus. His ansulis junguntur cortinæ, his sibi invicem copulantur. Si ergo, o homo, quicunque es, cortina esse cupis, suscipe has ansulas ut alteri cortinæ tibi simili copuleris. Si quis hujus tabernaculi non desideret esse cortina, aut si cortina esse non valet, sit saltem unaquælibet ejus particula. Quidquid autem est, quia in cortina est, ansultam habeat, et si non omnes, vel unam, vel duas. Optima ansula fides est, sine qua nullæ cortinæ junguntur. Hanc enim, quia Judæus non habet, mihi non conjungitur; non est enim Judæo ansula, cui mea ansula copuletur. Similiter autem et hæreticus, quia hac ansula caret, Christiano non jungitur. « Quæ enim, ut Apostolus ait, pars fidei cum infideli, quæ societas luci ad tenebras, quæ conventio Christi ad Belial? » (*II Cor.* VI, 15.) Nam et charitas ansula est, et talis ansula, ut ex ea cortinæ copulatæ ex integro separari nequeant. Sunt autem et aliæ multæ ansulæ, et justitia, prudentia, fortitudo, temperantia, pax, patientia, humilitas, benignitas, mansuetudo, largitas, continentia, castitas, concordia. Sed quis eas omnes enumerare valeat? Hæ autem ansulæ contra se veniunt, se osculantur, se complexantur, se tenent, quando justus justum, prudens prudentem, fortis fortem, modestus modestum, patiens patientem, misericors misericordem diligit, et charitatis ulnis amplectitur. Has enim ansulas si mundi amatores habuissent, se utique non odissent, non persequerentur, non occiderent, non flagellarent; neque tantis injuriis alter alterum provocaret; unde eos, aut in Ecclesiæ cortinis non esse, aut sine ansulis esse manifestum est. Cum enim in una sanctorum congregatione plures homines ita sibi consentientes, et charitatis vinculo colligatos videas, ut non plures, sed unus homo esse putetur, nonne consideras quomodo hæ ansulæ sibi occurrant, seque vicissim teneant? Inde in Actibus apostolorum dicitur : Quia « multitudinis credentium erat cor unum, et anima una (*Act.* II, 32). »

« Facies et quinquaginta circulos aureos, quibus « cortinarum vela jungenda sunt, ut unum taberna- « culum fiat. » Quomodo enim quinque cortinæ in una parte, et quinque aliæ in altera jungerentur dictum est. Restat ergo dicere quomodo hæ duæ partes sibi invicem jungantur ut unum ex eis tabernaculum fiat, sitque unum ovile et unus pastor. Itaque, inquit, « circulos aureos facies, quibus corthinarum vela, » id est ambæ partes, mutuo conjungantur. Superius enim ansas hyacinthinas, hic autem A circulos aureos fieri præcipit, quoniam et Judæi vicissim inter se, et Christiani vicissim inter se virtutum vinculis teneri possunt. Circuli enim aurei utriusque Testamenti libri intelliguntur, qui quare aurei dicuntur, sæpe dictum est; his autem Judæi et Christiani junguntur, quoniam unam fidem prædicant, unum Deum confitentur, et ab uno dati sunt omnes : non enim crederem Judæis, nisi Evangelii lex conveniret; non nobis crederent Judæi, nisi legi Evangelia concordarent. Quia ergo et Novi et Veteris Testamenti omnes inter se libri concordant, ideo hæc duo vela, id est circumcisio et præputium, sibi junguntur. Dum enim libri utriusque Testamenti, quasi quidam circuli concordia quadam et convenientia sibi occurrunt, Judæos et Christianos B in una fide ligant et sociant : nam ipse quoque numerus circulorum, numero convenit librorum. Sunt enim quadraginta duo libri Veteris Testamenti, Novi vero sex, quibus si Epistolæ Pauli et Epistolæ canonicæ, quæ in duobus voluminibus continentur, jungantur, omnes libri quinquaginta fient. Liber enim Ruth, sicut Hyeronymus dicit, in libro Judicum computatur; et Esdras et Nehemias in uno volumine coarctantur. Merito igitur quinquaginta sunt circuli, siquidem et libri sunt quinquaginta. Et hæc quidem de cortinis dicta sufficiant. Nunc de sagis videamus.

« Facies et saga cilicina undecim ad operiendum « tectum tabernaculi. Longitudo sagi unius habebit « triginta cubitos, latitudo quatuor. Æqua erit C « mensura sagorum omnium. » Sicut enim per cortinas viros doctos et religiosos, ita per saga cilicina 94 sæculares et peccatores intelligimus; in illis enim hyacinthus, purpura, coccus et byssus refulgent : in his autem asperi, hirsuti et pungentes pili caprarum horrent, quoniam illi virtutibus decorantur, isti vero vitiis et peccatis deturpantur. Et plura quidem sunt saga quam cortinæ, insuper etiam et longiora, quoniam peccatores et plures sunt, quam justi, et magis divitiis, et honoribus sublimati. Unde ipsa Veritas ait : Quoniam « multi sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* XXII, 14). » Hæc autem tectum operiunt, hæc a grandinis et pluviarum injuriis tabernaculum defendunt, quoniam si monachi D et sacerdotes omnes essemus, facile a Saracenis et latronibus Ecclesia conculcaretur. Unde pro regibus et cæteris qui in sublimitate positi sunt, orare Apostolus jubet, et membra contemptibilia magis necessaria esse dicit. Quod vero cortinæ et saga in latitudine æqualia sunt, id est quatuor cubitorum, omnes justos et injustos eamdem Evangeliorum fidem tenere demonstrat. Sequitur :

« E quibus quinque junges seorsum, et sex sibi « mutuo copulabis; ita ut sextum sagum in fronte « tecti duplices. Facies et quinquaginta ansas in « ora sagi alterius, ut cum altero copuletur. » Sicut enim cortinæ, ita et saga copulantur : earum igitur expositio hic quoque sufficiat. Sextum autem sagum, quod cortinis superabundat, medium duplicatur in

Digitized by Google

fronte tecti, et medium operit posteriora tabernaculi, non quod unum sagum ita dividatur, alioquin totum tabernaculum uno sago tegeretur; sed quia unum sagum ideo additum est, ut cortinæ omnes sagis operiantur. Ansæ autem et in sagis, et in cortinis idem significant. Duæ vero sagorum partes, duo Ecclesiæ parietes sunt, de quibus jam diximus. Conjunguntur autem hæ duæ partes quinquaginta fibulis æneis, sicut et duæ partes cortinarum quinquaginta circulis aureis; idem enim sunt circuli aurei, quod fibulæ æneæ : significat enim, ut diximus, quinquaginta libros utriusque Testamenti. Sed in cortinis conjungendis aurei sunt, quia doctores ibi et religiosos viros conjungunt; hic autem ænei, quia indoctos et peccatores uniunt, qui non tantum ad aurum et sapientiam, quæ in eis fulget, quantum ad æs, et sonantem litteram, et simplicem historiam attendunt; de quibus subditur : « Quinquaginta « fibulas æneas facies, quibus jungantur ansæ, ut « unum ex omnibus operimentum fiat; » sitque in his unum ovile, et unus pastor.

« Quod autem superfuerit in sagis, quæ parantur « tecto, id est unum sagum, quod amplius est, ex « medietate ejus operies posteriora tabernaculi; et « cubitus ex una parte pendebit, et alter ex altera, « qui plus est in sagorum longitudine utrumque latus « tabernaculi protegens. » Quod saga et in fronte tabernaculi, et in posterioribus, et in utraque parte a cortinis sic abundant, significatio est, quod et in principio Ecclesiæ, et in ejus ultima consummatione, et modo quandiu in hoc mundo versantur, semper mali plures sunt quam boni; tamen quia sagum in fronte tabernaculi duplicatur, posteriora tegit, majori in principio, et fine sanctam Ecclesiam protectione indigere significat, quoniam et in principio majorem tribulationem passa est, et majorem in fine passura est. De prima namque ejus persecutione Dominus ait : « Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo (*Joan.* XVI, 2). » De ultima autem sic : « Erit tunc tribulatio talis, qualis non fuit ab initio sæculi usque nunc, neque fiet (*Matth.* XXIII, 21). » Hæc autem de sagis dicta sint.

« Facies et operimentum aliud tecto de pellibus « arietum rubricatis, et super hoc aliud operimen- « tum de hyacinthinis pellibus. » Tria enim operimenta habuit tabernaculum, id est sancta Ecclesia : primum cilicinum, secundum pelles rubras, tertium pelles hyacinthinas. Quoniam enim peccatoribus ad pœnitentiam conversis cilicium convenit, ideo cilicinum pœnitentes significat. Quia vero proprio sanguine martyres rubricantur, ideo pelles rubricatæ martyres indicant. At vero hyacinthus, quia æreum colorem habet, ideo quidem pro cœlo ponitur. Quoniam igitur peccatoribus ad fidem conversis statim in ipso fidei initio pœnitentia injungebatur, non immerito primum eorum operimentum cilicium erat; sed cum quidam eorum statim suscepta pœnitentia, prius etiam quam baptizari potuissent, ad supplicium tracti decollarentur, quid aliud isti quam pelles rubricatas post cilicium induebant? At vero quia mox in rubricatis pellibus corpus involutum relinquens, cœli secreta anima penetrabat, tertium quidem operimentum pelles hyacinthinas suscipiebat. Sit igitur primum indumentum pœnitentia et cilicium, secundum martyrium, tertium cœlum. His autem breviter expositis, de tabulis videamus.

« Facies et tabulas stantes ante tabernaculum de « lignis Setim, quæ singulæ denos cubitos in lon- « gitudine habeant, et in latitudine singulos ac se- « missem. » Per tabulas, sicut in sequentibus apertissime ostendetur, omnes Novi et Veteris Testamenti libri significantur; quot enim sunt tabulæ tot sunt et libri. Stant autem ante tabernaculum, ut semper ab his, qui in tabernaculo sunt, videantur; quoniam sacræ legis volumina semper ante oculos habere debemus. Fiunt autem hæ tabulæ de lignis Setim, quod *spina* interpretatur, quoniam sanctorum librorum sententiæ semper pungunt et redarguunt peccatores. Habent autem denos cubitos in longitudine; quia decem præcepta legis nos docent et observare admonent. Neque enim plus longitudinis habere potuerunt, quoniam in illius decem præceptis totius legis plenitudo continetur; quæ qui observaverint 95 nihil eis deerit ad perfectionem. Habent autem cubitum et dimidium in latitudine, quoniam unusquisque liber imperfectus est, quantum ad se, et ut ejus dimidius cubitus compleri valeat, alterius indiget supplemento; unde et se vicissim in testimonium vocant. Nam ipsa quoque Evangelia multis in locis lege et prophetis confirmantur. O quoties beatus Paulus in hujus tabulæ, quam nunc deoramus, expositione necessarius est ! Tabulis ergo tabulæ jungantur, omnesque medii et imperfecti cubiti aliorum conjunctione compleantur; unde et subditur : « In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fiant, quibus « tabula alteri tabulæ connectetur. » Quasi enim per incastraturam inter se tabulæ connectuntur, quoniam sacra volumina tam concorditer quibusdam in locis sibi conveniunt, ut idem penitus dicere videantur.

« Quarum viginti erunt in latere meridiano, qui « vergit ad austrum, quibus quadraginta bases ar- « genteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per « duos angulos subjiciantur. » Quadraginta namque et duo sunt omnes libri Veteris Testamenti; siquidem Ruth in Judicum, et Nehemias in Esdræ libris computantur. Novi vero Testamenti sunt libri sex : quatuor videlicet Evangelia, Actus apostolorum et Apocalypsis; cæteri vero non libri, sed Epistolæ vocantur. Omnes ergo libri utriusque Testamenti sunt quadraginta et octo; totidem autem sunt et tabulæ, quibus clauditur tabernaculum. Vide igitur quam convenienter libri per tabulas intelliguntur. Viginti ergo tabulæ ponuntur in latere meridiano; quatenus denario numero duplicato, totam legem dupliciter intelligendam esse sciamus, ut prius se-

Digitized by Google

cundum litteram, deinde vero spiritualiter totam legem exponamus. Si enim hoc solum Judæi intellexissent, hodie non Judæi, sed Christiani essent. Nos ergo et secundum litteram, et spiritualiter et legem et prophetas intelligamus, et has duas bases unicuique tabulæ subjiciamus, quibus teneatur et sustineatur. Hoc est enim, quod ait, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur ; duæ enim bases, duæ intelligentiæ sunt, littera videlicet et spiritus ; hæc autem singulas tabulas tenent et sustinent, quoniam sine his duabus intelligentiis sacræ legis libros nec tenere, nec portare valemus. Hæ autem bases argenteæ sunt, quoniam et mundæ, et veræ sunt. Quod enim argentum eloquii puritatem et veritatem significet, audi Psalmistam : « Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum (*Psal.* xi, 7). » Ideo enim in angulis hæ bases positæ sunt, ut unaquælibet sublata, tabula stare non valeat ; cadit igitur tabula, nisi utraque teneatur. Hoc autem illi audiant, qui vel tantum ad litteram, vel tantum spiritualiter Scripturas intelligere volunt, et dum tantum in unam basem tabulam ponunt, caveant ne et ipsi cum tabula cadant.

« In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad aquilonem, viginti tabulæ erunt, quadraginta « habentes bases argenteas : binæ bases singulis « tabulis supponentur. » Hoc autem qui non intelligit, supradictam expositionem iterum legat.

« Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies « sex tabulas. » Hæ tabulæ sex libri sunt Novi Testamenti. Qui bene quidem ad occidentalem plagam ponuntur, quoniam, jam sole vergente ad occasum, post omnes alios et in ultima ætate editi sunt. « Nos enim sumus, ait Apostolus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11). » Beati illi oculi, qui has tabulas videre, et eorum artificiosam compositionem cognoscere merentur.

« Et rursum alias duas facies, quæ in angulis « erigantur post tergum tabernaculi. » Si enim hæ duæ post tergum tabernaculi eriguntur, illas utique sex in fronte tabernaculi esse oportet. Unde manifestum est quod sex tabulæ Novi Testamenti in ipso introitu tabernaculi stabant. Et merito quidem, quia nisi per has, nemo tabernaculum nisi fur et latro ingreditur. In his enim tabulis Salvator noster depictus clamat : « Qui non intrat per me in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro (*Joan.* x, 1). » Itemque : « Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur (*Ibid.*, 9). » Duas vero tabulas, quæ post tergum tabernaculi eriguntur, duos libros Machabæorum esse puto : ipsi enim in toto Veteri Testamento ultimum locum tenent. Qui merito post tergum tabernaculi ponuntur, quoniam illis temporibus lex conculcata et abscondita latuit, nullique fas erat tabulas inspicere, et lectioni operam dare, omnesque Judæi, legibus propriis relictis, ad gentium ritus converti cogebantur.

« Eruntque conjunctæ a deorsum usque sursum, « et una omnes compago retinebit. Duabus quoque « tabulis, quæ in angulis ponendæ sunt, similis junctura servabitur, et erunt simul tabulæ octo : « bases earum sedecim argenteæ, duabus basibus « per unam tabulam supputatis. » Quid earum junctura, et compago significet, jam dictum est : significat enim concordiam et virtutem, quam omnia divina divinæ legis volumina inter se habent : omnia enim unum dicunt, omnia unam fidem prædicant, omnia unum Deum et laudant et magnificant. Et hæc quidem est eorum compago, omnia a deorsum usque sursum, ab ultimo usque ad primum. Ab Apocalypsi usque ad Genesim unam fidem et unum Deum prædicando concordant. Quod autem ait, ut duabus quoque tabulis similis junctura servetur, duobus Machabæorum libris auctoritatem tribuit, et simul cum cæteris in canonem ponit. Et quidem juste satis ; siquidem in eis magis Dei virtus et potentia narratur.

« **96** Facies et vectes de lignis Setim quinque ad « continendas tabulas in uno latere tabernaculi, et « quinque alios in altero, et ejusdem numeri ad « occidentalem plagam, qui mittentur per medias « tabulas a summo usque ad summum, ipsasque tabulas deaurabis, et fundes in eis annulos aureos, « per quos vectes contineant, quos operient laminis « aureis. » Quid enim per quinque vectes nisi quinque corporis sensus intelligimus ? Qui tunc quidem de lignis Setim fiunt, et laminis aureis operiuntur, quando non carnalia, sed spiritualia sentire incipiunt ; hoc enim modo et imputribiles efficiuntur, et tanquam aurum, imo plus auro refulgent. Sunt enim quinque corporis sensus, visus, auditus, gustus, odoratus et tactus, sine quibus tabulæ tabernaculi, id est divinæ legis volumina, stare non possunt. Jam enim omnia cecidissent et defecissent, nisi mentis et corporis oculis viderentur, nisi cordis et capitis auribus audirentur, nisi interiori et exteriori palato et gustu dulcia sentirentur, nisi eorum intelligentiæ odor delectaret ; nisi eorum tactus corda feriendo pulsarent, et ad superni luminis amorem inflammarent. Hi ergo sunt quinque vectes, qui per annulos aureos inseruntur, quando prædicti sensus sacrorum librorum præclaris sententiis involuti divinam legem neque cadere, neque oblivioni tradi permittunt. Quot enim sunt sententiæ, tot sunt et aurei circuli, tantisque circulis vectes inseruntur, quantis sententiis intellectus involvitur, qui a summo usque ad summum per omnes tabulas inseruntur. Quod autem omnes tabulæ sunt deauratæ, omnes libros divinos sapientiæ et scientiæ luce præfulgere significat. Hæc autem de tabulis dicta sint.

« Et eriges tabernaculum juxta exemplum, quod « tibi in monte monstratum est. » Vidit enim Moyses exemplum erigendi tabernaculum ; qualiter tamen erigatur, non dicitur. Tunc enim tabernaculum erigetur, quando, perfectis omnibus, S. Ecclesia super cœlos exaltabitur. Dicamus tamen, qualiter secundum litteram, hoc tabernaculum erectum fuisse

Digitized by Google

putamus. Erant enim quadraginta octo tabulæ, quibus tabernaculum claudebatur, super quos erant cortinæ habentes longitudine viginti octo cubitos. Tanta erat latitudo tabernaculi, quanta longitudo cortinarum. Omnes autem cortinæ decem erant. Habebat autem unaquæque in latitudine quatuor cubitos, quæ simul junctæ faciunt cubitos quadraginta; quatuor enim decem quadraginta faciunt. Aut igitur quadraginta cubitorum erat longitudo tabernaculi, aut decem cortinarum cubitis in posteriora pendentibus ad triginta cubitos ejus longitudo contrahebatur. Ideo enim decem cubitos cortinarum post tergum tabernaculi pependisse puto, quoniam decem cubitorum erat longitudo tabularum, super quas cortinæ tendebantur. Super cortinas autem et saga posita erant, quorum unus cubitus pendebat ex uno latere tabernaculi, et alter ex altero. Quod ideo quidem fiebat, quia saga duobus quidem cubitis longiora erant, quam cortinæ. Præterea, si tabernaculi longitudo plus triginta cubitis erat, tabulis utique claudi non poterat : erant enim tabulæ viginti ex uno latere tabernaculi, et viginti ex altero, quæ singulæ habebant in latitudine cubitum, et dimidium, qui simul juncti non faciunt nisi cubitos triginta.

« Facies et velum de hyacintho et purpura, coc- « coque bis tincto, et bysso retorta opere plumario, « et pulchra varietate contextum, quod appendens « ante quatuor columnas de lignis Setim, quæ ipsæ « quidem deauratæ erunt, et habebunt capita aurea, « et bases argenteas. Inseretur autem velum per « circulos, inter quos pones arcam testimonii, ex « quo sanctuarium, et sanctuarii sanctuaria divi- « dentur. » Hoc velum, quod positum erat inter Sancta sanctorum, testante Apostolo, cœlum significat. Ait enim ipse : « Christus assistens pontifex futurorum bonorum per amplius, et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa (*Hebr.* IX, 11). » Quod adhuc manifestius declarans, ait : « Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis (*Ibid.*, 24). » De hyacintho. Hyacintus est herba seu flos, hyacinthus est et lapis; flos autem et lapis est cærulei coloris, quem colorem in nubibus sole irradiatis sæpe videmus. Et hyacinthum quidem in cœlo conspicimus, quoniam hyacinthinum colorem cœlum ostendit. Purpuram etiam et coccum in stellarum fulgore quodammodo monstrare intuemur; byssi quoque candor aliquando in luna apparet. Quam pulchra varietate cœlum sit contextum, ipsi nobis oculi manifestant. Ipsum autem velum, quod tabernaculum dividebat, non sine magno sacramento tanta varietate contextum fuerat.

A Hyacinthus enim velo intextus mundana despicere, cœlestia amare, et si non voce, colore tamen prædicabat; purpuram vero qui videbant (si tamen quod videbant, intelligebant) per eam ad amorem justitiæ accendebantur; purpura enim justitiam designat, quam solis regibus induere licebat. Unde et illis per Sapientiam dicitur : « Diligite justitiam, qui judicatis terram (*Sap.* I, 1); » propter quam causam et Romani pontifices ea utuntur. His ergo datur purpura, quibus est jus in populo facere justitiam. Coccus vero totus sanguineus, et charitatis flammeo colore bis tinctus ad martyrium homines provocabat, tantaque fortitudine roborabat, ut **97** non solum pro Deo et fide tuenda, verum etiam alter pro altero mori non dubitaret. Byssus vero B retorta, carnem affligere, et corporis candorem et castitatem diligere admonebat. Erat ergo hoc velum opere plumario factum, quatenus terrena relinquere, et ad cœlestia animas volare, doceret. Hoc ergo velum, quod sic prædicat, sic admonet, sic docet, sic suadet, Evangelii prædicatio est. Unde et ante, quatuor columnas pendere dicitur, per quas quatuor evangelistas intelligimus; Matthæum videlicet, Marcum, Lucam et Joannem. Ante hos autem hoc velum pendet, quoniam ab ipsis pingitur, ab ipsis variatur, ab ipsis prædicatur, ab ipsis sustinetur et portatur. Isti sunt autem columnæ Ecclesiæ, non de alio nisi de ligno Setim, et de ligno forti et imputribili, quoniam isti sunt, de quibus dicitur : « Justi autem in perpetuum vivent (*Sap.* V, 16). » C Sunt autem hæ columnæ deauratæ, quoniam evangelistarum prædicationi nulla sapientia vel scientia comparari potest. Habent autem capita aurea, in quibus desiderabilis thesaurus requiescit. Et revera capita aurea sunt, de quibus tam aurea, tam fulgida, tam clara et pretiosa verba manarunt. Unde per Psalmistam dicitur : « Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos (*Psal.* XVIII, 9); » itemque : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis (*Psal.* CXVIII, 105). Et quoniam argentum veritatem sermonis, et eloquii puritatem significat, secundum illud : « Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI, 7); » ideo super bases argenteas hæ columnæ stare dicuntur. Nunquam enim evangelistæ a veritate deviant, D nunquam falsa loquuntur; quæcunque dicunt, vera sunt, justa sunt, sancta sunt, munda et nimis credibilia sunt. Infelices Judæi, qui his columnis contradicunt, qui bases argenteas, super quas positæ sunt, non attendunt. Inseritur ergo velum per circulos, quoniam evangelica prædicatio Christi sententiis illigata tenetur. Hoc autem velum dividit tabernaculum, et Novum, et Vetus separat Testamentum : hoc autem quid cœlum a terra, quid justi a peccatoribus differant (231), ostendit. Sequitur :

« Pones et propitiatorium super arcam testimonii « in Sancta sanctorum, mensamque extra velum,

(231) Cod. Cassin. : *Hoc autem quod cœlum a terra, quod justi a peccatoribus differan:.*

Digitized by Google

« et contra mensam candelabrum in latere taber-
« naculi meridiano. » Mensa enim stabat in parte aquilonis. De his enim omnibus superius expositum est. Propitiatorium enim ponitur super arcam, quando respectus divinæ miserationis subveniendo respicit Ecclesiam. Mensa autem ponitur extra velum, quia scientia sacri eloquii nulli invidiose absconditur, sed cunctos satiat, qui ad eam cum gratiarum actione accedere desiderant. Ponitur autem contra mensam candelabrum, ut fercula imposita videantur; quoniam, nisi Christo illustrante, divina Scriptura intelligi non valet; ipse enim est « lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). » Et quia Deus ab austro veniet, idcirco in latere meridiano candelabrum ponitur. Quia vero ab aquilone pandentur mala super omnem terram; ideo in parte aquilonis ponitur mensa. Illum enim locum maxime munire debemus, per quem hostes in nos irrumpere timemus.

« Facies et tentorium in introitu tabernaculi de
« hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et
« bysso retorta opere plumario. Et quinque colum-
« nas deaurabis lignorum Setim, ante quas ducetur
« tentorium, quarum erunt capita aurea, et bases
« æneæ. » Hoc enim tentorium, quod fit in introitu tabernaculi, gloriosum apostolorum chorum intelligimus, quibus cœli et Ecclesiæ claves, quibus et solvendi potestas, quibus paradisi januas aperire et claudere concessum est. Fit ergo hoc tabernaculum de hyacintho, quoniam, ut jam sæpe dictum est, hyacinthus pro cœlo ponitur; apostoli vero cœli sunt, de quibus dicitur : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 1). » Sunt autem et purpura, quoniam purpura reges designat. Reges apostoli sunt ipsi duodecim tribus Israel, inducti purpura judicabunt. De ipsis enim dicitur : « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham (*Psal.* XLVI, 10). » Sunt autem et coccus bis tinctus, quoniam Deum confitendo, et proximum docendo, proprii sanguinis effusione cruentari meruerunt. Coccus enim tingitur, quando pro Deo, et proximo martyrium sumitur (232). Sunt vero et byssus retorta, utpote virtutibus candidati, et super nivem dealbati, magnaque, in præliis fortitudine roborati : byssus enim ad hoc retorquetur, ut fortior fiat. Apostolorum autem fortitudo, et virtus, quo magis a tyrannis torquebantur, tanto major esse manifestabatur. Et isti quidem, sunt illi cherubim oculati et plumati, qui totam Ecclesiam ferunt. Quinque vero columnæ, quas deaurari præcepit, quinque libri Moysi intelliguntur (233), qui tunc quidem deaurantur, quando spiritualiter intelliguntur. Per hos enim quinque libros, omnia utriusque Testamenti mandata intelligimus. Si enim per decem verba tota lex significatur; cur per quinque libros, in quibus ipsa eadem verba continentur, tota lex significari non debet? Ante has autem quinque columnas ducebatur, et tendebatur tentorium,

(232) Cod. Cassin. : *Coccus enim bis tinctus est, quando quis pro Deo et proximo martyrium sumit.*

A quoniam sancti apostoli ubicunque erant, legem et prophetas ante se semper et in mente habebant. Ante columnas quidem tentorium tendebatur, **98** quia semper ad columnas intuebatur. Sunt autem columnarum capita aurea, quia eorum vox, et prædicatio sapientiæ et scientiæ splendore refulget. Bases autem æneæ sunt, quia clarum et bene sonantem tinnitum reboant; æs enim præ cunctis metallis clarius sonat. Sicut igitur per aurum sapientia, ita per æs vocis sonus intelligitur. Merito igitur columnæ aurea capita, et bases argenteas habent, quoniam evangelica prædicatio, et divinæ legis volumina et sapientia quidem fulgent, et fama atque sonitu ubique resonant.

CAPUT XXVII.

B « Facies et altare de lignis Setim, quod habebit
« quinque cubitos in longitudine, et totidem in la-
« titudine, id est quadrum, et tres cubitos in alti-
« tudine. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso
« erunt, et operies illud ære. » Finito enim tabernaculo, de altari loqui incipit, et pene idipsum per altare significat, quod per tabernaculum significavit. Mos enim est prophetarum unam eamdemque rem diversis modis significare. Quod quidem in libro Apocalypsis aperte dignoscitur, ubi una eademque visio septies diversis figuris replicatur. Altare enim hoc in loco Ecclesiam designat : quod quare dicatur fieri de lignis Setim, qui superiora legit, non ignorat. Hoc autem altare quadrum est, quoniam in quatuor mundi partes sancta Ecclesia extenditur et dilatatur. C Quas quidem Psalmista breviter enumerans, ait : « A solis ortu, et occasu, ab aquilone, et mari (*Psal.* CVI, 3). » Habet autem quinque cubitos per unamquamque partem; unicuique Ecclesiæ parti horum quinque librorum fides et mandata sufficiunt. Si enim spiritualiter intelliguntur, totum et Vetus, et Novum Testamentum in eis continetur; quos quidem ideo Moyses præ omnibus aliis voluminibus ponit; quoniam et omnes alios in se complectuntur, et quasi primogeniti inter omnes habentur. Merito igitur inter alios obtinent principatum, qui priores sunt ipsa nativitate. Non tamen illos Evangeliis præfero, quoniam ab uno eodemque fonte fluxerunt; atque ipso quoque numero utraque volumina convenirent, sed Deuteronomium replicatur, quia *secunda lex* interD pretatur. Et secunda quidem lex est Novum Testamentum; siquidem prima lex Vetus Testamentum dicitur; non enim sunt Testamenta nisi duo. Hic ergo liber, qui dicitur Deuteronomii, medius est inter utrumque, siquidem illa replicat, et ista significat. Si autem ista significat, ubicunque hic liber est, qui secunda lex dicitur, ibi et Evangelia sunt. Aut igitur libri Moysi non sunt quatuor, aut eorum quintus secunda lex, id est Evangelium intellegitur. Habet autem hoc altare et tres cubitos in altitudine, quia quando Ecclesia sursum erigitur, tres ei cubitos sufficit mensurare, id est Patrem, et Filium, et

(233) Editio hoc in loco corrupta ex cod. Laurentiano emendatur.

Digitized by Google

Spiritum sanctum credere et adorare. Noli plus mensurare, quia ulterius egredi non licet; si enim ulterius progrediaris, vel si tantum non progrediaris, jam de hoc altari non eris. Sequitur : « Cornua autem per quatuor angulos, ex ipso erunt. » Quatuor enim cornua, quatuor mundi partes intelliguntur; Oriens videlicet, Occidens, Septentrio et Meridies : hæc autem quatuor cornua ex ipso sunt, quia quatuor mundi partes, non aliunde, sed de ipsa Ecclesia sunt. Operitur autem totum altare ære, quia tota Ecclesia voce clara et consona in Dei laudibus cantare et jubilare non cessat. Ipsa est enim, cui dicitur : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam (*Isa.* LVIII, 1). » Sæpe enim jam diximus, quod æs præ cæteris metallis clarius et altius resonat; unde et pro sono vocis sanctaque prædicatione æs frequenter accipitur.

« Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos « cineres, et forcipes, atque fuscinulas, et ignium « receptacula. » Malus lebes ille, de quo dicitur : « Moab lebes spei meæ (*Psal.* CVII, 10). » Hi autem lebetes boni sunt, qui altari deserviunt, qui altare mundant, qui altaris cineres suscipiunt : per hos sacerdotes intelliguntur, qui Dei altare, quod est Ecclesia, ab omni sorditate tergentes, aliorum cineres, et peccata in se suscipiunt, et suscipiendo longe ab Ecclesia projiciunt; suscipiunt enim, ut deleant, non ut teneant, de quibus dicitur : « Peccata populi mei comedent (*Ose.* IV, 8). » Hi autem et forcipes tenent, quibus carbones de igne trahunt. Carbones enim de igne trahere, est eos, qui tribulationis et angustiarum igne exuruntur, fraterna charitate adjuvare et consolari. Consolatio namque et auxilium forcipes sunt, quibus afflicti, de igne et angustiis liberantur. Unde Apostolus ait : « Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra (*II Cor.* I, 5). » Et Psalmista : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam (*Psal.* XCIII, 19). » Id ipsum autem per fuscinulas, et per forcipes intelligimus; idem enim est cum fuscinula carnes ferventes de olla trahere, quod carbones ardentes de igne eripere. Carnes enim in olla, et carbones in igne, fideles quique intelliguntur tribulationibus constricti. Vis esse fuscinula? bonum quidem est in hac fuscinula esse; consolare mœrentes, succurre miseris, auxiliare egenis, aperi carceres, libera captivos. Hæ sunt enim carnes, quas nostra fuscinula trahit. Sed quid per ignium receptacula? nisi eos qui charitate ferventes hospitalitatem sequuntur, et omnes quos pro Christi nomine affligi, vel ejus amore flagrare cognoscunt, omnemque eis humanitatem exhibentes libenter recipiunt. Si enim carbones Christi, fideles afflicti et charitate fervidi intelliguntur, quicunque eos recipit, ignium receptaculum est.

« Omnia vasa ex ære fabricabis, craticulamque « in modum retis æneam, per cujus quatuor angu- A « los erunt quatuor annuli ænei, quos pones super « arulam altaris, eritque craticula usque ad altaris « medium. » Omnia enim vasa altaris ex ære fiunt, quatenus omnes Ecclesiæ filii, qui per vasa intelliguntur, clara et consona voce Deum laudent, et prædicent, et benedicant. Nisi enim vasa sanctos significarent, vas electionis Apostolus non diceretur. Quid vero craticula ænea, nisi evangelicam prædicationem designat? Cur autem ænea dicatur, sæpe jam diximus; hujus enim campanæ clarissimus sonus universum mundum replevit (234). Quæ bene in modum crucis fieri jubetur, quoniam a piscatoribus trahitur. De hac enim Dominus apostolis ait : « Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis : miserunt ergo, et concluserunt piscium multitudinem B copiosam (*Joan.* XXI, 6). » Quia enim evangelica prædicatio omnia genera hominum, quasi quodam rete capit, et tenet, ideo in Evangelio dicitur : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, et ex omni genere piscium congreganti (*Matth.* XIII, 47). » Quatuor autem annulos æneos, qui per quatuor angulos craticulæ positi erant, vel quatuor evangelistas, vel quatuor virtutes principales intelligimus; his enim craticula, id est evangelica prædicatio, non omnes qui in Ecclesia sunt, in se colligere et retinere valet; eam enim Ecclesiæ partem craticula tenet, quæ evangelicæ prædicationi obedire non renuit. Medium autem altaris sola pars bonorum intelligitur.

« Facies, et vectes altaris de lignis setim duos, « quos operies laminis æneis, et induces per circu- C « los, eruntque ex utroque latere altaris ad portan- « dum. » Hoc autem quid significet, satis superius expositum est. Dictum est enim quid vectes, quid ligna setim, quid laminæ æneæ, et quid circuli designent, atque idem sæpius dicere supervacaneum esse putamus. Sequitur : « Non solidum, sed inane « et vacuum intrinsecus facies illud, sicut tibi in « monte monstratum est. » Quantum enim ad litteram, ideo non solidum, sed inane et vacuum hoc altare factum est, ut facilius portari potuisset. Quantum autem ad significationem, ideo vacuum et concavum, ut Dei thesauros in se recipere et continere valeat. Quid autem est quod totum tabernaculum cum tabulis et columnis de argento fit, altare autem, quod dignius et excellentius esse videtur, ex D ære construitur? nisi quia divina Scriptura non secundum materiam (235), sed secundum Dei significationem charum vel vile unumquodque dijudicat. Unde et æs secundum se quidem auro vilius est, secundum vero significationem charius Sapientia enim, si in corde occulta teneatur, aurum quidem est; si vero ad audientium aures de corde proferatur, æs est. Quanto igitur sancta prædicatio est melior occulta sapientia, tanto secundum significationem æs auro melius. Unde est illud : « Sapientia abscondita, et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? » (*Eccli.* XX, 32.) Merito igitur ex ære

(234) Ex utroque codice Laurentiano et Casinensi erratis editio expurgatur.

(235) Ex cod. Laurent. textus editionis hic emendatior et perfectior redditur.

Digitized by Google

fit hoc altare, quoniam solis altaris ministris principaliter convenit prædicare; et aurum quidem, et sapientiam habere omnibus licet, altare vero tangere et in Ecclesia prædicare non omnibus licet. Hæc autem de altari dicta sufficiant: nunc ad atrium tabernaculi veniamus.

« Facies et atrium tabernaculi, in cujus plaga « australi contra meridiem erunt tentoria de bysso « retorta : centum cubitos unum latus tenebit in « longitudine, et columnæ viginti cum basibus totidem, æneæ, quæ capita cum cælaturis suis habe« bunt argentea. » Multum enim distat inter atrium et tabernaculum : tabernaculum enim ex hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso contextum est. Atrii vero tentoria ex sola bysso retorta composita sunt. Præterea in tabernaculo et columnæ, et tabulæ, et cætera ex auro et argento fuerunt; in altero vero pene omnia ex ære facta sunt. Quid ergo per atrium intelligimus? Aliud enim quodammodo tabernaculum, et aliud atrium significat : tabernaculum enim, ut puto, primitivam Ecclesiam principaliter designat, quæ a Christi passione usque ad tempora Constantini imperatoris, maxima ex parte de sanctis martyribus constructa est; inde vero usque ad tempora Antichristi tota Ecclesia hujus tabernaculi atrium vocatur. Unde insolito modo multo majus est atrium tabernaculi, quam ipsum tabernaculum. Est igitur atrium tabernaculi Ecclesia confessorum, quæ a tempore præfati principis, ubique gentium dilatata est. Hujus autem tentoria fiunt de bysso retorta, quoniam sufficit nobis carnem torquere et macerare, mentisque et corporis candorem et munditiam conservare. Nemo enim cocco vestitur, nemo modo sanguine cruentatur. Sufficit modo baptismate lavari, bysso vestiri, et candidis uti vestimentis, secundum illud : « Omni tempore vestimenta tua sint candida (*Eccle.* IX, 8). » Erant autem a parte australi tentoria, centum cubitorum in longitudine; similiter autem, et ab aquilone erant tentoria totidem cubitorum; tanta enim erat tota atrii longitudo. Sed quare centum cubitorum fuisse dicitur? Decem namque, et centum et mille perfecti numeri sunt, qui replicari quidem possunt, crescere **100** vero non possunt; si enim usque ad decem numeraveris, nisi a capite rursum incipias, quid dicas, non habes; similiter et centum, et mille similiter. Idem igitur est dicere, centum cubitorum, quod multorum cubitorum, et est finitum pro infinito. Centum enim cubitis in longitudine tenditur atrium, quoniam tanta erit ejus longitudo, quanta erit hujus vitæ dimensio; unum enim terminum et atrium, et mundus habebit. Sunt autem viginti columnæ ex una parte atrii, et viginti ex altera, quatenus et hinc et inde omnes, qui in atrio sunt, videant, et legant, et intelligant legem veterem duplicatam. Duplicatur enim lex, quando et ad litteram, et spiritualiter intelligitur. Nam quia decem sunt verba legis, sæpissime tota lex per decem significatur. Ergo quia decem, et decem viginti faciunt, legem duplicatam in viginti invenimus. Legant ergo Judæi bis decem, ut semel totum decalogum intelligant, alioquin quid viginti columnæ significent, ignorabunt. Quod autem significant viginti columnæ ex una parte, hoc significant viginti ex altera parte. Credat ergo austro qui non vult credere aquiloni; imo credat utrique, quia idem dicit uterque, ut in medio duorum, vel trium testium stet omne verbum. Erant autem columnæ cum basibus æneæ, quod quid significat, sæpius jam dictum est. Habebant autem capita cum cælaturis suis argentea, quia non solum loquebantur, sed vera et pura loquebantur; non tantum ad sonum litteræ, quantum ad spiritualem intelligentiam et eloquii puritatem attendebant. In ære namque sonus, in argento vero eloquii puritas intelligitur. Nemo miretur si columnæ loquuntur, diximus enim per columnas legem significari, quæ qualiter loquitur, incipe legere, et cognosces.

« In latitudine vero atrii, quod respicit ad occi« dentem erunt tentoria per quinquaginta cubitos; « et columnæ decem, basesque totidem. » Metiamur usque ad quinquaginta, neque ultra progrediamur, ibi stemus, ibi moremur, si et libertatem habere, et perditam hæreditatem recuperare volumus. Quinquagesimus namque annus jubilæus vocatur, in quo et servis libertas, et amissa hæreditas ex legis imperio propriis dominis restituebatur; totusque ille annus in lætitia, et in jubilo festivus ab omnibus agebatur. Merito ergo S. Ecclesia ad hunc numerum se dilatando pervenit, ibique dilatata moratur. et de libertate gaudens, et de hæreditate exsultans, et ab omni servili et malo opere vacans, diem solemnem constituit in condensis usque ad cornu altaris. Decem vero columnæ cum basibus suis decem verba legis intelliguntur. Habet ergo atrium ex omni parte legem atque mandata, ut sapientiam discat, et peccare timeat, et quid credere debeat cognoscat. Totum enim atrium, quasi quibusdam columnis, his decem legis mandatis sustinetur, quæ mandata in eo quidem, quod aliquando columnæ duplicantur, se dupliciter intelligi debere significant, nihilque aliud significant decem quam viginti, nisi quia viginti quodammodo decem exponunt; quoties enim Decalogum duplicamus, toties duplicem intellectum significamus.

« In ea quoque latitudine atrii, quæ respicit ad « Orientem, quinquaginta cubiti erunt; in quibus « quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputa« buntur, columnæque tres, et bases totidem. » Dictum est enim, quid significent cubiti quinquaginta. Restat ergo ut dicamus quid duo tentoria ista significent, quæ ex utroque latere ponuntur in introitu tabernaculi. Hæc enim duo tentoria duo populi sunt, Judæorum scilicet et gentium; ex his enim duobus impletur atrium tabernaculi. Isti sunt duo parietes, quos unus lapis angularis in Ecclesiæ ædificio conjungit. Unde Apostolus ait : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Est autem unumquodque tentorium quindecim cubitorum; tot enim sunt psalmi graduum; hic enim nu-

Digitized by Google

merus ex pari et impari constat, cujus partes sunt septem et octo; unde scriptum est: Da partem septem, nec non et octo. Septem enim hanc vitam, quæ in septem diebus volvitur, designat: octo vero, illam aliam vitam beatam et immortalem, quæ die octava cunctis resurgentibus incipiet. Ea enim die fiet omnium resurrectio, quo Christus Dominus resurrexit. Das ergo partem septem, quando hujus vitæ debita solvis; das partem et octo, quando alteri quoque vitæ propria debita largiris. Dum enim manducas et bibis, das partem septem; si vero jejunas et vigilas, das partem octo. Si laboras unde vivas, das partem septem; si vero de propriis justisque laboribus eleemosynas facis, das partem octavam. Merito igitur quindecim cubitorum ante atrium tabernaculi fiunt tentoria, quatenus omnes illuc venientes, et septem, et octo intuentes, in ipso cubitorum numero, et in ipsa tentoriorum quantitate intelligant, qualiter in hac vita conversari debeant. Dent partem septem, dent partem et octo, et sic per bona temporalia transeant, ut æterna non amittant. Tres autem columnæ, quæ ponuntur hinc et inde, id est sex columnæ, quæ in utroque tentorio erant, id ipsum significant, quod sex tabulas in introitu tabernali, cum de eo loqueremur, significare diximus; significant enim sex libros Novi Testamenti. Et merito quidem et in tabernaculo, et in atrio tabernaculi Novum Testamentum in fronte ponitur, quoniam per ipsum in Ecclesia intratur. Sicut enim omnes columnæ supradictæ Vetus Testamentum significant, ita omnes quæ hic ponuntur, sive in lateribus atrii, sive in ipso introitu, Novum Testamentum designant, de quibus adhuc subditur.

101 « In introitu vero atrii fiet tentorium cubi« torum viginti, ex hyacintho, et purpura, coccoque « bis tincto, et bysso retorta opere plumario. Co« lumnas habebit quatuor cum basibus totidem. » Ipsa materia indicat quid per hoc tentorium intelligere debeamus; nusquam enim alibi in toto atrio ponitur hyacinthus, vel purpura, vel coccus. Hoc igitur tentorium, quod in introitu atrii ponitur, et illud quod positum est in introitu tabernaculi, idem significant; illius igitur expositio huic sufficere potest. Significatur enim apostolorum chorus, qui Ecclesiæ portas custodiunt, claves tenent, aperiunt et claudunt, ligant et solvunt, et prius ad fidem, deinde vero in regna cœlorum fidelium animas inducunt. Habet autem tentorium quatuor columnas, et bases totidem, per quas quatuor Evangelia cum suis scriptoribus intelliguntur. Quid enim aliud apostoli, nisi quatuor Evangelia? (Magistri sui videlicet doctrinam prædicabant.) Nam et ipsæ eorum bases, id est ipsi Evangeliorum scriptores cum ipsis, et ex ipsis erant, et intra ipsos conversabantur. Quod autem viginti cubitorum hoc tentorium fuisse dicitur, hoc est intelligere, quod sancti apostoli totum Vetus Testamentum dupliciter, id est ad litteram, et spiritualiter exponentes quatuor Evangeliis convenire et concordare faciebant. Non enim aliter hoc tentorium quatuor Evangeliorum columnæ sustinent, nisi utrorumque Testamentorum significatio conveniret. Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erant laminis, capitibus argenteis et basibus æneis. In laminis enim et basibus æneis, prædicationis vox et sonitus; in capitibus vero argenteis eloquii puritas et sermonis veritas ostenditur. Quod quidem in superioribus sufficienter expositum est. Per bases tamen columnarum, sanctos prædicatores intelligere possumus, qui utriusque Testamenti libros, et præcepta quasi quasdam columnas ferentes, claro prædicationis sono et eloquio mundum impleverunt. Sequitur: « In longitudine occu« pabit atrium cubitos centum, in latitudine quin« quaginta, altitudo quinque cubitorum erit. » Et hoc quidem expositum est. Quod enim toties bases ex ære fieri præcepit; campanas Ecclesiæ fabricare videtur, campanas utique non tinnientes, sed rationabiliter loquentes, et ad Christi fidem populos invitantes. Erat autem hujus atrii altitudo quinque cubitorum, per quos quinque libri Moysis significari possunt, qui si bene intelligantur totam Ecclesiam sursum, et ad cœlestia elevant.

« Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus et cære« monias, tam clavos ejus quam atrii ex ære fa« cies. » Omnia ex ære fiunt, quatenus omnes simul alta et consona voce Deum laudent, prædicent et benedicant. Sequitur:

« Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de « arboribus olivarum purissimum, piloque contusum, « ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimo« nii extra velum, quod appensum est testimonio. « Et collocabunt eam Aaron, et filii ejus, et usque « mane luceat coram Domino: perpetuus erit cultus « per successiones eorum a filiis Israel. » Oleum enim a filiis Israel affertur, quando aliquis vir gratia Spiritus sancti, et pietate, et misericordia plenus a toto populo eligitur. Suscipitur autem de arboribus olivarum, id est de doctrina et congregatione sanctorum, quatenus et pacem diligat, et SS. Patrum dulcedinem et saporem imitetur. Sit autem et vita et moribus purus, imo purissimus et, sicut ait Apostolus, irreprehensibilis. Sit quoque pilo contusus, non delicatus, non otiosus, sed in tribulationibus et injuriis per patientiam probatus. Et iste quidem ad hoc eligitur, ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii, ut nunquam tabernaculum sit sine lucerna, ut nunquam sit sine lumine, ut nunquam populus sit sine episcopo et doctore; ipse enim est lucerna, ipse sit et oleo plenus, ipse sit misericordia et pietate repletus. Debet autem ardere hæc lucerna extra velum, ut ab hominibus videatur, ut omnes illuminet et, secundum Evangelium, luceat omnibus qui in domo sunt. Sed extra quod velum? Extra illud velum, quod appensum est testimonio, quod claudit testimonium, quod celat mysteris et abscondit divina mysteria. Hoc autem velo illi claudantur, qui lucere, velamine obumbrati, non possunt. Hanc autem lucernam collocant Aaron et filii ejus; hanc illi ordinant, consecrant et constituunt, qui et primi

Digitized by Google

sacerdotis, ejusque successorum vicem gerunt. A populo quidem lucerna eligitur, et pontificibus offertur; ab episcopis autem consecratur, et ordinatur, et in sede collocatur. Luceat autem usque mane coram Domino, et donec de hac misera et tenebrosa vita exeat, Dei populum prædicare et illuminare non cesset, ut hac nocte finita, oriatur ei sol justitiæ, et ingrediatur illum diem, de quo Psalmista ait : « Quia melior est dies una in atriis tuis super millia (*Psal.* LXXXIII, 10). » Hic autem cultus per omnes successiones perpetuus erit a filiis Israel, semperque hæc regula in lucerna tabernaculi, et in episcopo eligendo conservetur.

CAPUT XXVIII.

« Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum « filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio « fungantur mihi Aaron, Nadab et Abiu, Eleazar et « Ithamar. Faciesque vestes sanctas Aaron fratri « tuo in gloriam et decorem. Et loqueris cunctis « sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, « ut faciant vestes **102** Aaron, in quibus sancti- « ficatus ministret mihi. » Facies, inquit, vestem sanctam virtutibus et sanctitate contextam, sapientia et sanctitate fabricatam in gloriam et decorem. Qui enim hac veste induitur, gloria et decore vestitur. Unde de Salvatore dicitur : « Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute (*Psal.* XCII, 1). » Hanc enim vestem illi viri cordati, et sapientes faciunt, quibus ipse Dominus ait : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). » Hanc enim vestem sancti apostoli fecerunt, qui nos suis sermonibus docuerunt, qualiter vestiri et ornari debeamus (236), ut Deo ministrare digni apparere valeamus. Hos autem non humana sapientia, sed sanctus Spiritus, qui eos repleverat, docuit. In his autem Aaron sanctificatus ministret Domino, et nisi his indutus, et nisi prius sanctificatus, non ministret Domino. Vobis, o pontifices, vobis, o Ecclesiæ ministri, ista dicuntur : vos estis Aaron, vos estis sanctificati, vobis has vestes induere, et in Sancta sanctorum ingredi licet.

« Hæc autem erunt vestimenta, quæ facient : « Rationale, et superhumerale, et lineam strictam « cidarim et baltheum. Facientque vestimenta sancta « Aaron fratri tuo et filiis ejus, ut sacerdotio fun- « gantur mihi. » Hæc autem singulariter in sequentibus exponemus. Notandum autem quod non solum Aaron, sed et filiis ejus sancta Dominus vestimenta facere jubet. Non enim solum pontifices, verum etiam eorum filii, minoris videlicet ordinis sacerdotes sanctis vestibus indui debent. Ministrant enim Domino et ipsi, et ad altare accedunt, sacramenta tangunt, et sacerdotio funguntur.

« Accipientque aurum, et hyacinthum, et purpu- « ram, coccumque bis tinctum, et byssum. » Hæc autem vel quatuor elementa secundum Josephum, id est terram, aquam, ignem et aerem, vel quatuor principales virtutes, prudentiam scilicet, justitiam, fortitudinem et temperantiam superius significare diximus. De auro vero sæpe dictum est quod pro sapientia ponatur. Quare autem ista significent per unumquodque reddidimus rationem. Aurum namque in vestibus gestare debet episcopus, quatenus sapientia et scientia totus refulgeat. Ferat et hyacinthum, et semper cœlestia meditetur et contempletur; ferat et purpuram, ut justitiæ observator; ferat et coccum, ut nunquam charitatis obliviscatur; ferat et byssum, ut castitate sit candidus, et in omnibus temperamentum habeat et discretionem. Portat enim et aliter episcopus hyacinthum, pro aeris cœlique temperie Deum rogans; portat et purpuram pro aquarum inundatione supplicans; portat et coccum pro nimia siccitate, solisque ardoribus exorans; portat et byssum, quando terræ sterilitatem suis orationibus ad fecunditatem convertit. Sequitur :

« Facient autem et superhumerale de auro, et « hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, et « bysso retorta opere polymito. » De hoc superhumerali discipulis suis Salvator ait : « Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI, 30). » Ubi enim, nisi super humeros, jugum et onus portatur? Superhumerale ergo nobis imponamus, quo ad onera deferenda fortes humeros habeamus. Ille enim episcopus non habet superhumerale, qui suscepta onera libenter non portat, econtra vero ille habet superhumerale, de quo dicitur : « Sicut pastor gregem suum pascet, et in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, et fetas ipse portabit (*Isa.* XL, 11). » Habeat ergo episcopus supernumerale, et nunquam suscepti oneris obliviscatur; languidas oves, et fatigatas levet, super humeros imponat, et ad pascua reducat, ut confidenter dicere possit : « Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (*Psal.* LXXII, 23). » Fit autem hoc superhumerale de auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto et bysso retorta, quia nisi per sapientiam, quæ in auro, nisi per cœlestem contemplationem, quæ in hyacintho, nisi per regalem et regiam potestatem, quæ in purpura, nisi per fortem Dei et proximi dilectionem, quæ in cocco bis tincto figuratur, nisi per mentis et corporis candorem et castitatem, quæ in bysso significatur, onus officii sibi impositi episcopus ferre non valet. Si autem his coloribus atque virtutibus episcopus clarescit, cum Dei adjutorio onus portare valebit; tanto enim majus onus portat episcopus, quanto plures sunt illi, de quibus redditurus est rationem. Unde Apostolus : « Obedite, inquit, præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pro vobis vigilant, quasi pro animabus vestris rationem reddituri (*Hebr.* XIII, 17). » Respice ergo, episcope, ad onus quod portas;

(236) Ex cod. Casin. emendatur editio.

Digitized by Google

respice ad superhumerale, vides ibi aurum, da operam et studium sapientiæ; vides ibi hyacinthum, intuere cœlum, et contemplare cœlum; vides ibi purpuram, serva justitiam: vides ibi coccum bis tinctum, pingat te, si necesse fuerit, sanguis martyrii pro Dei et proximi dilectione; vides ibi byssum retortam, carnem doma, macera et afflige, ut et spiritui serviat, semperque candidior et mundior fiat. Fit autem superhumerale opere polymito, multisque coloribus variato, quatenus in pulchritudine exteriori, qualis interius esse debeat, facilius episcopus intelligere valeat; omnis enim gloria ejus ab intus.

103 « Duas oras junctas habebit in utroque la- « tere summitatum, ut in unum redeant. » Erat enim superhumerale tam longum, ut super utrumque pontificis humerum extenderetur; latitudinem vero brevem et modicam habebat, et superior quidem et inferior ora ita sibi in utroque latere summitatum jungebantur, ut una ora secundum sui continuationem ex duabus conficeretur. Dum enim uterque limbus in utroque latere summitatum sibi occurrerent, tam artificiose sibi jungebantur, ut unus ex duobus fieri videretur. In qua re quid aliud significari putamus? nisi ut tota vita nostra sic in bonis operibus continuetur, ut et principio finis concordet, et bonum, quod cœpimus, usque in finem non relinquamus : duæ namque oræ in unum redeunt, dum prima et ultima vita nostra in boni perseverantia conveniunt. Sequitur :

« Ipsa quoque textura, et cuncta operis varietas « erit ex auro, et hyacintho, et purpura, coccoque « bis tincto, et bysso retorta. » Exterior enim habitus interiorem gloriam demonstrat, ipsumque superhumerale ostendit, quales sint humeri, quos premit. In auro namque sapientiam, in hyacintho cœlestem et angelicam vitam, in purpura regiam potestatem, in cocco bis tincto Dei et proximi dilectionem in bysso vero retorta corporis castitatem et macerationem significat. Hæc ergo ferat episcopus, his ornetur, his clarescat, sine horum varietate ad altare Dei non accedat.

« Sumesque duos lapides onychinos, et sculpes in « eis nomina filiorum Israel, sex nomina in lapide « uno, et sex reliqua in altero, juxta ordinem na- « tivitatis eorum : opere sculptoris, et cælatura gem- « marii sculpes eos nominibus filiorum Israel inclu- « sos auro, atque circumdatos, et pones in utroque « latere superhumeralis memoriale filiorum Israel. « Portabitque Aaron nomen eorum coram Domino « super utrumque humerum propter recordatio- « nem. » Sume, inquit, duos lapides onychinos, qui et aspectu pulchri, et ad scripturam retinendam satis fortes sint, quorumque magnitudinis alii non inveniuntur, et sculpes in eis nomina filiorum Israel. Ad hoc enim nomina scribuntur, ne oblivioni tradantur, ut et legentes instruantur. Semper ergo antiquorum Patrum sit memor antistes, semper qualiter vixerint et Deo servierint, recordetur : imitetur eorum vitam, sequatur doctrinam, teneat operationem. Duodecim namque filii Israel duodecim sunt filii Christi, quorum mores, doctrinam et vitam imitari, quorum nomina, et memoriam semper debent episcopi mente tenere; ideoque hic dicitur, ut Aaron portet ea ob recordationem. Quomodo portabit ea coram Domino? At quid? Ut vel eorum intercessione ad misericordiam flectatur Dominus : non sine his vadat episcopus, hos secum deferat, hos intercessores habeat, et dicat : miserere Deus, miserere populo tuo, ut qui in suis meritis non confidit, apostolorum tuorum intercessionibus liberetur. Et hi quidem lapides, in quibus sanctorum nomina continentur, auro sunt circumdati et inclusi, quoniam sancti Dei omnis sapientiæ et scientiæ luce clarescunt.

« Rationale quoque judicii facies opere polymito, « juxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho, « et purpura, coccoque bis torto, et bysso retorta. Qua- « drangulum erit et duplex, mensuram palmi habe- « bit, tam in longitudine quam in latitudine. » Quid rationale significet ex nomine ipso et loco, super quem ponitur, intelligi potest. Ponitur enim super pectus pontificis ad cordis thesaurum et sapientiæ secretarium custodiendum. Nisi enim hoc rationale super pectus Psalmista haberet, nequaquam diceret : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (*Psal.* CXVIII, 11). » Ubi est rationale, ibi est et ratio, et sapientia, et scientia; hoc enim rationale significat; in quo igitur pectore et corde ista non fuerint, ibi rationale poni non debet; si enim ponatur, inutile est, et quasi sigillum nihil custodiens est. Dicitur autem rationale judicii, ut qui eo utitur rationabiliter judicet nihil temere, vel incaute, nihi inordinate judicet. Fit autem hoc rationale opere polymito, pulchraque varietate distincto, ut multis virtutibus pectus ornetur, omnesque uno tempera mento et concordia regantur. Eadem autem textura est in rationali, quam supra diximus esse in superhumerali. Fit igitur et rationale ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, quatenus et in corde per scientiam, et in humeris per operationem, unus atque idem virtutum splendor refulgeat. Debet enim episcopus et operari quod intelligit, et intelligere quod operatur; unde sicut in sequentibus declarabitur, rationale et superhumerale sibi junguntur. Tunc enim una eademque textura fit utrumque, quando doctrina, et operatio concordant. Est autem rationale quadrangulum, quoniam quatuor virtutibus, quasi quatuor angulis perficitur : hinc enim prudentia, inde justitia, hinc fortitudo, inde temperantia et rationale, et pontificis pectus exornant. Has enim quatuor virtutes hyacinthus et purpura, coccus et byssus significant. Est autem et duplex propter activam vitam et contemplativam, sive propter duplicem sanctarum Scripturarum intelligentiam. Qui enim episcopus hanc duplicitatem non habet, populum sibi commissum, sicut oportet, regere non valet. Habet autem et mensuram palmi tam in longitudine quam in latitu-

Digitized by Google

dine, ut et pectoris contineat quantitatem, et in Dei palma et manu claudatur, secundum illud : « Cor regis in manu Dei (*Prov.* xxi, 1). » Et psalmus : « In manus tuas commendo spiritum meum (*Psal.* xxx, 6). »

104 « Ponesque in eo quatuor ordines lapidum. « In primo versu erit lapis sardius, et topazius, et « smaragdus; in secundo carbunculus, sapphirus, « et jaspis; in tertio ligurius, achates, et amatistes; « in quarto chrysolithus, onychinus, et berillus : « inclusi auro erunt per ordines suos, habebuntque « nomina filiorum Israel. Duodecim nominibus cæla- « buntur singuli lapides nominibus singulorum per « duodecim tribus. » Duodecim enim sunt lapides, quoniam duodecim sunt patriarchæ, totidemque apostoli, ex quibus cætera multitudo fidei et religionis originem ducunt. Qui merito quidem lapides pretiosi dicuntur, quoniam in Ecclesiæ ædificiis et sapientia et sanctitate præ omnibus rutilant. Hi autem lapides ponuntur in rationali pontificis, ut patriarcharum et apostolorum doctrina, fide, moribus, virtutibus et exemplis, semper ejus cor et pectus illuminetur, semperque eorum nomina pontifex cernens et legens, ipsorum conversationem appetat, vitam teneat, et fidem sequatur. Ponuntur autem terni lapides per quatuor ordines, quoniam Trinitatis fides in quatuor Evangeliis apostolorum officio divulgata est. Et quamvis singula nomina singulis lapidibus imprimantur, unusquisque tamen non singulis, sed omnibus lapidibus decoratur; unusquisque enim omnium colorem, omnium splendorem et pulchritudinem imitatur; omnes enim et martyrio rubei, et fide virides, et charitate igniti, et cœlesti contemplatione clari, et pudicitia candidi, et pœnitentia nigri esse videntur. Nihil denique est in coloribus, nihil in moribus, nihil in splendoribus, nihil in virtute, nihil in sapientia vel in decore, quod in sanctis apostolis non inveniatur.

« Facies in rationali catenas sibi invicem cohæ- « rentes ex auro purissimo, et duos annulos aureos, « quos pones in utraque rationalis summitate, cate- « nasque aureas junges annulis, qui sunt in margi- « nibus ejus, et ipsarum catenarum extrema duobus « copulabis uncinis in utroque latere superhumera- « lis, quod rationale respicit. Facies, et duos annu- « los aureos, quos pones in summitatibus rationalis, « et in oris, quæ e regione sunt superhumeralis, et « posteriora ejus aspiciunt, nec non et alios duos an- « nulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere « superhumeralis deorsum, quod respicit contra « faciem junctureæ inferioris, ut aptari possit cum « rationali, et stringatur rationale annulis suis cum « annulis superhumeralis vitta hyacinthina, ut ma- « neat junctura fabrefacta, ut a se invicem ratio- « nale et superhumerale nequeant separari. » Hoc totum qualiter ad litteram intelligi debeat, sic collige. Rationale duos annulos in duabus extremitatibus superius habebat, quibus duo annuli superhumeralis appositi erant : duobus autem annulis rationalis duæ catenulæ junctæ erant. Erant præterea duo alii annuli deorsum in utroque latere superhumeralis, per quos vitta hyacinthina trahebatur, quæ duos quoque rationalis annulos continens, sic rationale et superhumerale vicissim ad se constringebant ut a se separari non possent. Quid autem rationale et superhumerale significet dictum est. Dicamus quid significet, quod sic alterutrum conjunguntur, ut a se separari non valeant. Tunc enim rationale et superhumerale sibi junguntur, quando pontificis prædicatio et operatio bene simul conveniunt. Sicut enim per rationale doctrina et prædicatio, ita per superhumerale onus et operatio designatur. Si enim episcopus bene docet, et male operatur; aut si econtra bene operatur, et male docet, ejus superhumerale et rationale non junguntur. De his enim, qui bene docent, et male agunt, ipsa per se Veritas ait : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, quæcunque dixerint vobis, servate, et facite; secundum opera eorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt, alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere (*Matth.* xxiii, 2). » Isti autem rationale habebant, sed superhumerale non habebant; si enim superhumerale habuissent, non solum digito aliena opera tangerent, verum etiam super humeros ea portarent. Hæreticorum quamplurimos fuisse legimus, qui bene quidem operabantur, sed male docebant. Jejunare namque, vigilare, eleemosynas dare, et similia, bonum opus est. Hæc autem Manichæorum, Arianorum et Donatistarum episcopos fecisse audivimus; sed quoniam male docebant, et errorem prædicabant, quamvis hæc et similia agendo superhumerale facere viderentur, rationale tamen penitus non habebant; si enim rationale habuissent, irrationabilia, id est falsa et erronea non prædicassent. Ille igitur et superhumerale et rationale sibi mutuo conjuncta et ligata portat, qui et bene agit, et bene docet. Sed qui per annulos, et catenulas, vittamque hyacinthinam, quibus rationale sibi jungunt, nisi spem et charitatem, sapientiam et alias virtutes intelligamus? Qui enim has habent, a veritatis doctrina et operatione cessare non possunt : his enim quasi quibusdam retinaculis prædicatio, et operatio sibi junguntur, seque sequuntur, et concorditer sibi mutuo obsequuntur. Sequitur :

« Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in « rationali judicii super pectus suum, quando ingre- « dietur sanctuarium, memoriale coram Domino in « æternum. » In pectore enim et corde pontificis sanctorum nomina, conversatio, vita et memoria semper esse debet, ut eorum judicio, et doctrina, et exemplo omnia doceat et operetur. Habeat etiam totius populi nomina in corde scripta, ut omnium memor semper pro omnibus ad Deum intercedat.

105 « Pones autem in rationali judicii doctrinam, « et veritatem, quæ erat in pectore Aaron, quando « ingredietur coram Domino, et gestabit judicium « filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini « semper. » Hoc autem episcopi audiant, hoc dili-

Digitized by Google

gentissime attendant; considerent quid significet quod supra pectus Aaron doctrina et veritas ponitur. Ille enim episcopus rationale in pectore non habet, imo neque cor neque pectus habet, in cujus corde non est doctrina et veritas. Quid enim sine doctrina docebit? Quid sine veritate judicabit? Ideo enim rationale judicii dicitur, ut in rationali sit doctrina, in judicio sit veritas. Semper igitur rationale, semper pectus suum intueatur episcopus; sufficit ibi liber iste, tota lex utriusque Testamenti; scientiam in pectore habet, si tamen intelligit quod in pectore habet. Sed quomodo non intelligat pectus quod in pectore est? Quomodo cor illud non videat cujus pondere premitur? Ideo enim tam prope et super ipsum cor rationale ponitur, ut quid velit et quid significet facile intelligat. Stat rationale super cor, quasi magister super discipulum; clamat voce admirabili, si tamen sit qui audiat; admonet cordis oculos, rogat ut ad se dirigantur, inspiciant et legant, legant et intelligant quid aurum, hyacinthus, purpura, coccus et byssus, quid duodecim lapides, quid nomina in eis relata, quid doctrina et veritas significet. Hoc enim si episcopus intelligit, nihil est sui officii, quod non intelligat, quod quidem Sapiens ille significaverat, qui ait : « In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum; et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta (*Sap.* XVIII, 24). » Sequitur :

« Facies et tunicam superhumeralis totam hya-
« cinthinam, in cujus medio supra erit capitium, et
« ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in
« extremis vestium partibus, ne facile rumpatur. »
Quia enim superhumerale super hanc tunicam ponebatur, ideo superhumeralis tunica vocatur. Hac autem totus pontifex tegebatur, et ideo juxta collum capitium habebat, quo caput etiam tegeretur. Per hanc autem, sanctam et mundam episcopi conversationem intelligimus, ut sic sancta vita et optima conversatione totus operiatur, quatenus nihil nudum, vel indecens, vel non ornatum in eo appareat, unde et tota tunica hyacinthina fuisse dicitur, qua videlicet pontifex indutus non terra, sed cœlum; non homo, sed Deus esse putaretur. Hyacinthus enim, ut jam sæpe diximus, quoniam aerei coloris est, cœlum significat. Hac autem veste indutus erat Apostolus, qui dicebat : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). » In terra adhuc degens ista dicebat; sed quia cœlicam et angelicam vitam agebat, quia hyacinthinis vestibus indutus jam se in cœlo esse gaudebat; inde enim et cœli apostoli dicuntur, quoniam talibus vestibus induuntur. Habet autem hæc tunica capitium, quo totum caput operiens, visum et auditum, gustum et odoratum, quæ in eo sunt, per illicita et nociva vagari non patiantur. Habet autem et oram, et textilem per gyrum in circuitu, sicut in extremis vestium partibus fieri solet, ut non facile rumpatur; per quam perseverantia in bonis intelligitur; de qua scriptum est : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). » Tunc enim tunica, id est sancta conversatio interrumpitur, quando ab incœpto opere qualibet occasione separatur.

« Deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ per
« circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho,
« et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta,
« mistis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabu-
« lum sit aureum, et malum punicum, rursumque
« tintinnabulum aliud sit aureum, et malum puni-
« cum. » Mala namque punica clarissimis et dulcibus granis regulariter ordinatis plena sunt, per quæ sanctorum Ecclesia, et congregationes ubique per totum mundum positas, intelligere possumus, in quibus Christifideles concordia, pace et dilectione conjuncti continentur. At vero per tintinnabulum evangelica prædicatio intelligitur; unde et aurea dicuntur. Evangelica prædicatio sapientiæ luce præfulget. Mala vero punica ex hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta fiunt; quoniam sanctorum cœtus ex solis hominibus et virtutibus ædificantur. Sæpe enim jam diximus, quia per hos quatuor colores, quatuor elementa, ex quibus homo constat, vel quatuor virtutes principales intelliguntur. Sunt autem inter mala punica, juxta tintinnabula, ut nulli Ecclesiæ, vel prædicator, vel prædicatio desit : tunc enim inter mala granata tintinnabula sonant, quando in conventu fidelium, et in medio ecclesiarum, prædicatorum et doctorum voces audiuntur. Sequitur :

« Et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut
« audiatur sonitus, quando ingredietur et egredie-
« tur sanctuarium in conspectu Domini. » Necesse est ergo pontifices sine intermissione clamare; necesse est semper prædicare; et vocis tintinnabula sonare, et ad fidem, et ad baptismum, et ad pœnitentiam populum vocare. Sive enim ingrediatur sanctuarium, sive egrediatur de sanctuario, hoc agere debet, quia quandiu in ecclesia est, quandiu circa se populum cernit (populus enim sanctuarium est) semper ædificationis verba eorum auribus insonare et instillare convenit. Hoc enim cum ubique agere bonum sit, ibi tamen præcipue fieri debet, ubi ad sacramenta sumenda Dei populus venire consuevit. Quod quidem si episcopus fecerit, non morietur, si vero non fecerit, morietur. Quid est morietur? Non enim hoc de communi morte dici videtur; **106** omnes enim moriemur : de alia igitur morte hoc est intelligendum, a quo omnipotens Deus nos eripere et liberare dignetur. Sequitur :

« Facies et laminam de auro purissimo, in qua
« sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino. Liga-
« bisque eam vitta hyacinthina, et erit super thia-
« ram imminens fronti pontificis. » Vis cognoscere pontificem? inspice in fronte, et lege titulum, lege « Sanctum Domino. » Sic enim titulatur frons pontificis. Magna quidem reverentia digna est domus illa, quæ sic titulatur. Hic autem titulus non scribitur, nisi in auro, et in auro purissimo. Quid est aurum? Sapientia : hoc enim jam supra dictum est.

Digitized by Google

Sed quia non omnis sapientia munda est; siquidem sapientia mundi stultitia est apud Deum, ideo in auro purissimo scribitur, « Sanctum Domino. » Luceat ergo sapientia in fronte pontificis, illa sapientia, quam discipulis suis ille, qui est vera sapientia, promittit, dicens : « Ego dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). » Qui enim hanc laminam auream non habent, magno quidem ornamento carent. Ligatur autem hæc lamina vitta hyacinthina, per quam sanctam et cœlicam vitam, et Dei contemplationem intelligimus. Divina namque sapientia sine hac vitta hyacinthina teneri non potest, quoniam sic scriptum est : « In malevolam animam non intrabit sapientia (*Sap.* I, 18), » Erat autem hæc lamina super thiaram, quoniam omnibus ornamentis sapientia in pontifice superior est, et clarius lucet : hæc prima quærenda est, hæc inspicienda. Et quamvis cætera ornamenta habeat, si tamen sapientiam non habet, non est in eo ubi scribatur « Sanctum Domino; » hoc est enim nomen pontificis, quo qui non titulatur, pontifex non est; imminet autem hæc stella fronti pontificis, ut nunquam abscondatur, ut ab omnibus videatur, ut omnes illuminet, et luceat omnibus qui in domo sunt.

« Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerint; et sacrificaverint filii Israel in cunctis « muneribus, et donariis suis. » Si enim de Salvatore nostro scriptum est : « Vere peccata nostra ipse tulit, et iniquitates nostras ipse portavit (237). » Cum populus ad delenda peccata sacerdotibus munera offerat, quid aliud sacerdotes, nisi peccata populi in muneribus portant? In muneribus ergo peccatorum onera populus deponit; sacerdotes vero econtra peccatis onerantur. Hoc autem onus officii sacerdotibus sit, ut pro peccatoribus exorantes, et suum officium digne adimplentes Dei indignationem, et iram semper placare studeant.

« Erit semper lamina in fronte ejus : ut placatus « sit eis Dominus. » Semper laminam auream pontifex gestare debet, ut ejus aspectu, et præsentia populus illuminetur; portet laminam in fronte, portet lucernam in vultu, portet semper sapientiam in manifesto deferat et prædicet, instet semper opportune et importune, ut ei placatus sit Deus.

« Stringesque tunicam bysso, et thiaram byssi« nam facies. » Bysso namque tunica, et thiara stringitur, quia carnis munditie et maceratione, sanctæ vitæ conversatio, et gloria et corona capitis retinetur. Quamvis enim tunica bonæ conversationis episcopus sit indutus, quamvis vitiis superatis, thiara byssina sit coronatus, attamen nisi carnem domando et castitate utrumque constrinxerit, facile et thiaram et tunicam perdere poterit. Unde et de se Apostolus ait : « Sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX, 26). » Sequitur :

« Facies et balteum opere plumario. » Dominus enim in Evangelio dicit : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 35). » Qui enim præcingitur, balteo præcingitur. Balteus autem castitas est. Balteo præcingitur, qui castitatis cingulo carnem stringit, ne luxuriando per illicita fluxa vagetur. Fit autem balteus opere plumario, quoniam castitas et levem hominem reddit, et ad volandum agilem facit

« Porro et filiis Aaron tunicas meas parabis, et « balteos, ac tiaras in gloriam et honorem, ve« stiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, et filios « ejus cum eo, et cunctorum consecrabis manus, « sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur « mihi. » Tunicæ namque lineæ, quæ multo labore, multaque et frequenti aquarum ablutione ad candoris nitorem perducuntur, carnis macerationem, ut jam supra diximus, et castitatis munditiem designant. Igitur et per tunicas, et per balteos, et per tiaras, quæ et ipsæ byssinæ erant, pene idem significare videtur; in quo apertissime intelligi potest, quantum castitas et continentia carnis Domino placeat; hæc est enim gloria et decor pontificis; his Ecclesiæ ministri et indui, et decorari, et gloriari debent. Manus autem eorum consecrantur, ut bono operi insistant, ut malum et immundum neque tangant, neque agant.

« Facies et feminalia linea, ut operiant carnem « turpitudinis suæ a renibus usque ad feminalia, et « utentur eis Aaron, et filii ejus, quando ingredien« tur tabernaculum testimonii, vel quando appro« pinquabunt ad altare, ut ministrent in sanctuario, « ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiter« num erit Aaron, et semini ejus post eum. Sed et « hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur. » Ecce iterum in feminalibus virtus castitatis commendatur, unde et linea fieri jubentur, quoniam per linum **107** castitas designatur. Illi enim sacerdotes non habent feminalia, qui carnem turpitudinis suæ non operiunt, qui carnis pudenda non restringunt, nec refrenant, ne feminea membra aliquatenus sentiant. Ideoque et renes, et totum femur feminalia operiunt, quia major ibi carnis titillatio sentitur : etenim si illa pars corporis diligenter custodiatur, non est unde carnis pudicitia corrumpatur. Semper igitur Ecclesiæ ministri habeant feminalia, quoniam non per intervalla tabernaculum ingrediuntur, sed semper in templo Dei sunt : siquidem, et ipsi templum Dei sunt, nunquam se carnis voluptati subjiciant, semper lumbos præcinctos habeant, ne moriantur; hoc autem sit eis legitimum non temporale, sed sempiternum; hanc legem custodiant, nunquam feminalium et pudicitiæ obliviscantur.

(237) Isa. LIII, 4. Vulgata habet : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.*

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

« Tolle vitulum de armento (238), et arietes duos « immaculatos, panesque azymos, et crustulam « absque fermento, quæ conspersa sint oleo : lagana « quoque azyma, quæ sint oleo lita, de simila tritice cea cuncta facies, et posita in canistro offeres : « vitulum autem, et duos arietes. » Hic autem vitulus Christus Dominus noster intelligitur, quia de armento sanctorum patriarcharum et prophetarum secundum carnem originem ducens, pro peccatis nostris immolatus est. Hic est enim ille vitulus saginatus, quem pro lætitia redeuntis filii benignissimus ille pater occidere jussit. Notum valde est quod dicimus. De hoc autem vitulo, et de duobus arietibus plenissime in sequentibus tractabitur. Per panes autem azymos, et crustulam absque fermento, et laganam azymam, incorruptam vitam et sanctam conversationem, et utriusque hominis integritatem intelligimus. Ideo enim et omnia azyma intelliguntur, ut non sint in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Sunt autem et oleo lita, gratia videlicet sancti Spiritus, cujus unctione omnia bona crescunt et perficiuntur. Sed quia de his omnibus plenius postmodum locuturi sumus, interim de eis taceamus.

« Et Aaron, et filios ejus applicabis ad ostium « tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem « cum filiis aqua, et baptizati mundentur ab om- « nibus delictis (239), indues Aaron vestimentis « suis, » ut exutus « veterem hominem cum actibus suis, novum induat, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis (*Ephes.* IV, 22). » Quæ sint autem vestimenta, quibus indui debeat, subsequitur enumerans, et ait : « Id est linea, « et tunica, et superhumerali et rationali, quod con- « stringes balteo, et pones tiaram in capite ejus, et « laminam sanctam super tiaram, et oleum unctionis « fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabi- « tur. » Vestes, inquit, eum linea castitatis, et tunica sanctæ conversationis, et superhumerali bonæ operationis : cui rationale quoque doctrinæ et veritatis, omnisque sapientiæ indissolubiliter conjungatur. Unde et balteo utrumque stringi jubetur. « Et pones tiaram, » id est coronam victoriæ in capite ejus, per quam cujus sit fortitudinis dignoscatur. « Et lamiD nam sanctam super tiaram, » ut in ejus fronte luceat fulgur sapientiæ. « Et oleum unctionis fundes super caput ejus, » ut gratia sancti Spiritus totus delibutus, et mente, et corpore sanctificatus, dignus ante Deum apparere valeat. Hæc autem, quia jam superius exposita sunt, sub brevitate transcurrimus.

Filios quoque illius applicabis, et indues tunicis « lineis, cingesque balteo, Aaron scilicet, et libe- « ros ejus, et impones eis mitras, eruntque sacerdo- « tes mei religione perpetua. » Sæpe jam diximus, A quia per linum pudicitia et carnis munditia designatur, quia nihil est in vestimentis, quod toties lavetur, toties in aquam mergatur et ad candorem suique munditiam deducatur. Unde non solum Aaron, verum etiam filii ejus lineis tunicis indui jubentur, quoniam quicunque Deo ministrant, et virtute debent esse ornati, et balteo castitatis constricti. Idcirco in Evangelio Dominus ait : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 35). » Ad cujus quoque significationis sacramentum etiam mitras eis imponere jubet, quoniam et mitræ de lino fiunt ; idem igitur per tunicas lineas, et per balteos, et per mitras significatur. Qui enim castitatis veste induitur, merito quidem vir præcingitur, et ut victor coronatur. Isti igitur sunt sacerdotes Dei, perpetua B religione conservata.

« Postquam initiaveris manus eorum, applicabis « et vitulum coram tabernaculo testimonii. » Tabernaculo enim facto, altari ædificato, vestimentis sacerdotalibus compositis, indutis sacerdotibus, hoc nunc ex ordine restat, ut de sacrificio loquamur. Dicatur ergo : Postquam initiaveris, et consecraveris manus eorum, ut mundæ dignæque fiant Dei tangere sacrificium, applicabis et vitulum coram tabernaculo testimonii. Vitulus enim iste, ut superius diximus, Christus est : Moyses autem aliquando Christum significat ; aliquando vero pro omnium Judæorum populo ponitur, quoniam omnium dux, et princeps, omnium in se consilia gerebat. Applicuit C **108** ergo Moyses, id est populus Judæorum vitulum coram tabernaculo testimonii, quando, datis triginta argenteis, Christum Judæi tenuerunt, et ad pontifices deduxerunt quorum judicio, quia judicatus et damnatus est, ideo subditur :

« Imponentque Aaron, et filii ejus manus super « caput illius, et mactabis eum in conspectu Domini « juxta ostium tabernaculi testimonii. » Quid enim per Aaron et filios ejus, nisi Anna et Caiphas, et sacerdotes, et levitæ, et Scribæ, et Pharisæi intelliguntur ? Hi autem imposuerunt manus super caput vituli, quia in Christum Dominum manum mittere non timuerunt, clamantes et dicentes : « Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). » Unde etiam Apostolus ait : « Christi caput Deus est (*I Cor.* XI, 4). » Illi ergo imponunt D manus super caput Christi, qui et Deum illum esse negant, et divinitatem in illo opprimere conantur. Mactaverunt autem eum in conspectu Domini, quoniam ejus morti semper præsentialiter Dominus adfuit. Et hoc quidem juxta ostium tabernaculi testimonii, quoniam et si extra portam passus est civitatis, in civitate tamen, et juxta templum judicatus et damnatus est.

« Sumptumque de sanguine vituli pones super « cornu altaris digito tuo. » Quid enim per altare, nisi crucem ? Quid vero per cornua altaris, nisi

(238) Ex cod. cod. Laurent. corrigitur editio, quæ incipit hoc caput verbis, quæ finis sunt præcedentis capitis

(239) In cod. Bibl. Montis Amiatæ et in Vulgata desunt illa verba : *Et baptizati mundentur ab omnibus delictis.*

Digitized by Google

crucis cornua intelligimus? Sanguis igitur vituli super altaris cornua positus est, quia Christi sanguis de ejus digitis manibusque profluens, crucis cornua cruentavit. Reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus; basis autem hujus altaris illa crucis pars intelligitur, quæ terræ affixa erat. Funditur igitur sanguis reliquus ad basim altaris, quoniam totus ille Christi sanguis, qui de ipsius pedibus distillavit, et de ejus latere manavit, ad crucis basim fluendo pervenit. Sequitur :

« Sumes et adipem totum, qui operit intestina, et « reticulum jecoris, ac duos renes, et adipem, qui « est super eos, et offeres incensum super altare. » Quid enim per intestina, et adipem, et ea quæ cordi adhærent, quæ quidem quasi invisibilia in occulto latent, nisi Christi dilectionem, quam erga nos habuit, et ejus misericordiam et pietatem intelligere debemus? Hæc enim super crucis altare Christus Dominus noster in odorem suavitatis incendens offerebat, quando pro suis persecutoribus orans dicebat: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » De hoc etiam Psalmista loquitur, dicens : « Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII, 6).» Itemque : « Memor sit Dominus sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat (*Psal.* XIX, 4). » Itemque tres pueri in Daniele : « Sicut in holocausto arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum (*Dan.* III, 40). » Quid est enim quod omnis adeps offerri jubetur, et holocaustum pingue laudatur? Caro enim macra et sine pinguedine, neque quando assatur, reddit odorem, neque quando comeditur præstat saporem. Hæc autem pinguedo non corporis sed spiritus, non carnis sed mentis intelligi debet. Animæ namque pinguedo fides est, spes et charitas, et omnium collectio virtutum. Hæc suave redolent, hæc in omni sacrificio Domino placent, et sine his nullum sacrificium est acceptabile. Hoc enim adipe pingues erant illi, de quibus dicitur : « Manducaverunt omnes pingues terræ (*Psal.* XXI, 30). » Offert ergo Christus adipem suum, offert et holocaustum lætum et pingue, offert et odorem et saporem suavitatis. Ipse enim est mons Dei, mons coagulatus et pinguis. Hujus enim adipis odore, et cœlum repletur, et terra. Sequitur :

« Carnes vero vituli, et corium ejus, et fimum « combures foris extra castra, eo quod pro peccato « sit. » Hoc enim Apostolus exponens, quod totum hoc de Christo intelligi debeat, manifestat, dicens : « Quorum enim animalium infertur sanguinis in Sancta pro peccato, horum corpora cremantur extra castra; ita et Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est (*Hebr.* XIII, 11). » Tunc enim extra castra vituli carnes, corium et fimus comburebantur, quando extra portam in cruce pendens, pro peccatis nostris Christus Dominus noster duram mortem patiebatur. Nemo autem cum vituli fimum legerit, fimum quoque Christum significare abhorreat; hoc enim fimo pinguescit terra nostra; hoc fimo fertilis fit et caro, et anima nostra. Id ipsum enim per fimum vituli, et per Noe patriarchæ discooperta verenda significari arbitror. Fimus ergo vituli crucis ignominiam significat. In hoc enim Apostolus gloriatur, dicens : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (*Galat.* VI, 14). » Vitulus igitur noster, id est Verbum Dei, habet carnes, quibus reficimur. Unde ipse ait : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam (*Joan.* VI, 55). » Habet et corium, quod nisi de litteræ superficie detractum fuerit, ad carnes et ad spiritualem intelligentiam accedere non valemus. Nos enim ipsi quando ista dicimus, vitulum, id est Verbum Dei, quodammodo decoriamus; quod enim corium super carnes (240), hoc ignorantia super litteram. Et hæc de vitulo dicta sufficiant.

« Unum quoque arietem sumes, super cujus caput « ponet Aaron, et filii ejus manus, quem cum macta- « veris, tolles de sanguine ejus, et fundes circa altare : « ipsum autem arietem secabis in frusta, lotaque in- « testina ejus, ac pedes pones super concisas carnes, « et super caput illius, et offeres totum **109** arietem « in incensum super altare. » Quamvis enim unum, idemque et per vitulum, et per arietem intelligatur, siquidem utrumque Christi passionem significat, differt tamen; quoniam vitulus illam ejus mortem designat, de qua Apostolus ait : « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (241) (*Rom.* VI, 9). » Aries autem hanc illius hostiam demonstrat, quæ nunc quotidie in ejus memoriam in sancta Ecclesia pie a sacerdotibus immolatur. Unde et ibi super altaris cornu sanguis ponitur : hic autem solummodo circa altare funditur. Ait ergo : « Unum quoque arietem sumes, super cujus caput ponent Aaron, et filii ejus manus. » Hoc autem in loco Aaron et filii ejus, sanctæ Ecclesiæ episcopos et sacerdotes designant : Superius enim Synagogæ significaverunt ministros. Ponunt igitur Aaron et filii ejus manus super caput arietis, quando pontifices et sacerdotes puras manus elevant ad Christi corpus conficiendum. Pro toto quidem corpore caput posuit, quoniam caput principalior pars corporis est. Quem cum mactaveris, inquit, tolles de sanguine ejus, et fundes circa altare, quatenus et ore, et corde a fidelibus suscipiatur. Hoc enim altare non convenientius, quam hominis mens, et cor intelligi potest. Funditur igitur sanguis circa altare, quoniam mentes et corda semper tangens, nunquam Christi sanguis et passio a fidelium memoria delebitur. Semper enim in ejus

(240) Bene corrigit eod. Casin. editionem, ubi pro ignorantia legitur ignominia.

(241) Vulgata habet : *Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo : scientes quod Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.*

Digitized by Google

sanguine natant corda nostra, somperque ejus sanguis et passio versatur circa mentem nostram. Unde et ipse Dominus ait : « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XXI, 19). » Sequitur :

« Ipsum autem arietem secabis in frusta. » Arietem enim in frusta secamus, quando omnia, quæ de Salvatore scripta sunt, particulariter et per sententias dividentes exponimus, nunc de ejus ineffabili nativitate, nunc de ejus prædicatione, nunc de miraculis, quæ solo verbo operabatur, nunc de passione, nunc de resurrectione, nunc de ejus ascensione verbum facientes.

« Lotaque intestina, ac pedes pones super concisas carnes, et super caput illius, et offeres totum « arietem super altare. » Quid enim per ejus pedes et intestina, nisi ejus finem et passionem intelligimus ? Finis enim corporis pedes sunt ; intestina vero videre, horribile est. Quod ergo significatur per finum vituli, hoc significatur per intestina et pedes arietis. Pedes ergo arietis et intestina lavamus, quando Christum Dominum non imbecillitate, sed voluntate passum esse probamus ; quando sputa, flagella, spineam coronam et totam crucis ignominiam (hæc sunt enim ejus intestina) propria voluntate eum sustinuisse, ex ipsius testimonio ostendimus : « Oblatus est enim, quia ipse voluit (*Isai.* LII, 7) · » potestatem enim habuit ponendi animam suam, et iterum sumendi eam. Unde et dicebat : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* XII, 24) » Hoc enim cum dicimus, ejus pedes et intestina lavamus, et ea, quæ in eo infirma, imbecillia et despicienda apparebant, nobilia, fortia et admiranda esse monstramus. Hæc autem, id est, intestina et pedes arietis ponimus super concisas carnes et super caput illius, quoniam postquam Christum Deum esse de virgine natum, inter homines conversatum, cæcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, et cætera quæ fecit, singulariter ostendimus ; tunc tandem, et his omnibus illud quoque superponere et reddere debemus, quia pro nobis passus est et propter peccata nostra mortem turpissimam et crucis ignominiam sustinuit.. Hic est enim rectus ordo prædicationis, si arietem nostrum, id est Verbum Dei concidentes in frusta secantes, a capite incipientes, ipsumque caput prius ponentes dicamus : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Hoc est enim caput arietis. Deinde autem cætera quoque membra per ordinem exponentes, postquam eum hominem factum, de virgine natum, cum hominibus conversatum, et similia, quæ de eo scripta sunt, exposuerimus, tandem ad ejus passionem veniamus, et crucis ignominiam post omnia et super omnia addamus ; et hoc quidem est pedes arietis et intestina super concisas carnes et super caput ponere. Quod quidem Joannes evangelista fecisse dignoscitur. Postquam enim dixerat : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ; » consequitur, et particulatim Christi doctrina, et miraculis positis, tandem ejus passionem et crucis ignominiam per omnia superaddidit. Quod autem addit : « Et offeres totum arietem super altare : » tale est, ac si diceret : Non solum Christi divinitatem et humanitatem, verum etiam passionem, resurrectionem et ascensionem, et quæcunque de eo scripta sunt, semper in memoria, in corde et in mente habebis. Diximus enim, quia hoc altare mens et cor hominis intelligatur. Quoties ergo spiritu contribulato, corde contrito et humiliato Salvatoris nostri benigne memores sumus, eumque aliis prædicamus, toties super cordis altare totum arietem immolamus : oblatio enim Domini est odor suavitatis ; nulla enim nostra oblatio est Deo suavior quam amor, pietas, et dilectio, qua **110** circa ejus memoriam afficimur, et in ejus dulcedine suspiramus. Hac enim dulcedine Psalmista plenus dicebat : « Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei ? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI, 3). »

« Tolles et arietem alterum, super cujus caput « Aaron, et filii ejus ponent manus. Quem cum immolaveris, sumes de sanguine ejus, et pones super « extremum dextræ auriculæ Aaron et filiorum ejus, « et super pollices manus eorum, et pedis dextri. « Fundesque sanguinem super altare per circuitum. » Hæc autem tertia oblatio illa est, de qua Psalmista loquitur dicens : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV, 15). » Vitulus igitur, ut diximus, Christi passionem ; primus autem aries ipsius corporis et sanguinis sacramentum, quod quotidie ubique in Ecclesia immolatur ; hic autem secundus aries apostolorum et martyrum passiones et tormenta significat. De hoc enim ariete scriptum est : « Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum (*Psal.* XXVIII, 1). » Itemque : « Montes exsultaverunt ut arietes (*Psal.* CXIII, 4). » De hac quoque oblatione et Apostolus dicit : « Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat (*I Tim.* IV, 6). » Itemque : « Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII, 1). » Ipse quoque Dominus filiis Zebedæi : « Potestis, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus sum ? » (*Matth.* XX, 22.) Qui cum se posse responderent, ait : « Calicem quidem meum bibetis (*ibid.*) ; » id est vos quoque pro me patientes, Dei holocaustum et oblatio eritis. Super caput ergo hujus arietis Aaron et filii ejus manus posuerunt, quoniam incitamento pontificum et sacerdotum (qui per Aaron et filios ejus intelliguntur) statim post Christi passionem in apostolos manum injecerunt. Primum enim Stephanum et Jacobum interfecerunt, demum vero nimis crudeliter ubique Ecclesiam persecuti sunt. Et isti quidem super caput arietis ma-

Digitized by Google

nos posuerunt, quando primitivam Ecclesiam diversis multisque tormentis afflixerunt. Diximus enim superius, quod Aaron et filii ejus, aliquando Judæorum pontifices et sacerdotes, aliquando episcopos et sacerdotes nostros significet : illos enim significant, cum male agunt; hos autem significant, cum bonum aliquid operantur. Illos cum sanctos persequuntur; istos cum a Domino consecrantur. Unde et subditur : « Quem cum immolaveris, sumes de « sanguine ejus, et pones super extremum dextræ au- « riculæ Aaron, et filiorum ejus. » Ecce enim Aaron et filii ejus, qui modo Judæorum pontifices et sacerdotes significabant, nunc nostros episcopos et sacerdotes significant. Qui quoniam nil sinistrum habent, ideo super eorum dextram aurem, et manum, et pedem, sanguis arietis poni jubetur. Judæi vero dextram aurem non habent, quam servo Malcho beatus Petrus abscidit. Nihil enim sinistrum habent sancti; et ideo in Evangelio Dominus ait : « Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua (*Matth.* VI, 23). » Sanguis enim arietis nobis aures tangit, quando martyrum passiones nos audire delectat. Sed quia perparum audire prodest, nisi et eorum actus imitemur, ideo etiam manus sanguine tinguntur, quatenus eos et in operatione, et si necesse fuerit, in passione sequamur. Tangit autem et pedes, ut bonum exemplum, quod ex eis capimus, aliis etiam nos prædicare non pigeat secundum illud Apostoli : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! » (*Rom.* X, 15.) Quod autem extremum auriculæ sanguis tangit, hoc est intelligere, quod aures sanctorum usque ad extremam sæculi consummationem verbo Dei nunquam claudentur. Et quoniam Judæorum quoque populus circa mundi finem ad Dei verbum audiendum aures aperiet, non immerito extremum auriculæ Aaron tetigisse dicitur : extremum enim auriculæ tangere, est ultimos et extremos ad pœnitentiam vocare. Funditur autem sanguis arietis super altare per circuitum, quoniam omnium mentes et corda in sanctorum martyrum passionibus, constantia et sanguine delectantur. Sive enim totam Ecclesiam, sive uniuscujusque mentem intelligamus; sanguis tamen martyrum super altare funditur, quoniam fidelium mentibus martyrum passiones narrantur. Sequitur :

« Cumque tuleris de sanguine, qui est super al- « tare, et de oleo unctionis, asperges Aaron, et ve- « stes ejus, filios, et vestimenta eorum. » Sanguis enim de altari, et oleum unctionis super Aaron, et vestes ejus aspergitur, quoniam SS. martyrum passiones et gratia Spiritus sancti, qua perunctі erant, omnibus episcopis et sacerdotibus ad prædicandum et imitandum traduntur. Imitari autem ad Aaron, prædicare autem ad vestes ejus pertinet. Dum enim martyrum sanguis in vestibus videtur, ipsæ etiam vestes quodammodo prædicant martyrum passiones. Dum vero Aaron et sanguine tingitur, et oleo ungitur, tunc quidem sacerdos et martyrium imitatur, et gratia roboratur. Ille enim sacerdos martyrum sanguine non tingitur, qui martyrum sperait imitari passiones; si vero eorum martyria etiam prædicare negligit, procul dubio nec in vestes eorum sanguinem suscepit. Vestis enim nostra caro est; hac enim veste induitur anima; cum ergo lingua carnis, martyria martyrum prædicamus, eorum sanguinem in vestimento quodammodo ferimus. Hic autem sanguis tollitur de altari cordis nostri, quia quod in corde habemus, hoc agimus, et docemus.

« Consecratisque et ipsis, et vestibus eorum, « tolles adipem de ariete, et caudam, et arvi- « nam, **111** quæ operit vitalia, ac reticulum « jecoris, et duos renes, atque adipem, qui super « eos est, armumque dextrum, eo quod sit aries « consecrationis, tortam panis unius, crustulam « conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, « quod positum est in conspectu Domini. » Consecratis, inquit, et ipsis, et vestibus eorum, quatenus eorum vitam imitentur, quorum et ipsi et eorum vestimenta sanguine asperguntur, tolles adipem de ariete, et cætera quæ sequuntur. Non enim sufficit, nos solo arietis sanguine aspergi, nisi ejus adipem, et caudam, et arvinam, et cætera quæ hic posita sunt, de ariete suscipiamus, quoniam non solum martyrum passiones, verum et eorum vitam, mores et sapientiam amplecti et imitari debemus. Tolle igitur adipem, dico non carnis, sed mentis; mentis enim adeps justitia est, prudentia, temperantia et fortitudo : hoc enim adipe incrassatur anima. Tolle et caudam, ut sunt illi, de quibus loquitur; ita ut usque in finem in bono opere perseveres. « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* XXIV, 13); » cauda enim pro fine ponitur, quoniam finis corporis cauda est. Tolle et arvinam, quæ operit vitalia : vitalia enim corda sunt, quoniam ibi est vita. Arvina igitur cordis sapientia et scientia intelliguntur. Macrum est illud cor, quod hac arvina non impinguatur. Tolle et reticulum jecoris, ut nihil de pinguedine relinquas. Omnis enim arietis hujus pinguedo bona est, ad jecur enim, secundum physicos, digestio pertinet, unde et patremfamilias illud vocant, quoniam ejus officio cætera nutriuntur. Macrum autem, infirmum et debile jecur digerere cibos non valet. Reticulum igitur jecoris quid erit? nisi illa intelligentia, qua sanctarum Scripturarum intelligentias ruminando digerimus. Cibus enim, qui non digeritur inutilis est. Scriptura enim, quæ non intelligitur, infructuosa est. Ut ergo nostrum jecur pinguescat, tollamus hujus reticulum jecoris : tolle similiter et duos renes, et adipem, qui super eos est, ut tales sint renes tui, quales et sanctorum renes fuerunt. « Sint lumbi tui præcincti (*Luc.* XII, 35); » ubi dominatur libido, dic Domino cum Psalmista : « Proba, me Deus, et tenta me, ure renes meos, et « cor meum (*Psal.* XXV, 2). Sed quia castitas carnis inutilis est, nisi et castitas mentis habeatur, adipem quoque, qui super renes est, tollere jubetur. Tunc enim castitas pinguis est, quando neque caro a fornicatione, neque anima ab hæretica pravitate, vel

Digitized by Google

vitiorum amore corrumpitur. Tolle et armum dextrum. Audi Apostolum dicentem : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Galat.* VI, 2) ; » ut quomodo Christum te, ita te proximum ferre non pigeat. Ille enim episcopus non habet armos, qui aliorum onera portare non vult. Est autem hic aries consecrationis, quoniam hoc ariete, et Aaron, et filii ejus consecrantur. Tolles et tortam panis unius, et crustulam conspersam oleo, et laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini. Per tortam enim panis unius, et crustulam, et laganum, fidem, spem et charitatem intelligimus. Sicut enim panis inter omnes cibos, ita fides omnium virtutum prima et maxima est : « Sine fide, impossibile est placere Deo (*Hebr.* I, 6) : » hæc prima datur, hæc in baptismo suscipitur, quam qui non habet, nihil habet. Est autem torta panis unius, quoniam et fides una est. Sic enim Apostolus ait : « Unus Dominus, una fides, unum baptisma (*Ephes.* IV, 5). » Sed quare torta? Torta enim similitudinem coronæ exprimit; per fidem autem venitur ad coronam, unde cum Apostolus dixisset : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi (*II Tim.* IV, 7), » mox addidit, dicens : « De reliquo mihi reposita est corona justitiæ (*ibid.*). » Crustula vero spem significat : quod enim in sartagine frigimur, quod in craticula assamur, quod in diversis tribulationibus affligimur, hoc totum spes futuræ beatitudinis operatur. Unde et Apostolus ait : « Si enim quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 25). » Quid vero laganæ latitudo, nisi charitatem designat, de qua scriptum est : « Latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVI, 96) : » in hoc enim mandato « universa lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXIV, 40). » Hæc enim omnia et azyma sunt, et oleo lita, quoniam sincera et incorrupta sunt, et Spiritus sancti gratia perfusa. Fides enim, quæ catholica non est, et quæ sine operibus mortua est, illa quidem neque azyma est, neque oleo lita. Sunt autem omnia hæc in canistro azymorum posita et collecta, per quod librum istum, librum, inquam, Exodi intelligimus. In hoc enim libro cuncta Dominus Moysi et colligere, et scribere jussit, et ita Aaron et filiis ejus tradere præcepit. Quia ergo Aaron, et filii ejus episcopos et sacerdotes designant, cui hoc canistrum, id est liber iste, nisi episcopis et sacerdotibus traditus intelligitur? Nobis enim ad legendum, ad meditandum, ad docendum et observandum, omnia ista tradita sunt. Unde et subditur :

« Ponesque omnia super manus Aaron, et filiorum « ejus, et sanctificabis eos, elevans coram Domino. » Tunc enim episcopus sanctificatur, quando sacram legem, et divina volumina ad meditandum, et docendum suscipit, et se non labiis tantum, sed toto corde servare promittit. Elevat autem ea coram Domino, quoniam et in vita ei, et in doctrina talem se exhibet, cujus obsequia sursum ferri, et a Deo videri, et recipi mereantur. Ille enim sursum non elevat neque se, neque munera sua, qui vitiorum contagio deturpat, et deprimit vitam, et animam suam. Sequitur :

« Suscipiesque munera de manibus eorum, et « infundes super altare in holocaustum odorem « suavissimum in conspectu Domini, **112** quia « oblatio ejus est. » Nisi enim Domino ista placuisset, nequaquam Moysi, suo mediatori, et quodammodo vicario ea Dominus suscipere præcepisset : quod enim Moyses suscipit, hoc et a Deo suscipitur. Incenduntur autem super altare, ut suavem reddant odorem, et Domino placeant. Ait enim Apostolus : « Christi bonus odor sumus Deo : aliis sumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem (*II Cor.* II, 15). » Cum enim ea, quæ superius dicta sunt, fidelium mentibus prædicando infundimus, tunc super cordis altare canistrum evacuamus, et ea, quæ in eo reposita fuerant, in odorem suavitatis incendimus. Hoc enim odore et Deus placatur, et ad quoscunque odor iste pervenerit, in eo delectantur. Hæc enim oblatio Domino est. Unde Psalmista : « Immola Deo sacrificium laudis (*Psal.* XLIX, 14). » Cum enim prædictum canistrum super altare, id est super fidelium mentes effunditur, cum liber exponitur, cum sacra Scriptura prædicatur, tunc sacrificium laudis Deo immolatur. Cum ergo sacerdotes Dei tale sacrificium offerunt, cum populo prædicant, cum fidelium mentes accendunt et incendunt; tunc cum oblationibus suis fit Domino suavissimus odor. Sequitur :

« Sumes quoque pectusculum de ariete, quo ini- « tiatus est Aaron, et sanctificabis illud elevatum « coram Domino, et cedet in partem suam. Sancti- « ficabis et pectusculum consecratum, et armum, « quem de ariete separasti, quo initiatus est Aaron, « et filii ejus, cedentque in partem Aaron, et filiorum « ejus jure perpetuo a filiis Israel, quia primitiva « sunt et initia de victimis eorum pacificis, quæ « offerunt Domino. » Aries enim, quo initiatus e. consecratus est Aaron, hic est de quo usque modo locuti sumus, cujus pectusculum et armum Aaron suscipit; quoniam episcopi et sacerdotes omnium consilia in pectore, et omnium pondera super humeros ferre debent. Qui enim tot animalium pectora, armosque comedunt, eos, et sapientes, et fortes, et ut ita dixerim, pectorosos et armosos esse oportet. Ideo enim vobis, episcopi et sacerdotes, pectora dantur, ne locus vobis desit, in quem Dei thesaurum reponatis. Habetis autem et armos, ut totius Ecclesiæ pondera potenter ferre valeatis. Sed videant sacerdotes, qui et armos, et pectora sanctificata comedunt, ut et armos, et pectora sancta, et jus a habeant. Sanctum enim pectus sancta eructat, et super sanctos humeros non ascendit iniquitas. Hæc autem et inter primitias computantur, et ideo sacerdotum sunt, quia omnes primitiæ sacerdotibus a populo dantur.

« Vestem autem sanctam, qua utitur Aaron, habe- « bunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, et

Digitized by Google

« consecrentur manus eorum. Septem diebus utitur « ea, qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis « suis, et qui ingredietur tabernaculum testimonii, « ut ministret Domino in Sanctuario. » Vos enim, episcopi et sacerdotes, filii estis Aaron; si tamen Aaron imitamini, et Moysi fratres estis : illius utique Moysi, qui ait : « Narrabo nomen tuum fratribus meis (*Psal.* XXI, 23). » Vos ergo habetis vestem Aaron, vos gloria et decore, omniumque virtutum ornamento induti estis. Vos rationale et superhumerale habetis, vos sancti Spiritus gratia inuncti estis; vestræ quoque manus ad Christi corpus, et sanguinem conficiendum, omneque bonum et honestum agendum sunt consecratæ : vos enim septem diebus hac veste utimini, quoniam omnibus diebus ea utimini, et nunquam ea exspoliamini. Non enim sunt dies, nisi septem; quod autem septem diebus fit, omni tempore fit.

« Arietem autem consecrationis tolles, et coques « carnes ejus in loco sancto, quibus vescetur Aaron, « et filii ejus. » Diximus enim per hunc arietem, apostolorum omniumque martyrum multitudinem intelligi. Horum autem carnes comedunt episcopi et sacerdotes, eorumque filii, non sicut illi, de quibus dicitur : « Quia comederunt Jacob (*Psal.* LXXVIII, 7). » Apostolorum enim et martyrum nos carnes comedimus, quoniam ipsi sunt panis noster, ipsi sunt cibus noster, ipsi sunt refectio nostra; eorum exemplis vivimus, eorum doctrina nutrimur, eorum sermonibus et operationibus saturamur. Horum autem carnes coquimus in loco sancto, quia eorum scripta, doctrinam, et exempla in corde fideli meditamur, et sana intelligentia ruminamus. At vero hæretici non coquunt has carnes in loco sancto, quoniam in sterquilinio hæretici cordis cuncta male intelligendo depravant. Eorum igitur exempla sequamur, quorum pane saturamur.

« Panes quoque qui sunt in canistro, in vestibulo « tabernaculi testimonii comedent, ut sit placabile « sacrificium, et sanctificent offerentium manus. » Comedimus jam carnes arietis, comedamus et panes, qui sunt in canistro : uterque enim cibus bonus est, et ad comedendum suavis : audivimus enim apostolorum et martyrum vitam et doctrinam; audiamus et ea, quæ in hoc canistro, id est in hoc libro continentur : audivimus nova, audiamus et vetera. Bonus enim ille est, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Hos autem panes in vestibulo tabernaculi et in loco sancto comedere debemus, quatenus non demus sanctum canibus, nec spargamus margaritas ante porcos. In loco sancto comedamus illos, in conventu fidelium eos expendamus, comedamus et exponamus. Quare hoc ? ut sit placabile sacrificium, ut nomen Domini non blasphemetur, utrumque ministerium non vituperetur, et sanctificentur offerentium manus. Si enim recte offeras, non recte dividas, **113** peccasti (242) (*Gen.* IV, 7) : sicut enim videndum est, quid offeras, et cui offeras, ita et videndum est, ubi offeras. Unde et subditur : « Alienigena « non vescetur ex eis, quia sanctificata sunt. » Majora enim Scripturarum sacramenta solis fidelibus tradenda sunt : quæ enim conventio fidelis cum infideli? Infidelibus ergo fides prædicetur; quod si quis convertatur, accedat, et edat : « Alienigena « enim non vescetur ex eis. Quod si remanserit de « carnibus consecratis, sive de panibus usque mane, « combures reliquias igni : non comedentur, quia « sanctificata sunt. » Hoc enim puto esse illud, quod superius de agno phase dictum est : « Si quid residuum fuerit, igne comburetur (*Exod.* XII, 10). » Non enim omnia comedi possunt, quoniam non omnia intelligi possibile est, multa relinquentur usque mane, et prius hæc nox, hæc vita tenebris et ignorantia plena finietur; prius sol justitiæ orietur, quam omnia sanctarum Scripturarum sacramenta intelligantur. Quæ ergo intelligi non possunt, igne fidei comburantur, sanctoque spiritui committantur, et firmo charitatis amore credantur. Non enim propter aliud reliquias comedere interdictum fuerat, nisi ut ea, quæ intellectui non patent, quæ Dei sapientia occulta esse voluit, nos perscrutari et investigare omittamus. Qualiter enim Verbum caro factum est, qualiter vel a Patre, vel a matre Dei Filius genitus est; qualiter Spiritus sanctus a Patre procedat et Filio, multaque alia his similia, nulli unquam hominum in hac vita revelata sunt.

« Omnia, quæ præcepi tibi, facies super Aaron, « et filiis ejus. Septem diebus consecrabis manus « eorum, et vitulum pro peccato offeres per singulos « dies ad expiandum. » Quid est enim : septem diebus consecrabis manus eorum? Audite, episcopi, audite, sacerdotes : nullus dies prætermittatur, omni die consecrari debent manus vestræ, non enim sunt dies nisi septem; qui ergo septem diebus consecratur, omnibus diebus consecratur. Omnibus autem diebus illius manus consecrantur, qui semper manus et opera sua custodit, ut munda sint, ut nihil mali operentur, et ut cunctis bonis operationibus insistant. Offert autem et vitulum ad expiandum per singulos dies, qui nunquam unigeniti Filii Dei obliviscitur passionis. Vitulus enim iste Christus est, cujus dum nativitatem, doctrinam, operationem, miracula, crucem, flagella, passionem, spineam coronam et cætera, quæ pro nobis sustinuit, in mente habemus, magnum ad peccata expianda sacrificium Deo offerimus. Offertur etiam et vitulus iste ad expiandum per singulos dies, quoniam usque ad sæculi consummationem Christi corporis et sanguinis sacramentum sancta Ecclesia quotidie offerre non cessabit.

« Mundabisque altare, cum immolaveris expiatio« nis hostiam et unges illud in sanctificationem. » Quod enim hoc altare Ecclesiam significet, superius, cum de eo loquebamur, ostendimus. Cum enim

(242) Vulgata sic habet : *Nonne si bene egeris recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum aderit ?*

Digitized by Google

uniuscujusque fidelium mens altare vocetur, multo magis altare, tota Ecclesia et intelligi, et dici debet. Hoc autem altare toties mundari oportet, quoties expiationis hostia immolatur in eo. « Qui enim » hanc hostiam « indigne manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* XI, 29). » Apostoli enim verba sunt hæc. Mundatur enim altare istud pœnitentia, lacrymis, eleemosynis, et misericordiæ operationibus. Ungitur autem in sanctificationem oleo pietatis, et gratia Spiritus sancti; hoc enim oleo sanctificatur Ecclesia. Sequitur.

« Septem diebus expiabis altare, et sanctificabis, « et erit Sanctum sanctorum; omnis qui tetigerit « illud, sanctificabitur. » Quod enim septem dies omne tempus significent, sæpe jam dictum est. Quod vero omni tempore sanctificatur et in melius proficit, sanctum est; imo Sanctum sanctorum. Sanctificatur autem omnis qui hoc altare tangit, quoniam quicunque ecclesiasticam religionem suscipit, et sanctorum exemplis corde tangitur et compungitur, ille procul dubio sanctus efficitur.

« Hoc est, quod facies in altari : Agnos anniculos « duos per singulos dies jugiter, unum agnum mane, « et alterum vespere : decimam similæ conspersæ « oleo contuso, mensuram quartam partem hin, et « vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno « uno. » Quamvis enim duo agni unum idemque significent (siquidem illum agnum significant, qui tollit peccata mundi), aliter tamen quotidie in Ecclesia, aliter in cruce immolatus est Christus. Hic enim a fidelibus cum pietate, ibi vero a Judæis cum crudelitate immolatus est. Et quidem mane et vespere noster quoque agnus immolatus est; quoniam Christus Dominus noster mane a Judæis judicatus, damnatus, flagellatus et conspulus, ligatus, alapis cæsus, multisque injuriis affectus est; vespere autem in cruce pendens spiritum emisit. Unde Psalmita inquit : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum (*Psal.* CXL, 2). » Nos quoque duos agnos immolemus, et mane, et vespere crucis Christi et passionis memores simus; ut per memoriæ compunctionisque sacrificium, quod mane immolamus, ab omnibus adversis per totum diem securi esse possimus. Illud vero, quod vespere agimus ab omni vitiorum infestatione per totam noctem reddat esse securos. Hoc est enim mane et vespere, quod die ac nocte, quod omni tempore. Offeramus autem et decimam partem similæ; offeramus et vinum ejusdem mensuræ. O admirabile sacramentum! hoc est enim sacrificium Melchisedech, hoc est sacrificium pontificis nostri; pontificis quidem, cui dictum est : **114** « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX, 5). » Similam enim et vinum obtulit Christus; similam et vinum et nos quotidie immolamus : panis enim cor roborat, et vinum lætificat cor hominis. Conspargitur autem hæc simila, hæc medulla frumenti, hic panis vivus, qui de cœlo descendit, oleo contuso, quoniam ejusdem Spiritus sancti operatione panis iste mutatur in Christi carnem, cujus obumbratione et inspiratione de virgine natus est Christus. Quia vero decimam, et quartam afferri jubet, illud apertissime significare videtur, quod nullius a Deo suscipiatur oblatio, qui Novum et Vetus non recipit Testamentum. Igitur fide utriusque Testamenti, et oleo Spiritus sancti panem, et vinum offeramus; quibus et agnus quidem ideo adhibetur, quoniam in agni carnem et sanguinem ista mutantur.

« Alterum vero agnum offeres ad vesperam, juxta « ritum matutinæ oblationis, et juxta ea, quæ dixi- « mus in odorem suavitatis, sacrificium est Domino « oblatione perpetua in generationes vestras. » Quia enim unum, idemque uterque agnus significat, ideo uno eodemque ritu et vespere offertur, et mane. Fit autem hoc sacrificium oblatione perpetua, quoniam usque ad sæculi consummationem in sancta Ecclesia hæc oblatio non finietur. Sed ubi fit, sequitur :

« Ad ostium tabernaculi testimonii coram Domi- « no, ubi constituam, ut loquar ad te, ibique præci- « piam filiis Israel, et sanctificabitur altare in gloria « mea. Sanctificabitur et tabernaculum testimonii « cum altari, et Aaron cum filiis ejus, ut sacerdotio « fungantur mihi, et habitabo in medio filiorum « Israel, eroque eis Deus, ut sciant quia ego Domi- « nus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, « ut manerem inter illos ego Dominus Deus eorum. » Ad ostium namque tabernaculi fit sacrificium, quia ibi sunt sacerdotes, imo ipsi sunt ostium, cæteraque fidelium multitudo per eos ingreditur tabernaculum. Ad ostium quippe fit sacrificium, ut statim in ipso fidei introitu, et baptismate suscepto, Christi corporis et sanguinis in Christo regenerati participes fiant. Unde et juxta altare labium ponitur, in quo lavantur sacerdotes. De hoc enim in sequentibus dicetur.

CAPUT XXX.

« Facies quoque altare ad adolendum thymiama « de lignis setim, habens cubitum longitudinis id « est quadrangulum, et duos cubitos in altitudine, « cornua ex ipso procedent vestiesque illud auro « purissimo, tam craticulam ejus, quam parietes per « circuitum, et cornua. » Superius enim altare totam Ecclesiam, hoc autem Christi humanitatem significat, unde propter suavitatis odorem, qui super eo offerebatur, altare thymiamatis appellatur. Ad hoc autem soli pontifici ad immolandum accedere licebat, quoniam unius summique pontificis humanitatem significabat. Hujus enim altaris fragrantiam senserat Ecclesia, cum dicebat : « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I, 4). » Hujus odorem et Isaac sentiens, ait : « Ecce odor filii mei. sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus (*Gen.* XXVII, 27). Hic est ille flos campi et lilium convallium, in quo septem Spiritus sancti gratiæ requiescunt. Est autem hoc altare de lignis setim, de lignis fortibus et imputribilibus. Unde et Psalmista de eo loquens, ait : « Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV, 10). » Setim namque *spina* interpretatur; spinis autem hoc altare coro-

Digitized by Google

natum legimus. Est autem quadrangulum, utpote firmum, stabile et immobile. Hæc est autem illa firma petra, super quam fundatur Ecclesia. Elevatur autem duobus cubitis in altitudine, quia quasi duobus cubitis, Deo et homine conficitur. Habet autem unum cubitum in latitudine, quia Deus et homo unus est Christus. Denique quia Filius in Patre, et Pater in Filio, et Spiritus sanctus ab utroque procedit, non immerito tribus cubitis hoc altare metitur. Cornua vero ex Christo procedunt, quoniam omnis ejus virtus, et fortitudo, non per accidens, non aliunde venit, sed semper naturaliter et substantialiter eam in se habet, possidet Salvator noster. Vestitur autem auro purissimo, quia non solum sapientiæ et scientiæ luce refulget; verum et ipse est, a quo est omnis sapientia, et cum quo fuit semper, et est ante ævum. Hæc est enim illa domus, quam sapientia ædificasse dicitur : « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* IX, 1). » Quia ergo tota hæc domus a sapientia ædificatur, merito totum altare auro purissimo vestitur. Quoniam autem per craticulam, quæ in modum retis facta fuerat, ejus prædicatio intelligitur, quis digne dicere valeat, quanta sapientiæ et scientiæ luce hæc craticula refulgeat? Hoc enim est illud rete, quod Dominus in dextram navigii apostolis mittere jubet. Sequitur :

« Faciesque ei coronam aureolam per gyrum, « annulos aureos sub corona per singula latera, ut « mittantur in eos vectes, et altare portetur. Ipsos « quoque vectes facies de lignis setim, et inaurabis « eos. » Coronatur enim hoc altare, sicut Psalmista de homine Deo testatur, dicens : « Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria, et honore coronasti eum (*Psal.* VI, 8). » Itemque : « Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso (*Psal.* XX, 4). Hæc autem corona, aureola est, quoniam sapienter acquisita est. Quid autem per quatuor annulos aureos (tot enim sunt annuli, quot et altaris anguli) nisi quatuor Evangelia intelliguntur? His enim altare et levatur, et portatur, quoniam evangelica prædicatione Christi nomen, et gloria ubique **115** terrarum delata est. Sed a quibus? a sanctis utique apostolis et evangelistis, episcopis Ecclesiæque doctoribus. Isti enim sunt illi vectes, quibus altare portatur; isti circulos aureos, id est Evangelia penetrant, eorumque sententiis involuti ab eis non separantur. De his enim scriptum est : « Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III, 8). » Isti enim et vectes dicuntur, et equi; qui bene dicuntur esse de lignis setim, utpote fortes, incorruptibiles et æterni. Sunt autem deaurati, quia multa sapientiæ luce refulgent.

« Ponesque altare contra velum, quod ante arcam « pendet testimonii coram propitiatorio, quo tegitur « testimonium, ubi loquar tibi. » Contra velum namque ponitur altare, et non inter velum, quatenus et ab omnibus videatur, et thymiamatis odore, quod in eo adoletur, omnes perfundat et repleat. Hoc est enim quod Dominus ait : « Ego palam locutus sum A mundo semperque docui in synagoga, ubi omnes Judæi conveniunt (*Joan.* XVIII, 20). » Stat autem altare coram propitiatorio, quoniam Christus Dominus noster propitiationis et misericordiæ nunquam obliviscitur, semperque ad propitiatorium respicit, semperque ad se venientibus misereatur. Ibi autem loquitur Dominus, in eo loquitur Dominus, quia ipse est Deus et Dominus. Sequitur :

« Et adolebit incensum super eo Aaron, suave « fragrans mane, quando componet lucernas, incen- « det illud, et quando collocabit eas ad vesperum, « uret thymiama sempiternum coram Domino in « generationes vestras. » Aaron namque ipse est Jesus pontifex et sacerdos noster, qui super altare carnis assumptæ omnium thymiamatum fragrans B odore, cunctos per circuitum suæ famæ notitia delectabat : hoc faciebat mane et vespere. Quid est mane, et vespere? omni tempore : mane enim diei, vespere autem noctis est initium : mane autem pro die, vespere autem pro nocte ponitur; dies vero et nox omne tempus significant. Mane ergo, et vespere lucernas Aaron componebat et collocabat, quoniam Christus Dominus noster, verbi doctrina, virtutum admiratione, gratiarum diversitate fideles suos omni tempore illuminabat. talibus enim lucernis illuminantur fidelium corda.

« Non offeretis super eo thymiama compositionis « alterius, nec oblationem, nec victimam, nec liba- « bitis libamina. » Nihil enim extraneum, vel corruptum, vel vitiatum, nihil deterioris dogmatis offe- C retur in hoc altari; quoniam Christus Dominus noster « peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II, 22) : nihil nisi justitiam, pietatem, mansuetudinem, charitatem, sapientiam, concordiam, pacem, et similia hoc altare redolet; talis hinc odor funditur, talia thymiamata fragrant. Cum enim Apostolus dicat : « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II, 15), » qualem ipsum Christum odorem esse putamus?

« Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel « per annum in sanguine, quod oblatum est pro « peccato, et placabitur super eo in generationibus « vestris, Sanctum sanctorum erit Domino. » Semel enim pontifex noster Jesus Christus super hujus altaris cornua, id est in humanitate, quam de vir D gine matre susceperat, pro peccatis Judæorum deprecatus est Patrem, quando dixit : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Ipse enim sacerdos, ipse hostia, ipse altare in proprio sanguine « introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa (*Hebr.* IX, 12) : » hoc enim sacrificio, hujus pontificis precibus, cunctis generationibus placatus est Dominus. Quod autem sequitur : « Sanctum sanctorum erit Domino, » de altari intelligi debet : corpus enim Christi Sanctum sanctorum est, quoniam ab eo cætera sanctificantur. Hucusque de altari.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Quando tuleris summam filiorum Israel, juxta « numerum, dabunt singuli pretium pro animabus

Digitized by Google

« suis Domino, et non erit plaga in eis, cum fuerint « recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad « nomen dimidium sicli, juxta mensuram templi. « Siclus viginti obolos habet. Quod habetur in nu- « mero a viginti annis et supra dabit pretium (243). » Omnis, inquit, qui numeratur, id est, qui transit ad nomen, qui re et nomine ascribitur in populo Dei, ferat pretium, non sit vacuus, nec sine munere, quia redemptio animæ propriæ divitiæ. Sed quid dabit? dimidium sicli. Siclus enim viginti obolos habet; dabit ergo decem obolos. Sed quare decem? Vis audire quare? Quia decem sunt verba legis; tanto enim pretio unusquisque redimit animam suam. Non occidisti, unum siclum dedisti; non es mœchatus, duos siclos dedisti; non fecisti furtum, tres siclos dedisti, et sic in cæteris. Tot enim das siclos quot præcepta custodis. Unde et secundum mensuram templi dari jubentur. In templo enim lex est. In templo Decalogus reperitur et metitur. Dant autem pretium a viginti annis et supra, quia ejus pretium non recipitur, quia decem non duplicat, quia Testamentum dupliciter non intelligit, quia secundum litteram, et spiritum utriusque Testamenti non laudat expositionem. Hinc enim Judæi, hinc et Manichæi reprobantur.

« Dives non addet ad dimidium sicli, et pauper « nihil minuet; susceptamque pecuniam, quæ col- « lata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi « testimonii, ut sit monumentum eorum coram Do- « mino, et propitietur animabus illorum. » Dives enim ad medium sicli nihil addit, quoniam qui decem verba legis observat, nihil est, quod **116** ulterius agat. Pauper vero nihil minuere debet, quoniam « qui in uno offendit, factus est omnium reus (*Jac.* II, 10). » Omnis autem hæc pecunia tradatur in usus tabernaculi testimonii, ut quicunque legis mandata custodit, non ad favorem vulgi, sed ad animæ utilitatem hoc faciat, semperque illud in mente habeamus: « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 10). » Tales enim tabernaculo testimonii inutiles sunt; quoniam muri Jerusalem ex his non ædificantur.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Facies « et labium æneum cum basibus suis ad lavandum, « pones illud in tabernaculum testimonii, et altare, « et missa aqua, lavabunt in eo Aaron, et filii ejus « manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt ta- « bernaculum testimonii, et quando accessuri ad « altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne « forte moriantur, legitimum sempiternum erit ipsi, « et semini ejus per successiones. » Quid enim per labium, nisi baptismum? Quid per basim ejus, nisi fidem intelligamus? Est autem labium æneum, quoniam sine sono, confessionisque voce non datur baptismus: « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10). » Unde pro parvulis, qui loqui non possunt, alii fidem promittentes intercedunt. Ponitur autem labium inter tabernaculum et altare, ut quicunque tabernaculum ingredi, vel ad altare accedere desiderat, prius aqua lavetur, et baptismi sacramento regeneretur. Et prius quidem Aaron cum filiis suis, nunc autem sacerdotes nostri cum omnium fidelium multitudine in hoc labio lavantur: omnes enim aut sacerdotes sumus, aut filii sacerdotum. Et illi quidem manus et pedes, nos autem totum corpus lavantes, ab omni vitiorum sorde mundamus, quamvis non indigeat, nisi ut pedes lavet. Lavamus tamen et nos quotidie pœnitentia peccatorum, compunctionis lacrymis et pietatis, misericordiæque operationibus. Nam et hoc labium est, in quo sacerdotes ad altare accessuri, quotidie lavari et mundari debent, ne forte moriantur. Si ergo timent mori, laventur ne moriantur; non accedant ad altare nisi loti: prope est aqua, prope sunt lacrymæ et pœnitentia. Sic enim David, sic et Petrus mundatus est, aliter enim ulterius baptizari non licet.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: « Sume tibi aromata primæ myrrhæ et electæ, quin- « gentos siclos, et cinnamomi aromatici medium, « id est ducentos quinquaginta siclos, calami simili- « ter ducentos quinquaginta siclos, casiæ autem « quingentos siclos in pondere sanctuarii, oleum de « olivetis mensuram hin. » Per has enim quatuor species aromaticas, quatuor jam sæpe dictæ virtutes principales intelliguntur; id est prudentia, justitia, fortitudo et temperantia. Ex his enim si oleum S. Spiritus eis admisceatur, fit unguentum admirabilis compositionis, quo quicunque perunctus fuerit, absque omni dubitatione sanctificatur. Hoc enim unguentum Salvatori nostro nomen dedit, ut Christus a chrismate diceretur: unde et ipse ait: « Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (*Luc.* IV, 18). » Sequitur:

« Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum « compositum opere unguentarii, et unges ex eo « tabernaculum testimonii, et arcam testamenti, « mensamque cum vasis suis, candelabrum, et uten- « silia ejus, altare thymiamatis et holocausti, et « universam supellectilem, quæ ad cultum eorum « pertinet, sanctificabisque omnia, et erunt sancta « sanctorum; qui tetigerit ea sanctificabitur. Aaron, « et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sa- « cerdotio fungantur mihi. » Ipsum, inquit, tabernaculum, et quæcunque in tabernaculo sunt, ex supra dicto unges unguento, quoniam quidquid ex eo ungitur, sanctum sanctorum efficitur. Quidquid enim per tabernaculum, et ea, quæ in tabernaculo sunt, intelligi debeat, superius dictum est.

« Caro hominis non ungetur ex eo, et juxta com- « positionem ejus non facies aliud, quia sanctifica- « tum est, et sanctum erit vobis. Homo quicunque « tale composuerit, et dederit ex eo alieno, exter-

(243) Conf. Casin. *Omnis, inquit, qui habetur in numero, qui et re, et nomine ascribitur in parte Domini, ferat*, etc.

Digitized by Google

« minabitur de populo suo. » Caro, inquit, hominis non ungetur ex eo; non enim carnis est hoc unguentum, sed mentis. Sed quid est hominis? Aaron, et filii ejus homines non erant? Homines enim in divina Scriptura pro iniquis et peccatoribus sæpe accipiuntur, secundum illud : « Vos autem sicut homines moriemini (*Psal.* LXXXI, 7). » Et Apostolus : « Cum enim, inquit, alius dicat : Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, nonne homines estis? » (*I Cor.* I, 12.) Hoc ergo unguentum non peccatorum, sed sanctorum; non carnalium, sed spiritualium est : hoc solis sacerdotibus, solis sanctis et spiritualibus viris attribuitur. Unde et subditur : « Et juxta compositionem ejus non fa- « cietis aliud. » Hæretici enim, et maxime Simoniaci juxta compositionem ejus aliquid facere nituntur, quoniam ex eisdem speciebus, eisdem sacramentorum verbis, suos episcopos et sacerdotes ordinant, sacros ordines tribuunt, et cætera sacramenta Ecclesiæ pretio vendunt, hoc autem alienis, sicut et ipsi sunt, et a fide catholica extraneis. Ideoque exterminantur de populo Dei, et a sanctorum consortio separantur. Hi enim sunt, quos Salvator noster de templo ejecit. Hactenus de unguento.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Sume tibi aro- « mata, stacten, et onycham, galbanum boni odoris, « et thus lucidissimum; æqualis ponderis erunt om- « nia : faciesque thymiama compositum opere un- « guentarii, mistum diligenter, et purum, sanctifica- « tione dignissimum. » Quid enim per has quatuor species odoriferas, quarum naturali virtute **117** vulnera curantur, et sanantur, nisi quatuor Evangelia intelligimus? Omnia autem æqualis ponderis sunt, quoniam unius ejusdemque sunt veritatis et auctoritatis. Miscentur autem omnia simul, ut quod in uno Evangelio non habetur, in alio reperiatur; atque, dum in quibusdam inter se vicissim concordant, in nullo autem discordant, suaviorem satis reddunt odorem. Onycha autem, quæ *ungula* interpretatur, non bene a nostris cognoscitur. Hæc autem quanto ordine, ratione, et secundum eam veritatem, quæ scripta sunt, populis exponuntur; tunc nimirum fit ex eis thymiama compositum opere unguentarii, mistum diligenter, et purum, et sanctificatione dignissimum. Hujus autem compositionis peritissimus unguentarius Apostolus fuit, qui sicut sapiens architectus fundamentum posuit, et inter perfectos sapientiam loquens, omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Hoc enim thymiamate redolens, dicebat : « Gratias autem Deo, qui dedit pignus in cordibus nostris (*II Cor.* V, 5), » et « odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, in his, qui salvi fiunt, et in his, qui pereunt : aliis enim sumus odor vitæ in vitam : aliis odor mortis in mortem (*II Cor.* II, 14). »

« Cumque in tenuissimum pulverem cuncta con- « tuderis, pones ex eo coram testimonio tabernа- « culi, in quo apparebo tibi; sanctum sanctorum « erit vobis thymiama. » Tunc enim in tenuissimum pulverem universa contundimus, quando Evangeliorum sententias subtiliter indagantes, et frequenter ruminatione frangentes, ad spiritualem intelligentiam redigimus. Sicut enim aromata, quando teruntur, suavius redolent, ita et sancta Scriptura quanto plus ruminatur et frangitur, tanto suaviorem præstat odorem. Ponimus autem ex hoc thymiamate coram testimonio tabernaculi, quando Novum Testamentum Veteris Testamenti testimonio comprobamus. Stat autem Novum Testamentum quodammodo coram Vetere, dum ad se defendendum ejus testimonium exspectat : sicut enim Evangelium testimonium est Ecclesiæ, ita et lex testimonium est tabernaculi et ibi quidem, id est in testimonio, in sacris voluminibus apparet Dominus Moysi, quia sanctarum Scripturarum documentis Deum cognoscimus. Vis videre Deum, vis eum cognoscere, vis audire loquentem? Lege Evangelia, lege Exodum, lege libros Moysi, lege apostolos et prophetas : hic enim apparebit tibi Dominus, hic ejus potentiam et virtutem cognosces. Unde Psalmista : « Quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper (*Psal.* CIV, 4). » Est autem hoc thymiama sanctum sanctorum, quia multo magis sunt auctoritatis Evangelia, quam Cantica canticorum (244).

« Talem compositionem non facietis in usus « vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicun- « que fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peri- « bit de populis suis. » Audite hoc, hypocritæ, audite hoc avari, quia non ad laudem Dei, non ad animarum ædificationem, sed ad usus mortiferos, ut divitiis abundetis, ut marsupia impleatis, Scripturas exponitis, Evangelia prædicatis, et sanctam non sancte compositionem in proprio facitis. Vobis enim per Psalmistam a Domino dicitur : « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitiam meam, et assumis testamentum meum per os tuum? » (*Psal.* XLIX, 16.) Vos ergo peribitis, vos de populo Dei ejiciemini, qui odore sanctæ compositionis illicite perfruimini, vobis enim talem compositionem facere, hunc odorem spargere, hoc thymiama componere interdictum est. Et hæc de thymiamate sufficiant.

CAPUT XXXI.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Ecce vocavi ex nomine Beseleel filiorum Huri, filii « Hur, de tribu Juda, et implevi eum Spiritu Dei, « sapientia, et intelligentia, et scientia in omni opere « ad excogitandum quidquid fieri potest in auro, et « argento, et ære, marmore, et gemmis, et diversi- « tate lignorum, dedique ei socium Ooliab filium

(244) Quod hic dicit commentator de Evangeliorum auctoritate comparative ad Cantica canticorum, non est intelligendum de fundamento fidei, quod æquale est in omnibus sacris libris; sed quoad res, de quibus agitur in Evangeliis; quæ cum perspicuæ sint, generatim loquendo, morumque regulas sæpissime præbeant; quæ vero in Canticis canticorum habentur, mysterio sint admodum plena; proinde quoad praxim, ut ita dicamus, multo utilius, et communius est id, quod suppeditant Evangelia, quam quæ in Canticis continentur.

Digitized by Google

« Achisamech de tribu Dan, et in corde omnis eru- A « diti posui sapientiam, ut faciant cuncta, quæ præ- « cepi tibi, tabernaculum fœderis, et arcam testi- « monii, et quæ superius dicta sunt. » Beseleel interpretatur *umbra Dei*, per quam apostolos intelligimus, qui sub umbra et protectione omnipotentis Dei omnem spem habentes, nullum tribulationum et adversitatum æstum timuerunt. Hos autem ex nomine vocavit Dominus, quoniam ex millibus eos paucissimos elegit, sicut ipse ait : « Non vos me elegistis; sed ego elegi vos (*Joan.* xv, 16). » Quod enim nomine vocatur, non casu, sed providentia eligitur. Hi autem filii Huri, filii Hur. Hur enim, et Huri *ignis*, vel *lumen* interpretatur. Sunt ergo apostoli filii Christi, Christus autem Filius Dei, quoniam ignis de igne, lumen de lumine Christus est. Qui B bene de tribu Juda esse dicuntur, quoniam de eis scriptum est : « Principes Juda duces eorum (*Psal.* LXVII, 28). » Judas enim *confessio* **118** interpretatur. In Christi autem, et pro Christi confessione apostoli mortui sunt. Huic ergo, id est Beseleel datur socius Ooliab, qui interpretatur *protectio mea*. Pater autem significat episcopos et doctores, quorum protectio Deus est omnium pater atque Creator. Est autem Ooliab filius Achisamech, *qui fratrem suum roborans* interpretari dicitur. Ille vero, qui fratrem suum roborat, Christus est, qui fratri suo proprio, videlicet Christiano, robur, virtutem et constantiam semper ubique tribuit. Unde et discipulis suis ait : « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan.* XIV, C 18) » Itemque : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Et alibi : « Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* X, 15). » Hæc enim, et similia Dominus dicens, fratres suos roborat. Est ergo Ooliab filius Achisamech, id est filius Christi, qui, sicut diximus, fratres suos roborat. Qui merito de tribu Dan esse perhibetur, siquidem Dan *judicans* interpretatur; istis autem ad judicandum universum mundum Dominus tribuit. Vos ergo episcopi, doctores, vos filii illius, qui fratres suos roborat, vos filii Achisamech, considerate, qui socii estis Beseleel, quem Dominus vocavit ex nomine, socii estis apostolorum, quos Christus ad fidem prius vocavit, quibus nomina im- D posuit, quos omnium principes elegit ex omnibus. Hos enim Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ et intellectus, omnisque scientiæ replevit, ut tabernaculum Dei, quod est Ecclesia, admirabili artificio, et ineffabili magisterio componerent. Quibus vos episcopi, et doctores, omnesque viri eruditi, socii, adjutores, et cooperatores dati estis; ædificate ergo domum Dei, instate, laborate, orate, et dicite : « Benigne fac Deus in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem (*Psal.* L, 19). » Quoniam autem de tabernaculo, et arca, et mensa, et candelabro, et de omnibus, quæ hic enumerantur, sufficienter superius exposuimus, ista nos prælibasse sufficiat.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Videte, ut « Sabbatum meum custodiatis. » Satis enim Moyses jam superius de Sabbato locutus est, satisque nos de Sabbato exposuimus. Non enim sine causa Sabbati observantia toties replicatur, non sine causa Dominus dicit : « Videte, ut Sabbatum meum custodiatis. » Custodite, inquit, Sabbatum meum; custodite requiem meam; sic requiescite, ut ego; requiescite, inquam, a malo, cessate ab iniquitate : hoc enim significat requies Sabbati; male enim celebrat Sabbatum, qui a bonis operibus vacat. Nam et Christus in Sabbato operabatur, scilicet ea quæ in Sabbato operari licebat, quod quidem male Judæi intelligentes, dicebant : « Hic homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16). » Bonum ergo in Sabbato facere licet. Quoties ergo peccamus, Sabbatum violamus, quandiu vero bonum agentes a malo cessamus, Sabbatum custodimus, cum Deo quiescimus, et festivum diem legitime celebramus. Non igitur uno die cum Judæo, sed omni tempore sabbatizandum Deo.

« Deditque Dominus Moysi, completis hujuscemodi « sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii « lapideas scriptas digito Dei. » Quia enim duri, lapidei et increduli semper Judæi fuerunt, ideo legem in lapidibus scriptam suscipere meruerunt, ut saltem per duritiam lapidum, cordis sui duritiam intelligerent.

CAPUT XXXII.

« Videns autem populus, quod moram faceret « descendendi de monte Moyses, congregatus ad- « versus Aaron ait : Surge, fac nobis deos, qui nos « præcedant : Moysi enim huic viro, qui nos eduxit « de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. » Dicis, populo stulte et insipiens ad Aaron : Fac nobis deos. Numquid Aaron scit facere deos? Cur potius non dicis Aaron : Sis nobis deus? Si enim Aaron creat deos, diis melior est Aaron. Exspectato paulisper donec veniat Moyses, et ipse te edoceat quid sit Deus. Venit enim Moyses, descendit Christus, et docuit quid sit Deus; nesciebat enim adhuc quid esset Deus.

« Dixitque ad eos Aaron : Tollite inaures aureas « de uxorum, filiorumque, et filiarum vestrarum « auribus, et afferte ad me. Fecitque populus quæ « jusserat, deferens inaures ad Aaron; quas cum « ille accepisset, formavit ex opere fusorio, et fecit « ex eis vitulum conflatilem. Dixitque : Hi sunt dii « tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. » Quid autem sunt inaures, nisi aurium ornamenta? Quid vero aurium ornamenta, nisi auditus? Aures enim, quæ non audiunt, nequaquam ornatæ sunt. Fabricantes ergo vitulum perdunt Hebræi auditum, quoniam, si bene audirent, vitulum non prædicarent. Unde ipse Dominus ait : « Israel si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum (*Psal.* LXXX, 10). » Hoc enim Jacob significavit, qui ad radicem Sichem prope Terebinthum inaures filiorum simul cum idolis terræ suffodit. Sed quid dicis Israel? Isti sunt dii tui, qui te eduxerunt de

Digitized by Google

terra Ægypti? Boves tibi mare rubrum aperuerunt? boves tibi manna dederunt? Mutasti enim gloriam in similitudinem vituli comedentis fenum. Quid est fenum? dicat prophela : « Vere fenum est populus (*Isai.* XL, 8). » Populum ergo comedit vitulus iste. Fuge ergo vitulum, ne devoret te.

« Quod cum vidisset Aaron, ædificavit al-
« tare coram Domino, et præconis voce cla-
« mavit, dicens : Cras solemnitas Dei est. Sur-
« gentesque mane obtulerunt holocausta, et
« 119 hostias pacificas. Et sedit populus mandu-
« care et bibere, et surrexerunt ludere. » Ædificavit enim Aaron altare coram Domino, sed non Domino. Cuncta enim respicit Dominus. Exaggeratio mali est. Unde Psalmista : « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci (*Psal.* L, 4). » Te præsente, teque videnle, malum facere non timui, nec erubui. Multum ergo peccavit Aaron, qui in tanto facinore consensum præbuit. Multum peccant et illi episcopi, et sacerdotes (qui tunc quidem per Aaron significabantur) si delinquenti populo favent, et eorum stultitiam non redarguunt.

« Locutus est autem Dominus ad Moysen : Vade, descende : peccavit populus tuus, quem eduxisti « de terra Ægypti. Recesserunt cito de via quam « ostendisti eis. » Peccavit, inquit, populus jam non meus, quoniam alium deum sibi elegit : peccavit, inquit, populus tuus, quem diligis, pro quo semper intercedis; imo nec meus, nec tuus, quoniam me sprevit, et te. Ironice igitur accipiatur « populus tuus. »

« Rursumque ait Dominus ad Moysen : Cerno « quod populus iste duræ cervicis sit, dimitte me, « ut irascatur furor meus contra eos, et deleam « eos, faciamque te in gentem magnam. » Duræ, inquit, superbæ et indomabilis cervicis est populus iste, neque legis et justitiæ frenis coerceri et retineri valet : dimitte ergo me, noli pro eo intercedere, cesset jam nunc deprecatio tua; ipsa enim me tenet, ipsa indignationem meam avertit, ipsa interposita me illos flagellare et delere non permittit. Notandum ergo quantum sanctorum valeant preces, quæ solæ Deum retinent, ejusque indignationem, et iram placant. Moyses autem non suam gloriam quærens, sed pro populo sollicitus deprecabatur Dominum dicens : « Cur, Domine, irascitur furor « tuus contra populum tuum? quiescat ira tua, re-
« cordare Abraham, Isaac, et Jacob, ex quibus isti
« originem ducunt. Placatusque est Dominus, et non
« delevit populum suum. »

« Et reversus est Moyses de monte, portans duas « tabulas testimonii manu Dei scriptas ex utraque « parte, et factas opere Dei. » Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis : inde enim dicuntur tabulæ testimonii, quia quid Deus velit, quidque nolit, testantur ejusque voluntatis dant nobis testimonium. Dicit enim Apostolus : « Concupiscentiam nesciebam, » subauditur, esse peccatum (245), « nisi lex diceret, non concupisces rem proximi A tui (*Rom.* VII, 8), » lex igitur dat testimonium, concupiscentiam esse peccatum. Credamus ergo testimonio legis, quæ, quia semper verum dicit et nunquam mentitur, non immerito testimonium appellatur : huic enim testimonio nemo contradicere audet; ultima probatio est legis auctoritas. Hæc autem scripta est manu Dei, opera Dei, et scriptura Dei; nihil humanum est in ea, tota divina est, tota, Deo dictante et scribente, composita est; unde veritate et auctoritate plena est. Cur autem ex utraque parte tabulæ scribuntur, nisi, ut legis testimonia dupliciter legantur et intelligantur? Duplex enim est intelligentia legis. Sequitur :

« Cum appropinquasset ad castra, vidit et vitu-
« lum, et choros. » Iratusque projecit de manu B tabulas, et confregit eas ad radicem montis. Irascitur Moyses, et frangit tabulas; populus peccat, et tabulæ franguntur; populus peccat, et lex destruitur. Ut quid hoc? Si enim Moyses tabulas non fregisset, populo non pepercisset. Et quid proderat, quod orando Deum placaverat, si ipse eos ex legis imperio non occidisset? lex enim dicit : « Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli (*Exod.* XXII, 20). » Noluit ergo cum tabulis, noluit cum legis rigore ad populum delinquentem venire, sed tabulas fregit, legem evacuavit, et populo delinquenti pepercit. Quoties enim respectu pietatis episcopus peccatori alicui miseretur, et timet, ne in pejus ruat, tunc tabulas quodammodo frangit, et legis austeritatem relinquit. Et quidem sic tabulas C frangere, legisque rigorem aliquando pro pietate deserere, non magnum puto esse peccatum. Unde et Moyses pro fractis tabulis nusquam a Domino reprehenditur. Sed audi quod sequitur : « Arripiens-
« que vitulum, quem fecerant, combussit, et con-
« trivit usque ad pulverem, quem sparsit in aqua,
« et dedit ex eo potum filiis Israel. » Hinc enim cui Moyses irascebatur, ostenditur; vitulo enim irascebatur, et peccatum destruere conabatur. Contrivit ergo vitulum usque ad pulverem, misitque in aquam, potum dedit filiis Israel. Sed quare misit in aquam, quare ex eo potum dedit filiis Israel? Fortasse ut fenum biberent vitulum, quia vitulus comedit fenum. Bibunt autem Judæi, quia cupidi sunt, et D avari : bibunt aurum idoli, quia idololatræ et sacrilegi. Sic enim hæc mortifera potio, hæc doctrina idolo'atriæ eorum viscera penetravit, ut vix aliquando ab idolorum cultura avelli et separari potuerint. Hic enim vitulus, et hic potus vituli, vitulos Samariæ, et decem tribuum idololatriam significabant. Decem enim tribus pulvere vituli, id est idololatriæ doctrina Jeroboam in Samaria inebriabat, quando vix duæ tribus in Judæa legi attenderent et prophetis.

« Videns autem Moyses, quod populus esset nu-
« datus (spoliaverat enim eum Aaron propter igno-
« miniam sordis, et inter hostes nudum constitue-
« rat) et stans in porta castrorum ait : Si quis est
« Domini, jungatur mihi. » Postquam enim Moyses,

(245) Mutilus hic editionis locus ex codice Laurentiano suppletur.

Digitized by Google

sicut oportuit, redarguit Aaron de peccato suo, nolens tantum scelus penitus inultum esse, 120 præsertim, quia, sicut Apostolus ait : « Hæc omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correctionem nostram (*I Cor.* x, 11), » præcepit ut unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum interficeret. Ceciderunt que in die illo viginti et tria millia hominum. Erat enim populus Dei protectione, armisque nudatus, et propter ignominiam sordis, vituli videlicet, quem adoraverat, inter hostes nudus constitutus. Undique enim per circuitum hostes habitabant, qui si scirent populum illum sic peccasse, sic Dominum offendisse, sic sine viribus esse, sic Dei armis, omnique auxilio caruisse, facile omnes perdere potuissent. Et Aaron quidem Dei protectione, armisque eum nudaverat, quia in idolo fabricando ei conscenserat. Præcipit ergo Moyses his, qui Domini erant, qui idolum non adoraverant, qui arma non perdiderant, ut gladiis accincti, fratres et proximos interficerent. Quibus mox jussa complentibus ait Moyses : « Consecrastis manus vestras hodie Do- « mino, unusquisque in filio, et fratre suo, ut detur « vobis benedictio. » Merito enim eis benedictio datur, eorumque manus, et opera Domino, et a Domino consecrantur, quia et Moysi obediunt, et Dei injurias vindicant, et in perimendis idololatris, zelo Dei ducti, nec filiis, nec fratribus parcunt. Hoc enim fecerunt filii Levi, qui sororis Dinæ stuprum in Genesi vindicasse leguntur. Reversusque Moyses ad Dominum ait : « Obsecro, Domine, peccavit po- « pulus iste peccatum magnum, feceruntque sibi « deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam, aut, si « non feceris, dele me de libro quem scripsisti. Cui « respondit Dominus : Qui peccaverit mihi, delebo « eum de libro meo. » Sic enim loquitur Moyses, quasi homo, ex nimia dilectionis affectione hoc dicit : aut, inquit, parce eis, aut me simul perde cum illis. Tale quidem et Apostolus ait : « Optabam et ego anathema esse a Christo pro fratribus meis (*Rom.* IX, 3). » Unde et usque hodie Ezechias rex a Judæis redarguitur, quod pro se tantum, et pro omni populo oravit, dicens : « Bonus sermo Domini, fiat pax et veritas in diebus meis (*IV Reg.* XX, 19). » Quod autem ait : « Dele me de libro quem scripsisti; » hoc est intelligere de memoria tua. Sic enim in mente Dei, quasi in libro, sanctorum omnium nomina scripta sunt; de quo quidem, nisi ad mortem peccaverint, deleri non possunt. Hic est enim liber vitæ, in quo qui scribitur, in æternum et sine fine vivit. Unde et Dominus ait : « Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo (*Exod.* XXXII, 33). » Confidenter ergo dicebat Moyses : « Dele me de libro « tuo, » quia se nihil peccasse sciebat, et Deum injuste nihil facere posse non ignorabat. Sequitur :

« Tu autem vade, et duc populum istum quo lo- « cutus sum tibi, angelus meus præcedet te; ego « autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum « eorum. Percussit ergo Dominus populum pro rea- « tu vituli, quem fecit Aaron. » Quando enim pro reatu vituli populum Dominus percussit (nisi forte illud intelligatur, quod superius legitur, viginti tria millia uno die cecidisse) nusquam hic dicitur. Dies autem ultionis aut in hac vita, aut in alia intelligi potest.

CAPUT XXXIII.

« Locutusque est Dominus ad Moysen : Vade, « ascende de loco isto tu et populus tuus, quem « eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi « Abraham, Isaac et Jacob, dicens : Semini tuo « dabo eam, et mittam præcursorem tui angelum « meum. Non enim ascendam tecum, quia populus « duræ cervicis est, ne forte disperdam te in via. » Angelum, inquit, meum mittam ante te : mei autem præsentiam tantum, ut hactenus, ulterius non habebis. Corruptus es enim, me negando, et vitulum adorando : peccasti enim peccatum maximum. Hoc autem in persona totius populi dicitur Moysi. Quare autem eos præcedere nolit, reddit causam : « Quia populus, inquit, duræ cervicis est, » ego autem cervicatos et superbos ferre non possum : unde facile accidere potest, ut si tibi præsens fuero, disperdam te in via. Quid est autem, quod sic Veritas loquitur? quid est, quod modo non se facturum esse promittit? Conditionalia enim sunt verba Dei; dum sanctorum precibus aliquando flectitur, contra hoc quod dixerat, facere videtur. Unde quamvis modo populo, dicat : non ascendam tecum; postea tamen ascendit secum. Ascendit ergo secum, et non ascendit secum : secum quidem, quia substantia non mutatur; non secum autem, quia per pœnitentiam alter efficitur. Unde et subditur : « Audiens populus « sermonem hunc pessimum, luxit, et nullus ex « more indutus est cultu suo. » Alter enim erat quodammodo populus iste, qui pœnitens lugebat : alter ille, qui vitulum adorabat; cum hoc igitur, et non cum illo ascendit Dominus. Verum igitur est, quod cum eo et ascendit, et non ascendit.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Loquere filiis « Israel : Populus duræ cervicis es, semel ascendam « in medio tui, et delebo te; jam nunc depone or- « natum tuum, ut sciam quid faciam tibi. Deposue- « runt ergo filii Israel ornatum suum ad montem « Oreb. » Sæpe enim Dominus vindictam sumpsit de populo illo, sæpe illum multis tribulationibus afflixit: nunc Philistæis, nunc Assyriis, nunc Chaldæis, nunc aliis nationibus eos tradens; cito tamen eorum misertus, non eos delebat, sed in patriam reducebat. Quod ergo hic dicitur : « Semel ascendam in medio tui, et delebo te, » de utroque Salvatoris nostri adventu intelligi potest. In primo namque adventu suo eos delevit, quia virtute, regno, sacerdotio et prophetarum oraculo eos privavit; insuper et 121 Romano exercitui tradens, cunctis gentibus subjugavit. At vero in secundo, qualiter eos deleat : expositione non indiget. Deposuerunt autem filii Israel ornatum suum, et pœnitentiæ induti sunt indumentis, quatenus Dei indignationem mitigarent. Hoc autem fecerunt ad montem Dei Oreb. Oreb *corvus* interpretatur, cujus color satis est pœnitentibus familiaris. Quod autem ait : « Ut sciam, quid

Digitized by Google

‹ aciam tibi, › tale est, ac si diceret : Ut scire te ‹ aciam voluntatem meam, et quid tibi pœnitenti facturus sum.

‹ Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit ‹ extra castra procul, vocavitque nomen ejus, ta- ‹ bernaculum fœderis. › Si enim hoc de illo tabernaculo intelligitur, quod Beseleel, et Ooliab fecerunt, anticipatio est, alioquin prius Moyses tetendit tabernaculum, quam tabernaculum factum fuisset; quod fieri nequit. Tetendit autem extra castra, quia longe a peccatoribus salus. Vocatur autem tabernaculum fœderis, quia ibi Deus cum populo posuit fœdus : ibi et lex posita est in qua totum fœdus continebatur; ibi judicia dantur, ibi quæstiones solvuntur, ibi cum Moyse Dominus loquitur, ibi columna nubis ab omnibus cernitur. Sed quid columna nubis, nisi Verbum incarnatum? Ut enim Dominus in nube, sic Deus in homine loquebatur et cernebatur : videbant enim nubem, videbant humanitatem, audiebant vocem, nec tamen agnoscebant Deum; si enim agnovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. De hac enim nube per prophetam dicitur : ‹ Ecce ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum (*Isai.* XIX, 1); › per quam carnem illam intelligimus, quam de virgine Maria Christus suscepit.

‹ Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ‹ ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum ‹ suum. › Facie namque ad faciem, et præsens præsenti loquebatur : interrogabatur et respondebat, seque vicissim audiebant et intelligebant; sic enim loquitur homo ad amicum suum. Non enim Moyses aliter videbat faciem Dei, qui utique invisibilis est, et qui carneis oculis videri non potest. Cum ille reverteretur in castra, minister ejus Josue : filius Nun, puer, non decedebat de tabernaculo. Nec Josue de tabernaculo, nec Jesus de Ecclesia recedit : ‹ Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). › Hic est puer, hic est filius unius anni; hic est ille parvulus, qui major est in regno cœlorum, hic est minister Moysi, hic est qui venit ministrare, non ministrari, et ponere animam suam redemptionem pro multis. Unde ipse Moysi, id est suis discipulis, qui nunc per Moysen significantur, ait : ‹ Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat (*Luc.* XXII, 27). ›

‹ Dixit autem Moyses ad Dominum : Præcipis, ‹ ut educam populum istum, et non indicas mihi ‹ quem missurus es mecum, præsertim cum dixe- ‹ ris : Novi te ex nomine, et invenisti gratiam co- ‹ ram me. › Quia enim superius dixerat : ‹ angelus meus præcedet te, › ipsum sibi angelum nominatim, et expressius indicari postulat. Est enim unicuique genti unus angelus a Deo præpositus. Unde et Michael archangelus proprie gentis Judæorum esse perhibetur, sicut in Daniele scriptum est : ‹ Et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael archangelus princeps vester (*Dan.* X, 21). › Judæis enim loquitur; sed quid est quod ait : ‹ Præsertim ‹ cum dixeris, novi te ex nomine. › Non enim magnum est, aliquem cognoscere ex nomine : quis enim est, quem Deus non cognoscat ex nomine? Si ergo omnes cognoscit ex nomine, quare dixit Moysi : ‹ Novi te ex nomine. › Quid est novi te? Quid est ex nomine? Novi enim te, aliquando significat, diligo te. Unde et quibusdam in judicio dicturus est Dominus ‹ Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV, 12), › id est, non vos diligo. Sic igitur in hoc loco, novi te, id est diligo te. Unde hoc probari potest? ex nomine. Considera nomen tuum, quare enim diceris Moyses? utique, quia de aqua assumptus es (246). Sed quare, cunctis Hebræorum infantibus in Ægyptiis aquis pereuntibus, tu solus ne perires assumptus es? Quis hoc fecit, nonne ego? Interpretare ergo nomen tuum, et ex ipso nomine intelliges, quia novi te, quia dilexi te, quia a principio invenisti gratiam coram me.

‹ Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende ‹ mihi faciem tuam, ut sciam te et inveniam gratiam ‹ ante oculos tuos. Respice populum tuum, gentem ‹ hanc. › Ostende, inquit, mihi faciem tuam, ut per hoc me intelligam invenisse gratiam ante oculos tuos : ostende, ut sciam te, ut videam, et intelligam te. Quid est hoc? Si enim Dominus loquebatur cum Moyse facie ad faciem, cur Dei faciem sibi Moyses ostendi desiderat? Aliud est enim loqui facie ad faciem, aliud videre faciem. Potest enim fieri, ut facie ad faciem cum aliquo loquaris, et eum nec videas, nec videaris, quod quidem in nocte sæpe contingit. Facie ergo ad faciem, et præsentialiter Moyses cum Domino loquebatur; tamen erat aliquid, et quidem multum aliquid, quod de Deo cognoscere et videre desiderabat; ejus enim proprium esse, nec videri in hac vita, nec intelligi potest. ‹ Dixitque Dominus : Præcedet te facies mea, ‹ et requiem dabo tibi. › Illum enim præcedit facies Domini, quem facies Domini sequitur : ‹ Quærite, inquit Psalmista, faciem ejus semper (*Psal.* CIV, 4). › Si ergo semper sequitur, si semper præcedit, nunquam invenitur, nunquam ad plenum videtur. Et ait Moyses : ‹ Si non tu ipse præcedas, non edu- ‹ cas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus ‹ ego, et populus tuus, invenisse nos gratiam in con- ‹ spectu **122** tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut ‹ glorificemur ab omnibus populis, qui habitant su- ‹ per terram? › Ac si dicat : Non per angelum, non per ministrum, non per internuntium, sed per teipsum nos præcede, nobiscum auxiliare. Mirum valde quod loquitur Moyses, ac si ubique si præsentialiter Deus non sit, Dei præsentiam exorat. Quamvis enim præsentialiter Deus ubique sit, eis tamen præsens esse non videtur, quos orantes et clamantes non exaudit. Rogat ergo Moyses, ut sic populum præcedat, sic semper præsentialiter adsit, ut semper in omnibus suis necessitatibus eis subveniat.

‹ Dixit autem Dominus ad Moysen : Et verbum

(246) Ex cod. Laurent. hæc quæ adduntur desumpta sunt, eademque præstat codex Casinen.

Digitized by Google

« istud, quod locutus es, faciam. Invenisti enim gra- « tiam coram me, et teipsum novi ex nomine. » Hoc autem superius exposuimus, et quomodo per se et præcedat eos, et non præcedat, ostendimus. « Et « ait : Ostende mihi gloriam tuam. Respondit : « Ego ostendam omne bonum tibi, et in nomine « Domini vocabor coram te, et miserebor cui « voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. « Rursum ait : Non poteris videre faciem meam; « non enim videbit me homo, et vivet. » Palam igitur est quid quæreret; quod si impetrasset, vivere non posset. Melius igitur Dominus Moysi, quam Moyses sibi ipsi consulebat : « Ego inquit, Dominus ostendam tibi omne bonum. » Ego tibi, et si non modo, aliquando tamen meipsum ostendam. Scriptum est enim in Evangelio, quia B quando Dominus in monte transfiguratus est, Moyses et Elias cum eo loquentes apparuerunt, et tunc quidem omne bonum Moysi Dominus ostendit : tunc et in nomine Domini vocatus est coram eo. Hoc autem habemus a principe apostolorum beato Petro : ait enim : « Domine, bonum est nos hic esse (*Matth.* XVII, 4). » Hic, inquit, est esse bonum, ubi ostendisti Moysi teipsum, qui es omne bonum. Quod autem sequitur : « Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit (*Exod.* XXXIII, 19), » tale est, ac si diceret : Tu pro populo tuo rogas, tu pro his, quorum corda et cogitationes non cognoscis, exoras; « Ego scio quos elegerim : ego miserebor cui voluero (*Joan.* XIII, 18), » qui nihil volo, nisi C bonum.

« Et iterum : Ecce, inquit, est locus apud me, « stabis supra petram. Cumque transibit gloria « mea, ponam te in foramine petræ, et protegam « dextera mea, donec transeam : tollamque manum « meam, et videbis posteriora mea, faciem autem « meam videre non poteris. » Potest enim hoc fortasse ad litteram intelligi, ut Moyses alicubi positus de Domini majestate aliquid subtilius cognoverit. Et quia ait : « Videbis posteriora mea, » incarnationis mysterium fortasse ei ostendit. Vidit autem Moyses et tunc posteriora Dei, quando Domino in monte transfigurato, Verbum videre meruit incarnatum. Quod quidem ejus posteriora dicitur, quia in posteriori tempore, et in ultima ætate actum est. D Allegorice autem per Moysen apostolos intelligimus, qui et cum Domino loquebantur, et amici Dei ab ipso Domino appellati sunt. Stat autem Moyses super petram : petra autem erat Christus; quoniam in fide Christi SS. apostoli et stabiliti, et fundati sunt. Sunt autem positi non solum supra petram, verum etiam in foramine petræ, quoniam in ingressu fidei, et in introitu Ecclesiæ stantes, cæterôs in Ecclesiam et in Christi fidem introducunt. Vocatur enim fides petra. Unde cum Domino Petrus diceret : « Tu es Christus, Filius Dei vivi (*Matth.* XVI, 16), » mox ejus fidem Dominus confirmans ait : « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (*Ibid.*, 18), » id est super hanc fidem tuam, qua me dicis Filium Dei vivi, A « ædificabo Ecclesiam meam (*Ibid.*). » Erat igitur Petrus, et simul cæteri apostoli cum Petro in foramine petræ, id est in porta et in ingressu fidei; si quidem fidei sententia ab eis promulgata est, super quam tota Ecclesia fundata est. Hos autem protexit Dominus dextera sua, hos munivit virtute et potentia sua, quia, sicut ipse ait, non perdidit ex eis quemquam (*Joan.* XVII, 12). Cumque Dominus pertransiret, et desuper montem Oliveti cœlos ascenderet, extollens manus suas (sic enim in Evangelio scriptum est) quia elevatis manibus ferebatur in cœlum (*Luc.* XXIV, 50), ostendit posteriora sua : ostendit eis glorificatam humanitatem et carnem suam; hæc enim fuerunt ejus posteriora, qui postea non est cum eis corporaliter conversatus. Ipsi ejus posteriora viderunt, quia quandiu videri potuit, illum cuntem visu secuti sunt. Unde et ab angelis eis dicitur : « Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum! Hic Jesus, qui a vobis assumptus est in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* II, 11). » Faciem autem ejus non viderunt, quia qualiter : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 2), » non est eis revelatum. Hæc est enim facies Dei.

CAPUT XXXIV.

« Ac deinceps : Præcide, ait, tibi duas tabulas « lapideas instar priorum, et scribam super eas « verba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti. » Quod enim tabulæ franguntur, legis secundum litteram evacuatio fuit : quod vero iterum scribuntur, Novi Testamenti significatio est. Si enim spiritualiter intelligatur, sancte scribitur in utroque Testamento. « Esto paratus mane, ut ascendas statim supra mon- « tem Sinai, stabisque mecum, super verticem mon- « tis. Nullus ascendat tecum, videatur quisque per « totum montem. Boves quoque et oves pascantur « econtra. Excidit ergo duas tabulas lapideas, qua- « les ante fuerant, et de nocte consurgens ascendit « montem Sinai, sicut præceperat Dominus, portans « secum **123** duas tabulas. » Quod enim Moyses apostolos significet manifestum est. Solus igitur Moyses legem accepturus, montem ascendit, nullusque per totum montem videtur, quia a principio nascentis Ecclesiæ, soli apostoli a Domino vocati, cum nemo adhuc ejus fidem suscepisset, super montem Sion, super montem fidei ascenderunt, et non in tabulis lapideis, sed in fideli pectore Christi fidem susceperunt. Tamen, et hoc quod solus in monte erat Moyses, quod nemo per totum montem videbatur, quod nec boves, nec oves econtra pascebantur, significatio erat, quod lex, quæ ibi dabatur, litteræ ad tempus velamine tecta, aut a nullis, aut a paucis intelligeretur.

« Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit « Moyses cum eo, invocans nomen Domini. Quo « transeunte coram eo, ait : Dominator Domine « Deus, misericors et clemens, patiens et multæ « miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam

Digitized by Google

« in millia : qui aufers iniquitatem, et scelera atque « peccata, nullusque apud te per se innocens est. « Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus « in tertiam, et quartam progeniem. Festinusque « Moyses curvatus est prœnus in terram, et adorans « ait : Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, « obsecro ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ « cervicis est) et auferas iniquitates nostras atque « peccata, nosque possideas. » Nullus, inquit, apud te per se innocens est; quia nec unius diei infans sine peccato est : Unde Psalmista : « Quoniam in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea (*Psal.* L, 6). » Fit ergo innocens per te, qui non est innocens per se, quoniam tu solus potes facere mundum de immundo semine conceptum. Reddit autem Dominus iniquitatem patrum filiis, si ab iniquitate patrum filii non recedunt. Alioquin : « Filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech.* XVIII, 20). » Rogat autem Dominum Moyses, ut cum populo gradiatur, eumque possideat, qui quoniam duræ cervicis est, indiget possessore, et dominatore.

« Respondit Dominus : Ego inibo pactum, et vi- « dentibus cunctis signa faciam, quæ nunquam visa « sunt super terram, nec in ullis gentibus, ut cernat « populus, in cujus es medio, opus terribile quod « facturus sum. Observa cuncta quæ hodie mando « tibi. » Per pactum enim, quod se inire promittit, hæc mandata, sive præcepta intelligere debemus, quæ in sequentibus posita sunt. Legat autem alios libros Moysi, qui vult cognoscere signa, et opera Domini terribilia.

« Ego ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, et « Chananæum, et Hethæum, Pherezæum quoque et « Hevæum, et Jebusæum. Cave ne unquam cum « habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ « tibi sunt in ruinam, sed aras eorum destrue, con- « fringe statuas, lucosque succide. Nolite adorare « deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus, Deus « est æmulator. » Dominus enim zelotes, et æmulator vocatur diabolus, qui et invidus est, et Dei populum persequi non cessat; diligit enim, ut perdat; æmulatur, ut occidat. Unde et quibusdam Apostolus ait : « Æmulantur vos non bene, sed decipere vos volunt, ut glorientur in carne vestra (*Galat.* IV, 17). » Hæc autem quæ sequuntur, quia superius exposita sunt, expositione non indigent.

« Cumque descenderet Moyses de monte Sinai te- « nebat duas tabulas lapideas testimonii, et ignora- « bat quod cornuta esset facies sua ex consortio « sermonis Domini. Videntes autem Aaron, et filii « Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope « accedere. Vocatique ab eo, reversi sunt tam « Aaron quam principes Synagogæ, et postquam « locutus est, venerunt ad eum etiam omnes filii « Israel, quibus præcepit cuncta, quæ audierat a « Domino in monte Sinai. » Erat, inquit, Moyses cornutus, et ignorabat; fulgebat ejus facies, et nesciebat. Unde tibi hæc cornua, Moyses? Unde hic tantus splendor, quem populus ferre non valet, nisi ex consortio sermonis Dei? Splendor enim iste litteræ est, sola litteræ intelligentia fulget adhuc in facie tua. Si ergo litteræ intelligentia tantum rutilat, quid faciet intelligentia spiritus? Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut filii Israel non possent intendere in faciem Moysi, propter gloriam vultus, quæ evacuatur; quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? (*II Cor* III, 7.) » Nam nec clarificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam : tanta est enim gloria Novi Testamenti! tantus est illorum splendor, qui Scripturas spiritualiter intelligunt (qui enim docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti) ut quod in Veteri Testamento est clarificatum, penitus non clarificatum appareat! Quid est enim, quod Judæi clare intelligunt? « Cæcitas enim ex parte contigit in Israel (*Rom.* XI, 15). » Vocat enim Moyses populum, et ad se accedere timentes cognoscunt vocem, quoniam sola littera sonat in voce; faciem timent, quia ubi sunt oculi, ibi est splendor, ibi est spiritualis intellectus, ad instar solis radiis rutilans. Revertuntur ergo ad Moysen; revertuntur ad litteram quæ occidit; revertuntur ad sonum vocis, quia rutilantem faciem et spiritualem intelligentiam timentes, prius accedere nolebant. Unde et subditur :

« Impletisque sermonibus, posuit velamen super « faciem suam. » Ideo enim super faciem velamen ponebat, quia ejus faciem videre timebant. Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Usque hodie enim dum legitur **124** Moyses, positum est velamen ante oculos Judæorum (247) (*II Cor.* III, 15). » Dum enim Moyses, id est lex Moysi legitur ante Judæorum oculos litteræ velamen positum est, solumque velamen intuentes, et solam litteram attendentes, illud, quod sub velamine est, videre non possunt : infirmos enim oculos habent, et splendorem videre metuunt. Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes, non tantum velamen, quantum illud, quod sub velamine est, semper inspicere desideramus.

CAPUT XXXV.

« Igitur, congregata omni turba filiorum Israel, « dixit ad eos : Hæc sunt quæ jussit fieri Dominus : « sex diebus facietis opus, septimus dies erit vobis « sanctus. Sabbatum est requies Domini; qui fecerit « in eo opus, occidetur; non succendetis ignem in « omnibus habitationibus vestris per diem Sabbati. » Multa enim jam superius de Sabbato diximus, semperque idem dicere superfluum est; novam vero in eodem semper quærere expositionem, superstitiosum esse videtur. Nemo autem in Sabbato ignem succendat, nemo lites et discordias seminet, unde in iram et furorem populus fidelis accendatur. Ego autem omnipotenti Deo gratias ago, qui me per hanc silvam obscuram satis et densam, recto, ut opinor, itinere, hucusque perduxit : quæ enim sequuntur

(247) Vulgata habet; *velamen positum est super cor eorum.*

Digitized by Google

usque ad finem libri, superius omnia et narrata, et exposita sunt. Deo autem omnipotenti sit honor et gloria, virtus et imperium, et nunc et semper, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hic claudit sanctus Bruno Commentarium suum in Exodum, et omittit quinque reliqua capita.

INCIPIT
EXPOSITIO IN LEVITICUM.

ADMONITIO.

Cum expositio in sequentem librum Levitici, quam edidit D. Maurus Marchesius pluribus in locis valde mendosa sit, multoque inferior latinitate, et doctrina commentario, quem ex cod. Casinensi optimæ notæ nobis communicavit reverendissimus D. Thomas Capomatius, modernus abbas Montis Casini, eo collectionem nostram adornare duximus; quare ex integro sex priora capita ab illo desumpsimus, ac reliqua partim supplevimus, partim emendavimus.

PRÆFATIO

125 Post Geneseos et Exodi expositionem, secundum ordinem quo scripti sunt, duce Jesu, ad Leviticum transeamus. Ad cujus operis explanationem Deum Patrem omnipotentem, et Filium ejus Jesum Christum, una cum Spiritu sancto invoco, suppliciterque deposco ut eodem Spiritu, quo Moysi mentem ad scribendum replevit, meam quoque ad hunc librum exponendum replere dignetur. Hoc autem volumine Moyses, imo Spiritus sanctus per Moysen de sacrificiis plenissime disputat, quibus utique, si spiritualiter intelligantur, procul dubio et peccata tolluntur, et Deus placatur, et peccatoribus venia datur. Quamvis enim omnia Judæorum sacrificia Christi quodammodo passionem et mortem denuntient, quædam tamen illud maximum et singulare sacrificium, quod in ara crucis Jesus ipse, hostia et sacerdos, Deo Patri obtulit, proprie spiritualiterque significant; quædam vero hoc, quod in ejus memoriam quotidie in Ecclesia fit a sacerdotibus; quædam vero SS. martyrum passiones, alia vero ipsam carnis nostræ macerationem, alia nihilominus cordis et spiritus contritionem designant. Eorum enim animalium holocausta, quorum sanguis infertur in Sancta per pontificem, quorum carnes non comeduntur, sed cremantur extra castra, proprie Christi passionem, testante Apostolo, denuntiant. Ait enim : « Quorum enim animalium infertur sanguis in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra (*Hebr.* XIII, 11). » Hoc autem exponens mox subdidit, dicens : « Ita et Jesus ut sanctificaret populum, extra portam passus est (*ibid.*, 12). » De his autem, quoniam Deo propitio, multa in sequentibus dicturi sumus, plura ad præsens dicere, non videtur esse necesse. Nunc ergo ad ipsius libri verba veniamus.

CAPUT PRIMUM.

« Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens : Loquere « filiis Israel, et dices ad eos : homo quicunque obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est de bobus et ovibus offerens victimas, si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii ad placandum sibi Dominum. » Homo iste, qui ad placandum sibi Dominum victimas offert, Christianorum populus mihi videtur, qui non solum super (248) altare visibile, verum etiam in mentis altari invisibili, vitulum de armento patriarcharum, in Christi commemorationem, quotidie immolare non cessat. Vitulum ergo masculum et immaculatum sumptum de armento Moysi offerri præcipitur, quia Judæorum populus Christum Dominum nostrum, « qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II, 22), » de patriarcharum et prophetarum grege, scilicet carne venientem, pro totius mundi delictis Domino immolavit. Unum ergo eundemque vitulum, et Moyses, et Judæorum populus, et Ecclesia immolat : Moyses quidem significando, Judæi peccando, Ecclesia commemorando. Sed, quia non omnis oblatio est holocaustum, ideo ait : « Si holocaustum fuerit ejus oblatio. » Quando enim oblatio tota incendebatur, holocaustum dicebatur. Ducitur autem vitulus ad ostium tabernaculi testimonii, quoniam et Christus Dominus noster a Judæis **126** captus, deinde ad pontificem ductus est, qui ante ostium, et in ipsius templi atriis habitabat. Sed, quoniam nos quoque hunc vitulum immolamus, quomodo etiam a nobis ad ostium tabernaculi testimonii ducatur, dicendum esse videtur. Nos enim Dei tabernaculum esse Apostolus significans, ait : « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, 17). » Si ergo templum et tabernaculum Dei sumus, quod erit ostium hujus tabernaculi? Ego quidem ostium hujus tabernaculi fidem intelligo, per quam velut per ostium, nostri pectoris tabernaculum Christus ingreditur. Unde ipse Dominus ait : « Ego sto ad ostium et pulso, si

(248) Alter cod. Casin. *Ecclesiæ*.

Digitized by Google

quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum ipso, et ipse mecum (*Apoc.* III, 20). » Offerimus ergo vitulum ad ostium tabernaculi, quando Christi passionem mente legimus, et fide credimus. Sic enim ipse Dominus ait : « Hoc facite in meam commemorationem (*I Cor.* XI, 24). » Unde adhuc subditur :

Ponetque manus super caput hostiæ, et accepta- « bilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. » Hoc autem de Judæis intelligere difficile est, quibus mors Christi non proficiens, sed officiens fuit. Nos autem (249) ducamus vitulum nostrum ad ostium tabernaculi, imo credendo, manducando atque bibendo introducamus eum in ipsum pectoris nostri tabernaculum. Ponamus manus super caput ejus, tangamus eum manibus fidei, tangendo credamus, credendo dicamus : « Dominus meus, et Deus meus (*Joan.* XX, 28). » Sic enim fides tangit ; sic et Apostolus Thomas tetigisse legitur. Tangere enim credere est. Ejus namque caput beatus Joannes tangens dicebat : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Crede Christum Deum esse, et tangis caput ejus : « Christi enim caput, ait Apostolus, Deus est (*I Cor.* XI, 4). » Credis hominem esse, et tangis pedes ejus. Si ergo sic tetigeris, si omnium creaturarum caput atque principium Christum esse credideris, acceptabilis erit hostia tua, in expiationem tibi proficiet et oblatio tua. Prius itaque tange caput vituli ; deinde immola, ne dum quasi vitulum Christum immolaveris, eum Deum et hominem esse obliviscaris. Vides puerum Jesum, vides vitulum unius anni, noli respicere ætatem, noli dicere cum Judæo : Quadraginta annos nondum habes. Tange caput vituli, crede Divinitatem. Dic cum evangelista : « In principio erat Verbum. » Divinitas enim ipsius vituli caput est Christi. Quia ergo quid sit tabernaculum, quid ostium tabernaculi, quid vitulus, quid sit etiam manus ponere super caput vituli, dictum est ; restat nunc ut veniant sacerdotes et fundant sanguinem ejus, ipsumque excorient, membra concidant, in altari componant, ignem supponant, et totum perficiant holocaustum in commodum, et utilitatem offerentium. Hæc omnia ad solum sacerdotem pertinebant. Hoc est enim, quod ait : « Et offerent filii Aaron sacerdotes « sanguinem ejus, fundentque per altaris circuitum, « quod est ante ostium tabernaculi, detractaque « pelle hostiæ, artus in frusta concident, et subji- « cient in altari ignem, strue lignorum ante compo- « sita, et membra, quæ cæsa sunt desuper ordinan- « tes, caput videlicet, et cuncta quæ adhærent je- « cori, intestinis, et pedibus lotis aqua ; adolebit ea « sacerdos super altare in holocaustum et suavem « odorem. »

Qui sunt enim isti filii Aaron, quibus hæc specialia munera deputantur ? Credere namque, vitulum tangere, ad tabernaculi hostiam ducere ; super utrumque postem de ejus sanguine ponere, Christi carnem comedere, ejus sanguinem bibere, cunctis fidelibus datum est. At vero pellem hostiæ detrahere, artus in frusta concidere, et cætera quæ sequuntur episcopis et sacerdotibus specialiter concessum est. Sunt ergo episcopi et sacerdotes, filii Aaron, illius videlicet Aaron, qui rectissime *mons fortis* interpretatur. « Mons coagulatus, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum est Deo inhabitare (*Psal.* LXVII, 16). » Hujus autem Aaron, vos, o episcopi et sacerdotes, filii estis : accedite ergo, et immolate ; effundite sanguinem vituli per circuitum altaris. Quid aliud namque facitis, quoticscunque sanguinem vestro ministerio confectum nobis ad bibendum tribuitis ? nisi ad instar filiorum Aaron circa altare cordis nostri sanguinem funditis. Pellem vero hostiæ detrahitis, quando, litteræ velamine semoto, ea, quæ in occulto manebant, spiritualiter exponitis. Artus autem in frusta conciditis, quando totius hostiæ sacramenta particulatim, et per sententias explicatis. Ignem vero in altari subjicitis, quia hæc omnia exponendo, ad amorem Dei corda nostra succenditis. Tali enim igne illorum corda succensa erant, qui ipsum Dominum per se exponentem audientes dixerunt : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, et aperiret Scripturas ? » (*Luc.* XXIV, 32.) Ut autem hic ignis ardeat, prius struem lignorum super altare componere necesse est ; hæc autem ligna, fidem, spem, patientiam, humilitatem, cæteramque virtutum congeriem intelligimus : nisi hæc ligna prius in cordis altari composita fuerint, ignis charitatis, et amor Dei ardere non potest (250). Postquam autem igne charitatis altare, id est audientium corda incaluerint, tunc sacerdotes membra, quæ cæsa sunt, desuper ordinent, caput videlicet, et cuncta, quæ adhærent jecori. Illis enim divina sacramenta revelanda sunt, **127** quorum corda audiendi, et agendi desiderio jam videntur accensa. Prius enim vituli caput super altare ordinare debent episcopi, quia suis in sermonibus Christum hominem, et Deum, caput omnium creaturarum et principium esse, ante omnia auditores edoceant. Quin etiam ejus passionem, resurrectionem et ascensionem per ordinem narrantes, in Christianorum mentibus, tanquam in altari componant. Hunc prædicandi ordinem beatus Joannes secutus, a capite incipiens, de divinitate prius egit. « In principio, inquit, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum (*Joan.* I, 1). » Postea ad humanitatem, ejusque opera, tanquam ad pedes devenit. Hæc sunt autem membra vituli, sic concidantur, sic ordinentur, sic exponantur, sic super cordis et mentis altare ponantur. Sed quid pro his, quæ jecori adhærent, adipe videlicet et pinguedine, nisi illam nimiam misericordiam et pietatem Salvatoris nostri intelligamus, qua pro suis etiam inimicis orans, dicebat : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt ? (*Luc.*

(249) Alter cod. Casin. : *ducamus et offeramus.*
(250) Idem cod Casin habet *Et : Dei amor ibi ardere non potest.*

Digitized by Google

xxiii, 34.) » Hic enim adeps, hæc pinguedo vulnera nostra curavit, et sanavit, de qua Psalmista : « Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat (*Psal.* xix, 4). » Hæc autem nobis annuntiantur quatenus ad amorem Dei magis accendamur, et ad Christi pietatem, et misericordiam implorandam amplius incitemur. Quid autem est id, quod sequitur in contextu : pedibus et intestinis lotis aqua? Nunquid nos pedes Christi, et ejus intestina lavare debemus, qui jam nunc in cœlo est? Cui nihil unquam sordidum, nihil immundum adhæsit, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; et qui omnis munditiæ auctor et consummator exstitit. Vera certe, et infallibilia sunt hæc omnia. Judæi tamen hæc non credunt, sed quasi peccatorem, quasi blasphemum eum judicarunt et judicant. Unde nobis oportet eum lavare, et quodammodo mundare; id est sanctum, innocentem et justum prædicare. Sed quomodo hæc omnia recte comprobare poterimus, Judæisque veritatem istam persuadere valebimus? Ipse nos docet : « Quis ex vobis, inquit, arguet me de peccato? Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan.* viii, 46). » Hæc autem et similia dum sic ordinant et componunt sancti prædicatores, dum intelligunt et credunt boni auditores, fit Deo holocaustum in odorem, et suavitatem. Sequitur :

« Quod si de peccatoribus oblatio est, de ovibus, « sive de capris holocaustum, anniculum, et absque « macula offerent, immolabitque ad latus altaris, « quod respicit ad aquilonem coram Domino; san- « guinem vero illius fundent super altare filii Aaron « per circuitum, » et cætera, ut superius. Id ipsum enim per vitulum, et per agnum, et per hædum intelligimus. Christus enim et vitulus est, quia major hostia, et agnus, quia mitis, et innocens, et mansuetus : et hædus propter similitudinem carnis peccati. Est autem anniculus et absque macula, castus, pudicus et sine peccato. Quod autem altare contra aquilonem respicit, corda nostra contra diaboli insidias semper attenta debere esse significat. « Ab aquilone enim pandentur mala super omnes habitatores terræ (*Jerem.* i, 14). » Deus autem ab austro veniet, diabolus autem ad aquilonem sedem suam posuit (251). Cætera vero, quæ sequuntur, ideo non exposuimus, quoniam modo superius in vituli holocausto exposita sunt.

« Sin autem de avibus holocausti oblatio fuerit « Domino de turturibus, et pullis columbæ, offeret « ea sacerdos ad altare, et retorto ad collum capite, « et rupto vulneris loco decurrere faciat sanguinem « super crepidinem altaris. » Merito enim post Christi sacramenta, qualiter etiam nos ipsos immolare et offerre Domino debeamus, ostendit hic locus. Per turturem enim et columbam, animæ et carnis castitatem, et patientiam intelligimus. Turtur enim castissimum animal est, et vivo, et mortuo socio indissolubilem fidem servans; columba vero felle et amaritudine caret. Unde non immerito turtur castitatem, columba vero patientiam significat. Offert igitur sacerdos ad altare cordis nostri turturem, et columbam; quando castitatem, et patientiam nos et habere, et observare admonet. Turturem enim sacerdos magnus Jesus offerebat, cum diceret : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* xii, 35); » columbam autem cum de patientia loqueretur, dicens : « In patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* xxi, 19). » Habemus ergo turturem, habemus columbam, imo nos ipsi jam turtures et columbæ facti sumus, sic tamen si et castitatem, et patientiam teneamus. Quod autem ad collum caput retorquetur, eum, qui castus et patiens factus est, verecundum etiam et humilem debere esse significat; talium non est erecta cervice, sed capite humiliter inclinato incedere. Deinde autem rupto vulneris loco decurrere facit sanguinem super crepidinem altaris, quia sanctus homo, et Deo devotus, non celat peccatum suum, sed foras mittit, et tunc circa altare sanguinem decurrere facit, quando peccatorum suorum memoriam a proprio corde non separat; sed quasi turtur, et columba pro ipsis peccatis gemere, et flere non cessat. Sic enim Psalmista circa sui cordis altare decurrere sanguinem faciebat, cum diceret : « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper (*Psal.* l, 4). » Quod autem sanguis peccatum significet, tam usitatum est, ut exemplis non indigeat. Sequitur :

« **128** Vesiculam vero gutturis, et plumas « projiciet prope altare ad orientalem plagam in « loco, in quo cineres effundi solent. » Quid enim per vesiculam gutturis, nisi ventris ingluvies significatur? Quid per plumas, nisi morum levitas innuitur, elatio et mentis instabilitas? Hæc autem homini projicere, et a se repellere bonum est. Sed ubi projicere? Prope altare : altare enim cor est, sicut jam sæpe dictum est; quod autem a corde separatur, oblivioni quidem datur. Merito igitur non in altari, sed prope altare ista projiciuntur, ut eorum homo immemor ad ea ulterius non revertatur. Unde etiam ad orientalem plagam projici jubentur, ut præteritorum cum Apostolo obliviscentes, ad ea, quæ ante sunt, nos extendamus. Semper enim ab ortu ad occasum tendimus. Quæcunque igitur ad occasum nobiscum non ducimus, ea ad orientalem projicientes plagam, post dorsum relinquimus. Occasus autem finis est vitæ. Effundantur hæc in loco, in quo cineres effundi solent, id est ubi superflua projiciuntur, quia superflua et inutilia sunt.

« Confringetque ascellas ejus, et non secabit, « neque ferro dividet eas. » Ascellas enim turturis, et columbæ confringere jubet, ne castitas et patientia a nobis avolando separari queat. Attende diligenter quod dicitur. Turtur et columba factus es, noli volare, noli vagus et instabilis esse, frange

(251) Sequentia habentur in alio cod. Casin.

Digitized by Google

ascellas, quia nocivæ sunt, sed noli secare, quia naturales sunt. Quamvis enim non volas, volandi tamen naturam non amittis; quamvis non peccas, peccandi tamen potentiam habes. Sed propter Deum volare, id est peccare desistis juxta illud Ecclesiastici : « Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere malum, et non fecit (*Eccl.* xxxi, 10). » Sequitur :

« Et adolebit super altare lignis, igne supposito : « holocaustum est, et oblatio suavissimi odoris « Domino. » Ignis enim iste quo omnia cremanda sunt, fervor charitatis est. Hic est ille ignis, de quo Dominus ait : « Ignem veni mittere in terram (*Luc.* xii, 49). » At vero bonus animus, sincerus affectus, sanus intellectus, spiritus contribulatus, ligna, sunt, quæ hoc igne succenduntur. Sed ubi ? Super cordis utique altare. Illud enim cor, in quo hæc ligna composita fuerint, et hoc igne succensum exarserit, holocaustum est, et oblatio suavissimi odoris Domino. Et maxime quidem, si sacerdos turturem, et columbam, et cætera, quæ superius dicta sunt, castitatem et patientiam, docendo, prædicando et admonendo desuper ordinaverit. Tale enim altare semper ardet, sed tunc præcipue cum sacerdotis voce et spiritu inflammatur. Unde per prophetam Dominus dicit : « Ego, inquit, creavi fabrum, et sufflantem in igne prunas (*Isai.* liv, 16). » Sequitur iterum de eo sacrificio, quod in memoriam Christi passionis sancta Ecclesia ubique sacrificat, ideoque et de simila fit, et memoriale appellatur.

CAPUT II.

« Anima, cum obtulerit oblationem sacrificii Do- « mino, et simila ejus erit oblatio, fundetque super « eam oleum, et ponet thus, et deferet ad filios « Aaron sacerdotis, quorum unus tollet pugillum « plenum similæ et olei, ac totum thus, et ponet « memoriale super altare in odorem suavissimum « Domino. »

In hoc capite de eo sacrificio figurative agitur, quod in memoriam Christi passionis sancta Ecclesia ubique sanctificat; ideoque de simila fit oblatio præsens. Hæc autem simila de illo frumento facta est, de quo Salvator ait : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet (*Joan.* xii, 24). » Fuit autem simila hæc Judæorum nobis contrita, de quibus ait Psalmista : « Molas leonum confringet Dominus (*Psal.* lvii, 7). » Hanc autem anima offert, id est aliquis homo bonus et spiritualis, et qui magis animæ quam corporis sequitur voluntates, quoniam corde contrito, et spiritu contribulato Christi passionis recordatur. Fundit autem oleum desuper, Christi pietatem, et misericordiam admirans, qui, dum quasi frumentum ab impiis moleretur, dum a Judæis crucifigeretur, oleum tamen pietatis et mansuetudinis effundens a misericordia non cessabat. Cum enim servi Malchi aurem sanabat, cum Patrem, ut Judæis ignosceret, orabat, nonne tunc misericordiæ oleo Christus abundabat ? Jungit autem ad similam thus, dum secum recogitat, quare de Filii sui passione Pater tantum fuerit delectatus. De quo thure Psalmista ait : « Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* cxl, 2). » Hæc autem dum anima supradicta secum considerat, et per se rationem invenire non valet, defert simul omnia, similam scilicet, oleum, et thus ad filios Aaron sacerdotis; unde et subditur : « Quorum unus tollet pugillum « plenum similæ, et oleum, ac totum thus; » id est ad prælatos, ad episcopos suos, et ad Ecclesiæ doctores, ut ab illis de eorum intelligentia instruatur; unde subditur in contextu : « Quorum unus « tollet pugillum plenum similæ, et ponet memoriale « super altare in odorem suavissimum Domino. » Audite hoc, o episcopi, et videte quod nulla hic episcoporum exceptio fiat. Venit aliquis cum oblatione sua, interrogare vult episcopum de dubitatione sua : ille igitur episcopus, qui ejus interrogationi satisfacere nequiverit, et qui ejus oblationem ad immolandum, id est ad exponendum non susceperit, ille, inquam, non erit ille unus, de quibus hic dicitur : « Quorum unus est. » Quod autem non totam similam, sed pugillum plenum similæ accipit : hoc datur intelligi, **129** quia non omnia, sed ea tantum episcopus exponere debet, quæ ad animarum salutem pertinent, et quæ auditores intelligere et capere possunt. Hæc igitur omnia pontifex accipiens, ponit memoriale, id est ad memorandum et intelligendum, super cor illius. Nam, si hæc omnia, quæ ad animarum salutem pertinent, super cordis altare non apponuntur, et memoriale, non erit hujusmodi holocaustum. Nisi enim super cordis altare hoc sacrificium poneretur, oblivioni tradi posset, et memoriale non esset. Fit autem talis oblatio in odorem suavissimum Domino. Sequitur :

« Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit « Aaron, et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de « oblationibus Domini. » Quod autem horum quidquid superest, in sacerdotis partem relinqui præcipitur, clare ostendit, quod mysteria illa, quæ auditores capere, et intelligere non valent, in sacerdotum pectore atque sacrario reponi, et celari debent, secundum illud : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (*Psal.* xviii, 11). » Sanctissimæ enim sunt istæ reliquiæ de oblationibus Domini. Quæ autem de simila dicta sunt, de panibus quoque, et laganis, et crustula intelligantur; si quidem ista et de frumento, et de simila fiunt. Quorum ergo est una materia, una sit et significatio : significant enim carnes agni, illius utique agni, qui tollit peccata mundi. Sive enim in clibano coquantur, sive in sartagine frigantur, sive etiam in craticula assentur, semper tamen Christi significant passionem : crux enim Christi, et clibanus, et sartago, et craticula fuit. Omnes igitur sustinent passiones, qui crucis patiuntur afflictionem, quod ipse Dominus significans ait : « Qui vult venire post me, abnegel semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me

Digitized by Google

(*Matth.* v, 13); » omnes passiones in sola cruce intelligens. Quod autem omnibus additur oleum, nec in ipsa sua passione Christum a misericordia cessasse significat. Semper Christus oleum fundit, quo et miseretur, et sanat. Manibus autem sacerdotum ista traduntur, quæ ab eis exponenda exiguntur. Minutatim vero crustula dividitur, quando diligenter, et per sententias particulatim totum Christi sacramentum exponitur. Ponitur autem memoriale super altare, quando in audientium corda idem mysterium immittitur. Omnia autem hæc azyma, « i sine fermento sunt, quia Agnus noster immaculatus, innocens et sine peccato est; et quia nihil corruptum, aut maculatum Dominus suscipit. Sequitur:

« Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque « fermento fiet, nec quidquam fermenti, ac mellis « adolebitur in sacrificio Domini. » Fermentum a sacrificio removetur, quia corruptum est, et totam massam corrumpit, ut ait Apostolus. Mel vero, quia dulce est; non enim cum dulcedine mellis, sed cum amaritudine lactucarum agrestium agni carnes comedi jubentur.

« Quidquid obtuleris sacrificii sale condies, nec « auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In « omni oblatione tua offeres sal. » Sal pro sapientia ponitur. Unde et Dominus discipulis ait: « Vos estis sal terræ (*Matth.* v, 13). » Ut enim sale cibus, ita sapientia sacrificium conditur. Qui enim Domino sacrificat, et quod agit, non intelligit, quasi sine sale sacrificium facit. Interior autem sacerdos, intellectus, est, qui in altari cordis sacrificando Dominum placat. Hic autem sal, qui in sacrificio adhibendus est, ideo sal fœderis dicitur, quoniam et Deus hoc fieri jussit, et id populus sæpius se observaturum promisit. Hæc de sacrificio similæ dixisse sufficiat; nunc autem ad primitiarum oblationem mystice explicandam transeamus.

« Si autem obtuleris munus primarum frugum « tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torre- « bis igni, et confringes in morem farris, et sic « offeres primitias tuas Domino, fundens supra « oleum, et thus imponens, quia oblatio Domini est, « de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris, « partem farris fracti, et olei, ac totum thus » Locus iste de catechumenis videtur intelligendus, quos ad Ecclesiam venientes interrogare oportet de proposito, constantia et fide. Sic enim ait Propheta: « Nisi credideritis, non permanebitis (*Isai.* vii, 9). » Et isti quidem primitias frugum suarum, id est prima fidei rudimenta, non quidem de frumento et solido cibo, sed de spicis adhuc virentibus Domino offerunt, quando ea, quæ a sacerdotibus illis dicuntur, etsi non intelligant, credere tamen se promittunt. Quid autem sit spicas igne torrere, novasque fruges in morem farris frangere, attendamus; nihil enim aliud significare existimo, nisi quod isti jam charitatis ardore fidei sacramenta credunt, et nondum penitus discutiunt; qui enim ea diligenter discutit, non in morem utique farris, sed in similæ tenuitatem conterit. Fundunt autem oleum desuper simul cum fide, misericordiam et benignitatem spondentes. Thus autem imponunt, quando diabolo abrenuntiantes, virtutibus et bonis operibus adhærere promittunt. Hæc enim, quia Domino redolent, thuris similitudinem habent. Postquam autem hanc suæ fidei oblationem Domino catechumeni obtulerint, restat ut sacerdos eos doceat, et majora intelligere faciat. Accipiat ergo partem farris fracti, et olei, ac totum thus, et sacrificare incipiat; id est, in eorum instructione incipiat laborare. Ubi advertendum est, quod tantum partem farris fracti sacerdotem accipere jubet lex, ut non omnes partes simul clare demonstret. Quod si sacerdos non omnia Christianæ fidei sacramenta eos edocere valeat, sufficit quod aliquam eorum partem exponat; omnia enim nostræ fidei arcana explicare **130** aut impossibile est, aut certe difficile esse videtur. Ideo autem olei, et thuris nihil minui jubet lex, quia in misericordiæ exercitio, et ad dandum bonum exemplum totaliter instrui possunt. Quod autem catechumenos instruere, et illis sacra dogmata explicare, notitiamque Scripturarum tradere, hic sacrificare nominetur, mirum non est, cum hoc agere, Deus tanquam sacrificium sibi charum accipiat; unde per Psalmistam ait: « Sacrificium laudis honorificabit me (*Psal.* xlix, 23). » Et Apostolus: « Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est vitulos labiorum confitentium nomini ejus. (*Hebr.* xiii, 15). »

CAPUT III.

« Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, « et de bobus voluerit offerre, marem, sive feminam « immaculata offeret coram Domino, ponetque manus super caput victimæ suæ, quæ immolabitur « in introitu tabernaculi. » Hic obiter notandum est, quod in primo sacrificio sub specie vituli, et agni fuit Christus immaculatus; deinde vero in turture et columba fuimus nos ipsi in sacrificium oblati; postea vero in simila et panibus figurative immolatus est Christus; modo denique nos ipsi immolari jubemur, ut scilicet intelligamus, necessarium esse multoties pati pro Christo, qui pro nobis multoties passus est. Bene autem præsens hæc hostia pacificorum dicitur, quia illa mediante cum Deo purificamur, iterumque conjungimus. Si quis ergo de bobus pacificorum hostiam offerre voluerit in ordine sacerdotali, vel regulari, sive masculus, sive femina sit, se ab omni vitio immaculatum custodiat, ut digne offeratur. Quid enim per bovem nisi sacerdotalis, vel regularis ordo intelligitur, secundum illud Apostoli: « Non alligabis os bovi trituranti? » (*I Cor.* ix, 7.) In quo certe ordine tam sancti viri quam etiam devotæ virgines intelligitur. Ipsæ enim Deo dicatæ in ejus agro utique laborant. Audite ergo hoc, qui ad sacros ordines accedis. Audite qui vos ipsos ad serviendum Deo offertis. Si enim immaculati estis, secure accedite; sin autem, accedere non præsumatis. Ponite manus

Digitized by Google

super caput victimæ vestræ, id est reprimite superbiam carnis vestræ. Videte Apostolum manum super hostiam suam apponentem; dicit enim : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (*I Cor.* IX, 27). » Immolate eam in introitu tabernaculi, ut scilicet videant vos, qui in tabernaculo sunt, « et videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* V, 16). » Videant cæteri jejunia vestra; videant quomodo immolando maceratis et affligitis carnem vestram, quatenus exemplum accipiant de sancta conversatione vestra. Accedite, juvenes devoti, accedite, virgines castæ, ad sanctum Dei tabernaculum; ibi enim vos exspectant filii Aaron, ibi vos exspectant prælati et sacerdotes in suum collegium vos recipere cupientes, vos purificare, vos consecrare, vos offerre volentes.

« Fundentque filii Aaron sacerdotis sanguinem « super altare per circuitum, et offerent de hostia « pacificorum in oblationem Domini, » etc. Sanguinem peccata significare manifestum est, secundum illud Ezechielis : « Si non annuntiaveris ei iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III, 18). » Altare vero mens, et cor designat. Fundunt igitur sacerdotes sanguinem ejus, qui ad sacerdotalem, vel regularem ordinem accedere, et inter boves computari exoptant, per circuitum altaris, quando eos admonent ut peccatorum suorum memores sint, et habeant ea in circuitu cordis sui, ut possint dicere semper : « Peccatum meum contra me est semper (*Psal.* L, 5). » Deinde hostiæ adipem, omnemque pinguedinem jubet Dominus offerre et adolere; quia scilicet pinguedine caro superbit, et in luxuriam, et omnem turpitudinem ruit; unde alibi dicitur : « Pinguis factus est dilectus, et recalcitravit (*Deut.* XXIII, 15); » Ideoque Apostolus in commessationibus, et ebrietatibus nos prohibet inveniri. Idemque alibi ait : « Carnis curam ne feceritis in desideriis. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Ephes.* V, 18). » Hæc igitur est causa, cur maxime necessarium est, ut corporis nostri pinguedo minuatur, incendatur et destruatur. Dum enim jejuniis caro atteritur, pinguescit anima, sedes ejus conspicitur, fitque sacrificium Deo acceptabile. Accendatur ergo spiritus, ut et caro vitiorum ignibus frigescat. Ad oblationem autem istam accendendam ligna colligamus; id est exempla justorum sectemur; perpendendo qualiter vixerint, qualiter jejuniis et vigiliis omnem corporis pinguedinem attenuaverint. Hæc autem ligna, si in cordis nostri altari accensa fuerint, omnem nocivam pinguedinem adolere facient. Sequitur :

« Si agnum obtulerint coram Domino, ponent « manum super caput victimæ suæ, quæ immolabi- « tur in vestibulo tabernaculi testimonii. Fundent- « que filii Aaron sanguinem ejus per altaris circui- « tum, et offerent adipem, et caudam totam cum « renibus, et cætera, ut supra. » Ritus autem in immolatione agni idem significat, quod superius adnotavimus, et solum in hostiæ differentia aliquod discrimen reperitur; nam per bovem, doctorem et sacerdotem; per agnum, hominem mansuetum et simplicem; per capram vero peccatorem intelligimus. Sive igitur bovem, sive agnum, sive capram aliquis offerat, ponat manum suam super caput victimæ suæ, coerceat superbiam suam, eam castiget et immolet. Hoc autem juxta tabernaculum tantum, id est juxta Ecclesiæ statuta et leges. Qui enim ab Ecclesia discedet, nullum ei sacrificium, **131** nulla abstinentia, nulla carnis maceratio prodest : ideoque, omnis hostia ad tabernaculum duci jubetur. Ergo filii Aaron nos occidunt, nostrum sanguinem fundunt; namque solum sacerdotes Ecclesiæ a peccatis nos abluunt, et pro nobis hostias offerunt. Filius enim Aaron, et sacerdos Ecclesiæ ille fuit, qui ait : « Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram (*Coloss.* III, 5); » itemque : « Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*ibid.*). » Sed quare peccata nostra super altare fundunt, nisi ut igne consumantur, semperque in memoria habeantur? quomodo autem adipem, renes omnemque pinguedinem sacerdotes offerant, superius dictum est. Cur denique caudam Dominus jubet offerri, idem ipse in Evangelio docet, dicens : « Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* XXIV, 13). »

« Omnis adeps Domini erit jure perpetuo, et in « generationibus, et cunctis habitaculis vestris. Nec « adipem, nec sanguinem omnino comedetis. » Cum enim sit adeps bonus, et adeps malus, quomodo omnis adeps Domini erit? Bonus enim adeps quo anima pinguescit, et vires suscipit, de quo Psalmista : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII, 6) : » malus adeps quo anima incrassata superbit, de quo idem Psalmista : « Prodiit ex adipe iniquitas eorum (*Psal.* LXXII, 2). » Omnis igitur adeps est Domino offerendus; bonus animæ adeps, ut sancto desiderio inflammetur; corporis vero malus, ut pœnitentia destruatur; sicque tunc in cordis sartagine adeps animæ Deo offertur, cum peccatorum conscientia superna dilectione incendatur. Tunc vero adeps corporis Deo mactatur, cum caro pœnitentiæ rigore deprimitur, atque ita fit ut omnis adeps Domini sit. Adeps deinde cremari, et sanguis effundi jubetur, neuterque comedatur. Ad rationem tamen advertite. Non comedatur sanguis, quia in ipso peccati causa intelligitur. Super altare autem offeratur adeps, id est omnis nociva pinguedo in corde contrito concremetur, et destruatur. Hoc est enim quod ait : Adipes, quibus pectus advolvitur, et pinnulæ jecoris offerentur super altare. Sed quare pinnulæ jecoris? Jecoris namque, id est hepatis pinnulæ sanguinis coagulati, et mortui simi itudinem habere videntur. Sanguis igitur et forma sanguinis super altare ponantur, ut non solum peccatum, sed peccati species omnino destruatur.

CAPUT IV.

« Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Loquere « filiis Israel. Anima quæ peccaverit per ignorantiam

Digitized by Google

« de hostia, et de universis mandatis Domini, quæ
« præcepit, ut non fierent, quidpiam fecerit : si sa-
« cerdos, qui est unctus, peccaverit, delinquere
« faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum
« immaculatum Domino, et adducet illum ad ostium
« tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque
« manum super caput ejus, et immolabit eum Do-
« mino. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens
« illum in tabernaculum testimonii (252). » Sicut cum distinctione loquitur lex, sic et nos cum distinctione loqui debemus; ita ut prius de sacerdote per ignorantiam peccante, et de ejus expiatione agamus, et postea de populo, quem sacerdotis ignorantia in errorem induxit, sermocinemur. Anima igitur ista, sive sacerdos, qui per ignorantiam peccavit, populum in errorem inducens, Caipham vel quempiam aliorum Judæorum sacerdotum significat : nam contextus verba Caiphæ maxime adaptantur. Non solum enim iste peccavit, sed peccare fecit, et populum in seditionem illum et in Christi interfectionem inducens, et dicens : « Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat (*Joan.* xi, 50). » Unde Joannes mox addit : « Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum (*ibid.*) ; » sicque apparet, quod iste sit sacerdos, qui et peccavit, et populum delinquere fecit. In eo autem, quod evangelista subdit . « Hoc autem a semetipso non dixit (*ibid.*); » clare datur intelligi quod per ignorantiam peccavit. Pro peccato autem sacerdotis, per ignorantiam delinquentis offertur vitulus, cujus sanguis per pontificem infertur in tabernaculum, de quo ait Apostolus : « Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra; propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est (*Hebr.* xiii, 11). » Juxta hanc igitur Apostoli interpretationem, totam hujus oblationis seriem de Christo in ara crucis immolando intelligere debemus, et ipsius apostoli verbis materiam suscipientes; quod ipse reliquit, vel breviter dixit, latius exponamus.

Anima ista, quæ per ignorantiam peccavit, Caiphas intelligitur. Primo igitur inquirendum est quomodo Caiphas intelligatur, ubi dicitur, quod offerat pro peccato suo viculum immaculatum Domino. Hæc enim verba videntur illi aptari non posse : non enim pro peccato suo, sed ad peccatum suum, ipsius persuasione Christus occisus est; neque Caiphas tunc immaculatum vitulum, sed hominem dignum morte putabat occidi. Sed, cum Christus Dominus pro Adæ peccato solvendo mortuus sit, adæquate peccatum ad Caipham, et ad omnes homines pertinet. Constat quod pro peccato Caiphæ immolatus sit Christus, sicque Christi mortem Caiphæ peccatum abstulit, et Caiphæ peccatum intulit (253); abstulit originale, intulit **132** actuale. Immolat ergo Christum Caiphas pro peccato suo originali; sed impie hoc agens, incurrit in actuale. Adducit autem illum ad ostium tabernaculi testimonii; quia, secundum ejus consilium, ad judicium mortis adductus est Christus. Ponit manum super caput ejus dum divinitatem Christi, in quo Deus caput est, impugnare, et celare contendit. Ille utique eum immolat, affigens cruci, dum persuasione et consilio eum occidendum tradit. Per hoc autem, quod sanguis ad tabernaculum infertur, arbitror intelligi quod, mortuo Christo, ejus sanguis effusus ipsum etiam cœlum penetravit, ibique vultui Dei Patris pro nobis astiterit, secundum quod Paulus ait : « Non enim in manu facta sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis (*Hebr.* ix, 12). » Introivit ergo, non ut vitulorum, aut hircorum sanguinem spargat, sed ut per proprium sanguinem veniam nobis de peccatis obtineat.

« Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget
« eum septies coram Domino contra faciem san-
« ctuarii. » Quod autem sacerdos, intincto sanguine digito, septies sanguinem contra sanctuarium fundat, illud proprie docet, quod usque ad finem mundi in peccatorum ablutione Christi sanguis spargatur : quod enim septies fit, omni omnino tempore fit, cum septem tantum diebus totus temporis decursus terminetur; convenienter ergo septies Christi sanguis spargitur, quia usque ad sæculi consummationem a sacerdotibus immolatur. Hoc autem contra velum sanctuarii, id est coram æterni Patris præsentia et majestate.

« Ponetque de eodem sanguine super cornua
« altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est
« in tabernaculo testimonii, omnem autem reliquum
« sanguinem fundet in basim altaris holocausti in
« introitu tabernaculi. » Duo hæc certe altaria duos populos repræsentant; non enim solum populus gentiles, qui tunc credere incipiebat, Christi sanguine redemptus est, sed priorem etiam populum, id est Judaicum, ab hostili servitute liberavit, ut utriusque populi animæ redemptæ testificantur, cum sic gratias solvendo decantant : « Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu, populo et natione (*Apoc.* v, 9). » Duo igitur altaria sanguis hostiæ tangit, quia duos populos sanguis Christi redemit.

« Adipem jecoris cum renunculis, sicut auferur
« de vitulo hostiæ pacificorum, adolebit super altare
« holocausti, etc. » Quid hac vituli pinguedine, nisi Christi misericordia innuitur? Quid altari holocausti, nisi cor hominis adumbratur? Tunc igitur vituli adeps super altare ponitur, quando cor hominis Dei misericordia et pietate imbuitur, et ad ipsius Christi exemplum, in proximos efficitur misericors, secundum quod Petrus ait : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini

(252) Alia lectio habet : *in tabernaculum sanctuarii.*

(253) Alius cod. Casinen. habet. *Constat, quia etiam pro peccato Caiphæ immolatus est Christus. Offert igitur Caiphas Christum pro peccato suo, sed quia impie hoc egit*, etc.

Digitized by Google

vestigia ejus (*II Petr.* II, 21) ; » unde, sicut in illius visceribus pietas, et misericordia in homines abundavit, ita corda nostra isto adipe misericordiæ delibuta in proximos necesse est abundare.

« Pellem vero, et omnes carnes cum capite, et « pedibus, et intestinis, et fimo, et reliquo corpore « efferet extra castra, incendetque super lignorum « struem, etc., quæ in loco effusorum cinerum cre- « mabuntur. » Sola hic certe Apostoli verba pro explicatione sufficiant, cum de animalibus agit, quæ extra castra cremantur; et « Jesus, inquit, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes (*Hebr.* XIII, 12). » Apposite Paulus hic loquitur : strues enim lignorum, et Christi improperium crux fuit, in qua corpus ejus crematum fuit. Totus igitur vitulus extra castra crematur, quia totum Christi corpus extra portam patitur. Hucusque de sacerdote per ignorantiam peccante dixisse sufficiat. Ad populum autem ignorantia seductum, et ad ejus expiationis modum transeamus.

« Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et impe- « ritiam fecerit quod contra Domini mandatum est, « et postea intellexerit peccatum suum, offeret vitu- « lum pro peccato, adducetque eum ad ostium « tabernaculi testimonii. Et ponent seniores populi « manum super caput ejus coram Domino. » In quo populus, et turba peccaverit, superius dictum est : nam eumdem vitulum, eadem intentione, atque sacerdos mactavit, unde quidquid illic de sacerdotis victima dicitur, hic de populi victima intelligitur. Quod autem populus, sicut sacerdos, per ignorantiam peccaverit, Petrus testatur, dicens : « Et nunc scio, fratres, quod per ignorantiam fecistis, sicut et patres vestri (*Act.* III, 17). » Item Paulus ait : « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). » Quod item Christi testimonio probari potest, qui pro eis Patrem orando, ait : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » (254) In eo autem quod seniores populi super caput vituli manum quoque imponunt, clare monstratur, quod ipsi simul cum sacerdotibus Christi divinitatem voluerunt abscondere; unde in ejus occisione una cum sacerdotibus numerantur, Scriptura dicente : « Principes sacerdotum, et seniores populi consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent (*Matth.* XXVI, 4). » Circa vero in quod **133** dicitur, quod orante sacerdote pro eis, et aspergente vituli sanguinem contra velum templi coram Domino, eorum delictum mundetur; advertendum est non de illo sacerdote esse intelligendum, de quo supra dictum est, qui per ignorantiam peccaverit, sed de illo, de quo Psalmista ait : « Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV, 8). » Hic enim intincto digito cum sanguine proprio intulit illum in ipsius cœli tabernaculum, quia ut Apostolus ait : « Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, « æterna redemptione inventa (*Hebr.* IX, 12). »

« Si autem peccaverit princeps, et fecerit unum « e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege « prohibetur, et postea intellexerit peccatum suum, « offeret hostiam Domino, hircum de capris imma- « culatum. » Postquam de Judæorum pontifice, et de eorum populo egimus, de Ecclesiæ principibus, id est episcopis, et de eorum subditis exponemus aliqua. Quod enim isti etiam ex ignorantia aliquando delinquant, in semetipso Paulus testificatur, dum se prius blasphemum dixit. Sed, quia per ignorantiam fecit, se misericordiam consecutum ostendit. Quia et de Petro Ecclesiæ principe per ignorantiam peccasse, non incongrue affirmatur; nescire enim is dicitur, qui rem, quam facere debet, totaliter obliviscitur. Atqui si Petrus verbi magistri sui, cum negavit, non esset oblitus, frustra scriptum esset quod postea recordatus est; ait enim evangelista : « Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat (*Luc.* XXII, 61), » etc. Quot insuper Ecclesiæ principes, qui non solum ignoranter, sed etiam scienter delinquunt? Illi autem, si se peccasse intelligunt, hostiam Domino offerre tenentur. Tunc autem id intelligere dicuntur, quando a peccatis, quæ ante commiserant, per pœnitentiam refrenantur. Offerunt autem hi hostiam Domino, id est hostiam, sive hircum pro peccato immaculatum hoc est unusquisque seipsum jam emendatum offerat Domino. De capris quidem, quia de stirpe Adam, de stirpe peccatrice, de stirpe, quæ in omni sobole sua dicit : « In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L, 6). » Offert ergo se unusquisque hircum Domino, dum peccare desinit, et digne incipit pœnitere (255). Qui igitur hircus propter peccatum nominatur, ipse jam per pœnitentiam immaculatus exhibetur.

« Ponetque manum suam super caput ejus. Cum- « que mactaverit eum in loco, ubi mactari solet « holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, « tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro « peccato, tangens cornua altaris holocausti, et « reliquum fundens ad basim ejus. » Manus autem impositio, et sanguinis linitio super cornua altaris quid demonstrent, jam superius dictum est. Puto itaque, quod offerre hircum mactando, idem significet, ac seipsum affligere pœnitendo : qui enim in corde affligitur, bene se coram Deo mactare dicitur; « homo » si quidem, ut ait Scriptura, « videt in facie, Deus autem intuetur cor (*I Reg.* XVI, 7). » Vocat hic Dominus sacerdotem, quem superius principem dixerat, ut de quo principe loquatur, osten-

254) « Etiam in ipso infideli populo et sunt, et fuerunt multi, pro quibus, ut a suo errore convertantur et salventur, Dominus misericorditer oravit, et quod oravit, efficaciter obtinuit, et perfecit. » S. Remig. Lugdun. de tribus epist. lib. XIX.

(255) Lectio alterius cod. Casinen. *Offert vero se ipsum Domino, qui peccare desinit, et digne incipit pœnitere.*

Digitized by Google

dat (256). Quod autem sanguinem fundit, et cum sanguine altare intingit, illud datur intelligi, quod et peccatum expellit et peccati memoriam in corde reponit, secundum id quod legimus : « Et peccatum meum contra me est semper (*Psal.* L, 3). » De pinguedinis autem crematione jam superius explicavimus.

« Rogabitque pro eo sacerdos, et dimittetur ei. » Rogat sacerdos pro principe, rogat sacerdos pro seipso. Contrarium certe videtur, quod idem sit sacerdos et princeps, cum princeps regimen faciat cum rigore, sacerdos vero cum clementia exerceat misericordiam. Unde unus quodammodo violenter præest, alius vero misericorditer interpellat; et tamen in uno principe, eodemque sacerdote recte conveniunt, quandoquidem de eo, in quo foris per rigorem excessit, intus per dolorem ingemiscit. Tunc pro principe orat sacerdos; cum pro his, in quibus foris præcipiendo deliquit, intus sacrificando ingemiscit.

« Quod si peccaverit anima per ignorantiam de « populo terræ, ut faciat quidquam ex iis, quæ lege « Domini prohibentur, atque delinquat, et ignora- « verit peccatum suum, offerat capram immacula- « tam, ponatque manum super caput hostiæ, » etc. Hæc anima de populo terræ, quæ per ignorantiam peccat, unumquemque subditorum repræsentat, unde jam clare ostenditur quam rectus ordo in mandatis tradendis observetur. Nam cum de veteri Ecclesia, id est de Judæorum populo egit, prius de pontifice, et postea de populo tractavit; quando vero de novæ Ecclesiæ ministris agitur, idem rectus ordo dicendi observatur. Postquam enim de principe, seu episcopo sanctificando agitur, ad subditorum expiationem convenienter transitur. Hæc igitur anima de populo terræ, sive subditus quisque frequenter per ignorantiam peccat; quia facile bonum ab homine despicitur, et pro bono malum eligitur. Capram vero iste pro peccato suo offerre jubetur, quod tunc fit, quando propriam carnem per rigidam pœnitentiam macerat, cui ideo fortassis pœnitendi modus clare ostenditur; determinatum autem ejus tempus non indicatur, ut tandiu pœnitere intelligat, quandiu sanguinem a corde **134** non separat. Qui autem, quam grave sit per ignorantiam delinquere, scire desiderat, canones supra positos attente consideret, et ex pœna, quam sibi in illis inflictam invenerit, culpæ gravitatem statim percipiet. Cui enim manus super hostiam tenere, id est carnis superbiam pœnitentia reprimere, et circa cordis altare sanguinem fundere, id est cor suum continua peccatorum memoria informare, omnemque pinguedinem cremare præcipitur, non mediocris quidem pœnitentia injungitur.

CAPUT V.

« Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, « testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius « est : nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. » Contra hoc legis mandatum Judæos peccasse, notum est, qui jurantis vocem toties audiendo occultarunt. Quam enim hic jurantis vocem intelligimus? nisi illam, quam ipsi et nos de Christo Domino sæpius audivimus : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX, 5). » Hanc vocem sæpius auditam ab eis, non solum non propalarunt, sed occultare curaverunt. Quia ergo Christi regnum et sacerdotium non prædicarunt, ipsi iniquitatem portabunt. Nec autem solum hoc in Judæos putemus dictum, sed et dixisse de omnibus verbis Domini, hoc præceptum necesse est, intelligatur. Nam omne quod ipse dixit juramentum esse conspicitur; siquidem firmum semper et stabile reperitur, secundum quod ipse dixit : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Matth.* XXIV, 35). » Quicunque igitur Dei voluntatem scit vel audit, et non facit, vapulabit multis. Nemo enim melius judicat et prædicat quod scit aut audit, quam qui illud exercet quod Dominus affirmando mandavit. Melius enim aliquid agendo suadetur, quam prædicando judicatur. « Si non dimiseritis, dicit Dominus, peccata hominibus adversum vos, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI, 15). » Hoc certe juramentum est quod illi soli bene intelligere prædicant, qui in se peccantibus peccata condonant.

« Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, sive « quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, « vel quodlibet aliud reptile, et oblita fuerit im- « munditiæ suæ, rea est, et deliquit. » A tribus immunditiam provenire docet hic locus; a bestia scilicet occisi, aut per se mortui, et a reptilium contactu. Ex quo certe exemplo animæ nostræ munditiæ necesse est ut sumamus documentum. Per illum igitur, qui a bestiis occiditur, quisquis ab hæreticis deceptus est, jure optimo intelligitur. Unde fideles ab hæreticis liberari Psalmista exposcit, cum ait : « Ne tradas bestiis animas confitentes tibi (*Psal.* LXXIX, 19). » Ille vero per seipsum necatur, qui in aliquam hæresim vel grande peccatum propria voluntate præcipitatur. Per reptile vero, quod toto pectore terra prosternitur, et ad superna nunquam erigitur, ille procul dubio significatur, qui toto animi conatu terrena desiderat, neque cœlestia aliquando considerat. Toties igitur anima in mortis periculum injicitur, quoties hæreticorum consortio copulatur; toties in immunditiam incurrit, quoties se cum istis peccatoribus conjungit; nam qui tangit picem inquinabitur ab illa. Hic tales homines tangere, nihil aliud innuit, quam ut eis credere, cum eis communicare eorumque facta imitari significet.

« Et si tetigerit quidpiam de immunditia hominis,

(256) Idem cod. Casin. supracit. *Quem enim superius principem dixerat, nunc sacerdotem appellat, ut de quo principe loquatur, apertius intelligatur.*

Digitized by Google

« juxta omnem impuritatem qua pollui solet, obli- A « taque cognoverit postea, subjacebit delicto. » Post quam de hæreticorum consortio actum est, de eorum dogmatibus sermo inseritur. Homo enim per immunditiam pollutus illum certe significat qui jam est hæreticus constitutus. Hujus igitur doctrina immunditia est et pollutio, quæ tunc quasi semen male infunditur, quando ex ejus communicatione alius hæreticus constituitur.

« Anima, quæ juraverit et protulerit labiis suis, « ut vel male quid faceret vel bene, et idipsum « juramento et sermone firmaverit, oblitaque intel- « lexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro pecca- « to suo, et offerat de gregibus agnam sive capram, « orabitque pro ea sacerdos et pro peccato ejus. » Quid hoc loco significat jurare, quod male faciet, B nisi quod quis carnem suam pœnitentia affligere et jejuniis macerare Deo promittat? Quis autem bene facere jurat, nisi qui Dei mandata observare se obligat, juxta illud Psalmistæ : « Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ (*Psal.* CXVIII, 106). » Unde ille juramenti quod fecit oblivisci dicitur, qui id quod Deo promisit non operatur. Iste igitur, qui non exercendo quod vovit, se ostendit oblitum, agendo pœnitentiam se præbeat recordatum. Quam autem pœnitentiam faciet, littera textus insinuat, cum ait : « Offerat agnam, » etc. Nam agnam immaculatam Domino offert, qui se ab omni peccatorum malitia illæsum custodit. Ut igitur anima se agnam simplicem reddat, ab omni peccaminosa occasione prorsus se abstineat, non modicam faciet pœniten- C tiam.

« Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat « duas turtures, vel duos pullos columbarum Do- « mino, unum pro peccato, et alterum in holo- « caustum, dabitque eas sacerdoti, qui primum « offerens pro peccato retorquebit caput ejus, « etc. » Ecce ex legis tenore pauperibus providetur, et spiritualis intelligentia non mutatur. **135** Ideo enim secundum litteram, pro agna, vel capra, turtur, et columba apponitur, ut in pauperibus immolationis decretum omnimode observetur. Ita tamen secundum spiritualem intelligentiam eadem commutatio agitur, ut idem per turturem et columbam, atque per agnam et capram D intelligatur. Quid enim per turturem continuo gementem, nisi caro afflicta intelligatur? Quid enim per simplicem columbam, nisi agnæ innocentia designatur? Pro capra igitur turturem, et pro agna columbam offert, qui pœnitentia carnem affligit, et spiritum ab omni dolo immaculatum custodit. Unde jam patet quod in hac commutatione pauperum inopiæ subvenitur, et ritus sacrificii non mutatur. Ideo autem hæ aves, per quas caro et spiritus designantur, sacerdoti tradi jubentur, ut inde pœnitens addiscat, quod se totum arbitrio sacerdotis committat. Tunc autem sacerdos turturem pro peccato offert, quando carnis afflictionem ante Dei conspectum orando proponit.

« Retorquebit caput ejus ad pennulas ; ita ut collo « hæreat, et non penitus abrumpatur. Et asperget « de sanguine ejus parietem altaris. » Tunc sacerdos caput avis ad pennulas retorquet, quando pœnitentem demisso capite incedere, de peccatis erubescere, et nequaquam superbire suadet. In eo vero, quod caput vi a collo non abstrahi, sed ibi inhærere præcipitur; illud, ut puto, significatur quod animi scilicet submissio, quam unusquisque deinceps habere debet, potius voluntaria quam violenta videatur. Hujus denique primæ avis sanguine tunc altare imbuitur, cum pœnitentis cor peccatorum memoria tribulatur. « Alteram vero « adolebit in holocaustum. » Tunc alteram avem sacerdos in holocaustum adolet, cum suis verbis et monitis pœnitentis animum in Dei amorem totum incendit.

« Quod si non quiverit manus ejus duos offerre « turtures, aut duos pullos columbarum, offeret « pro peccato suo similæ partem ephi decimam, « nec mittet in eam oleum, nec thuris aliquid im- « ponet, quia pro peccato est, tradetque eam sacer- « doti, qui plenum ex ea pugillum hauriens, cre- « mabit super altare in monumentum ejus, qui ob- « tulerit, rogans pro illo, et expians; reliquam vero « partem ipse habebit in munere. » Ecce iterum pauperum inopiæ impensius intenditur, et ritus sacrificii non mutatur. Idem enim per similam, quod per capram et turturem significatur. Illud autem, quod similæ ephi pars decima offerri præcipitur ad locum Evangelii spectare videtur, in quo unius ex decem drachmis deperditæ inventione mulier illa lætatur, per quam mater Ecclesia intelligitur. Tunc enim unam ex decem drachmis Ecclesia perdit, quando aliquis ex fidelibus peccatum committit, tunc autem se invenisse lætatur, quando qui peccavit coram sacerdote contrito corde præsentatur. Qui igitur per peccatum vas perditum, secundum Psalmistam, ex drachma efficitur, in drachmam inventam per cordis contritionem ex vase deperdito instauratur. « Non mittet in eam oleum, neque « thuris aliquid imponet, quia pro peccato est, » etc. Ille sine oleo similam pro peccato offert, qui carnem suam, quam pœnitentia macerat, ab omni prorsus oblectamento alienat. Thus item non imponit, qui eam ab omni suavitate sejungit; ita potius videatur ex verberibus putrida, quam unguentis optimis delibuta; sine oleo namque, sine thure similam pro peccato obtulit, qui de propria pœnitentia dixit: « Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ (*Psal.* XXXVII, 6). »—« Tradatque eam sacerdoti, » etc. Tunc pœnitens sacerdoti similam tradit, cum se totum ejus ditioni committit, cujus similæ partem tunc super altare sacerdos incendit, quando pœnitentis afflictionem Deo suis precibus offert. Tunc autem sibi partem reservat, quando pro eo maceratur et affligitur jejuniis. Bene autem sacerdos pro munere maximo habere debet, quod propria pœnitentia peccatorem sublevet, ne

Digitized by Google

tanquam Pharisæus illud de se audiat, quod onera gravia aliis super humeros imponat; ipse vero illa digito non moveat; cum enim peccata populi comedere dicitur, ad illorum solutionis partem saltem constringitur.

« Anima, si prævaricans cæremonias per errorem, « in his, quæ sunt Domino sanctificata, peccaverit, « offerat pro delicto suo arietem immaculatum de « gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta « pondus sanctuarii : ipsumque quod intulit damni, « restituet, et quintam partem ponet supra, tra- « dens sacerdoti, qui rogabit pro eo, offerens arie- « tem, et dimittetur ei. » De sacrilegis hominibus locus iste agere videtur, cujus crimen pro capitali ab omnibus reputatur; quibus si restitutio pro pœna imponitur, et pars quinta insuper persolvi jubetur, non tamen ut decet, puniri videntur. Inter sacrilegos autem ille gravius peccat, qui divina mysteria irreverenter evacuat; unde capitale hoc crimen fugere Apostolus admonet, cum sic nos exhortando persuadet : « Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis (*II Cor.* VI, 1). » Hinc illa anima, in iis, quæ Domino sunt consecrata, peccare videtur, per quam fides integra sacramentis non adhibetur; dum enim, secundum quod potest, gratiam non acquirit ab illis, maximum certe sacrilegium committit. Hic autem arietem immaculatum offerre præcipitur, ut non qualemcunque, sed qui duobus siclis comparetur. Per arietem sane intelligitur ille ipse, qui ante sacrilegus dicitur, qui, ubi primum per pœnitentiam ab errore recedit, immaculati arietis personam statim assumit. Emitur autem siclis duobus; dum duorum testamentorum præceptis informatus **136** efficitur. Si enim adhuc utrique Testamento, et eorum verbis plenam fidem non adhibet, immaculati arietis formam non accipit. Ille quidem duobus tantum siclis sanctuarii ponderis emitur, qui a duorum Testamentorum verbis instruitur, et ab errore suo penitus vindicatur. Tunc autem quod intulit damni bene persolvit, cum pro commissis peccatis pœnitentiam subit. Quintam denique partem insuper addit, cum nullo ex quinque sensibus peccat.

CAPUT VI.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: « Præcipe Aaron, et filiis ejus. Hæc est lex holocau- « sti : crematur in altari tota nocte usque mane; « ignis ex eodem altari erit. Vestietur tunica sa- « cerdos et feminalibus lineis : tolletque cineres, « quos vorax ignis excussit, et ponens juxta altare, « spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis « efferet eos extra castra, et in loco mundissimo « usque ad favillam consumi faciet. Ignis autem in « altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, « subjiciens ligna mane per singulos dies, et impo- « sito holocausto desuper adolebit adipes pacifico- « rum. » Ut quæ de holocausti ritu hic proponuntur, ab unoquoque nostrum spiritualiter intelligantur, illud Apostoli necesse est recordemur, dicentis: « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, 17). » Si igitur nos ipsi templum Dei sumus, intra nosmetipsos ad holocaustum inflammandum idoneum altare et sacerdotem quæramus. Altare ergo cor humanum esse, et intellectum sacerdotem non incongrue intelligimus; unde ille intellectus tanquam sacerdos tunica hyacinthina induitur, qui totum quod intelligit, desursum accepisse fatetur, secundum illud : « Omnis sapientia a Deo est (*Eccli.* I, 1). » Qui si sincerus et castus reperitur, tunc feminalibus lineis indui perhibetur, in quibus castitatis observantia innuitur et legis custodia designatur. Altare continuo existit, amoris et charitatis ignem in eo semper accendit, quo igne divinas Scripturas investigando et in illis divina mandata cognoscendo, gratiarum et confessionis gratissimum illi holocaustum inflammat, per quod illum valde mitigat et delectatur. Hoc autem holocaustum ideo tota nocte inflammari præcipitur, ut per totum vitæ tempus id faciendum esse intelligatur. Ignis autem iste ex eodem altari esse ideo dicitur, ut amor iste, quo cor nostrum incenditur, in corde generari et ab eo procedere intelligatur.

« Tolletque sacerdos cineres, quos vorax ignis « excussit, et ponet juxta altare, » etc. Audis quod vorax ignis holocaustum incendit et in cineres totum convertit. Amor discendi Dei mirabilia et veritatem investigandi, profunda Scripturarum mysteria quodammodo vincit et ad intelligentiæ facilitatem perducit. Hoc est enim holocaustum incendere, quod sanctarum Scripturarum mysteria penetrare. Hoc igitur cineres tollit sacerdos et juxta altare ponit, quando quidquid intellectus investigando discernere et intelligere valet, hoc totum cordi et memoriæ tradit. Postea vero spoliatus prioribus vestimentis, aliisque indutus, effert cineres extra castra et in loco mundissimo usque ad favillam consumi facit. Diligenter attende quod dicitur: Vult sacerdotem egredi extra castra; vult cineres holocausti foras efferri : sed ad quid, nisi ut eos iterum possit incendere? Aliis igitur vestimentis induitur, cum ad hoc agendum præparatur. Sed quæ sunt hæc vestimenta, sine quibus intellectualis sacerdos cineres foras non potest ferre? Ego quidem has vestes litteras, sermones et voces esse puto, quibus nisi induatur, nec foras egredi, nec quidquam intelligere posse videtur. Quis enim unquam intelligeret, quid intellectus intus ageret, nisi ipse voce indutus, extra per linguam et collocutionem se duceret? Sic ergo sacerdos indutus fert cineres extra castra, cineres, inquam, quia si adhuc intactam et nondum meditatam Scripturam foras efferret, fortassis quid diceret non haberet. Iterum autem delatos cineres foras incendit, dum mysteria Dei, quæ intus penetravit, verbis exponit, hoc autem in loco mundissimo, id est in justorum hominum congregatione. Scriptum est enim : « Nolite sanctum dare canibus, neque spargere margaritas ante porcos (*Matth.* VII, 6). » Usque ad favillam

Digitized by Google

autem sacerdos iste holocausti cineres consumit, quando usque ad plenam intelligentiam sanctarum Scripturarum difficultates explanat. Ignis vero iste, qui nunquam deficit in altari, sed perpetuo ardere convenit, intermissæ dilectionis in corde fidelium ardorem imponit: si enim hic ignis ab intellectu abfuerit, omne prorsus sacerdotis officium inutile erit. In hoc ergo sacerdos diligenter studeat ut amoris ignem continuo nutriat, et per singulos dies ligna subjiciat; recordetur scilicet Dei misericordiæ, recordetur quid fecerit et quid diligentibus se præbere promiserit. His enim et similibus lignis de sanctarum Scripturarum silva collectis ignis iste succenditur, et in Dei dilectionem maxime inflammatur. Super hunc igitur ignem, o sacerdos, pone holocaustum, ut immoles Deo sacrificium laudis; hic est enim adeps pacificorum, cujus pinguedine Deum demulces. Iste est ignis perpetuus, qui nunquam deficiet in altare, quia « aquæ multæ non possunt exstinguere charitatem (*Cant.* VIII, 7). »

« Hæc est lex sacrificii, et libamentorum, quæ « offerent filii Aaron coram Domino, et coram altari. « Tollet sacerdos pugillum similæ, **137** quæ con- « spersa est oleo, et totum thus, quod super similam « positum est, adolebit illud in altari, in monumentum « odoris suavissimi Domino. Reliquampartem simi- « læ comedet Aaron cum filiis suis, absque fer- « mento, et comedet eam in loco sanctotabernaculi. » Inter sacrificium et libamen nulla quærenda est distinctio, cum una utrique eademque sit significatio. Nam, cum antiquitus sacrificia fierent ex simila, statim libamina erant Deo gratissima. Per filios autem Aaron, quibus hæc de libaminibus injunguntur, bene Ecclesiæ episcopi et sacerdotes designantur, qui ideo coram Domino libamina hæc offerre dicuntur, quia in Dei præsentia semper existunt, et interna ejus illustratione illuminantur. Quid autem sit per similam, per thus et per oleum significatum, jam capite superiore manet expositum. Ideo autem non totam similam, sed plenum pugillum sacerdos immolare jubetur, ut divinorum secretorum ea tantummodo populo prædicando revelet, quæ ejus intelligentiæ sufficere posse cognoscet; reliquam vero Aaron, et filii ejus comedere præcipiuntur; id est illi soli, qui in sacris voluminibus semper studendo exercitantur. Absque fermento autem illam comedere, quid aliud est, nisi mysteria hæc sine pravitatis errore et percipere et docere. Hoc autem non ubicunque, sed in loco sanctuarii tabernaculi comedere jubentur, id est in loco secreto, ubi ab incapacibus non audiantur; quod quidem tunc sacerdotes faciunt, quando inter se solos de legis doctrina et præceptis disputant. Ipsi enim sunt sanctuaria et Dei tabernacula, in quibus hæc omnia bene manent occulta; et quia etiam pars hujus similæ ad fidei sacramentum pertinere videtur, ideo tota sine fermento et corruptione comedi præcipitur, ne forte cum quis incaute comedit, in locum aliquem incidat, quem si anima prave intelligat, erroris periculo se exponat; unde bene subditur in contextu: « Mares « tantum stirpis Aaron comedent illud: » nam mares hic sapientiores et fortiores intelliguntur, a quibus Dei mandata melius percipiuntur, et religiosius observantur, istis enim tantum discutere et scire licet, quæ reliquis audire non permittitur. Deinde sequitur: « Omnis qui tetigerit illa, sancti- « ficabitur. » Firmiter namque tangit, qui quæ fideliter credit, opere exercet; credere enim tantum videre est; agere vero quod creditur, tangere est. Sequitur:

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Hæc « est oblatio Aaron et filiorum ejus, quam offerre « debent Domino in die unctionis suæ. Decimam « partem ephi offerent similæ in sacrificio sempi- « terno, medium ejus mane, et medium vespere, quæ « in sartagine oleo conspersa frigetur. » Si enim per Aaron et filios ejus, episcopos et sacerdotes intelligimus, utique ad episcopos et sacerdotes hæc oblatio pertinere videtur. Hanc autem offerre debent in die unctionis suæ, id est omni tempore vitæ suæ; unde et in sacrificio sempiterno offerri præcipitur. Non enim in sempiternum offertur, quod uno tantum die offertur, nisi ipse unus dies sempiternus intelligatur. Non igitur uno, sed omni die episcopus et sacerdos inungi et sanctificari, et seipso melior fieri debet. Offerunt similæ decimam partem ephi. Quid enim per similam, nisi sacerdotis carnem intelligimus? Quæ dum compunctionis mola teritur, et affligitur, suo bono exemplo, quasi quodam cibo cæteros nutrit. Qui autem partem decimam offert, seipsum penitus offert, quia omnis homo decima est. Unde et drachma decima in Evangelio appellatur. De Levi quoque Apostolus ait: « Qui decimas accipit, decimatus est (*Hebr.* VII, 9). » Merito igitur filii Aaron decimæ vocantur. Sed quia mane et vespere diem et noctem significant, medium suæ oblationis mane et medium vespere sacerdos offerre debet; ut die ac nocte et omni tempore ab hac immolatione non desistat. De qua adhuc subditur: « Quæ in « sartagine oleo conspersa frigitur. » Qualiter autem in cordis sartagine hæc oblatio supernæ unctionis oleo conspersa frigitur, illi soli intelligunt, qui eam offerre consueverunt. Postquam autem hæc frixura igne spiritus ferventius incalescere incipit, jam quasi extra se, et quodam modo altius homo elevatus, suæ ditionis non esse videtur. Offert autem eam calidam in odorem suavissimum Domino sacerdos, qui patri jure successerit. Et tota oblatio cremabitur in altari; omne enim sacrificium sacerdotum igne consumatur, nec quisquam comedet ex eo, et hoc quidem melius sentiendo, quam exponendo intelligimus. Non enim potest calida non esse, quæ igne spiritus undique circumdata, tota crematur, tota frigitur et tota oleo peruncta igne consumitur. Quod autem ait: « Nec quisquam comedet ex eo, » ad hoc valere puto, ut non ob sui ostentationem, quod hypocritæ faciunt, sed in secreto et in cordis secretario tam sanctam oblationem sacerdos Domino

Digitized by Google

offerat. Hanc ergo offerre debet, cum et tempore et loco mens ejus supernæ vacat contemplationi. Sequitur :

« Ista est lex hostiæ pro peccato. In loco ubi « offertur holocaustum immolabitur coram Domino. « Sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offert, co- « medet eum in loco sancto, in atrio tabernaculi. « Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si « de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur « in loco sancto : vas autem fictile in quo cocta « est, confringetur : quod si æneum fuerit, de- « fricabitur et lavabitur aqua. Omnis enim mas- « culus de genere sacerdotali vescetur carnibus « ejus, quia Sanctum sanctorum est. » **138** Hanc enim hostiam, qua peccata solvuntur, quam soli sacerdoti et masculis de genere ejus comedere licet, illam esse intelligo, quæ quotidie in sancta Ecclesia a sacerdotibus immolatur. Masculus enim iste non sexu, sed fide, sapientia, fortitudine et constantia indicatur, qui non serpenti facile credat, ut hæreticis succumbat. « Qui tetigerit carnes ejus sanctificabitur ; » hoc est enim, ut ipse Dominus ait : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam (*Joan.* VI, 55). »— « Si de sanguine illius fuerit conspersa, lavabitur aqua. » Ut quid enim vestis aqua lavatur, quæ tactu sanguinis sanctificata est ? nisi quia sola Christi sanguinis aspersione mundantur qui in S. Ecclesia aqua baptismatis regenerantur. Ideoque de Salvatoris nostri latere sanguis simul cum aqua manavit. Vas autem fictile, in quo cocta est frangitur : æneum autem fricatur et lavatur aqua : nos enim vasa sumus, in quibus Christi caro coquitur, si tamen ipsius passionis memores sumus. Unde ipse ait : « Hoc facite in meam commemorationem (*I Cor.* XI, 24). » Quod Apostolus exposuit, dicens : « Quoties- cunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat (*ibid.*, 26). » Nos ergo frangi, nos fricari, nos lavari debemus : unum enim idemque hæc tria significant. Qui enim pœnitentia et compunctione affligitur et maceratur, ille utique et frangitur, et fricatur, et lavatur. Idem autem ipsi secundum aliud et aliud, et fictilia vasa sumus et ænea ; fictilia quidem, quia de terra ; unde Apostolus : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV, 7) ; » ænea vero, quia in Dei laudibus clare personamus ; nihil enim ære clarius sonat. Et de hac quidem hostia, quæ in Christi commemorationem mirabiliter fit, comedere licet ; de illa vero quam ipse Jesus in ara crucis obtulit, nulli secundum se comedere licet. Quod septuaginta discipuli male intelligentes cum Christus carnem suam eis offerret ad manducandum scandalizati abiere retrorsum ; corporaliter enim carnem Christi, quam videbant, non in sacramento, sed in frusta concisam se comedere debere arbitrabantur ; de qua et subditur : « Hostia enim « quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur « in tabernaculum testimonii ad expiandum, in san- « ctuario non comedetur, sed comburetur igni : » igni utique passionis. Hoc autem Apostoli testimonio sufficienter superius expositum est. Sequitur :

CAPUT VII.

« Hæc quoque est lex hostiæ pro delicto, Sancta « sanctorum est : idcirco ubi mactabitur holocau- « stum, mactabitur et victima pro delicto : sanguis « ejus per gyrum altaris fundetur. Offerent ex ea « caudam et adipem, qui operit vitalia, duos re- « nunculos et pinguedinem, quæ juxta illa est, « reticulumque jecoris cum renunculis, et ado- « lebit ea sacerdos super altare : incensum est « Domino pro delicto. Omnis masculus de sacerdo- « tali genere in loco sancto vescetur his carnibus, « quia Sanctum sanctorum est. Sicut pro peccato « offertur hostia, ita et pro delicto, utriusque hostiæ « lex una erit. » Quamvis enim peccatum atque delictum sæpe indifferenter pro eodem ponantur, differt tamen peccatum a delicto. Facere enim contra mandatum peccatum est ; non facere vero quod mandatum præcepit, delictum. Qui enim occidit, contra mandatum facit, quo dicitur : « Non occides (*Exod.* XX, 13). » Qui vero patrem, et matrem non honorat, mandatum negligit, et derelinquit, quo jubetur : « Honora patrem et matrem (*ibid.*, 12). » Unde delictum quasi derelictum dici videtur, ab eo quod mandatum derelinquatur. Et quia utriusque hostiæ est lex una, utriusque hostiæ sit expositio una. Cujus videlicet hostiæ sanguis funditur per gyrum altaris, ut semper corda nostra in Christi sanguine natent et nunquam passionis ejus obliviscamur. Unde etiam et caudam ejus offerre jubemur ; ultima enim corporis pars cauda est, quam ipse quoque Salvator offerens, ait : « Consummatum est : » et statim, inquit evangelista, « inclinato capite emisit spiritum (*Joan* XIX, 30). » Hujus ergo finis, hujus extremitatis, hujus caudæ semper memores simus, in qua Christus pro nobis spiritum emisit : offeramus adipem, pinguedinem et renes ejus ; dicamus, prædicemus et laudemus pietatem, misericordiam, castitatem et continentiam ejus. Hoc est enim sacrificium laudis. « Et sacrificium laudis, inquit, honorificabit me (*Psal.* XLIX, 23). » Breviter ista transcurrimus, quoniam facile per supradicta intelligi possunt. Sequitur :

« Sacerdos, qui offert victimam holocausti, ha- « bebit pellem ejus, et omne sacrificium similæ, « quod coquitur in clibano, et quidquid in craticula, « vel in sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis a « quo offertur, sive oleo conspersa sit, sive arida « fuerit, cunctis filiis Aaron æqua mensura per sin- « gulos dividetur. » Hoc audiant importuni et insatiabiles sacerdotes, qui expensas ecclesiasticas cum cæteris partiri refugiunt. Sed quia per victimam Christi Dei verbum et Dei sapientiam intelligimus, quid per pellem, nisi litteram, qua spiritualis intelligentia tegitur, significamus ? Sicut enim quondam verbum et sapientia Dei latebat in carne, sic et modo nisi subtracta pelle, et litteræ velamine, non

Digitized by Google

apparet. Sacerdos ergo, qui offert victimam, habebit pellem ejus. Quod si de Caipha, qui Christum morti tradidit, intelligatur, perspicuum est; nam et ipse sicut et cæteri Judæi, nihil nisi pellem et litteram in divina Scriptura considerabat. Nobis quoque pellis ista valde necessaria est, **139** quoniam nisi pelle cognita, carnes difficiliter comeduntur. In promptu ergo et in potestate pellem, litteram et historiam semper habemus. Sequitur :

« Hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur « Domino; si pro gratiarum actione fuerit oblatio, « offerent panes absque fermento conspersos oleo, et « lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, et « collyridas olei admistione conspersas. » Quia enim omnibus hostiis pacificatur Deus, pene omnes hostiæ pacificorum dici possunt. Si autem pro gratiarum actione fiunt oblationes (257), ut pro tantis ab eo susceptis beneficiis Domino gratias agere velimus, offeramus panes et lagana similamque coctam atque collyridas; omnia autem azyma et sine fermento, omnia insuper oleo peruncta. Nos enim ipsi hæc omnia sumus. De nobis enim Apostolus dicit : « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi (*I Cor.* v, 7). » Si ergo azymi sumus, si incorrupti et sinceri sumus, offeramus Deo nos ipsos, ut Dei imago reddatur Deo; tali enim cibo delectatur Deus, sicut esca diaboli sunt peccatores, ita et sancti sunt cibus Dei, omnes oleo peruncti, omnes Spiritus sancti gratia delibuti, omnes Dei misericordia perfusi. Sequitur :

« Panes quoque fermentatos, cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis, ex quibus unus « pro primitiis offeretur Domino, et erit sacerdotis, « qui fundet hostiæ sanguinem : cujus carnes eadem « comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam « usque mane. » Qui sunt isti panes fermentati, qui cum hostia gratiarum offeruntur? mirum si non sunt duo illi latrones, qui simul cum Domino sunt crucifixi : « Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino : » pro primitiis quidem, quia in Christi passione ipse prius credidit; unde et a Domino audire meruit : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43). » Hoc est enim quod ait : « Et erit sacerdotis, qui fundet hostiæ sanguinem. » Illius enim sacerdotis est iste panis, qui non alium, nisi proprium pro nobis sanguinem fudit, cujus carnes comedentur eadem die. Qua die? Ea utique qua hostia offeretur. Omni ergo die comedentur, siquidem omni die hostia offertur. Quid est ergo quod sequitur : « Nec remanebit ex eis quidquam usque mane? » Quid est hoc mane? hujus utique noctis, hujus vitæ finis, et illius diei initium quo sol justitiæ orietur : tunc non erit tempus has carnes comedendi; tunc non erit tempus ad fidem convertendi. Credere enim comedere est. Vis has carnes comedere? crede et manducasti. Sequitur.

« Si voto vel sponte quisquam obtulerit hostiam, « eadem similiter edetur die. Sed et si quid in cra« stinum remanserit, vesci licitum est : quidquid au« tem tertius invenerit dies, ignis absumet. Si quis de « carnibus victimæ pacificorum die tertia comede« rit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti; quin « potius quæcunque anima tali se edulio contamina« verit, prævaricationis rea erit. » Hæc etenim hostia, sicut et superior Christum significat : Christus enim et voto, et sponte seipsum obtulit : voto quidem, quia sic disposuerat, sic ordinaverat, sic ipse de se ante tempora prædestinaverat; sponte vero, quia omnipotens est. Sed qui sunt hi duo dies, in quibus has carnes edere licet? Et qui est dies tertius in quo comedere non licet? Ego quidem duos dies, duo Testamenta intelligo, in quibus nimirum hæ carnes comeduntur, quia eorum revelatione, illuminatione atque doctrina creduntur et intelliguntur. Primus enim dies liber iste est, qui nos modo ista docet, quo docente Moyses et Aaron, et multi alii Christi carnem comederunt. Secundus vero dies Evangelium est, in quo multo manifestius Christus immolatur et creditur, manducatur et bibitur. Veniamus nunc ad tertium diem; sed non comedamus in eo, ut non credamus ei, quia tenebrosus est; sine sole et lumine est, cæcus totus et erroneus est. Per hunc enim pravam hæreticorum doctrinam intelligimus, in qua multæ de Christo sonant blasphemiæ. Si quis ergo secundum hanc doctrinam Christum immolaverit, crediderit et comederit, nihil ei proderit : quin potius quæcunque anima tali se edulio contaminaverit; et his credendo, erraverit, prævaricationis rea erit. Talis enim dies Berengarius quidem exstitit, qui de corpore et sanguine Christi philosophice disputando ad impossibilia nos ducebat. Nos tamen, quod ratione non comprehendimus, igne spiritus et charitatis absumimus, et non tantum argumentis, quam sanctorum fidei et auctoritatibus credimus. Unde et hic dicitur : « Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet. » In quibus enim hæreticis ratione et argumentis resistere non possumus, fide, et auctoritate, et charitatis igne resistimus. Sequitur :

« Caro, quæ aliquid tetigerit immundum non co« medetur, sed comburetur igni : qui fuerit mun« dus vescetur ex ea. » Qui enim hæreticis crediderit, non in Ecclesiæ corpus trajicietur; sed igni æterno comburetur. Quid enim sit immundum tangere, jam superius expositum est :

« Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ « pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de « populis suis (258). Et quæ tetigerit immunditiam « hominis, vel jumenti, sive omnis rei, quæ polluere « potest, et comederit de hujusmodi carnibus inter« ibit de **140** populis suis. » Hoc enim breviter Apostolus exposuit, dicens : « Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit,

(257) Cod. Casin. *fuerit oblatio.*
(258) Cod. bibl. Mont. Amiat. *peribit de populo ejus*, ita et infra.

Digitized by Google

« non dijudicans corpus Domini (*I Cor.* XI, 29). » A Breviter exposuimus, quia vigilantibus loquimur, et solis masculis de genere Aaron tradere disposuimus.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Loquere filiis Israel : Adipem bovis, et ovis, et ca- « præ non comedetis. Adipem cadaveris morticini, « et ejus animalis quod a bestia captum est, habe- « bitis in usus varios. Si quis adipem, qui offerri « debet in incensum Domini, comederit, peribit de « populo suo. Sanguinem quoque omnis animalis « non sumetis (259) in cibum, tam de avibus, quam « de pecoribus. Omnis enim anima, quæ ederit « sanguinem, peribit de populis suis. » Hæc autem quamvis superius sufficienter exposita sint, pauca tamen de his dicamus. Hic enim non de adipe carnis, B sed de adipe animæ dicere videtur. Animæ autem adeps atque pinguedo, sapientia, fides, charitas, cæteræque virtutes sunt; pinguis enim est illa anima, quæ his abundat, sicut econtrario macra est, quæ ista non habet. Sanguis enim pro anima ponitur, quoniam sedes animæ sanguis est. Unde in hoc eodem libro in sequentibus dicitur : Anima omnis carnis in sanguine (260) est. Interdicit igitur Dominus adipem, et sanguinem comedere, secundum illam significationem, qua dicitur : « Quia comederunt Jacob (*Psal.* LXXVIII, 7). » Sic enim comedere, quid aliud est, nisi persequi, perdere et occidere? Magnum ergo peccatum est adipem et sanguinem comedere. Adipem autem morticini, et a C bestia capti animalis in varios usus habere licet; quia hæreticorum et philosophorum scientia sæpe nobis in multis utilis est. Sæpe enim nobis Aristotelis, Priscianis et Origenis scientia necessaria est. Sequitur :

« Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat « simul et sacrificium, id est libamenta ejus. Tenebit « manibus adipem hostiæ et pectusculum. Cumque « ambo oblata Domino consecraverit, tradat sacer- « doti qui adolebit adipem super altare. Pectuscu- « lum autem erit Aaron et filiorum ejus. » Pacificorum enim omnis victima, quia Deum nobis pacificamus; libamenta vero omne azymum intelligimus. Non ergo sine libamentis pacificorum victima offeratur, quia non proderit hostia, quæ oblata non fue- D rit in azymis sinceritatis et veritatis. Sed quid est quod adipem atque pectusculum, quod homo Deo consecravit et devovit, sacerdoti Dominus tradere jubet? Vult enim Dominus ut pectora nostra sacerdotibus demus atque aperiamus, quatenus eorum consiliis, et doctrina repleantur. Demus eis adipem nostrum, confiteamur eis peccata nostra; dicamus eis quid male pinguis lasciviendo fecerit caro nostra. Ipsorum est adolere adipem, ipsorum est incendere et delere peccata.

« Armus quoque dexter de pacificorum hostiis « cedet in primitias sacerdoti. Qui obtulerit adipem, « et sanguinem filiorum Aaron, ipse habebit et « armum dextrum in portione sua. Pectusculum « enim elationis et armum separationis tuli a filiis « Israel de hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron « ac filiis ejus lege perpetua ab omni populo Is- « rael. » Ideo enim armus dexter sacerdotibus datur, quoniam fortes esse debent ad aliorum ferenda peccata. Datur eis et pectusculum, quoniam qui aliorum pectora replent, sine pectore esse non debent. Quasi igitur ad pectus suum, quasi ad sapientiæ secretarium, totus ad eos populus currat, et inde sitiens bibat. Hoc enim rationale, quoque et superhumerale significant. Pectusculum enim elationis et armum separationis sic dicit, quasi pectusculum elatum, et armum separatum. Quod autem sequitur : « Hæc est unctio Aaron et filiorum « ejus in cæremoniis Domini die, qua obtulit eos « Moyses, » etc. Titulus est eorum, quæ sequuntur.

CAPUT VIII.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, et un- « ctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, « canistrum cum azymis, et congregabis omnem « cœtum ad ostium tabernaculi. Fecit Moyses, ut « Dominus imperavit. Congregataque omni turba « ante fores, ait : Iste est sermo, quem jussit Do- « minus fieri. Statimque obtulit Aaron et duos filios « ejus. Cumque lavisset eos, vestivit pontificem su- « bucula linea, accingens eum balteo, et induens « tunica hyacinthina, et desuper humerale imposuit, « quod astringens cingulo aptavit rationali, in quo « erat doctrina et veritas : cidari quoque texit ca- « put, et super eam contra frontem posuit laminam « auream consecratam in sanctificationem, sicut « præceperat ei Dominus. Tulit et unctionis oleum « quo linivit tabernaculum cum omni supellectili « sua. » Quid enim Aaron cum filiis, quid vitulus, et duo arietes, quid unctionis oleum, et vestes, et cætera, quæ hic enumerantur, significet, diligenter satis, et ample in Exodo exposuimus. De vitulo, et duobus arietibus breviter hic aliquid dicamus. « Obtulit, inquit, vitulum pro peccato; cumque « posuissent Aaron, et filii ejus manus suas, immo- « lavit eum hauriens sanguinem, et tincto digito te- « tigit cornua altaris per gyrum. Quo expiato, **141** « et sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fun- « damenta ejus. Adipem autem, qui erat super vita- « lia, et reticulum jecoris, duosque renunculos cum « arvinulis suis, adolebit super altare, vitulum cum « pelle, carnibus, et fimo cremans extra castra, « sicut præceperat Dominus. » Vitulus enim iste, qui pro peccato offertur, Christus Dominus noster est, pro nostris iniquitatibus immolatus, super caput ejus Aaron et filii ejus manus posuerunt, quia pontifices et sacerdotes scribæ et Pharisæi in eum manus mittere, et Deum negare non timuerunt. Cujus san-

(259) Idem cod. M. A. *non sumatis.*

(260) Juxta veterem opinionem sanguis sedes animæ dicebatur : modo de sede animæ varie disputatur. Plures conveniunt, quod sit in cerebro.

Digitized by Google

guinis pars altaris cornua tangit, pars ad fundamentum ejus funditur, quoniam et Christi sanguinis pars crucis cornua cruentavit, pars ad ima decurrendo defluxit. Adeps vero omnisque ejus pinguedo adoletur super altare, quatenus illud propheticum adimpleatur : « Memor sit Dominus omnis sacrificii, et holocaustum suum pingue fiat (*Psal.* XIX, 4). » O pingue sacrificium, cujus odore mundus repletur, et omnis ægritudo sanatur! Vitulus autem cum pelle, et carnibus et fimo crematur extra castra, quia Jesus, ut Apostolus ait : « Ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra castra passus est (*Hebr.* XIII, 12). » Hæc de vitulo. Nunc de arietc videamus :

« Obtulit et arietem in holocaustum, super cujus « caput cum imposuissent Aaron et filii ejus ma- « nus, immolavit eum, et fudit sanguinem ejus su- « per altaris circuitum, ipsumque arietem in frusta « concidens, caput ejus et artus, et adipem adole- « vit igni, lotis prius intestinis, et pedibus, totum- « que simul arietem incendit super altare, eo quod « esset holocaustum suavissimi odoris Domino, sicut « præceperat ei. » Hoc autem est illud holocaustum, quod quotidie in sancta Ecclesia fit. Offert enim Moyses, id est Christus, arietem in holocaustum, quoniam et si sacerdotum ministerio fiat, ipse tamen carnem et sanguinem suum immolat et sacrificat. Non enim sacerdotis, sed ipsius vox est, quæ dicit : « Hoc est corpus meum, et : Hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Luc.* XXII, 19, 20). » Hæc enim voce totum sacrificium immolatur, et sanctificatur. Unde et subditur : « Su- « per caput ejus cum imposuisset Aaron et filii ejus « manus, immolavit eum. » Aaron et filii ejus manum imponunt, et Moyses immolat, quoniam et si pontifices, et sacerdotes super Christi corpus et sanguinem manus expansas et elevatas habeant, unus tamen est pontifex Jesus, qui sanctificat et benedicit, cujus virtute ineffabili in sui corporis sanguinisque substantiam, panis et vinum convertitur. Fudit autem sanguinem ejus per altaris circuitum, quoniam et Christus suum sanguinem nobis obtulit ad bibendum: altare enim Ecclesia est, quæ Christi sanguine tota aspergitur et inebriatur. Arietem autem ipsum in frusta concidens, artus ejus, adipem et pedes, lotis prius intestinis, Christus Dominus adolebat, et super altare incendebat, quando incipiens a Moyse et cæteris prophetis interpretabatur duobus discipulis suis Scripturas, quæ de ipso erant, unde ipsi quoque sui cordis altare, holocausto supraposito, ardere sentientes, dicebant : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? » (*Luc.* XXIV, 32.) Incipiens enim a Moyse, fortasse hæc eadem sacrificia eis exponebat, in quibus mors et passio ejus tam manifeste significabantur. Intestina vero lavare, est ea quæ turpia et inhonesta putabantur, datis rationibus, necessaria et honesta ostendere. Quod ipse quidem faciebat, cum diceret : « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ : nonne sic oportuit Christum pati? » (*Luc.* XXIV, 25.) Turpe enim, et inhonestum, et valde horribile videbatur eis, Dei Filium pati et mori potuisse. Sequitur autem tertium sacrificium, in quo instruimur, qualiter episcopi et sacerdotes consecrari debeant.

« Obtulit, inquit, et arietem secundum in conse- « cratione sacerdotum; posuerunt super caput illius « Aaron et filii ejus manus suas. Quem cum immo- « lasset Moyses, sumens de sanguine tetigit extre- « mum auriculæ dexteræ Aaron, et pollicem manus « ejus similiter et pedis, obtulit et filios Aaron. « Cumque de sanguine arietis immolati tetigisset « extremum auriculæ singulorum dexteræ, et polli- « ces manus, et pedis dexteri reliquum super altare « per circuitum fudit. » Moyses enim hoc in loco, qui sacerdotes consecrat, aliquem pontificem significare potest, cujus ministerio episcopi et sacerdotes consecrantur. Hic autem in principio consecrationis offert arietem, si eos qui consecrandi sunt, de fide Christi plenissime instruat. Unde et iidem ipsi super caput arietis manus ponunt, quia omnia, de quibus interrogantur, se credere quodammodo jurant et confitentur. Tangit autem pontifex de arietis sanguine aures, manus et pedes dexteros singulorum, ut Christi sanguine eorum auditus operatio et prædicatio mundetur et sanctificetur, ut habeant aures audiendi, et sanctificatas ad bene agendum et Christi corpus conficiendum, ut sint eorum pedes speciosi ad evangelizandum pacem, et ad evangelizandum bona. Tanguntur autem in extremitatibus, quoniam non qui cœpit, sed « qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). » Reliquum autem sanguinem fundit super altare cordis eorum per circuitum, ut semper Christi passionis memores tollant crucem suam, et sequantur eum. Sequitur :

« Adipem vero, et caudam omnemque pinguedi- « nem, quæ operit intestina, reticulumque 142 « jecoris, et duos renes cum adipibus suis, et ar- « mo dextro separavit. Tollens autem de cani- « stro azymorum, quod erat coram Domino, panes « absque fermento, et collyridam conspersam oleo, « lagana quoque posuit super adipes, et armum « dexterum, tradens simul omnia Aaron et filiis « ejus. » Quid enim per canistrum, in quo sunt panes azymi, nisi hunc librum, et cætera sacrarum Scripturarum volumina intelligimus? in quibus utique singulæ sententiæ, et panes, et collyridæ de lagana sunt, quibus nutriuntur; quæ quoniam misericordiam prædicant, et nihil erroris in se habent, merito et oleo conspersæ, et azymæ esse dicuntur. Hæc autem super adipes et armum dextrum ponuntur, quoniam quid adipes et armus dexter significent sanctarum Scripturarum sententiis exponitur et intelligitur. Quod autem hæc omnia simul composita Moyses sacerdotibus tradidit, hoc significat; quia

Digitized by Google

postquam sacerdotes consecrati sunt, de manu pontificis librum accipere debent, ut verbi Dei exponendi, et prædicandi habeant potestatem (261).

« Qui postquam levaverunt ea coram Domino, « rursum suscepta de manibus eorum, adolevit super altare holocausti, eo quod consecrationis esset « oblatio in odorem suavitatis sacrificii Domino (262). Tunc illi qui consecrantur, elevant jam dicta coram Domino, quando et ore, et corde custodire promittunt. Inde vero Moyses Domini vicarius de eorum manibus iterum omnia suscipit, et in odorem suavitati super altare incendit, significans hoc totum, quod factum est, Domino placere, et ipsi suaviter redolere. Sequitur:

« Tulit et pectusculum, elevans illud coram Do- « mino de ariete consecrationis in partem suam, « sicut præceperat ei Dominus; assumensque unguentum, et sanguinem, qui erat super altare, « aspersit super Aaron et vestimenta ejus; et super « filios illius, et vestes eorum. » Ideo enim Moyses sibi pectusculum vindicat, quoniam valentes animo, et sapientes pontifices esse debent. Magnum enim pectus eum habere oportet, qui hæc tanta servare debet et reponere sacramenta. Sed quare Moyses coram Domino pectusculum elevat; nisi ut corda et pectora nostra semper sint elevata ad cœlestia contemplanda? Aspergitur unguentum, et sanguis super sacerdotes et vestes eorum, ut interius et exterius mundentur et sanctificentur; ut quales sunt interius, exterius appareant, ut provideant bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, unguentum enim est gratia Spiritus sancti. De sanguine vero Joannes Apostolus ait: « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (*Apoc.* 1, 5). » Sequitur:

« Cumque sanctificasset eos in vestitu suo præce- « pit eis, dicens: Coquite carnes ante fores taber- « naculi, et ibi comedite eas: panes quoque conse- « crationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut « præcepit mihi Dominus, dicens: Aaron et filii « ejus comedent eos; quidquid autem reliquum « fuerit de carne et panibus ignis absumet. » Ante fores enim tabernaculi carnes sacerdotes coquunt et comedunt, quia in conventu, in pœnitentia et in auditu fidelium divinas Scripturas legentes et exponentes, cæteros eas coquere et comedere, et intelligere docent. Id ipsum autem et de panibus intelligitur, de quibus modo superius diximus. Quod autem reliquum est, ignis absumit, ignis utique Spiritus sancti, ignis fidei et charitatis, qui nos hoc sæpe credere facit, quod intelligere non valemus.

« De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem « diebus, usque ad diem, quo complebitur tempus « consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur « consecratio, sicut et impræsentiarum factum est, « ut ritus sacrificii compleretur. Die ac nocte manebitis in tabernaculo, observantes custodias Domini, « ne moriamini. » Quibus enim per septem dies jubetur non exire de tabernaculo (siquidem non sunt dies, nisi septem) nunquam de tabernaculo exire debent. Hoc enim tabernaculum Ecclesia est, de qua, nisi peccando, nunquam exeunt sacerdotes; de hac autem omnes hæretici peccando, et superbiendo exierunt (263). Septem autem diebus finitur consecratio, quia, quandiu in hac vita sumus, semper consecrari, et sanctificari, et in melius proficere debemus. Maneamus ergo die ac nocte, id est omni tempore in tabernaculo, observemus, custodiamus quod ipse præcepit, ne moriamur. Non enim moriuntur, sed potius de morte ad vitam transeunt, quicunque hoc tabernaculum bene custodiunt.

143 CAPUT IX.

« Dixit Dominus ad Aaron: Accede ad altare, et « immola pro peccato tuo, offer holocaustum, et « deprecare pro te, et pro populo. Cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit « Dominus. Statimque Aaron accedens ad altare « immolavit vitulum pro peccato suo: cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui, in quo tingens digitum tetigit cornua altaris, et fudit residuum ad « basim ejus. » Hæc enim omnia superius dicta et exposita sunt. Voluit tamen Moyses post sacerdotum consecrationem de eis dicere. Aaron autem hoc in loco Judæorum pontifices significare videtur, qui pro peccato suo, suo quidem, quia originali, Christum Dominum nostrum crucifixerunt. Sed ne populus quoque eis subjectus de Christi morte innocens putaretur, ideo subdidit: « Cujus sanguinem « obtulerunt ei filii sui: » Christi quoque sanguinem pontificibus populus offerebat, quando eum accusabat, et reum mortis esse dicebat, et crucifige, crucifige, clamabat. Quoniam autem sacerdotum machinatione Christi sanguis fusus est, ideo digitum in sanguine sacerdos tinxisse narratur. Quid autem cornua altaris et basis ejus, quid adeps omnisque

(261) Quondam per solam manus impositionem fiebat sacerdotum ordinatio; posteriori tempore addita fuit unctio chrismatis, et serius tactus libri Evangeliorum; quem Eugenius IV statuit in decreto pro Armenis.

(262) Ex cod. Casin. suppletur editio.

(263) Hic locus, ubi S. Bruno ait: « Sacerdotes exire de Ecclesia dum peccant, non eodem modo intelligendus est, ac cum de hæreticis postea loquitur; neque ignotum esse Brunoni poterat, peccatores etiam esse membra Ecclesiæ, cum sæpe in superioribus dixerit Christianos peccatores mundandos esse a sacerdotibus, et pœnitentiam ab iis sumendam de peccatis. Ergo dum ait sacerdotes peccando exire de Ecclesia, intelligit tantummodo eosdem exire de tabernaculo, ut eodem in loco dicit; nimirum eos amittere eam sanctitatem, quæ sacerdoti in tabernaculo operanti necessaria est. » Hæc satis abunde confirmantur ex his quæ in seq. 12 cap. docet idem commentator de triplici peccatorum separatione; et in cap. 18 comment. in Numer., et tandem in exposit. v. 29 psal. xvii. « In corpore, inquit, ecclesiastico et boni et mali, et justi et peccatores, et perfecti et imperfecti, et sapientes et insipientes continentur. »

Digitized by Google

pinguedo, quid pellis et carnes, quæ cremantur extra castra, significent, satis superius expositum est. Sequitur:

« Immolavit, et holocausti victimam, obtuleruntque ei filii sui sanguinem ejus, quem fudit per altaris circuitum. Ipsam enim hostiam in frusta concisam cum capite, et membris singulis obtulerunt, quæ omnia super altare cremavit igni, lotis prius aqua intestinis et pedibus. » Hæc autem victima holocausti eadem est, quæ superior; sacerdos tamen non idem et hanc, et illam offerre videtur; ille enim cum crudelitate; hic vero cum pietate immolat. Differt enim Aaron a seipso; aliquando enim Judæorum pontifices, aliquando vero quemlibet Ecclesiæ ministrum significat. Significat autem ipsum quoque Jesum, sacerdotum omnium maximum. Volo autem, exempli gratia, hanc holocausti victimam ego immolare: offerant ergo mihi filii mei hujus victimæ sanguinem; offerant etiam ipsam hostiam in frusta concisam, simul cum capite, et singulis membris. Sed quomodo offerent? Vis audire quomodo? Veniant ad me, interrogent quid sanguis iste significet: hoc est enim sanguinem offerre. Interrogent etiam quid significet hostia, quid frusta, quid caput et cætera membra? Quæ omnia si ego singulariter eis exposuero, tunc super eorum cordis altare hostiam immolo, atque in amorem Christi, fide et dilectione eos accendo. Hæc quoque jam superius exposita sunt. Sequitur:

« Et pro peccato populi offerens mactavit hircum, expiatoque altari fecit holocaustum, addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, et adolens ea super altare absque cæremoniis matutini holocausti. » Hircum enim pro peccato populi offerre, est ipsum populum docere et admonere ut carnem luxuriantem et peccatricem pœnitentia coerceat et affligat, neque per illicita vagari permittat; altare vero expiatur, si a pravis cogitationibus cor mundetur, quod quidem nisi mundatum fuerit, holocaustum in eo acceptabile fieri non potest. Unde Psalmista ait: « Cor mundum crea in me, Deus (*Psal.* L, 12). » Libamenta vero, quæ pariter offeruntur, panes et cætera azyma intelliguntur. Quibus ergo pœnitentiæ medicamentum damus, ut vivant in azymis sinceritatis et veritatis admonere debemus. Hæc autem omnia custodire jubemur, præter cæremonias matutini holocausti, quæ per se quidem inviolabiliter conservari debent; matutini autem holocausti cæremonias dicit eas, quas in principio fidei nostræ Domino promisimus; quando diabolo, et omnibus pompis, et operibus ejus abrenuntiavimus. Vera ergo pœnitentia est cum has matutini holocausti cæremonias observamus, et pro præteritis peccatis carnem affligimus, et maceramus, si tamen postea in azymis sinceritatis et veritatis vivamus. Sequitur:

« Immolavit et bovem atque arietem, hostias pacificas populi. Obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum. Adipem autem bovis, et arietis, caudam, renunculosque cum adipibus suis, et reticulum jecoris posuerunt supra pectora eorum. » Per bovem enim et arietem, vel Christum Dominum nostrum, vel sanctos apostolos intelligere possumus; hos autem immolamus, quando eorum tormenta et passiones prædicamus: horum autem sanguinem offerunt nobis filii nostri, quando de eorum passionibus nos interrogant; quem nos quidem super altare cordis eorum fundimus in circuitum, omnia eis exponentes, et ut pro Christo, secundum eorum exempla, mortem non timeant, incitantes. Et quia doctorum pectora quanto magis quæstionibus premuntur, tanto plus divina mysteria pandunt, ideo super pectora bovis et arietis, adipem, caudam, renunculos omnemque pinguedinem posuerunt. Quodam enim modo mihi super pectus bovis caudam, et adipem ponit ille, qui me de cauda bovis et adipe interrogat; donec enim ei satisfaciam, pectus et cor meum non parvo pondere premitur et fatigatur. Quid autem ista significent, jam superius dictum est. Sequitur:

« Et armos dexteros separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut præceperat Moyses. » 144 Separat quidem, quia sui sunt. Illi enim armus est necessarius, qui totum pondus et totius populi peccata ferre debet. Elevat autem coram Domino, ut non sua quærat, sed quæ Jesu Christi, ut cum Apostolo dicat: « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus (*Galat.* II, 20). » Quod enim sic ait, membra sua jam non sua sunt, sed ejus, cui serviunt. Sequitur autem: « Quod, completis holocaustis, Moyses et Aaron benedixerint populo, apparuitque gloria Domini omni multitudini; et ecce ignis egressus est a Domino, devoravit holocaustum et adipes, qui erant super altare; quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas. » Hunc autem ignem fortasse gloriam Domini appellat.

CAPUT X.

« Arreptisque Nadab et Abiu filii Aaron thuribulis posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis a Domino devoravit eos, et mortui sunt coram Domino. » Hoc est enim, quod Apostolus ait: « Si quis aliter evangelizaverit vobis, præter quod audistis et accepistis, anathema sit (*Galat.* I, 9). » Ignem enim et incensum alienum coram Domino offerunt, qui ea, quæ contra fidem sunt, et in Dei lege non continentur Ecclesiæ prædicant. Talem enim ignem talemque incensum Arius obtulit, ideoque mortuus est et æternis incendiis damnatus.

« Locutus est autem Moyses ad Aaron, et Eleazarum, et Ithamar filios ejus; capita vestra nolite nudare, et vestimenta vestra nolite scindere, ne forte moriamini. » Hoc autem signum doloris est atque tristitiæ. De iniquorum vero damnatione lætandum potius est quam dolendum. Unde scriptum

Digitized by Google

est : « Lætabitur justus, cum viderit vindictam impiorum (*Psal.* LVII, 11). »

« Dixit quoque Dominus ad Aaron, vinum, et « omne quod inebriare poterit, non bibetis tu, et « filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini, quia præceptum est sempiternum « in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam « discernendi inter sanctum et profanum, inter « pollutum et mundum, doceatisque filios Israel « omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad « eos per manum Moysi. » Hæc etiam ad litteram intellecta mentem ædificant. Magnum enim peccatum est ebrietas; præter hoc enim quod sensum evertit, etiam luxuriam provocat. Unde Apostolus : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Hebr.* v, 18). » Hæc autem ebrietas corporis est; sed multo B pejor est ebrietas mentis. Mens enim nostra ira, indignatione, odio, superbia, impletur et inebriatur, quibus utique inebriata facile decipitur, et inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum discernere nequit. Nos ergo, quia semper in Dei tabernaculo sumus, omnem ebrietatem fugere oportet, ne moriamur.

« Locutusque est Moyses ad Aaron, et filios ejus, « qui residui erant. Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, et comedite illud absque « fermento juxta altare, quia Sanctum sanctorum « est. Comedetis autem in loco sancto : quod datum « est tibi, et filiis tuis de oblationibus Domini, sicut « præceptum est mihi. Pectusculum quoque, quod « oblatum est, et armum, qui separatus est, edetis C « in loco mundissimo tu, et filii tui, et filiæ tuæ « tecum. Tibi enim, et liberis tuis reposita sunt de « hostiis salutaribus filiorum Israel. » Sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, omnis sanctarum Scripturarum series intelligitur. Et hoc quidem sacrificium laudis evocatur. Remansit autem nobis hoc sacrificium de oblatione Domini, quoniam, etsi Christum ejusque discipulos iniqui interfecerint, eorum tamen memoriam, et tanta in eorum laudibus scripta volumina delere non potuerunt (264). Hoc autem sacrificium comedunt sacerdotes absque fermento, id est absque ulla hæretica pravitate, omnique corruptione juxta altare, id est in S. Ecclesia, in conventu fidelium, in concilio justorum et D congregatione. Ibi enim secreta Dei revelantur; ibi Novi et Veteris Testamenti mysteria exponuntur. Quoniam scriptum est : « Nolite sanctum dare canibus, neque mittere margaritas ante porcos (*Matth.* VII, 6). » Comedunt et pectusculum, et armum, quatenus sapientes fiant, et alterius onera portent. In pectore enim est cor, mens et sapientia; super armos autem onera portamus. De hoc autem sacrificio Aaron, et filiis ejus, et filiabus comedere licet, quoniam Deum laudare, sapientiæ operam dare et aliorum onera portare nullus fidelium prohibetur. Hinc autem sequitur, quod Moyses cum quæreret

(264) Julianus Apostata hoc inter alia egit contra Christianam religionem, ut omnia divinarum Scripturarum monumenta perquireret, flammisque damnaret.

A hircum, qui oblatus fuerat, exustum reperit, et inde irascitur contra sacerdotes, quia eum non comederant; per hoc enim nescio quid aliud significare voluerit, nisi quia pœnitentes pro suis peccatis se diutius affligentes, non despectui et negligentiæ habere, sed humiliter et cum lætitia recipere et Ecclesiæ corpori reconciliare debemus. Quid est enim hircum comedere, nisi peccatores Ecclesiæ reconciliare? Sic enim Petrus Apostolus eos comedebat, cui dicitur : « Macta, et manduca (*Act.* X, 13). » Hircus autem exuritur, si medicina modum excedat, et peccatorem desperare faciat. Non ergo exuratur, sed **145** temperate hircus iste coquatur. Huc usque de sacrificiis.

CAPUT XI.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, et Aaron, « dicens : Dicite filiis Israel : Hæc sunt animalia, « quæ comedere debetis de cunctis animantibus « terræ. Omne, quod habet divisam ungulam, et « ruminat quidem, et habet ungulam, sed non dividit « eam, sicut camelus et cætera, non comedetis « illud, et inter immunda reputabitis : similiter chœ- « rogrillus et lepus immundus est, quoniam, etsi « ruminet, ungulam tamen non dividit. Sic et sus, « qui ungulam dividit et ruminat. » Dicendum ergo nobis est quid sit ungulam dividere, quid ruminare, quid comedere. Ungula enim est divina Scriptura, qua pedes animæ muniuntur ad ambulandum : hæc autem ungula in litteram et spiritum, sive etiam in Novum et Vetus Testamentum dividitur. Ruminare quid est, nisi sanctam Scripturam diligenter investigare et cordis sensu minutissime frangere, et ad spiritualem intelligentiam diutissime volvendo perducere? Judæi ergo neque ungulam dividunt, neque ruminant, quoniam neque utrumque Testamentum recipiunt, neque quod suscipiant ruminando spiritualiter intelligunt; litteram enim solam et integram deglutientes, nihil aliud quam litteram sapiunt. Manichæi autem, etsi ruminando quædam spiritualiter intelligant, ungulam tamen non dividunt, quia Vetus Testamentum non suscipiunt. Ebionitæ vero econtra utrumque suscipiunt; sed simul cum baptismo circumcisionem, omnesque legis cæremonias observare volentes, ruminare aut nolunt, aut nesciunt. Omnes ergo isti immundi sunt, ideoque eos comedere, et ecclesiastico corpori eos infundere, et promiscere prohibemur. Et quamvis beato Petro dictum sit : « Macta, et manduca (*Act.* XI, 7), » hos tamen manducare non debet; qui enim sanctificari cupit, ab immunditia qualibet animæ præcavere debet. Sic enim ibi scriptum est : « Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris (*Act.* X, 15). »

« Hæc sunt, quæ gignuntur in aquis, et vesci « licitum est. Omne quod habet pennulas et squa- « mas, tam in mari quam in fluminibus et stagnis, « comedetis; cætera vero vobis polluta erunt. » Soli enim illi pisces super aquam saltus dare perhibentur, qui et pennulas habent et squamas, quales sunt

Digitized by Google

tur, qui pennulas et squamas habent, per quos illos intelligimus, qui semper superiora appetunt, et cœlestia desiderant (265), et quamvis multis adversitatum procellis feriantur, cum Apostolo tamen dicunt : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). » Cæteri vero, qui sub undis latent, semperque inferiora et profunda petunt, nullisque desideriis in superna, et cœlestia eriguntur, non immerito immundi dicuntur, et ab Ecclesiæ corpore separantur. « Nulla pars est fideli cum infideli, nulla societas luci ad tenebras (*II Cor.* VI, 15). »

« Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, « et vitanda sunt vobis; aquilam, et gryphem, et « haliætum, et milvum, ac vulturem juxta genus « suum, et omne corvini generis in similitudinem « suam, struthionem, et noctuam, et larum, et accipitrem juxta genus suum : bubonem, et mergulum, et ibin, et cycnum, et onocrotalum, et porphyrionem, herodionem, et charadrion juxta genus « suum, upupam quoque, et vespertilionem. » Hæc enim pene omnia de præda et rapina vivunt, aliisque animalibus importune insidiantur, in quibus fures, latrones, sacrilegi omnesque raptores ab Ecclesiæ corpore repelluntur. Corvinum autem genus ideo abjicitur, quia ab insita et naturali nigredine nunquam lavatur; significat autem peccatores in malitia perseverantes, et pœnitere nescientes. Sed quid per struthionem, qui alas quidem habet, volare tamen non potest, nisi hypocritas intelligimus? Qui quamvis boni similitudinem ferant, bonum tamen facere recusant. Quid vero per noctuam, quæ lucem fugit, noctem diligit, nisi eos qui regem tenebrarum sequuntur, et Christum solem justitiæ fugiunt? « Omnis enim qui male agit odit lucem (*Joan.* III, 10); » hæc tamen, sicut bubo, de præda et rapina vivit. Upupa vero turpissimum animal in stercore nidificat, per quam meretrices et adulteros intelligimus. Quæ autem de noctua dicta sunt, de vespertilione quoque intelligantur.

« Omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis : quidquid « autem ambulat quidem super quatuor pedes, et « habet longiora retro crura super quæ salit super « terram comedere debetis, ut est bruchus in genere « suo, et attacus, atque ophiomachus, ac locusta, « singula juxta genus suum. Quidquid autem ex « volucribus quatuor tantum habet pedes, exsecrabile erit vobis. » Quid enim per volucres nisi sapientes? Quid vero per quatuor pedes, nisi quatuor elementa, ex quibus secundum corpus homo conficitur, et sine quibus moveri non potest? Illi ergo quatuor pedibus gradiuntur, qui soli corpori obediunt, quod ex quatuor, ut diximus, constat elementis. Tales enim Epicurei fuerunt, imo et sunt qui corporis voluptatem summum bonum prædicant. His autem si duo crura retro longiora addantur, quibus super terram saliant, et ab inferioribus ad superiora se erigant et exaltent, jam non ulterius inter immunda animalia computabuntur. **146** Duo enim crura, duo sunt Testamenta, cunctis utique cruribus longiora; siquidem eorum fide atque doctrina super ipsos cœlos et usque ad thronum Dei spiritus hominis elevatur. Quidquid ergo ex volucribus quatuor pedes habet, et corporali necessitate ad terram descendens super eos graditur, si iterum his cruribus saliens, et se ad superiora elevans volare cœperit, non erit abominabile atque immundum. Quoties enim corpori servimus, toties super terram quatuor pedibus imus. Quatuor enim nos ferunt elementa, quibus non ad voluptatem, sed ad necessitatem obedire debemus. Semper igitur salientes, semperque fugientes, nec in uno loco moremur, nec cibo transitorio occupemur. Hoc enim et locustæ faciunt : hoc et admonet Apostolus, dicens : « Et carnis curam ne feceritis in desideriis (*Rom.* XIII, 14). » Sequitur :

« Et quicunque morticina eorum tetigerit, pollue« tur, et erit immundus usque ad vesperam. Et si « necesse fuerit, ut portet quispiam horum mor« tuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit « usque ad solis occasum. » Quid enim horum morticina, nisi eorum mortua opera, mortaliaque peccata significant? De quibus Apostolus : « Non iterum, inquit, faciamus fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis (*Hebr.* VI, 1). » Eorum ergo morticina tangit quicunque eorum opera mortua imitatur et agit; polluitur et erit immundus usque ad vesperam. Quid est enim usque ad vesperam? Vesperam enim hoc loco magis peccati, quam diei finem significare videtur. Habet enim peccatum ortum suum atque occasum, habet peccatum mane et vesperam. Beatus ille, cujus peccatum jam pervenit usque ad vesperum; beatus ille, cujus peccatum pervenit ad finem et ad occasum; hic enim, quia peccare cessat, quia totum peccatum in eo periit, et occidit, jam mundus est. Per hos autem, qui immundorum animalium morticina ferebant, illos significari puto, qui quamvis ad pœnitentiam accedentes, se de præteritis peccatis vehementer accusent, eorum tamen onera, etiam inviti ferunt (266), quoniam pravam consuetudinem, et ipsius peccati titillationem nondum penitus abjicere et exstirpare possunt. Hos autem oportet lavare vestimenta sua, quoniam jejuniis et vigiliis, eleemosynis, lacrymis et orationibus convenit mundare carnem et opera sua. Sic tamen immundi erunt usque ad solis occasum, id est donec tota illa titillatio, omnisque fervor pravæ concupiscentiæ, et totum peccandi desiderium in eis occidat et moriatur. Idem autem per solis occasum et vesperum significatur. Sequitur :

« Quod autem ambulat super manus, ex cunctis « animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immun-

(265) Alter cod. Casin. *cœlestiaque intuentur.*

(266) Ex cod. Casin. *Per eos autem, qui ferebant animalium cadavera, illos puto significari, qui, quamvis de peccatis suis pœniteant, eorum tamen pondus adhuc portant, dum pravæ consuetudinis titillationes non abjectas inviti coguntur sustinere.*

Digitized by Google

« dum erit. Qui tetigerit morticina eorum, polluetur « usque ad vesperum. » De urso enim hæc, et simia, et similibus, quantum ad litteram dicere videtur; hæc enim et quadrupedia sunt, et super manus ambulant. Moyses autem de quadrupedibus loquitur. Quæ enim animalia super manus ambulant, manus et oculos, et totam faciem ad terram deprimunt. Significant autem illos homines, qui bona superna atque æterna despicientes omni studio et operatione, omni mentis intuitu et tota cordis intentione sola terrena et transitoria diligunt. Quibus Apostolus loquitur, dicens : « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. (*Coloss.* III, 1). » Quos et immundos esse significans, ait : « Si quis frater nominatur, et est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, cum ejusmodi nec cibum sumere. (*I Cor.* V, 1). » Quid sit autem eorum morticina tangere, et cadavera portare, modo superius diximus. Sequitur :

« Et super quod ceciderit quidquam de morticinis « eorum, polluetur, tam vas ligneum et vestimen- « tum, quam pelles et cilicia, et in quocunque fit « opus, tingentur aqua, et polluta erunt usque ad « vesperum; et sic postea mundabuntur. Vas autem « fictile, et in quo horum quidquam intro ceciderit, « polluetur, et idcirco frangendum est. » Non solum enim homines, qui immundorum animalium morticina tangunt, verum etiam vasa, vestimenta et similia super quæ illa cadunt, polluuntur, quoniam non solum sponte, sed et ignoranter peccamus. Quid est enim morticinum manu tangere, nisi scienter et sponte peccare? Quid est vero super aliquod morticinum cadere, nisi vel nescienter, vel non sponte peccare? Et homines ut rationales morticina tangunt; super vasa vero et vestimenta, quasi super irrationabilia cadunt. Per illos igitur, doctores et sapientes, per hæc autem indoctos et insipientes intelligere possumus. Ut enim homo a vestimento, ita sapiens distat ab insipiente. Sed quia stultitia et ignorantia neminem excusat, isti quoque lavent vestimenta sua, et polluti erunt usque ad vesperum. Quid est usque ad vesperum? id est usque ad finem et consummationem peccati. Vas autem fictile, vel pœnitentia frangitur et salvatur, vel virga ferrea frangitur et damnatur. Sequitur :

« Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit « super eum aqua, immundus erit, et quidquid de « morticinis istiusmodi ceciderit super illud, immun- « dum erit, sive clibani, **147** sive chytropedes « destruentur, et immundi erunt. Fontes vero, et « cisternæ, et omnis aquarum congregatio munda « erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. » Per cibum enim, et omne liquens, fontes, cisternas et aquarum congregationes, nihil melius quam sanctarum Scripturarum volumina intelligimus. Hæc enim et cibus et potus nobis sunt. Super hæc autem, si pollutorum vasorum aqua ceciderit, et immundorum hominum depravatione hæc corrupta fuerint, qui non tantum homines, quantum equi et muli, in quibus non est intellectus, dici debent, polluentur, et immunda erunt. Quid enim per hæc vasa, quorum aqua nostris cibis et potibus superfusa eos corrumpit et polluit, nisi hæreticos, Judæos et paganos intelligimus? quorum nefanda superstitio si fidei nostræ et doctrinæ evangelicæ admisceatur, immundam et pollutam facit. Hoc est enim quod dicit : « Omnis cibus, quem comedetis, et « omne liquens, quod bibitur, si fusa fuerit super « eum aqua de universo vase immundo, immundum « erit. » Per clibanos vero et chytropedes, in quibus et super quos panis et alii cibi coquantur, Ecclesiæ doctores intelligi possunt, in quorum pectore cibi spirituales decocti, intelligibiles et comestibiles fiunt. Et hi quidem merito destruuntur, et a suis dignitatibus abjiciuntur, si in se immundum aliquid et pollutum cadere permiserint. Sequitur :

« Si ceciderit super sementem, non polluet eam. « Sin autem quispiam sementem aqua perfuderit, « et postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur. » Illos enim hoc in loco sementem dicere videtur, qui, quamvis ad fidem vocati, nondum tamen baptizati, neque in Ecclesiæ agro seminati sunt. Super quos si pollutum ceciderit non polluetur, nisi quod mundum erat; non enim stercore stercor polluitur. Sin autem quispiam sementem aqua perfuderit, per immundum illico polluetur; quoniam postquam homo baptizatus est (siquidem ab omni pollutione mundatus est) si immundum tetigerit, pollui potest.

« Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis come- « dere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit « usque ad vesperam, et qui comederit ex eo quid- « piam, sive portaverit, lavabit vestimenta sua, et « immundus erit usque ad vesperam. » Moritur autem animal mundum, quando Christianus aliquis pro suis facinoribus excommunicatur, vel propter hæresim ab Ecclesia separatur. Qui ergo cum eo participaverit, vel ejus mortalem, sive mortuam doctrinam susceperit, tandiu immundus erit, donec suscepta pœnitentia satisfecerit. Hoc est enim usque ad vesperum. Vesper enim finis est peccati.

« Omne quod reptat super terram, abominabile « erit vobis, nec assumetur in cibum. Quidquid su- « per pectus quadrupes graditur, et multos habet « pedes, sive super humum trahitur, non comedetis, « quia abominabile est. » Quid enim reptilia significent, jam superius dictum est. Reptilia enim plus cæteris animantibus toto corpore terræ adhærent, per quæ cupidos et avaros, omnibusque luxuriæ et carnis voluptatibus deditos non incongrue intelligimus. Hi autem tantis pedibus gradiuntur, quantis vitiis super terram trahuntur. Et quoniam omnia sua consilia dissipant, et nihil nisi transitoria et terrena cogitant, super pectus gradientes, terram corde et pectore premunt. Præcipit autem Apostolus, cum ejusmodi nec cibum sumere. Unde eos immundos esse nemo dubitare debet. Hæc autem de mundis et immundis animalibus dicta sufficiant.

Digitized by Google

CAPUT XII.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Mulier, si « suscepto semine, peperit masculum, immunda « erit septem diebus juxta dies separationis men- « struæ, et die octava circumcidetur infantulus : « ipsa vero triginta tribus diebus manebit in san- « guine purificationis suæ, omne sanctum non tan- « get, nec ingredietur sanctuarium, donec impleantur « tur dies purgationis ejus. » Hæc juxta litteram Judæi observabant; quid tamen littera significet non intelligunt. Quid enim mulier pariens peccat, ut immunda dici debeat? Ut enim quidam Ecclesiæ doctores scripserunt, si statim mulier post partum ad agendum Deo gratias Ecclesiam ingrederetur, non peccaret. Quod autem non simpliciter dixerit : Mulier si pepererit masculum, sed satis vigilanter addidit, si suscepto semine, masculum pepererit, non est dubium, hoc ad distinctionem B. Mariæ virginis dictum esse, quæ sine viri semine peperit Salvatorem (267). Spiritualiter autem mulier ista Synagoga esse videtur, quæ divinæ legis semine suscepto, toties masculum pariebat, quoties bonum aliquid agebat : masculus enim filius bonum opus est. Et quamvis mascufum peperisset, et boni operis filios multos genuisset, tamen ad similitudinem menstruatæ mulieris, septem diebus immunda erat. Septem enim isti dies omne illud temporis spatium significant, quod fuit a Moyse usque ad Christi incarnationem; illa enim hebdomada finita, natus est agnus, qui tollit peccata mundi, de quo scriptum est : « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (*Apoc.* I, 5). » Verumtamen quamvis septimana finita sit, **148** et quamvis Christus sit natus, nondum tamen Synagoga penitus mundata est, quia Christi sanguis nondum fusus est. Maneat ergo adhuc 33 diebus in sanguine purificationis suæ; exspectet diem, imo annum tricesimum tertium : ipso enim anno immolatus est Christus, sine cujus sanguine mundus mundari et lavari non potuit (268). Quod autem dies pro anno ponatur, in Ezechiele invenies, ubi dicitur diem pro anno, « diem, inquam, pro anno, fili hominis, dedi tibi (*Ezech.* IV, 6). » Septem autem dies et omne tempus significant, et partem aliquam temporis definitam. Cur autem omne tempus significent, sæpe jam diximus. Quia vero et menses, et anni partes sunt, pro aliqua temporis parte sæpe ponuntur. Quare autem infantulus circumcidatur valde notum est. Sed quare octavo die dicendum est. Octava enim dies ipsa est, quæ et prima. In hac enim mundus cœpit, Christus resurrexit; in hac et universalis A resurrectio fiet, tunc autem non solum circumcisi, sed omnibus peccatis abstersi, mundi et immaculati, æternum nomen sancti suscipient et hæreditatem.

« Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui, « et sexaginta et sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. » Toties enim Synagoga feminam parit, quoties iniquitatem operatur. Pro hac autem filia duabus hebdomadibus est immunda Synagoga : una videlicet ante Christi incarnationem, altera vero post ejus prædicationem, mortem et resurrectionem, donec in sua permanserit incredulitate. Per has enim duas hebdomadas totum et hoc et illud tempus significatur. Nisi ergo immundam (269) filiam parere desistat, et ad Christi fidem se totam convertat, non B minus immunda reputabitur, quam si mulier esset menstruata. De menstrua vero in sequentibus locuturi sumus. Dantur autem eis 66 dies ad purificationem, per quos omnes dies usque ad sæculi consummationem intelligere possumus : hic enim numerus ex senariis constat; senarius autem numerus boni operis perfectionem in sacro eloquio sæpe designat, quoniam sex diebus Dominus opus suum operatur : « Vidit cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona (*Gen.* I, 31). » Omnibus ergo his diebus Synagoga purificari potest; quoniam in his omnibus bonum opus facere licet. Et ne forte dicat : Non licet Sabbato curare, nullum in his diebus Sabbatum ponitur, non enim in sex diebus Sabbatum continetur. Hic autem totus numerus ex senariis solis conficitur. C

« Cumque expleti fuerint dies purgationis ejus, « pro filio et filia deferat agnum anniculum in ho- « locaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro « peccato ad ostium tabernaculi testimonii, et tra- « dat sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, et « rogabit pro ea, et sic mundabitur a profluvio san- « guinis sui. » Defert enim Synagoga, vel aliquis filius Synagogæ agnum anniculum in holocaustum, si intelligens se peccasse, Christi passionem prædicat, vel veneratur non jam agnum occidendo, sed comedendo; non damnando, sed adorando; non persequendo, sed credendo. Defert autem et pullum columbæ, sive turturem pro peccato. Ubi? ad ostium D tabernaculi. Ad quid? Ut tradat sacerdoti. Quare hoc? Qui offeret illa coram Domino, et rogabit pro ea, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. Quid enim per pullum columbæ, nisi animæ et corporis patientiam et innocentiam? Quid vero per turturem, nisi utriusque hominis castitatem? Hæc autem ille pro peccato offert, qui de peccatis pœnitentiam

(267) Non sine maxima significatione et prophetice hac in lege de mulieribus post partus suos purificandis dictum est; si ex suscepto viri semine peperissent; quod sine eo sola B. Maria virgo Christum Salvatorem paritura erat.

(268) Sententia Brunonis de anno emortuali Christi Domini, scilicet quod anno 33 ætatis suæ mortem cruci affixum subierit a doctissimo Jo. Laurent. Berti tom. I Hist. eccl., Breviar., cap. 13, p. 67 vocatur antiquior, communior et verior; cui conformantur etiam August. Calmet, Muratorius, Gordonus et alii. Passus est enim Christus an. ær. Vulg. 29, Olympiadis 202 an. 1, correct. Jul. Cæsar. 74, P. J. 47 42, couss. Rubellio Gemino et C. Fusio Gemino.

(269) Cod. Casin., *iniauam*.

Digitized by Google

agens, innocenter et caste se vivere promittit : hoc autem fiat per consilium sacerdotum (270), qui semper ad ostium tabernaculi stantes, pietatis et fidei januam cæteris aperiunt, suisque orationibus sancta vota et bona desideria Deo præsentant. Quod autem ait : « Et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui, » non quia peperit, sed quia peccavit, mundatione mulierem indigere significat (271).

« Quod si non poterit offerre agnum, offerat duos « turtures, vel duos pullos columbæ, alterum in ho- « locaustum, et alterum pro peccato. » In hoc autem et pauperibus cavetur, et significatio non mutatur. Christus enim et turtur est, imo turturis, id est Ecclesiæ caput, et pullus columbæ, quia Ecclesiæ filius : Ecclesiæ namque filia virgo Maria est, cujus ipse Christus est filius. Offert ergo homo duos turtures, vel duos pullos columbæ, Christum scilicet et seipsum : Christum in holocaustum, et seipsum pro peccato; illius passionem meditando, et seipsum macerando, et affligendo. Si quis autem et in agno, et in avibus solum hominem intelligere velit, manifesta et non laboriosa est allegoria.

CAPUT XIII.

« Locutus est Dominus ad Moysen, et Aaron, di- « cens : Homo in cujus cute et carne ortus fuerit « diversus color, sive pustula, aut quasi lucens quid- « piam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sa- « cerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum **149** « ejus, qui viderit lepram in cute, et pilos in album « mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humi- « liorem cute et carne reliqua, plaga lepræ est, et « ad arbitrium ejus separabitur. » Sicut lepræ corporalis quædam habentur signa, ita et lepræ spiritualis manifesta sunt indicia. Moyses autem per lepram corporis nobis lepram animæ invisibilem ostendere voluit, utriusque lepræ manifesta ponens argumenta. Homo igitur, qui in anima sua plagam lepræ esse cognoverit, ducat eam ad Aaron et ad filios ejus; ducat eam ad episcopos et sacerdotes : melius enim est ut ipse se ducat, quam ut ab aliis ducatur; melius est ut ipse se accuset, quam ut ab aliis accusetur. Sed sive a se, sive ab alio prius ad sacerdotem anima ducatur, prius ab eo judicetur quam aliorum judicio condemnetur. Solis enim episcopis et sacerdotibus secundum animam condemnandi atque solvendi potestas a Domino data est. Peccat ergo, qui leprosum aliquem et peccatorem a communione sua separandum putat, priusquam ab episcopis et sacerdotibus judicetur. Ducatur ergo leprosus ad sacerdotem. Sic enim Dominus ait : « Ostendite vos sacerdotibus (*Luc.* XVII, 14). » Consideret enim sacerdos, diligenter perquirat si lepra est. Habet enim lepra sua signa, neque celari potest, facileque cognoscitur. Quis enim adulterum, homicidam, perjurum, sacrilegum, furem et raptorem dubitet esse leprosum? Talem ergo cum sacerdos invenerit, nec timore, nec amore mutet judicium; dicat eum esse leprosum, et secundum ejus arbitrium separetur; secundum ejus quidem, non secundum alterius : ipsius est eum judicare, ipsius est separare. Quomodo separare? Multis enim modis fit ista separatio : alii enim a corpore et sanguine Christi; alii ab Ecclesiæ introitu; alii a communione fidelium separantur. Separantur etiam a quibusdam cibis et potibus, aliisque carnis voluptatibus, ut jam nunc licite non utantur his rebus, quibus prius licite utebantur. Sequitur :

« Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec hu- « milior carne reliqua, et pili coloris pristini; re- « cludat eum sacerdos septem diebus, et considera- « bit die septimo, et si quidem lepra non creverit, « nec transierit in cute priores terminos, rursus in- « cludet eum septem diebus aliis : et die septimo « contemplabitur. Si obscurior fuerit lepra, et non « creverit in cute, mundabit eum; quia scabies est, « lavabitque homo vestimenta sua; et mundus erit. » Hæc enim de illo intelligi debent, de quo mala fama qualibet occasione divulgatur. Quasi enim lucens candor in cute apparet, cum ad alicujus ruborem et verecundiam turpis ejus fama ab aliis declaratur. Quod si verum non est, et probari non potest, macula, quæ putatur, non est humilior carne, quoniam nihilominus sanus est homo in his, quibus accusatur. Si enim humilior macula esset, et quasi fossam quamdam in carne fecisset, manifestum lepræ signum et indubitabile dedisset. Pili quoque coloris pristini sunt; quia quantum ad se, suæ pulchritudinis speciem anima non amisit, quamvis aliorum detrectationibus decoloretur. Hunc ergo recludat sacerdos septem diebus, et consideret die septimo. Per septem enim dies quodlibet temporis spatium intelligitur, in quo ei qui accusatur, ad se purificandum induciæ dantur, cujus causa, quia adhuc pendet et nondum definita est, quasi reclusus et non penitus suæ libertatis esse videtur. Septimus autem dies ille intelligitur, in quo, finitis induciis, tota causa debet terminari et innocens declarari qui accusatus est, si nullus tunc appareat accusator, et manifestis aliquibus indiciis accusatio probari non poterit. Hoc est enim, quod dicit : « Siquidem lepra ultra non creverit, nec transierit priores terminos : » crescere enim lepra, et priores terminos transire appareret, si id, quod prius dicebatur, verum fuisse postea probaretur. Si, inquam, ita fuerit, rursus includet eum aliis septem diebus, datis videlicet induciis, sicut et prius. Hoc autem ideo fieri puto, ne vel causa indiscussa remaneat; vel accusatores ad terminum præfinitum occurrere non potuisse se fingant. Si vero neque accusatores adfuerint, et contemplante sacerdote obscurior lepra videbitur, et in cute non creverit, id est si fama, quæ prius clare divulgabatur, accusatoribus et judicibus deficientibus, conquieverit, mundabit eum, quia scabies est. Quid est, mundabit eum, nisi mundum esse judicabit eum? Non

(270) Col. Casin., *consilio sacerdotum.*
(271) Idem cod. *Non quia peperit mulier, sed quia peccavit, emundari sic debere indicat.*

Digitized by Google

enim lepra, sed scabies, non crimen sed criminis similitudo fuit. Lavet autem homo vestimenta sua, vel juramento vel alio modo se mundificet, ut qualis est, talis etiam esse credatur. Hoc autem Dei sacerdotibus sæpe contingere videmus. Unde non immerito sancti Patres sacerdotum accusationes difficiles esse voluerunt. Sequitur : Quod si postquam a sacerdote visus est, et redditus est munditiæ, iterum lepra creverit, adducetur ad eum et immunditiæ condemnabitur. Quod quidem tale est ac si diceret : Si post judicium sacerdotis se non custodierit, certisque indiciis perpetrati criminis lepra apparuerit, iterum ad sacerdotem adducetur, et tunc immunditiæ condemnatus, ipsum quoque nomen, quod prius mundus esse videbatur, amittat.

« Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad « sacerdotem, et videbit eum. Cumque color albus « in cute fuerit, et capillorum mutaverit aspectum, « ipsa quoque caro viva in tumore apparuerit, lepra « vetustissima judicabitur, atque inolita cuti; con« taminabit itaque eum sacerdos, et non recludet, « quia perspicuæ immunditiæ est. » Hoc autem de illius criminis lepra intelligitur, **150** quæ usu et consuetudine mala, tam manifesta est ut celari nullatenus possit. Ilic autem accusetur, et adducatur ad sacerdotem. Accusatione enim adducitur; unde accusatores, quasi qui alios adducant et ferant, delatores appellantur. Et videbit, et considerabit eum sacerdos, cumque in colore, in capillis et in ipsa carne viva certissima signa conspexerit, non recludet eum, nec ullas ei inducias dabit; sed contaminabit eum, id est contaminatum judicabit, quia perspicua immunditia est, nec eget ulla probatione : viva enim caro in leproso indicat, quia scienter et sponte peccavit. Coloris vero et capillorum immutatio vetustissimam lepram ostendit. « Sin autem efflorerit « discurrens lepra in cute, et operuerit omnem « carnem a capite usque ad pedes quidquid sub « aspectu oculorum cadit, considerabit eum sacer« dos, et teneri lepra mundissima judicabit, eo quod « omnis in candorem versa sit, et idcirco homo mun« dus erit. » Ecce iterum alia species lepræ, per quam insaniam et phrenesim intelligimus. Sæpe enim et insanos, et phreneticos in scelera ruere videmus, et dum se aliquid boni, perdita ratione, facere arbitrantur, homicidia quoque et multa alia committunt. Hac ergo ægritudinis lepra, cum totum hominem in integrum sacerdos teneri viderit, nihilque scientiæ et rationis in eo conspexerit, mundissima lepra eum teneri judicabit, et idcirco homo mundus erit. Quomodo enim a peccato mundus non erit, qui quod facit non intelligit? Non enim talibus de peccatis suis, imo non suis, pœnitentia datur, quia ubi non est voluntas peccandi, non debet esse pœna peccati. Ideoque quamvis Judæi rationem et intellectum non amiserint, tamen quasi de insanis et phreneticis Dominus de eis loquitur, dicens : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Et illi quidem nesciebant, quia nescire volebant; his autem non voluntas, sed ægritudo scientiam abstulit. Unde et subditur : « Quando vero caro vivens in eo « apparuerit, tunc sacerdotis judicio polluetur, et « inter immundos reputabitur. Caro enim viva si le« pra respersa fuerit, immunda est. » Non enim vivens, sed mortuus reputari debet, qui viventis hominis ratione et scientia caret, cui si viva caro, et sensus irrationabilis redditus fuerit, et postea in aliquod crimen inciderit, judicio sacerdotis, ut pollutus et immundus condemnetur. Caro enim viva, id est homo sui sensus et rationis expers, si malum aliquod commisit, ei imputari non debet; non enim voluntarie agit, neque consentiens peccato judicandus est.

« Quod si rursus versa fuerit in alborem, et totum hominem operuerit, considerabit eum sacer« dos, et mundum esse decernet. » Si enim pristina ægritudine, et solita insania homo iterum occupetur, leprosus quidem est; sed quia non discernit, etsi peccet, mundus tamen et sine peccato est.

« Caro, et cutis in qua ulcus natum est, et sana« tum, et in loco ulceris cicatrix apparuerit alba, « sive rufa, adducetur homo ad sacerdotem, qui « cum viderit locum lepræ humiliorem carne reli« qua, et pilos versos in candorem contaminabit « eum, plaga enim lepræ orta est in ulcere. » Hoc autem de illis peccatoribus intelligitur, qui, peracta pœnitentia, et peccati vulnere sanato, iterum ad peccatum, quasi canis ad vomitum relabuntur. Quid enim ulcus sanatum, nisi peccatum pœnitentia deletum : in cutis cicatrice tunc signa lepræ manifesta apparent, quando ipsa sanctificatio reversione peccati aboletur. Hic ergo homo ad sacerdotem adductus, quoniam et lepra manifesta est, et ipse nullo modo se defendere valet, nihil aliud restat, nisi ut damnetur, quia reus est. Non autem est necesse singulariter ubique cuncta exponere, quoniam per ea, quæ superius dicta sunt, facile intelligi possunt. Sequitur : « Quod si pilus coloris est pristini, et cica« trix subobscura, et vicina caro non est humilior, « recludet eum septem diebus, et si quidem creverit, « adjudicabit eum lepræ; sin autem steterit in loco « suo, ulceris est cicatrix, et homo mundus erit. » Per hæc autem intelligimus, quod si contra accusatum hominem nulla adhuc certa et manifesta peccati signa apparent, et post datas inducias, accusatoribus non apparentibus, mala fama obscurior fit, et quodammodo conquiescens, non jam sicut prius clare resonat, neque crescit, homo mundus et innocens judicetur.

« Caro et cutis, quam ignis exusserit, et sanata « albam sive rufam habuerit cicatricem, considera« bit eam sacerdos, et ecce versa est in alborem, « et locus ejus reliqua cute est humilior, contami« nabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est. » Hæc quoque sicut et superiora de illo intelliguntur, qui peracta pœnitentia revertitur ad peccata; quamvis enim omnia peccata quodam concupiscentiæ igne hominem incendant, proprium tamen libidinis est

Digitized by Google

urere per concupiscentiam. Si ergo libidinis ignis carnem et cutem exusserit, id est corpus et animam sibi consentientem vulneraverit, et postea per pœnitentiam homine sanato, iterum homo ad peccatum rediens eadem perpetraverit, considerabit eum sacerdos, in quo si lepræ certissima signa conspexerit, id est si caro in alborem versa sit, et locus lepræ reliqua carne humilior (hæc enim signa certissima sunt), condemnabit eum, quia iterum post pœnitentiam lepra secuta est.

« Quod si pilorum color non fuerit mutatus, nec « humilior plaga carne reliqua, et ipsa species lepræ « fuerit subobscura, recludet eum septem diebus, « et die septimo contemplabitur : si creverit in cute « lepra, contaminabit **151** eum ; si autem in loco « suo candor steterit non satis clarus, plaga com- « bustionis est, et idcirco mundabitur, quia cica- « trix est combusturæ. » Qui enim superiora diligenter audivit, hæc quoque facile intelligere potest : nam et hic, sicut et ibi, plene eædem septem dierum induciæ dantur. Septenarius numerus nihil diminutionis habet. Septem igitur dierum induciæ, plenas et integras inducias accusatis dari debere significant, post quas si species lepræ in loco suo steterit, et induciis deficientibus, mala turpisque fama conquieverit, mundus et innocens homo judicetur ; quoniam non lepra, sed species lepræ ; non combustio, sed combustionis similitudo et plaga fuit. Quantum enim inter esse et dicere, tantum inter lepram et speciem lepræ, et combustionem et plagam combustionis interesse videtur.

« Vir, sive mulier, in cujus capite, vel barba ger- « minaverit lepra, videbit eos sacerdos, et siquidem « humilior fuerit locus carne reliqua, et capillus « flavus, solitoque subtilior, contaminabit eos, « quia lepra capitis et barbæ est. » Videtur autem hæc species ad fidem pertinere. Quid enim per caput, nisi mentem? Quid vero per barbam, nisi faciem? Locus enim barbæ facies est. Nisi enim barba pro facie accipiatur, stare non potest : siquidem mulieres barbam non habent. Lepra igitur in capite, error est in mente ; lepra vero in facie peccatum est in manifesto, non enim absconditur quod in facie est. Quicunque ergo de ipso Deo, et de fide Christiana male credit et intelligit, lepram in mente et in capite habet ; qui vero id aliis manifestat, quod ipse male credit, ille in capite habens lepram, in facie etiam portat. Hos autem cum sacerdos viderit, et signa lepræ in eis certa et manifesta intellexerit, condemnabit eos, quia rei sunt. Si vero manifesta signa non apparuerint, recludet eum, ut superius. Deinde si post inducias concessas nihil certi intellexerit, radetur homo, et iterum includetur. Raditur enim, et mundatur homo absque loco maculæ, cum in cæteris absolutus, in eo solummodo, de quo accusatus fuerat, tenetur. Sin autem post secundas inducias, et fama conquieverit, et probatores non adfuerint, et nulla indicia apparuerint, mundabit eum sacerdos, id est mundum esse A judicabit, lotisque vestibus, mundus erit, vel juramento vel alio quolibet modo se purificando. Sin autem post emendationem, hæresim suam homo aperte prædicare et defendere cœperit, nulla ulterius signa quærenda sunt, quia reus et immundus habeatur.

« Vir, sive mulier, in cujus cute candor appa- « ruerit, intuebitur eos sacerdos : si deprehenderit « subobscurum alborem lucere in cute, sciat non « esse lepram, sed maculam candidi coloris, et ho- « minem mundum. » Unum tantummodo signum posuit, quod non solum in leprosis, verum etiam in sanis reperitur, per quod turpem famam intelligimus, quæ si sola obscura fuerit, ei temere credi non debet : siquidem et viros justos, et innocentes sæpius injuste infamatos audivimus.

B « Vir, de cujus capite capilli fluunt, et calvus ac « mundus erit, et si a fronte ceciderint pili, recal- « vaster et mundus est. » Hic quoque sicut et superius mundus judicatur, quoniam uno solo signo, et ipso ambiguo, nemo damnatur. Capillorum enim fluxus, non tantum leprosis, sed et sanis sæpe contingit.

« Sin autem in calvitio, vel in recalvatione albus « vel rubus color fuerit exortus, et hoc sacerdos « viderit, condemnabit eum haud dubiæ lepræ, quæ « orta est in calvitio. » Duo enim signa hic ponuntur, quorum alterum est ambiguum, id est calvitium ; alterum manifestum, id est color in calvitio. Merito igitur iste damnatur, utpote qui manifesto judicio condemnatur. Hæc autem et aliter exponi possunt, ad præsens tamen ista sufficiunt. Sequitur:

C « Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, et sepa- « ratus ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta « dissuta, et caput nudum, os veste contectum, con- « taminatum, et sordidum se clamabit omni tempore, « quia leprosus est, et immundus, solus habitabit « extra castra. » Hæc enim leprosis pœnitentia datur, ut postquam ad sacerdotis arbitrium separati fuerint (aliter enim non separantur) habeant vestimenta dissuta, quod quidem doloris et tristitiæ indicium est. Unde et Jacob, et multos alios vestimenta scidisse legimus. Habeant etiam et caput nudum, quatenus sui cordis secreta manifestent. Caput enim pro mente et corde sæpe accipitur. Unde Psalmista : « Sperate in eo, omnis congregatio populi, et effundite coram illo corda vestra (*Psal.* LXI, 9). » Itemque : « Dixi : Confitebor adversum me injustitias meas Domino (*Psal.* XXXI, 5). » Hæc enim verba nudi capitis sunt. Habeant autem et os contectum veste : « Non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XIII, 9). » Sileant igitur, neque prædicent, quia « peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas? » (*Psal.* XLIX, 16). Cui enim hoc dicitur, ut contegat, jubetur. Clament autem se contaminatos, et sordidos omni tempore ; quanto magis enim se peccator accusat, et sua crimina Domino confitetur, tanto citius a misericordiosissimo Domino veniam meretur. « Si enim, ut Apostolus ait, nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* VI, 31). » Habitent autem extra castra, duram et

Digitized by Google

agrestem vitam ducant, jocum et lætitiam fugiant, solitariam et inusitatam conversationem suscipiant. Sequitur:

« Vestis lanea, sive linea, quæ lepram habuerit « in stamine, atque sub tegmine, aut certe pellis, « vel quidquid ex pelle confectum est, si alba, aut « rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, « ostendeturque **152** sacerdoti, qui consideratum « recludet septem diebus, et die septimo rursum « aspiciens, si crevisse deprehenderit, lepra perse- « verans est, pollutum judicabit vestimentum, et « omne in quo fuerit inventum, et ideirco combu- « retur flammis. » Vestem (272) hanc recte dicimus esse carnem, qua omnis anima induitur. De hac enim veste Apostolus ait: « Exuite veterem homi- nem (*Eph.* IV, 24). » Et Ecclesia in Canticis canti- corum: « Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? » (*Cant.* V, 5.) Et propheta: « Vestimentum, inquit, mistum sanguine erit in combustionem, et cibus ignis (*Isa.* IX, 5). » Est autem in conjugatis lanea, in virginibus autem et continentibus linea, in cæteris omnibus pellicea est. Lana enim de carne oritur, et carni adhæret; linum vero extra carnem, et a carne alienum est; pellis autem caro mortua est. Et quidem de conjugato dicitur: quia « adhære- bit uxori suæ, et erunt duo in carne una (*Ephes.* V, 31); » virgines vero quasi longe a carne, carnis non sequuntur voluptates. Cæteri vero quasi mortua caro, ipsam suam corruptionem sentiunt, nec intelligunt. Hujus autem vestimenti lepra, quamvis multiplex sit, maxima et principalis fornicatio intelligitur, de qua Apostolus: « Omne, inquit, peccatum quodcun- que fecerit homo, extra corpus est, qui autem forni- catur, in corpus suum peccat (*I Cor.* VI, 18). » Tantum enim omnibus corporeis vitiis hoc vitium majus est, ut ei cætera comparata quasi non esse videantur. Hæc ergo lepra, quia non solum fornica- tores et adulteros, sed virgines, et continentes, et conjugatos sæpe corrumpit, in lanea, et linea, et pellicea veste invenitur. Hujus autem signa sunt, macula alba, vel rufa; sæpe enim fornicatores pal- lore et rubore deprehenduntur, quoniam et timore et amoris igne inficiuntur. Talem ergo vestem, et sic pollutam cum sacerdos viderit, recludet eum septem diebus, septem videlicet annis ei in pœnitentiæ emundatione supputatis. Non enim sine causa SS. Patres hunc annorum numerum pœnitentibus constituerunt. Nam et de Cain ipse Dominus ait: « Omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur (*Gen.* IV, 15). » His autem peractis, si dignus fue- rit, absolvatur homo, lavetur et reconcilietur. Ut quid enim peracta pœnitentia absolvitur homo, et reconciliatur, nisi quia sacerdotis absolutione lava- tur atque mundatur. Si vero post septem dies, de quibus et nunc superius locuti sumus, lepram sacer- dos crevisse deprehenderit, pollutum judicabit vesti- mentum, quia lepra perseverans est, et ideo flammis comburetur. Hoc audiant pœnitentes, in quibus peccata non delentur, si quotidie crescant, quia in peccatis perseverantes, semper peccata peccatis adjiciunt; audiant quod dicitur, et ideo vestimentum comburetur flammis, et recordentur illud Evangelii: « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41), » et illud prophetæ: « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non comburetur (*Isa.* LXVI, 24). »

« Quod si eam viderit non crevisse, præcipiat, et « lavabunt id in quo lepra est, recludetque illud « septem diebus aliis. Et cum viderit faciem quidem « pristinam non reversam, nec tamen crevisse « lepram, immundum judicabit, et igne comburet, « eo quod infusa sit in superficie vestimenti, vel per « totum lepra. » Si, inquit, post acceptam pœniten- tiam, peccatum, quod deleri debuerat, crevit, nihil aliud nisi condemnatio restat. Si vero non crevit quidem, nec tamen deletum est (quoniam, etsi a peccato cessavit, non tamen pœnitentiam egit), la- vetur lepra, injungatur iterum eadem pœnitentia, recludatur aliis septem diebus, ut quod in primis septem deliquit, saltem in his septem diebus se- quentibus emendet. Si vero etiam post hos septem dies sacerdos viderit faciem pristinam quidem non reversam, nec tamen crevisse lepram, immundum judicabit, utpote canonum contemptorem, qui, quam- vis a peccato cessaverit, digne tamen pœnitentia satisfacere vel neglexit, vel non curavit. Qui enim peccatum delere contemnit, aut peccatorem se esse non intelligit, aut nullam pro peccato pœnam se timere ostendit. Non enim sufficit homini abstinere a malo, nisi et bonum operetur. Unde scriptum est: « Declina a malo, et fac bonum (*Psal.* XXXVI, 27.) » Qui ergo cessat a peccato, agat et pœnitentiam pro peccato: aliter enim, etsi macula non crescat, prima tamen species vestimento non revertitur. Talem autem vestem sacerdos igne comburit, quia pecca- torem pœnitentiam agere nolentem æterno igne dignum esse decernit. Sed quid est quod ait quod infusa sit in superficie vestimenti, vel per totum lepra, cum superius dixerit, lepram non crevisse? Non crevit quidem, quia ad peccatum homo non rediit; tamen per totam vestimenti superficiem infusa est, quia in eo quod non est deletum, totum adhuc operit vestimentum.

« Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, post- « quam vestis est lota, abrumpet eum, et a solido « dividet. Quod si ultra apparuerit in his locis, quæ « prius maculata erant, lepra volatilis et vaga, « debet igne comburi; si cessaverit, lavabit ea, « quæ pura sunt, secundo, et munda erunt. » Locus enim lepræ obscurior est; postquam vestis est lota, si post acceptam pœnitentiam, quid egerit, et qua- liter vixerit, peccator confiteri dissimulat. Abrum- patur igitur locus, et a solido dividatur, manifeste appareat, si quid est quod interius latet: rumpatur ergo, si confitetur. Quod si ultra in his locis lepra apparuerit, et homo inconvertibilis, nec a pec- cato cessaverit, neque pœnitentiam egerit, debet

(272) Ita ex alio cod. Casin.

Digitized by Google

153 redargui et damnari, debet ut igne et supplicio dignus judicari. Si vero cessaverit, lavabit ea quæ pura sunt secundo, et munda erunt. Quare enim secundo lavantur quæ pura sunt, nisi quia, quamvis pœnitentia sit homo mundus, attamen nisi a sacerdote sit reconciliatus et absolutus, adhuc a sacramentis abstinet ut immundus : quamvis enim mundus sit, mundus tamen non videtur, nisi cum cæteris fidelibus ecclesiasticis communicet sacramentis. Primo ergo lavatur pœnitentia; secundo vero reconciliatione et absolutione. Huc usque de lepra; nunc de ejusdem emundatione videamus.

CAPUT XIV.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Ad- « ducetur ad sacerdotem : qui egressus e castris B « cum invenerit lepram esse mundatam, præcipiet « ei, qui purificatur, ut offerat pro se duos passeres « vivos, quibus vesci licitum est, et lignum cedri- « num, vermiculumque, et hyssopum; et unum de « passeribus immolari jubebit in vase fictili super « aquas viventes : alium autem vivum cum ligno « cedrino, et cocco, et hyssopo tinget in sanguine « passeris immolati, quo asperget illum, qui mun- « dandus est septies, ut jure purgetur, et dimittet « passerem vivum, ut in agrum avolet. » Egreditur enim sacerdos e castris ad leprosum reconciliandum, quoniam usque hodie episcopos nostros ad peccatores reconciliandos ecclesiæ januas egredi videmus. Non recipitur autem leprosus, nec mundatur, quia nec peccator reconciliari debet, qui pœnitentiam C non egerit pro peccato; est enim pœnitentia commissa flere, flenda non committere. Flevit enim Petrus, et mundatus est, flevit et David, et mundatus est. Luget Paulus Corinthios, qui peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam. Sic et pro Saul lugebat Samuel. Brevis est et facilis ista satisfactio. « Declina a malo, et fac bonum (*Psal.* xxxvi, 27). » Incipe flere, sed ex corde; dic flendo : « Pater, peccavi in cœlum, et coram te; jam non sum dignus vocari filius tuus. fac me sicut unum de mercenariis tuis (*Luc.* xv, 8). » Hæc est vera reconciliatio; sic mundatur leprosus, sic peccator veniam meretur. Audiquid Dominus dicat : « Cito proferte stolam primam, et induite illum (*ibid.*) ; » cito, inquit, D nulla sit mora : « Peccator enim quacunque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* xxxiii, 11). » Offert autem pro se ille qui purificatur duos passeres, non qualescunque, sed vivos, et quibus vesci licitum est. Quid enim duos passeres, nisi corpus et animam? de quibus Propheta : « Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium (*Psal.* cxxiii, 7). » Merito ergo duos passeres offert, ut non ex parte, sed totum seipsum Domino reddat, non jam mortuum, non peccatis obnoxium, et quia prius immundus erat, ejus passeribus vesci non licebat, nunc vero quia mundus est, tales passeres offert, quibus vesci et Ecclesiæ corpori induci licitum est. Sed quare li- A gnum cedrinum, vermiculumque et hyssopum cum passeribus offert? Lignum enim cedrinum imputribilis et odoriferæ naturæ est : vermiculus autem igneus et rubeus est : hyssopus autem naturaliter in petra nascitur. Offerat ergo lignum cedrinum, qui reconciliatur, ut incorruptam amodo vitam et odoriferam agat : offerat et vermiculum, ut sancti Spiritus et charitatis igne succendatur : offerat et hyssopum, ut firmis radicibus illi petræ inhæreat, de qua Apostolus dicit : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* x, 4). » Immolatur autem unus de passeribus in vase fictili, per quem corpus intelligimus, quod quia de terra factum est, non immerito in vase fictili immolari jubetur. Vas enim terreum, et fictile posuit, ut manifeste intelligamus, quia in hoc passere corpus B significatur. Hoc autem super aquas viventes dicitur, littera enim occidit; spiritus autem vivificat. Ita et nos corpus nostrum affligere debemus, ut efficiamur carne mortificati, sed spiritu vivificati. Alium autem vivum cum ligno cedrino, et cocco, et hyssopo tinget in sanguine passeris immolati : vivus enim passer anima est, quæ sicut immortalis mori non potest. Hæc autem tingitur in sanguine passeris immolati, ut eorum peccatorum, quæ corpus commisit, nunquam anima obliviscatur; sanguis enim pro peccato ponitur. Sed quia peccatorum commemoratio aliquando prodest, aliquando nocet (prodest siquidem si ad hoc fiat, ut peccata deleantur : nocet vero, si in eis animus delectatus iterum ad ea redire desideret), ideo sine ligno cedrino, et cocco, et hyssopo anima in C sanguine non tingitur, unde, dum intingitur, incorrupta maneat, in amore ardeat, et petræ inhæreat. Quo sanguine ille qui mundatus est septies aspergitur, quod enim septies fit, semper fit; septies ergo suo sanguine homo aspergitur, ut suorum peccatorum semper sit memor. Quod autem ait : « Et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet : » hoc est intelligere, ut nunquam anima ulterius in carcere claudatur, nec a carne vincatur, nec a sola voluntate cohibeatur : ipsa sit domina, ipsa sit libera, avolet in agrum, scrutetur Scripturas; ibi enim sunt flores, ibi sunt odores, dicat cum Isaac : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* xxvii, 27). » Sequitur :

D « Cumque laverit homo vestimenta sua, radet « omnes pilos corporis, et lavabitur aqua, purifica- « tusque ingredietur castra; ita duntaxat, ut maneat « extra tabernaculum 154 septem diebus, et die « septimo radat omnes capillos capitis, barbamque « et supercilia, ac totius corporis pilos. » Ecce enim homo qui reconciliatur vestimenta lavat, ut nemo eum ulterius abhorreat, et cunctis se cernentibus non jam leprosus, sed mundus appareat. Radit et omnes corporis sui pilos, ut non jam in eo superfluum et inutile inveniatur. Lavatur autem et aqua confessionis boni voti, et sacerdotalis benedictionis, totusque purificatus ingreditur castra, reconciliatur Ecclesiæ, ut gaudium et exsultatio, onvocat sancta mater nostra amicas et vicinas, dicens : « Congratu-

Digitized by Google

lamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram (*Luc.* xv, 9). » Ecce in castra ingressus est; manet tamen extra tabernaculum suum septem diebus, ut vivat scilicet extra omne desiderium hujus sæculi, usque ad vitæ suæ finem, donec in septima die, quæ ultima est, raso iterum capite, et pilis omnibus corporis sui, totus purificatus inveniatur.

« Et lotis rursum vestibus, et corpore, die octavo « assumet duos agnos immaculatos, et ovem annicu- « lam, absque macula, et tres decimas similæ in « sacrificium, quæ conspersa sit oleo, et seorsum « olei sextarium. » Prima enim finita, secunda iterum hebdomada incipit, siquidem octava dies alterius septimanæ principium est. In hac igitur, sicut et in prima, homo lavatur aliudque offert hic sacrificium, quo purificatur. In hoc autem sacrificio, jam non passeres, sed agnus immolatur, qui tollit peccata mundi. Primus enim agnus Christus est, secundus apostolorum chorus, uterque utique immolatus. Ovis vero annicula, et immaculata Ecclesia est, non habens maculam, neque rugam, quæ quoniam in tribus partibus tota consistit, in Asia videlicet, Africa et Europa, tres similæ decimæ ei junguntur. De his enim in Evangelio dicitur : « Simile est regnum cœlorum fermento, quod abscondit mulier in farinæ satis tribus (*Luc.* xiii, 21). » Hæc autem simila oleo conspergitur, quia S. Spiritus gratia Ecclesia inungitur. Olei vero sextarius, qui superadditur cum primo agno in sequentibus offerri jubetur. Tres autem, quantum ad litteram decimæ fiunt, si de triginta sextariis tres sextarios tollas. Sequitur :

« Cumque sacerdos purificans hominem statuerit « eum, et hæc omnia coram Domino in ostio taber- « naculi testimonii, tollet agnum et offeret eum pro « delicto oleique sextarium, et oblatis ante Domi- « num omnibus, immolabit agnum, ubi immolari « solet hostia pro peccato et holocaustum in loco « sancto. » Notandum autem quia superius sacrificium non solum sacerdos, verum etiam homo qui mundandus est, offert. Hic autem non homo qui mundandus est, sed solus sacerdos offert sacrificium. Neque enim conveniens erat ut hoc sacrificium homo qui mundabatur offerret. Statuit autem sacerdos hominem qui purificatur ante ostium tabernaculi, quatenus et audire et videre facile possit ea quæ in tabernaculo fiunt. Deinde vero offert agnum oleique sextarium, laudans, prædicans, commemorans et exponens Christi passionem : qualiter justus pro impiis, dominus pro servis, ne morerentur illi, mortuus est ille; quanto oleo affluebat, quanta pietate et misericordia inundabat, cum pro suis etiam crucifixoribus orabat, dicens : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* xxiii, 34). » Hoc est enim sacrificium laudis, quo peccata delentur, quo ille qui mundatur ad amorem Dei accenditur, et ad pietatem et misericordiam provocatur.

« Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ « immolata est pro delicto, ponet super extremum « auriculæ dextræ illius qui mundatur, et super pol- « lices manus dextræ et pedis. » In aure enim auditus, in manu et pede operatio intelligitur. Tangit ergo aurem sanguis Christi, ut munda sit, semperque aperta ad audiendum verbum Dei, secundum illud : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* viii, 8). » Et quia sicut Apostolus ait : « Non auditores legis justificati sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (*Rom.* ii, 13). » Tangit quoque manum et pedem, ut et bene operetur, et currat in via mandatorum Dei. Quoniam autem sinistra et adversa pars nescire debet quid faciat dextera, in sola dextera parte tangitur, quasi qui sinistram non habeat. Tangitur autem in extremitatibus, ut usque in finem perseveret.

« Et de olei sextario mittet in manum suam si- « nistram, tingetque digitum dextrum in eo, et « asperget septies contra Dominum. Quod autem « reliquum est olei, in læva manu fundet super « extremum dextræ auriculæ ejus, qui mundatur, « et super pollices manus, et pedis dextri, et super « sanguinem, qui fusus est pro delicto, et super « caput ejus, rogabitque pro eo coram Domino. » Sacerdos enim utraque manu operatur, quia per arma justitiæ a dextris et a sinistris, nec adversis frangitur, nec prosperis elevatur. Portat oleum in sinistra, spargit cum dextra : hoc autem septies, et contra Dominum. Septies enim sacerdos contra Dominum oleum spargit, quia semper et omni tempore pro peccatoribus interpellat. Quid enim oleum, nisi sanctorum sunt orationes? Hoc enim oleo superni judicis indignatio mollitur, et mitigatur. Et in sinistra quidem oleum portat, qui, quandiu in hac vita est, nunquam a misericordia cessat. Qui bene contra Dominum manu dextera spargit, quia quasi potenti et valida manu omnem suam operationem ad Deum dirigit. Reliquum autem super aurem dexteram, et manum et pedem ejus qui mundatur, effundit, ut audiat et intelligat quid significet : « Misericordiam volo, et non **155** sacrificium (*Osee* vi, 7) : » Et illud : « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est (*Luc.* vi, 36. » Hoc auris audiat, in hoc et manus et pes delectetur, ut pietatem et misericordiam operetur. In his autem duobus membris pene omnis operatio nostra consistit. Fundit autem sacerdos oleum et super sanguinem hostiæ, et super caput illius qui mundatur : super sanguinem quidem, quoniam totus ille sanguis pietate et misericordia pinguis, pro sola pietate et misericordia fusus est : super caput vero, ut mens hominis hoc unguento pinguescat, secundum illud : « Tu vero cum jejunas, unge caput tuum (*Matth.* vi, 17). » Cui contrarium est : « Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum (*Psal.* cxl, 5). » (273) Sic igitur homo inunctus sciat

(273) Ex cod. Casin. editio emendatur. *Sed neque de ipsis criminibus, quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est, agentibus pœnitentiam secundum modum cujusque peccati.* (Aug. *Enchirid.* cap. 22).

Digitized by Google

et intelligat quia misericordiæ oleo est salvatus, misericordia liberatus, misericordia reconciliatus; ideoque dicat : « Misericordias Domini in æternum cantabo. (*Psal.* LXXXVIII, 2). » Dicamus et nos : « Quis sapiens, et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini ? » (*Psal.* CVI, 45).

« Et faciet sacrificium pro peccato. Tunc immolabit holocaustum, et ponet illud in altari cum « libamentis suis, et homo rite mundabitur. » In hoc enim holocausto agnus, et ovis, et tres decimæ similæ immolantur, quoniam SS. apostolorum, et totius Ecclesiæ fides, spes, charitas et misericordia, patientia et humilitas, pietas, sapientia et sancta conversatio laudatur, prædicatur, et narratur, et in laudis et jubilationis sacrificio immolatur : his enim homo imbuitur et docetur, ut sciat quid agat, quid credat, quid sequatur, quid fugiat et quomodo ulterius in conventu fidelium conversari debeat. Qui si bene intellexerit, et fideliter egerit, mundus erit.

« Quod si pauper est, et non potest manus ejus « invenire quæ dicta sunt, sumet agnum pro delicto « ad oblationem, et roget pro eo sacerdos, deci- « mamque similæ conspersæ oleo in sacrificium, et « olei sextarium, duosque turtures, sive duos pullos « columbæ, quorum sit unus pro peccato, et alter « in holocaustum, offeretque ea die octavo purifica- « tionis suæ sacerdoti. » Quantum autem ad significationem, non minus pauper, quam dives offerre videntur : offert quidem, non etiam immolat, immolare sacerdotis est. Hic autem est ille agnus, de quo superius diximus, qui tollit peccata mundi. Hæc decima pars similæ in tres decimas supra dividitur : hic olei sextarius qui, cum agno immolatur, Dei misericordia est : duæ vero turtures, vel duo pulli columbæ, duo passeres sunt, de quibus superius diximus. Quia enim hæc et cætera, quæ de hoc sacrificio sequuntur, modo supra exposuimus, breviter hæc dixisse sufficiat.

Sequitur autem de domo leprosa, de qua ille, cujus est, nuntiat sacerdoti quod quasi plaga lepræ videatur in domo sua ; at ille præcipiat ut omnia foras efferantur, et claudatur domus septem diebus ; si vero die septimo lepram crevisse viderit, tunc lapides, in quibus lepra est, eruat, aliosque pro eis ponat ; domum autem intrinsecus radat, et extra urbem in locum immundum pulverem projiciat. Quod si etiam post hæc, sacerdos ingressus reversam lepram esse cognoverit, lepra perseverans est, et domus immunda, quam statim destruent, et lapides, et ligna et pulverem universum projicient extra castra in locum immundum. Hæc autem breviter exponamus, quoniam per ea quæ dicta sunt facile intelligi possunt. Si igitur, o homo, quicunque es, videris quasi plagam lepræ in domo tua, si cognoveris doctrinam hæreticæ pravitatis in potestate, et in familia, et in grege tuo, nuntia hoc sacerdoti, nuntia hoc sanctorum cœtui et congregationi ; nihil enim temere judicandum est ; omnia ratione et ordine fiant. Præcipit ergo sacerdos, et ordo sanctorum, ut omnia efferantur foras, totusque populus se ab eis separet, quorum scientia, et doctrina videtur esse leprosa : claudatur domus septem diebus, oppilentur eorum ora qui male loqui videntur, interdicatur eis ne hanc doctrinam in populo seminent, donec diligentissime discussa, utrum sana, an leprosa sit, a sacerdotibus judicetur. Quod si forte die septimo, die ad hoc negotium definiendum constituto, lepram et hæresim crevisse viderint, crescit enim, quando apertissime manifestatur, eruant lapides, in quibus lepra est, damnent sententias, in quibus hæresis est, ponant alios lapides pro eis, id est catholicæ fidei doctrinam, et sententias eos doceant, omni hæretica pravitate evacuata ; radant domum intrinsecus, omnemque errorem ab eorum cordibus et mentibus evellant, totum pulverem, totamque illius lepræ caliginem et immunditiam extra urbem, et extra Ecclesiæ terminos projiciant. Si vero post hæc omnia, quod absit ! lepra revertatur, et eos qui modo mundati fuerant iterum hæretica pravitate sacerdos viderit esse contaminatos, lepra perseverans est, et domus immunda. Unde Apostolus ait : « Hæreticum hominem post secundam correctionem devita, sciens quia subversus est hujusmodi (*Tit.* III, 10). » Destruatur igitur talis domus, et lapides, et ligna, et pulvis universus extra oppidum projiciatur ; damnentur, excommunicentur, anathematizentur hæretici, et cum doctrina et hæresibus suis extra catholicam Ecclesiam expellantur. Illoc autem in locum immundum fiat ; omnis **156** enim locus immundus est, qui extra Ecclesiam est.

« Qui intraverit domum, quando clausa est, im- « mundus erit usque ad vesperum ; et qui dormierit « in ea, et comederit quidpiam, lavabit vestimenta « sua. » Tanto enim tempore domus clausa est, quanto hæreticus ab Ecclesia separatus, et excommunicatus est. Intrare autem in eam, quid est, nisi participare et communicare illi ? Hoc autem qui fecerit, immundus erit usque ad vesperum, vesperum autem non diei, sed peccati, cum enim per pœnitentiam finitur, tunc ad vesperum peccatum, et ad finem pervenit. Sed quid est dormire in ea, nisi in ejus doctrina quodammodo quiescere et delectari ? Nam et ille in ea dormit, qui in ea decipitur, et sensum amittit. Unde non immerito tales insensati dicuntur, quibus Apostolus ait : « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Eph.* V, 14). » In ea vero comedit quicunque ejus insania repletur et saturatur. Lavet ergo vestimenta sua, agat pœnitentiam, audiat quod scriptum est : « Omni tempore sint vestimenta tua candida (*Eccl.* IX, 8). »

« Quod si introiens sacerdos viderit lepram non « crevisse in domo, postquam demolita est, purifi- « cabit eam, reddita sanitate, et purificatione ejus, « sumet duos passeres, lignumque cedrinum, et « vermiculum, atque hyssopum, et immolato uno

Digitized by Google

« passere in vase fictili super aquas viventes, » etc. Hoc autem totum in prima leprosi mundatione et scriptum et expositum est.

CAPUT XV.

« Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron, « dicens : Loquimini filiis Israel, et dicite eis : Vir « qui patitur fluxum seminis, immundus erit, et « tunc judicabitur huic vitio subjacere, cum per « momenta singula adhæserit carni ejus, atque « creverit fœdus humor. Omne stratum, in quo dor- « mierit, immundum erit, et ubicunque sederit. » Hoc quoque sub eadem intelligentia, quæ habetur de domo leprosa. Nam vir iste hæreticus est, cujus turpis doctrina, per eum in multorum animis seminata, quasi immundum semen, tendit ad generandum plurimos in eadem hæresi. Cum ergo semen illud iniquæ prædicationis per singula momenta carni ejus, ori ejus adhæserit ; dum non cessat hæreticam doctrinam suam divulgare, judicabitur huic vitio subjacere. Tunc quidquid tetigerit, immundum erit; quisquis enim fuerit ab eo seductus, immundus erit. Quicunque igitur ei crediderit, eumque fuerit imitatus, lavet vestimenta sua ; pœnitentiam agat ; sicque per confessionem et pœnitudinem solus immundus erit usque ad vesperum ; quia non post tempus longum, sed breve post spatium, tanquam unius diei, de mane scilicet usque ad vesperum, remittetur ei peccatum hujusmodi a populo. Sedere autem super lectum, stratum, et sagma ejus, est hæresim ipsam acceptare, laudare et servare.

« Si autem sanatus fuerit qui hujusmodi sustinet « passionem, numerabit septem dies post emunda- « tionem sui, et lotis vestibus, et toto corpore in « aquis viventibus, erit mundus. Die autem octavo « sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ et « veniet in conspectum Domini ad ostium taberna- « culi testimonii, dabitque eos sacerdoti qui faciet « unum pro peccato, et alterum in holocaustum. » Si sanatus fuerit qui hujusmodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem. Septem dies ponuntur pro toto pœnitentiæ tempore, in quo debet pœnitens peccata sua lavare in aquis viventibus ; in operibus scilicet spiritualibus, eleemosynis, jejuniis, orationibus, lacrymis, quæ viva opera vitam obtinere valeat, et salutem. Die vero octava, id est post expletam pœnitentiam dierum septem, sumet duos turtures, vel duos pullos columbæ ; rogabitque pro eo sacerdos, et mundabitur. Duobus enim modis mundatus prius, scilicet pœnitentia contritionis, et satisfactionis, quasi pullis duobus oblatis, postmodum absolvitur. Debet autem duos illos turtures, vel pullos columbæ manibus tenere, ad offerendum Domino postquam Deo reconciliatus est et mundatus, debet ei perpetuo adhærere, et in bene vivendo perseverare, prout jam dictum est supra.

« Mulier quæ, redeunte mense, patitur fluxum « sanguinis, septem diebus separabitur. Omnis qui « tetigerit eam immundus erit usque ad vesperum, « et in quo dormierit, vel sederit diebus separationis « suæ, polluetur. » Hoc enim de una anima, et de tota Ecclesia malignantium intelligi potest. Fluxum namque sanguinis patitur qui in peccatis perseverat. Quæ enim anima redeunte mense hoc patitur (siquidem menses semper redeunt), peccatum reiterare non timet. Semper ergo sanguinem fluit, qui semper peccatum operatur. Sanguinem enim peccatum significare manifestum est. Septem autem diebus separatur, quia nisi pœniteat, et peccare desistat, Ecclesiæ nunquam reconciliari debet. Hanc autem qui tetigerit (tangere autem imitari est) immundus erit. Sufficit autem una expositio et in viro qui patitur fluxum seminis, et in muliere quæ patitur fluxum sanguinis ; utrumque enim pene idem significat, atque de eodem intelligi potest, unde una oblatio et purificatio est utriusque.

157 CAPUT XVI.

« Locutus est Dominus ad Moysem : Loquere ad « Aaron fratrem tuum ; ne omni tempore ingrediatur « sanctuarium, quod est intra velum coram propi- « tiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur : quia « in nube apparebo super oraculum. Nisi hoc ante « fecerit, vitulum offeret pro peccato, et arietem in « holocaustum. Tunica linea vestietur, feminalibus « lineis verenda celabit. Accingetur zona linea, ci- « darim lineam imponet capiti. Hæc vestimenta sunt « sancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur. » In nube enim Dominus et caligine prius apparebat, quia postea carnis velamine tectus apparere debebat : nubes enim illa Christi carnem significabat. Apparet autem et nunc Dominus in nube super oraculum, quoniam in sacramento sub aliena specie cernitur super altare. Ad hoc autem oraculum, ad hoc altare, et sacramentum accedere, neque semper, neque omnibus licet ; prius enim offerre necesse est vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, id est prius credere necesse est Christum Dominum pro peccatis nostris immolatum, et totum in ara crucis corporaliter passum. Hoc enim quia Judæi, et infideles non credunt, ad hoc propitiatorium non accedunt : credunt enim passum, sed non pro peccato in holocaustum. Nos autem, quamvis ista credamus, non tamen adhuc sufficit, nisi et sequentia superaddamus. Vestiamur ergo lineis vestimentis, ut toti candidi, et super nivem dealbati, interioris et exterioris hominis munditiam, et castitatem, per omnia custodiamus. Hæc enim vestimenta sancta sunt, ideoque omnia de lino fiunt, de quibus in Exodo sufficienter diximus. Cidarim autem lineam imponit capiti, qui avertit oculos suos ne videant vanitatem ; quinque enim corporis sensus in capite vigent, qui si hanc cidarim super se habuerint, casti et immaculati erunt. His ergo vestibus non solum sacerdos, verum etiam totus populus vestiatur, si ad Christi corporis et sanguinis sacramentum accedere velit. Castitatem non solum virgines, sed continentes quoque, et conjugati habere possunt. Sequitur :

« Suscipietque ab universa multitudine filiorum

« Israel duos hircos pro peccato, et unum arietem « in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, et « oraverit pro se et domo sua, duos hircos stare « faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimo- « nii, mittensque super utrumque sortem, unam « Domino, et alteram capro emissario ; cujus sors « exierit Domino, offeret illum pro peccato ; cujus « autem in caprum emissarium, statuet eum vivum « coram Domino, ut fundat preces pro eo, et emittat « illum in solitudinem. » De Christo tam hircus, quam aries est significatio. Hircus enim ponitur de similitudine carnis peccati ; aries autem, qui ovinum est genus, dicitur de eo, qui tanquam ovis ad victimam ductus est. Primus ergo hircus de Christo est mysterium ; alter autem est Antichristus ; ille enim sorte exiit in holocaustum Domino pro peccato: secundus hircus post multas preces, imo maledictiones, mittitur in solitudinem. Judæi enim per orbem dispersi, videntur hunc hircum secum deferre, quia ipse, secundum eos, est Messias, quem exspectabant; et adhuc exspectantes eum, per diversas regiones, in quibus divisi sunt, secum trahunt hircum illum.

« His rite celebratis, offeret vitulum, et rogans « pro se et pro domo sua, immolabit illum, assumptoque thuribulo quod de prunis altaris impleverit, « et hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in sancta : ut, positis « super ignem aromatibus, nebula eorum, et vapor « operiat oraculum, quod est super testimonium, et « non moriatur. Tollens quoque de sanguine vituli, « et asperget digito septies coram Domino contra « propitiatorium ad orientem. » Postquam, inquit, sacerdos prædictis vestibus indutus fuerit ; postquam duos hircos sorte diviserit (sic enim se habet ordo) offerat vitulum, et rogans pro se, quia et peccator ipse est, et pro domo sua, id est pro populo sibi subjecto, immolabit eum. Superius enim offertur, id est ad tabernaculum ducitur : hic autem non tantum offertur, sed et immolatur ; hoc autem non sine thymiamate, et bono odore ; qui enim Christi conficit sacramentum, qui ad ejus carnem, et sanguinem sumendum accedit, morum honestate, et virtutum suavitate redolere debet. Sacerdos ergo, assumpto thuribulo, thuribulum enim pectus est, impleat illud de prunis altaris, ut sancti Spiritus et charitatis igne succendatur ; deinde vero aromatibus super ignem positis, transeat velum, ingrediatur sancta, totusque super ipsum cœlum mente, et spiritu elevatus, virtutum vapore, et sanctarum precum odore et sibi, et populo Deum repropitietur. Unde et subditur : « Tollensque de sanguine vituli, et asperget septies coram Domino propitiatorium ad orientem. » Septies enim vituli sanguis contra propitiatorium spargitur, quia usque ad sæculi consummationem cunctis diebus Christi sanguis pro nobis ad Patrem interpellat. Sequitur :

« Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, « inferet sanguinem intra velum ; sicut præceptum « est de sanguine vituli. » Quia enim et hircus, et vitulus idem significant, idcirco uno, eodemque ritu immolantur. Sequitur :

« Nullus hominum sit in tabernaculo, quando « pontifex ingreditur sanctuarium, ut roget pro se, « et pro domo sua, et universo **158** cœtu Israel, do- « nec egrediatur. » Hoc autem ideo jubere videtur, ut in illa sancta contemplatione silentium ab omnibus fiat, ac si solus pontifex adesset ; quatenus sine strepitu, et tumultu omnique inquietudine, mundas preces ad Deum fundere valeat.

« Cum autem exierit ad altare, quod coram Do- « mino est, oret pro se, et pro domo sua, et sumptum sanguinem vituli, atque hirci fundat super « cornua ejus per girum, aspergensque digito « septies, expiet illud, et sanctificet ab immunditiis « filiorum Israel. » Hoc enim altare Ecclesia est per cujus quatuor cornua quatuor mundi partes intelliguntur. Hoc autem altare septies sanguine spargitur, quia usque ad sæculi consummationem tota Ecclesia Christi sanguine expiatur, et sanctificatur. Sive ergo intus, sive extra pontifex fuerit, sive activam, et contemplativam vitam agat, semper et pro se, et pro populo orare debet.

« Postquam emundaverit sanctuarium, et taber- « naculum, et altare, tunc offerat hircum viventem, « et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa « delicta, et peccata eorum ; quæ imprecans capiti « ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum. » Mundatis enim omnibus, et expleto sacrificio, utramque manum super caput viventis hirci pontifex ponit, ut omnium iniquitatum reum simul cum capiti suo diabolo, quibuscunque viribus potest, eum damnat, et maledicit. Non solum enim nostri, verum etiam et Judæorum pontifices in sacris voluminibus, quamvis non intelligentes, Antichristum quotidie damnant : de ipso enim in psalmis legentes, sed non intelligentes assidue dicunt (*Psal.* IX *et seqq.*): « Cujus os maledictione plenum est, et amaritudine, et dolo, sub lingua ejus labor, et dolor ; sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. » Et paulo post : « Contere brachium peccatoris, et maligni ; » de quo et Apostolus ait : « Quia nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui adversatur, et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut colitur ; ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus (*II Thess.* II, 3). » Homo ad hoc servitium paratus, per quem Antichristus in desertum mittitur, Judæorum populus est, qui pro suis iniquitatibus ubique gentium dispersus, eum colit, et prædicat, sequitur et veneratur.

« Cumque portaverit omnes iniquitates eorum in « terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, « revertetur Aaron in tabernaculum testimonii, e « depositis vestibus quibus prius indutus erat, cum « intraret sanctuarium, relictisque ibi, lavabit car- « nem suam in loco sancto, induturque vestimentis

Digitized by Google

« suis. » Portat enim Antichristus omnes iniquitates filiorum Israel in infernum, in desertum, in terram solitariam, quia propter eos, quos decepit, æternis incendiis mancipabitur, dignam iniquitatis suæ pœnam sustinebit; ibi dimittetur et deseretur, cruciabitur et flagellabitur. Deinde Aaron revertetur in tabernaculum testimonii, quia cognita veritate Judæorum pontifices ad fidem et Ecclesiam convertentur; ibique depositis atque relictis primis vestibus et significativis, lavabunt carnem suam aqua baptismatis, et induentur suis vestimentis, ut litteræ velamine exspoliati et veritate, quæ Christus est, adornati, non in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus in sancta Ecclesia conversentur. Similiter autem de illo, « qui dimiserit caprum emissarium, « lavabit vestimenta sua et corpus aqua, et sic egre- B « dietur in castra. » Diximus enim superius quod homo ille Judæorum populus est: unde manifestum est quia non solum pontifices et legisperiti, verum etiam totus Judaicus populus juxta mundi hujus consummationem Antichristum relinquet, et ad fidem conversus aqua baptismatis regeneratus Ecclesiæ castris sociabitur. Unde Apostolus ait: « Cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25).

« Vitulum autem et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est in « sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt « foras extra castra, et comburent igni tam pelles « quam carnes eorum et fimum (274). » Semper enim ubicunque hæc fuerint, sola expositio Apo- C stoli sufficere debet, qui ait: « Quorum enim animalium infertur sanguis in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra: ita et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est (*Hebr.* XIII, 11). » Quibus Apostoli verbis apertissime demonstratur, quoniam per vitulum, et hircum Christi passionem intelligere debemus. Et quicunque combusserit ea, lavabit vestimenta sua, et carnem aqua, et sic ingredietur in castra. Magna enim Dei misericordia in hac sententia prædicatur, quia ipsis quoque, qui eum occiderunt, si ex aqua, et Spiritu sancto regenerati fuerint, venia et indulgentia Ecclesiæque introitus repromittitur.

« Mense septimo, decima die mensis, affligetis D « animas vestras, nullumque facietis opus, sive indi- « gena, sive advena, qui peregrinatur inter vos. In « hac die expiatio erit vestri atque mundatio: ab « omnibus iniquitatibus vestris coram Domino mun- « damini. Sabbatum enim requietionis est, et affli- « getis animas vestras religione perpetua. » Quid est enim septimo mense, et decima die mensis, nisi ultima die omnium mensium? Septimus enim in diebus, et decimus in numero ultimus est. Sicut enim omnes dies in septem, ita omnes numeri in decem continentur. Quod igitur Judæi in A **159** in hac die se affligebant, nullumque opus faciebant, et quod se expiantes ab omnibus suis iniquitatibus mundabantur, illius ultimi diei significatio erat, in quo qui modo se affligit, non affligetur, in quo omnis mundana operatio cessabit, in quo ab omni corruptione et iniquitatibus sanati, expiati, et innovati æternam suscipient beatitudinem. Sabbatum enim requietionis erit, de quo Apostolus ait: « Relinquitur sabbatismus populo Dei (*Hebr.* IV, 9). » Non enim hoc juxta litteram fieri potest, ut decima dies septimi mensis in Sabbato semper occurrat.

« Expiabit autem sacerdos, qui unctus fuerit, et « cujus initiata est manus, et sacerdotio fungatur « pro patre suo, induetur que stola linea et vestibus « sanctis, et expiabit sanctuarium Testamenti atque « altare; sacerdotes quoque et universum populum: « eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oret « tis pro filiis Israel, et pro cunctis peccatis eorum « semel in anno. » Semel enim hoc in anno in figura fiebat, quia semel in veritate fieri debebat. Semel enim Sacerdos magnus Jesus (qui unctus est oleo lætitiæ præ participibus suis, qui patri suo Melchisedech in sacerdotio successit, sicut scriptum est: « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech [*Psal.* CIX, 5] »), omnia expiabit et sanctificabit; tunc videlicet, quando faciet cœlum novum et terram novam; quando illa « creatura, quæ vanitati subjecta est non volens, liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VII, 21). » Tunc induetur stola linea et vestibus sanctis, quia apparebit in gloria et majestate (275). Talibus enim vestibus in monte transfiguratus tribus discipulis quondam apparuit.

CAPUT XVII.

Hinc autem præcipit Dominus ut nullum sacrificium offeratur, nisi ad ostium tabernaculi testimonii: volens omnem occasionem populo auferre ne idolis immolaret. Hoc est enim quod ait: « Et nequaquam « ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum « quibus fornicati sunt. » Quamvis et per hoc significari possit quod nusquam veri sacrificii locus sit extra Ecclesiam. Sanguinem quoque omnium animalium comedere interdicit, eo quod anima in sanguine sit, ad cujus piaculum super altare sanguis offerri debet. Quod autem ait: « Anima carnis in san- « guine est; » tale est ac si diceret: Vita carnis in sanguine est, ut anima pro vita intelligatur: non enim caro sine sanguine vivere potest. Quid est igitur sanguinem comedere, nisi carni vitam auferre? Hoc homicidæ audiant, et sanguinem comedere et bibere timeant, quoniam « virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus (*Psal.* V, 7). » Sequitur:

« Homo quicunque de filiis Israel et de advenis « qui peregrinantur apud vos, si venatione atque « aucupio feram, vel avem capiunt, quibus vesci « licitum est, fundat sanguinem ejus, et operiat il- « lum terra. » Qui enim intelligit quid sint duo

(274) Id. Cod. Casin. *Ubicunque hæc nominantur, sola Apostoli expositione declarantur*, qui ait.
(275) Cod. Casin.: *et majestate Patris.*

Digitized by Google

greges ovium, et quid sit unum ovile, et unus pastor, intelligit et qui sint filii Israel, et qui sint advenæ, qui peregrinantur apud eos. Illi autem venatione, vel aucupio feram, vel avem capiunt, quando hæreticos, vel philosophos evangelica prædicatione ad fidem convertunt. Quoniam quidem sanguinem fundunt, et terram operiunt, quoniam eorum peccata aqua baptismatis abluunt, ut quasi mortua, et sepulta ulterius non appareant. Unde Psalmista ait : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* xxxi). »

« Anima, quæ comederit morticinum, vel captum « a bestia, lavabit vestes suas, et semetipsum aqua, « et contaminatus erit usque ad vesperum ; quod si « non laverit, portabit iniquitatem suam. » Morticinum enim est, quicunque eam vitam non habet, quæ in Evangelio loquitur, dicens : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* xiv, 6). » Captum vero a bestia est, qui ab hæreticis seductus est. Hos autem comedere, est eos suscipere, eis communicare, et eos imitari; quod qui fecerit, lavet se interius, et exterius aqua, agat pœnitentiam, et immundus erit usque ad vesperum. Quid sit autem usque ad vesperum, sæpe jam diximus.

CAPUT XVIII.

Sequitur autem de turpitudine et incestu. Quæ quoniam tota Ecclesia secundum litteram intelligit et observat, aliam in eis quærere expositionem, aut inutile, aut superfluum esse videtur. De quibus quidem reddere rationem valde difficile est, nisi fortasse tales conjunctiones ideo Deus fieri interdixit, ut dilectionis vinculum etiam in extraneos extenderetur. Non enim necesse habet aliquis propinquis suis alio vinculo, ut plus eos diligat, colligari, quam mater ex sola sanguinis propinquitate multum eos diligere debet. Conjungatur igitur aliis, quos nondum diligit, ut quadam affinitate eos diligere, et amare incipiat (276). Sive ergo propter hoc, sive propter aliud, si tales Deus **160** conjunctiones fieri prohibuit, timendæ valde et fugiendæ sunt, quia ipse prohibuit. Unde et hic dicit : « Custodite leges atque judicia, quæ « faciens homo, vivet in eis : Ego Dominus. » Quod tale est ac si diceret : Homo, qui ea non fecerit, morietur. Quæcunque præterimus, ideo præterimus, quia aut superius exposita, aut intellectu facilia sunt, sicut modo hic de hostia pacificorum, de qua in superioribus satis dictum est. Sequitur :

CAPUT XIX.

« Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis « usque ad solum superficiem terræ, nec remanen- « tes spicas colliges, neque in via tua racemos et « grana decidentia congregabis, sed pauperibus et « peregrinis decarpenda dimittes. » Hæc autem verba, quamvis ad litteram intellecta, pietatis et misericordiæ plena sint, aliud tamen significare possunt. Ubi enim peregrini et pauperes non sunt, diligentissime messem colligere, et usque ad solum tondere, nullum videtur esse peccatum; pauperes enim istos, non substantia pauperes sed scientia esse putamus. Peregrinos vero, qui noviter ad fidem conversi sunt. Terra autem est Ecclesia, cujus quidem segetes sunt sanctarum voluminа Scripturarum. Has autem segetes usque ad solum tondet, qui sacras Scripturas profundissime exponit. Remanentes vero spicas, et grana decidentia colligit, qui iterum atque iterum reiterando ea, quæ minus caute præteriisse videbatur, diligentius perscrutatur, et investigat : hoc autem inter sapientes et intelligentia divites fieri debet. Inter pauperes vero et indoctos, solam litteram et superficiem metere et exponere sufficit, quos quidem non messe et solito cibo onerare debemus, sed ad fidei instructionem pauca verba, quasi paucas spicas debemus relinquere; de quibus Apostolus : « Lac, inquit, vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* iii, 2). » De sapientibus vero sic ait : « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* ii, 6). » Alibi ergo usque ad solum, alibi vero in sola superficie messes istæ tondendæ sunt.

« Non maledices surdo, nec coram cæco pones « offendiculum. » Surdi enim et cæci non solum Judæi et gentiles, sed quicunque veritatem audire et intelligere nolunt; hos autem non maledicere, sed humiliter admonendo ad fidem vocare debemus. Coram quibus offendiculum ponere, est aliquid in eorum præsentia agere, unde rationabiliter scandalizari possunt. Hoc autem qui non intelligit, legat Epistolam Apostoli ad Romanos, ubi ait : « Non ergo amplius invicem judicemus; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratribus (*Rom.* xiv, 13). »

« Jumenta tua non facies coire cum alterius gene- « ris animantibus. Agrum non seres diverso semine. « Veste, quæ ex duobus texta est, non indueris. » Hæc enim pene idem significare videntur. Jumenta enim sua cum alterius generis animantibus coire facit, qui stultos quosque et imperitos, quos regere debet, ab hæreticis corrumpi qualibet occasione permittit. Dei vero agrum diverso semine serit, qui in Ecclesia prædicando catholicæ fidei errorem admiscet. Veste autem ex duobus texta induitur, qui ex parte catholica et ex parte hæretica fide vestitur. Quod enim Apostolus ait : « Induite vos Dominum Jesum Christum (*Galat.* iii, 27); » quid est, nisi induite fidem Domini nostri Jesu Christi? Vestis ergo fides est.

« Homo si dormierit cum muliere coitu seminis, « quæ sit ancilla etiam nubilis, et tamen pretio non

(276) Aliæ rationes hujus divinæ legis vetantis matrimonia inter conjunctos sanguine et affines afferri possunt, quarum potissima eruitur ex ipsis mandati verbis sæpe repetentis *non revelandam turpitudinem fratris, patris sui, sororis, matris, patrui*, etc., quibus præcipitur servandus debitus honor erga parentes, et proxime ab illis descendentes, ut qui sunt in tertio, et quarto gradu consanguinitatis; altera ratio reddi poterit : ne scilicet, si propinquorum, qui eadem sæpe in domo vivunt, simul concedatur conjugii permissio, detur ante initum matrimonium non casti amoris occasio.

Digitized by Google

« redempta, nec libertate donata, vapulabunt ambo, A « et non morientur, quia non fuit libera. » Quia enim, sicut scriptum est : « Omnis qui facit peccatum servus est peccati (*Joan.* VIII, 34); » quæcunque anima in crimine est, ancilla est : etsi etiam nubilis, et Ecclesiæ filia, et aqua baptismatis sit regenerata. Nisi ergo pœnitentiæ pretio redimatur, et a peccato liberetur, ut jam non sit ancilla, sed libera, cum ea dormiendum non est; quia talis conjunctio illicita est. « Quæ enim societas luci ad tenebras, quæ participatio Christi ad Beliad? (*I Cor.* VI, 15.) » Sæpe tamen contingit talis conjunctio; nam et viri religiosi sceleratis hominibus communicant, dum videntur eis adhærere et blandiri. Sed quid « vapulabunt ambo, et non morientur? » Vapulent igitur pœnitentia voluntaria, ut non moriantur; nisi B enim sic vapulaverint, morientur. Non solum enim qui peccat vapulare debet; sed is quoque qui particeps fit peccati ejus per communicationem cum eo, quemadmodum contingit per participationem quæ habetur cum excommunicatis. Hoc autem audiant illi, qui excommunicatis communicant. « Pro delicto « autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi « testimonii arietem, orabitque pro eo sacerdos, et « dimittetur ei peccatum. » Arietem enim offert, qui stultam simplicitatem mactat et immolat; nisi enim stultus fuisset, nequaquam cum anima cubasset, quam sciebat ancillam esse iniquitatis. Sequitur :

« Quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis « in ea ligna pomifera, et auferetis præputia eorum: « poma quæ germinant immunda erunt vobis, nec C « edetis ex eis usque quarto anno : omnis fructus « eorum sanctificabitur laudabiliter Domino : quin- « to autem anno comedetis fructus, congregantes « poma **161** quæ proferunt. » Talia enim ligna Apostolus plantaverat, qui ait : « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit (*I Cor.* III, 6). » Quorum quidem præputia auferebat, cum diceret : « Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. Non adulterabis, non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui (*Rom.* XIII, 8), » et similia : hæc enim præputia tollenda sunt. Quæ enim prius sublata fuerint omnia, poma quæ germinaverint, immunda erunt; ideoque non comedentur usque in quartum annum. Quatuor enim anni, quatuor Evangelia sunt, quorum aqua, atque doctrina quæcunque ligna irrorata non fuerint, immunda erunt, neque eorum poma comedi, neque eorum fides et verba suscipi debent. Quarto autem anno transacto, id est quatuor Evangeliorum doctrina plenissime suscepta, omnis prædictarum arborum fructus sanctificabitur laudabiliter Domino; et ideo quinto anno fructus comedere, et poma colligere licet; quia quatuor annis expletis, et ligna et poma sanctificata sunt.

« Non comedetis carnem cum sanguine. » Carnem enim comedere cum sanguine est sine pœnitentia et sanctificatione peccatorem Ecclesiæ reconciliare. « Non augurabimini, nec observabitis somnia. » Non enim auguriis et divinationibus, sed divinæ legis præceptis, et prophetarum, et apostolorum verbis credere fidelium Ecclesia debet. Somnia autem multos errare fecerunt, ideoque somniatores et falsa fingentes non facile audiendi sunt. « Neque « in rotundum tondebitis comam, nec radetis bar- « bam. » Si enim, ut sæpe diximus, mens caput est animæ, quæ erunt hujus capitis comæ, nisi cogitationes? harum autem aliæ bonæ, aliæ malæ. Non igitur in rotundam comam tondeamus, ne forte simul cum malis bonas quoque cogitationes succidamus; sed solis malis radicitus succisis, bonæ extendantur, et crescant. De malis enim cogitationibus, ut succidamus, Psalmista loquitur, dicens : « Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram (*Psal.* CXXXVI, 9) : » de bonis vero, ut crescere permittantur, sic ait : « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi (*Psal.* LXXV, 11). » Barbam vero radere non debemus, ut viri potius quam feminæ videamur, magisque virorum fortitudinem, quam mulierum mollitiem imitemur. Unde et sanctas mulieres, quæ plerumque animi fortitudine viros superant, rectissime barbatas dicere solemus. Quod enim nostri ordinis homines barbas radunt, alia significatio est : qui et hæc et similia magis spiritualiter, quam ad litteram intelligere, magisque viri fortes esse, quam videri volunt. Crescat ergo nobis barba interius, radatur exterius; illa enim sine impedimento crescit : hæc autem, nisi radatur, multa generat incommoda, et nonnisi a valde otiosis, et vanis hominibus cum pulchritudine nutritur. Multa prætermittimus quæ facilia esse videntur.

CAPUT XX.

Hinc autem præcipit ut occidatur quicunque de semine suo dederit idolo Moloch. Moloch enim *rex noster* interpretatur, in quo omnia idolorum portenta significari possunt, quorum regimine infelices homines se tutos esse arbitrabantur. Unum autem idolum posuit, ut quod in uno præcipitur, in omnibus observetur. Quod quidem si non fecisset, nequaquam Psalmista dixisset : « Et immolaverunt filios suos, D et filias dæmoniis (*Psal.* CV, 37). »

« Anima, quæ declinaverit ad magos et harioros; « et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam « contra eam, et interficiam illam de medio populi « sui. » Fornicatur enim anima quæ Deo per fidem conjuncta est, si, ad dæmoniorum ministros se convertens, vanis eorum credat superstitionibus. Quomodo enim non fornicatur, cujus fides tota corrumpitur? His autem et cæteris peccatis, pro quibus homo occidi jubetur, nisi digna pœnitentia deleta fuerint, secundum majorem intelligentiam animi perimitur. Unde quicunque ex his aliquid commiserit, eum ad sacros ordines accedere canones interdicunt.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Loquere ad sa-
« cerdotes filios Aaron, et dices ad eos : Ne conta-
« minetur sacerdos in mortibus civium suorum, nisi
« tantum in consanguineis et propinquis, id est
« super patre, et filio, fratre quoque, et sorore
« virgine, quæ non est nupta, sed nec in principe
« populi sui contaminabitur. » Non est enim om-
nium civium una mors, sed multæ sunt mortes, in quibus sacerdos se contaminare non debet. Alium enim avaritia occidit; alium superbia necat; alium luxuria perimit; atque alium discordia interficit. Tales ergo mortes sacerdos fugiat. Est etiam alia mors, quam sacerdos utique Judæorum evitare non poterat; illa videlicet qua pater ejus et mater, filius et filia, totaque cognatio moritur. Hoc est enim originale peccatum, quo ante Christi incarnationem nemo unquam mundari potuit. Præter hanc solam mortem, qua necessario contaminantur omnes, in nulla alia morte, et majori peccato Dei sacerdos contaminatur. Quamvis enim sine crimine, non tamen sine peccato homo vivere potest. Quia vero soror quæ viro nupta est, præter peccatum originale, aliud quoque per carnis voluptatem contraxisse **162** videtur, hac quoque morte et peccato sacerdotem contaminari vetat, et hoc est quod dicit : « fratre quoque et sorore virgine. » Accedit ergo sacerdos ad propinquorum mortem, quia sub eadem morte et ipse est. Quod autem ait : « Sed nec in principe populi sui contaminabitur; » ego de illo principe hoc intelligo, de quo ipse Dominus ait : Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV, 31); » cujus quidem mors superbia est, desperatio et mala voluntas. Sequitur :

« Nec radent caput, nec barbam, neque in carni-
« bus suis facient incisuras; sancti erunt Deo suo, et
« non polluent nomen ejus : incensum enim Domini,
« et panes Dei offerunt, et ideo sancti erunt. Scor-
« tum, et vile postribulum non ducet uxorem, nec
« eam quæ repudiata est a marito, quia consecra-
« tur Deo suo, et panes propositionis offert; sit ergo
« sanctus, quia et ego sanctus sum, qui sanctifico
« vos. » Caput enim et barbam radere, et in carnibus incisuram facere, doloris et tristitiæ indicium erat. Sed et idolorum sacerdotes hoc ritu diis suis olim immolare solebant. Unde Jeremias : « Sacerdotes eorum sedent, habentes tunicas scissas, et capita, et barbas rasas, quorum capita nudata sunt (*Baruch.* VI, 30). » De carnis vero incisione in libris Regum invenies. Quid autem per scortum, et vile postribulum, et eam quæ repudiata est a marito, nisi eam animam intelligimus, quæ ab hæreticis corrupta, et dæmonibus vitiata, et a Deo repudiata est? Huic autem sacerdos se jungere non debet, quia filii; qui ex ea generantur, non legitimi, sed spurii sunt. Unde ipse Dominus ait : « A fructibus eorum A cognoscetis eos (*Matth.* VII, 16). » Talium igitur consortia fugiant sacerdotes, qui consecrati sunt, et pollui non debent. Panes quoque propositionis offerunt, ques canibus dare ipse Dominus prohibet.

« Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro,
« et violaverit nomen patris sui, flammis exure-
« tur (276*). » Omnis anima vere est filia sacerdotis, cujus sacerdotium manet in æternum, secundum ordinem Melchisedech, in cujus nomine et regenerati, et baptizati sumus. Hæc ergo filia in stupro, seu in fidei violatione, deprehensa, est anima ab hæreticis seducta, quæ Christi fidem patris sui negavit, sicque nomen ejus violavit, de quo scriptum est : « Non accipies nomen Dei tui in vanum (*Exod.* XX, 7), » ideoque flammis exuretur, flammis utique æterni B ignis.

« Pontifex, id est sacerdos maximus inter fratres
« suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum,
« et cujus manus in sacerdotium consecratæ sunt,
« vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non
« discooperiet, vestimenta non scindet, et ad omnem
« mortuum non ingredietur omnino; super patre
« et matre non contaminabitur. Nec egredietur de
« sanctis, ne polluat sanctuarium Domini : quia
« oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est;
« Ego Dominus. » Cæteri enim sacerdotes a propinquorum suorum morte non prohibebantur : summo vero pontifici ad nullum omnino mortuum accedere licebat. Quare hoc? Quia Jesus sacerdotum omnium C maximus (277), solus sine peccato natus, solus impeccabilis in mundo conversatus est : ipse enim patris, et matris mortem per se non sensit, patris videlicet David, cujus sæpissime filius appellatur; matris vero Synagogæ, de qua secundum carnem natus est. Horum, inquam, mortem, et peccatum ipse non sensit. Et ipse quidem maximus est inter fratres suos, de quibus ipse ait : « Nuntiabo nomen tuum fratribus meis (*Psal.* XXI, 23). » Ipse quoque se oleo lætitiæ unctum significat, dicens : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (*Luc.* IV, 18). » Est autem indutus sanctis vestibus, decore videlicet et fortitudine; unde Psalmista ait : « Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, D et præcinxit se (*Psal.* XCII, 1). » Cujus quidem caput discoopertum non est, quia ejus divinitas ab hominibus visa non est; ut enim ait Apostolus : « Christi caput Deus (*I Cor.* XI, 3), » vestimenta quoque ejus non sunt scissa, quia ejus fides non est divisa. Nam et secundum litteram de ejus veste milites dixisse leguntur : « Non scindas illam (278), sed sortiamur de illa, cujus sit. » Infelix Caiphas, qui vestimenta sua scidit (*Matth.* XXVI); hujus præcepti immemor erat. Sequitur :

« Virginem ducet uxorem; viduam, et repudia-
« tam, et sordidam, et meretricem non accipiet, sed
« puellam de populo suo, ne commisceat stirpem

(276*) Ex eod. Cod. editio emendatur.
(277) Ex eod. Cod. expurgatur erratis editio.
(278) Cod. Casin. : *Sed mittamus sortem cujus sit.*

Digitized by Google

« generis sui, vulgo gentis suæ; quia ego Dominus « qui sanctifico eum. » Hæc est enim illa virgo, de qua Apostolus ait : « Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI, 2). » Itemque : « Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, vel aliquid hujusmodi (*Ephes.* V, 27). » Vidua vero repudiata, sordida, et meretrix Synagoga est, quæ tanto, talique sponso derelicto, toties post deos gentium fornicata est. Ducit igitur puellam de populo suo, de populo sibi obediente (omnis enim populus ejus est), ne forte commisceat stirpem, et genus suum meretricibus, hoc est infidelibus.

« Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Lo- « quere ad Aaron. Homo per familias de semine suo, « qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec « accedet ad misericordiam ejus. » Docet nos Dominus quales ad altaris ministerium sacerdotes eligi debeant : sint, inquit, sine macula : nisi enim per maculam crimen intelligamus, impossibile quodammodo jubere videtur, **163** siquidem nemo est sine peccato. « Si cæ- « cus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto « naso, si fracto pede, sive manu, si gibbus, si lip- « pus, si albuginem habens in oculo, si jugem sca- « biem, si impetiginem in corpore, si herniosus. » Cæcus enim est, qui (279) sacras Scripturas prave intelligit, quales sunt Judæi et hæretici. Claudus vero, qui in via mandatorum Dei non recto gradu incedit, de quibus dicitur : « Et claudicaverunt a semitis tuis (*Psal.* XVII, 46). » Ideoque Apostolus ait : « Sicut in die honeste ambulemus (*Rom.* XIII, 13). » Nasus quidem odores discernit; quod si parvus fuerit, non sentit ad plenum, si vero grandis modum excedit. Parvum enim nasum habebant, quibus Apostolus ait : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV, 20); » grandem vero quibus ait : « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (*Rom.* XII, 3). » Tortus vero nasus et bonum malum, et malum bonum dijudicat odorem esse : tortus autem turpior, et pejor est. Pedem vero et manum fractam habet, qui sola inertia languens bonum aliquid neque dicit, neque agit; jacet ergo et corpori serviens, nihil nisi otium et delicias diligit; jure a sacerdotio removetur. Gibbus vero, cœli nescius, terram solam intuetur, per quem possumus avarum et cupidum intelligere, cujus omnis spes et desiderium circa terrena et transitoria versatur. Oculus autem lippus, et si videat, deformis tamen exterius est; et verecundiam habet de seipso, quales videmus in Ecclesia, qui ingenii quidem acumen habent, sed turpis vitæ ægritudine tabescunt. Econtra vero oculus, qui albuginem habet, ipse se nihil videre, certo judicio manifestat, per quem illi intelliguntur, qui peccare non erubescunt, quorum opera quicunque videt, cæcos eos esse non dubitat. Qui autem jugem habet scabiem, semper inquietus est; laborat et fatigatur, crescit scabies et non sanatur. Tales autem sunt A sæcularium dignitatum amatores, qui quanto plus huic vitio insistunt, tanto amplius inardescunt, laborant, festinant, fatigantur; nihil eis satis est, quod propter jugem habentes scabiem hac nunquam sanantur. Unde ipse Dominus ait : « Quam difficile est divitem intrare in regna cœlorum (*Matth.* XIX, 24). » Sed quid per impetiginem, quæ latenter, et quasi insensibiliter crescens, subito circumstantia loca invadit et occupat, unde etiam et nomen accepit, nisi luxuriam intelligimus, quæ, si saltem per cogitationem corde insederit, semper crescens totum hominem corrumpit. Quid vero per herniosos, nisi hypocritas et inanis gloriæ amatores, qui steriles sunt in filiorum procreatione. Hi enim opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, æstimari cupiunt boni, nec volunt esse tales; sed seipsos fecundissimos jactant. Quod autem sequitur : « Vescetur « tamen panibus, qui offeruntur in sanctuario, » sic est intelligendum, ut quamvis ille qui maculas habet, episcopus esse non possit, de panibus tamen, et cibis spiritualibus ei comedere permittitur. Multi Christi carnem et sanguinem accipiunt, qui sacerdotes fieri non possunt. Nemo enim qui maculam habuit, id est qui crimen commisit, etiam post peractam pœnitentiam sacerdos fieri debet, quanquam post pœnitentiam sacramentis Ecclesiæ licite vescatur. Unde et subditur :

B

CAPUT XXII.

« Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad « ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii « Israel Domino, in quo est immunditia, peribit co- « ram Domino. » In quo est immunditia, dixit, non in quo fuit. Si enim pœnitentia mundatus est, conficere quidem sacramenta ei non licet, ad sacramenta tamen accedere licet. Hoc autem adhuc manifestius exponit, dicens : « Homo de semine Aaron, qui « fuerit leprosus, aut patiens fluxum sanguinis, non « vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec « sanetur. » Nota quod dicitur : « Donec sanetur. » Hoc autem dicit non de qualibet immunditia, sed de crimine, jam commisso, a quo sanetur per pœnitentiam. « Omnis alienigena non comedet de sancti- « ficatis, inquilinus sacerdotis et mercenarius non « vescetur ex eis. Quem autem sacerdos emerit, et « qui vernaculus domus ejus fuerit, hi comedent ex « eis. » Quia alienigena Ecclesiæ filius non est : inquilinus vero ac mercenarius non amore, sed pro lucro temporali Domino serviunt, merito a sanctificatis repelluntur. « Qui enim indigne manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* XI, 29). » Illi autem, quos sacerdos emit, de quibus Apostolus ait : « Empti estis pretio magno (*I Cor.* VI, 20), » et qui ejus domum fideliter custodiunt, accedant et comedant.

C

D

« Si filia sacerdotis cuilibet de populo nupta fue- « rit, de his quæ sanctificata sunt, et de primitiis « non vescetur. Sive autem vidua, vel repudiata, et « absque liberis, reversa fuerit ad domum patris

(279) Id. cod. Casin. : *Qui pravas interpretationes applicat sanctis Scripturis*

Digitized by Google

« sui, sicut puella consueverat, aletur cibis patris « sui. » Quis autem sit iste sacerdos, manifestum est; cujus utique filia est omnis anima, aqua baptismatis regenerata, quæ si alicui de populo nupserit, id est si hæretico et infidèli se conjunxerit, statim a spiritualibus cibis, et a Christi sacramentis aliena fit. Sin autem hæreticorum spreverit contubernia, et relicto errore ad Ecclesiam redierit, omnesque hæreticæ pravitatis filios, et opera reliquerit, iterum cœlestis patris sui, qui nullum ad se venientem 164 ejicit foras, cibis aletur. Magna hic Dei misericordia prædicatur, nulli desperandi occasio datur. « Peccator quacunque hora conversus fuerit, vita vivet; et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 11). »

« Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, « addet quintam partem cum eo quod comedit, et « dabit sacerdoti in sanctuario. » Hoc idem est cum superiori. Si prævaricans cæremonias per errorem in his quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, ipsum quod intulerit damnum restituet, et quintam partem ponet supra tradens sacerdoti. Quod hic autem dicit per ignorantiam, ibi dicitur per errorem. Comedere autem hoc loco, disperdere et dissipare significat, secundum illud : « Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt (*Psal.* LXXVIII, 7). » Ipse etiam Apostolus : « Si vos mordetis, et comedetis, videte ne ad invicem consumamini (*Galat.* V, 15). » Per ignorantiam sive per errorem sanctificata comedit, quicunque divinæ legis oblitus sacrilegium facit, et bona Ecclesiæ dispergit et dissipat; hoc autem qui fecerit, damnum restituat, et quintam partem superaddat. Quid est quintam partem superaddere, nisi seipsum sacerdotis judicio et Ecclesiæ satisfaciendo humiliare? Quinta enim pars vocatur homo, quia quinque sunt corporis sensus, sine quibus nec peccare nec pœnitere potest. Sive etiam quia in quatuor partes bona Ecclesiæ dividuntur; quicunque in decimis, et primitiis, aliisque Domino sanctificatis peccaverit, in integrum restituat (cujus, ut diximus, quatuor partes sunt) et quintam superaddat, id est seipsum sacerdoti tradat, cujus judicio per omnia sit obedire paratus : nihil enim majus se ipso habet, quod pro damni restitutione sacerdoti tradere possit, sicque fit ut quinque partes reddat, qui in quatuor peccavit.

Sequitur autem de eo, ut quicunque holocaustum, vel pacificorum victimam Domino offert, sive sponte, sive pro voto offerat, masculum offerat, et immaculatum, omnisque macula non sit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offerat Domino. Docet enim nos Dominus in Evangelio quæ ei offerre debeamus, ubi de tributis loquens, visa Cæsaris imagine, ait : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Luc.* XX, 25). » Si ergo Dei imago sumus : si nos ipsos Deo offerre debemus, lavemus maculas peccatorum, quia immundum et maculatum Deus non recipit. « Beati ergo immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* CXVIII, 1). » Non enim cæcum offerunt, qui mentis oculos volunt habere lumine fidei illuminatos; nec fractum offerunt, qui volunt interioris hominis ossa firma et solida esse, ne in via Dei currentes deficiant. Ossa enim animæ virtutes sunt. At vero neque ea offeramus, quæ vel cicatricem, vel papulas, vel scabiem, aut impetiginem habent. Sed offeramus nos mundos et sinceros absque ulla peccati macula, quemadmodum supra jubetur. Nihil fermentatum offerri Domino; per quod omnis animæ morumque corruptio prohibetur. Cicatricem vero pro vulnere posuit, secundum illud : « Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ (*Psal.* XXXVII, 6). » Alioquin si vulnere jam sanato, cicatricem habent, non placet Domino; est pœnitentia, nondum perfecta. Sequitur :

« Bovem et ovem, aure et cauda amputatis, vo- « luntarie offerre potes, votum autem ex his solvi « non potest. » Non enim quasi ex debito exigitur, quod voluntarie datur. Unde Apostolus : « Unusquisque prout destinavit in corde suo, non quasi ex tristitia aut ex necessitate (*II Cor.* VIII, 7). » Vota autem etiam nolentes, solvere debemus : « Vovete et reddite Domino Deo vestro (*Psal.* LXV, 12). » Animalia ergo, quæ diminuta sunt, voluntarie offerri possunt, quoniam ea quæ voluntarie facimus, quamvis perfecte ac plene non faciamus, a Deo tamen suscipiuntur. Votum autem ex eis solvi non potest, quia quæcunque vovemus, in integrum et sine ulla diminutione solvere debemus. Melius est ergo non vovere quam de voto aliquid auferre, et quasi aliquid amputare.

« De manu alienigenæ non offeretis panem Deo « vestro, et quidquid aliud dare voluerit ; quia « corrupta et maculata sunt omnia, non suscipietis « ea. » Est autem alienigena, qui de Ecclesia non est, et quorum munera impiorum odit Deus, talium oblationes non sunt recipiendæ.

« Bos, ovis et capra cum genitæ fuerint, septem « diebus erunt sub ubere matris, die autem octavo, « et deinceps offerri poterunt Domino. » Cujuscunque enim conditionis homo sit, si septem diebus sub ubere matris Ecclesiæ fuerit, et ab ejus fide et doctrina non recesserit, octavo die et deinceps Domino offerri poterit, non enim sunt dies nisi septem. Qui ergo septem diebus sub ubere est, quandiu vivit, ab ubere non recedit. Talis ergo vel octavo die, id est statim post hanc vitam, Domino offerri, et in sanctorum concilium recipi potest, vel deinceps si forte purgatorio indigerit. Non enim omnes qui salvantur, mox ut obierint, in beatitudinem recipiuntur. Quod autem ait : « Non immolabuntur una die matres cum « fetibus suis; » tale est ac si diceret : Quamvis Ecclesiæ filii quotidie immolentur et transeant, mater tamen vivit et durat, et filios parere non cessat. Sequitur :

« Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione « Domino, ut possit esse placabilis, eodem die come- « detis eam; non remanebit quidquam in mane

Digitized by Google

« alterius diei. » Quamvis Apostolus dicat : « Gratias ago Deo semper pro vobis (*Philip.* I, 3), » hostia tamen pro gratiarum actione immolatur, tota una die comeditur, quod una dies totum hoc spatium temporis **165** intelligitur. In hac ergo die gratias agere, Deo servire, nos ipsos immolare, calicem salutaris accipere debemus, quia post hanc vitam non est pœnitentiæ locus. Ille enim pro gratiarum actione hostiam immolat, qui Dei beneficiorum memor cum Psalmista dicit : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*Psal.* CXV, 3). » Sequitur :

CAPUT XXIII.

« Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. « Sex diebus facietis opus : dies septimus, quia Sab- « bati requies est, vocabitur sanctus, omne opus « non facietis in eo. Sabbatum Domini est in cunctis « habitationibus vestris. » De Sabbato in Exodo sufficienter diximus, quod quidem tunc bene celebramus, quando a malo declinamus et in bono perseveramus. Sunt autem et aliæ festivitates quas Judæi habebant celeberrimas, quæ, quamvis non semper in Sabbato fierent, Sabbatum tamen vocabantur. Unde in Evangelio dicitur : « Factum est in Sabbato secundo, primo (*Luc.* VI, 1), » id est in secundo principali Sabbato. Primum enim principale Sabbatum in Martio erat, secundum vero quando spicarum manipulos offerebant; tertium autem in mense septimo colebatur. Erant autem tria prima, id est principalia, Sabbata, in quibus omne masculinum apparebat coram Domino. Et de primo quidem, in quo pascha celebratur, et in azymis agnus comeditur, satis in Exodo dictum est. Dicamus ergo nunc de Sabbato nostro primo, id est de secunda principali festivitate.

« Cum ingressi, inquit, fueritis terram, quam ego « dabo vobis, et messueritis segetem, feretis mani- « pulos spicarum primitias messis vestræ ad sacer- « dotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut « acceptabilis sit pro vobis altero die Sabbati, et « sanctificabit illum. Atque eodem die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus « anniculus in holocaustum Domino; et libamenta « offerentur cum eo : duæ decimæ similæ con- « spersæ oleo in incensum Domini odoremque suavissimum, libatio quoque vini quarta pars hin. » Dominus enim in Evangelio loquitur, dicens : « Messis quidem multa, operarii autem pauci, rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (*Matth.* IX, 37). » Messes ergo, populi; operarii vero, apostoli intelliguntur. Hos autem misit Dominus metere ubi ipsi non seminarunt. Dicatur ergo : Cum messueritis segetem, et in Dei arca, quæ est Ecclesia, fidelium manipulos congregaveritis, feretis primitias messis vestræ ad sacerdotem. Primitiæ enim illi fuerunt, qui in primitiva Ecclesia crediderunt : hos autem ipsi apostoli per se sacerdoti obtulerant, id est Domino reddiderant qui elevavit fasciculum coram Domino; sic enim ipse ait : « Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (*Joan.* XII, 32). » Nemo enim elevatur, nisi ab ipso et per ipsum. Bene autem fasciculum posuit, quia « Multi sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* XXII, 14). » Hoc autem fiebat altero die Sabbati, qui nunc ab ipso Domino dies Dominicus appellatur; ut jam tunc ipsi Sabbato quodammodo dies ista videretur auferre principatum. Atque ipso eodem die cædebatur agnus in holocaustum, quoniam uno eodemque tempore et populus salvatur, et Christus immolatur. Unde et adhuc subditur : « Et libamenta offerentur cum eo, duæ scilicet decimæ similæ conspersæ oleo; » per quas duos populos intelligimus, Judæos et gentiles, qui nimirum oleo conspersi sunt, quoniam Dei misericordiam, et Spiritus sancti gratias suscipere meruerunt. Et ne tantum sacrificium uno die finiretur, liba quoque et vinum quotidie offerebantur, quæ significabant panem et vinum, quæ quotidie sacerdotis ministerio in Christi carnem et sanguinem commutantur.

« Panem, et polentem, et pultes non comedetis ex « segete, usque ad diem qua offeretis ex eo Deo « vestro. » Nisi enim infidelis prius convertatur, ut Domino offeratur, neminem in Ecclesiæ corpus trajicere possumus. Hoc enim significat comedere in hoc loco, quod beato Petro dictum est : « Occide et manduca (*Act.* X, 11). » Sunt ergo etiam segetes immundæ, neque comedi debent, nisi prius Domino offerantur et baptismate laventur.

« Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo « obtulistis manipulos, septem hebdomadas plenas, « usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ « septimæ, id est quinquaginta dies, et sic offeretis « sacrificium novum Domino ex omnibus habitacu- « lis vestris, panes primitiarum duos de duabus « decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in pri- « mitias Domini, offeretisque cum panibus septem « agnos immaculatos anniculos, et vitulum de ar- « mento unum, et arietes duos, et erunt holocau- « stum cum libamentis suis in odorem suavissimum « Domino. » Omnes enim istæ festivitates pene idem significare videntur. Unde quamvis non uno modo dicatur, unum tamen sacrificium omnibus offertur : sive agnus, sive vitulus, sive hircus pro peccato immoletur, Christi tamen passionem significat. Similiter autem et segetes, et panes primitiarum, et duo arietes, homines sunt qui Deo offeruntur. Mos enim est prophetarum sæpius non eisdem verbis idem repetere : omnes enim Judæorum festivitates hanc nostram solemnitatem significabant, de qua dicitur : « Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris (*Psal.* CXXVII, 7). » Nos enim non ter in anno, sed toto anno festivitatem agimus, si a servili et iniquo opere cessamus, et in bono opere perseveramus. Septem autem **166** hebdomadæ hanc nostram festivitatem præcedunt, quia « nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). » A Christi namque passione quia-

Digitized by Google

quagesimus dies, et annus Jubilæus in Ecclesia agitur, siquidem et a servitute liberati sumus, et cœlestis patriæ hæreditas restituta est. In hac ergo tanta solemnitate offeramus sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis nostris, vetera enim transierunt. Sed quid offeremus? Panes primitiarum duos; in his enim duobus panibus Ecclesia tota consistit. Duo enim panes duo populi sunt, Judæorum scilicet et gentium. Hos autem ex omnibus, quos creaverat, in primitias et decimas sibi Dominus elegit. Qui bene de simila fermentata esse dicuntur, quia sicut mali, ita et boni de massa peccati originem ducunt. Offeruntur autem cum his panibus septem agni immaculati, per quos nihil melius quam septem gratias sancti Spiritus intelligere possumus, sine quibus Deo nemo offertur. Quæ merito agni et immaculati dicuntur, quoniam innocentes et immaculatos homines faciunt. Offeramus autem et vitulum, ut Christi passionis semper memores simus. Offeramus et duos arietes, et ad honorem Dei, et totius Ecclesiæ ædificationem laudemus duos apostolorum principes; delectatur enim Dominus tali sacrificio, et suas, suorumque laudes et triumphos eum audire delectat. Sequitur:

« Facietis et agnum et hircum pro peccato, duos-
« que agnos anniculos hostiam pacificorum, cumque
« elevaverit ea sacerdos cum panibus primitiarum
« coram Domino, cedent in usus ejus. » Hic sacrificium quidem duplicatur; sed significatio non mutatur: quod enim per vitulum, hoc etiam per agnum et hircum intelligitur, et quod per duos arietes, hoc per duos agnos significatur.

« Mense septimo, prima die mensis erit vobis
« Sabbatum memoriale clangentibus tubis, et voca-
« bitur sanctum. Omne opus servile non facietis in
« eo, et offeretis in eo holocaustum Domino. » Primam enim hujus mensis diem, Sabbatum dicit, non quod semper Sabbatum esset, sed quia ut Sabbatum eam observabant, in qua et tubis clangebant, et holocaustum offerebant, nullumque opus servile in ea faciebant, quoniam hanc nostram festivitatem significabant, in qua a malo cessamus, et voce, et corde Deum laudamus, semperque laudis et jubilationis offerimus holocaustum.

« Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: D
« Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum
« erit celeberrimus, et vocabitur sanctus, affligetis-
« que animas vestras in eo, et offeretis holocaustum
« Domino. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die
« hac, peribit de populo suo; et quæ operis quidpiam
« fecerit, delebo eam de populo suo, Sabbatum enim
« requietionis est, et affligetis animas vestras die
« nono mensis, etc. Similiter autem a quintodecimo
« die mensis hujus septimi erunt feriæ tabernaculo-
« rum septem diebus Domino. » Diximus enim per hunc mensem hanc ultimam ætatem significari, quæ sic est ultima in ætatibus, sicut dies septimus ultimus in hebdomada. Merito ergo mense iste totus festivus agitur, in quo festivum Ecclesiæ tempus

A significatur. Totus quidem, quia in principio hujus, in medio et in fine; decimus namque pro fine ponitur, quoniam decimus in omni numero finis et terminus est, dies vero decimus quintus in mensis medio est. Quia ergo prima et decima, et quinta decima hujus mensis celebris est, a privilegio majorum partium totum mensem festivum esse demonstrat. Non solum enim diem septimum, verum ut septimum mensem, et septimum annum Sabbatum vocat, quoniam in his omnibus requies et solemnitas agebatur. Hæc est autem illa solemnitas, in qua semel in anno pontifex ingrediebatur in Sancta sanctorum, quæ quoniam hoc tempus acceptabile, et hos dies salutis significabat, nunc expiare, nunc animas affligere, nunc holocaustum immolare debe-
B mus: peribit enim qui modo non affligitur, peribit qui modo pœnitentia non expiatur, et qui laudis sacrificia non immolat. Nunc enim est Sabbatum requietionis, in quo ab omni iniquitate requiescere et cessare debemus. Hoc igitur Sabbatum a vespere usque ad vesperum celebramus, et usque in finem, usque in ultimum diem ab omni malo in quiete perseveremus. A vespere usque ad vesperum intelligendum est a primo Christi adventu usque ad secundum Christi adventum. Christi namque nativitas sextæ ætatis finis et vesperum, et septimæ mane, et principium fuit. Hæc autem ætas simul cum hoc mundo vesperum et finem habebit. Hucusque de die decimo, nunc de quintodecimo videa-
C mus:

« A quintodecimo die mensis hujus septimi erunt
« feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Dies
« primus vocabitur celeberrimus atque sanctissi-
« mus; omne opus servile non facietis in eo,
« et septem diebus offeretis holocausta Domino.
« Dies quoque octavus erit celeberrimus atque san-
« ctissimus, et offeretis holocaustum Domino; est
« enim cœtus atque collectæ, omne opus servile non
« facietis in eo. » Quæ dicta sunt, et hæc eadem verba ad idem pertinent. Prima namque die mensis hujus tubis clangebant, quia in principio hujus ætatis major vox prædicatorum ubique terrarum insonuit. De hac enim die scriptum est: « Canite in initio mensis tuba in insigni die solemnitatis vestræ (*Psal.* x, 4). » Decima vero die, illa magna festivitas agebatur, in qua solus pontifex non sine sanguine ad expiandum populum ingrediebatur Sancta sanctorum: at vero quintadecima die ejusdem mensis
167 erat festivitas tabernaculorum, in qua filii Israel habitabant in tabernaculis septem diebus. Hæc autem omnia quid aliud significabant, nisi quia nos in hoc septimo mense, in hac ultima ætate, oris et cordis tuba Deum laudare, corpus et animam a peccatis omnibus expiare, et in Ecclesiæ tabernaculis septem diebus, id est quanto tempore vivimus, quiete habitare, et Deo servire debeamus? Hæc sunt illa tabernacula, de quibus Psalmista dicit: « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiscit et deficit anima mea in atria Do-

Digitized by Google

mini (*Psal.* LXXXIII, 2). » Hujus autem solemnitatis primus dies, et octavus celeberrimi sunt, in quibus ut in aliis ab opere servili cessare debemus, et sacrificium laudis, vitulos labiorum offerre Deo. Unde Apostolus ait : « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est vitulos labiorum confitentium nomini ejus (*Hebr.* XIII, 13). » Sunt autem celeberrimi dies, quia in principio fidei apostoli et martyres claruerunt, et in ultimis diebus Judæi pariter et gentiles, cognita veritate, ad fidem convertentur. Unde octavus dies, cœtus, et collectionis dies vocatur, quoniam maximus cœtus sanctorum tunc in Ecclesiam colligetur. Sequitur :

« Sumetisque vobis die primo fructus arboris pul-
« cherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni
« densarum frondium, et salices de torrente, et læta-
« bimini coram Domino Deo vestro, et celebrabitis
« solemnitatem septem diebus per annum. » Arbor pulcherrima est illa, de qua scriptum est : « Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo (*Psal.* I, 3). » Et revera pulcherrima arbor Christus Dominus noster, cujus fructus dulcissimos, et suavissimos primo die, et statim in ipso nascentis Ecclesiæ principio sancti apostoli collegerunt. De quibus Psalmista : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel, et favum ori meo (*Psal.* CXVIII, 103). » Per spatulas autem palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, ex quibus fiebant umbracula adversus solis ardores, recte intelligimus sanctorum exempla atque adhortationes, et consolatoria verba. Unde ait Apostolus : « Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem scripturarum spem habeamus (*Rom.* XV, 4). » Hæc autem de festivitatibus breviter dicta sunt.

CAPUT XXIV.

Sequitur autem de oleo purissimo, quod in lucernis super candelabrum Aaron ponebat a vespere usque ad mane coram Domino. De hoc enim satis in Exodo diximus. Candelabrum enim Christus est, cujus lucernæ cum oleo, septem gratiæ Spiritus sancti intelliguntur, quibus totius Ecclesiæ tabernaculum illuminatur. Sequitur :

« Accipies quoque similam, et coques ex ea duo-
« decim panes, qui singuli habebunt duas decimas,
« quorum senos altrinsecus super mensam purissi-
« mam statues coram Domino, et pones super eos
« thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum
« oblationis Domini. Per singula sabbata mutabun-
« tur coram Domino suscepti a filiis Israel fœdere
« sempiterno, erunt Aaron, et filiorum ejus, ut co-
« medant eos in loco sancto. » Hæc enim simila sacræ legis scriptura et scientia est, de qua duodecim panes, id est duodecim apostolorum prædicationes, et sermones cocti, et compositi sunt. Quos illi duodecim cophini bene significant, qui de quinque panum fragmentis in Evangelio implentur. Habent enim singuli duas decimas, quæ totum legis decalogum dupliciter, id est secundum litteram et secundum scientiam spiritualem, exponunt. Si enim ad litteram tantum decem verba legis intelligerentur, ex una decima panes suos apostoli composuissent. Sunt autem hi panes positi super mensam purissimam, quia super utriusque Testamenti doctrinam, quæ per mensam significatur, quasi quædam expositiones, superadditi sunt, super quos et thus lucidissimum non immerito ponitur, quia doctrina apostolica, et gustu suavis, et odore delectabilis est. Unde Apostolus : « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt ; aliis enim sumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem (*II Cor.* II, 15). » Mutantur autem per singula sabbata, quoniam omni festivitate, et quotiescunque populus convenit in unum, semper apostolorum doctrina exponi et recitari et quodammodo innovari debet. Hos autem comedit Aaron, et filii ejus in loco sancto, quia episcopi et sacerdotes hos semper meditari, et in conventu fidelium exponere debent. Sequitur :

« Ecce autem filius mulieris Israelitidis, quem
« pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, jur-
« gatus est in castris cum viro Israelita. Cumque
« blasphemasset nomen Domini, et maledixisset ei,
« adductus est ad Moysen, miseruntque eum in
« carcerem, donec nossent quid juberet Dominus.
« Deinde vero jubente Domino, omnes qui audie-
« runt posuerunt manus super caput ejus, et lapi-
« davit eum omnis populus. » Ego hunc virum, qui de fideli matre et infideli patre natus, contra Israelitam et catholicum jurgatur, hæreticorum aliquem intelligo, cujus mater Ecclesia, cujus pater diabolus est ; in Ecclesia enim natus, a diabolo seductus, ejus filius factus est, cujus opera operatur. Sic enim ipse Dominus ait : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). » Hic autem jurgatur in castris contra Israelitam, quoniam hæreticus contra catholicum disputans in Ecclesia Deum blasphemare, et maledicere non timet. Ideoque mittitur in carcerem, **168** separatur a communione fidelium, conveniunt episcopi, fit concilium, adsunt accusatores, ponunt manus super caput ejus, convincunt eum, lapidatur ab omni populo, maledicitur, et damnatur, et a toto concilio dignus morte judicatur, omnes in eum lapides projiciunt, quicunque damnationis sententiam super eum confirmant.

CAPUT XXV.

(280) Sequitur autem de septimo anno, qui similiter ut septimus dies, et septimus mensis totus celeberrimus habebatur, agrum non serebant, vineam non putabant, sed omnia quæ sua sponte terra ferebat communia erant. Non quasi propria colligebantur a quoquam, sed quasi communis benedictio in cibum solummodo suscipiebant ab omnibus. Id ipsum autem per septimum annum intelligimus, quod per septimum diem et septimum mensem significari

(280) Ex eod. cod. Casin. emendatur, et suppletur editio.

Digitized by Google

diximus. Significat autem septimus annus hanc septimam ætatem atque ultimam in qua Ecclesia in Dei laudibus sabbatizat, in qua a servili et iniquo opere quiescens, mundana et transitoria despiciens, de crastino non cogitans, uno et communi utitur cibo sine labore præparato. Hoc autem etiam de futura vita intelligitur, pro cujus quiete promissa nobis in hac laboriosa vita, quasi in sex annis fatigamur. « Quæ enim seminaverit homo, ut Apostolus ait, hæc et metet (*Galat.* VI, 7). » Sequitur :

« Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est septem septies, quæ simul faciunt « annos quadraginta novem. Et clanges buccina « mense septimo, die decima mensis, propitiationis « tempore in universa terra vestra. » Quæ autem de septimo anno, et septimo mense, et septimo die dicta sunt, de anno quinquagesimo intelligenda sunt. Clangebant autem buccina in septimo mense decima die mensis, quo videlicet mense annus quadragesimus nonus finiebatur, et collectis omnibus terræ fructibus, annus quinquagesimus, qui et jubilæus, incipiebat. Buccinæ vero sonus jubilæi denuntiatio erat. Hoc autem anno terra quiescebat, festum et lætitia ab omnibus agebatur, servitus solvebatur, libertas dabatur, omnisque homo ad pristinam suam possessionem revertebatur. Hic autem annus tunc spiritualiter cœpit, quando Christus Dominus noster de diaboli servitute, suo sanguine mundum redemit, et primam nobis possessionem restituit, paradisi januas fidelibus suis aperuit, cujus beatitudo post septimam annorum hebdomadam exspectatur, quando scilicet annus jubilæi et laudis, annus quietis et beatitudinis incipiet sanctis.

« Si attenuatus frater tuus vendiderit tibi possessiunculam suam, et voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat. Sin autem non « habuerit proximum, et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire, computabuntur fructus ex « eo tempore, quo vendidit, et quod reliquum est, « reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam. « Quod si non invenerit manus ejus, ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat usque ad annum jubilæum ; in ipso enim omnis venditio redibit « ad Dominum, et possessorem pristinum. » Quanta ratione et honestate, quanta misericordia et pietate hæc verba plena sunt. Non enim possessio, sed tempus frugum, non terra, sed fructus terræ venditur. Sic enim neque emptor pretium, neque venditor amittit possessionem, utrique cavetur; hujus abundantia illius inopiam supplet, et e contra illius inopia hujus abundantiam abundare amplius facit : nemo in tali venditione decipitur, in qua et terminus est, et conditio. Jubilæus enim terminus est, conditio vero, quia etiam ipse ususfructus omni tempore redimi potest. Hic ergo neque usura crescit, neque avarus fenerator aliena diripit, quoniam et tempus computatur et fructus. In his autem, in quibus misericordia et pietas Dei manifeste commendatur, allegoriam aliam quærere superfluum est.

« Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit « licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. « Si non redemerit, et anni circulus fuerit evolutus, « emptor possidebit eam, et posteri ejus in perpetuum, et redimi non poterit, etiam in jubilæo. Sin « autem in villa fuerit, domus quæ muros non habet, « agrorum jure vendetur. Si autem redempta non « fuerit, in jubilæo restituetur ad Dominum. » Civitatem muratam, possumus intelligere Ecclesiam, villam autem quæ muros non habet, eam dicimus esse quæ extra Ecclesiam est. De Ecclesiæ namque muro scriptum est : « Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale (*Isa.* XXVI, 1). » In hac autem civitate domum suam vendit, quicunque in Ecclesia positus crimen committit. Unde in persona quorumdam Apostolus ait : « Lex enim spiritualis est, ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato (*Rom.* VII, 14). » Unus autem annus tota hæc præsens vita intelligitur. Qui ergo domum suam, carnem suam, et seipsum diabolo peccando vendidit, nisi priusquam hujus vitæ annus ei terminetur, eam pœnitentia redimat, nec in ipso quidem jubilæo eam redimere poterit. Jubilæum autem hoc loco ultimum diem vocat, quando sancti liberati a servitute corruptionis in primam possessionem, et in gloriam filiorum Dei transferentur. **169** At vero qui in villa, et extra ecclesiam peccant, quoniam Dei protectionis muro non defenduntur, et si prius domum, et carnem suam quæ diabolo multis modis vendita est, redimere non possunt, in jubilæo tamen eam recipiunt. Jubilæum autem infideles non habent. Quocunque autem die de servitute aliquis liberatur, jubilæus est illi. Habet ergo homo jubilæum quocunque die baptizatur. Hoc ergo jubilæo domus illa, quæ in villa et extra ecclesiam vendita est, ad dominum suum revertitur, quia tunc homo de diaboli servitute liberatur. Sed iste quidem jubilæus, nisi semel haberi non potest : alii vero jubilæi toties habentur, quoties per pœnitentiam, reddita libertate, peccata solvuntur. Quod autem ait : « Quia ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi, suburbana vero eorum nunquam debeant vendi, » ad litteram tantum intelligere sufficit; ædificia enim ecclesiastica pro ipsius Ecclesiæ utilitate, ad pensionem quidem locari possunt, penitus autem alienari non possunt. Et hoc quidem, quia in urbibus sunt, et non facile celantur, vel oblivioni traduntur; suburbana vero, quia ab hominum conspectu longe sunt, ad tempus etiam, et conditionaliter sine periculo vendi non possunt. Habent ergo sempiternam possessionem, et nullatenus alienari debent.

Illi vero, qui seipsos alicui vendiderunt, per seipsos, vel ab aliis redimi possunt (281). Non enim ut servi, sed quasi coloni habentur, aut mercenarii,

(281) Idem cod. Casin. corrigit edit.

Digitized by Google

in quo satis misericorditer provisum est a Deo, dum qui venditus fuit, ad pretii tantum restitutionem tenetur, et qui emerat, accepto pretio, in nullo damnificatur. Utinam hæc a Christianis observarentur, dum pauperibus divites subvenirent absque fenore importuno, et pauperes divitibus servitia præstarent absque rerum suarum jactura! Sæpe enim vidimus parva pecunia mutuata totam subito pauperum substantiam devorari.

CAPUT XXVI.

Hinc autem sequitur sermo valde prolixus, in quo multa beneficia pollicetur Dominus filiis Israel, si ei obedientes fuerint et ejus mandata custodierint. Econtra vero, si inobedientes fuerint, comminator eis multa mala. Hæc autem omnia juxta litteram eis accidisse intelligere poterit quicunque eorum historias diligenter legerit : « Scripta sunt autem, ut Apostolus, ait, ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt » (*I Cor.* x, 11). » In his autem, quia satis per se facilia sunt, diutius immorari non est necesse. De his qui semetipsos voverunt Deo, ut in sequenti capite.

CAPUT XXVII.

« Homo qui votum fecerit et sponderit Deo « animam suam sub æstimatione dabit pretium. Si « masculus fuerit, a vigesimo anno usque ad sexa- « gesimum annum, dabit quinquaginta siclos ar- « genti, ad mensuram sanctuarii : si mulier tri- « ginta. A quinto autem anno usque ad vigesimum, « masculus dabit viginti siclos, femina decem, » etc. Dicit quidem Dominus : « Vovete, et reddite Deo vestro (*Psal.* LXXV, 12), » attamen hic vota redimi permittit. Ego quidem non de omni voto hoc intelligo, præsertim cum dicatur de anima ipsa. Qui ergo peccat in voto, redimat votum, et det pretium sub æstimatione. Sub æstimatione quidem, quia et sexus, et ætas, et facultas in solvendo pretio considerari debet; aliter enim viri, aliter feminæ, aliter infantes et pueri, aliter adolescentes et juvenes, et aliter senes et pauperes, aliter divites et sapientes, et aliter insipientes judicandi sunt. Et quamvis in pretio sit majus et minus, attamen in satisfactione æqualitas est. Non enim minus satisfacit qui quinque siclos solvit quam ille qui solvit quinquaginta. Inde etiam mulierem, quæ duo minuta in gazophylacium posuit, plus omnibus posuisse Dominus ipse testatur (*Luc.* XXI, 1), non enim habuit amplius quid poneret. Sic ergo in dandis pœnitentiis ætas, fortitudo, scientia, facultas, conditio, voluntas, et similia consideranda sunt. Multi enim sunt qui neque vinum bibunt, neque carnes edunt, qui non tantum satisfaciunt quantum illi qui his in sobrietate pro corporis qualitate et necessitate utuntur. Sic enim Apostolus eos laudat qui comedunt omnia, sicut et illos qui comedunt olera, et sicut illos qui judicant omnem diem, et illos qui judicant diem ante diem (*Rom.* XIV, 21). Ille ergo qui masculus est, et fortis a vigesimo anno usque ad sexagesimum (in his enim viget ætas) dabit quinquaginta siclos, id est majori A et perfectiori pœnitentia satisfaciat. Hoc autem ad mensuram sanctuarii, id est secundum judicium sacerdotum. Mulier autem, quæ mollior est, et cui de virili fortitudine, et scientia aliquid deest, dabit triginta. Qui numerus quamvis in quantitate differat a superiori, in redemptione tamen animæ inferior non est. Sic enim triginta siclis redimitur anima, sicut et quinquaginta. Trigesimo namque anno aquas sanctificans baptizatus est Christus; die vero quinquagesimo in Spiritu sancto, et igne apostoli baptizantur. Unde ipse Dominus ait : « Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto, non post multos hos dies (*Act.* I, 5). » Tantis ergo siclis redimitur anima, quæ ita vel ita mundata solvitur a peccatis. Sufficit enim animæ, **170** si tanto pretio redimatur, quanto ipse B Salvator venditus est. Similiter autem et viginti siclis perfectissime redimitur et votum et anima, quoniam qui legis Decalogum intelligentia et observantia duplicat, nihil est quod ultra satisfacere valeat. Quindecim quoque siclorum redemptionem Salomon perfectam esse significans, ait : « Da partem septem, nec non et octo (*Eccle.* XI, 2), » his enim partibus constat iste numerus, per quas præsens vita et futura significantur. Utrique autem vitæ dat partem, qui sic per istam transit ut alteram non amittat. Cur autem utramque vitam unum significet, notissimum est. Veniamus nunc per ordinem ad decem siclos, per quos, quia decem verba legis intelliguntur, nullo alio pretio melius quam hoc anima redimitur. Perfecte etiam ille animam suam redi- C mit qui pro ejus redemptione quinque siclos persolvit, id est qui quinque sui corporis sensus ad serviendum Domino tradit. Restat nunc ut de tribus siclis dicamus, et perfectam in eis quoque redemptionem esse ostendamus. Duo enim sicli anima et corpus, tertius autem omnis nostra possessio intelligitur. Qui enim seipsum et omnia Domino reddit, perfecte satisfacit, de quo Dominus ait : « Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus (*Matth.* XIX, 12). » Constat ergo quoniam animæ redemptio, quamvis in quantitate differat, in solutionis tamen perfectione non differt.

« Si pauper fuerit, et æstimationem reddere non « valebit, stabit coram sacerdote, et quantum ille « æstimaverit, et viderit eum posse reddere, tantum D « dabit. » Hæc enim paupertas non temporalium divitiarum, sed scientiæ et virtutum esse videtur, quæ secundum providi sacerdotis arbitrium judicari debet. Hoc est enim quod Dominus ait : « Quia servus nesciens voluntatem domini sui, et non faciens digna, plagis vapulabit paucis (*Luc.* XII, 48). » Inde phreneticis et insanis peccata quæ committunt non imputantur.

« Animal autem quod immolari potest Deo, si « quis voverit, sanctum erit, et mutari non poterit « (id est nec melius malo, nec pejus bono). Quod si « mutaverit et ipsum quod mutatum est, et illud « pro quo mutatum est, consecratum est Domino. » Nullum enim animal nisi mundum immolatur Do-

Digitized by Google

mino (282). Sed quid est animal mundum, nisi opus bonum omnique malitia mundum? Hoc autem qui voverit, reddere oportebit, et mutare non poterit. Vovere enim, et jurare proxima sibi, et valde similia sunt. Si quis autem pro voto aliquid aliud reddiderit, pro quo a voto se solvi arbitretur, errat; sed illud quod pro voti redemptione fit, Domini est, id est a Domino recipietur, et ipsum insuper votum compleri oportebit. Sancta ergo vota reddenda, iniqua vero redimenda sunt. Unde et subditur :

« Animal immundum, quod immolari Domino non « potest, si quis voverit, adducetur ante sacerdo- « tem, qui judicans utrum bonum, vel malum sit, « statuet pretium, quod si dare valuerit, addet præ- « ter æstimationem quintam partem. » Quid enim animal immundum, nisi opus malum? quod quia Dominus non recipit, ei immolari nequit. Hoc autem sicut vovere, ita et facere malum est. Verumtamen si quis tale aliquid voverit, veniat ad sacerdotem, eique votum suum manifestet, qui si cognoverit malum esse, statuet pretium, quo redimatur; melius est enim ut redimatur quam ut agatur. Hoc autem pretium pœnitentiæ satisfactio est; quod pretium si dare voluerit ille qui offert, addet super æstimationem quintam partem, agens pœnitentiam, quæ in quinque corporis sensibus consistit. Tale enim votum illi fecerunt qui se non prius manducare et bibere voverunt quam Apostolum interficerent.

« Homo si voverit domum suam, et sanctificaverit « Domino, considerabit eam sacerdos, utrum bona, « an mala sit, et juxta pretium quod ab eo fuerit « constitutum, venundabitur; sin autem ille qui « voverat voluerit redimere illam, dabit quintam « partem æstimationis supra, et habebit domum. » Hoc enim quamvis ad litteram sit dictum, spiritualiter tamen aliquid significare potest. Sæpe enim in divino eloquio et domus, et templum, et tabernaculum vocatur. Unde manifestum est quia nemo fidelium est, qui domum suam Deo non voverit et sanctificaverit, siquidem seipsum per fidem et baptismum Domino tradidit. Considerat autem sacerdos hanc domum, utrum bona, an mala sit, constituitque pretium quo venundatur (283); quia aliter bona, et aliter venditur mala. Bona enim domus virtutum pretio venditur Deo. De mala vero dicitur id quod Apostolus ait : « Ego, inquit, carnalis sum, venundatus sub peccato (*Rom.* VII, 14). » Altera ergo mundatur, ut splendeat, altera vero vastatur, ut ruat, quam si ille, qui voverat redimere voluerit, dabit quintam partem æstimationis supra, et habebit domum. Qui igitur peccando perdidit domum, non nisi pœnitendo et satisfaciendo, eam iterum habere potest; talis enim domus peccando perditur; qui enim bene vovet, id reddat quod vovit. Non enim indiget hoc votum redemptione; indigeret autem, si redditum non esset, vel si redditum violatum esset.

« Quod si agrum possessionis suæ voverit, et « consecraverit Domino juxta mensuram sementis, « æstimabitur pretium. Si triginta modiis hordei « seritur terra, quinquaginta siclis vendetur argenti. « Si statim ab anno incipientis jubilæi voverit agrum, « quantum valere potest, tantum æstimabitur. « Sin autem post aliquantum temporis supputabit « **171** sacerdos pecuniam, juxta annorum, qui « reliqui sunt, numerum, usque ad jubilæum, et « detrahent ex pretio. Quod si voluerit agrum ille « qui voverit, addet quintam partem æstimatæ pe- « cuniæ, et possidebit eum. » Hæc autem, et cætera, quæ subsequuntur de agrorum possessione, ad litteram intelligantur, quæ quidem ut scriberentur, multis de causis necessarium fuit. In eo enim quod pretium, error, fraus, lites et preces tolluntur, sacerdotum avaritia refrenatur. Hæc enim omnia inter ementes et vendentes accidere solent; quæ quidem ideo hic esse non possunt, quia pretium, et tempus et venditionis modus determinatur; ita ut neque charius emi possit, neque vilius vendi. Denique quintam partem super æstimationem addere præcipit, quatenus ille, qui possessionem suam Domino vovit, non magnum desiderium redimendi habeat, dum sibi ad redimendum chariorem esse cognoscit. Poterat enim homo a principio, et priusquam Domino consecraretur, eam quam voverat possessionem redimere, quæ ideo ei charius quam aliis vendebatur, quoniam alii non possessionem ipsam, sed usumfructus solummodo emebant; ipse vero ipsam possessionem jure hæreditario redimebat. Semel enim Domino aliquid consecratum, nec vendi, nec redimi, ulterius poterat : aliæ possessiones in jubilæo ad proprios dominos revertebantur. Poterat ergo quilibet suam possessionem Domino dare, aliis vero vendere, et penitus alienare non poterat. Valde ergo hæc scribere necessarium fuit ut cum de aliis possessionibus supra dixerat, de domini quoque possessionibus non taceret, ne forte inter has et illas nullam putaret esse distantiam. Sequitur :

« Sin autem voluerit redimere, sed alteri cuilibet « fuerit venundatus, ultra eum qui voverat, redi- « mere non poterit, qui cum quoque jubilæi venerit « dies, sanctificatus erit Domino, et possessio con- « secrata ad jus pertinebit sacerdotum. » Hoc est enim quod modo diximus, quia ille qui vendiderat statim a principio agrum suum redimere posset. Si vero alteri cuilibet prius venderetur (vendebatur autem non possessione, sed usu) jam alter ille, qui voverat, eum redimere non poterat; sed veniente jubilæo, quasi Deo consecratus ad jus sacerdotum pertinebat.

« Si ager emptus est, et non de possessione ma- « jorum sanctificatus fuerit Domino; supputabit « sacerdos juxta annorum numerum, usque ad jubi-

(282) Ex cod. Casin. suppletur editio.

(283) Id. cod. Casin. supplet et corrigit editionem.

Digitized by Google

« læum, pretium, et dabit ille qui voverat eum Domino. In jubilæo autem revertetur ad dominum « qui vendiderat eum, et habuerat in sortem possessionis suæ. » Quia enim jure hæreditario alterius agrum nemo emere poterat, si quis agrum, cujus usum exuerat, et quem de possessione antiquorum parentum suorum non possidebat, Domino vovisset, non ideo quidem Domino erat, sed veniente jubilæo ad priorem dominum qui eum vendiderat, et cujus hæreditas fuerat, revertebatur; ille vero, A qui eum emerat, et Domino voverat, ad jubilæum scilicet eum redimendi licentiam habebat. Expositis autem omnibus quæ in hoc profundissimo volumine expositione indigere videbantur, Domino nostro Jesu Christo gratias agamus, quem quicunque sequitur non ambulat in tenebris, sed veri luminis splendore illustratur; cui cum Patre coæterno, et Spiritu sancto est honor et gloria, regnum et imperium, virtus et potestas, et nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Explicit liber Levitici.

INCIPIT
EXPOSITIO IN NUMEROS.

172 CAPUT PRIMUM.

« Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Si« nai, in tabernaculo fœderis, primo die mensis « secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, « dicens : Tollite summam universæ congregationis « filiorum Israel per cognationes et domos suas, et « nomina singulorum qui sexus est masculini, a vi« gesimo anno et supra, omnium virorum fortium « ex Israel, et numerabitis eos per turmas suas, tu « et Aaron. Eruntque vobis principes tribuum ac « domorum in cognationibus suis illi quorum no« mina hæc sunt. » Quicunque enim in Evangelio Dominum nostrum Jesum Christum dicentem audivit : « Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt (*Matth.* x, 30), » intelligere debet quid significet quod Dei populus numeratur. Novit enim Dominus et nomina et numerum electorum suorum, et revera beati, qui in Dei exercitu numerati, et quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. De his enim perire aliquem impossibile est, ideoque soli masculi et viri fortes a vigesimo anno et supra non immerito hoc in loco numerantur; tales enim pugnare, et in hostem ciere decet, quos et sexus, et ætas, et fortitudo commendat. Sed quare a vigesimo anno et supra, nisi quia bis decem viginti sunt? decem enim sunt verba legis, in quibus omnis scientiæ plenitudo continetur, quæ quicunque duplicaverit, et secundum litteram et spiritualiter ea intelligat, secure contra Judæos et hæreticos et disputare et pugnare valebit. Qui vero hoc numero aliquid minus habent, in tali certamine facile superantur. Viginti quoque annos habere, est divinæ legis scientiam dupliciter intelligere : qui vero ea quæ intelligit operatur, etiam supra viginti aliquid habere videtur. Sed quid per Moysen et Aaron, qui et pugnatores numerant, et duodecim super eos principes eligunt, nisi Christus Dominus noster significatur? Ipse enim et legislator est sicut Moyses, et sacerdos sicut Aaron. Ipse quoque duodecim suæ militiæ principes elegit quos et apostolos nominavit, quibus in Evangelio loquitur dicens : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (*Joan.* xv, 16). » De hoc autem capitulo ista sufficiant. B

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Tribum Levi noli numerare, neque pones summam « eorum cum filiis Israel; sed constitue eos super « tabernaculum testimonii, et cuncta vasa ejus, et « quidquid ad cæremonias pertinet, ipsi portabunt « et tabernaculum et omnia utensilia ejus, et erunt « in ministerio, et per gyrum tabernaculi mutabun« tur. » Numeratur quidem tribus Levi, sicut postea declarabitur; ejus tamen numeri summa cum cæteris non ponitur, majoribus enim hæc tribus vacat mysteriis. Multam enim differentiam habet a reliquo populo clericorum ordo, qui per hanc tribum significatur. Ipse enim constitutus est super tabernaculum testimonii, ipse super totam Ecclesiam obtinet principatum, ipse ejus vasa et cæremonias, ipsum quoque tabernaculum, et cuncta ejus utensilia portat, quoniam totam Ecclesiam, ejusque sacramenta regit, ordinat et disponit. Unde non immerito, quoniam isti totius tabernaculi sunt ministri et custodes, circa ipsum tabernaculum proxima sua tentoria figunt. Post eos autem cætera multitudo, unusquisque secundum ordinem sibi dispositum castrametatur. Nemo vero præter illos ad tabernaculum deponendum, vel erigendum, aut aliquo modo disponendum, accedere audebat, quoniam quicunque exterporum accesserat, occidebatur. Hoc autem si nostri reges et principes intelligerent, ecclesiastica sibi officia non usurparent. C D

CAPUT II.

Ipse quoque castrorum ordo, tam bene dispositus, magnum aliquid significare videtur. In medio enim tabernaculum figebatur, cui proximi per gyrum Levitæ castrametabantur, deinde vero ad orientalem plagam Judas figebat tentoria, in cujus exercitu Issachar et Zabulon adnumerati, per turmas suas

Digitized by Google

semper primi egrediebantur; ad meridiem autem ponebant castra filii Ruben, in quibus Simeon et Gad connumerati sunt; ad occidentalem vero plagam erant castra filiorum Ephraim, et simul cum eis Manasses et Benjamin. At vero ad aquilonem castrametati sunt Dan, atque juxta Aser et Nephthalim, et isti quidem semper novissimi proficiscebantur. Merito igitur de Ecclesia dicitur : « Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata (*Cant.* VI, 9). » Nihil in ea inordinate, indecenter, temere, et incomposite fieri debet, unusquisque in suo ordine maneat, priori inferior non se præferat.

173 CAPUT III.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu « Aaron sacerdotis, ut ministrent ei, et excubent; « et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, et custodiant « vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus. « Dabisque dono Levitas Aaron et filiis ejus, qui« bus traditi sunt a filiis Israel : Aaron autem et filios « ejus constitues super cultum sacerdotii. Externus « qui ad ministrandum accesserit morietur. » Intelligite hæc, Levitæ, aperite oculos, videte, non vos superbia inflet, scitote quia ministri estis episcoporum et sacerdotum, et non solum ministri, sed dono dati ad serviendum, ab obediendum, eorumque monitis et jussionibus obsequendum. Si enim vos aliter feceritis, moriemini, sicut et externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primoge« nito, qui aperit vulvam in Israel, eruntque Le« vitæ mei. Meum est enim omne primogenitum, « ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti, « sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in « Israel; ab homine usque ad pecus mei sunt : ego « Dominus. » In primogenitis enim Ægyptiorum, quos Dominus percussit, primum et originale peccatum in cunctis fidelibus se suo sanguine, et aqua baptismatis delere significavit. Pro his autem omnia primogenita filiorum Israel sibi vindicavit, quia, destructo originali peccato, fidem (quæ Christianæ religionis prima et maxima est, et ex qua anima quæ mortua erat vivificatur) se diligere, sibique placere ostendit : sicut enim illo peccato moriuntur omnes, ita hac virtute vivificantur omnes, secundum illud : « Justus ex fide vivit (*Gal.* III, 11). » Sed quia non omnes, qui fidem habent, Ecclesiæ sacramentis digni, et idonei sunt, ideo sola Levitica tribus ad serviendum in tabernaculo pro primogenitis a Deo eligitur, ut sicut hæc tribus una erat in genere, ita omnis clericorum ordo, unus idemque sit in religione. Hoc enim Apostolus significans, episcopos, et presbyteros et diaconos sine crimine esse jubet.

Illinc autem præcipit Dominus Moysi ut numeret omnes masculos de tribu Levi, ab uno mense et supra, numeret et omnes primogenitos masculini generis similiter ab uno mense et supra de cæteris tribubus filiorum Israel. Sed quia plures fuerunt primogeniti totius Israel, quam soli masculi tribus Levi, omnes eos qui superfuerunt ex tunc et postea pretio quinque siclorum post unum mensem redimi præcepit. Siclus viginti obolos habet. Quid est autem, quod soli masculi numerantur, nisi quia illi in Dei militia computantur, qui neque femineæ sint fragilitatis, neque, sicut Eva, facile decipiuntur? Numerantur ab uno mense et supra, qua in re totam hanc militiam ex solis fidelibus constare significatur. Post unum etenim mensem omnes primogeniti ad templum ferebantur, et Domino a parentibus offerebantur; quia ergo ante unum mensem Deo non dantur, merito ante unum mensem in Dei exercitu non computantur. Numerantur ergo per unum mensem, id est postquam Ecclesiæ conjuncti et Deo redditi sunt, et jam per fidem ei adhærent. Unde etiam post unum mensem redimuntur, quia ante unum mensem nullius pretii sunt, si quidem neque ad templum allati, nec in templo Deo oblati, nec Ecclesiæ sociati sunt. Redimuntur autem primogeniti quinque siclis argenti, per quos isti quinque libri Moysi significantur. Qui bene argentei esse dicuntur, quoniam puri sunt et veraces, nullaque falsitate corrupti, secundum illud : « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI, 7). » Hi autem sicli ad mensuram sanctuarii a sacerdotibus suscipiuntur, si dupliciter, id est ad litteram et spiritualiter, intelligantur. Inde enim et viginti obolos habere dicuntur, quoniam in hoc numero legis verba duplicantur; decem enim sunt quæ, si dupliciter intelligantur, omnem divinæ legis in se continent plenitudinem; si vero duplicata non fuerint, tales sicli non erunt ad mensuram sanctuarii. Qui autem redimuntur, non se continuo a servitio tabernaculi liberos esse putent, liberi quidem ab altaris officio, non tamen liberi sunt a servitio; in eo enim quod quinque siclos dederunt, horum quinque librorum fidem, scientiam et doctrinam se recipere, tenere et observare promiserunt. Redimamus ergo primogenita nostra, redimamus fidem nostram, indiget enim redemptione, quia sine operibus mortua est; demus pro ea quinque siclos, reddamus Domino hos quinque libros; reddamus, inquam, non solum legendo, verum etiam et credendo et agendo, quoque doctrinam et fidem tenendo.

CAPUT IV.

Sequitur autem de eo quod præceperat Dominus Moysi, ut numeraret filios Levi, eos scilicet qui erant a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, et constitueret unicuique cujus servitii in templo esse deberet. Præcepit ergo ut filii Caath portarent arcam testimonii, et mensam propositionis in qua semper panes erant, et simul cum ea thuribula, mortariola, cyathos, et crateres ferrent et candelabrum cum lucernis, forcipibus, emunctoriis, et cunctis vasis olei, quæ ad concin-

Digitized by Google

nandas **174** lucernas necessaria sunt, similiter autem et altare aureum, nec non et aliud altare cum omnibus vasis suis; et ista quidem sunt onera filiorum Caath. Filii vero Gerson portabant omnes cortinas tabernaculi et atrii tabernaculi, et tectum, et tentorium et funiculos. At vero filii Merari tabulas, et vectes, et columnas et bases ferebant. Hæc autem omnia fiebant juxta præceptum, et dispositionem Aaron et filiorum ejus; ipsi enim tabernaculum erigebant, ipsi, quando castra movenda erant, tabernaculum et sancta sanctorum ingredientes, ipsumque tabernaculum deponentes, arcam, et mensam, et candelabrum, cæteraque onera filiorum Caath pallio hyacinthino involventes, eos sic involuta portare jubebant. Quia in re manifestum est quoniam ad episcopos contemplationi vacare, et majora Ecclesiæ sacramenta tractare et agere pertinet; ita Levitæ cæterique ordines minores in exterioribus officiis fideliter laborare, desudare debent, ut nemo inutilis, nemo otiosus inveniatur, sed majorum jussionem, et dispositionem confestim minorum obedientia consequatur. Quid autem arca Testamenti, quid mensa et candelabrum, quid cortinæ et tabulæ, quid columnæ cæteraque significent, diligentissime in Exodo exposuimus. Quod autem hæc omnia pallio hyacinthino exterius involuta feruntur, hoc significare puto quod omnis fidelis anima, sive in prosperis, sive in adversis, sanctam, cœlicam et angelicam vitam et agere et ostendere debeat. Tali enim pallio involutus erat ille qui, in terris adhuc positus, dicebat : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20); » hyacinthus enim cœli colorem imitatur. Sed quare isti a trigesimo usque ad quinquagesimum annum numerantur, nisi quia Ecclesiæ ministros ætate et sapientia fortes et prudentes esse oportet? Maxime enim hisce annis viget ætas, utpote juventus, quæ aliarum ætatum præcipua est; viginti enim anni sunt a trigesimo ad quinquagesimum, quo numero quid significetur, satis jam diximus. Et trigesimo quidem anno Salvator noster baptizatus est, doctrina et opere suæ majestatis potentiam ostendere cœpit.

CAPUT V.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem « leprosum, et qui semine fluit, pollutusque est super mortuo, tam masculos quam feminas ejicite « de castris, ne contaminent ea, cum habitaverint « vobiscum. » Leprosa est enim omnis anima infidelis, et criminosa, præcipue autem Simoniaca et hæretica pravitate infecta. Semine autem fluere, est errorem in populo seminare. Pollutus vero super mortuo dicitur qui mortui hominis cadaver tetigit, per quem nemo melius quam corporis et animæ homicida intelligi potest. Tales enim de Ecclesia ejiciantur, ne sua cohabitatione eam polluant : « Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea (*Eccli.* XIII, 1); » et : « Corrumpunt bonos mores colloquia prava (*I Cor.* XV, 33). » « Vir, sive mulier, cum transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur « peccatum suum, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei in quem peccaverint. Sin « autem non fuerit qui recipiat, dabitur Domino, « et erit sacerdotis, excepto ariete qui offertur pro « expiatione, ut sit placabilis hostia. » Hoc autem capitulo manifeste ostenditur, quoniam illi qui aliena rapiunt, nisi ea in integrum restituant, et de injuria satisfaciant, quod eorum confessio sit inutilis et pœnitentia infructuosa. Quintus enim in sensibus tactus est, per quem furta et rapinæ fiunt. Hanc ergo quintam partem raptores reddunt, quando se non ulterius fraudulenter aliena tangere promittunt. Bene autem, si non fuerit qui recipiat hæc, Domino dantur, quoniam ipsius sunt omnia, et ei cuncta jure debentur; ipse enim pœnitentis affectum recipit, ipse nulli pœnitenti, et satisfacere volenti indulgentiæ januam claudit. Sunt autem hæc sacerdotis, quia ad ipsum pertinet, et pœnitentes suscipere et suis intercessionibus peccata delere. Quid per arietem qui offertur pro expiatione significatur, nisi quia omnis qui sic peccat, post satisfactionem innocenter vivere debet, ut jam non lupus sit rapiens, sed aries, nulli nocendo? aliter nec hostia placabilis, nec pœnitentia erit fructuosa.

« Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra « uxorem suam, quæ polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad sacerdotem et « offeret oblationem pro illa, decimam partem sati « farinæ hordeaceæ. Non fundet super eam oleum, « nec imponet thus, quia sacrificium zelotypiæ est, « et oblatio investigans adulterium. » Vir enim iste zelotypus Christus Jesus intelligi potest, cujus uxor non solum Ecclesia, verum etiam unaquæque anima intelligitur. Dicitur enim zelotypus, id est suspiciosus, non secundum se, qui omnia novit, sed secundum nos qui ejus membra sumus; taliter enim se esurire, et sitire, et nudum, et infirmum esse dicit, non utique, quod ejus omnipotens natura horum aliquid patiatur. Sic ergo in nobis zelotypus est, sicut esuriens, et sitiens, nudus, et infirmus. Spiritu ergo zelotypiæ ipse Jesus incitatur in nobis, quando nos pro ejus amore contra aliquem incitamur, quem in fide catholica suspiciosum habemus. Talem enim ducere debemus ad sacerdotem, id est ad concilium episcoporum et sacerdotum, et offerre oblationem pro illo; quam oblationem? decimam partem sati farinæ hordeaceæ. Decem enim sunt verba legis, quorum quidem decimam partem, hanc farinam **175** esse puto; satum ergo farinæ, totum librum legis, unumquodque vero mandatorum, decimam partem sati intelligimus. Ut, v. g., « non mœchaberis (*Exod.* XX, 14); » hoc ergo mandatum hic offertur, hoc in concilio recitatur, hoc adversum mulierem adducitur, quæ de adulterio accusatur. Unde et bene talis farina hordeacea dicitur, quia mestis faucibus cordis ab utraque parte suscipitur. Quis est enim qui de hæresibus libenter vel tractet,

Digitized by Google

vel tractare audiat? Super hanc autem farinam neque oleum funditur, neque thus imponitur, quoniam tali accusationi nemo misericordiam, nemo suavitatis assensum præbere debet; debet autem omnibus horribilis et fetida apparere. Hoc autem audiant illi qui adulando hæreticos ungunt, et qui eorum verbis quasi suavi aliquo odore delectantur.

« Deferet ergo eam sacerdos, et statuet coram « Domino, assumetque aquam sanctam in vase « fictili, et pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam (284). » Quid enim per aquam sanctam, nisi sanctarum Scripturarum exempla? Quid vero per vas fictile, nisi humanum corpus intelligimus? Unde Apostolus tali aqua plenus dicebat: « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV, 7). » Pauxillum vero terræ, corpus Christi est, qui de pavimento tabernaculi, id est de carne virginis suscipitur, in qua quasi in tabernaculo ad tempus habitavit. Offert ergo sacerdos, id est aliquis religiosus et sapiens, et statuit coram Domino suprædictam farinam, id est zelotypiæ oblationem, sive accusationem, quoniam omnia de quibus mulier accusatur in consilio manifestat. Deinde vero assumit aquam sanctam in vase fictili, quoniam omnia fidei catholicæ documenta colligit in sacrario pectoris sui. Quibus pauxillum terræ de pavimento tabernaculi admiscet, per quam de Virgine Christi incarnationem intelligimus. His autem ita compositis, recitat sacerdos et mulieris accusationem, et post hoc symbolum catholicæ fidei; et hoc est quod ait :

« Cumque steterit mulier coram Domino, dis- « cooperiat sacerdos caput ejus, et ponat super ma- « nus illius sacrificium recordationis et oblationem « zelotypiæ. » Stat enim mulier coram Domino, quoniam ille qui accusatur consistit in præsentia sacerdotum. Caput vero illi discooperitur, quando quid in mente habeat, et quam fidem teneat sacerdotis interrogationibus manifestatur. Tunc vero sacrificium recordationis, id est fides catholica et oblatio zelotypiæ, id est accusatio criminis ponuntur super manus ejus, id est palam et manifeste ei recitantur; deinde vero sequitur excommunicatio, ut si aliter credit, vel pro aliis alia fingit, eis quæ sequuntur maledictionibus subjiciatur. Et hoc est quod sequitur :

« Ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus « cum exsecratione maledicta congessit, adjurabitque « eam, et dicet quæ sequuntur. » Ipse, inquit, id est sacerdos (qui et mulieris accusationem, et fidei symbolum in concilio recitavit), tenebit aquas amarissimas, per quas libellum examinationis intelligimus, qui totus maledictionibus, et anathemate exaratus est. Dabitque has aquas bibere mulieri, quoniam totam hanc maledictionem, ea audiente et intelligente, leget; qua recitata, respondebit mulier, id est anima, quæ de fide accusatur: *Amen, amen*, id est fiat quod dicitis, si ego aliam quam vos tenetis fidem teneo. Prius tamen sacerdos tollet pugillum de eo quod offertur, et incendet super altare. Quod enim hoc sacrificium fidei symbolum significet, jam superius diximus. De quo quidem pugillo tollimus, quando partem aliquam, et illam præcipue de qua anima accusabatur, a toto separamus. Hanc autem super cordis accusati hominis altare incendimus, postquam hanc fidei partem ei et tenere, et credere, et diligere rationibus suademus. Deinde vero tollat sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, et elevabit illud coram Domino, imponetque super altare. Sacrificium enim zelotypiæ, decimam partem sati farinæ diximus superius, quando decimum quidem legis mandatum exposuimus, illud scilicet quo dicitur : « Non mœchaberis (*Exod.* XX, 14). » Decimum autem, non secundum ordinem, sed secundum numerum dicimus. Hoc autem tollit sacerdos de manu ejus, quando eam non mœchatam fuisse ostendit. Elevat autem coram Domino, et ponit super altare, et hoc omnes qui præsto sunt auribus audire, et corde intelligere et credere facit. Quod autem post aquarum bibitionem, mulieris venter, si rea fuerit, tumescit, femurque putrescit, hoc significare puto, quod postquam hæreticus excommunicatus et damnatus est, omnis ejus doctrina, et prædicatio gignendi et pariendi vires amittit, omnibusque inutilis, ventosa et fetida esse videtur. Sicut enim ventre et femore mulieres, ita doctrina et prædicatione adulterinos suos hæretici gignunt et pariunt.

CAPUT VI.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Vir sive « mulier cum fecerint votum, ut sanctificentur, et « se voluerint Domino consecrare, a vino et ab « omni quod inebriare potest, abstinebunt; acetum « ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid « de uva exprimitur, non bibent, uvas recentes, et « siccas non comedent cunctis diebus, quibus ex « voto Domino **176** consecrantur, quidquid ex « vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum « non comedent. » Hoc enim votum, priusquam sanctificentur et baptizentur, omnes Christiani faciunt, quoniam ad fidem venientes, diabolo et omnibus operibus ejus omnibusque pompis ejus abrenuntiant. Quid est enim aliud vinum, et omne quod inebriare potest, non bibere, nisi a vitiis et peccatis abstinere, quibus anima inebriata sensum et rationem, omnemque virtutem et fortitudinem amittit? Unde bene non solum vinum, verum etiam et uvas, quidquid ex vinea, usque ad acinum esse potest, abjicere præcepit, ut non solum agendo, verum etiam neque cogitando peccemus.

« Omni tempore consecrationis suæ novacula non « transibit super caput ejus, usque ad completum

(284) Vulgata habet : *offert igitur eam sacerdos*, etc.

Digitized by Google

« diem quo Domino consecratur. Sanctus erit cre- A
« scente cæsarie capitis ejus. » Caput etenim animæ mentem dicimus, cujus quidem capilli sanctæ cogitationes intelliguntur. Hic autem Nazaræus semper ornatus, et nunquam privatus esse debet. Qui enim semper bene cogitat, non facile peccat; malæ enim cogitationes sunt causa peccandi, secundum illud : « Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, homicidia (*Matth.* XIII, 19). » Crescant ergo mentis capilli, crescant bonæ cogitationes, quibus Nazaræus semper ornetur et tueatur. Sequitur :

« Omni tempore consecrationis suæ super mor- « tuum non ingredietur, nec super patris quidem, et « matris, sororisque funere contaminabitur. » Super mortuum enim ingredi, est mortale et criminale B peccatum committere. Patris autem et matris, fratris et sororis funere contaminatur quicunque mala parentum exempla imitatur. Hac autem figura, omnia membra, quæ nos scandalizant, a corpore nostro separare jubemur. Hinc autem et Dominus patris funere cuidam se contaminare volenti ait : « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade, et prædica regnum Dei (*Matth.* VIII, 22). » Mortem ergo fugiamus, et vitam sequamur : « Ego, inquit Dominus, sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). » Sequitur :

« Sin autem mortuus fuerit subito quispiam co- « ram eo, polluetur caput consecrationis ejus, ra- « detque caput suum in die purgationis suæ; in die C « septimo radet illud. » Tunc enim subito quispiam morietur coram eo, quando suggerente diabolo peccatum aliquod agit, quo anima moriatur, quæ coram eo et in eo est. Et tunc quidem caput consecrationis ejus polluitur, quando ejus mens, ejusque sancta conversatio abominabilis et sordida efficitur. Quod radet illico, ut in ipsa capillorum tonsione insinuet, quo dolore et qua pœnitentia interius constringatur. Neque enim decet ut exteriori capillatione pulcher appareat, qui mentem interius peccando decalvavit; neque erubescat pœnitere, qui non erubuit peccare. In hoc enim, qui caput radit, crimen se egisse ostendit, quoniam aliter Nazaræo caput radere non licebat. Quid ergo aliud est caput radere quam per pœnitentiam peccatum ostendere? Ille autem raditur D illico, et in eadem die, qui statim pœnitentia ductus non tardat converti ad Dominum, neque differt de die in diem. Raditur autem rursus et die septima, ut quemadmodum cœpit, sic usque in finem in pœnitentia perseveret. « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* XXIV, 13). » Unde et David : « Et peccatum meum contra me est semper (*Psal.* L, 4). » Septima enim dies ultima est. Prima ergo die, et septima raditur qui, ex quo peccat, pœnitere non cessat. Semper ergo rasus, semper pœnitens et dolens appareat, qui crimen committit, neque se Nazaræum et justum fingat qui peccando justitiam amisit.

« In octavo autem die offeret duos turtures et « duos pullos columbæ sacerdoti in introitu taber- « naculi testimonii; facietque sacerdos unum pro « peccato et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo; sanctificabitque caput ejus in die illo, et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato; ita tamen, ut dies priores « irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio « ejus. » Quamvis enim dies judicii octava dicatur (unde et quidem psalmi pro octava intitulantur) tamen omnis dies octava esse potest, quia hujus vitæ hebdomada finita, anima a corpore separatur. Hac autem die ille Nazaræus (qui, quamvis peccaverit, digna tamen pœnitentia peccata sua delevit) offert Jesu sacerdoti magno duos turtures, vel duos pullos columbæ, id est corporis et animæ castitatem et innocentiam. Hoc autem in introitu tabernaculi testimonii, id est in ingressu regni cœlestis. Faciet quoque sacerdos alterum pro peccato, et alterum in holocaustum, quoniam per hæc et peccata ei dimittet, et Deo Patri reconciliabit, et deprecabitur pro eo. Semper enim, ut Apostolus ait, pro nobis apud Patrem interpellat (*Rom.* VIII, 34). Et tunc quidem reconciliabit eum, et sanctificabit et consecrabit Domino, offerens agnum anniculum, quia enim post peccatum humiliter pœnitens, quasi agnus innocenter vixit, agni innocentia a peccato solvi promeruit, vivat ergo ut agnus, vivat ut humilis, et innocens, qui suam pœnitentiam vult sibi esse fructuosam. Quod autem ait : « Ita tamen dies priores irriti « fiant, » illud esse videtur, quod per Ezechielem Dominus ait : « Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur (*Ezech.* XVIII, 24). » Si ergo peccaverit justus et pœnitentiam egerit, salvabitur quidem, non quia justus fuit, sed quia pœnitentiam egit, unde et priores justitiæ dies non immerito periisse videntur. Ea vero quæ **177** sequuntur de illo Nazareo intelligantur, qui omni tempore vitæ suæ sine crimine vixit, et usque in finem in bonis operibus perseveravit. Talis enim Apostolus exstitit, qui ait : « Nihil mihi conscius sum (*I Cor.* IV, 4). » Tales et episcopos, et sacerdotes eligi præcipit. Sequitur :

« Ista est lex consecrationis, cum dies quos ex « voto decreverat complebuntur, adducit eum ad « ostium tabernaculi fœderis, et offert oblationem « ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in « holocaustum et ovem anniculam immaculatam « pro peccato, et arietem immaculatum, hostiam « pacificam. » Nostrorum autem Nazaræorum vota non ad tempus fiunt, sed simul cum vita complentur. Cum enim sancti ex hac vita transeunt, tunc et cœlestis palatii januas ingrediuntur, tunc sacerdos magnus Jesus Christus offert oblationes eorum Domino, quoniam sanctam vitam et bonam illorum conversationem commendat, eos Patri reconciliat. Per agnum autem, et ovem, et arietem, in quibus totum genus ovium continetur, perfectam innocen-

Digitized by Google

tiam, humilitatem et simplicitatem intelligimus. Merito igitur cum his offertur qui in his vixit, et ab his virtutibus non recessit. Quoniam autem tali sacrificio delectatur et pacificatur Deus, et peccata dimittit, ideo recte holocaustum, et pro peccato, et hostia pacifica dicitur. Canistrum ergo panum azymorum, qui conspersi sunt oleo, et lagana absque fermento, uncta oleo, ac libamina singulorum offeret sacerdos coram Domino, et faciet tam pro peccato, quam in holocaustum. Arietem vero immolabit hostiam pacificam, offerens simul canistrum azymorum, ac libamina, quæ ex more debentur. In his enim omnibus quæ azyma sunt et sine fermento, sancta, et sincera et incorrupta vita Nazaræi designatur, qui vixit non in fermento malitiæ et nequitiæ (*I Cor.* v, 8), sed in azymis sinceritatis et veritatis, cujus omnia opera, quia nunquam misericordia et pietate caruerunt, merito hæc non solum azyma, sed et oleo uncta referuntur. Hæc ergo offert Christus sacerdos magnus pro Nazaræo, quia in talibus illum commendans, Dominum ei per omnia placabilem reddit. Ipse enim dixit : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* x, 32). » Sive ergo arietem, sive azymum aliquis pro nobis offerat, innocentis et sinceræ vitæ nostræ commendatio intelligatur. Sequitur :

« Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi « fœderis cæsarie consecrationis suæ, tolletque ca- « pillos ejus sacerdos, et ponet super ignem, qui est « suppositus sacrificio pacificorum, et azymum co- « etum arietis, tortamque absque fermento, uvam « de canistro, et laganum azymorum unum, et tra- « det in manibus Nazaræi, priusquam rasum fuerit « caput ejus, susceptaque rursum ab eo, elevabit « coram Domino, et sacrificata sacerdoti erunt, sic- « ut pectusculum, quod separari jussum est. » Quomodo voto completo Nazaræus raditur, non doloris vel pœnitentiæ, ut supra, indicium et ostentatio est, sed ut ejus capilli in pacificorum sacrificio ponantur, quatenus non solum operibus, verum et cogitationibus Deum placet. Diximus enim per capillos bonas cogitationes significari, quæ nimirum totius sacrificii sunt condimentum, quoniam ad cor respicit Deus. Quod vero sacerdos tollit armum arietis, et tortam et laganum, et tradit in manibus Nazaræi; susceptaque rursus ab eo elevat coram Domino, hoc significare videtur quia quidquid boni habemus, a Christo accepimus, per quem et nos ipsos, et bona nostra Deo tandem reddituri sumus. Unde Apostolus ait : « Quid enim habes, quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » (*I Cor.* iv, 7.) Armum habes, quo aliena opera feras, tortam azymam et laganum habes, fidem videlicet et scientiam incorruptam, quæ te pascunt et nutriunt. Noli quasi de tuo gloriari, quoniam aliunde ea suscepisti, ideoque quasi non tua, ea sacerdoti te reddere oportet, cujus et sunt, sicut et pectusculum, quod separari jussum est. De Christi namque pectore evangelica prædicatio, fides nostra omnisque nostra bona operatio procedit. Omnia ergo illius sunt. Et quanquam omnibus bene agere licet, evangelizare tamen non omnibus licet, ideo de pectusculo dicitur, quod separari jussum est. Quid est autem quod sequitur : Post hæc Nazaræus potest bibere vinum? Si quidem per vinum vitia et peccata superius significavimus; aliud ergo est hoc vinum, illud videlicet quo anima inebriata omnium ærumnarum omniumque quas hic passa est tribulationum obliviscitur. De quo Psalmista : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* xxxv, 9). » Hæc autem de Nazaræo dicta sint.

CAPUT VII.

Sequitur autem de duodecim principibus qui sex plaustra et duodecim boves Domino obtulerunt, quibus tabernaculum et cuncta ejus onera portarentur. Quæ quidem valde necessaria erant, et Levitæ ejus tabernaculi onera cunctamque supellectilem difficile ferre poterant. In his allegoriam quærere non videtur necessarium. Ibi allegoria necessario quærenda est, ubi littera aliquid jubet, vel quod inutile sit, vel quod omnino careat ratione.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Singuli duces « per singulos dies offerant munera in dedicatio- « nem altaris. Primo die obtulit oblationem suam « Nahason filius Aminadab de tribu Juda, feceruntque in ea acetabulum **178** argenteum pondo « centum viginta siclorum; phiala argentea habens « septuaginta siclos, juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium; « mortariolum ex decem siclis aureis, plenum incenso : bovem de armento, et arietem in holocaustum, hircumque pro peccato, et in sacrificium « pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos « quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est obla- « tio Nahason filii Aminadab. » Unusquisque fidelis tabernaculum dici potest, secundum quod Apostolus ait : « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* iii, 17), » et altare, quod in eo fit sacrificium Deo acceptabile. Hoc autem altare tunc dedicatur, quando homo ad fidem convertitur, et per baptismum Domino consecratur. Ad cujus dedicationem Ecclesiæ duces, episcopi videlicet et sacerdotes, munera offerunt, quoniam legis præcepta, fidei documenta, sanctorum exempla, et vivendi regulam eum instruunt qui noviter conversus in Christi militia incipit. Quid enim per acetabulum, et mortariolum, quæ ex solis denis numeris conficiuntur, nisi hunc librum legis intelligimus, qui ex decem præceptis constitutur? Computa singulorum numerum, et denarium numerum ubique invenies. Quæ quidem bene simila oleo conspersa et incensa esse dicuntur, quoniam liber iste, et ea doctrina quæ oleo sancti Spiritus, et misericordiæ et pietatis unctione abundat, et odore suavissimæ intelligentiæ plenus est. Et quoniam totus sapientiæ et scientiæ luce præfulget, non immerito aurea et argentea

Digitized by Google

prædicta vasa esse dicuntur. Sicli vero ad mensuram sanctuarii computantur, quoniam omnia legis præcepta veritatis justitiæque libra sunt ponderata. Offerunt præterea prædicti duces in hujus altaris dedicationem bovem de armento, et arietem, et agnum anniculum in holocaustum, quoniam Christi passionem, labores et innocentiam Domini noviter converso annuntiant. Hic enim bos de armento patriarcharum et prophetarum assumptus agrum Ecclesiæ coluit, et verbi semine seminavit. Hic aries ad victimam ductus non aperuit os suum. Hic est agnus, qui tollit peccata mundi. Hujus ergo exempla laborando, patiendo, et innocenter vivendo sequimur. Nulli autem absurdum videatur, quod etiam hircus dicitur pro peccato, quia propter peccata nostra inter iniquos deputatus est. Obtulerunt autem, et boves duos in sacrificio pacificorum, arietes quinque, hircos quinque, quinque agnos anniculos, quatenus novus miles in his et laborare, et sui corporis sensus regere discat: duos enim boves habemus, animam scilicet et corpus, quibus et jugum Christi, quod suave est, ferimus, et in agro ejus desudamus; quæ duo si in nobis consenserint, quidquid petierimus, ut ait evangelista, impetrabimus. Habemus autem et quinque sensus, per quos Deum nobis pacificamus; si tamen innocentes, et mundi fuerint. Omnia enim animalia munda sunt. Hircos tamen immolare, est carnis maceratione libidinosum sensum occidere et superare. Similia autem dona, et sacrificia cæteri quoque duces obtulerunt. Omnibus ergo hæc una expositio sufficiat.

CAPUT VIII.

Sequitur autem de candelabro, quod ab australi parte poni præcipitur, ut luceat super mensam, quæ ab aquilone posita erat. Hoc enim candelabrum Christus est, de quo in Exodo sufficienter diximus. Quod bene austro ponitur, quoniam « Deus de austro venit, et sanctus de monte Pharan (*Habac.* III, 3). » De mensa quoque in eodem libro tractavimus, per quam utriusque Testamenti doctrina significatur; quæ quidem, nisi hujus candelabri lumine, nec intelligitur, nec illuminatur. Est autem posita ab aquilone, ubi septem diabolos esse Scriptura commemorat. Prius ergo ad hanc mensam accedat, ejusque dapibus reficiatur, quicunque diabolo pugnaturus occurrit.

Hinc autem præcepit Dominus Moysi, ut tollat levitas de medio filiorum Israel, et purificet eos, atque aspergat aqua lustrationis, radantque omnes pilos corporis sui, deinde tollant duos boves, et congregata omni multitudine filiorum Israel, ponent filii Israel manus suas super levitas, et offeret eos Aaron coram Domino, ut serviant in ministerio ejus. Levitæ quoque ponent manus super capita boum, ex quibus Moyses unum offert pro peccato, et alterum in holocaustum, et orat pro eis; sicque purificati levitæ postea tabernaculum ingrediuntur. Quod autem tunc levitæ purificabantur, et aqua sanctificata aspergebantur, et totius carnis pilos radebant, hoc significabat quod nostri quoque levitæ, omnisque clericorum ordo ab omni vitiorum sorde purificari, ab omni crimine lavari, et ab omni superflua, et prava cogitatione mundari debent. Ponunt quoque filii Israel manus suas super eos, ut levitæ intelligant quanto oneri quantoque labori subjiciantur: pro omnibus enim eos laborare oportet qui manus omnium ferunt, et quod omnium manus in tabernaculo agere debuerant, hoc illi soli faciant qui omnium manus in se susceperunt. Et Aaron quidem offert eos Deo, quoniam episcoporum est reliquos ordines et consecrare et Deo offerre. Sed quid per duos boves, super quos levitæ manus suas ponunt, nisi corpus, et animam intelligimus? qui enim corpus et animam suam sapienter domant, et ab omni prava concupiscentia **179** compescunt, illi nimirum his bobus super capita manus suas tenent. Horum enim sapiens domitor Apostolus erat, qui ait: « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (*I Cor.* IX, 27). » Si autem sic domiti fuerint, tunc Moyses, id est Salvator noster alterum offert pro peccato, et alterum in holocaustum, quatenus eorum sacrificio et peccata solvantur, et Dei gratia suscipiatur. Breviter autem in hoc libro de sacrificiis dicere disposuimus, quoniam in Levitico plenissime disputavimus. Neque difficilia hæc illis fore putamus, qui per illum librum transeuntes ad istum perveniunt. Ingrediuntur autem levitæ, post hanc purificationem in tabernaculum, quoniam qui sic purificantur, et Ecclesiæ, et cœli tabernaculo digni sunt. Tandem in fine hujus capitis præcepit Dominus, ut levitæ a vigesimo anno usque ad quinquagesimum in tabernaculo serviant; deinde vero custodes vasorum fiant. Quinquagesimo enim anno, id est jubilæo, omnis servus redditur libertati, in qua et levitæ incipiunt quiescere a labore: necesse enim fuit ut juventute laborarent, et carnem domarent, quatenus carnis voluptates facilius superarent. Hac autem ætate, quoniam jam et vires deficiunt, et calor minuitur, quiescere jubentur: custodiunt tamen tabernaculum, et ea quæ in illo sunt; quia sæpe contingit, ut virtutes, quæ per laborem acquiruntur, per otium perdantur. Nostri corporis tabernaculum, et si quæ virtutes in eo sunt, nos custodire oportet, quoniam in qualibet ætate peccare possumus, nobisque diabolus, callidus latro, semper insidiatur.

CAPUT IX.

Præcepit autem Dominus filiis Israel ut faciant Phase in tempore suo, id est quarta decima die mensis primi. Qui autem immundi sunt super anima hominis, aut in via procul, quoniam suo tempore hoc agere nequeunt, faciant illud quarta decima die secundi mensis ad vesperam cum azymis, et lactucis agrestibus. Quid est enim, quod Phase, id est agni immolatio, non fit nisi quarta decima die? Nisi quia ad Christi carnem, et sanguinem nemo accedere debet, qui lumine decem dierum Veteris Testamenti, et quatuor Novi nondum est illustratus. Decem enim sunt verba legis: Evangelia vero quatuor, quorum

Digitized by Google

lemine quorumque fide mundus illuminatur. Ad Phase ergo faciendum dignus non est qui hoc lumine et his diebus illuminatus non est. Id ipsum autem est pollui super anima hominis, quod est pollui super mortuo, quod quidem superius jam dictum et expositum est. Procul autem in via sunt, qui propter peccata, in quibus perseverant, longe ab Ecclesiæ religione et a Deo facti sunt, de quibus Psalmista ait : « Longe a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII, 133). » Hi autem Phase cum cæteris facere non possunt, quoniam « qui hoc indigne manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini (*I Cor.* XI, 29). » Mundentur ergo prius, et ad Deum, et ad Ecclesiam revertantur, et sic comedant. Et hæc quidem transcurrimus, quoniam in Exodo plenissime dicta sunt (284*). De hoc autem sacrificio peregrino et advenæ comedere licet, per quos gentiles ad fidem conversos intelligimus. Sequitur autem de nube qua semper tabernaculum tegebatur. Quæ et in nocte quidem illuminabat, et in die a solis calore defendebat. Per hanc autem sancti Spiritus gratiæ figurantur, quibus nostræ ignorantiæ tenebræ illuminantur, et a vitiorum æstu, et a luxuriæ ardore defendimur. Nos enim sumus tabernaculum Dei, de quibus ipse ait : « Inhabitabo in illis, et ambulabo in eis (*II Cor.* VI, 17). » Sed quid est quod ad hujus nubis imperium, tabernaculum et figitur et movetur? nisi quia cum bene agimus, non nostræ potestatis sumus, sed Spiritus, qui in nobis est : ipso enim regimur, ipso docemur, ipso recto itinere ad patriam dirigimur.

CAPUT X.

« Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Fac « tibi duas tubas argenteas ductiles, ad quarum vo- « cem castra moveantur, populus congregetur, exer- « citus ad prælium præparetur, et in Kalendis « aliisque festivitatibus, super holocaustis cum eis « decantetur. » Per duas tubas, duo Testamenta intelligere possumus, quæ quare argenteæ dicantur manifestum est : argentum enim eloquii puritatem designat. Sunt autem et ductiles, quia super incude cordis nostri sancti Spiritus malleo quotidie fabricantur; ductile enim sine malleo et incude fieri non potest. Cum enim Testamentorum præcepta discimus, doctorum linguas, quasi malleum corda nostra ferientes, sentimus. His autem tubis apostoli et doctores de cunctis mundi partibus populos ad Ecclesiam convocaverunt; his nos ad bella parare; his contra hostes dimicare; his nos, et vitia, et malignos spiritus superare docent. Harum quoque sonitu discimus qualiter vivamus, qualiter in via mandatorum Dei curramus, qualiter quoque Deo laudis et jubilationis hostias immolare debeamus : sic enim eorum sonus secundum audientium capacitatem distinguitur, ut unusquisque quid agere debeat facile in eis cognoscere valeat. **180** Hic autem Moyses hortatur Obab filium Raguelis cognatum suum, ut secum proficiscatur, cui ille ait : « Non vadam, sed revertar ad terram, in qua natus sum. » Et ille : « Noli, inquit, nos relinquere : tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster. » Quid est enim, quod Moyses gentilem hominem ductorem exercitus ponere vult, cujus ipse Dominus ductor erat? Sciebat, quod homo vanus et superbus, nisi quibusdam laudibus et blanditiis, suæ salutis consiliis non acquiesceret. Unde et nobis regula datur, potentes homines et superbos, etiam adulationibus, ad justitiam et veritatem convertere, non esse peccatum (285).

« Profectique sunt de monte Domini viam trium « dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, « per tres dies providens castrorum locum. Nubes « quoque super eos erat, dum incederent. » Quid enim trium dierum via, nisi fides Trinitatis? Primo siquidem die venitur ad Patrem, secundo ad Filium, tertio ad Spiritum sanctum : tanta est via, nec infra stare, nec ultra præcedere licet; alioquin præcedens arca relinquitur, et fides Ecclesiæ non tenetur. Qui vero sic ambulant semper nube, et gratia Spiritus sancti obumbrantur.

CAPUT XI.

« Interea ortum est murmur populi, quasi dolen- « tium, pro labore, contra Dominum. Quod cum « audiret, iratus est, et accensus ignis Domini in « eos devoravit extremam castrorum partem. Cum- « que clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses « ad Dominum, et absorptus est ignis. » De hoc enim Apostolus ait : « Neque murmuraveritis, sicut quidam illorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore (*I Cor.* X, 10). » Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad nostram correctionem. Corrigamur ergo ne et nos similiter pereamus. Ignis enim iste ignem æternum significat, qui impie murmurantes et Deo detrahentes exuret, præter eos duntaxat qui pœnitentia ducti ad Christum, qui per Moysen significatur, confugientes, ejus auxilio tueri merebuntur.

Sequitur autem de eo quod populus carnium desiderio flevit, cupiens esse in Ægypto, quoniam in mentem ei venerunt cucumeres, porrique, cæpe et allia. Unde et Dominus iratus est valde, sed et Moysi res intoleranda visa est. Dedit ergo eis Do-

(284*) Nihil corruptius hoc editionis loco, quem codicis Laurentiani lumine supplemus, et emendamus; cui codex Casinensis concordat.

(285) Cum paulo supra S. Bruno dixerit, Moysen cum Obab homine vano, et superbo laudibus, et blanditiis usum fuisse, ut ad indulgendum sibi flecteret; hic ubi ait potentes homines et superbos adulationibus ad justitiam convertere, non esse peccatum; intelligendus est pro blandimentis, adulationes usurpasse. Differunt enim hujusmodi vocabula inter se. Adulatio solet juxta veteres scriptores sermonem blandientem cum mendacio conjunctum significare : blandimentum econtra sine veritatis præjudicio fieri potest.

Digitized by Google

minus carnes, mandans illis multitudinem coturnicum in mensam, qui volabant in circuitu castrorum, altitudine duorum cubitorum super terram. Quid est hoc, populo stulte et insipiens, pane cœlesti abundas, et cæpas et allia concupiscis? Manna respuis, et carnes affectas? Manifesta est igitur hæc allegoria. Usque hodie namque Judæorum populus litteram sequitur quæ occidit, non spiritum qui vivificat, carnalem in lege, non spiritualem intelligentiam quærit. Venit Christus, venit panis vivus, qui de cœlo descendit; dedit manna, dedit cibum, qui non perit, sed qui permanet in æternum, habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis. Dedit evangelicam prædicationem; aperuit sensum discipulis suis ut Scripturas intelligerent. Hoc est igitur manna, quo interior homo noster et reficitur, et pinguescit. Qui legis præcepta nonnisi ad litteram intelligi volunt, quid aliud, quam cucumeres, et pepones, porrosque, et cæpas, et allia comedunt? In his autem etiam hæreticorum, philosophorum, et poetarum scripturæ significantur. Unde non solum Judæos, sed promiscuum quoque vulgus, qui cum eis de Ægypto ascenderat, eodem desiderio, hæc historia flevisse commemorat. Nos ergo non coturnices juxta terram volantes quæramus, neque carnalem sequamur intellectum, qui altius a terra non separatur; sed post illam aquilam volare discamus, quæ ait : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Et merito quidem tunc Dominus iratus est valde; merito quoque Moysi res intoleranda visa est. Quis enim tolerare potest, quod manna respuitur, et cæpe, et allia eliguntur? Quis facile ferat, quod populus tanto labore de tam dura servitute creptus, pro comedendis alliis in Ægyptum redire desiderat? Sed videamus quid sequitur : « Adhuc « carnes, inquit, erant in dentibus eorum, nec « defecerat hujuscemodi cibus : et ecce furor Do- « mini concitatur in populum, percussitque eum « plaga magna nimis. » Apparet ergo eos per omnia esse infelices, quorum prava desideria Deus exaudit : fortasse hos non occidisset nisi ejus carnes male quæsitas dedisset. Rogemus ergo Dominum, ne nos exaudiat, cum male aliquid postulamus. « Hæc enim omnia, ait Apostolus, in figura contingebant illis (*I Cor.* x, 11). »

Nunc autem præcipit Dominus Moysi, tantis malis increduli populi affecto ut eligat septuaginta duos viros de senioribus Israel, qui simul cum eo unus populi ferant, et non ipse solus gravetur. Quod cum factum esset, « descendit Dominus per nubem, et « auferens de spiritu, qui erat in **181** Moyse, de- « dit illis. Cumque requievisset in eis spiritus, pro- « phetaverunt, nec ultra cessaverunt. » Manifestissime namque isti septuaginta duo viri septuaginta et duos Christi discipulos designant, quos non de alio, sed de illo Spiritu, qui in Christo erat (quem tunc Moyses significabat) Deus implevit, quo repleti Christi magnalia prædicaverunt, nec ulterius a prædicatione cessarunt.

CAPUT XII.

Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam, dicentes : Dominum non solum Moysi, sed sibi quoque esse locutum. Unde et Dominus iratus est valde, erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines. Dixitque Dominus ad Aaron et Mariam : « Quare non ti- « muistis detrahere servo meo Moysi, qui in omni « domo mea fidelissimus est? cui ego ore ad os loquor, « et palam, et non per ænigmata, et figuras Deum « videt; cæteris autem prophetis per somnium et « visionem apparebo. Iratusque contra eos abiit; nu- « bes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum. « Et ecce in Maria apparuit candens lepra, quasi nix. « Oravitque pro ea Moyses, dicens : Domine Deus, « obsecro, sana eam. Cui Dominus : Si pater ejus « exspuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem « septem dierum rubore suffundi? Separetur septem « diebus extra castra, et postea revertatur. » Significationem videamus : Moyses enim Christum, uxor ejus Æthiopissa Ecclesiam de peccatoribus collectam, Maria plebem Judaicam, Aaron vero Judæorum pontifices et sacerdotes designat. Sæpe enim Judæorum plebs atque pontifices contra Christum locuti sunt, dicentes, sibi quoque in scripturis prophetarum Deum esse locutum, quibus magis credendum esset quam Christo : qui quasi uxorem Æthiopissam diligens et complectens, cum publicanis et peccatoribus manducabat. Unde et eis Dominus, quasi Moysi credentibus, in Moyse credere fingentibus dicebat : « Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi; de me enim ipse scripsit (*Joan.* v, 46). » Quod autem super omnes homines Christus mitissimus fuit, ex eo intelligi potest, quia sicut agnus ad victimam ductus non aperuit os suum, et pro suis quoque crucifixoribus oravit. Et fidelissimus quidem in domo Dei, quæ est Ecclesia, exstitit, quia se pro ea morti tradere non dubitavit. In hoc autem quod dicit, quia palam et non per ænigmata; et figuras Deum videt, manifestissime docet quod non de Moyse, sed de Christo in figura Moysi loquebatur. Moysi enim Dominum videre cupienti, Dominus ipse in Exodo loquitur, dicens : « Non videbit me homo, et vivet (*Exod.* XXXIII, 20). » Et Joannes apostolus : « Deum nemo vidit unquam (*Joan.* I, 18). » Noster quoque Moyses sic ait : « Nemo vidit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Matth.* XI, 27). » Constat ergo primum Moysen, nonnisi per ænigmata, et figuras Deum vidisse (286). Quod autem sequitur : quod

(286) Pluribus rationibus probat S. Thom. hominem, dum vivit, naturali intellectus lumine Dei essentiam videre non posse. Prima, quia aliqua similitudo ex parte intuitione potentiæ esse debet, qua scilicet intellectus sit efficax ad videndum Deum; caret autem hac homo viator. Secunda, quia cum homo, in statu de quo loquimur, non intelligat, aut aliquid percipiat nisi per species et imagines crea-

Digitized by Google

Dominus contra eos iratus abiit et nubes recessit a tabernaculo, quid aliud significare putamus, nisi quia Judæos Salvatori nostro detrahentes, eique credere nolentes, simul cum ipso Pater, et Spiritus sanctus dereliquit? Et tunc quidem in Maria apparuit candens lepra quasi nix, quia impia Judæorum plebs, ex tunc suæ infelicitatis maculis est polluta, pro qua, sicut pro Maria Moyses Christus oravit, dicens : « Pater, ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Manet tamen adhuc Synagoga extra castra, quoniam nondum septem dies completi sunt, ut redeat ad Ecclesiam : « Cum enim plenitudo gentium introierit tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). » Tunc ergo septem dies isti complebuntur, quoniam non sunt dies nisi septem. Patrem autem in faciem spuere, est aliquem Ecclesiæ prælatum contemnere, qui aliquem subjectorum suorum pro suis facinoribus palam, et manifeste redarguit, et excommunicavit. Qui quidem septem dierum rubore perfunditur, si usque ad perfectam pœnitentiam, vel etiam quandiu vivit, pro suis peccatis erubescit.

CAPUT XIII.

Hinc autem narratur quod Moyses ex præcepto Domini miserit duodecim viros ex principibus Israel de deserto Pharan, ubi tunc populus morabatur, ad considerandam terram promissionis; erat autem tempus, quando præcoquæ uvæ vesci possunt. Pergentes igitur exploraverunt terram, absciderunt que palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri, reversique sunt post quadraginta dies, portantes quoque de malis **182** granatis et de ficis. Ostendentes autem fructus terræ dixerunt filiis Israel : « Venimus ad terram, quæ revera fluit « lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci po- « test. Sed cultores fortissimos habet, et urbes « grandes et muratas, unde nequaquam ad hunc « populum valemus ascendere, quia fortior nobis « est. Caleph vero et Josue dicebant : Ascendamus, « et possideamus terram. Flevit ergo turba tota illa « nocte, volens sibi ducem constituere et reverti in « Ægyptum. »

CAPUT XIV.

« Cumque Caleph et Josue, scissis vestibus præ « dolore, eos confortarent, ipsique eos jam lapi- « dibus obruere vellent, apparuit gloria Domini « super tectum fœderis, cunctis videntibus. » Ego quidem hos duodecim principes, duodecim apostolos intelligerem, nisi quia timuerunt, et ad terram promissionis populum ascendere dissuaserunt, eisque ruinæ mortisque causa fuerunt. Alia ergo interpretatio quærenda est. Sed intelligamus modo per istos omnes Ecclesiæ principes, id est episcopos, ut per Caleph et Josue, solos bonos; per cæteros autem, omnes alios significemus. Denarius enim numerus, quoniam omnes in se numeros continet, aliquando plures, aliquando omnes significat. Et hic quidem decem remanent, duobus tantum de duodecim subtractis. Per hos ergo decem malos principes, omnes malos Ecclesiæ principes intelligamus : omnes enim boni et mali terram viventium laudant, omnes ejus gloriam et benedictionem extollunt, ejusque felicitatis fructus ante audientium aures et oculos prædicando ponunt; sed quoniam male vivunt, et male de se exemplo pravæ actionis ab ea repellunt. De his enim Dominus ait : « Quoniam habentes clavem scientiæ, ipsi intrare nolunt, et eos qui volunt intrare, non permittunt (*Luc.* XI, 52). » Malis ergo pereuntibus, soli boni principes terram viventium ingrediuntur.

« Et dixit Dominus ad Moysen : Usquequo detra- « het mihi populus iste? Quousque non credet mihi? « Voluitque eos interficere; sed oravit pro eis « Moyses, dicens : Deus patiens, et multæ miseri- « cordiæ, auferens iniquitatem, et scelera, nullum- « que innoxium derelinquens, qui visitas peccata « patrum in filiis, in tertiam et quartam genera- « tionem; dimitte, obsecro, peccatum populi hujus. « Dixitque Dominus : Dimisi juxta verbum tuum. « Vivo ego, et implebitur gloria Domini universa « terra. Attamen omnes qui viderunt majestatem « meam, et signa quæ feci, et tentaverunt me jam « per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non « intrabunt terram promissionis. » Quia enim patiens est Dominus, diu peccatores exspectans, non statim punit; quia misericors est, eorum iniquitates et scelera aufert qui per pœnitentiam convertuntur. Nullum tamen innoxium derelinquit, quia non justificabitur in conspectu ejus omnis homo. Visitat autem peccata patrum in filiis in tertiam et quartam generationem, in illis, duntaxat qui patres suos iniquitate et scelera imitantur; alioquin filius non portabit iniquitatem patris. Dimisit autem Dominus propter Moysen servum suum populi peccatum, sed non dimisit pœnam peccati : omnes enim propter peccatum hoc per annos quadraginta in deserto mortui sunt, quicunque a viginti annis, et supra numerati fuerant. Et in hoc quidem verum esse probatur quod dicitur : « Quia non vindicat Dominus bis in idipsum. » Quod autem ait, « qui tentaverunt me jam per decem vices, » finitum pro infinito posuit, idemque est per decem vices quod est per multas vices, quoniam hic numerus omnes in se numeros continet.

tas; hoc est quæ naturam immaterialem, et simplex esse, quod est Deus, repræsentare nequeunt et ad ejus substantiæ visionem minime conducunt. Tertia, quia divina essentia cum sit aliquid incircumscriptum in se continens supereminenter quidquid potest significari aut intelligi ab intellectu creato, caret hic medio proportionato Dei videndi. Aliter tamen res erit hominis beatitudine cœlesti fruentis, ubi a lumine divinæ gloriæ confortatus intellectus Deum videbit, sicuti est, secundum illud Psal. XXXV : *In lumine tuo videbimus lumen.* Ita S. doctor p. I, q. 12, art. 2 et seq. Quod spectat ad Moysen, de quo S. Bruno, dici poterit, quod secundum providentiam ordinariam Dei essentiam non viderit, non autem per extraordinarium divini luminis munus, quod Deus et impertiri potuit.

Digitized by Google

CAPUT XV.

« Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : « Loquere ad filios Israel, et dices ad eos : Cum « ingressi fueritis in terram habitationis vestræ, « quam ego dabo vobis, et feceritis oblationem Do- « mino in holocaustum, aut victimam pacificam (287), « vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut « in solemnitatibus vestris adolentes odorem suа- « vitatis Domino, de bobus sive de ovibus : offeret, « quicunque immolaverit victimam, sacrificium si- « milæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, « quod mensuram habebit quartam partem hin, et « vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit « in holocaustum, sive in victimam per singulos « agnos, et per arietes erit sacrificium similæ dua- « rum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ « partis hin : et vinum ad libamentum tertiæ partis « ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis « Domino. Quando vero de bobus feceris holocau- « stum, aut hostiam, impleas votum, vel pacificas « hostias Domino dabis per singulos boves, similæ « tres decimas conspersæ oleo, quod habet modium « mensuræ hin et vinum ad liba fundenda ejusdem « mensuræ, in oblationem suavissimi odoris Do- « mino. Sic facies per singulos boves, et arietes, et « agnos, et hædos. Tam indigenæ quam pere- « grini eodem ritu offerent sacrificia : unum præ- « ceptum, atque judicium erit tam vobis quam « advenis terræ. » Significationem videamus. Quare enim filiis Israel modo dicitur, ut priusquam ad terram promissionis venerint, in omni holocausto similam, et oleum, et vinum offerant, nisi **183** quia in deserto hæc non habebant? præcipitur ergo eis ut priusquam his abundaverint, quicunque immolaverit agnum, offerat et sacrificium similæ decimam partem ephi, et olei et vini quartam partem hin. Qui vero immolaverit arietem, offerat cum eo duas decimas similæ, decimam partem hin. At vero qui bovem Domino obtulerit, offeret simul cum eo duas decimas similæ, et vini et olei totum hin. Hoc autem holocaustum, et hæc sacrificia non quæramus extra nos. Omnia hæc si volumus, in nobis invenire possumus. Nos sumus agni, et arietes et boves, nos et simila et decimæ sumus, nos et oleo et vino sumus perfusi. Omnia ergo hæc offerimus, si tantum nos ipsos Domino offeramus. Si vis esse aries et agnus, sis innocens, patiens et mansuetus; si vis esse bos, subjicere et humiliare sub jugo Christi, et labora firmiter et confidenter in agro Ecclesiæ ; si vis esse simila, sis totus candidus et sine fermento, et quanto plus contereris et affligeris, tanto candidior et pulcher fies. Decima vero dicitur homo, quia ipse est drachma decima, ipse est et ovis centesima. Hæc autem decima similæ, id est homo, azymus sincerus, et incorruptus oleo Spiritus sancti, et vino evangelicæ prædicationis, totus et intus et extra perfusus est. Hoc enim oleo sanati, et hoc vino inebriati sumus. Quamvis autem plures decimæ hic enumerentur, omnes tamen idem significant. Nihil enim plus duæ decimæ hic significant quam una, nihil plus tres quam duæ ; una enim totam fidelium multitudinem designat ; duæ vero Judæorum populum, et gentilium : tres vero totidem mundi partes, Asiam videlicet, Africam et Europam (288).

Hic autem præcipit Dominus filiis Israel ut sicut de areis, ita etiam de cibis et pulmentis Domino primitias offerant, per quod misericordiam in pauperes, et eleemosynarum largitatem facile intellexerim. Sequitur autem ut, si per ignorantiam omnis multitudo peccaverit, offerat vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium ejus ac libamina, ut cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato, rogabitque pro eis sacerdos, et dimittetur eis. Hoc autem peccatum illud esse puto, quo filii Israel Christum occiderunt, quod quidem per ignorantiam factum esse, ipse quoque ostendit, dicens : « Non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Et Petrus apostolus : « Et nunc, fratres, scimus, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri (*Act.* III, 17). » Agant ergo pœnitentiam, et offerant vitulum, eumdem ipsum, quem occiderunt, lavando, et prædicando, credendo, bibendo et manducando : ut tali sacrificio delectatus Dominus dicat : « Sacrificium laudis honorificabit me (*Psal.* XLIX, 23). » Quid vero per sacrificium, et liba, et cæremonias intelligi debeat, modo superius diximus, cum de simila, et oleo, et vino loqueremur.

Hircum autem pro peccato offerre, est carnem peccatricem pœnitentiæ igne comburere, ut a peccato solvatur. Sacerdos autem animus est qui, in ara cordis geminatus et compunctionis hostiam offerens, et pro se, et pro aliis exaudiri meretur ; animi enim præcipue culpa fit, quod per ignorantiam peccamus ; ejusdem ergo interventu fiat ut exaudiamur. Quod si anima una nesciens peccavit, offeret capram anniculam pro peccato suo, et deprecabitur pro ea sacerdos (289), ut supra. Hoc autem ad unumquemlibet pertinet, qui nescienter errat, et aliter quam se veritas habeat intelligit et credit. Hic ergo, cognito peccato suo, offerat capram quæ, quoniam ejusdem generis est, id ipsum significat quod modo diximus hircum significare. Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis

(287) In Vulgata deest *pacificam*.

(288) Jam supra in exposit. cap. XIV Levit. vidimus eamdem mundi partitionem factam a S. Brunone, quia America quarta pars orbis terraquei non detecta fuit nisi sub finem sæculi XV, et dominio regum Hispaniarum adjecta. Hujusmodi autem principes maxime catholici per viros apostolicos, populos illos adhuc barbaros, et idololatras ad fidem Christianam conversos S. Romanæ Ecclesiæ addixerunt. Quare modo dicitur mundus dividi in Asiam, Africam, Europam et Americam.

(289) Ex cod. Laurentiano errata editionis corriguntur.

Digitized by Google

ille sit, sive peregrinus, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Hoc autem perspicue de hæretico intelligitur, unde et merito rebellis vocatur. Magna enim superbia est, ut tota Ecclesia reclamante et fidei catholicæ dogmata ostendente, aliquis contra rebellare, suamque sententiam contentiose defendere velit. Talis ergo peribit, cujuscunque gentis sit, cujuscunque ordinis, cujuscunque conditionis et religionis.

Sequitur autem de homine, quem filii Israel extra castra ducentes (quoniam in Sabbato ligna collegerat) lapidibus obruerunt. Per hoc autem datur intelligi quod illi qui pactum Dei violant et Ecclesiæ Dei instituta cum cæteris fidelibus custodire et observare recusant, ab Ecclesia pelli, et ab omnibus damnari et excommunicari debeant : tot enim lapidibus obruitur, quot assentientibus excommunicatio confirmatur.

« Dixit quoque Dominus ad Moysen : Loquere « filiis Israel, et dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias « per angulos palliorum, ponentes in eis vittas « hyacinthinas, quas cum viderint, recordabuntur « omnium mandatorum Domini, nec sequantur « cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini « faciant ea. » Hoc autem capitulum non multa expositione indiget; si quidem ipse qui scripsit, exposuit. Ad hoc autem **184** vittas hyacinthinas in fimbriis ponere jussit, ut signum quoddam eis esset quo cœlestium mandatorum memores, vana et inutilia non cogitarent, hyacinthus enim cœli colorem habet. Sint ergo vittæ hyacinthinæ, sanctæ, cælibesque cogitationes, quæ fimbriis, id est sententiis mandatorum Dei innexæ, ab omni fornicatione oculos nostros tueantur. De fornicatione oculorum Dominus ait : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo (*Matth.* v, 28). »

CAPUT XVI.

Sequitur autem de seditione, quam Core, Dathan et Abiron fecerunt contra Moysen et Aaron, volentes sibi sacerdotium vindicare, consentientibus eis ducentis quinquaginta viris de majoribus Synagogæ, et hos quidem se terra aperiens deglutivit, cæteros autem thuribula tenentes, et incensum offerentes ignis consumpsit. Deinde præcepit Dominus ut Eleazar, filius Aaron, tolleret thuribula quæ in igne jacebant, eaque in laminas produceret, et altari eas affigeret, ut videntes eas filii Israel, semper hujus facti memores essent et ad sacerdotium solis filiis Aaron constitutum, accedere non præsumerent. Quoties enim Dominum filios Israel pro suis iniquitatibus puniisse legimus, semper illud Apostoli meminisse debemus : « Hæc omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correctionem nostram (*I Cor.* x, 11). » Timeat ergo omnis homo contra episcopos, Ecclesiæque principes seditionem facere, et ea, quæ ad se non pertinent, injuste sibi timeat vindicare : qui enim hoc agit, Deo blasphemat. Unde hic dicitur : « Si descenderint in infernum vi- « ventes, scietis quia blasphemaverunt Domino. » Quare autem thuribula in laminas producta altari affigantur, ipse qui scripsit, exposuit. « Quod enim « sunt litteræ legentibus, hoc sunt hæ laminæ legem « nescientibus. » Has ergo circa cordis altare affixas habet, qui earum non obliviscitur. Utinam nostri reges et principes, utinam Simoniaci, Ecclesiæque invasores has in cordis altari affixas habuissent, et mortis Chore, Dathan et Abiron non obliviscerentur ! Qui vero hæc thuribula in mortibus persecutorum sanctificata esse dicit, sanctam Ecclesiam ex cohabitatione Simoniacorum, et invasorum, pollui, eorumque separatione significari significat.

CAPUT XVII.

Hic autem præcepit Dominus Moysi ut tollat singulas virgas per singulas tribus, et unusquisque superscribat nomen. Aaron autem scribat nomen suum in virga Levi, ponatque eas in tabernaculum fœderis. Cujus autem virga germinaverit, ipsius sit sacerdotium. Rogemus et nos Dominum nostrum Jesum Christum ut virgas et regimen nostrum germinare faciat, ne sicci et sine fructu in domo ejus inveniamur. Non est enim pontifex, cujus virga non germinat. Hoc autem miraculum contra eos objici potest, qui virginem parere potuisse negant : non enim mirabilius est virginem parere, quam virgam siccam ab una nocte flores, et fructus germinare.

CAPUT XVIII.

« Dixitque Dominus ad Aaron : Tu et filii tui, et « domus patris tui tecum portabitis iniquitatem « sanctuarii, et tu, et filii tui simul sustinebitis pec- « cata sacerdotii vestri. Sed et fratres tuos de tribu « Levi, et sceptrum patris tui sume tecum, præstoque « sint, et ministrent tibi; ad vasa tamen sanctuarii, « et ad altare non accedant. » Hæc ad sacerdotes pertinent, et quæcunque intra velum sunt. Non enim episcopi et sacerdotes, verum etiam cæteri ordines clericorum iniquitatem sanctuarii totiusque Ecclesiæ peccata sustinent et portant. Magnum utique onus et grave ad ferendum; multumque necessarium esset ut propriis iniquitatibus carerent, qui aliorum portant iniquitates, cæterosque a peccatorum pondere sublevare præcipiuntur. Valde enim nos semper sollicitos esse oportet, qui et proprias et aliorum iniquitates flere jubemur. Interdicitur autem levitis ad vasa sanctuarii, et ad altare accedere, ne forte ea, quæ episcoporum sunt, temere usurpare præsumant.

« Locutusque est Dominus ad Aaron : Omnis « oblatio, et sacrificium, et quidquid pro peccato « atque delicto redditur mihi, et sedit in Sancta « sanctorum tuum erit, et filiorum tuorum, in san- « ctuario comedes illud. Mares tantum comedent « ex eo, quia consecratum est tibi. » Sicut enim omnes decimæ levitarum erant, ita omnes primitiæ, omnesque oblationes, et omnia sacrificia erant sacerdotum : in quo sicut et in cæteris omnia majora sacramenta ad ipsos pertinere significatur. Comede-

Digitized by Google

bant autem illud in sanctuario, quia occultiora divina mysteria in conventu fidelium exponere debemus, in quo non sint nisi mares, qui et fide, et intellectu sint fortiores. Hoc enim soli ordini sacerdotali consecratum et dedicatum est. « Primitias autem, quas voverint, et obtulerint filii Israel, tibi dedi, et filiis, et filiabus tuis jure perpetuo ; qui mundus est in domo tua vescetur ex eis. » Primitiæ namque, non tantum prima, sed et meliora quoque intelligi possunt. Unde in Exodo auri, et argenti, et gemmarum primitiæ leguntur. Omnes ergo primitiæ sacerdotum sunt, **185** eorumque filiorum et filiarum, quoniam quæcunque fidelia sunt, quæcunque sancta, quæcunque religiosa, quæcunque in virtutibus moribusque præcipua, sacerdotum sunt, et illorum qui ab eis per aquam baptismatis generantur et regenerantur. Sive masculi sint, sive feminæ, id est sive perfecti, sive minus perfecti, omnes unam fidem unamque doctrinam participant. Ab hac autem participatione soli hæretici separantur, quia immundi sunt, quamvis et ipsi sacerdotum filii sint. Præcipit autem Dominus ut omnia primogenita, et omne animal (290) immundum redimatur, munda vero non redimantur. Quorum sanguinem fundet sacerdos super altare, et adipem adolebit, carnes vero illius erunt, sicut pectusculum consecratum et armus. Quid enim per primogenita nisi fidem et animam intelligimus, quæ nimirum prima, præcipua, et chariora sunt ? Hæc autem sacerdotum esse dicuntur quoniam eorum ministerio et fides et animæ Deo offeruntur. Aliter enim nemo baptizatur, nisi prius fidem et animam suam sacerdotibus offerat. Animal autem immundum redimitur, quia fides et anima violata pœnitentiæ pretio restauratur (291). Munda vero non redimuntur, sed offeruntur, quia non indiget redemptione quod liberum est, nulliqué obnoxium servituti. Sanguis autem illorum super altare funditur, quoniam illorum vita et anima Deo redditur. Delectatur autem Deus in illorum adipe, per quem animæ virtus et fortitudo significatur. Carnes vero eorum sunt sacerdotum, sicut et pectusculum consecratum et armus, quia sic pertinet ad sacerdotes sanctorum vitas prædicare, sicut et consilia dare, et onera portare. De hominis autem primogenitis jam superius diximus, quæ quidem post unum mensem, quinque siclis redimuntur; quatenus postquam baptizantur, et Deo offeruntur, quinque sui corporis sensus sic sacerdotibus tradant, ut jam non voluptatibus, sed Deo serviant. Præcipitur autem levitis ut ipsi quoque primitias offerant, decimam videlicet partem decimarum, quæ eis a populo offerebantur. Unde manifestum est non semper primum aliquid primitias significare. Decimas autem ideo damus, quoniam ipsi decimæ sumus : nos enim sumus drachma decima, nos sumus et ovis centesima; quod enim centesimum est, decimum est : nos sumus et decimus ordo, quoniam novem sunt ordines angelorum. Quoniam igitur decimas damus, nosmetipsos quasi decimas in decimis Domini commendamus. Hæc autem breviter transcurrimus, quoniam de his superius locuti sumus.

(290) Cod. Casin : « Ut omnia primogenita sint sacerdotum ; hominis vero primogenita, et omne animal, » etc.

(291) Ex cod. Laurent. editio hic emendatur.

CAPUT XIX.

« Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, « dicens : Ista est religio victimæ quam constituit « Dominus : præcipe filiis Israel ut adducant ad te « vaccam rufam ætatis integræ, in qua non sit ma- « cula, nec portaverit jugum, tradetisque eam Elea- « zaro sacerdoti, qui eductam extra castra, immo- « labit in conspectu omnium ; et tingens digitum in « sanguine ejus asperget contra fores tabernaculi « septem vicibus, comburetque eam cunctis viden- « tibus ; tam pelle et carnibus ejus, quam sanguine, « et fimo flammæ traditis. » Quid enim per hanc vaccam, nisi Christi carnem intelligimus ? Quæ bene quidem rufa dicitur, utpote proprio sanguine cruentata. Est autem et ætatis integræ, quia in juventute passus est Dominus. Nulla autem macula in ea est ; quia sicut de Salvatore nostro scriptum est : « Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. (*I Petr.* II, 22). » Unde et hæc jugum non portasse dicitur, in quo vitiorum servitus designatur. Et quoniam Dominus noster sacerdotibus, eorumque principibus a populo traditus est; ideo et hæc Eleazaro tradi jubetur. Quod extra castra ducitur, et in conspectu omnium immolatur, totaque simul cum pelle, carnibus, et sanguine, et fimo flammis traditur, Apostolus exposuit, dicens : « Quorum enim animalium infertur, sanguis in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra : ita et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est (*Hebr.* XIII, 11). » Sed quid illud significasse putabimus, quod sacerdos tingens digitum in sanguine ejus contra fores tabernaculi septies aspergebat? nisi forte hoc, quod Judæi clamantes dixerunt : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXV, 27). » Bene autem septies fiebat, quia parentes et filii, et nepotes, et quicunque ex eis fuerint, usque ad sæculi consummationem, hac maledictione tenentur obnoxii. Quia enim non sunt dies, nisi septem, quod septies fit, cunctis diebus fieri intelligitur. Lignum quoque cedrinum, et hyssopum, coccum bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat, et tunc lotis vestibus, et corpore suo ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperam. Lignum autem cedrinum, quod imputribile est, redolentisque naturæ, sanctos significat : hyssopus quoque, qui in petra naturaliter nascitur, eos designat, quorum Christus est fundamentum. Similiter autem et coccus bis tinctus eos demonstrat, qui Dei et proximi dilectione inflammantur. Merito ergo hæc simul cum vacca in flamma **186** ponuntur, eamque legendo, et me-

Digitized by Google

moramlo, magno igne interius succenduntur. Toties enim lignum cedrinum, et hyssopus, et coccus cum vacca exuritur, quoties illi, qui per hæc significantur, Christi passionis memores, doloris, tristitiæque igne torquentur. Hoc autem de apostolis, cæterisque satis convenienter intelligi potest, qui ejus passioni interfuerunt. Per sacerdotem autem, qui vaccam immolat, et per hominem, qui eam comburit, non solum Caiphas, et ille impius populus, qui tunc temporis erat, verum et totus populus Judæorum omnesque eorum sacerdotes, qui eis et in genere, et in malitia succederent, rectissime significantur. Et isti quidem immundi erunt usque ad vesperam, per quam hujus mundi finem intelligimus; tunc enim lavabunt vestimenta sua, tunc aqua baptismatis interius et exterius purificabunt faciem suam; tunc castra ingredientur, et per fidem ad Ecclesiam convertentur, secundum illud : « Convertentur ad vesperam (*Psal.* LVIII, 15); » — « In diebus illis salvabitur Juda (*Jerem.* XXIII, 6); » — « Cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). »

« Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint « multitudini filiorum Israel in custodiam, et in « aquam aspersionis, quia pro peccato vacca combusta est. Cumque laverit, qui vaccæ portaverit « cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad « vesperam. » Quid enim per cineres vaccæ, nisi Christi reliquiæ designantur? Quæ sint autem ejus reliquiæ, dicit evangelista : « Postquam, inquit, manducavit, sumens reliquias, dedit eis, et dixit : Hæc sunt verba, quæ locutus sum apud vos manens (292) (*Luc.* XXIV, 43). » Has ergo reliquias, id est verba Christi, et prædicationem evangelicam, quæ ipse cœlos ascendens discipulis dereliquit, collegit vir mundus, cœtus videlicet apostolicus. Notandum autem, quia neque sacerdos, neque ille, qui vaccam comburit, sed solus ille, qui cineres colligit vir mundus dicitur. Ducunt ergo apostoli cineres vaccæ, id est apostolicam prædicationem extra castra Judæorum, et effundunt eos in loco purissimo, id est in Ecclesia gentium, nolentes jam dare sanctum canibus, et mittere margaritas ante porcos. Et magis quidem Christi verba sunt nobis in custodiam, et in aquam aspersionis, et emundationis, quam illi cineres essent filiis Israel. Sed quare vir iste, qui mundus eligitur, postquam cineres, qui et ipsi mundi sunt, portat, et aqua abluitur, immundus dicitur? Nisi fortasse, quia quantum ad aliorum comparationem mundus est; quantum autem ad perfectionem, quandiu vivit, mundus non est? Quis enim gloriabitur mundum se habere cor? Astra enim non sunt munda in conspectu Dei. Qui enim mundus est, adhuc indiget, ut pedes lavet (*Joan.* XIII, 10). Hoc enim Dominus dicit.

« Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc « septem diebus fuerit immundus, aspergetur ex « hac aqua die tertio, et septimo, et sic mundabi« tur; si die tertio aspersus non fuerit, septimo « non poterit emundari. » Quicunque ex Adam nascitur, cadaver hominis tetigit, quia priusquam cadaver, et mortis legibus subditus esset, neminem generasse legitur. Propter hoc igitur, quantum ad se, omnis homo septem diebus est immundus, quia nisi aqua baptismatis regeneretur, nunquam est mundus. Unde hic dicitur, ut hujusmodi homo aspergatur hac aqua die tertio, quatenus sub trina immersione baptizatus illuminari a Domino mereatur. Aspergatur autem et septimo die, ut per manuum impositionem septem gratiis Spiritus sancti confirmetur. Quare autem die septimo emundari non potest, qui in die tertio hac aqua aspersus non fuerit, nisi quia nemo ab episcopo confirmatur qui prius in Trinitate non sit baptizatus?

« Omnis, qui tetigerit humanæ animæ morti« num, et aspersus hac commistione non fuerit, « polluet tabernaculum Domini, et peribit ex Israel, « quia aqua expiationis non est aspersus, immun« dus erit, et manebit spurcitia ejus super eum. » Quid enim per animæ morticinum, nisi hæreticos intelligimus? qui non secundum corpus, sed secundum animam mortui sunt. Horum autem morticinum tangere, est eorum impietatibus acquiescere. Qui autem hoc egerit, nisi prædicta aqua, id est evangelica doctrina aspersus et mundatus fuerit, polluet tabernaculum Domini, cæteros videlicet in errorem inducens, et ipse peribit, et immundus erit, et spurcitia ejus manebit super eum, sicut ipsa Veritas ait; « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur (*Marc.* XVI, 16). » Sequitur :

« Ista est lex hominis qui moritur in taberna« culo. Omnes, qui ingrediuntur tentorium illius, « et universa vasa, quæ ibi sunt, polluta erunt « septem diebus. Vas, quod non habuerit operce« lum, et ligaturam desuper, immundum erit. » Tabernaculum enim Ecclesia est, in qua nemo moritur, nisi Christianus; moritur autem, si a fide catholica separetur. In hujus autem tentorio quicunque fuerint, ejusque fidei, et collegio se sociaverint, immundi erunt. Unde et merito illa vasa hoc in loco immunda esse dicuntur, quia non operculum habent, nec ligaturam; quoniam illi omnes immundi sunt, cujus aures ad hujus mortui fidem et doctrinam clausæ non sint. Quid autem per septem dies significetur, sæpe jam diximus.

187 « Si quis in agro tetigerit cadaver occisi « hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel se« pulcrum, immundus erit septem diebus. » Sicut enim per tabernaculum Ecclesia, ita et per agrum ea quæ extra Ecclesiam sunt significantur. Septem ergo, id est omnibus diebus sunt immundi, qui extra Ecclesiam sunt, sive quia cadaver primi hominis, quem diabolus occidit, nascendo tetigerunt,

(292) Vulgata habet : *Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos : Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.*

Digitized by Google

sive quia ipsi in multis peccatoribus adhærendo, se ipsos peremerunt. Os autem mortui tangere, est de doctrina hæretici hominis unamquamlibet partem suscipere. Sepulcrum vero mortui tangit, qui totum ejus librum fetore et putredine plenum veneratur et suscipit. Qualiter autem et isti mundari debeant, audiamus.

« Tollent de cineribus combustionis, atque pec- « cati, et mittent aquas vivas super eos in vas, in « quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, « asperget ex eo omne tentorium, et cunctam sup- « pellectilem, et homines hujuscemodi contagione « pollutos, atque hoc modo mundus lustrabit im- « mundum tertio, et septimo die : expiatusque die « septimo lavabit et se, et vestimenta, et immundus « erit usque ad vesperum. » Hoc enim, quod Apostolus ait : « Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit (*II Cor.* v, 21), » eum ex hoc loco sumpsisse arbitramur. Sicut enim hic cineres peccati intelliguntur cineres vaccæ combustæ pro peccato; ita et ibi peccatum intelligitur hostia pro peccato. Et in eo quidem vivas aquas super cineres ponebant, hanc doctrinam vivificatricem per illos cineres quodammodo innuebant. Hæc autem aqua ab homine mundo cum hyssopo spargitur, quoniam quicunque hanc doctrinam prædicant, et mundus esse debet, et super illam petram radicatus, et fundatus, de qua dicitur : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* x, 4). » In petra naturaliter nascitur hyssopus. Sic ergo homo mundus purificat hominem immundum, et quæcunque illius sunt, fidem videlicet, intellectum, scientiam, et doctrinam, ejusque animæ tentorium, id est corpus. Quid autem per diem tertium et septimum intelligendum sit, jam superius diximus. Quare etiam qui sic expiatus iterum lavetur, et sit immundus usque ad vesperam, jam dictum est : eadem autem sæpe repetere non est opus.

CAPUT XX.

Sequitur autem de eo quod populus veniens in desertum Sin, deficiente aqua, versus est in seditionem contra Moysen et Aaron. Qui, ex præcepto Domini, congregata omni multitudine ante petram, dixerunt : « Num de petra hac vobis aquam pote- « rimus ejicere ? Percussitque virga bis silicem, et « egressæ sunt aquæ largissimæ. Dixitque Dominus « ad Moysen et Aaron : quia non credidistis mihi, « ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non in- « troducetis hos populos in terram quam dedi eis. » Quantum enim fides possit, quantumque incredulitas noceat, hoc in loco apertissime monstratur. Hoc autem in Exodo exposuimus. Quamvis enim hoc et illud miraculum non idem sit, utriusque tamen expositio eadem est; magisque ad hunc locum illa expositio, quam ad illum pertinere videtur. Valde autem nobis timendum est, ne et nos increduli simus; dum hos tantos viros propter unius rei incredulitatem in tantum discrimen venisse videmus. Hoc tamen et illis ad utilitatem, et nobis accidit ad exemplum. Utilis est enim illa mors, quæ hominem a labore solvit, et in gaudium, et in quietem inducit. Ascendit igitur Aaron supra montem Hor, ibique, jubente Domino, mortuus est. Hor enim lumen interpretatur; merito ergo in monte luminis moritur, qui tenebras fugiens ad gloriæ claritatem festinat.

CAPUT XXI.

Audivit autem Chananæus venisse Israel, pugnavitque contra eum, et vicit, duxitque prædam ex eo. At Israel voto se Domino obligans, ait : si dederis populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. Tradidit ei Dominus Chananæum, quem ille interfecit, subversis urbibus ejus. Chananæus iste diabolus est, qui contra nos in primo homine pugnavit, et vicit, et non parvam a nobis prædam tulit, dum ipsa nos immortalitate privavit. Contra hunc autem voto obligati sumus, quicunque ad fidem venientes, eique abrenuntiantes, adversus eum arma suscepimus. Totiès ergo eum interficimus, ejusque urbes subvertimus, quoties ad fidem incredulos, et ad pœnitentiam peccatores convertimus.

Hinc autem narratur quod populus jam itinere et labore fatigatus murmuravit contra Moysen. Unde et Dominus misit in eos ignitos serpentes, qui eos occidebant. Oravitque Moyses pro eis. Cui præcepit Dominus ut serpentem æneum faceret, quem percussi aspicientes sanarentur. De hoc enim serpente Dominus ait : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in « deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut « omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam (*Joan.* III, 14). » Aspice ergo serpentem, id est crede in Christum. Igniti autem serpentes maligni spiritus intelliguntur, qui cunctis viventibus nequiores, igne et furore credulitatis omnia superant, et isti quidem eorum animas perdunt, et contra eos maxime possunt, qui contra Christum murmurare eique male vivendo detrahere non cessant. Qui ergo ab his serpentibus percussi fuerint, currant non ad serpentem, **188** sed ad similitudinem serpentis, currant ad eum, qui iniquitatem non fecit, et tamen inter iniquos deputatus est : « Qui in similitudinem « carnis peccati apparuit, ut de peccato damnaret « peccatum in carne (*Rom.* VIII, 3) : » qui nunc exaltatus est in lignum salutis, ut illum dejiceret qui prius in lignum concupiscentiæ ascenderat.

Venit deinde populus contra Arnon, in fines Amorrhæi; « siquidem Arnon terminus est dividens Moa- « bitas, et Amorrhæos. Unde dicitur in libro bello- « rum Domini. Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet « in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati « sunt, ut requiescerent in Ar et recumberent in fini- « bus Moabitarum. » Hoc, inquit, scriptum erat in libro bellorum Domini, quem nos quidem non habemus, quoniam filii Israel, sicut in mari Rubro, Domino pro eis dimicante, victores exstiterunt, sic et vincerent in torrentibus Arnon. Amorrhæos autem, quia duri erant et fortes, metaphorice scopulos vocat. His tamen victis et humiliatis, in eorum finibus

Digitized by Google

requieverunt filii Israel, id est infra ipsos fines Amorrhæorum et Moabitarum. Præceperat enim Dominus filiis Israel, ne tangerent filios Moab et Amor, qui fuerant filii Loth. Similiter autem nec filios Esaan, qui habitabant in Seir et Edom.

« Ex eo autem loco apparuit puteus, super quo « locutus est Dominus ad Moysen : Congrega popu- « lum, et dabo ei aquam. Tunc cecinit Israel car- « men istud : Ascendat puteus; canite ei. Puteus « quem foderunt principes, et paraverunt duces « multitudinis in datore legis, et in baculis suis. » Iste puteus Novum Testamentum est, quem Ecclesiæ principes, apostoli videlicet et doctores in datione legis paraverunt (293), foderunt et exposuerunt. Quod autem ait, in bacillis suis; hoc audiant, qui baculos habent, et vel baculos abjiciant, vel puteos fodiant. In eo enim, quod isti principes cum baculis suis puteum fodiebant, eos, qui baculos habent, id est Ecclesiæ regimina, sanctarum Scripturarum profunda scrutari, et cunctis sitientibus vivam aquam propinare jubebant. Quod autem superius significari diximus per Chananæos, quos delevit Israel, idipsum significatur per Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan. Illa ergo expositio hic quoque sufficiat.

CAPUT XXII.

Sequitur autem de Balaam, qui cupiditate ductus ivit ad Balac filium Sephor, ut malediceret filiis Israel. Cum enim Dominus et prius ne illuc iret, interdiceret, cernens eum nimirum eundi cupidum, postea abire permisit, tamen ne populo malediceret, interdixit. Infelices ergo, qui in malis desideriis a Domino exaudiuntur; et quoniam avari facile cupiditate decipiuntur, et miraculo asinæ loquentis, et angeli voce, idipsum quod prius jubentis admonetur. Ivit ergo Balaam, et quia maledicere ausus non fuit, aliam viam invenit, ne promissa pecunia privaretur. Hoc autem diximus, ut quantum sit avaritiæ malum, intelligatur. Verba autem Balac, et sacrificia Balaam alius exponat; ego enim in eis laborare non curo. Sola ergo exponamus, quæ prophetiæ spiritu Balaam dixisse videtur.

CAPUT XXIII.

« De summis silicibus videbo eum, de collibus « considerabo illum. Populus solus habitabit, et « inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare « possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis « Israel? Moriatur anima mea morte justorum, et « fiant novissima mea horum similia. » In illo enim populo Balaam non suo, sed spiritu Dei, jam totam Ecclesiam videbat; unde et se justi morte mori, et ei similis fieri optabat : « Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur (*Apoc.* XIV, 13). » Quid autem per summos silices et colles, nisi utriusque testamenti altos, difficiles et figuratos sermones intelligamus? Ad hos ergo accedat, hos videat et legat, quicunque Dei populi vitam, conversationem, gloriam, felicitatem, cæteraque videre et considerare desiderat. In hoc enim speculo Ecclesiæ pulchritudo videtur. Et iste quidem populus solus habitabit. Ubi? Utique in terra viventium. Non reputabitur inter gentes, sine baptismate morientes; qui quoniam innumerabilis est, pulvis vocatur.

« Iterum Balaam assumpta parabola (294) ait: « Sta, Balac, et ausculta; audi, fili Sephor. Non est « Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut Filius « hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? « Locutus est, et non implebit? Ad benedicendum « adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. « Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum « in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, et clan- « gor victoriæ regis in illo. Deus eduxit eum de « Ægypto; cujus fortitudo similis est rhinocerotis. « Non est augurium in Jacob, nec divinatio in « Israel. Temporibus suis dicetur, Jacob, et Israeli « quid operatus sit Deus. Ecce populus, ut leæna « consurget, et quasi leo erigetur. Non accubabit « donec devoret prædam, et occisorum sanguinem « bibat. » Quare, o insipiens **189** Balaam, toties Deum tentas, quem tu ipse nec mentiri, nec mutari, ut Deum posse, testaris? Sufficere tibi debuerat, quod semel dixit, cujus voluntas nec sacrificii, nec locorum mutatione mutatur; unde manifestum est, quia non sponte Dei populo benedicis, sed quia benedictionem prohibere non vales. Doles, quia non est idolum in Jacob; ideoque nefando tuo consilio factum est ut postea sacrificarent Beelphegor. Dominus adduxit eum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis, quoniam singulari omnipotentia omnia superat, sicut et hoc animal uno cornu quidquid invadit, prosternit. Et quamvis modo non sit idolum in Jacob, suo tamen tempore dicetur de illo, quod aureos, argenteos, ligneosque deos operatus sit. Lege prophetas, et hoc de Israel dixisse invenies. Leoni autem hic populus comparatur, et prædam devorasse, sanguinemque bibisse refertur, quod qui non intelligit, et hos, et regum, et Machabæorum libros legat, in quibus quam multum sanguinis fuderit, inveniet.

CAPUT XXIV.

« Iterum autem Balaam assumpta parabola ait: « Dixit Balaam filius Beor : Dixit homo, cujus ob- « turatus est oculus (295); dixit auditor sermonum « Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui

(293) Cod. Casin. *In doctore legis, id est, sicut Christus eos docuit, qui doctor est legis. Paraverunt*, etc.

(294) *Assumere parabolam*, est spiritu exstimulante sententias fundere. Et quidem vox Hebraica *Mashal* valebat maxime in genere sententioso. Balaamum hunc Spiritu superiore actum, protulisse suas benedictiones, aut maledicta, vel ex eo intelligitur, quod ad maledicendum Israelitis missus, iis benedicebat; neque enim nisi quo Spiritus urgeret, conari poterat. Mazoc. in Spicil. ad num., c. 23.

(295) In Vulgata legitur *obturatus est oculus*, sicut in editione S. Brunonis; sed in Biblia Venet. edita 1542, ab Isidoro Clario habetur hic, et infra *apertus est oculus*.

Digitized by Google

« cadit, et sic aperientur oculi ejus : quam pulchra « tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israel, sicut « valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, « ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri « prope aquas. Fluet aqua de situla ejus, et semen « illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag « rex ejus, et auferetur regnum illius. Deus eduxit « illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhi- « noceroti. Devorabunt gentes hostes illius, ossaque « eorum confringent, et perforabunt sagittis. Ac- « cubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam su- « scitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit « ipse benedictus; qui maledixerit tibi, in maledi- « ctione reputabitur. » Ecce enim Balaam se ipsum obturatum, et excæcatum dicit, cujus oculi non aperiuntur, nec in ejus ruina et damnatione. Nemo enim est, cujus oculi ad veritatem cognoscendam vel post mortem non aperiantur. Tabernacula autem, hominum collectiones, singulares Ecclesias dicit, quæ quoniam virtutibus, et sapientia, et sanctitate abundant, valli umbrosæ, et horto irriguo, et cedris comparatur. De situla autem illius fluit aqua, de cujus pectore semper manat indeficiens sapientia. Semen autem illius erit in aquas multas, per quas ex illo populo in multas gentes fieri designat; extolletur propter Agag rex ejus. Primus enim hujus populi rex fuit Saul qui, sicut legitur in libris Regum, pugnavit contra Agag regem Amalec, pro quo in superbia elatus, quasi ad gloriam sui triumphi eum reservavit, et Deo inobediens fuit, qui ab homine usque ad pecus totum Amalec delere præcepit, unde et regnum amisit, ut de ejus stirpe rex ulterius non nasceretur. Longa est historia, quam, qui legerit, clarius hæc intelliget.

« Sumpta iterum parabola ait : Dixit Balaam filius « Beor : Dixit homo, cujus obturatus est oculus, « qui cadens apertos habet oculos : videbo eum, « sed non modo, intuebor illum, sed non prope. « Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de « Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque « omnes filios Seth, et erit Idumæa possessio ejus, « hæreditas Seir cedet inimicis suis : Israel vero « fortiter aget. De Jacob erit, qui dominetur, et « perdat reliquias civitatis. » Balaam enim, quia scienter peccat, ideo de se rectissime dicit : Quod cadens apertos oculos habeat, sicut econtra ille clausis oculis cadit, qui nesciens et ignoranter peccat. Quod autem ait : « Videbo eum sed non modo, « intuebor illum, sed non prope, » de ultimo judicio intelligi potest, quando et boni, et mali omnes astabimus ante tribunal Christi, de quo statim subinferens ait : « Orietur stella ex Jacob, » quia totus mundus illuminabitur; « et consurget virga de Israel, » quia stultorum imperitia corrigetur. Hoc autem de Christo totum intelligatur, qui de Israel secundum carnem originem ducens, cunctis mundi nationibus dominatur. Et ipse quidem perdet reliquias civitatis, nempe Jerusalem, cujus reliquiæ sunt omnes iniqui, solis bonis in ejus ædificia introductis. Potest autem et juxta litteram intelligi de David hoc, quod dicitur : « Orietur stella ex Jacob, et « consurget virga de Israel, » etc. Ipse enim in illo populo cunctis regibus, et fortitudine, et sanctitate clarior fuit. Ipse percussit Moab, et mensus est eum funiculo, coæquans terræ. Quære hoc in libris Regum. « Ipse quoque vastavit filios Heth, » per quos Chananæos, et cæteros, qui prius in terra promissionis habitaverant, intelligere debemus. De quo et Rebecca in Genesi loquitur, dicens : « Tædet me vitæ propter filias Heth, et si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere (*Gen.* XXVII, 46). » — « Facta est autem Idumæa possessio ejus, » sicut scriptum est : « Et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium, et facta est universa Idumæa David serviens (*II Reg.* VIII, 14). » Est autem et Seir in Idumæa.

« Cumque vidisset Amelec, assumpta parabola, « ait : Principium gentium Amelec, cujus extrema « perdentur. » Et hos enim, sicut et illos superavit David. « Vidit quoque **190** Cinæum, assumpta pa- « rabola, ait : Robustum quidem est habitaculum « tuum, sedet si in petra posueris nidum tuum, « et fueris electus de stirpe Cin, quandiu poteris « permanere? Assur enim capiet te. » Quid enim hic aliud quæramus, cum hos ab Assyriis captos esse sciamus? « Assumpta parabola iterum locutus « est. Heu quis victurus est, quando ista faciet « Deus? Venient in triremibus de Italia, superabunt « Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum « etiam ipsi peribunt. » Et hoc quidem completum esse videmus. Scimus enim Romanos trans mare navibus advectos, et has, et multas alias gentes suo imperio subjugasse, quos quidem jam periisse dicerem, si non adhuc deterius perituros esse putarem.

CAPUT XXV.

« Morabatur autem eo tempore Israel in Se- « tim (296). Et fornicatus est populus cum filiabus « Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At « illi comederunt, et adoraverunt deos earum. Ini- « tiatusque est Beelphegor et iratus Dominus ait « ad Moysen : Tolle cunctos principes populi, et « suspende eos contra solem in patibulis, ut a- « vertatur furor meus ab Israel. Dixitque Moyses « ad judices Israel : Occidat unusquisque proximos « suos, qui initiati sunt Beelphegor. » Aliud enim Dominus jubet, aliudque Moyses facere videtur. Præcepit enim Dominus Moysi, ut cunctos populi principes contra solem suspendat in patibulis. Et fortasse id ipsum significat, et quod Dominus jubet, et quod Moyses agit. Magnum enim patibulum, et pœnam prope intolerabilem mihi ille sustinere videtur, qui fratrem et filium palam scienterque interficit. Quid enim est aliud contra solem, nisi

(296) Mazochius habet *Cettim* eod. loc. cit., ubi docet qua in regione fuerint populi isti Cettei, qui in Italiam commigrarunt ante Mosaica tempora, etc.

Digitized by Google

palam et manifeste? Non enim tanto dolor afficerentur, si hoc in nocte, vel nescienter agerent. Si quis autem hoc aliter intelligat, non contendo. Occisa est autem ibi hominum multitudo, viginti tria millia. Et tunc quidem « stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio (*Psal.* cv, 30), » interficiens fornicatores, scilicet Zarin filium Salu, et Corbi filiam Sur. Interficiamus et nos fornicationis spiritum, et in nobis caste vivendo, et in aliis bene monendo, quatenus iram Dei placare valeamus. Hoc enim, si sacerdotes egerint, reputabitur eis ad justitiam usque in sempiternum.

CAPUT XXVI.

Post hæc autem Moyses, jubente Domino, posuit manus super caput Josue coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine. Et replicans omnia, quæ mandaverat Dominus, dedit ei partem gloriæ suæ, constituit eum pro se ducem populi. Hoc enim et Christus Dominus fecisse legitur, qui priusquam cœlos ascenderet, vicarios sibi, totiusque Ecclesiæ duces apostolos constituit. Quibus et partem gloriæ suæ tribuens, signa et virtutes in suo nomine facere præcepit (*Marc.* xvi, 17); qui quasi manus Christi super capita habentes, ab omni potestatis incursu, omnisque adversitatis impetu securi exstiterunt.

CAPUT XXVII.

Expositio hujus capitis in quo Josue assumitur, et caput populi constituitur, deest in editione, nec in codicibus mss. reperitur.

CAPUT XXVIII.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Hæc sunt sacri- C
« ficia, quæ offerre debetis; agnos anniculos im-
« maculatos duos quotidie in holocaustum sempi-
« ternum; unum offeretis mane, et alterum ad
« vesperam : decimam partem ephi similæ, quæ
« conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam
« partem hin, et libabitis quartam partem vini per
« singulos agnos in sanctuario, alterumque agnum
« similiter offeretis ad vesperam. » Quid enim per duos agnos, nisi duo testamenta intelligimus? in quibus omne sacrificium laudis, et jubilationis plenissime continetur. Hos autem mane et vespere, imo septies in die offert Ecclesia, secundum illud: « Septies in die laudem dixi tibi (*Psal.* cxviii, 164). » Quamvis per mane et vesperam, quæ sunt diei D
extremitates, totus dies rectissime intelligi possit. Ilis autem duobus agnis additur decima similæ, et vini, et olei, quarta quoniam illud decem verbis, hoc autem quatuor Evangeliis continetur. Idem ergo per agnos significatur, quod per decimam, et per quartam intelligitur : hæc enim testamenta, et agni sunt, quia nulli nocent, omnesque innocentes vivere docent; et simila qua anima nutritur, et oleum quo sanatur, et vinum quo inebriatur. Merito ergo tale sacrificium, mane et vespere, id est tota die fieri jubetur, quatenus sine intermissione Deus laudetur, populus ad agni innocentiam provocetur, anima cœlesti pane
191 satietur, mens oleo Spiritu sancti inuncta sanctur, et calice Evangelii potata inebrietur. Et quoniam non est pretiosa laus in ore peccatoris, tale A
sacrificium in sanctuario, id est in conventu fidelium fieri præcipitur. Sequitur :

« Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos, immaculatos, et duas decimas similæ oleo
« conspersæ in sacrificio, » et cætera, ut supra. Et hoc sacrificium idem est, quod superius. Duas decimas offerre, est legem intelligere. Quæ oleo quidem aspergitur, si misericordia temperetur; temperatur autem, si spiritualiter intelligatur : littera enim occidit.

« In Kalendis autem, id est in mensium exordiis,
« offeretis holocaustum Domino : vitulos de ar-
« mento duos, arietem unum, agnos anniculos se-
« ptem immaculatos, et tres decimas similæ, oleo B
« conspersæ, per singulos vitulos, et duas decimas
« similæ oleo conspersæ per singulos arietes : et
« decimam decimæ similæ, etc.... Hircus quoque
« offeretur Domino pro peccato in holocaustum sem-
« piternum cum libamentis suis. » De hoc enim sacrificio, et de his vitulis Apostolus ait : « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est vitulos labiorum confitentium nomini ejus (*Hebr.* xv, 15). » Hæc igitur hostia laudis, et duo vituli labiorum, duo testamenta intelligantur, sine quibus ad laudem proferendam labia movere nescimus. Offeramus autem et arietem unum, prædicemus Christi passionem, qui sicut ovis ad victimam ductus non aperuit os suum.

Huic autem arieti jungamus septem agnos, id est C
septem S. Spiritus gratias; in eo esse, semperque manere debemus. Sæpe autem jam diximus quid per decimam intelligatur; siquidem ipse est drachma decima, ipse est ovis centesima, unde etiam non solum decima, sed et decima decimæ dici potest : si enim centum ovibus decimam dare volueris, decem dabis : decies enim decem centum fiunt; hujus autem decimæ ovis centesima decima est : est ergo homo decima decimæ. Quod autem simila dicatur homo, audi Apostolum : « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi (*I Cor.* v, 7). » Conspersio enim pro farina ponitur. Denique cui nisi farinæ additur fermentum? Quid nisi panis dicitur azymus? Sed unde panis, nisi de simila? Simila ergo homo. Hæc autem simila D
oleo spargitur, quia Dei misericordia, et S. Spiritus gratia homo perunctus et sanatur, et renovatur. De hac ergo simila, id est de hominibus demus tres decimas per singulos vitulos; duas per arietem, et decimam decimæ per unumquemque agnum. Unum ergo idemque significant omnes. Hoc est enim omnis homo, quod duo populi, quod tres mundi partes Quia ergo per duo testamenta convertuntur omnes, et per Christi passionem redimuntur omnes, merito tres decimæ sequuntur vitulum, duæ arietem, et decima decimæ agnum. Sed quare hæc omnia vino perfunduntur, nisi ut spiritualis intelligentiæ sapore dulcescant, insipida enim, et irrationabilia hæc esse videntur : ut ergo saporem

Digitized by Google

habeant, hoc spiritualis expositionis odore perfundantur. Sed quoniam ipsa quoque expositio secundum mensuram fieri debet, plus vini ponitur in vitulis, plus in ariete, quam in singulis agnis. Cur autem in hirco Christus immoletur, hæc est maxima et principalis causa, quia ut impius damnatus est, et quasi sceleratus cum latronibus crucifixus est. Quem nos ergo veneramur in agno, hunc Judæi abominantur in hirco. Similiter autem et in Pascha, et in Pentecoste, et prima, et decima die mensis septimi sacrificare jubet. Hæc igitur una sit omnium expositio.

CAPUT XXIX.

« Quintadecima vero die mensis septimi, quæ « vobis erit sancta atque venerabilis, omne opus « servile non facietis in ea, sed celebrabitis solem- « nitatem Domini septem diebus, offeretisque holo- « caustum in odorem suavissimum Domino : vitulos « de armento tredecim, arietes duos, agnos annicu- « los quatuordecim immaculatos, et in libamentis « eorum similæ oleo conspersæ; tres decimas per « vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim, « et duas decimas arieti uno, id est, simul arietibus « duobus, et decimam decimæ agnis singulis, qui « sunt simul agni quatuordecim, et hircum pro pec- « cato. » Qui per septimum mensem, ejusque primam, et decimam, et quintam diem significet, et quare opus servile in eo non fiat, cur etiam septem diebus hæc solemnitas celebretur in Levitico exposuimus. Nunc ergo de sacrificiis videamus, quæ in hac solemnitate sine differentia, uno eodemque modo, per septem dies fiebat; præter hoc tantum, quod de vitulis per singulos dies unus minuebatur. Prima enim die offerebantur tredecim, secunda duodecim, tertia undecim, et sic de reliquis, usque ad septimam, in qua nonnisi septem offerebantur. Sed quid per vitulos, nisi apostolos? Qui nisi tredecim essent, aut Paulus, aut Matthias inter eos locum non haberet. His autem vitulis tota Ecclesia et arata, et seminata est. Duo vero arietes, et agni quatuordecim id ipsum significant. Significant enim duo Testamenta, quæ in quatuor Evangeliis, et in decem verbis continentur. Sunt ergo et duo, et quatuordecim, quoniam ex quatuor et decem fiunt. Similiter autem et tres decimæ, et duæ decimæ, et decima decimæ idipsum significant. In his enim omnis homo significatur; de quo duæ quidem, et tres decimæ fiunt, quoniam in duos populos, et in tres mundi partes homo dividitur. Merito ergo hæ decimæ vitulis, **192** et arietibus, et agnis junguntur, quatenus omnis homo cujuscunque gentis sit, et in quacunque mundi parte habitet, sanctorum apostolorum, duorumque Testamentorum fidem et doctrinam sequatur et teneat. Offerebant itaque pontifices apostolos in vitulis, testamenta in arietibus, et agnis, totamque Ecclesiam, ubique diffusam in decimis offerebant. Et de his quidem modo superius diximus. Quod autem unus vitulus de numero per singulos dies subtrahatur, fortasse apostolorum obitum designat; quorum numerus, dum alter post alterum de hoc mundo exiret, quotidie quodammodo minuebantur. Arietes autem, et agni, et decimæ neque crescunt, neque minuuntur, quoniam semper et Testamenta duo sunt, et Evangelia quatuor, et verba legis decem, et Ecclesia una, ex Asia, Africa et Europa, ex Judæis et gentibus constituta.

« Die octavo, qui est celeberrimus, omne opus « servile non facietis in eo, offeretis holocaustum in eo « in odorem suavissimum Domino : vitulum unum, et « arietem unum, et agnos anniculos immaculatos « septem, sacrificiaque ejus, et libamina singulorum « per vitulum, et arietem, et agnos rite celebrabitis, « et hircum pro peccato. » Dies enim octavus idem est, ac primus, etiam Dominicus appellatur, et ab omni Christiano celeberrime colitur et veneratur. Hac die mundus cœpit; hac die Christus a mortuis resurrexit, hac etiam die ultima resurrectio fiet. Unde et quidam psalmi pro octava titulantur. Hac ergo die omnis Ecclesia, instantius quam in cæteris, offert Domino holocaustum et hostiam laudis; Christum videlicet laudando et prædicando; hoc enim per vitulum, et arietem, et septem agnos significatur. Quæ sequuntur, cum persæpe recantata sint, prætermimus.

CAPUT XXX.

« Narravit Moyses filiis Israel omnia, quæ ei Do- « minus imperaverat. Et locutus est ad principes « tribuum filiorum Israel. Iste est sermo, quem « præcepit Dominus : Si quis vestrum votum Do- « mino voverit, aut se constrinxerit juramento, « non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod « promisit, adimplebit. » Omnia enim vota juramento, quæ bona sunt, et contra justitiam non fiunt, reddi debent. Ideoque Ecclesiæ principes, quibus ista dicuntur, quidquid voverint aut juraverint, reddere oportet, quoniam tam cauti debent esse et in vovendo, et in jurando, ut nihil contra justitiam jurent vel voveant. Unde et subditur : Quod puella, quæ est in domo patris, vel uxor alicujus, si aliquid voverit aut juraverit, et hoc pater vel maritus audiens non contradixerit, rea erit, et quidquid promiserit eam reddere oportebit; si vero audiens contradixerit, non tenebitur juramento. Isti enim patres et mariti, Ecclesiæ principes esse videntur, quorum singulæ et uxores, et filiæ sunt. Uxores quidem, quia de eorum semine pariunt; filiæ vero, quia eorum ministerio regenerantur. Horum ergo est vota discernere, et juramenta judicare. Nemo ergo agere præsumat, quæcunque Ecclesiæ doctores interdicunt, etiam si ea noverit aliquis (297). Injusta enim vota irrita esse debent.

(297) Cum adeo perspicuum sit divinum præceptum de obligatione voti Deo facti, detestanda est quorumdam adulantium scriptorum impudentia, qui hisce nostris diebus docere non sunt veriti, sæculares principes vota etiam solemnia religionis solvere posse; ac proinde, dictu horrendum, sacris virgi-

Digitized by Google

Quæ autem vota, vel juramenta isti vel consensu approbant, vel dictis confirmant, ea reddere necessarium est. Quare hoc? Quia quidquid dicunt, justum est. Sic ergo fit ut justa vota, et sancta promissa omnis homo persolvere debeat; quia nemo est qui ea persolvere et reddere interdicat; injusta vero omnia irrita fiant. Verumtamen qui scienter contra justitiam jurat, quamvis hoc eo juramento quod a sanctis interdicitur, non teneatur, non tamen putare debet se confestim liberum esse a peccato: non jurare debuerat, quod peccatum esse sciebat. Pœniteat ergo, non quia juramentum non agit, sed quia scienter contra justitiam juravit. « Vidua et repudiata quidquid voverint, reddent. » Quid enim si male voverint? mala enim vota reddi non debent; dicatur ergo, quidquid bene voverint. Quia enim suæ libertatis sunt, et nullius potestate premuntur, libere possunt vovere, quod volunt. Per has tamen eas animas intelligere possumus, quæ a mundi hujus complexibus et voluptatibus separatæ a stultis hominibus repudiantur, et despectui habentur. Tales autem, quia sapientes sunt, et bona tantum agere desiderant, quidquid vovere voluerint, earum judicio relinquatur. Si vero uxor vel voto vel juramento se obligaverit, ut jejunio vel abstinentia alia affligat animam suam, nisi maritus hoc audiens confestim interdixerit, reddere oportebit. Hoc autem nihil significare videtur, nisi quia præpositorum judicio subjectorum vita temperari debeant: quibus si bonum aliquid voventibus assensum præbuerint, eos jam ulterius sine periculo revocare non possunt.

CAPUT XXXI.

Sequitur autem de Madianitis, contra quos filii Israel ex præcepto Domini pugnantes, eos vicerunt, omnesque interfecerunt, inter quos et Balaam et quinque principes illorum occisi sunt, **193** nullusque ex eis remansit, præter virgines tantum, quas filii Israel reservantes, manserunt cum eis extra castra septem diebus, secundum hoc, quod eis jusserat Moyses. Per has enim, sicut et per alias gentes, Dei populo adversantes, dæmonum exercitum, et vitiorum multitudinem intelligere debemus. Sed quid per quinque principes, nisi quinque nostri corporis sensus intelligamus? Cum his enim prædicti hostes contra nos veniunt: cum his nobis bella civilia movent, nostrisque armis nos impugnant, et nos contra nos pugnare compellunt. Si ergo hos primum vicerimus, et secundum priorem statum interfecerimus, subito in nobis omnium vitiorum corruet multitudo. Per virgines autem, quas filii Israel sibi reservant, eas animas intelligimus, quæ diaboli corruptionem fugientes ad Christi fidem, et Ecclesiæ societatem se transferunt, et pro sua pulchritudine Dei populo placent. Cum quibus nimirum manent septem diebus extra castra, quia et illi, qui a gentilitate ad Deum convertuntur, et illi per quos convertuntur, omni tempore manent extra Synagogam; unde neque hic dicitur, quod ut prius, post septem dies ad castra revertantur: septem enim dies omne tempus significant.

« Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, « lustrabitur die tertio, et septimo. Et de omni præ« da, sive vestimentum fuerit, sive vas, et aliquid « in utensilia præparatum de caprarum pellibus, et « pilis, et ligno, expiabitur. » Judæi enim homicidæ sunt. Etiam tetigit occisum quicunque de Adam natus est, cui dictum fuerat: Quocunque die de hoc ligno comederis, morte morieris. Isti ergo, ut salvari possint, tertio, et septimo die expediuntur, sicut et cætera quæ de omni præda venerunt, et diabolo rapta sunt; sive vas fuerit, sive vestimentum, sive quidlibet aliud de caprarum pellibus, vel pilis, vel ligno, in aliqua utensilia præparatum, per quod non solum homines, verum etiam eorum fidem, scientiam, vitam, mores, omnemque conversationem, et cunctam interioris hominis supellectilem intelligere possumus. Omnia enim cum ipso homine purificantur.

« Aurum, et argentum, et æs, et ferrum, et « stamnum, et plumbum, et omne quod potest trans« ire per flammas, igne purgabitur. Quidquid au« tem ignem non potest sustinere, aqua expiationis « sanctificabitur, et lavabitis vestimenta vestra die « septimo, et purificati postea castra intrabitis. » Per aurum enim, et argentum, et cætera, quæ ignem sustinere possunt, eos intelligimus, quibus Deus fortitudinem tribuit, ut igne passionis, et martyrii expientur, quamvis aqua baptismatis sanctificati non sint. Et isti quidem die septimo, id est in hac ultima ætate, lavantes in sacro fonte vestimenta, carnem suam, non solum Ecclesiæ, verum etiam et cœli castra purificati ingrediuntur.

CAPUT XXXII.

Omittitur in quo, juxta Vulgatam, filii Israel ad pugnam apti promittunt Moysi, relictis mulieribus, parvulis, et armentis, contra hostes ad terram promissionis obtinendam proficisci.

CAPUT XXXIII.

Hic autem Moyses describit quadraginta mansiones, quas populus fecit donec veniret ad terram promissionis. De quibus, si secundum hominum interpretationem, et secundum res in eis gestas, si quis tractare vellet, in longum sermonem eas extendere posset (298). Nos autem de numero pauca dicamus. Quadragenarius enim numerus ex quatuor constat, et decem (quater enim decem, vel decies quatuor quadraginta faciunt) decem autem et quatuor, ut jam sæpe diximus, Vetus et Novum Testamentum designant, quoniam illud in decem verbis, et hoc in quatuor concluditur Evangeliis. Sicut ergo illi per quadraginta mansiones ad terram promissionis transierunt, ita et nos per decem legis mandata, et quatuor Evangelia transeuntes, duce Jesu, in ter-

nibus ad incestuosas et sacrilegas nuptias januam aperuisse.

(298) S. Maximus Taurin. de his agit hom. 41 De Quadrag. V, p. 122. edit. Rom. 1784.

Digitized by Google

ram viventium intraturi sumus. Beati autem illi qui in his mansionibus morantur et habitant. Beati qui in sacris voluminibus utriusque Testamenti delectantur; semper manna abundant, nunquam pane cœlesti carent, nunquam eis deficit panis vivus qui de cœlo descendit. Illi cibo spirituali nutriuntur, illi aqua de petra reficiuntur; illos sancti Spiritus gratiæ in die obumbrant, in nocte illuminant; illi revera dicere possunt : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII, 1). » Beati ergo sunt, si non murmuraverint, si Deum non tentaverint, si in fide non hæsitaverint, si carnes non quæsierint, id est si legem carnaliter non intellexerint, et cæpas, et allia non concupierint. Verumtamen quia Ramesses interpretatur *tinea*, quotiescunque pœnitentia, vel alio quolibet modo vitiorum tineas a nobis excutimus, de Ramesse nos exire intelligamus, et tunc quidem vitiis superatis, diisque Ægyptiorum contritis, Phase confidenter facere possumus. Quoniam autem Sochot *tabernacula* interpretatur, quando in concilio justorum et congregatione religiose vivimus, in Sochot nos esse sciamus. Quia vero Ethan dicitur *consummatus;* quando aliquod bonum perficimus, in Ethan nos **194** esse gaudeamus. At vero quia Athairot interpretatur *corona*, quoties de aliquo vitio triumphamus, toties in Athairot castrametamur. Ante Magdalum tentoria figimus, quando *turres* et *munitiones diaboli* expugnamus, sic enim interpretatur Magdalum. Sumus autem in Mara, si peccatorum recordatione, vel sæculi adversitatibus amaricamur, quoniam Mara *amarum* interpretatur. Quia vero Elim dicitur aries, tunc in Elim habitamus quando apostolorum innocentiam et simplicitatem imitamur. Unde et merito in Elim duodecim fontes et septuaginta palmæ esse dicuntur, per quæ duodecim apostoli, et septuaginta duo Christi discipuli figurantur. Quando vero populum ad baptismum et ad fidem invitamus, super mare Rubrum tentoria figimus; siquidem et illi et in nube, et in mari sunt baptizati. Sed veniamus in desertum Sin, accedamus ad servitutem Dei, et præparemus animas nostras ad tentationem. Sin enim *tentatio* interpretatur. Per hoc enim postea transire poterimus in Dotheca, quod interpretatur *remissio :* illis enim remittuntur peccata, qui diabolicas superant tentationes. Quoties aliquid fermentamus, et manus, et opera ad corruptionem laxamus, toties in Alis, et in Raphidim nos esse doleamus. Alis enim *fermentare*, Raphidim vero *manus laxare* dicitur. Unde et merito ibi aqua populo defuisse legitur : facile enim populus corrumpitur, et peccat, si ei evangelicæ doctrinæ aqua defuerit. Et tunc quidem quodammodo in Sinai legem recipimus, quando nos in sacris voluminibus exercemus. Quando vero illicita concupiscimus, tunc ad Aseroth, *angustiarum domum* festinamus, sic interpretatur. Hoc ergo modo cognita historia, et nominum interpretatione, facile singulorum significationes prudens lector inveniet. Quæ nos quidem per singula diceremus, nisi quia facilia sunt, et brevitati operam damus.

CAPUT XXXIV

In quo termini, et dimensiones terræ promissionis describuntur, omittitur.

CAPUT XXXV.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Præcipe filiis « Israel, ut dent levitis de possessionibus suis, urbes « ad habitandum, et suburbana earum per circui- « tum, ut ipsi in oppidis maneant; et suburbana « sint pecoribus, et jumentis, quæ a muris civitatum « forinsecus per circuitum mille passuum tenduntur « contra Orientem, et contra Meridiem similiter erunt « duo. » Per hoc enim apertissime datur intelligi, quod clericorum ordo sublimiorem locum in Ecclesia tenere debeat, aliisque omnibus quasi propriis jumentis et pecoribus imperitare; unde et pastores non immerito vocantur. Quod vero suburbana mille passuum spatio tenduntur, omnem mundi ambitum eorum regimini, et ditioni subditum esse ostendit; idem enim significat mille, quod omnes, quoniam hic numerus perfectus est, omnesque in se numeros continet, qui in se quidem replicari possunt, crescere vero non possunt. Notandum autem, quod duo millia cubiti in mille passibus concluduntur; unde et constat, quod duo cubiti unum passum faciunt.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Quando transie- « ritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, disper- « dite cunctos habitatores illius, et eorum simulacra « confringite, mundantes terram. » Qui ergo per baptismum ad Ecclesiam venimus, terram, id est carnem nostram ab omni vitiorum sorde mundemus, unumque et verum Deum colamus, et adoremus.

« Ait autem Dominus ad Moysen : Loquere filiis « Israel, et dices ad eos : Quando transgressi fue- « ritis Jordanem in terra Chanaan, decernite quæ « urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui « nolentes sanguinem fuderint : in quibus cum pro- « fugus fuerit, cognatus occisi eum non poterit in- « terficere, donec stet in conspectu multitudinis, et « causa illius judicetur. De ipsis autem urbibus, « quæ ad fugitivorum subsidia separantur, tres « erunt trans Jordanem, et tres in terra Chanaan, « tam filiis Israel quam advenis atque peregrinis, ut « confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit. « Si quis autem vel ferro, vel lapide, vel ligno, vel « manu per odium, aut insidias hominem occiderit, « cognatus occisi, statim, ut invenerit, jugulabit. « Si vero fortuito, et absque odio, et inimicitiis hoc « egerit, priusquam sic esse probatum fuerit, inno- « cens liberabitur, et non occidetur, sed ad civita- « tem, ad quam confugerat, reducetur, manebitque « ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto « unctus est, moriatur. » Tres enim civitates trans Jordanem, et tres in terra Chanaan, idem significant; per quas, fides, spes, charitas intelligi possunt : nunquam enim poterit esse securus, qui domum suam in his civitatibus non fundaverit. Ad

Digitized by Google

has autem quicunque fugerit, non occidetur. Si enim secundum litteram absolute intelligamus, ut illi qui sponte, sive quod majus est per odium, vel per insidias hominem occidunt, in his civitatibus fugiendi subsidium non habeant (quod nefas est dicere) pœnitentiæ januas claudimus. Aliter ergo intelligendum est. Plerumque enim per homicidas corporis, animarum homicidas intelligimus. Animarum vero homicidæ, maxime Judæi et hæretici intelliguntur, qui falsa persuasione animas a Christi fide separantes, interficiunt. Horum autem illos volentes et per odium, et per insidias peccare intelligamus, qui sic peccant, ut nunquam **195** se peccasse pœniteat, et malum, quod velle cœperunt, nunquam voluisse desistant. Nemo enim sic est volens, sicut ille, cujus voluntas non mutatur. Alios autem, et si peccaverunt volentes; attamen quia jam sunt nolentes et pœnitentes, dicamus eos sanguinem fudisse nolentes. Ille ergo fudit sanguinem volens, qui voluntate in fundendo sanguine est perseverans. Si quis ergo fuderit sanguinem volens, id est qui a voluntate fundendi sanguinem non recesserit, moriatur. Qui vero fuderit sanguinem nolens, id est jam pœnitens, et non fudisse volens, fugiat ad has civitates, et salvabitur. Si enim fidem Ecclesiæ receperit, si spem Ecclesiæ habuerit, si charitatem Ecclesiæ tenuerit, non morietur. Quod si extra has civitates eum invenerit propinquus occisi, confestim eum jugulabit. Quis sit iste propinquus, lege in Evangelio de Samaritano, et invenies Christum esse, qui eos quidem, quos extra has civitates invenerit, occidet, et æternæ morti damnabit. Quod autem iste homicida non revertitur ad propria, donec sacerdos magnus moriatur, hoc Moyses significasse videtur, quia ante Christi passionem nemo post peractam pœnitentiam ad cœlestem patriam revertebatur. Judæi quoque et hæretici quicunque Jesum sacerdotem magnum nondum venisse, vel mortuum esse, vel resurrexisse credunt, in patriam reverti non possunt, sic enim nondum istis Christus mortuus est; sicut Mariæ nondum ad Patrem ascenderat, cum ait : « Noli me tangere : nondum enim ascendi ad Patrem meum (*Joan.* xx, 17). » Nobis autem Christus jam mortuus est : nos jam ejus morte et sanguine redempti sumus. Nobis ergo ad propria redire, et de hujus mundi exsilio in civitatem sanctam Jerusalem ipse nos introire concedat, cui cum Patre, et Spiritu sancto gloria, et honor in sæcula sæculorum. Amen.

A B

CAPUT XXXVI.

Hoc postremum libri Numerorum caput, in quo filiis Israel præcipitur, ut quilibet de tribu sua sibi sumat uxorem, et ad aliam non transeat, ne confundantur tribus, omittitur a sancto Brunone.

Explicit liber Numerorum.

INCIPIT
EXPOSITIO IN DEUTERONOMIUM.

PRÆFATIO.

196 Quia in aliis libris Moysi, quod Dominus dedit, locuti sumus; restat nunc quoque in hoc ultimo libro, quod ipse donaverit, dicamus. Dicitur autem liber iste, Deuteronomium, quod *secunda lex* interpretatur; quoniam et Novum significat Testamentum, et ea, quæ in aliis dicta sunt, in isto quodammodo innovantur et replicantur. Nos autem, quæ in superioribus libris exposita sunt, prætermittentes, cætera, non omnia tamen, sed difficiliora quæque cum Dei adjutorio exponere aggrediamur. Ab hoc capitulo loquendi exordium sumamus.

CAPUT XIII.

« Si audieris in una urbium tuarum, quas Domi-
« nus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes
« aliquos : Egressi sunt filii Belial de medio tui, et
« averterint habitatores urbis terræ tuæ, atque di-
« xerint : Eamus, et serviamus diis alienis; quære
« sollicite, et diligenter rei veritate perspecta; si
« inveneris, certum esse, quod dicitur, et abomina-
« tionem hanc opere perpetratam, statim percuties
« habitatores urbis illius in ore gladii, et delebis
« eam..Omnia quoque, quæ in illa sunt, congregabis
« in medio platearum ejus, et cum ipsa civitate suc-
« cendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo,
« ut sit tumulus sempiternus; non ædificabitur am-
« plius, et non adhærebit de illo anathemate quid-
« quam in manu tua. » Si audieris, inquit, ubicunque fueris, ab aliquo nuntiante tibi filios Belial, id est hæreticos, qui jugo fidei non tenentur (Belial enim *absque jugo* interpretatur), si, inquit, audieris eos de medio tui exiisse, fidemque Ecclesiæ reliquisse, aliosque secum a justitia avertisse, et deos alienos, id est malignos spiritus securos esse, quære rem diligenter, quam cum veram esse cognoveris, gladio spiritus, quod est verbum Dei, omnem nefandam illam congregationem percuties et delebis : insuper et omnia, quæ illius sunt, simul cum ipsa in medio ejus succendes, id est æternis suppliciis condemnabis. Simul enim cum hæreticis, omnis eorum perversa scientia et doctrina (quæ per eorum scientiam intelligitur) abominari et damnari debet, quatenus sic destruatur ut ulterius in memoria non habeatur. Hoc est enim, quod ait : « Non ædificabitur

C B

Digitized by Google

« amplius, et non adhærebit de illo anathemate in A « manu tua, » per quod intelligere debes, ut nihil de illa hæresi adhæreat menti et fidei tuæ. Sequitur :

CAPUT XIV.

« Filii estote Domini Dei vestri. Non vos incidetis, « nec facietis calvitium super mortuo, quoniam po- « pulus sanctus est Domino Deo tuo, et te elegit, ut « sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, « quæ sunt super terram. » Imitetur Deum, qui ejus esse vult. Decet enim ut parentum imaginem in se filii repræsentent. Se autem incidere, et calvitium super mortuo facere magni doloris indicium est. De mortuo vero non dolere, sed gaudere debet Christianus. Qui enim bene moritur, ad Deum tendit. Doles ergo, o mulier, quod vir tuus ad Deum tendit : doles, o homo, quod frater, vel filius tuus ad Deum B vadit, non bene doles. Videamus etiam quid Apostolus dicat : « Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III, 3). » Isti enim adhuc viventes huic mundo mortui erant. Et sæpe quidem videmus super his, qui mortui sunt, vel etiam qui sic mori desiderant, fratres, et propinquos dolere, et isti ergo non bene super mortuo dolent. Ille quoque non bene dolet, qui super iniquo mortuo dolet; de mali namque perditione non dolendum, sed gaudendum est : dolendum potius erat de vita ipsius, quæ justitiæ et bonitati contraria erat. De talibus tamen quandiu vivunt et dolere, et flere debent sancti, si forte eorum orationibus convertantur. Sic enim et Samuel flebat Saulem. Post mortem vero pro eis flere infructuosum est. Denique C cum Dominus dicat : « Ego quoque in interitu vestro ridebo (*Prov.* I, 26), » quis de illo dolere audeat, de quo Dominus ridet et gaudet? De nullo igitur mortuo dolendum est, nisi de illo, qui fidei moritur, et a Deo separatur. Sequitur autem de animalibus mundis et immundis, de quibus in Levitico sufficienter diximus.

197 « Omne quod mundum est, comedite, quid- « quid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. « Peregrino, qui inter portas tuas est, da, ut co- « medat, aut vende ei, quia tu populus sanctus Do- « mini Dei tui es. » Hoc autem juxta litteram illi observantes salvabuntur, et sic per illam umbram Dei populus erant, sicut et nos modo per veritatem. D Nos enim secundum apostolicam doctrinam, nihil immundum et commune judicamus (*I Cor.* X, 15). Quidquid in macello venit, comedimus, interrogantes propter conscientiam. Scientes etiam, quia non est personarum acceptator Deus (*Act.* X, 34). Neminem ad fidem venientem ab Ecclesiæ corpore separamus. Omnem cibum Ecclesia suscipit, id est omnem hominem suo corpori inducit. Nos ergo sumus peregrini, nos immunda a Judæis emimus, et comedimus. Judæi enim fuerunt apostoli, qui nos ista docuerunt, ut nihil commune, et immundum esse credamus; modo fidem ipsi nobis vendiderunt, hanc animæ pretio emimus, pro hac Christi servi facti sumus. Et quidem sicut nos modo nisi omnia comedamus, perimus; sic et illi tunc si comedissent, periissent. Omnia enim comedit, qui omnia comedenda fatetur.

« Non coques hædum in lacte matris suæ. » Illis hoc dicitur, qui Christum adhuc lactantem, et puerum occidere voluerunt. Et hoc quidem in Exodo exposuimus.

« Anno tertio separabis aliam decimam ex omni- « bus, quæ nascuntur tibi eo tempore, et repones « inter januas tuas, venietque levites, qui aliam non « habet partem nec possessionem tecum; et pere- « grinus, et pupillus, et vidua, quia intra tuas por- « tas sunt, et comedent, et saturabuntur, ut bene- « dicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus « manuum tuarum quæ feceris » Multa enim Moyses in superioribus libris de decimis locutus est; nunc autem aliam decimam introducit, quæ valde dignior cæteris esse videtur. Per hanc enim spiritualem legis intelligentiam significari puto; decem enim sunt verba legis, quæ prius quidem Judæi ad litteram intelligentes, observantes, unam decimam dabant. Veniente autem tertio anno, id est tertio sæculorum tempore, jam alia decima datur, quo eadem decem verba spiritualiter intelliguntur. Tria enim sunt tempora : Primum ante legem; secundum sub lege, tertium sub gratia. Hoc autem tertium, quod nunc agitur a Christi nativitate cœpit. Hoc ergo tertio anno, sive tertio tempore, Ecclesiæ doctores cordis sui cellario condiderunt. Bene autem dicitur ex omnibus, quæ nascuntur eo tempore, quia et si prius littera nata fuisset, litteræ tamen intelligentia spiritualis hoc tempore nata est. De hac autem decima vivunt levitæ, de hac decima vivit clericorum ordo, de hac comedunt et saturantur quicunque cibis spiritualibus delectantur. Hanc peregrini, id est gentiles ad fidem venientes; hanc pupilli et viduæ, nequissimum patrem et maritum diabolum deserentes, suscipiunt. Sint ergo duæ decimæ, duæ mandatorum intelligentiæ.

CAPUT XV.

« Septimo anno facies remissionem, quæ hoc or- « dine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, « vel proximo, aut fratre suo, repetere non poterit; « quia annus remissionis est Domini. A peregrino, « et advena exiges : civem, et propinquum repetendi « non habes potestatem, et omnino indigens, et « mendicus non erit inter vos. » Septimus enim dies, et septimus annus, sicut jam in aliis libris exposuimus, hæc ultima ætas intelligitur, de qua Apostolus ait : « Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). » In hac ultima autem ætate remissionem facere debemus, sicut Dominus ait : « Dimittite, et dimittetur vobis (*Luc.* VI, 37). » Itemque : « Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* XVIII, 35). » Hæc sunt ergo debita, quæ a proximo, vel ab Ecclesiæ civibus non repetere, sed dimittere debemus. Quod autem ab advena, et peregrino hæc repetere concedit, dam-

Digitized by Google

natis, et infidelibus hanc remissionem non valere significat, sive etiam dimittas, sive non dimittas, ille tamen nihilominus periturus est. Quid enim Judæis in infidelitate persistentibus profuit, quod Dominus ait : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Debitum ergo ab his exigitur, siquidem non dimittitur. In eo vero, quod ait : « Et omnino indigens, et mendicus non erit inter « vos, » ad eleemosynarum largitatem nos provocare videtur. Sequitur :

« Fenerabis gentibus multis, et ipse a nullo accipies mutuum : dominaberis nationibus plurimis, « et tui nemo dominabitur. » De divitiis spiritualibus Ecclesia non feneravit : nulla enim gens est, cui ipsa fidem suam non prædicaverit, et cum omnes gentes fidem ejus suscepissent, ipsa nullius gentis fidem suscepit, et ipsa quidem tandem dominabitur omnibus, cui præter Deum nemo dominabitur.

« Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, « aut Hebræa, et sex annis servierit tibi, in septimo « anno dimittes eum liberum ; et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis « viaticum de gregibus, et de area, et de torculari, « quibus Dominus Deus benedixerit tibi. Sin autem « dixerit ; Nolo egredi, eo quod diligat te, et « domum tuam, et bene sibi apud te sentiat esse, « assumes fibulam, et perforabis aurem ejus in « janua domus tuæ, et serviat tibi usque in æternum. « Ancillæ quoque similiter facies. Non avertas ab « eis oculos tuos, quando dimiserit eos liberos, « **198** quoniam juxta mercedem mercenarii per sex « annos servivit tibi. » Quoniam enim Hebræus *transiens* interpretatur, omnis homo Hebræus intelligi potest, qui ab infidelitate ad Ecclesiam transit. Hos autem doctores Ecclesiæ pretio Domino emunt. Idem vero per sex annos, quod per sex dies significatur ; non enim sunt dies nisi sex, in quibus servile opus fieri liceat. Qui igitur sex annis servit, a servitute non recedit. Sed sciendum est, quia servorum Dei alii sponte serviunt, et gratam habent servitutem, alii vero non sponte, et oneresam serviunt servitutem. Et multos quidem tales in Ecclesia videmus, qui nihil boni servitii sua sponte faciunt ; serviunt tamen aut verecundia, aut timore. Hos autem in septimo anno, id est vitæ termino completo, liberos abire Ecclesia permittit, qui nulla ulterius servitute serviunt, sed melius eis fuerat adhuc servisse, quam tali libertate liberos abiisse. Et vide quam bonus Dominus, qui nec etiam ipsos malos servos et ingratos vacuos abire permittit, sed dat eis viaticum de gregibus, et de area, et torculari. Intelligit enim hoc sacramentum, intelligit et hoc nomen, nec ignorat quid viaticum significet. Unde et ultima hora pœnitentibus hoc viaticum recipere persuadet, qui per totam vitam usque ad sedem judicis securi perferantur. Hoc enim viaticum Christi corpus et sanguis est, quod prius quidem de gregibus accipiebatur, nunc autem de area et de torculari suscipitur. Quis enim hoc non intelligat, quis nesciat, quid agnus significet, qui in Pascha immolabatur : « etenim Pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* v, 7). » De area namque suscipitur panis, et vinum de torculari, quæ ineffabiliter in Christi carnem et sanguinem convertuntur. Sequitur autem de bono servo, qui libentissime serviens, nunquam a Domini sui vult recedere servitute. Quare hoc ? Quia eum diligit, et domum ejus, quæ est Ecclesia, semperque sibi apud eum bene esse sentit. Hunc ergo ducit Dominus ad januam domus suæ, et perforat aurem ejus ut ei serviat in perpetuum. Qui enim ad januam ducitur, ab omnibus, qui in domo sunt, videtur ; merito ergo bonus servus ducitur ad januam, ut quam fidelis et obediens sit omnibus innotescat, cæterique bonum exemplum de eo capiant, et qui nondum aures perforatas habent, sibi ad ejus exemplum perforari faciant. Tales enim aures Domino quærebat, cum diceret : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Marc.* IV, 23). » Iste ergo, quia per sex annos, id est toto tempore vitæ suæ, quasi mercenarius serviens, sui laboris mercedem semper exspectavit, bene remuneratus ad supernæ patriæ rediit libertatem : servivit ergo, non ut servus, sed ut mercenarius ; quoniam servo pro labore non dantur mercedes. Sequitur autem de primogenitis, quæ si masculini generis et sine macula fuerint, cuncta Deo sacrificare jubentur. Et de his quidem in superioribus libris satis locuti sumus. Quod autem hic dicitur, ut primogenita, quæ maculam habent, non immolentur Domino, sed comedantur ab his qui mundi sunt, et ab his qui mundi non sunt, hoc significat quod criminosi ad ordinem quidem sacerdotalem subvehi non possunt, ab Ecclesiæ tamen corpore et communione separari non debent. Sed hoc solum in eis observandum est ut Judæorum sanguis non comedatur, sed quasi aqua super terram fundatur. Qua in re manifeste ostenditur, quoniam et si iniquis communicamus, iniquorum tamen peccatis non acquiescere, sed ea vehementer abjicere et abominari debemus.

CAPUT XVI.

Quod autem sequitur de tribus festivitatibus, quas Judæi celeberrimas habebant, ideo hic non exponimus, quia in aliis libris, et maxime in Levitico sufficienter exposuimus.

« Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta « altare Domini Dei, nec facies tibi, atque constitues « statuam, quæ odit Dominus Deus tuus. » His enim verbis omnis idolorum cultura, omnisque infidelium superstitio interdicitur.

CAPUT XVII.

Hoc autem capitulo præcipit ut omne ambiguum, omnesque majores causæ sacerdotum judicio finiantur : cujus sententiæ quicunque superbiens obedire noluerit, moriatur. Qua in re sacerdotum scientia et justitia, populique erga eos obedientia, qualis et quanta esse debeat breviter insinuat.

« Cum ingressus fueris terram, quam Dominus

Digitized by Google

« Deus tuus dabit tibi, volueriscque tibi regem con-
« stituere ; de gente tua, et de fratribus tuis eum
« constitues : qui cum fuerit constitutus, non multi-
« plicet sibi equos, nec reducat populum in Ægyptum ;
« præsertim cum Dominus vobis præceperit, ut per
« eamdem viam non revertamini ; nec habeat uxo-
« res plurimas, quæ ejus animum alliciant : neque
« habeat in mensa pondera auri, et argenti. Post-
« quam sederit in solio regni, scribat sibi Deute-
« ronomium legis hujus, accipiens exemplar a
« sacerdotibus, et legat illud cunctis diebus, faciens
« ea, quæ in eo scripta sunt ; neque declinet ad
« dexteram, vel ad sinistram, ut longo tempore
« regnet ipse, et filii ejus (299). » Utinam hoc
199 capitulum reges nostri intelligant, intelle-
ctumque custodiant, neque tantis malis Ecclesiam
Dei afficiant. Hoc autem non solum de sæcularibus,
verum etiam de spiritualibus Ecclesiæ regibus in-
telligi potest. Verum eum de gente nostra, de gente
utique Christiana et religiosa, et de nostris fratri-
bus, id est de melioribus Ecclesiæ filiis eligere, et
constituere debemus. Qui ergo rex constitutus fue-
rit, non multiplicet sibi equos, quorum superbo
apparatu in bellum ruat, humilemque populum pro-
sternat. Per hoc enim intelligere possumus, ut su-
perborum famulatu atque consiliis non elevetur. Hoc
autem rex David intelligens, ait : « Hi in curribus,
et in equis, nos autem in nomine Dei nostri magni-
ficabimur (*Psal.* XIX, 8). » Nec reducat populum in
Ægyptum, sermone videlicet et exemplo eum ad
peccata convertens. Per eamdem autem viam rever-
titur, qui ad peccatum, quod pœnitendo reliquerat,
iterum redit. Nec habeat uxores plurimas, quæ ejus
animum illiciant. Hoc autem Salomon surda aure
præteriens, non solum plurimas, sed alienigenas
duxit uxores, a quibus miserabiliter illectus, idola
adorasse legitur. Spiritualiter autem multæ uxores
multæ religionum sectæ intelligi possunt. In mensa
vero pondera auri et argenti prohibentur, quoniam
his facillime in contemptum Dei, et in superbiam
elevatur. Hunc autem librum, qui inter nova et
vetera medius discurrit, scribere sibi, et observare
præcipitur, ut secundum Evangelium de thesauro
suo nova, et vetera proferre possit. Cujus fidei
exemplar a sacerdotibus suscipitur, si secundum
eorum doctrinam custoditur. Ille vero nec ad dexte-
ram, nec ad sinistram declinat, qui a veritate, et a
recto itinere non recedit.

CAPUT XVIII.

« Non habebunt sacerdotes et levitæ, et omnes,
« qui de eadem tribu sunt, partem et hæreditatem
« cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, et obla-
« tiones ejus comedent, et nihil aliud accipient de
« possessione fratrum suorum ; Dominus enim ipse
« est hæreditas eorum, sicut locutus est illi. » Hac
sententia mundum relinquere, et soli Deo adhærere
jubemur, et qui Deum in partem suscepimus, nul-
lam aliam partem quæramus, ne forte dum aliam
partem quærimus, hanc, quæ omnino melior est,
amittamus. Magna enim est hæreditas, si illum hæ-
reditamus, qui omnia possidet. Hoc autem illi custo-
diunt, qui solis necessariis contenti, omnia commu-
nia habent. Sequitur :

« Hoc erit judicium sacerdotum a populo, et ab
« his, qui offerunt victimas, sive bovem, sive ovem
« immolaverint, dabunt sacerdoti armum ac ventri-
« culum, primitias frumenti, vini, et olei, et lana-
« rum partem ex ovium tonsione. Ipsum enim elegit
« Dominus Deus tuus de cunctis fratribus tuis, ut
« stet et ministret nomini Domini, ipse et filius ejus
« in sempiternum. » Armum enim omnium victima-
rum sacerdotes suscipiunt, ut per hoc omnium one-
ra se portare intelligant, secundum quod ad Aaron
Dominus ait : « Tu, et filii tui, et domus patris tui
« portabitis iniquitatem sanctuarii. » Eum ergo, qui
multis oneribus premitur, multos armos habere opor-
tet. Sed quare ventriculum sacerdotes suscipiunt,
nisi ut sanctarum Scripturarum cibum cequant et
digerant, atque ex eo cuncta ecclesiastici corporis
membra pascant et nutriant? In ventriculo enim, id
est stomacho omnis cibus digeritur, quo omnia
corporis membra nutriuntur. Suscipiunt præterea
sacerdotes vini, et olei, et lanarum primitias, ut
habentes victum et amictum, his contenti sint. Sed
quales eos esse putamus, quibus omnes primitiæ
dantur? Sed quare dantur? Vis audire quare? Quia
primi sunt, quia majores sunt ; quia in omnibus
obtinent principatum, et omnia eis debent esse sub-
jecta. Isti ergo primi sedeant, primi ambulent, istos
reliqua turba sequatur. Qui enim eos sequitur, non
ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

« Dixitque Dominus ad Moysen : Prophetam susci-
« tabo eis de medio fratrum tuorum similem tui, et
« ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos
« omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus,
« quæ in nomine meo loquetur, audire noluerit, ego
« ultor existam. » Multos enim prophetas huic po-
pulo Deus dedit, qui quamvis Dei mandata, et viam
vitæ eis nuntiarent, et Moysi in sermone et mira-
culis similes essent ; non solum eis non crediderunt ;
verum etiam sicut Dominus ait, alios lapidaverunt,
alios occiderunt, alios contumeliis affecerunt. Potest
autem hoc specialiter de illo propheta intelligi, qui
de se ipso loquitur, dicens : « Non est propheta
sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua
(*Marc.* VI, 5), » etc., quem Deus Pater non solum
suscitavit, sed a mortuis resuscitavit. Hic autem
et similis est Moysi, qui propheta, et major tamen,
et Dominus Moysi, qui et Patris sui verba loqui
significans, aiebat : « Mea doctrina non est mea, sed
ejus qui misit me, Patris (*Joan.* VII, 16). »

CAPUT XIX.

Sequitur autem de tribus civitatibus fugitivorum,
quas inter se æquali spatio dividi præcipit, ut ha-

(299) Partim sensu, partim verbis ex Vulgata hic locus concinnatus est.

Digitized by Google

beat e vicino, qui propter homicidium fugerit, quo evadere possit.

« Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita « servanda est. Qui percusserit proximum suum « nesciens, et qui heri et nudius 200 tertius nul- « lum contra eum habuisse odium comprobatur; « sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna « cædenda, et incisione lignorum securis fugerit de « manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus « percusserit, et occiderit, hic ad unam supradicta- « rum urbium confugiet, et vivet, ne forsitan proxi- « mus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus « persequatur, et apprehendat eum, si longior fuerit « via, et percutiat animam ejus, qui non est reus mor- « tis : Quia nullum contra eum odium prius habuisse « monstratur (299*). » Tres enim istæ civitates, ut in libro Numeri exposuimus, fides, spes, charitas intelliguntur; quæ quidem æquali spatio inter se dividuntur, quia his, qui salvandi sunt, æqualiter, simulque occurrunt. Per silvam autem, in qua ligna cæduntur, hæ, et aliæ Scripturæ divinæ legis intelligi possunt. In hac autem silva simpliciter ligna cædimus, quando fideli intentione singulas sententias disposuimus.

Fit autem aliquando, ut dum de his loquimur, aliquid minus idoneum ad intelligendum, ferro de manubrio delapso, percutiamus et occidamus. Tunc enim securis manum fugit, et ferrum de manubrio labitur, quando gladius spiritus, quod est verbum Dei, incaute profertur. Tales ergo in hac silva fratribus circumstantibus ligna incidere debent, qui et cædendi periti sint, et ferrum verbum Dei retinere valeant, ne fortasse aliquid contra fidem proferant, vel quod pro sui obscuritate scandalum faciat. Ipsi quoque, qui hæc ligna cædendi peritiam habent, non omnia coram omnibus cædere debent; quædam enim sunt, quæ nonnisi in conventu sapientum exponi debent. Qui ergo hoc modo fratrem percussit, si in aliqua prædictarum civitatum refugium habuerit, non occidetur; refugium enim habet in civitate fidei, si propria conscientia defendatur, se contra fidem nescienter esse locutum, et quod dixit, non ideo dixerit, ut aliquem pro odio a fide catholica averteret (hoc enim Judæi et hæretici faciunt) ideoque quanto tempore in hoc odio permanent ad has civitates nullum refugium habent. Similiter autem de spe, et charitate intelligatur. Proximus autem hominis occisi Christus est, qui per Samaritanum in Evangelio significatur. Et ipse quidem eos homicidas interficit, quos longe a prædictis civitatibus reperit. De hoc capitulo locuti sumus in fine libri superioris.

« Non assumes, et transferes terminos proximi « tui, quos fixerunt priores in possessione sua. » Nescio quam possessionem melius hic queamus intelligere, quam fidem nostram et doctrinam evangelicam. Hujus autem terminos qui transferre conatur, et aliter quam a sanctis Patribus constituti sunt, movere nititur, æternæ damnationis reus efficitur.

CAPUT XX.

Hinc autem Moyses hortatur populum, ut si quando contra adversarios suos ad bellum exierint, et eorum exercitum majorem viderint, non timeat, quia Deus secum est : et jam prælio appropinquante sacerdotes populum commoveant et confortent; duces quoque per singulas turmas, exercitu audiente proclament : « Quis est homo, qui ædificavit domum « novam, et non dedicavit eam, vadat, et revertatur « in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius « homo ejus fungatur officio. Quis est homo, qui de- « sponsavit uxorem, et non accepit eam, vadat, et « revertatur in domum suam, ne forte moriatur in « bello, et alius homo accipiat eam. His dictis, « addent reliqua, et loquentur ad populum : Quis « est homo formidolosus, et corde pavido? rever- « tatur in domum suam, ne pavere faciat corda « fratrum suorum; sicut ipse timore perterritus est. « Cumque siluerint duces exercitus, et finem lo- « quendi fecerint, unusquique suos cunctos ad bel- « landum præparabit. » Hæc enim Ecclesiæ principio et fini conveniunt; hæc ad tyrannorum tempora rectissime referuntur, in quibus exiguus Christianorum populus contra innumerum persequentium exercitum dimicabat et dimicabit. Docet ergo Moyses, qualiter Ecclesiæ duces milites suos eo tempore instruere debeant. Fortes quoque hortatur ne timeant et, ut confidenter in hostem ruant, non in suis sed in Dei virtute confidant, qui in eis remanent, pugnat et vincit. Ipse enim non solum viros, sed virgines et mulieres tanta fortitudine corroboravit, ut impios imperatores vincerent, et Romanorum inexpugnabilem exercitum superarent. Sed quid per hominem, qui et novam domum ædificavit, et nondum eam dedicavit, nisi Christianum aliquem intelligimus, qui quamvis in baptismo veterem hominem exuerit, et jam in novum factus, Deum in domo sua, id est in seipso, qui templum Dei ab Apostolo vocatur, habitatorem susceperit, nondum tamen ad illam perfectionem pervenit, ut sicut se, alium diligat, et mundum penitus contemnat? Qui enim ad hoc pervenit, totum se ab integro Domino dedicavit. Qui vero hoc non habet, nondum idoneus est, ut tyrannorum gladios contra se provocans, ad martyrium tendat. Revertatur ergo in domum suam, maneat in se, teneat fidem in occulto, et sit vel bonus confessor, qui martyr esse non meruit; melius est enim ei, ut sic maneat, quam in bello moriatur; moriatur, inquam, non corpore, 201 sed anima; si enim corpore moreretur, martyr esset. Qui ergo præ timore Deum negat, ille secundum animam in bello moritur. Idipsum autem et de illo intelligatur, qui uxorem desponsavit, et nondum eam accepit. Uxorem quidem desponsavit qui fide Christianam religionem promisit, cum hac enim uxore proles bonorum operum generatur. Hanc autem et si desponsaverit, nondum

(299*) Cod. bibl. Montis Amiatæ : *Quia nullum habuisse odium contra eum comprobatur, et in succisione lignorum.*

Digitized by Google

tamen accepit, quia ad fidei et religionis perfectionem nondum pervenit. Hujus autem perfectionis est mundum contemnere, et Deum et proximum toto corde diligere. Revertatur ergo in domum suam et hic et ille ne forte in bello moriatur, et alius homo, et illius domum, et hujus uxorem accipiat, id est tollat. Hac enim significatione Apostolus ait : « Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit, et si quis accipit (*II Cor.* XI, 20) ; » id est si quis vobis vestra bona tollit. Hominem autem ipsum diabolum vocari, ipse nos Dominus docuit dicens : « Inimicus homo hoc fecit (*Matth.* XIII, 28). » Hic igitur homo Deum negantibus et domum, et uxorem tollit.

« Si quando accesseris ad expugnandum civitatem, offeres ei primum pacem. Si acceperit, et « aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea B « est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo. Sin « autem fœdus inire noluerit, et cœperint contra te « bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties « omne, quod in ea masculini generis est, in ore « gladii, absque mulieribus, et infantibus, jumentis, et cæteris, quæ in ea civitate sunt. Omnem « prædam exercitui divides, et comedes de spoliis « hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit « tibi. » Hoc autem non solum de una civitate, vel tota gente, sed de uno quolibet intelligi potest. Civitas enim omnis homo est, habitatque in ea non parva civium multitudo, virtutum quidem, si bonus est, vitiorum vero, si malus. Ad hanc autem expugnandam accedimus, quando primi infidelem hominem ad Christi fidem convertere tentamus. Et primum quidem ei offerimus pacem, Christum videlicet Dei filium prædicantes. « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Quam si acceperit, et portas ad audiendum et credendum aperuit, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur. Bonus enim est populus ille, qui Evangelio portas aperit, et Christum ad se venientem suscipit. Unde benedicitur, « ut cunctus populus salvetur, » non qui in ea fuerat, sed qui in ea est. Audito enim verbo fidei, statim omnis erronea multitudo recessit, et sola ibi cum populo suo fides remansit. Hæc autem civitas servit Ecclesiæ sub tributo, quia fidelis homo semper tributa bonorum operum persolvit. D Utinam et nos secundum hunc modum omni tempore tributarii simus. Per eos autem, qui fœdus accipere nolunt, et contra prædicatores pugnare incipiunt, illos intelligimus, qui non facile convertuntur, sed vana philosophia, et dialecticis syllogismis contra fidem, et Evangelium disputant. A talibus tamen sancti prædicatores non statim recedant; sed quasi inimicissimam civitatem, eos oppugnantes, nunc Scripturarum exemplis, nunc miraculorum signis, nunc aliis rationibus eos aggrediantur, donec victi succumbant, et ab infidelitate ad fidem convertantur qui cum veritati acquieverint, confestim Christi bellatores, omnes eorum masculos, omnes eorum syllogismos, omnia eorum argumenta, omnia falA sarum Scripturarum exempla, quibus prius se defendebant, et in quibus confidebant, in eis perimerent, et destruerent, ut quidam eorum etiam suos codices exurerent, et se errasse confiterentur. Feminas autem, et pueros, et jumenta reservabant, id est eas sententias, et rationes, quæ, aut sicut feminæ bonum aliquid parerent, aut sicut pueri nihil nocerent, aut sicut jumenta aliquid prodessent. Multas enim scientias habent gentiles, quas nemo prohibet habere Christianos. Prædam autem exercitus distribuere, et hostium spolia dividere, quid aliud est, nisi eos, qui noviter diabolo erepti sunt viris catholicis tradere, qui eos plenissime Christianam doceant religionem, et corpori ecclesiastico per omnia introducant? Sequitur : « Sic facies cunB « ctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt; » et non sunt de his urbibus, quas in possessione accepturus es. De his autem civibus, qui dabuntur tibi, nullum omnino permittas vivere. Per hos enim, quos filii Israel vivere non permittunt, vitiorum exercitum, et Judæorum, et hæreticorum, et omnium in infidelitate permanentium intelligimus. Hæc enim omnia æternæ morti destinata sunt.

« Quando obsederis civitatem multo tempore, et « munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, « non succides arbores de quibus vesci potest, nec « securibus per circuitum debes vastare regionem, « quoniam lignum est, et non homo, nec potest « bellantium contra te augere numerum. Si qua « autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, et C « in cæteros apta usus, succide, et exstrue machinas, « donec capias civitatem, quæ contra te dimicat. » Id ipsum per hanc civitatem et per illam, de qua modo superius diximus, intelligi potest. Quod enim in illa cives boni, hoc est in ista arbores fructiferæ ; et quod in illa cives mali, hoc est in ista ligna agrestia, ex quibus machinas fieri præcipit; hoc datur intelligi, quia pagani et hæretici plerumque a nobis suis scriptis superantur.

202 CAPUT XXI.

« Quando inventum fuerit in terra, quam Domi« nus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver « occisi, et ignoratur cædis reus, egredientur ma« jores natu, et judices tui, et metientur loco cada« veris singularum per circuitum spatia civitatum, D « et quam viciniorem cæteris esse perspexerint, « seniores civitatis ejus tollent vitulam de armento, « quæ non traxit jugum, nec terram scidit vomere, « et ducent eam ad vallem asperam, atque saxosam, « quæ nunquam arata est, nec sementem recepit : « et cœdent in ea cervices vitulæ; accedentque sa« cerdotes filii Levi, quos elegit Dominus Deus tuus, « ut ministrent ei : et venientes majores natu civi« tatis illius ad interfectum, lavabuntque manus « super vitulam, quæ in valle percussa est, et dicent : « Manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem, « nec oculi viderunt; propitius esto populo tuo « Israel, quem redemisti, Domine, et non reputes « sanguinem innocentem in medio populi tui Israel.

Digitized by Google

« Et auferetur ab eis reatus sanguinis; tu autem « alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, « cum feceris, quod præcepit Dominus. » Valde hic locus difficilis est ad exponendum. Incipiamus tamen, et sequamur eum, qui ait: « Aperi os tuum, et ego adimplebo illud (*Psal.* LXXX, 11). » Per cadaver ergo hominis occisi, Christi corpus intelligamus, cujus utique cædis reus, secundum quemdam modum ignoratur: quod enim cum Judæi occiderint, non ignoratur; causa tamen, qua eum occiderint, ignoratur. Hoc enim Pilatus ipse testatur, dicens: « Nullam causam invenio in homine isto (*Joan.* XVIII, 38). » Et Petrus apostolus: « Nullam, inquit, causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum (*Act.* XIII, 28). » Usitata enim locutio est, ut cum de aliquo, qui pro suo reatu occisus est, interrogamus qui eum occiderit? respondeamus peccatum suum. Hoc ergo modo ignoratur, quis Christum occiderit, quoniam nullum peccatum in eo fuit, pro quo occidi deberet. Quid ergo super hoc fieri debet? « Egrediantur, « inquit, majores natu, et judices populi, et men- « tiantur a loco cadaveris singularum per circuitum « spatia civitatum, et quam viciniorem esse per- « spexerint, inde seniores civitatis illius egredientes « faciant, quod sequitur. » Per majores enim natu et judices populi, apostoli intelliguntur: ipsi enim in Ecclesia primi fuerunt, ipsi a Deo judices constituti, duodecim tribus Israel judicabunt. Civitas vero proxima cadaveri est Jerusalem, cujus seniores quidem sunt patriarchæ et prophetæ, mortem hominis innocentis cunctis gentibus nuntiare jubentur. Et apostoli quidem plano facilique sermone Christi mortem annuntiant. Prophetæ vero suo more per ænigmata et figuras. Hoc autem sequentia manifestabunt. Mensi sunt enim apostoli a loco cadaveris, id est a civitate Jerusalem omnes hujus mundi civitates, quia in omnem terram exivit sonus eorum, ubique Christi mortem prædicantes, ubique eum sine causa crucifixum esse dicentes. Hoc autem, ut firmius crederetur, non fuit sufficiens solos apostolos hoc dixisse, sed ejusdem civitatis seniores ad ipsum testificandum egrediuntur: et isti quidem mentiri non possunt, quia seniores sunt, tum quia ibi proximi fuerunt. Nulla enim nunc pars mundi est, in qua prophetarum libri non inveniantur; nusquam invenitur locus, in quo Christi passionem prophetæ in scripturis suis non prædicaverunt. Prædicant autem per allegorias, quemadmodum hic in figura vitulæ obscure satis de Christo loquuntur. Etenim non tantum loquuntur verbis, sed etiam factis; tollunt siquidem vitulam de armento, id est Christum Dominum nostrum de grege patriarcharum, quæ non traxit jugum, nec terram scidit vomere, quia Salvator noster omni libertate præditus, nulli vitiorum fuit obnoxius servituti, magisque nos de cœlestibus, quam de terra cibum quærere docuit. Ait enim: « Operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in æternum (*Joan.* VI, 27). » Et ducunt illam ad vallem asperam, atque saxosam id est ad gentilem populum, qui vitiorum asperitate, et incredulitatis duritia horruerat: quæ vallis nunquam arata est, nec sementem recipit, quæ ante id temporis, neque Ecclesiæ cultores, neque verbi Dei semen gentilitas cognoverat. « Et cædent in ea cervices vitulæ. » Quid est hoc? In Judæa occisus est Christus, et in gentibus vitula jugulatur. Quid est ergo, quod Apostolus ait: « Christus semel mortuus est (*I Petr.* III, 18). » Semel enim mortuus est, et jam non moritur; toties tamen mori dicitur, quoties ejus mors in Ecclesia nuntiatur et memoratur. Sic enim dicere solemus: Cras erit Nativitas Domini, cras erit Pascha, cras erit Ascensio Domini; cum cras tamen nisi sola commemoratione non fiant. Sic igitur et prophetæ toties vitulam inter nos occidunt, quoties per eorum scripta Christi passionis memores sumus. Adducunt etiam ad hujus vitulæ occisionem sacerdotes filios Levi, ut per hoc manifeste intelligamus, sacerdotum hoc factum fuisse consilio, ut Christus crucifigeretur. Sed ne aliquis dicat: Vos seniores, vos prophetæ, vos Christum occidistis, quia, sicut hic dicitur, vos vitulam jugulastis, et vestra prophetia exstitit causa, ut Christus occideretur. Propter hoc ergo veniunt majores natu ad interfectum, levantque manus per vitulam, et dicunt: « Manus nostræ non effunderunt hunc sanguinem, nec oculi viderunt. » Quid enim non viderunt? peccatum utique vel causam pro qua occideretur (quod enim non est, videri 203 non potest). Ignoratur ergo cædis reus, siquidem ab ipsis prophetis non cognoscitur. « Et veniunt, inquit, ad interfectum; » cum enim de Christi passione prophetæ loquantur, tunc ad interfectum veniunt; cum vero de nativitate ad natum, cum de resurrectione ad resurgentem, et sic de aliis. Sed quid est quod ad interfectum venientes super vitulam manus imponunt, nisi quia idem sunt, et vitula et interfectus? Manus autem opera significant, quoniam manibus opera fiunt, et est causa pro effectu. Manus ergo supra vitulam ponunt qui omnia sua opera omnemque scripturam manuum suarum Christo Domino convenire demonstrant. Tunc deinde orant pro populo, sed pro omni populo: orant enim pro eis, quos suo sanguine Christus redemit. Lege prophetas, et hoc eos pluribus in locis orare invenies. Quos enim redemit Christus, nisi eos, qui per fidem ad ejus gratiam revertuntur? Quod autem sequitur: « Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus, » Judæis quidem specialiter dicitur. Unde post Christi passionem quidam pœnitentia ducti ad apostolos venientes dixerunt: « Quid faciemus, viri fratres; » quibus beatus Petrus ait: « pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum (*Act.* II, 38). » Hoc est ergo quod Dominus præcipit, quod qui fecerit, innocens erit a sanguine Christi. « Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in « manu tua, captivosque duxeris, et videris in numero

Digitized by Google

« captivorum mulierem pulchram, et adamaveris A uxores habere videtur. Ambæ istæ uxores de episcopo generant, quia utriusque filios ipse per baptismatis aquam regeneravit. Quasi enim de episcopo generare, est secundum ejus doctrinam filium baptizare. Sed quis episcoporum eam uxorem, id est eam partem suæ plebis non diligat, quæ Deo fideliter servit, et a christiana religione non recedit? Quis vero eam odiosam non habeat, quæ luxuriæ et voluptatibus, perjuriis et homicidiis, furtis et adulteriis, aliisque iniquitatibus dedita est? Verumtamen, sicut scriptum est, « Filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech.* XVIII, 20); » si bonus filius ex matre tamen scelerata nascatur, non propter hoc perdet primogenita sua : similiter autem econtra, si ex optima matre filius iniquus oriatur, non ideo primogenitus erit. Solus ergo ille primogenitus, et sacerdotalis dignitatis dignus judicetur, qui bonus est, cujuscunque sit filius, sive homicidæ, sive adulteri, sive pro alio crimine infamis. Dictum est enim : « Quia filius non portabit iniquitatem patris. » Quod autem servorum filii ad sacros ordines non admittuntur, 204 ideo fit, quia non est Ecclesiæ Dei, aliena violenter rapere : si enim eorum Domini concesserint, nemo eos propter servitutem a sacris ordinibus repellit. Servitus enim non est peccatum; ipsi quoque mox ut ordinantur liberi fiunt. Quod enim Ecclesiæ est, in nullius bonis est. Suscipiunt autem duplicia; quia secundum Apostolum, « duplici honore presbyteri digni habentur (*I Tim* v, 17). »

« eam, voluerisque habere uxorem; introduces in « domum tuam, quæ radet cæsariem, et circumcidet « ungues, et deponet vestem, in qua capta est, « sedensque in domo tua, flebit patrem et matrem « suam uno mense, et postea intrabis ad eam, dor- « miesque cum illa, et erit uxor tua. » Hoc autem ad litteram non est intelligendum. Per hanc enim mulierem quidam expositores philosophorum doctrinam intellexerunt; ego vero animum hominis esse puto, qui secundum suam naturam cunctis mulieribus pulchrior est. Qui autem contra inimicos ad pugnam exeunt, doctores Ecclesiæ sunt; hostes vero, quicunque nostræ religionis non sunt. Contra hos autem pugnare, est eorum eis errorem ostendere, et ad Christi fidem eos invitare. Et revera quidem se B Apostolus Ephesi ad bestias pugnasse dicit. Vincuntur autem isti, et captivi ducuntur, quando derelicto errore ad fidem convertuntur. Tunc ergo Christi milites quicunque ibi animam pulchram conspiciunt, eam amant, et uxorem ducere concupiscunt (pulchra enim est omnis anima, quæ Christi fidem pollicetur). Hanc autem ducunt in domum suam, id est in Ecclesiam sibi commissam, quæ cæsariem quidem radit, et ungues circumcidit, quia quod inutile, et superfluum habet, spernit, et abjicit. Quid enim tam superfluum est homini, ut vitia et peccata? Quibus nisi caruerit, salvari non poterit. Deponit insuper vestem, in qua capta est, veterem scilicet hominem exuens cum actibus suis. Quod autem ait : « Sedens- « que in domo sua flebit patrem, et matrem suam C « uno mense; » hoc est intelligere, quia priusquam ad Ecclesiam venerit, priusquam baptismi sacramenta suscipiat, flebit, et pœnitentiam aget, eo quod parentum suorum sit malitiam imitata. Pater enim ejus diabolus fuit, secundum quod quibusdam Dominus ait : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44); » mater vero ejus gentilitas. Uno vero mense flere, est secundum tempus ab episcopo dispositum pœnitentiam agere; quia mensis mensura dierumque numerus dicitur. Idem quoque est flere uno mense, quod est una dierum mensura et dispositione. Postea vero ingreditur ad eam, jam baptizatam, et dormit cum illa, et fit uxor ejus, quia jam familiarius ei adhæret, Ecclesiæque sacramenta D pandit, et verbi Dei semine imprægnans, bona opera, quasi filios, parere facit. Sequitur :

« Si genuerit homo filium contumacem, et pro- « tervum, qui non audiat patris, aut matris impe- « rium, et coercitus obedire contempserit, appre- « hendent eum, et ducent ad seniores civitatis, et « ad portas judicii, dicentque ad eos : Filius noster « iste protervus, et contumax est, monita nostra « audire contemnit, commessationibus vacat, et « luxuriæ atque conviviis, lapidibus eum obruet « populus civitatis, et morietur, et auferetis malum « de medio vestri, universus Israel audiens perti- « mescat. » In hoc capitulo nihil significari puto, nisi quia sacerdotes, et episcopi, qui omnium aliorum spirituales patres et matres sunt, eos filios, qui eorum monitis et evangelicis institutis non obediunt, sed potius errores sequentes, omni luxuriæ, omnique iniquitati se subjiciunt, excommunicare et æternæ mortis damnare debeant. Ille excommunicatur, qui a toto populo, ut jam sæpe diximus, lapidibus obruitur. Hoc autem non sine ordine fiat : ducatur prius ad seniores, et ad portam judicii, inducatur ad concilium, et quid sanctorum Patrum decreta de eo jubeant audiatur.

« Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, « et alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, et « fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerit que sub- « stantiam inter filios suos dividere, non poterit « filium dilectæ facere primogenitum, et præferre « filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primoge- « nitum, dabitque ei de his, quæ habuerit cuncta « duplicia; iste est enim principium liberorum ejus, « et huic debentur primogenita. » Per hunc hominem episcoporum aliquem intelligere possumus, qui quamvis Ecclesiam regat, tamen quia in duas partes Ecclesia dividitur, in bonos scilicet et malos, duas

« Quando peccaverit homo, quod morte plecten- « dum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in « patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, « et nequaquam contaminabis terram tuam, quam « Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. » Constat ergo secundum hæc verba, quia non omnis homo maledictus est, qui pendet in ligno, sed ille

Digitized by Google

solus, qui peccatis suis juste judicatus, et damnatus, et suspensus est; hic maledictus erat, etiamsi in ligno non suspenderetur. Cur ergo et cæteri pro suis iniquitatibus juste damnati, quacunque pœna interficiantur, non similiter a Deo maledicti dicuntur? Ideo fortasse, quia primus homo tunc in ligno pependit, quando pomum vetitum ex arbore rapuit, pro quo ipse, et humanum genus morti est adjudicatum. In hoc ergo ligno quicunque pendet et adhuc originali peccato tenetur, maledictus est. Ideoque præcipit ut hujus maledicti cadaver in ligno non permaneat, sed eadem die, qua suæ mortis peccatum intellexerunt, in aqua baptismatis sepeliatur. Sed quærendum nobis est quare Apostolus hanc sententiam ad Christum referens, ait : « Christus nos redemit de maledicto legis; factus pro nobis maledictum, quia scriptum est : Maledictus omnis, qui pendet in ligno (*Galat.* I, 13); » sed maledictus a Deo est, qui pendet in ligno, præmisso tamen, si peccaverit, quod morte plectendum est. Christus autem nihil peccavit, nihil ergo hoc ad eum. Sed quare, o beate Paule, dixisti : « Maledictus omnis, qui pendet in ligno (*ibid.*), » et non dixisti maledictus a Deo est omnis, qui pendet in ligno; cur non addidisti a Deo? imo, cur subripuisti, quod in lege sciebas? Ideo utique, quia a maledicto populo maledictus est Christus : a Deo tamen non maledictus, sed super omnia benedictus est. Unde et Psalmista in ejus persona dicit : « Maledicent illi, et tu benedices (*Psal.* CVIII, 18). »

CAPUT XXII.

« Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, et præteribis, sed reduces fratri tuo, etiam « si non est propinquus tuus, nec nosti eum; duces « in domum tuam, et erunt apud te, quandiu quærat « ea frater tuus, et recipiat. Similiter autem de « asino, et de vestimento, et de omni re fratris tui, « quæ perierat, si inveneris ea, non negligas quasi « aliena. » Hoc autem specialiter episcopis et presbyteris dicere videtur; ut non solum ovium suarum, verum etiam et aliorum, si eas errare conspexerint, curam habeant. Sæpe enim videmus sub specie peregrinationis non tantum laicos, sed monachos et presbyteros vagabundos errare, quorum episcopos, alios cognoscimus, et alios ignoramus. Hos autem, si possumus, prædicatione et admonitione ad fratres nostros reducere debemus; aut si non possumus, quandiu apud nos sunt, quasi nostrorum debemus curam agere, ne nostra negligentia pereant.

« Si videris asinum fratris tui, aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum « eo. » Sumus enim in via mandatorum Dei, in qua Psalmista nequaquam fatigatus dicebat : « Viam mandatorum tuorum cucurri (*Psal.* CXVIII, 32). » Frater noster Christus est, qui nos secum dicere præcipit : « Pater noster, qui es in cœlis (*Matth.* VI, 8). » Fratres enim sunt, qui unius patris filii sunt. Hujus asinus est stultus aliquis, piger, luxuriosus; hujus bos est, quicunque in ejus agro laborare consuevit. Tales ergo, si in hac via cecidisse videmus (multis enim modis cadunt peccatores), secundum quod possumus eos sublevare debemus : bonum enim habemus adjutorem qui etiam sine nobis asinum suum et bovem sublevare non est invalidus; adjuvemus ergo, ut nos adjuvemur.

« Non inducetur veste mulier virili, nec vir « utetur veste feminea; abominabilis enim apud « Deum est qui facit hæc. » Non ut hæc littera sonare videtur, vestis mutatio, sed virtutis æmulatio abominabilem facit. Hypocrita enim se fingens, cum sit viribus, et voluptatibus femina, veste induitur virili; **205** similiter autem et vir sanctus, si eam mollitiem, quæ interius non est, exterius ostendit, femineo utitur vestimento. His autem Apostolus consentiens ait : « Providemus bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (*II Cor.* VIII, 31). »

« Si ambulans per viam in arbore, vel in terra « nidum avis inveneris, et matrem pulli vel ovis « desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis « suis, sed abire patieris, captos tenens filios, ut « bene sit tibi, et longo vivas tempore. » Si enim propter hoc bene mihi esse, et longo tempore vivere scirem, nidos avium qualicunque labore per silvas investigarem. Sed errant Judæi, si per misericordiam, quam habent in avibus, sibi bene esse et longo tempore vivere sperant. Sit ergo hæc avis apostolus Paulus. Nam et ipse Dominus, se avem esse significans ad Jerusalem loquitur, dicens : « Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, et noluisti (*Matth.* XXIII, 37). » Hæc autem avis et in arbore, et in terra ædificavit, quia in altis civitatibus, et in locis humilibus populum ad fidem collegit. Hæc et avis, et pullis desuper incubat, charitate, fide et prædicatione baptizatos et non baptizatos fovens et nutriens (adhuc enim quasi ova sunt, qui nondum baptizati sunt). Quicunque ergo per viam ambulans, ad patriam et ad Deum tendis, tene pullos hujus avis, disce ab eis quod ipsi a matre didicerunt. Non teneas ipsam avem, permitte eam volare ut aliis in locis nidificet, et aliis civitatibus prædicet. Hoc enim apostoli faciebant, et in civitatibus, quæ fidem susceperant, episcopis ordinatis, mox ad alias convolabant.

« Cum ædificaveris domum novam, facies murum « tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo « tua, et sis reus, labente aliquo et in præceps « ruente. » Novam enim domum ædificat, qui veterem hominem exuere, novum imitari, et in novitate vitæ ambulare, Ecclesiam sibi commissam admonet et docet. Ille murum per circuitum facit, quando fidem, spem et charitatem, patientiam et humilitatem totis viribus tenere et custodire suadet. Nisi enim hoc fecerit, et hoc in muro fabricando studiosus fuerit, ipse sanguinis effusi reus erit, alio in præceps ruente et Dei Ecclesiam suo sanguine maculante. Hoc est enim, quod per Ezechielem Dominus ait : « Nisi annuntiaveris iniquitatem suam, ipse quidem morietur,

Digitized by Google

sanguinem autem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III, 18). » De tecto quidem cadere, est de fidei sublimitate et animi puritate in criminalia quædam peccata corruere. Semper ergo episcopos verbo Dei insistere et murum sanctæ prædicationis opponere jam cadentibus, et peccato appropinquantibus oportet.

« Ne seres vineam tuam altero semine, ne et « sementis, quam sevisti, et quæ nascuntur ex « vinea, pariter sanctificentur. » — « Vinea enim Dei Sabaoth, ait propheta, domus Israel est (*Isai.* v, 7), » cujus semen est evangelica prædicatio; non ergo seminetur altero semine. Quod enim alterum est, bonum non est. Quomodo ergo simul cum his, quæ ex vinea nascuntur, sanctificari potest? Hæresis enim catholicæ doctrinæ fraudulenter interposita, quomodo pariter sanctificatur, et non sanctificatur : eis enim, qui eam non intelligunt, non sanctificatur; eis vero, qui eam intelligunt, sanctificatur, quoniam quasi sancta ab eis recipitur. Unde valde sanctis prædicatoribus cavendum est, qualiter hæreticorum et philosophorum exempla suis sermonibus interponant.

« Non arabis in bove simul, et asino. » In bove enim simul et in asino arare, est mundum et immundum, sapientem et stultum, justum et peccatorem in prædicatione pares facere, et simul mittere ad evangelizandum : non enim minus destruit alter, quam alter ædificet.

« Non indueris vestimento, quod est lana linoque « contextum est. » Animæ namque vestimentum caro est, quæ si casta fuerit lino texitur, lana vero, si luxuriosa. Linum enim propter candorem et castitatem, lana vero, quia de carne oritur luxuriam significat, quæ de carnis petulantia nascitur. Qui ergo lino vestiri non potest, lana induatur; id est, qui non potest se continere, cui vult, nubat, tantum in Domino (*I Cor.* 7, 9) : hoc enim Apostolus ait. Nemo autem lana simul induatur, et lino, ne vel fornicator castitatem simulet, vel castitatem simulans, fornicetur.

« Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos « pallii tui, quo operieris. » Hoc in libro Numeri exposuimus.

Sequitur autem de viro, qui diffamat uxorem suam. Dicit se non invenisse eam virginem : unde eam dimittere volens, a parentibus puella ducitur ad seniores urbis, et ad portam judicii, ibique eum accusant, quod filiam suam dimittere velit, simulque signa virginitatis illius ostendentes, coram senioribus vestimentum expandunt, quod apprehendentes, verberant eum, insuper et centum siclis argenti eum condemnant, quos ille dat patri puellæ, quia diffamavit virginem Israel, neque eam ulterius dimittere poterit. Quod si verum est, quod ei objecit, ejiciatur puella extra domum, et lapidibus obruatur. Hæc puella religio Christiana mihi esse videtur. Hanc autem uxorem ducit, quicunque casto ei amore conjungitur. Cujus pater episcopus, cujus mater Ecclesia est. Hæc autem jam a pluribus diffamata est, qui primum ejus castitatem cognoscentes, vehementissime eam dilexerunt. Hoc autem fit, quando aliquis in fide dubitans, contra veritatem et religionem, **206** quam susceperat, loquitur. Talis ergo a parentibus puellæ ad seniores urbis et ad concilium universale ducatur, ubi non unus, sed plures seniores et episcopi inveniantur, ibique condemnetur, qui fidem in qua baptizatus est, et quam ab initio suscepit, injuste diffamavit, et dixerit esse violatam. Simulque parentes puellæ, id est illi, qui eam fidem et religionem ipsum docuerant, signa virginitatis et incorruptionis ostendentes, vestimentum expandant, et librum aperiant, in quo manifesta documenta Christianæ fidei continentur. Quæ postquam Ecclesiæ seniores cognoverint, nihilque in puella ejusque parentibus reprehensibile invenerint, verberent illum, diris linguæ verberibus eum redarguentes. Insuper et centum siclis argenti eum condemnent, per quos omnia utriusque Testamenti mandata intelligimus; centenarius autem numerus perfectus est, ideoque omnia significat, quia omnes in se numeros continet. Argentei autem isti sicli dicuntur, propter eloquii puritatem; quos bene patri puellæ homo iste dare præcipitur, quatenus eum, vel juramento, vel quolibet alio modo certissimum faciat, se deinde fideliter tenere et credere quæcunque utriusque Testamenti mandata præcipiunt. Quod postquam fecerit, jam ulterius uxorem suam dimittere non poterit. Quod si verum est, quod ei objecit, ejiciatur puella extra domum patris, et lapidibus obruatur; hoc est autem ac si diceret : Si illa fides, atque religio corrupta et violata inventa fuerit, ejiciatur de pectore episcopi, qui eam genuit et ab omnibus lapidibus obruta excommunicata intereat.

« Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque « morietur, id est adulter, et adultera, et auferes « malum de medio Israel. » Mors autem carnis, animæ mortem significat, quam illi quidem patiuntur, qui tale nefas committunt.

« Si puellam virginem desponsaverit vir, et inve- « nerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum « illa, educentur uterque ad portam civitatis illius, « et lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, « cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem « proximi sui; et auferes malum de medio tui. » Quid enim per puellam virginem, nisi in fide catholica baptizatam? Quid vero per virum, qui eam desponsavit, nisi Christum intelligimus; unde et Apostolus ait : « Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* XI, 2). » Hæc autem puella in civitate corrumpitur, quando ab aliquo in Ecclesia hæretica pravitate seducitur. Uterque ducitur ad portam civitatis, id est ante præsentiam episcoporum, per quos quasi per portam cætera multitudo ingreditur, ibique lapidibus obruuntur, id est damnantur, et excommunicantur. Sæpe enim jam diximus, quid lapides isti significent. Et puella quidem merito excommunicatur, quia cum

Digitized by Google

esset in civitate, clamare debuit, et ea, quæ sibi ab hæretico dicebantur, viris catholicis debuit propalare : hæreticus vero, quia humiliavit et violavit uxorem proximi sui, doctrinam nempe catholicam, quam ipse integram profiteri debuerat, et ipse quidem proximus Christi dicitur, quia et si malus, Ecclesiæ tamen filius est.

« Si autem in agro reperit vir puellam quæ de- « sponsata est, et apprehendens concubuerit cum « illa, ipse morietur solus, puella nihil patietur, « nec est rea mortis; quoniam sicut latro consurgit « contra fratrem suum, et occidit animam ejus, ita « et puella perpessa est; sola erat in agro, clamavit, « et nullus adfuit qui liberaret eam. » Si enim per civitatem Ecclesia intelligitur, quicunque in Ecclesia non est, in agro est. Puella ergo desponsata, et per fidem Deo conjuncta, si forte ignoranter ad hæreticorum turbam venerit, ibique de fide aliquem male disputantem audierit, et id ipsum interrogans, et utrum catholicum et verum sit intelligere volens, cum nemo ibi nisi hæreticus sit, quamvis multum clamet, nullus tamen adest qui ei veritatem respondeat. Hoc igitur cum ad episcoporum judicium venerit, talis anima innocens judicabitur, quæ non sua sponte, sed nescienter, furtim et per latrocinium violata est : hæreticus autem contumax moriatur, id est æterna morte condemnetur.

« Si invenerit vir puellam virginem quæ non « habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum « ea, et res ad judicium venerit, dabit, qui dormivit « cum ea patri puellæ centum siclos argenti, et ha- « bebit eam uxorem; quia humiliavit illam, non « poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. » Videtur enim mihi, quod per hanc puellam, grammatica, dialectica, rhetorica, et cæteræ artes liberales significentur, quæ quidem, quantum ad se, virgines sunt incorruptæ. Dicitur autem hæc puella non habere sponsum, quia quamvis pluribus conjuncta sit, tamen sic uniuscujusque propria fit, ut quæ in uno est, in altero esse non possit. Unde dicitur grammatica Aristarchi, eo quod illius propria fuerit. Sic ergo et tu cum aliquam artem discere incipis, quamvis de altera generetur, eam tamen, quæ animo tuo conjungitur tua est, et alterius non est. Hoc autem facile intelligunt, qui dialecticam sponsam sibi suscipere meruerunt. Hæ enim puellæ Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Cypriano, cæterisque doctoribus conjunctæ multos eis filios, multa scilicet librorum volumina pepererunt. Verumtamen illi, qui eis conjunguntur, patri illarum centum siclos argenti dare jubentur. Quis est enim pater illarum, nisi ille, de quo dicitur : « Omnis sapientia a Domino Deo est, et **207** cum eo fuit semper, et est ante ævum (*Eccl.* I, 1). » Huic autem centum siclos dare, est omnia, quæ in his, et in aliis Scripturis istarum magisterio, compositis continentur, fideliter, et sine errore exponere et intelligere : aliter enim sicli non erunt argentei, nisi ab omni corruptione fuerint alieni. Qualiter autem centum omnia significent, modo superius diximus. Si ergo hæc res ad judicium venerit, hoc est ad episcopos, qui ut sapientes, et bene periti Ecclesiæ filii, semper sapientiæ et lectioni operam dantes, cuncta fideliter intelligant et exponant, tamque nobilium puellarum conjugia non abjiciant.

« Non accipiet homo uxorem patris sui, nec re- « velabit operimentum ejus. » De hoc enim Apostolus Corinthios redarguens, ait : « Auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem patris sui quis habeat (*1 Cor.* v, 1). » Præterea quia unaquæque fidelis anima uxor est Dei, qui omnium pater est, qui aliquam animam in peccatum et errorem inducit patris uxorem corrumpere intelligi potest.

CAPUT XXIII.

« Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis « testiculis, et abscisso veretro Ecclesiam Dei. » Per hoc enim significatur, quod in cœlestem patriam nullus intrabit, qui bonorum operum sterilis, spiritualis generationis et fecunditatis instrumenta non habuit.

« Non ingredietur manser, hoc est de scorto natus « in Ecclesiam Domini, usque in decimam genera- « tionem. » Quid est enim usque ad decimam generationem, nisi ad ultimam generationem? Decima enim generatio ultima est, quia et decimus numerus ultimus est. Qui ergo de scorto, id est de hæreticorum adulterio natus est, nunquam sanctorum Ecclesiæ sociabitur. « Ammonites, et Moabites etiam « post decimam generationem non intrabunt in Ec- « clesiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis « occurrere cum pane, et aqua in via, quando « egressi estis de Ægypto. » Quid per hos intelligere debemus, nisi vitia et malignos spiritus, qui nos fame et siti spiritualis cibi et potus necare cupientes, quibuscunque modis possunt, adversum nos bella concitant, omnique calliditate et fraudulentia nos decipere conantur? Cum his ergo nunquam pacem habeamus, nunquam eis bona quæramus, sed semper eos delere, et a nobis repellere satagamus. « Non abominaberis Idumæum, quia frater est, nec « Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus. Qui « nati fuerint ex ejus tertia generatione intrabunt « in Ecclesiam Domini. » Idumæi de genere Esau sunt, et *terreni* interpretantur. At vero Ægyptii *tenebræ* dicuntur, per quos gentilis populus significatur; primum quidem terrenus et peccator, totusque niger et tenebrosus. Ex his autem, qui tertia et generatione nascuntur, id est tertia mersione in baptismo regenerati intrant in Ecclesiam Dei. Potest autem per tertiam generationem hoc ultimum tempus intelligi; siquidem in tria tempora hæc sæcula dividuntur; id est ante legem sub lege, et sub gratia. Hac igitur ultima ætate, quæ tertia est, nulli Ecclesia clauditur; Idumæis et Ægyptiis, terrenis et peccatoribus, cunctisque gentibus aperitur. « Quando « egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, « custodies te ab omni re mala. » Hostes nostri

Digitized by Google

maligni spiritus sunt, a quibus facile superamur, nisi nos a vitiis custodiamur.

« Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus « sit somnio, egredietur extra castra, et non rever- « tetur, priusquam ad vesperam lavetur aqua; et « post solis occasum regredietur in castra. » Judæi nocturno somnio polluuntur, quia in tenebris legis præcepta somniantes, et quasi per somnium exponentes, semper sordidiores fiunt, ideoque extra castra egressi et a Deo separati, non prius ad Ecclesiæ castra revertentur, quam ad vesperam et solis occasum, id est ad sæculi consummationem venientes aqua baptismatis lavantur et mundentur. « Convertentur ad vesperam (*Psal.* LVIII, 15), » ut ait Psalmista.

« Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris « ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo. « Cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta « humo operies, quo relevatus es (Dominus enim Deus « tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et « tradat tibi inimicos tuos); et sint castra tua san- « cta. » Stercora et egestiones vitia sunt, et peccata. Hæc autem in castris fidelium fieri non licet. Quidquid igitur sordidum, quidquid fetidum, quidquid nefarium et vitiosum est a fidelium domibus et a sanctorum castris procul pellatur. Dominus enim ambulans, et habitans talium fetorem abhorrens commorari illic dedignabitur. Cætera vero, quæ hic dicuntur, magis ad narrationem, quam ad significationem pertinere videntur.

« Non trades servum domino suo, qui ad te con- « fugerit, habitabitque tecum in loco, qui ei placue- « rit, et in una urbium tuarum requiescet, ne con- « tristes eum. » — « Omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). » Hujus autem Dominus diabolus est. Si igitur talis servus pœnitentia ductus ad nos confugerit, non abjiciamus eum, neque a nostra communione repellamus; sed habitet nobiscum, et in sanctorum cœtu conversetur; nemo eum contristet, nemo eum de peccatis turpiter deprehendat. Hoc enim agere quid aliud est, nisi eum iterum diabolo tradere, et in desperationem adducere?

« Non erit meretrix de filiabus Israel, neque « scortator de filiis Israel. » Hoc juxta **208** litteram in corpore, et secundum spiritualem intelligentiam in anima, omnes Christiani diligentissime observare debent. De animæ namque fornicatione adversum Israel dicitur: fornicatus est Israel per deos gentium. « Non offeres mercedem postribuli, « nec pretium canis in domum Domini Dei tui; « quidquid illud est, quod voverint, quia abomina- « tio est utrumque apud Dominum Deum tuum. » His verbis sacerdotes Dei ea munera suscipere interdicuntur, quæ injuste, et cum peccato acquiruntur; unde scriptum est: « Victimæ impiorum abominabiles Deo (*Prov.* XXI, 27); » itemque: « Qui offert sacrificium de rapina, quasi qui immolat filium in conspectu patris (*Eccli.* XXXIV, 24). »

« Non feneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, « nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. « Fratri autem tuo absque usura id, quod indiget, « commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus « tuus. » Hæc verba pietate et dilectione plena sunt, quibus admonemur, ut sine usura iis subveniamus, quos ut idem genus nostrum, et ejusdem religionis diligere debemus. Unde non minus in Novo, quam in Veteri Testamento feneratores damnantur. Non vacat tamen a mysterio, quod alieno populo, Judæis fenerare ad usuram licet. Nos enim ad usuram et legem, et prophetas ab eis accepimus: in usura enim non solum id quod datur, sed etiam id quod non datum est, per se petitur (300). Unde manifestum est, nos ad usuram legem et prophetas suscepisse, qui in eorum solutione præter litteram, spiritualem quoque intelligentiam solvimus. Sacra enim Scriptura et pecunia nobis est, et aurum, et argentum, et cibus, et potus, et frumentum, et vinum, et oleum, et similia.

« Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, « quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas « tecum. » Mirum, nisi per hoc intelligere volueris, quod in Evangelio Dominus ait: « Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos (*Matth.* VII, 6); » ut quæ hic dicuntur uvæ, ibi vocentur margaritæ. Vinea igitur proximi nostri, vinea Christi Domini nostri, hæc est quam modo vindemiamus, cujusque uvas exponendo comedimus. Manifestum ergo est, majora sacramenta foras offerenda, et omnibus exponenda non esse. « Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, « et manu tua conteres, falce autem non metes id- « ipsum. » Per segetem, et per vineam sacra Scriptura significatur. Ingressus igitur in hanc segetem amici mei, ingressus in hunc librum Domini mei, spicas frango, et cum labore sententias evello, quas manu animæ, hoc est intelligentia conterens, granum ab aristis, et spiritum a littera secerno; falce autem non meto, quia nec facile, nec cito multa exponendo transcurro. Judæi enim falce metunt, qui totum subito librum legentem, et colligentes, nihil intelligunt. Utinam et ipsi pauca legentes intelligere curarent

CAPUT XXIV.

« Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et « non invenerit gratiam ante oculos ejus propter « aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et « dabit in manu illius, et dimittet eam de domo « sua (301). Cumque egressa alterum maritum « duxerit, et ille quoque oderit, et dederit libellum

(300) Quidquid supra solutam auri quantitatem exigitur, nec ex soluto debitum exstinguitur, usura est. Idem habet S. Max. hom. 105, p. 349.

(301) Non enim ad dimissionem (quæ tolerabatur, et non præcipiebatur) sed ad libellum vis legis ferebatur. Id Pharisæi non animadvertentes mandata sibi repudia somniarunt. Vid. Matth., c. XIX, et Mazoc. Spicil. in Deuter. cap. XXIV.

Digitized by Google

« repudii, et dimiserit eam de domo sua, vel certe « mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere « eam, quia polluta est, et abominabilis facta est, « coram Domino. » Quid per hanc mulierem, quæ propter suam fœditatem a viro suo dimittitur, nisi aliquam hæreticorum sectam intelligamus? Cui si aliquis homo male conjunctus ejus fœditatem et errorem divina inspiratione intellexerit, dimittet eam de domo sua, id est de secreto pectoris sui, et scribet libellum repudii, et dabit in manu ejus, quia non sufficit solis et simplicibus verbis, verum etiam scripto et juramento, tam nefando conjugio separari. Hoc enim ordine tale divortium in Ecclesia fieri videmus. Hæc autem si alterum maritum duxerit (multos enim maritos habet unaquæque hæresis), et ille similiter propter eamdem rem oderit, et dimiserit eam, vel certe mortuus fuerit, prior maritus eam recipere non poterit, tum quia polluta est, et abominabilis est, tum quia firmissima libelli separatione ab ea divisus est. Hæc nobis ad significationem, Judæis vero ad cordis duritiam dicta sunt: sic enim in Evangelio Dominus ait: « Propter duritiam cordis illorum permisit eis dare libellum repudii, et dimittere uxores suas; ab initio non fuit sic (*Matth.* XIX, 8). » Non quod bonum, quantum ad litteram hoc esset, sed quia dura corda aliter molliri non poterant. Unde et alibi dicitur: « Quia dedit illis præcepta non bona (*Ezech.* XX, 25). »

« Cum acceperit homo nuper uxorem, non « procedet ad bellum, nec ei quidquam necessitatis « injungetur publicæ. » Hoc de illis intelligimus, qui noviter ad fidem venientes, Christianæ religioni junguntur, ut bonorum operum filios ex ea, et cum ea generent, et ipsi quidem tandiu vacare, et ab ecclesiasticis dispositionibus alieni esse debent, donec in hac religione perfecti, **209** et domum suam bene disposuisse inveniantur; postea vero ad bellum procedere et contra hæreticos, et tyrannos poterunt. « Non accipies loco « pignoris inferiorem, et superiorem molam, quia « animam suam apposuit tibi. » Has duas molas, Novum et Vetus Testamentum significare puto, et inferior quidem Vetus, superior vero Novum designat (302). Ipsa enim Scriptura volvitur; ipsa exponitur, ipsa in farinam cuncta convertit, ipsa nos pascit, ipsa nobis præparat unde vivamus. Nos igitur loco pignoris hanc, vel illam ab Ecclesia non suscipiamus. Fidem dedimus, nihil cariushabuimus; non itaque pignus, sed proprium sit, quidquid ab ea acceperimus. Quod enim pro pignore datur, hoc nequit semper haberi neque, ut volumus, uti possumus. Non ergo loco pignoris, sed quasi proprias has molas suscipiamus. Neque enim sine eis vivere valemus. Quid enim nobis proprium erit, si vita ipsa pignus fuerit? Unde et merito hic dicitur: « Quia « animam suam apposuit tibi; » quod tale est ac si diceret: Nihil tibi melius, nihil pretiosius dare potuit; in his ejus vita, ejus doctrina, ejus fides, ejus- A que anima consistit. Tene ergo quod habes, proprium tibi sit quod accepisti, quia nihil tibi melius in hac vita dari potuit. « Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel,' et « vendito eo, accipiet pretium, interficietur, et au- « feres malum de medio tui. » Hoc et si ad litteram de plagiariis intelligatur, de malis etiam judicibus intelligi potest, qui avaritia obcæcati, pretio justitiam pervertunt, et innocentes homines damnant, et vendunt. In morte vero corporis pœna animæ significatur.

« Observa diligenter, ne incurras in plagam le- « præ; sed facies quæcunque docuerint te sacer- « dotes Levitici generis juxta id quod præcepi eis, « et imple sollicite. Memento, quæso, quæ fecerit B « Dominus Deus vester Mariæ in via, cum egrede- « remini de Ægypto. » Non de corporis, sed animæ lepra ista dicuntur. Animæ namque lepra peccatum est; illa anima leprosa, quæ peccati maculis est vulnerata. Hanc lepram incurrunt, qui Dei sacerdotibus credere nolunt. Hac et Maria percussa est, quia contra Moysem locuta est. Hac et Judæi percutiuntur, quoniam de Christo male loquuntur.

Cætera vero, quæ hic sequuntur, quoniam honestate, misericordia et pietate plena sunt, ad litteram sufficit intelligere, neque aliam significationem videntur exquirere. « Memento quod et tu servieris « in Ægypto, et eruerit te Dominus Deus tuus. Il- « circo præcipio tibi, ut facias hanc rem. Quando « messueris segetem in agro tuo, et oblitus mani- « pulum reliqueris, ne revertaris, ut tollas eum; sed C « advenam, et pupillum, et viduam auferre patieris, « ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere « manuum tuarum. » Ac si dicat: Ne despicias advenas et peregrinos, quia et tu advena fuisti in terra Ægypti. Sufficiebat autem Judæis omnia hæc ad litteram observasse, quamvis essent alterius rei significativa. Hæc enim quoniam hic narrantur, quamvis tunc temporis eis ad justitiam contingebant, modo tamen eis mortem ministrant. Unde Apostolus ait: « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6). » Quid enim per hunc agrum, quem Judæi metunt, in quo et obliviosi manipulos relinquunt, nisi hunc librum legis intelligimus? Hunc quotidie metunt, et colligunt, multoque plura post se D per oblivionem relinquunt, quam apertis oculis ante se congregant, atque intelligentiam spiritualem advenis, pupillis et viduis relinquunt. Si enim consideremus quanta in paucis verbis sint sacramenta, valde obliviosos, stultos et metendi nescios hos messores invenerimus, qui quæque meliora relinquentes, paleis se onerant, et vacuis aristis. Quantum autem ad spiritualem intelligentiam, non præcipiendo eis dicitur ad tollendos manipulos non revertantur, sed prophetizando, quia sic futurum esse sciebat. Sic enim dicitur: « Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava (*Isa.* VI, 10). » Illi enim ad tollendos manipulos revertuntur, qui sacras Scri

(302) Ita etiam S. Maximus hom. 1 de Adventu Domini.

Digitized by Google

pturas legentes, iterum, atque iterum eadem repetunt, quia, ut quidam ait : Verba decies repetita placebunt. Unde etiam animalia, quæ non ruminant, immunda esse dicuntur. Quid est enim ruminare, nisi eumdem cibum sæpius volvere? Advena autem, pupillus, et vidua Ecclesia gentium est, quæ de longe et ex omnibus mundi partibus ad Christum et ad fidem venit. Hæc est enim regina Austri, « quæ venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis (*Luc.* xi, 31). » De qua vidua et Psalmista loquitur : « Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus (*Psal.* cxxxi, 15). »

« Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas : sed « relinques advenæ, pupillo ac viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ pupilli et viduæ. » Idipsum per olivam, et vineam intelligitur, quod modo per agrum significari diximus. Divina enim Scriptura et frumentum nobis, et oleum ministrat et vinum. In quibusdam enim locis quasi panis difficile editur : in quibusdam, ut vinum facile sorbetur; ubique autem quasi medicamentum et oleum animæ medetur.

210 CAPUT XXV.

« Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices, quem justum esse perspexerint, illi « justitiæ palmam dabunt : quem impium, condemnabunt impietatis. Si autem eum, qui peccaverit, « dignum viderint plagis, prosternent, et coram se « facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus (303). » In hoc judicio justitia comprobatur, si illis, qui justitiam habent, justitiæ palmam tribuant, injustos autem dissimili retributione afficiant. Merito autem in quadragenario plagarum numero correctionis modus constituitur, quoniam illa disciplina perfecta et integra est, quæ utriusque Testamenti auctoritate munitur. Quia enim quadragenarius numerus ex quater decies constat, utrumque significat Testamentum : quatuor enim decem, vel decies quatuor, quadraginta fiunt. Cur autem in decem Vetus, et in quatuor Novum Testamentum significetur, manifestum est. Hanc autem disciplinam se Apostolus sustinuisse significat, dicens : « A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi (*II Cor.* xi, 24). » Una ei adimebatur, ne fede laceratus abiret. Et rectius eis videbatur, ut unam subtraherent, ne numerum a lege constitutum excederent. « Non ligabis os bovi trituranti in area fruges tuas (304). » De hoc Apostolus dicit : « Nunquid de bobus cura est Deo? (*I Cor.* ix, 9.) » Significans hoc ad litteram non debere intelligi. Isti enim boves apostoli sunt, et doctores, qui in area Ecclesiæ sanctarum Scripturarum frumenta terentes, triticum a paleis, et spiritualem intelligentiam A separant a litteris. His autem os ligari non debet, quia dignus est operarius mercede sua. Unde idem Apostolus ait : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, non magnum est, si carnalia vestra metamus (*II Cor.* ix, 11). » Decet enim ut carnali cibo eum reficias, qui te spiritualibus deliciis pavit.

« Quando habitaverint fratres simul, et unus ex « eis mortuus fuerit absque liberis, uxor defuncti « non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, « et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum « ex ea filium nomine illius appellabit, ut non de- « leatur nomen ejus ex Israel. » Isti sunt illi fratres, de quibus dicitur : « Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* cxxxii, 1). » Isti enim, et si non corpore, mente tamen et spiritu, B omnes simul habitant. Ex his autem unusquilibet absque liberis moritur, quando aliquis episcopus ex hac vita transiens, nullum ex suis subjectis in Ecclesia sua talem relinquit, qui ejus cathedra dignus habeatur. Quæritur ergo ex alla ecclesia, cui uxor defuncti conjungatur. Et ipse quidem defuncti frater erit, non natura, sed officio. Et ut ejusdem bonitatis sit, et humanitatis, ejusdem fidei, et charitatis, et quasi frater fratri consimilis. Iste autem suscitabit semen fratris sui, ut quos in peccatis mortuos, vel malo somno gravatos invenerit, ad bonum opus evigilare faciat; et primogenitum nomine illius appellabit. Primogenitum quidem, non quod primus genitus sit, sed qui merito sanctitatis inter omnes ejus C genitos primus, et maximus habeatur. Et iste quidem vocabitur episcopus; hoc est enim nomen defuncti, ut non deleatur nomen ejus ex Israel, ut nunquam Ecclesia episcopo careat, et nunquam hoc nomen in ea deficiat. Si autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, et interpellabit majores natu, dicetque : « Non vult frater viri mei suscitare « semen fratris sui in Israel, nec me in conjugem « accipere, statimque accersiri eum facient, et in- « terrogabunt. Si responderit : Nolo eam uxorem « accipere, accedet ad eum coram senioribus, et « tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in « faciem illius, et dicet : Sic fiet homini, qui non « ædificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen D « illius in Israel domus discalceati. » Quare ante portam civitatis judicium quæritur, nisi quia ibi judices sedent? Dominus de se ipso loquitur, dicens : « Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* x, 9). » Et ante hanc portam sedent episcopi, ut ejus lumine illustrati, nusquam devient a veritate recedentes. Ad hos omnes causas deferri, eorumque judicio definiri opus est. His ergo præsentibus accedit ad fratrem viri sui, et quia eam in conjugium accipere noluit, tollet calceamentum de pede ejus. Quid est calceamentum de pede tollere,

(303) Cod. S. Crucis Minor. in Laurent. addit : *Ita tamen ut quadragenarium numerum non excedat, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

(304) Mazochius ex Æliano lib. xiv var. Hist. refert antiquos consuevisse bovino stercore bobus ora inungere, ne quid ex frugibus delibarent. Spicil. ad cap. xxv Deuter.

Digitized by Google

nisi evangelizandi licentiam auferre? Unde ait Apostolus : « Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis (*Ephes.* VI, 18). » Spuit insuper in faciem ejus, quia palam et manifeste eum contemptibilem, et tanti honoris indignum esse ostendit. Hoc autem de illis rectissime intelligi potest, qui majores ambientes, minoribus Ecclesiis præfici contemnunt ; quos non animarum salutem, sed honoris gloriam quærere non est dubium. Justum autem esset, ut semper excalceati, et exputionum potius, quam talis conjugii digni judicarentur. Hoc est enim, quod ait : « Et vocabitur nomen ejus in Israel domus discalceati. » Quis enim calceare cum audeat, quis calceati officium illi tribuat, qui ipsa nominis appellatione se excalceatum esse demonstrat?

A

« Si habuerint inter se jurgium duo viri, et unus B « contra alterum rixari cœperit, volensque **211** « uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, et apprehenderit verenda ejus, abscindes manum illius, nec flecteris « super eam ulla misericordia. » Viri isti, qui inter se rixantur, episcopi sunt, qui pro rebus ecclesiasticis sæpissime inter se contendunt. Horum autem ille fortior est, cujus causa pro sua justitia majores vires habere videtur. Uxor vero alterius non solum tota ejus Ecclesia, verum etiam aliquis de plebe illius intelligi potest. Hic autem volens eruere episcopum suum de manu fortioris, mittit manum, et apprehendit verenda ejus, si illum, cui rationibus resistere non valet, conviciis lacessit, et aliquid ei, unde erubescere debeat, in faciem apponit. Super C hoc autem nulla misericordia habenda est, sed manus illa procacissima statim est abscindenda, et lingua illa in frenis fortiter cohibenda. Quod autem et lingua manum habeat, Scriptura testatur : « Mors, et vita in manu linguæ (*Prov.* XIX, 21). » (305) Hæc autem mihi nuper accidisse memini; qui dum pro Ecclesia Sipontina cum Beneventano episcopo litigarem, mox archidiaconus ejus per verenda me arripere conatus, injuste me diffamare cœpit; sed ejus linguæ superba manus confestim abscissa est; et concilio reprehensus veniam satisfaciens petiit, et impetravit.

« Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, « et minus, nec erit in domo tua modius major, et D « minor. Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis, et verus erit tibi, ut multo tempore « vivas super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominabitur enim Dominus eum, qui « facit hæc, et adversatur omnem injustitiam. » Si hujus sæculi negotiatores hæc secundum litteram intelligerent et custodirent, non tantum lucrarentur in eis decipiendo, quantum lucrarentur custodiendo. Nos autem non habeamus diversa pondera in sacculo pectoris nostri, sed sint æqua omnia et justa. Nihil sine ordine, nihil sine libra et vera mensura faciamus. Et quia : « Non est personarum acceptio apud Deum (*Rom.* II, 11), » nos quoque in judicio personam non accipiamus.

Sequitur autem de eo quod Moyses præcepit filiis Israel, ut postquam in terra promissionis quiete habitarent, delerent totum Amalec de sub cœlo ; quoniam occurrit eis in via, et extremos agminis ejus interfecit, quando exercitus erat fame et labore confectus. Quid enim per Amalec, qui *populus brutus*, sive *populus lingens* interpretatur, nisi hæreticos intelligimus? Qui et quasi bruta animalia Deum non timent et eos, quos possunt, lingendo et adulando decipiunt. Et isti quidem populo Dei ad supernam patriam festinanti in via occurrunt : isti ejus iter impedire nituntur : isti, quia primos et fortiores non valent, extremos quosque et imperfectiores decipiunt et occidunt. Sed notandum nobis est quod tunc maxime hæreticorum persuasio vires habet, quando populus fame et labore consumitur. Fame utique audiendi verbi Dei : qui enim hoc cibo sunt refecti, hæreticorum non timent insidias. Illi quoque facile ab eis vincuntur, quos in via mandatorum Dei jam labore fatigatos currere tædet. Hunc ergo populum delevit Ecclesia, et post tyrannorum bella, cum jam videretur esse quieta, superavit.

CAPUT XXVII.

Præcepit autem Moyses, ut postquam populus transierit Jordanem, erigat ingentes lapides, quos postquam calce levigaverint, scribant in eis lucide et aperte omnia verba legis hujus, ut possit intrare terram lacte et melle manantem. Faciat quoque altare super montem Nabal de lapidibus, quos ferrum non tetigit, et de saxis informibus et impolitis, et offerat super eo holocaustum Domino Deo suo. De his lapidibus scriptum est : « Lapides sancti elevabuntur super terram (*Zach.* IX, 16). » Hos ergo lapides illi erigunt, qui jam per Jordanem transierunt. Jordanem enim Josue, Jordanem aperuit Jesus. Ipse nos docuit, quid Jordanis aqua significet, quoniam ibi baptizatus discipulis suis præcepit, dicens : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 9). » Illi ergo sunt, qui erigunt ingentes lapides : isti sunt, qui ubique terrarum ædificant Ecclesias : isti totius mundi reges, et principes ad fidem convertunt. Isti quidem hos lapides levigantes ; isti eos et charitatis glutino solidantes, scribunt in eis dilucide et aperte, non autem in nube et caligine, omnia verba quæ in hoc libro novæ legis continentur. Hæc enim, ut Apostolus ait, « Non atramento, sed spiritu Dei in cordibus nostris scripta sunt (*II Cor.* III, 3). » Scripta sunt quoque verba in corde Judæorum, sed neque lucide, neque aperte, ideoque de eis dicitur : « Cæcitas ex parte contigit in Israel (*Rom.* XI, 15). » Quod autem ait, « ut possit intrare in terram lacte « et melle manantem, » ex hoc significare videtur, quod nemo terram viventium intrabit, qui prius per baptismum non transierit, et novæ legis fidem

(305) Memorat S. Bruno litem quam pro tuenda Sipontina Ecclesia movit contra episcopum Beneventanum, ut dictum est in ejus Vita.

Digitized by Google

atque doctrinam non susceperit. Sed quid per altare significatur, quod de lapidibus impolitis et saxis informibus supra montem Nabal construitur? Ecclesia utique, in qua omnia sacrificia Christianæ religionis quotidie fiunt. **212** Fit autem hoc altare super montem Nabal, quoniam sancta Ecclesia in gentili populo maxima ex parte constituta est. Nabal enim *vetus vorago* interpretatur. Vetus autem vorago in hoc populo erat, quoniam ibi, ab antiquis temporibus, major inferni perditionisque porta patebat. Constituitur autem hoc altare ex lapidibus et saxis informibus, quæ ferrum non tetigit, quoniam et sancta Ecclesia præter justos ex impiis etiam, et peccatoribus, et insensatis, constituta est. Qui autem lapides colebant, et duri, increduli, infructuosique Dei formam, et pulchritudinem, ad cujus imaginem facti fuerant, non habebant, non immerito ideo lapides vocantur. Hos autem ferrum non tetigit, quoniam nondum sanctæ prædicationis ferramentis dolati, et formati erant. Nondum enim ad eos dolandos venerat ille, qui ait : « Ut sapiens architectus fundamentum posui (*1 Cor.* III, 10). » Super hoc autem altare holocaustum Domino offertur, et victima pacifica immolatur, quia multis modis ei in sancta Ecclesia sacrificatur. Non est autem necessarium nos hic aliud de sacrificiis dicere, de quibus in superioribus libris multa locuti sumus. Quod autem ait : « Comedesque ibi, et epulaberis coram Domino Deo tuo, » non de carnali, sed de spirituali cibo intelligi debet. Hic enim cibus in Ecclesia sumitur, hic cibus coram Deo comeditur : « Non enim in solo pane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei (*Matth.* IV, 4). » Verbum ergo Dei cibus, hoc autem cibo nutritur, et pinguescit anima. Quæ vero sequuntur, ideo non exponimus, quia facilia sunt, et maxima ex parte secundum litteram intelliguntur. His igitur prætermissis ad canticum accedamus.

CAPUT XXXII.

« Audite, cœli, quæ loquor, audiat terra verba « oris mei. » Quantum ad litteram, cœli et terra audire non possunt, quia insensibiles sunt, et aures, quæ audiant, non habent. Allegorice autem per cœlos justi, per terram peccatores designantur. Magna ergo dicturus est, qui bonos et malos, et angelos atque homines, justos et peccatores ad audiendum invitat. Et merito quidem cœli dicuntur, quorum conversatio in cœlis est (*Philipp.* III, 20). Merito etiam terra vocantur, quia de terra facti, sola terrena et transitoria diligunt. (306) « Concrescat pluviæ instar « doctrina mea : fluat ut ros eloquium meum. » Pluvia enim et rore fecundatur terra, quibus parturiens germinat, et germinans conservatur. Talem igitur doctrinam suam fieri optat, qua campus animæ madefactus in bonorum operum fructus prorumpat. « Quasi imber super terram, et quasi stillæ super « gramina, quia nomen Domini invocabo. » Talis, inquit, sit doctrina mea, et sic mentes, quas irrigat, vivificet, nutriat et fecundet, sicut imber, et pluviarum stillæ super herbam, et gramina, crescere ea faciat. Hoc autem ideo, « quia nomen Domini invo« cabo; » cujus invocatione sanctificantur et gubernantur omnia. « Date magnificentiam Deo nostro, « Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judi« cia. » Date, inquit, o cœli et terra, magnificentiam Deo nostro, id est, magnificate. Dominum enim magnificare, est Dei magnificentiam prædicare. Neque aliter magnificatur, qui neque crescere, neque minui potest. « Dei perfecta sunt opera. » Nihil imperfectum fecit Deus; multa tamen imperfecta videmus, quæ Dei opera esse non dubitamus. De prima igitur creatione hoc intelligatur, in qua nihil fuit diminutum : nihil aliqua parte vitiatum. Magnificemus ergo illum, qui omnium primordia perfecta creavit. « Et omnes viæ ejus judicia. » Via ejus est fides. Hæc enim venitur ad eum, sed hac judicat infidelem. Hæc ergo judicium est. Similiter autem et patientia judicantur impatientes, justitia injusti, et impietate impii, sic et in aliis. Omnes ergo viæ ejus judicia. « Deus « fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus. » Unde manifestum est, quia viæ ejus non solum judicia sunt, verum etiam justa judicia. Lætentur ergo boni, timeant et mali. Sed quæ timeant? Quia « pec« caverunt ei. » Boni vero lætentur, quia « filii ejus » sunt, « et in sordibus non » sunt. Si enim adhuc in sordibus essent, ejus filii non essent. Nunc autem ad posteriora mentem dirigens, et Judæos idola colentes, et contra Christum insurgentes, in spiritu contemplatus, exclamat, dicens : « Generatio prava, « atque perversa, hæccine reddis Domino, populo « stulte, et insipiens? » Hoc, inquit, de te ipso promeruit, quia hæc tanta bona, quæ in sequentibus enumerantur, tibi largitus est? « Nunquid non ipse, « est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit « te? » Ipse, inquit, quem tu derelinquis, quem in diis alienis provocas, et ad iracundiam concitas, ipse, non alius, est pater tuus, qui te ab initio possedit, et fecit, et creavit. Hoc autem nescis, fac quod sequitur, et verum hoc esse probabis. « Memento dierum « antiquorum, cogita generationes singulas : inter« roga patrem tuum, et annuntiabit tibi majores « tuos, et dicent tibi. » Quid dicent tibi? Hoc videlicet : Iste, quem tu insipiens relinquis et despicis, pater tuus est, et possessor, et creator. Hoc enim majores tui testantur. Hoc Isaias, Jeremias, et cæteri prophetæ confitentur. Et ipse quidem, cum omnium Dominus esset, cum omnes gentes in potestate habuisset, te solum tamen in partem elegit; **213** te solum suæ hæreditatis funiculum esse voluit. Hoc est enim quod dicit : « Quando dividebat Altissimus « gentes, quando separabat filios Adam, constituit « numerum populorum juxta numerum filiorum « Israel. Pars autem Domini populus ejus; Jacob « funiculus hæreditatis ejus. » Vide igitur, quantum eum diligere, et quam fidelis esse debeas, qui ex omnibus mundi nationibus te solum in hæreditatem suscepit. Hæc autem divisio gentium, et hæc sepa-

(306) Cod. S. Cruc. in Laurent. *Concrescat ut pluvia doctrina mea*, etc.

Digitized by Google

ratio filiorum Adam, illa esse videtur, quæ in turris ædificatione facta est, sive potius, quæ in ejus dispositione erat ante sæcula. Tunc enim constituit Dominus terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel. Quoniam tot mundi partes fore constituit, quot et filios Israel præscivit. Duodecim enim sunt mundi partes, totidem venti inde spirantes. Cum enim quatuor sint venti principales, unusquisque autem duos collimitaneos habeat, unum videlicet a dextris, et alterum a sinistris, duodecim esse non dubium est. Si autem per filios Israel apostolos significemus, hoc sic erit intelligendum, quia quod ipsi in prædicatione mundum in duodecim partes diviserunt, sic esse futurum prius a Domino constitutum fuerat. Alia vero translatio sic habet: « Constituit terminos gentium, secundum numerum angelorum Dei; » ut tot ex electis cœlos ascendere intelligamus, quot malis in ruentibus ibi remanserunt. « Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis. » Quid est enim « invenit eum, » nisi cognovit, atque probavit? Tunc aliquem ex toto invenimus, quando eum, qualis sit, manifeste cognoscimus. Et quia in adversis homo cognoscitur, merito cum in deserto invenisse Dominus dicitur. Quamvis enim Dominus huic populo plurima bona præstiterit, multoties tamen, sicut superius legitur, eum tentavit, et ad iracundiam provocavit. Ipse autem econtra semper ei miserebitur. Unde subditur: « Circumduxit eum, et docuit, et « custodivit quasi pupillam oculi sui. » Hoc est, quod superius dicitur. Sufficit vobis circuire montem istum. « Et circuimus, » inquit Moyses, « montem Seir longo tempore. » Per quadraginta namque annos circumduxit eos Dominus per desertum, donec illi omnes introirent, qui prius a viginti annis, et supra numerati fuerunt. Semper autem docuit, qualiter se habere debuissent, et quasi pupillam oculi eos custodivit. Qua in re, maxima perfectaque custodia significatur. Usitata namque locutio est, ut eos, quos multum diligimus, quasi oculos nostros diligere dicamus. « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit « alas suas, et assumpsit eum, et portavit in humeris suis. » Sic, inquit, Dominus semper filios Israel custodivit, et docuit ad justitiam, et ad bonum opus provocavit, ac super eos in columna nubis et ignis volitavit, sicut aquila super pullos suos facere consuevit. Metaphorice loquitur, ut per hoc ei attentissima cura in illum populum fuisse demonstretur. « Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo « deus alienus. » Stulte igitur loquebantur filii Israel, quando vitulum aureum adorantes dicebant: Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. « Constituit eum super excelsam terram, ut « comederet fructus agrorum. » Jam nunc de futuris, quasi de præteritis loquitur. Vocat autem terram promissionis terram excelsam, sive quia montuosa est: sive quia aliis terris fecunditate excellentior et nobilior est; sive etiam quia terram viventium significat. Ibi autem potius comedebat fructus agrorum; quibus fructibus et corpus et anima replebatur. Agri enim sunt isti libri, quorum fructum nunc exponendo comedimus. Hunc autem qui bene comedit super excelsam terram constitutus est. « Ut sugeret « mel de petra, oleumque de saxo durissimo. » Hoc videtur exponere Psalmista, ubi ait: « Dedit eis regiones gentium, et labores populorum possederunt. Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus exquirant (*Psal.* cv, 44, 45). » Hoc est enim: « Constituit eum super excelsam terram; » quod est, « dedit eis regiones gentium. » Et hoc est: « comedere fructus agrorum, » et « sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, » quod est, « custodire justificationes ejus, et legem ejus exquirere. » Qui enim sacras Scripturas bene vult meditari, ab omni perturbatione oportet eum esse quietum. Ideoque filii Israel super excelsam terram constituti, ut, neminem timentes, quiete viverent et populorum labores possiderent, quatenus, omni cura semota, Dei justificationes et legem ejus exquirant. Quid enim aliud per petram, et saxum durissimum, nisi hanc legem intelligamus, quæ in tabulis lapideis scripta fuerit? De hac tamen petra, et de hoc saxo durissimo exsugimus, cujus dulcedine anima satiatur. Divina namque Scriptura et cibus nobis est, et medicamentum. « Butyrum de armento, et « lac de ovibus, cum adipe agrorum, et arietum « filiorum Basan. Et hircos cum medulla tritici, et « sanguinem uvæ biberent meracissimum. » Hæc secundum litteram vera sunt. Percusserunt filii Israel Og regem Basan, et non solum armenta ejus, oves, et agnos, et arietes, verum etiam omnem terram ejus possederunt. Possemus autem spiritualiter per armenta, et oves, et agnos, et arietes omnem patriarcharum et prophetarum multitudinem intelligere; qui, quoniam de spiritualibus parentibus nati sunt, non immerito filii Basan dicuntur. Basan enim *pinguedo* interpretatur. Dicuntur autem armenta propter 214 multitudinem, oves propter simplicitatem, propter innocentiam agni et propter ducatum arietes. De his autem et butyrum, et lac, et adipem sumimus, quoniam eorum verbis et exemplis reficimur. Talis enim cibus dulcis est, et suavis. Sed quid per hircos, qui in omni sacrificio pro peccatis immolantur, nisi Christus intelligitur, pro peccatis nostris immolatus, sicut Apostolus ait: « De peccato damnavit peccatum in carne (*Rom.* VIII, 3). » Judæi ergo immolando, quodammodo Christum manducabant in hircis, quem nos modo comedimus in medulla tritici. Bene igitur utrumque posuit, ut et nostrum, et illorum sacrificium demonstraret. Quod vero per sanguinem uvæ meracissimum, Christi sanguis significetur, ex eo maxime intelligi potest, quod eum non vinum, sed sanguinem vocat. Jam tunc ergo ille populus Christi carnem, et sanguinem in figura comedebant; quem nos modo in veritate comedimus. Ita unde ille populus circa se tantam Dei largitatem, et benignitatem sentiens, melior, et

Digitized by Google

Deo fidelior suo esse debuerat, inde in superbiam elatus, iniquior factus est; unde et subditur. « Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. » O mala pinguedo, quæ contra Deum recalcitare facit. « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum (*Psal.* LXXI, 7). » Ipsa enim verborum inculcatio nimiam illorum, et superabundantem iniquitatem ostendit. « Dereliquit Deum « factorem suum, et recessit a Deo salutari suo. « Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. » Hoc autem exponit. « Immolaverunt dæmoniis, et non Deo; diis « quos ignorabant. Novi recentesque venerunt, quos « non coluerunt patres eorum. » Plana sunt hæc, quæ quidem illum populum idololatriæ deditum fuisse significant, qui et unum Deum factorem suum dereliquit, et novos deos coluit, quos ejus parentes non coluerunt. « Deum, qui te genuit, dereliquisti, « et oblitus es Domini creatoris tui (*Isa.* LI, 13. » Hoc vidit Dominus, et ad iracundiam provocatus, concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui et filiæ. Huic autem simile in psalmis dicitur : « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique (*Psal.* XIV, 13). » Quanto enim nobis aliquis familiarior est, tanto magis si in aliquo offendat, dolemus. Et ait : « Abscondam faciem meam ab eis, et « considerabo novissima eorum. » Quod servis suis Dominus faciem suam abscondit atque ab eis videri non patitur, iræ et indignationis indicium est. Ideoque David Dominum rogat, dicens : « Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus (*Psal.* LXXIX, 4). » Considerat autem novissima eorum, quia quanto tempore in malis persistunt, et quando ad bonum convertuntur, quæ pœna eos in futurum exspectet, intelligit.

« Generatio enim perversa est, et infideles filii. « Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, « et irritaverunt in vanitatibus suis. Et ego provo- « cabo eos, in eo qui non est populus, et in gente « stulta irritabo eos. » Hoc autem tale est ac si diceret : Ipsi me provocaverunt, irritaverunt, et spreverunt. Et ego illos provocabo, et irritabo, et spernam. Ipsi adoraverunt pro Deo illum, qui non est Deus, et provocabo eos, recipiamque pro ipsis eum, qui non est populus, ut vel sic dolore tabescat, dum locum suum alios tenere, et bona sua alios possidere conspexerint. Sed quomodo populus gentium non est populus? Quare autem si non est populus, a prophetis populus dicitur? Apostolus dicit : « Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut perdat sapientes, et infirma elegit Deus, ut confundat fortia, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret (*I Cor.* I, 27). » Sicut enim ea intelligimus, quæ non sunt, ita eum intelligamus, qui non erat populus. Ea enim apud homines quasi non esse dicuntur, quæ tam parva, et humilia sunt, ut quodammodo non esse videantur. Unde etiam usitata locutione illud, quod parvi pendimus, nihil esse dicere solemus. « Ignis succensus « est in furore meo, et ardebit usque ad inferni « novissima. Devorabitque terram cum germine suo, « et montium fundamenta comburet. » In hoc igne omnia pœnarum genera significari possunt, quibus, vel in hoc sæculo, vel in futuro peccatores cruciantur; quoniam illis iratus est Dominus. Ardet autem hic ignis usque ad inferni novissima, quoniam, ut Scriptura testatur, inextinguibilis est. Devorat autem terram cum germine suo; sive hic juxta litteram, civitates et homines, sive etiam in inferno peccatores eorumque filios et sequaces. Montium autem fundamenta divitiæ sunt, et honores, in quibus potentes hujus sæculi confidunt, quibusque elevati superbiunt, et has quidem ultimus ignis, simul cum suis possessoribus comburet. « Congregabo su- « per eos mala, et sagittas meas complebo in eis. » Nam et in hac vita super Judæos multa mala, multasque tribulationes congregavit Dominus : et in futuro quanta super omnes iniquos congregaturus sit, quid attinet dicere? Sagittæ autem complentur in eis, quia nulla restat omnium sagittarum, nulla restat omnium pœnarum, quæ non sæviant super eos. « Consumentur fame. » Sive hic ab hostibus obsessi, sive etiam ut dives ille, qui guttam aquæ a Lazaro petebat. « Et devorabunt eos aves morsu amarissimo (*Luc.* XVI, 23). » Hoc secundum litteram completum est; quoniam multoties eorum morticina, et aves, et bestiæ, et serpentes devoraverunt; secundum illud : « Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, et carnes sanctorum tuorum bestiis terræ (*Psal.* LXXVIII, 2). » Allegoricæ autem aves, serpentes, bestiæ, maligni spiritus intelliguntur, qui præ nimia immanitate iniquorum pœnis saturari non possunt. « Dentes bestiarum immittam in eos, « cum furore trahentium super terram, atque ser- « pentium. Foris vastabit eos gladius, et intus pa- « vor, juvenem simul, ac virginem, lactantem cum « homine sene. » Qui hoc non intelligit, legat Regum, Josue, et Machabæorum libros. Si quis autem de Judæis, qui modo sunt, intelligere velit, sciat omnes a majori, usque ad minorem morti et perditioni designatos esse (307). « Et dixi : Ubinam « sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam « eorum. » Ac si dicat : Qui modo læti, et exsultantes omnes Judææ civitates repleverant, ubi nunc sunt, utique in captivitate, et ubique terrarum dispersi. Hoc modo superius dixerat : « Et considerabo « novissima eorum. » Dicendo, « ubinam sunt » : eorum memoriam considerat. Cessavit autem ex hominibus memoria eorum; quoniam qui prius inter homines nominatissimi fuerant, jam nunc nulla memoria, et nulla bona fama digni habentur.

« Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte « superbirent hostes eorum. Et dicerent : manus « nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia. » Prius hoc illis accidisset; sed distulit Deus, ut eorum inimici intelligerent, quod insuperabiles

(307) Cod. S. Crucis Minor. in Laurent. *Deditos esse.*

Digitized by Google

essent, si a Deo non recessissent : at per hoc, quando eorum inimici eos superarent, non in sua fortitudine hoc fieri intelligerent ; sed Dei indignatione, qui ab eis iratus recesserat. Hucusque Dominus : nunc autem loquitur Moyses. « Gens absque consilio « est, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelli- « gerent, et novissima providerent. » Non enim periissent, si in legis, et prophetarum consilium sapienter credidissent. Denique si novissima providissent, et quæ et quanta pro suis iniquitatibus passuri erant præscivissent et intellexissent, ea forsitan non egissent. « Quomodo persequebatur unus mille, « et duo fugarent decem millia ? Nonne ideo, quia « Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit « illos ? » Cognosce, inquit, populo stulte, et insipiens, quia non tua, sed Dei fortitudine, quanto tempore in eo fuisti, infinitam hominum multitudinem cum paucis superasti. Hoc autem ideo fiebat, quia Judæorum Deus omnes eorum inimicos in servos eis vendebat. Qui enim Deo fideliter serviunt, quodammodo ejus beneficia sub servitio emunt. Si autem Deus suus, Deus gentium dicatur, hoc erit intelligendum, quod maligni spiritus suos fideles decipiant, et vendant, in magnum sibi pretium computantes, si eos in æternum cruciandi potestatem a Deo suscipiant. « Non enim est Deus noster, « ut dii eorum, et inimici nostri sunt judices. » Hoc, inquit, inimici nostri testantur, quia Deus noster major omnibus est. Hucusque Moyses : nunc autem Dominus, quod cœpit exsequitur. « De vinea « Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Go- « morrhæ. Uva eorum uva fellis, et botri amarissi- « mi. Fel draconum vinum eorum, et venenum « aspidum insanabile. » Merito, inquit, cessare faciam ex hominibus memoriam eorum, sicut cessavit memoria Sodomorum, ex quibus isti iniqua imitatione originem ducunt. Vinea enim, id est Judæorum gens et propago, Sodomorum et Gomorrhæorum vineam, et gentem malis moribus et iniqua conversatione incitabatur, quasi alterius vineæ naturam vinea sequitur, et ab ea pastinata. Hujus autem uvæ et botri fellei et amarissimi sunt : hujus vinum fel draconum et venenum aspidum est ; quoniam omnis Judæorum doctrina amara, mortifera, et insanabilis est. Nonne hæc condita sunt apud te, et signata in thesauris meis? Non sum, inquit, oblitus, firmiter in thesauris memoriæ teneo ea quæ gens ista contra me semper operata est. « Mea est « ultio. Et ego retribuam eis in tempore, » huic ultioni prædestinato, « ut labatur pes eorum, » ne vel stare, vel fugere, vel resistere valeant. Hoc autem cito ; « juxta est dies perditionis, et adesse « festinant tempora. » Iterum autem Moyses loquitur : « Judicabit Dominus populum suum, et in « servis suis miserebitur. » Ac si dicat : Vere prope est dies perditionis, sed non timeant boni, quia Dominus justus judex judicabit populum suum, et judicando miserabitur servorum suorum. Quid est judicabit, nisi a malis separabit? Hac enim significatione, dicitur : « Judica me, Deus, et discerne causam meam. » — « Videbit, quod infirmata sit manus. » Quid est videbit? Nunquid et modo non videt? Videbit igitur, id est videri faciet, quod manus et virtus illorum infirmata sit, qui prius alios potenter affligebant ; et sicut duo ex illis ante fugabant decem millia, ita modo decem millia fugabuntur a duobus. « Et clausi quoque defecerunt, residuique « consumpti sunt. » Quia capta civitate, aut trucidati, aut venditi sunt. Et tunc tandem se peccasse, et frustra deos coluisse, et dæmonia adorasse, et de eorum victimis in vanum se comedisse discent : Hoc est enim, quod ait : « Ubi sunt dii eorum in « quibus fiduciam habebant? De quorum victimis « comedebant adipes, et bibebant vinum libami- « num. » Hoc autem illi dixerunt ; illos autem Dominus irridens, ait : « Surgant » modo, si possunt, dii vestri, « et opitulentur vobis, et in » hac tanta « necessitate vos protegant : » qui quia non possunt, videte, cognoscite, et nunc tandem intelligite, « quod « solus ego sum Deus, et non est alius Deus præter « me. Ego occidam, et ego vivere faciam. » Ipso enim vivente, non moriuntur omnes, ipso vocante resurgunt omnes. « Percutiam et ego sanabo. » Responsio est : **216** « et non est qui de manu mea « possit eruere. Levabo ad cœlum manum meam, « et dicam : Vivo ego in æternum. » Quando Salvator noster elevatis manibus sublatus est in cœlum, ostendit se vivere in æternum. Nemo enim ibi moritur, quo ipse vivens ascendit. « Si acuero ut ful- « gur gladium meum, » per quem æternam damnationem intelligimus, « et arripuerint judicium ma- « nus meæ, » faciam quod sequitur : « reddam ul- « tionem hostibus meis, et his qui oderunt me, « retribuam. » Hoc autem erit in judicio, quando reddet unicuique secundum opera sua. « Inebriabo « sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit « carnes. » In hoc omnium tormentorum genere non solum venire, sed etiam semper manere super iniquos designat. « De cruore occisorum inebriabi- « tur, » subauditur gladius meus. Inebriabitur quoque « de captivitate nudati inimicorum capitis. » Omnium iniquorum caput diabolus est ; qui tunc nudus erit, quoniam omnis ejus fraus, et iniquitas omnibus revelabitur. Hujus autem captivitatis illi sunt, quicunque ab eo capti et decepti sunt. De his ergo inebriabitur gladius Dei. « Laudate, gentes, « populum ejus. » Sed dicet aliquis : Quomodo tu illum populum laudare præcipis, quem Dominus despectui habens, occidi permisit? Ad quod ipse : « Quia sanguinem, » inquit, « servorum suorum ulci- « scetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, « et propitius erit terræ populi sui. » Quod quidem non faceret, si eos despectui habuisset. Terram autem carnem dicit, quæ post resurrectionem glorificata, (308) æternæ beatitudini sociabitur.

(308) Cod. S. Crucis Minor. in Laurent. *Æterna beatitudine perfruetur.*

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

« Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo « Dei filiis Israel ante mortem suam. Et ait : Domi- « nus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis, « apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum « millia. In dextera ejus ignea lex. » Hæc ad litteram non procedunt. Recordemur ergo illius capituli, ubi dicitur : « Si ambulans per viam, nidum in arbore, vel in terra inveneris, et avem pullis vel ovis desuper incumbentem, dimitte avem, captos tenens filios, ut bonum sit tibi, et longo vivas tempore (*Deut.* XXII, 6). » Et nos ergo dimittamus avem istam, et filios teneamus. Hæc avis littera est, quæ sub alarum velamine pullos et ova, id est spiritualem sensum claudit; quæ quidem per loca difficiliora in arbore, per planiora vero in terra nidificat. Per hujus igitur voluminis viam ambulantes, hujus avis nidum in arbore, id est in loco difficili, et alto invenimus. Dimittamus ergo avem, imo hinc eam evolare cogamus, ut pullos ejus, id est spiritualem intelligentiam teneamus. Quod si fecerimus, bene nobis erit, et longo vivemus tempore. Times mori? dimitte litteram, quæ occidit. Vis vivere? tene litteræ filios, id est spiritualem intellectum. Spiritus enim vivificat. Expulsa igitur littera, videamus quid per istos tres montes, id est Sina, Seir, et Pharan significetur. Ego enim per hos, legem, et prophetas, et Evangelia significari puto, ut per Sina, ubi lex data est, significentur hi quinque libri Moysis; per Seir vero, qui *hispidus* interpretatur, intelliguntur prophetæ, ad exponendum difficiles, Evangel a autem significentur per Pharan, qui *frugifer* dicitur, quoniam nullum semen, sicut semen Evangelii fructificavit. Venit ergo Dominus de Sina, quia ejus adventus primum in lege invenitur. Oritur in Seir, quia ejus nativitas a prophetis manifestatur. Appareat in monte Pharan, quia in Evangeliis auditur, et per miracula manifestatur. Venit ergo non solus, sed cum eo sanctorum millia. « In dextera ejus « ignea lex, » qua et peccata uruntur, et mentes illuminantur. « Dilexit populos, » secundum illud : « Qui dilexit, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Omnes sancti in manu illius sunt (*Apoc.* I, 5). » Quare in manu? Quia ipse eos regit, ipse eos tenet, et vagari non permittit. « Et qui appro- « pinquant pedibus ejus, accipient de doctrina il- « lius. » Hoc bene Maria soror Lazari intellexit. Et etiam per pedes ejus apostoli intelliguntur, qui ejus doctrinam ubique seminaverunt. « Legem præcepit « nobis Moyses; » non utique illam, nisi eam, quam accepit de doctrina ejus, quoniam et ipse appropinquavit. Sic autem de se, quasi de alio loquitur : « Hæreditatem multitudinis Jacob. » Hæc enim omni hæreditate melior eis fuerat, si tamen eam intellexissent, quam nulli hostes ejus extorquere potuerunt. « Erit apud rectissimum rex, congrega- « tis principibus populi cum tribubus Israel. » Ac si dicat : Hic Dominus, et rex veniens de Sina, in terris quidem cum hominibus conversabitur, sed a Patre non separabitur. Erit semper rectissimus apud rectissimum, de quo alibi dicitur : « Et Verbum erat apud Deum (*Joan.* I). » Principes autem populi cum tribubus Israel congregati erant, quando simul cum discipulis suis in Judæa prædicabat.

« Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in « numero. » Quid per Ruben, qui primogenitus fuerat, nisi eos intelligimus, qui primi in illo populo vitam secuti, Christo crediderunt? Isti vivent in æternum, et non sicut cæteri morientur. Sed parvi sunt numero, quamvis magni sint virtutibus, et sanctitate, semper enim : « Multi sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* XX, 14). » — « Hæc est Judæ benedictio. Audi, « Domine, vocem Judæ, et ad populum suum in- « troduc **217** eum. Manus ejus pugnabunt pro eo, « et auditor illius contra adversarios ejus erit. » Per Judam Christum intelligamus, qui secundum carnem de stirpe illius natus est. Cujus vocem semper Dominus exaudit, secundum quod ipse ait : « Ego autem sciebam quod semper me audis (*Joan.* XI, 42). » Introduxit autem eum Dominus ad populum suum, quia prius in hunc mundum, ut nos vocaret, deinde in infernum, ut nos liberaret, postea vero in cœlum, ut exaltaret nos, introivit. Pugnabit autem Dominus pro eo, cujus manibus et fortitudini nemo resistere valet. Et ipse auditor illius fuit contra adversarios ejus, per quos et Judæi, et maligni spiritus intelliguntur.

« Levi quoque ait : Perfectio tua, et doctrina tua « a viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, « et judicasti ad aquas contradictionis. » Perfectio tua, inquit, o Deus, et doctrina tua detur, et confirmetur vero sancto tuo, id est huic ordini sacerdotali, ne forte iterum tentatus succumbat, sed perfectus et sapiens in omnibus perseveret. Hoc autem dicit propter se et Aaron, qui minus perfecti ad aquas contradictionis inventi sunt, quando filii Israel murmurantes tentaverunt Deum. Nota, quod in principio locutionis se ipsum accusat. « Sapiens enim in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII 17). » « Qui dixit patri suo, et matri suæ, nescio vos, et « fratribus suis, ignoro illos, et nescierunt filios « suos. Ili custodierunt eloquium tuum, et pactum « tuum servaverunt. Judicia tua, o Jacob, et legem « tuam, o Israel, ponent thymiama in furore tuo, et « holocaustum super altare tuum. » Hoc est, quod in Exodo legitur : quia præcepit Moyses filiis, et transeuntes nemini pepercerunt. Horum igitur exemplo, Domini sacerdotes gladium spiritus, quod est verbum Dei, evaginantes, nulli delinquenti parcere discant, Dei amorem omni amori anteponant. Et isti quidem eloquium et pactum Dei, et judicia et legem Israel custodierunt, eos occidentes, qui vitulum aureum adoraverunt. Sic enim in hac lege Dei et nostra judicatum est, ut quicunque alium Deum adoraverit, vel ei immolaverit, moriatur. Ponunt autem thymiama in furore Dei, quia suis orationibus iram Dei placant, tanquam suavissimo thymiamatum odore. Hoc et Aaron fecisse legitur, qui arrepto

Digitized by Google

thuribulo, flammæ se opposuit, quæ jam extrema A castrorum devoraverat. Ponunt quoque holocaustum super altare, sacrificium laudis et oblationis in Ecclesia prædicantes. « Benedic fortitudini ejus(309) « et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa « inimicorum ejus, et qui oderunt eum, non consur- « gant. » O si hæc intelligerent illi, qui Dei sacerdotibus tantum adversantur! Quia quantum sacerdotes benedicuntur, tantum eorum inimici maledicuntur.

« Et Benjamin ait : Amantissimus Domini habi- « tabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die « morabitur, et inter humeros illius requiescet. » Quis est iste amantissimus Domini? Beatus utique Paulus de tribu Benjamin originem ducens. Sed quaeni hunc esse putemus, qui amantissimus Domini B vocatur? Videamus modo qualiter Deum amat, cujus dicitur amantissimus. Ipse dicit : « Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit (*I Cor.* xvi, 22). » Vis etiam videre quam confidenter in hoc idem habitat? « Certus sum, inquit, quia neque mors, neque vita, neque principatus, neque potestates, neque aliqua creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* viii, 38). » Et in eo quidem quasi in suavissimo thalamo requiescit Christus, de quo ipse ait : « An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus (*I Cor.* xiii, 3). » — « Et inter humeros ejus requie- « scit. » Talem equum, talem sessorem.

« Joseph quoque ait. De benedictione Domini « terra ejus, de pomis cœli, et rore, atque abysso C « subjacente. De pomis fructuum solis ac lunæ, de « vertice antiquorum montium, de pomis collium « æternorum, et de frugibus terræ, et plenitudine « ejus benedictio illius. Qui apparuit in rubo veniat « super caput Joseph, et super verticem Nazaræi (310). » Quid per Joseph, qui *accrescens* interpretatur, nisi populum Christianum intelligimus qui parvo tempore crescens, et multiplicans, mundum replevit? Hujus autem terra benedictione Domini perfunditur, quia statim a principio, ejus caro, quæ de terra sumpta, primi hominis maledictione tenebatur, in baptismo benedicitur, et sanctificatur. Deinde vero populus iste fecundatur, et satiatur de pomis cœli et rore, id est apostolorum verbis et doctrina, atque de abysso subjacente, id est de alta D et profunda sanctarum Scripturarum intelligentia, et de pomis fructuum solis et lunæ, per quos dulcissimos Christi et Ecclesiæ sermones intelligimus, quibus interior homo noster reficitur. Et « de vertice antiquorum montium, » id est de sublimi et spirituali intelligentia prophetarum. Et « de pomis collium æternorum, » per quæ significantur dulcissima verba apostolorum. « Et de frugibus terræ, et de plenitudine ejus. » Quæ si de terra viventium intelligantur, magnæ et immensæ divitiæ ei promittuntur. « Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est (*Jac.* i, 17). » Sed quis est ille, qui in rubo apparuit? cujus benedictio super caput, et verticem hujus venire imprecatur. Si enim rubus ille virginem Mariam significabit, profecto Christus est, qui in rubo apparuit. Bene autem populus iste Nazaræus dicitur, utpote Domino **218** ab infantia consecratus inter fratres suos. « Quasi pri- « mogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinoce- « rotis cornua illius. In ipsis ventilabit gentes usque « ad terminos terræ. Hæ sunt multitudines Ephraim, « et hæc millia Manasse. » Omnes enim secundum creationem fratres sumus, quoniam ex eisdem parentibus nati sumus. Christianus tamen populus inter omnes fratres suos pulcherrimus est, quia ipse solus aqua baptismatis regeneratus, et super nivem dealbatus est. Qui bene tauro primogenito comparatur utpote major et fortior, cæterisque omnibus ad laborandum aptior. Sunt enim cornua illius insuperabilia, quasi cornua rhinocerotis, quoniam nihil eis resistere potest. Non autem sine causa pluraliter cornua posuit, cum nonnisi unum cornu habeat rhinoceros, unde et Latine unicornis dicitur. Duo namque cornua duo sunt Testamenta, quæ populus iste dupliciter intelligens, omnium gentium errores superat et vanitates. In ipsis enim ventilat gentes, in ipsis concludit philosophos, in ipsis vincit Judæos, in ipsis prædicat, et convertit omnes mundi terminos. Dividitur autem populus iste in Ephraim et Manasse, per quos et Judæos, et gentiles significare possumus, quorum alter *fructificans*, alter *oblivio* interpretatur. Quæ utraque satis convenienter conveniunt sanctis, qui et bona fructificant, et injuriarum suarum omnium obliviscuntur.

« Et Zabulon ait : Lætare Zabulon in exitu tuo, « et Issachar in tabernaculis tuis. Populos ad mon- « tem vocabunt. Ibi immolabunt victimas justitiæ. « Qui inundationem maris, quasi lac sugent, et « thesauros absconditos arenarum. » Quid per Zabulon, qui *habitaculum* interpretatur *fortitudinis*, et per Issachar, qui *asinus fortis* alibi vocatur, nisi sancti Ecclesiæ doctores significantur? Isti enim, quasi turres, inexpugnabile sunt habitaculum. Isti, quasi fortes asini, aliorum onera ferunt. Lætatur igitur Zabulon in exitu suo, quia sentiens se Dei fortitudine munitum, securus ad pugnam exit contra hostes, ex quibus magnis spoliis onustus redit. Lætatur et Issachar in tabernaculis suis, nullo præ lætitiæ pondere gravatus, cum tot quotidie animas offerat Deo. Vocant autem populum ad montem, dicentes cum propheta : « Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob (*Isai.* ii, 3). » Hoc enim faciunt, quando ad fidem, et ad Ecclesiam gentes invitant. Et ibi quidem immolant victimas justitiæ, id est sacrificium laudis et oblationis. Sugunt autem inundationes maris, quasi lac, sive quia mundi injurias et adversitates pro Deo libenter ferunt, sive quia legis hujus doctrinam, quæ aliis

(309) Alia lectio habet : *Benedic primitiis ejus.*
(310) Cod. Bibl. Cist. olim Montis Amiat. addit. *super verticem Nazaræi inter fratres suos.*

Digitized by Google

amara et impotabilis esse videtur, spirituali intelligentia, quasi lac bibere gaudent. De qua subditur : « Et thesauros absconditos arenarum. » Sicut aurum in arena, ita et spiritualis intelligentia in littera invenitur.

« Et ad Gad ait : Benedicens in latitudine Gad. « Quasi leo requievit, cepitque brachium, et verti- « cem. Et vidit principatum tuum, quod in parte sua « doctor est, et repositus, qui fuit cum principibus « populi, et fecit justitias Domini, judicium suum « cum Israel. » Hunc et Jacob benedicens ait : « Gad accinctus præliabitur ante eum. » Quid per Gad nisi apostolos intelligimus? Qui gladio accincti spiritus, prima acie bella gesserunt. Isti autem in latitudine benedicuntur, sive quia in mundi latitudinem prædicare mittuntur. « In omnem terram exivit B sonus eorum (*Psal.* XVIII, 5). » Et isti quidem quamvis a pluribus inimicis undique invadantur, securi tamen ut leo requiescunt, de quo scriptum est : « Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum (*Prov.* XXX, 30). » Ceperunt autem brachium et verticem, omnem videlicet mundi fortitudinem et sublimitatem sibi subjugantes. Ipsi enim Romam, quæ mundi caput est, superaverunt, ipsi ejus brachia, id est imperatores et principes ad fidem converterunt. In istorum autem parte et principatu doctor est repositus, quia in eorum cordibus lex, et Christus, id est legis et Evangeliorum reposita est doctrina. Doctorem igitur habent in corde, sicut Dominus ait : « Non enim vos estis qui loquimini, C sed Spiritus sanctus, qui loquitur in vobis. » Et iste quidem doctor cum principibus populi fuit, quia ipsa quoque præsentia corporis ad tempus cum apostolis conversatus est, et justitiam ac judicia in Judæa operatus est.

« Dan quoque ait : Dan catulus Leonis fluet largi- « ter de Basan. » De hujus namque stirpe fuit Samson; de hac erit et Antichristus. Uterque catulus leonis, quia uterque fortis, alter debellando malos, alter persequendo bonos. Unde et largiter fluere dicuntur, quia cum magna fortitudine in bella ruunt. Basan autem, qui *pinguedo* interpretatur, terram Juda significat, quæ omni terra pinguior et fertilior esse perhibetur. Ex hac autem uterque eorum procedit.

« Et Nephtali dixit. Nephtali abundantia perfrue- « tur, et plenus erit benedictionibus Domini mane, « et meridiem possidebit. » Interpretatur Nephtali *latitudo*, per quem eos intelligimus, qui charitatis amore dilatati, nemini manus claudunt, sed in faciendis eleemosynis semper eas apertas habent. Merito igitur abundantia perfruuntur, quia bona sua aliis libenter largiuntur. Talibus autem in judicio dicturus est Dominus : « Venite, benedicti Patris mei; quia esurivi, et dedistis mihi manducare, sitivi, et dedistis mihi bibere, etc. (*Matth.* XXV, 35). » Isti autem mane, et meridiem possidebunt, quia nunquam ad occasum mortis declinabunt. Mane, et meridiem possidere est lucem æternam hæreditare.

A **219** « Aser quoque ait : Benedictus in filiis Aser. « Sit placens fratribus suis, et tinget in oleo pedem « suum. Ferrum, et æs calceamentum ejus. Sicut « dies juventutis tuæ, ita et senectus tua. Non est « Deus alius, ut Deus rectissimi, ascensor cœli, « auxiliator tuus. » Quid per Aser, qui *beatus* interpretatur, nisi Christianorum populus figuratur, qui solus æterna beatitudine perfruetur? Hic autem in filiis benedicitur, quoniam infideles, et si filii sint, quia boni a Deo calceati sunt, benedictione tamen paterna digni non sunt. Placet autem fratribus suis, per quos angelos intelligimus. Tingit in oleo pedem suum, quia per viam graditur misericordiæ. Et ferro, et ære calceatur, quia potestatem a Deo accepit calcandi super serpentes, et scorpiones. Talis B potestas calceamentum ferreum et æneum est. Quod autem ejus juventus et senectus similis dicitur, ejus gloria et beatitudo immutabilis demonstratur. « Non « est Deus alius, ut Deus rectissimi. » Admiratio est in laudem Creatoris, qui ex tam iniquis parentibus, et ex adeo fragili materia, ad tantam rectitudinem populum istum, secundum suam voluntatem convertit. Hujus auxiliator ascensor cœli est, Christus videlicet Dominus noster, qui ascendit super omnes cœlos. Ipse enim ait : « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan.* XIV, 18). » Itemque : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » — « Magnificentia ejus discur- « runt nubes, habitaculum ejus sursum, et subter « brachia sempiterna. Ejiciet a facie tua inimicum, C « et dicet : Conterere. » Hoc secundum litteram mirabile est quod nubes pluviis oneratas discurrere, aquas ferre, easque ordinate nunc effundere, et nunc tenere videmus. Nostræ quoque nubes, apostoli videlicet et doctores, aquis spiritualibus et doctrina Evangelii pleni, ejus virtute et magnitudine discurrunt, et nostræ mentis agrum inebriant, variisque virtutum fructibus fertilem faciunt. Est autem ejus habitaculum sursum, quoniam in cœlo sedes ejus. Subter autem sunt et brachia sempiterna; quoniam ejus virtus et fortitudo suos fideles hic defendere et tenere nos constat. Ideoque ejicit a facie nostra inimicum, diabolum videlicet, de quo dicitur : « Inimicus vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (*Petr.* III, 8). » — « Cui D « dicit : Conterere. » Dicere autem Dei, facere est. « Ipse enim dixit, et facta sunt (*Psal.* CXIV, 5). » Hoc est, quod Apostolus ait : « Dominus conterat Satanam sub pedibus vestris velociter (*Rom.* XVI, 20). »

« Habitavit Israel confidenter et solus. Oculos « Jacob in terra frumenti, et vini, cœlique caliga- « bunt rore. » Hoc et propheta dicit : « Salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter (*Jer.* XXXIII, 16). » Interpretatur enim Israel *vir videns Dominum*. Hic autem est populus fidelis, qui et nunc mentis intuitu eum videt, et postea facie ad faciem videbit. Sed quomodo confidenter habitat Israel cum Domino? satis ex hoc patet, quia semper in Dei protectione confidit; ideoque ait : « Dominus mihi adju-

Digitized by Google

ror, non timebo quid faciat mihi homo (*Psal.* CXVII, 6). » Erit solus oculus Jacob in terra frumenti, et vini. Idem est Jacob qui Israel : dictum est alibi quid Israel significet. Jacob hoc in loco carnalem populum Judæorum designat. Docet ergo Moyses, quod alios populos cœlum, et spiritualia intueri videt; Judæos autem sola transitoria appetere cernit, nihilque aliud desiderare nisi frumentum et vinum, in quibus omnia carnalia et corpus foventia intelliguntur. Hoc autem vitium, quamvis in multis aliis inveniatur, solis tamen Judæis tribuitur, quoniam plus cæteris dominatur in eis. « Cœlique caligabunt rore. » Et hoc ipsum ad eorum iniquitatis et avaritiæ cumulum dici videtur, qui quamvis cœlum rore caligare videant, sola tamen terrena aspiciunt. Ipse Dominus ait : « Nisi ego venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccatis suis (*Joan.* XV, 22). » Cœlos rore caligare, et nubibus operiri viderunt, cum apostolos prædicare, et spiritualis doctrinæ pluvias effundere senserunt. Verumtamen ad terram oculos deprimentes, sursum eos erigere non curarunt. Nulla ergo eis excusatio restat.

« Beatus es tu Israel, quis similis tui, populo, qui « salvaris in Domino? Scutum auxilii tui, et gla- « dius gloriæ tuæ. Negabunt te inimici tui, et tu « eorum colla calcabis. » Miser, inquit, Jacob, cujus oculus solam terram respicit. Tu vero Israel beatus, qui secundum tui nominis interpretationem oculos erigens Deum contemplaris. Quis similis tui, o populo Christianorum, quem Israel significat, qui salvaris in Domino? in eo utique, qui ait : « Vos vocatis me magister, et Domine. Et bene dicitis; sum etenim (*Joan.* XIII, 13). » Sicut autem hujus populi similem dominus non habet, ita et populus ipse similem dominum non habebit. « Scutum auxilii tui, « et gladius gloriæ tuæ Christus est. » Ipse, inquit, te protegit; ipse te defendit; ipse pro te pugnat; ipse tuos prosternit inimicos; ipse et scutum tibi, et gladius est, cujus fortitudine gloriaris, omnes superans inimicos. Nunc autem ad ipsum convertitur, eique sic loquitur, dicens : « Negabunt te, o Christe, « inimici tui, et tu eorum colla calcabis. » Quamvis enim sis fortis et potens, quamvis sis Dominus virtutum et rex gloriæ, te tamen Judæi negare non timebunt dicentes : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14). » Et : « Non habemus regem, nisi Cæsarem. » Et : « Non hunc, sed Barabbam (*Joan.* XIX, 15). » Sed tu, o Christe, eorum colla calcabis, et eorum superbiam humiliabis.

220 CAPUT XXXIV.

« Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab « super montem Nebo in verticem Phasga, contra « Jericho, et ostendit ei omnem terram promissio- « nis, dicens : Hæc est terra, pro qua juravi Abra- « ham, Isaac et Jacob, dicens : Semini tuo dabo « eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad « illam, Mortuusque est ibi Moyses servus Dei in « terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum Do- « minus in valle terræ Moab contra Phogor. Et non « cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsen- « tem diem. » Quid est quod Moyses servus Dei, qui in omni domo sua fidelissimus fuit, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur, et quem Dominus noverat ex nomine, propter unum peccatum, terram promissionis intrare non permittitur? Moyses legislator, cui in nebula et caligine lex data est, hoc in loco eos significat, qui tantum secundum litteram legem intelligunt. Caligine enim obvoluti id ipsum, quod legunt, videre non possunt. « Usque hodie namque, dicit Apostolus, dum legitur Moyses, velamen positum est ante faciem illorum (311) (*II Cor.* III, 15). » Unde et merito ibi Moyses tantummodo incredulus invenitur, ubi incredulum populum significavit. Venit enim ad petram, et dubitavit, quoniam ipse non ibi erat, sed populus incredulus, qui tunc in eo significabatur. Hæc autem significatio fuit causa ut dubitaret. Quid hæc petra, nisi legem significat, in petro scriptam, in lapidibus datam, duro et incredulo populo attributam? Venit et tunc Moyses ad petram : venit usque hodie incredulus populus ad legem. Putat esse siccam, putat esse sine aqua, quia non videt ibi intelligentiam spiritualem. Percutit eam semel, non egreditur aqua. Semel percutit, quia solam litteram pronuntiat et intelligit. Percute iterum, o Judæe, et habebis aquam. Intellige spiritualiter, ne siti moriaris; nam et Moyses in prima percussione nihil habuit. Quare hoc? Quia adhuc incredulus erat, et hanc unam increduli populi percussionem significabat. Redit fides. Percutit iterum et egrediuntur aquæ largissimæ. Crede et tu, et habebis aquas. Et non tantum hoc, sed quod melius est, non terram promissionis, quæ toties captivatur, verum terram viventium intrabis, quæ in omni securitate lætatur. Hoc enim accidit Moysi, qui illius terræ habitationem pro nihilo ducens, ad gloriam melioris terræ translatus est. Monitio ergo est non indignatio, quod ei a Domino dicitur : « Vi- « disti eam oculis tuis, et non transibis ad illam, » quia ad meliorem transiturus es. Per hoc autem significabitur, quod quicunque ad litteram hanc legem intelligunt, vident quidem ibi cœlestis patriæ delicias, et gloriam, et jucunditatem, ad eam tamen transire non poterunt. Voluit autem Dominus sepulcrum Moysi esse occultum, ne ad litteræ vetustatem, revertamur, quæ per Moysen significatur : sed spiritum vivificantem sequamur, ut in æternum vivamus. Quod nobis præstare dignetur ipse, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(311) Vulgata habet. *Usque in hodiernum diem; cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.*

Digitized by Google

ADMONITIO IN EXPOSITIONEM SUPER LIBRUM JOB.

221 *Polemicis relinquimus disceptationes ac ætate, patria, et scriptore libri Job. Sufficit nobis post ea, quæ in præfatione generali monuimus, cum S. Gregorio M.* (312) *statuere, et fideliter credere hujusce libri auctorem fuisse Spiritum sanctum; vel cum S. Augustino dicere* (313) *S. Job gestasse personam magnam prophetiæ. Ut autem S. Brunonis mentem in eo interpretando assequamur, animadvertere oportet, duo eum sibi proposuisse; unum, quo depromit, atque explanat prophetice dicta de Christo, et de Ecclesia, ac perfecte adimpleta ostendit; in altero præcepta moralia cælesti sapientia referta tradit, quibus lectores ad spem futuræ retributionis mirifice incendit. In his prosequendis veteres Jobi expositores commentator noster consuluisse dignoscitur, Origenem nempe, S. Hieronymum, et S. Gregorium M., pluraque ex iis suam in expositionem traduxisse. Nos multis in locis mentem S. doctoris Angelici exposuimus, qui et ipse librum Job commentatus est, ut de recta interpretatione in eorum concordia argumentum habeatur. Nihil in hunc librum, ut in reliquos præfatur S. episcopus; sed e vestigio expositionem ejus aggreditur. Perfecte cum Vulgato concordat textus, quo usus est S. Bruno, cujus versio, paucis exceptis, ab Hebraica lectione, ut interpretes omnes biblici fatentur, non discrepat. Qui codices mss., quique auctores hoc de episcopi Signiensis commentario testimonium præbeant, jam satis dictum est, quare ab his repetendis abstinemus. Unum annotandum remanet; nempe cum ferias aut annales anno 1785. Florentiæ ageremus, diligenter comparavimus marchesianam Jobi editionem cum codice biblico monasterii Cistersiensis Mont. Amiatæ in præf. prædicta commendato, atque nonnullas variantes lectiones excepimus, quas suis locis apposuimus.*

(312) Lib. I, cap. 1, in lib. Job.
(313) Enarrat. in psal. CIV, serm. 4.

INCIPIT
EXPOSITIO IN JOB.

CAPUT PRIMUM.

« Vir erat in terra Hus (314), nomine Job. Et « erat vir ille simplex, et rectus, et timens Domi- « num, recedens a malo. »

Qualis beatus Job fuerit, paucis verbis ostenditur. Simplex enim erat, secundum illud : « Estote simplices sicut columbæ (*Matth.* x, 10). » Erat autem et rectus, utpote qui via regia incedens, neque ad dextram, neque ad sinistram declinabat. Hoc autem ideo, quia timens Dominum : scriptum est enim : « Qui Dominum timet, nihil negligit (*Eccle.* VII, 19), » unde et subditur : « Et recedens a malo. » Non enim timet Dominum, qui a malo non recedit. Hoc autem ad ejus laudum cumulum additur, quia in terra Hus, id est inter impios et peccatores habitasse dicitur. Unde in sequentibus ipse quoque ait : « Frater fui draconum, et socius struthionum (*Job* L, 29). » Valde enim laudabile est inter malos innocenter vivere. Allegorice autem per Job, quamvis omnium perfectorum Ecclesia intelligi possit, hoc tamen in loco Christus Dominus specialiter figuratur, qui pro nobis dolens crucem subire, et mori non dubitavit. Job enim *dolens* interpretatur. Quam simplex autem Christus fuerit, ex eo ostenditur, quia « sicut ovis ad victimam ductus est, et non aperuit os suum (*Isai.* LIII, 7). » Cujus rectitudinem ipsi quoque ejus inimici commendantes dicebant : « Magister scimus quia verax es, et viam Dei in A veritate doces, et non est tibi cura de aliquo (*Matth.* XXII, 16). » Ipse denique timens Dominum; in eo enim requievit spiritus timoris Domini, factus est obediens Patri usque ad mortem. Ipse quoque recedens a malo, peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus; de quo et dicitur : Non « habitabit juxta te malignus (*Psal.* V, 6). » Habitavit autem in terra Hus, id est in Judæa. Hus enim *consiliatrix* interpretatur. De Judæis autem scriptum est. « Principes sacerdotum concilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent (*Joan.* XI, 47). » Sequitur :

« Natique sunt ei septem filii, et tres filiæ. Et « fuit possessio ejus tria millia ovium, et tria millia « camelorum, quinquaginta quoque juga boum, et B « quingentæ asinæ, ac **222** familia multa nimis. « Eratque vir ille magnus inter omnes orientales. » Beatus etenim Job non solum justitia et sanctitate, verum etiam prolis fecunditate, et omnium divitiarum plenitudine felix exstitit; siquidem inter omnes orientales maximus erat. Qua in re satis convenienter Christum significat. Cujus septem filii, non solum apostoli septiformi Spiritus sancti gratia pleni, sed etiam omnium perfectorum multitudo intelligi potest. Unde et beatus Joannes, quasi septem filiis, septem tantum Ecclesiis scribit, per quas omnes alias significavit. Similiter autem in hoc loco hoc est septem, quod multi. Sed quid tres filiæ, nisi

(314) Admonet cardinalis Cajetanus in comment. super Job, proprie scribendum esse *Huz* non *Hus*, quia nomen regni est *Huz* Jerem. XXV, et terra *Huz* sita dicitur in Arabia Petræa in confinio Idumææ.

Digitized by Google

tres mundi partes intelliguntur, in quibus Ecclesia tota consistit, Asia videlicet, Africa et Europa (315)? Hoc autem inter filios, et filias distat, quod illi perfectiores, istæ vero minus perfectos quoscunque significant. Quamvis, autem per ejus possessionem id ipsum, quod per filios, et filias significari possit, non incongrue tamen per oves, simplices; per camelos autem majores homines et potentes; per boves vero, Ecclesiæ doctores; per asinos autem, eos qui aliena onera libenter ferunt. At vero per multam familiam, omnium fidelium multitudinem intelligimus. De ovibus enim scriptum est: « Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus (*Psal.* XCIV, 7)). » De camelis autem: « Inundatio camelorum operiet te (*Isai.* LX, 2). » De bobus vero: « Non alligabis os bovi trituranti (*I Cor.* IX, 9). » At vero asinus non parum honoratur, cum super eum ipse quoque Salvator noster sedere non dedignatur. Asinos etiam nos fieri optabat, cum diceret: « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Galat.* VI, 2). » Numerus quoque ipse ovium, camelorum, bovum et asinarum non vacat a mysterio. Septem enim, et tria, id ipsum hic significare possunt, quod in filiis et filiabus significarunt. Quingenta vero, quoniam numerus iste ex quinque, et centum conficitur, et in scientia, et in opere perfectionem demonstrant. Quinque enim sunt libri Moysi, in quibus integra perfectaque scientia continetur. Centenarius vero numerus in se quidem replicari potest, crescere autem non potest, unde et perfectus esse non dubitatur. Merito igitur per boves, et asinos perfectiores in Ecclesia figurantur.

« Erat autem vir ille magnus inter omnes orientales, » quoniam et de Christo scriptum est: « Non est similis tui in diis, Domine (*Psal.* LXXXV, 8). » Itemque: « Quis enim in nubibus æquabitur Domino? Aut quis similis erit Deo inter filios Dei? (*Psal.* LXXXVIII, 7). » Sequitur:

« Et ibant filii ejus, et faciebant convivium per « domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas ut comederent et biberent « cum eis. » Ibant enim apostoli et doctores, et faciebant convivium per domos, quia in omnibus mundi partibus divisi, evangelica prædicatione, et se, et alios satiabant. Hoc autem unusquisque in die suo, quia non omnes uno tempore prædicaverunt. Adhuc enim aliis recedentibus alii succedunt, qui esurientibus convivia præparant. Mittebant autem vocare tres sorores suas ut comederent et biberent cum eis, quoniam et Ecclesiæ doctores suavi persuasione ad Christi convivium, atque ad audiendum verbum Dei, omnes mundi partes invitant. Comeditur autem evangelica prædicatio, quando pro sui difficultate vix ab auditoribus intelligitur. Bibitur autem in locis planioribus, et quasi aqua facile glutitur.

« Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos, consurgensque diluculo, offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, « et benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus. » O sanctissimum patrem, qui sic filios instruxerat, ut hoc solum de eis timeret, ne forte cogitatione peccarent. Sed hoc quoque in Christo videamus. Semper convivii nostri dies transeunt, semperque sibi vicissim succedunt. Unde etiam quotidie dicimus: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Matth.* VI, 11). » Semper igitur sanctissimus Job, id est Christus Dominus noster ad nos mittit; sed quid mittit? Ubique gratiam suam, Spiritum sanctificationis, qui nos sanctificet, et liberet a peccatis. Offerebat autem Job holocausta per singulos; quia et Salvator noster et pro omnibus, et pro singulis quibusque fidelibus se ipsum obtulit, et quotidie per suos ministros ad salutem nostram offerre non cessat. Quod autem ait: « Consurgensque diluculo, » quanta sollicitudine hoc fiat demonstrat; unde scriptum est: « Quoniam ipsi est cura de vobis (*I Petr.* V, 7); » ideoque subditur: « Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei. » Hoc enim et Christus dicit; quia, ut ait Apostolus: « Vultui Dei apparens pro nobis quotidie interpellat (*Hebr.* IX, 24; *Rom.* VIII, 34). » In cordibus autem Deo benedicere, est nihil pravum de Deo cogitare (316). « Sic autem faciebat Job cunctis diebus. » Quia et de Deo Salvatore nostro dicitur: « Tu es sacerdos in æternum (*Psal.* CIX, 5). » Offert igitur et Christus holocaustum cunctis diebus; siquidem in æternum.

« Quadam autem die, cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan, cui dixit Dominus: Unde venis? qui respondens « ait: Circuivi totam terram, et perambulavi eam. »

223 Quomodo veniunt filii Dei, ut assistant coram Domino, qui ab ejus aspectu nunquam recedunt (317)? Si enim Dominus ait quia « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est (*Matth.* XVIII, 10). » Sed quia eum semper videre desiderant, quamvis coram eo semper assistant, venire tamen ut absentes coram eo dicuntur. Similiter et Satan (318), quamvis de superioribus præcipitatus Dei gloriam videre non possit, attamen quia inter angelos bonos adesse optabat, inter eos adfuisse narratur. Sic autem et Apostolus ait: « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20) : » cum utique nisi affectu quodam et desiderio adhuc in cœlis non esset. Loquitur autem Deus ad Satan,

(315) Alibi auctor mundum in quatuor partes juxta quatuor cardinales ventos divisum asserit. Hic ut textui interpretationem accommodet, tres tantum dicit; quia America quarta pars terrestris orbis nondum detecta erat. Jam id in cap. XV Numer., pag. 183, adnotavimus.

(316) Cod. Ghis.: *In cordibus autem Deo maledicere est pravum aliud de eo cogitare.*

(317) Dicuntur angeli filii Dei, in quantum Deo per participationem gloriæ similantur. D. Thom. in lect. 11, comment. in Job.

(318) Nomen autem *Satan* Hebraicum est, Latine *adversarius*. Dicitur etiam *diabolus* quasi deorsum cadens. Card. CAJET.

Digitized by Google

quando suam voluntatem intelligere facit : loquitur vero et Satan ad Dominum (319), quoniam ejus iniqua desideria Dominum latere non possunt : nihil enim Deo minus corda, quam linguæ loquuntur. Unde et Moyses ait : « Quid clamas ad me? » (*Exod.* XIV, 14) cum utique non lingua Moyses, sed corde loqueretur. Sed quid respondit Satan? « Circuivi terram, inquit, et perambulavi eam. » Inimicus enim noster « diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* V, 9). » Quanta autem sollicitudine semper fraudi, et deceptioni insistat, in eo cognoscitur, quod terram perambulasse narratur.

« Nunquid considerasti servum meum Job, quod « non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, « et timens Dominum, ac recedens a malo? » Hæc superius exposita sunt. Christus vero pro parte carnis servus vocatur.

« Cui respondens Satan, ait : nunquid frustra « timet Job Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum « ejus, universamque substantiam ejus per circui- « tum, operibusque manuum ejus benedixisti, et pos- « sessio ejus crevit in terra? Sed extende paululum « manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, nisi « in faciem benedixerit tibi. » Ecce quomodo Satan adest inter filios Dei, ecce quomodo coram Domino esse desiderat, ad hoc videlicet, ut sanctos accuset, ad hoc ut super eos potestatem accipiat, quoniam nisi Dei jussione et permissione nihil potest. Cum enim iniquam ejus voluntatem Deus intuetur, eique occulta sua inspiratione aliquid agere, vel non agere præcipit, tunc quasi serviens ad obediendum paratus, coram Deo, et inter filios Dei Satan assistit. Quantum enim ad Deum, semper Satan assistit coram Deo, quoniam ejus iniqua voluntas nunquam Deo occultari potest (320). Quantum vero ad Satan, tunc tantum est coram Deo, quando Dei voluntatem Dei nutu cognoscere potest. Sed quid dicit Satan? Nunquid frustra timet Job Dominum, quem tu sic munis, sic defendis, sic exaltas, sic benedicis, sicque omnibus bonis multiplicare facis? Ac si dicat : Non enim ex amore te timet, sed ne hæc omnia amittat, si te timere desistat; unde et subinferens ait : « Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet, et tunc videbis, quod non in corde, sed in faciem benedixerit tibi; » id est non amore, sed favore, non vere, sed simulate, non ut te diligeret, sed ut te diligere videretur. Extende igitur manum tuam, incipe flagellare, et qualis sit, flagella probabunt. Quia enim hæc talia diabolus de Job sentiebat, cujus utique cogitatio Dei auribus insonabat, ideo de eo talia respondisse judicatur.

« Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce universa, « quæ habet, in manu tua sunt, tantum in eum non « extendas manum tuam. Egressusque est Satan a « facie Domini. » Omnia, inquit Dominus, in manu et potestate tua sunt, quæcunque ad Job pertinere noscuntur, ipsum tamen tangere noli. Accepta igitur potestate egressus Satan a facie Domini, non quod semper a Deo non videatur, sed quia jam non ad accusandum, imo vero ad persequendum tota ejus intentio inhiabat. Hæc autem si ad Christum referantur, intelligendum erit, quod aliquando Dei Filium aliquando purum hominem Satan esse crediderit. Unde in Evangelio : « Scimus, inquiunt, quia tu es Christus (*Joan.* III, 2). » Itemque : « Quid nobis et tibi, fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos (*Matth.* VIII, 29). » Cum autem esurientem, sitientem et fatigatum eum esse conspiceret, quamvis magnum et admirabilem, nihil tamen nisi hominem eum esse putabat. Unde si ei ad tentandum a Domino toleraretur, secum ad peccandum commovere posse existimabat. Sequitur :

« Cum autem quadam die filii et filiæ ejus come- « derent et biberent vinum in domo fratris sui pri- « mogeniti, nuntius venit ad Job, qui diceret : « Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos, et « irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et evasi ego « solus, ut nuntiarem tibi. » Eo enim tempore, quo Christus Dominus noster secundum carnem in Judæa conversabatur, filii et filiæ ejus, apostoli videlicet, cæterique qui ei familiarius **224** in illo populo adhærebant, cibum et potum divinæ legis in domo fratris sui primogeniti comedebant et bibebant. Domus enim primogeniti fratris, Judæa est, quoniam primogenitus frater Israel est, de quo Dominus ait : « Filius meus primogenitus Israel (*Exod.* IV, 22). » Cum autem hoc fieret, et Salvator noster cum discipulis suis quietus adhuc in Judæa moraretur, repente diabolus, accepta potestate, adversus eum arma commovit, ejusque substantia adeo vastare cœpit, ut edictum divulgaretur, ut si quis eum confiteretur Christum, extra Synagogam fieret. Et tunc quidem primum irruerunt Sabæi, qui boves et asinas Christi abstulerunt. Sabæi namque *captivantes* interpretantur, per quos malignos spiritus intelligimus, qui ubique miseros homines a regno Dei captivant. Boves autem et asinæ, sacerdotes sunt et levitæ. Illi enim agrum colunt, isti vero onera ferunt. Levitas enim Moyses, quasi asinos esse jussit, quando tabernaculum, et quæcunque in eo erant solos portare præcepit. Unde non immerito juxta boves asinæ pascebantur, quoniam simul cum sacerdotibus de decimis, et sacrificiis levitæ vivebant. Hos autem diabolus primum abstulit, quia cæteros per istos se facile vincere sciebat. Pueros autem, qui gladio

(319) Docet idem card. Cajet. Deum locutum esse Satan per species in intellectum ejus immissas, quibus voluntatem suam manifestavit.

(320) « Considerandum est etiam, quod ad Dei judicium aliter referuntur ea, quæ per bonos angelos aguntur, aliter ea, quæ per malos; nam boni angeli hoc intendunt, ut ea quæ agunt, referant in Deum; et ideo dicitur, quod filii Dei venerunt, ut assisterent coram Domino, quasi primo motu, et intentione omnia divino judicio subdentes. Mali vero angeli non intendunt ea quæ agunt referre in Deum : sed eis nolentibus hoc accidit, ut quidquid agunt subdatur divino judicio, vel divinæ providentiæ. » D. Th. in Job c. 1, lect. 2.

Digitized by Google

persecutionem, angelos eis in custodia datos a Domino esse puto, qui, quoniam eos prævaricatores Christo insidiari videbant, doloris gladio percussi, illos reliquerunt. De hoc enim gladio scriptum est. « Ferrum pertransiit animam ejus (*Psal.* CIV, 18). » Itemque ad Virginem : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc.* II, 35). » Per nuntium, qui solus semper evadit et nuntiat, quid melius quam Spiritum sanctum intelligere possumus? Quo Salvator noster repletus, non solum inimicorum suorum facta, verum etiam cogitationes non ignorabat. Unde et ipse frequenter ait : « Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? (*Matth.* IX, 4.) »

« Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, et « dixit : Ignis de cœlo descendit, et tactas oves, « puerosque consumpsit. Et effugi ego solus, ut « nuntiarem tibi. » Ut enim Satan beatum Job ad impatientiam facilius commoveret, crebris eum et sine intermissione ictibus flagellabat. Ignis vero de cœlo descendisse dicitur, quatenus Dei permissione hoc fieri non dubitatur (321). Allegorice autem ignis de cœlo descendit, et tactas oves puerosque consumpsit, quoniam indignationis, et odii flamma a prædictis sacerdotibus et levitis in populum simplicem et indisciplinatum cecidit, quæ flamma eos consumpsit, quoniam a justitia et æquitate separavit et contra Deum et Dominum suum eos irritavit. Pueros quoque hæc flamma consumpsit, non ut non essent, sed ut in eis, et cum eis ulterius non essent. Unde et in templo, ut Josephus refert, angelorum voces auditæ sunt dicentium (322) : « Relinquamus has sedes. » Neminem enim moveat, quod hic de nuntio dicitur : « Venit alter, » quoniam Spiritus sanctus et unus est, et alter : unus quidem secundum se, alter vero secundum gratias et operationes. Hoc enim et Apostolus ait : « Divisiones gratiarum sunt, idem vero Spiritus (*I Cor.* XII, 4). » Unde, cum unus idemque sit, septiformis tamen vocatur, et Spiritus sapientiæ, et Spiritus intellectus, et Spiritus consilii et fortitudinis dicitur. Sequitur :

« Sed adhuc illo loquente, venit alius, et dixit : « Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt came- « los, et tulerunt eos, nec non et pueros percusse- « runt gladio, et fugi ego solus, ut nuntiarem tibi. » Quid enim per Chaldæos, qui quasi *dæmones*, vel *feroces* interpretantur, nisi malignos spiritus, aut prædictos sacerdotes et levitas intelligamus, quibus ferocitate et crudelitate vix aliquid comparari potest? Illi autem fecerunt tres turmas, populum videlicet, et Pilatum, et Judam contra Christum concitantes. Invaserunt autem camelos, quia illos solos decipere potuerunt, quibus impossibile erat intrare in regnum cœlorum : Solus autem semper nuntius fugit, quia, sicut scriptum est : « Spiritus sanctus effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* I, 4). » Sequitur :

« Adhuc loquebatur ille, ecce alius intravit, et « dixit : Filiis tuis, et filiabus vescentibus et biben- « tibus in domo fratris tui primogeniti, repente ven- « tus vehemens irruit a regione deserti, et con- « cussit quatuor angulos domus, quæ corruens « oppressit liberos tuos, et mortui sunt, et effugi « ego solus, ut nuntiarem tibi. » Quid enim filii et filiæ, et quid frater primogenitus significet, jam superius dictum est. Ventus autem vehemens, gravis et intolerabilis tentatio Satanæ intelligitur, quæ in Christi passione facta fuit. Ideoque a regione deserti, id est ex corde diaboli omni bonitate et justitia destituto venisse dicitur. Domus autem Synagoga est; cujus quatuor anguli sacerdotes sunt et levitæ, principes et populus, quos per boves et asinas, oves et camelos superius significavit. Hos autem quatuor angulos ventus concussit, et domus corruit; quia cum isti supradictæ tentationi resistere non possent, tota cecidit Synagoga, cujus ruina non solum Judæos, verum etiam ipsos filios Christi id est apostolos oppressit, quia ipsi quoque **225** graviter tentati in passione Domini dubitaverunt; unde etiam quidam eorum dicebant : « Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel (*Luc.* XXIV, 21). » Et Thomas : « Nisi videro, inquit, in manibus fixuram clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam (*Joan.* XX, 25). » Hanc etiam tentationem ipse Dominus eis prænuntians, ait : « Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum (*Luc.* XXII, 31). » Sic igitur ad horam et oppressi, et mortui sunt, quia quolibet modo a Deo separati recesserunt, qua major mors esse non potest.

« Tunc surrexit Job, et scidit tunicam suam, et « tonso capite corruens in terram, adoravit, et di- « xit : Nudus egressus sum de utero matris meæ, et « nudus revertar illuc. » Quo enim dolore beatus Job stringeretur interius, ea quæ ipse exterius agit, manifestant. Nisi enim hoc fecisset, vel non curasse putaretur. Scidit igitur tunicam suam, et caput totondit, quod quidem magni doloris indicium erat. Dolore tamen superatus non est, ut contra Deum aliquid loqueretur, in quo, quam perfectus fuerit aperte monstratur. Sed quid fecit? Corruens in terram, adoravit, qua in re diabolus superatus est, dixitque : « Nudus egressus sum de utero matris meæ nudus revertar illuc. » Id est nihil in hunc mundum attuli, nihil de his quæ hujus mundi sunt, mecum moriens feram; Domini erat, ipse quando voluit, dedit, quando voluit, abstulit, nihil ad me. « Sit nomen « Domini benedictum. »

« In omnibus his non peccavit Job labiis suis, ne- « que stultum quid contra Deum locutus est. » Sed quia Job significat Christum, quando hæc quoque conveniant Christo videamus. « Tunc, inquit, surrexit Job. » Quando? Vis audire quando? quando

(321) « Deo permittente, dæmones possunt turbationem aëris inducere, ventos concitare, et facere, ut ignis de cœlo cadat. » D. Thom. in cod. loc. cit.

(322) Ex Josepho refert auctor auditas in templo angelorum voces conclamantes proximam ab illis ædibus eorum discessionem.

Digitized by Google

domus corruit, quando Synagoga cecidit. Tunc enim revera Christus surrexit; tunc ejus regnum et imperium crevit, quia relictis Judæis, totum mundum in hæreditatem suscepit, secundum illud : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II, 8). » Scidit autem tunicam suam, ut gentilis populus, ad quem veniebat, nudum eum palam et in manifesto videret. Hæc autem tunica divina Scriptura est, hæc nondum Judæis scissa est, ideoque sub velamine litteræ Christum latentem videre non possunt. Totondit autem caput suum, cum infideles et impios Judæos, qui quasi capilli rasi semper et instabiles exstiterunt, a se et a corpore suo, quod est Ecclesia, abrasit et separavit. Corruens autem in terram adoravit, quasi ex improviso ad gentiles veniens, qui terra et peccatores erant, eos jam non idola, sed unum et verum Deum adorare docuit. Sic enim de Spiritu sancto Apostolus ait : « Qui orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII, 26) : » orat, inquit, id est orare nos docet. Et dixit : « Nudus exivi de utero matris meæ; » id est Synagogæ relinquens latebram, palam et manifestus gentibus apparui. « Et nudus revertar illuc, » quia juxta mundi finem, jam non in caligine, sed in manifesto Judæorum populo me manifestabo. « Cum enim plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). » Sequitur :

CAPUT II.

« Factum est autem cum quadam die venissent « filii Dei, et starent coram Domino, venisset quoque « Satan inter eos et staret in conspectu ejus, ut « diceret Dominus ad Satan : Unde venis? Qui re- « spondens ait : Circuivi terram, perambulavi eam. « Et dixit Dominus ad Satan. Nunquid considerasti « servum meum Job, quod non sit ei similis in ter- « ra? Vir simplex, et rectus, et timens Deum, et re- « cedens a malo, et adhuc retinens innocentiam. Tu « vero commovisti me adversus eum, ut affligerem « eum frustra. » Hæc superius exposita sunt. Frustra autem percussit Dominus Job, quantum ad diabolum accusatorem, quia neque innocentiam amisit, neque peccatum fecerat, pro quo talia pati debuisset. Non frustra autem, quantum ad Deum, quoniam ex hoc ejus meritum et corona crevit, multisque suæ patientiæ exemplum reliquit. Christus quoque frustra et non frustra occisus est; frustra quidem his, qui eum non resurgere putabant; non frustra autem nobis, qui ejus sanguine redempti sumus. Quando autem primum hominem diabolus decepit, pro quo peccato Christus passus est, tunc quidem adversus Christum Deum commovit : tunc enim Pater filio quodammodo dixit : Tu quidem pro hoc peccato morieris. Sequitur :

« Cui respondens Satan ait : Pellem pro pelle, et « cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua. « Alioquin mitte manum tuam, et tange os ejus, et « carnem, et tunc videbis, quod in facie benedixerit « tibi. » Ac si dicat : Usitatissimum est et rationabile, ut pro his quæ chariora sunt, minus chara et vilia negligantur; unde fit ut homo pellem pro pelle opponat, et dum oculum percuti timet, brachium objiciat. Dat quoque cætera pro vita et anima sua, quia ne occidatur omnem suam substantiam perdere parvipendit. Sic igitur et Job, quia sanus et incolumis est, quidquid ei accidat pro nihilo ducit. Tange igitur eum in se, et carnem, quæ plus dolet, affligere incipe. Hæc autem et de Job et de Christo diabolus dixit, quia de utroque talia cogitavit.

« Dixit ergo Dominus ad Satan : ecce in manu tua « est, verumtamen animam illius serva. » **226** Quid est animam illius serva, nisi animam illius tentare non potes (323)?

« Egressus igitur Satan a facie Domini percussit « Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad ver- « ticem ejus. Qui testa saniem radebat, sedens in « sterquilinio. » Percussus enim Job ulcere non tantum malo, sed et pessimo, neque in una corporis parte; verum a planta pedis usque ad verticem, quantum carnem suam vilipenderet ostendit, dum et testa saniem radit et in sterquilinio sedet. Durus enim lectus, duraque fomentatio est ista, etiam illis, qui nihil patiuntur. Erubescat igitur Satan, qui ait : « Tange os ejus, et carnem, et tunc videbis, quod in facie benedixerit tibi. » Christus quoque vulnere pessimo percussus, id est morte turpissima condemnatus; a planta pedis usque ad verticem, cum pendens in cruce toto corpore pateretur, testa saniem radebat; id est, carne sua prius de terra assumpta, nunc autem in cruce passionis igne decocta nostrorum peccatorum putredinem delebat. Sedebat autem in sterquilinio, quia adhuc in Judæa erat, quam quidem non immerito sterquilinium vocat. Huc usque de capite : cætera quæ sequuntur, ad membra referenda sunt.

« Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu permanes « in simplicitate tua? Benedic Deo et morere. » Ac si dicat : Quid valet, inquit, tibi simplicitas tua? Satius est ut benedicas Domino et moriaris. Dic aliquid in Deum, unde offendatur et te iratus de hac vita tollat, in qua ipsa morte multo pateris deteriora.

« Qui ait ad illam : Quasi una de stultis mulieribus « locuta es; si bona suscepimus de manu Domini, « mala autem quare non sustineamus? In omnibus « his non peccavit Job labiis suis. » Job enim aliquando Christum, aliquando aliquem perfectorum, aliquando vero totam Ecclesiam significat. Hoc autem in loco perfectum aliquem significare potest, qui cum magna in persecutione fuisset, uxor sua, id est caro, quæ uxor est spiritus sui, mortis timore superata, Christum negare ei persuasit, eique dixit : « Benedic Deo et morere. » Morere, inquit, in æternum, ne modo moriaris. Quam ille quasi stultam mulierem redar-

(323) « Id est, vitam ne ei auferas. Non enim totaliter Deus servos suos voluntati Satan exponit, sed secundum mensuram convenientem, secundum illud Apost. I Cor. X : *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis.* » D. THOM. in eod. loc.

Digitized by Google

guit, ejusque consiliis acquiescere noluit. Sequitur : « Igitur audientes tres amici Job omne malum, « quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, « Eliphaz Themanites, Baldath Suhites, et Sophar « Naamathithes. Condixerant enim, ut pariter ve- « nientes visitarent eum, et consolarentur. » Tres amici Job hæreticorum speciem tenent, qui facta conspiratione inter se, dum aliter Ecclesiam decipere nequeunt, visitare eam et consolari, et de ejus miseriis condoleri fingunt. Veniunt igitur singuli de loco suo, quasi quædam sagittæ electæ et venenosæ de pharetra diaboli, quod in ipsis nominibus declaratur; si quidem Eliphaz interpretatur *Dei contemptus*. Sed unde venit iste superbus, qui Deum contemnit? Utique de Theman, qui *auster* interpretatur : auster enim ventus pluvialis est. Eliphaz igitur pluviarum inundatione ad Ecclesiam plenus venit, quibus ea non satietur, sed submergatur. Interpretatur autem et Baldath *vetustas sola*. Sed unde venit iste Baldath, qui solam litteræ sequitur vetustatem, nisi de Sin? Sin autem interpretatur *loquens :* venit igitur iste de Sin, quoniam non in veritate, sed in loquacitate confidit. At vero Sophar, *speculæ dissipatio* dicitur; iste autem, qui speculam, id est Sion, et S. Ecclesiam dissipare nititur, de Naama venire perhibetur. Naama enim *decor* interpretatur : venit igitur iste de Naama, cum nequaquam tribulationes vult sustinere cum sanctis, sed mundi gloriam et decorem cum sæculi amatoribus habere desiderat.

« Cumque elevassent procul oculos suos non co- « gnoverunt eum, et exclamantes ploraverunt, scis- « sisque vestibus, sparserunt pulverem super caput « suum in cœlo, et sederunt cum eo in terra septem « diebus, et septem noctibus, et nemo loquebatur « ei verbum, videbant enim dolorem esse vehemen- « tem. » Hæretici enim Ecclesiam intuentes, eam non cognoscunt, quia neque diligunt eam, neque ejus opera imitari volunt. Exclamant autem, et plorant super ea, quia ei se condolere simulant. Ideoque et vestes scindunt, et super capita pulverem spargunt, quod quidem doloris indicium est. Fingunt enim multoties hæretici se Ecclesiæ compati ejusque misereri, quasi in fide ægrotantis, et a veritate deviantis. Unde, quasi sanare eam volentes, sui erroris ei prædicant deceptiones. Septem autem dies et septem noctes, in quibus amici Job cum eo sedentes non sunt locuti, omne illud tempus esse puto, quod fuit a Christi passione usque ad tempora Constantini imperatoris. In hoc enim tempore in maxima persecutione Ecclesia fuit. Unde hic recte dicitur: « Videbant enim dolorem esse vehementem. » Hoc enim tempore hæretici tacuerunt. Et quamvis cum Ecclesia sederent, loqui tamen non audebant : erant enim et ipsi Christiani, et timebant ne forte cogniti interficerentur. Postquam autem data pace confidenter Ecclesia loqui cœpit, tunc hæretici insurrexerunt; tunc ubique gentium contra eos concilia celebrata sunt. Unde et sequitur :

227 CAPUT III.

« Post hæc aperuit Job os suum, et maledixit diei « suo, et locutus est : Pereat dies, in qua natus « sum et nox, in qua dictum est : Conceptus est « homo. » Dies et nox hoc in loco diabolum significat. Dies enim est quando, ut Apostolus ait, transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* II, 14); nox autem, quia princeps est tenebrarum, et quia mentis oculos eorum, qui eum sequuntur excæcat et caligare facit. Et prius quidem secundum naturam dies exstitit, qui inter omnes angelos clarus et splendidissimus est creatus. In hoc autem die, id est in originali peccato, quod hujus diei suggestione et machinamento factum est, omnes homines nascuntur. Unde et David : « Quoniam in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L, 6). » Pereat igitur dies iste, id est hujus dici peccatum (324). Et est causa pro effectu. Stultissimum enim est hoc ad litteram intelligere; cum neque dies aliquid peccaverit, neque quod jam non est, aliquo modo perire valeat (325). Pereat igitur dies, imo jam non dies, sed nox; amisit enim claritatem. Unde et sequitur :

« Dies ille vertatur in tenebras. » Ut jam non dies, sed nox vocetur. « Non requirat eam Deus de- «super,» ut ejus aliquando misereatur : «et non sit in «recordatione, » nisi flagelletur et æternis ignibus crucietur. Et non illustretur lumine suæ videlicet claritatis; sed semper se illi iratum ostendat. De hoc enim lumine dicitur : « Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos (*Psal.* LXVI, 1). » Obscurent eum tenebræ et umbræ mortis, ne amissam gloriam recordando intueatur, ut pœnitentiam agens salvari vel vivificari mereatur. Unde adhuc subditur : « Occupet eum «caligo,» æternæ videlicet oblivionis et obstinationis, « et involvatur amaritudine, » tormentorum omnium et angustiarum. Unde et peccatoribus Dominus ait : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). » Sequitur :

« Noctem illam tenebrosus turbo possideat. » Merito enim jam non diem, sed noctem appellat, quem tantis tenebris tantaque caligine involutum videt. Quod enim ipse imprecando dicit, affirmative sic esse intelligi debet. Tenebrosus autem turbo, qui hanc noctem possidet, ille est, de quo Psalmista

(324) « Generationis suæ carnalis diem perire desiderat, ut dies ejus in regeneratione numeretur; pereat inquit dies sæcularis, ut dies spiritualis oriatur. » S. Ambros., lib. De bono mortis, cap. 2.

(325) In sensu fortasse ejusdem S. Ambrosii hæc commentatus est Bruno : ille enim in Evang. Lucæ IV : « In tentatione, ait, sanctus Job mysteria loquitur; » et lib. II De interpretatione Job, cap. 2, ait : « In stercore sedens, in tantis vibicibus, et sævi doloris vulneribus totum corpus diris perfusum ulceribus mysteria loquebatur, nec acquirendi propriæ remedium ægritudinis, sed sacris vacabat sermonibus. Fortiores itaque sermones ægri hominis, quam illorum, qui non ægrotabant; ideo ergo non carnis gemitus, et corporis infirmitates, sed voces spiritus loquebatur quibus urgeret, non quibus cederet. »

Digitized by Google

dicit : « Pluet super eos laqueos; ignis, sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum (*Psal.* x, 9). »

« Non computetur in diebus anni, nec numeretur « in mensibus. » Hic autem annus æternitatis est, cujus dies, menses et horæ, soli sancti sunt cujus sol et luna, omnisque splendor et illuminatio Christus est. De hoc enim Psalmista dicit : « Et in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, et nemo in eis (*Psal.* xiii, 16). » Nemo quidem computabitur, vel annuntiabitur in eis, quia diabolica caligine sit involutus. « Fulgebunt enim sancti sicut sol in regno Dei (*Matth.* xiii, 43). »

« Sit nox illa solitaria, nec laude digna. » Solitaria quidem erit, quia nox alia nulla erit. Annus enim prædictus, non noctes, sed solos dies habebit, quoniam nullus ibi æterna luce carebit.

« Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati « sunt suscitare Leviathan. » Illi, inquit, nunc ei tenebroso, et caligine involuto maledicant, qui ei a principio, cum adhuc dies et clarus esset, maledixerunt, quoniam superbiendo super omnes cœlos ascendere voluit. Sed illi, qui sunt, nisi angeli Dei, qui eum tunc temporis ligatum tenebant, quoniam omnem suam nequitiam eum adimplere non permittebant? Erant tamen parati suo tempore eum suscitare (326), quod am quidem impletum esse putamus; sic enim scriptum est : « Quia post mille annos solvetur Satanas (*Apoc.* xx, 7). » Leviathan autem *additamentum eorum* interpretatur; sed quorum eorum? Utique primorum parentum nostrorum, quibus dum diei ipsius honorem, et dignitatem addere promisit, beatitudinem et immortalitatem eis ademit. Sequitur :

« Obscurentur stellæ caligine ejus. » De his stellis Judas apostolus ait : « Væ illis, qui in viam Cain abierunt, et exempla Balaam secuti sunt (*Jud.* 11). » Et paulo post : « Hi sunt sidera errantia, quibus tenebrarum procellæ in æternum conservatæ sunt (*Ibid.*, 13). » Iniqui enim homines, qui fortitudine, et sapientia clarescere foris videntur, diaboli caligine intus obscurantur.

« Exspectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis auroræ. » Quamvis enim invitus, ipse quoque malignus spiritus judicii diem exspectat, quando in propria claritate ad judicandum Dominus veniet. Et quoniam tunc dicetur : « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (*Isai.* xxvi, 10); » lucem diu exspectatam non videbit. Aurora vero Ecclesia **228** est, de qua Salomon ait : « Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens? (*Cant.* vi, 9). » Hæc autem in judicio surget, imo resurget. Sed sicut nec gloriam Dei, ita nec ortum surgentis Ecclesiæ diabolus videre merebitur. Quare hoc? « Quia non con- « clusit ostia ventris, qui portavit me. » Venter iste paradisus est, in quo, et non in alio ventre prius homo natus est. Hunc autem diabolus, quia aperuit, non occlusisse narratur : « Nec abstulit mala ab « oculis meis. » Quia offerens mihi in primo homine concupiscentiæ lignum, dum mihi oculos aperire promittit, excæcat. Sequitur :

« Quare non in vulva mortuus sum? » Beatus enim Job primi hominis in se personam suscipiens, totius humani generis calamitatem deplorat. Vulva enim, per quam Adam de paradiso exivit, ipsa prima diaboli suggestio fuit, quam si non recepisset, de paradiso ejectus non fuisset. Ait ergo : « Quare non in vulva mortuus sum? » id est, quare in ipsa suggestione, mortem mihi, si assentirem, immittere non intellexi? In vulva enim mortuus fuisset, si mox ut audivit, ab ipsa suggestione se separasset. Quid est enim mors, nisi separatio? Moritur enim homo, cum anima separatur a corpore; moritur etiam Deo, qui ab eo separatur. Similiter autem mundo moritur et peccato, qui a mundo separatur et a peccato. Inde Apostolus ait : « Mortuus sum mundo (*Rom.* vii, 10). » De hac autem morte hic dicitur : « Quare non in vulva mortuus sum; » id est quare statim audita suggestione non refugi? Omnis enim homo illi rei moritur quodammodo, a qua separatur. Hoc, inquit, ego non feci; sed, quod multo deterius est, per suggestionem audiendo transiens, ad delectationem usque perveni, et cum vel hic prædicta morte mori debuissem, non tamen hoc mihi sufficiens fuit; sed genibus exceptus et uberibus appropinquans, lac mortis degustavi et pomum interdictum comedi; hoc enim est quod dicitur. « Egressus ex utero non statim perii? Quare ex- « ceptus genibus? Cur lactatus uberibus? » Quasi enim super genua peccatorem diabolus tenet, quando miser homo jam nefando operi proximus assistit. Sequitur :

« Nunc enim dormiens silerem, et somno meo « requiescerem. » Si, inquit, diabolum suggerentem non audissem, et si audiens in ejus suggestione delectatus non fuissem, et si delectatus in tactum interdictæ arboris non appropinquassem, et si appropinquans saltem de pomo concupiscentiæ non comedissem, nunc dormiens silerem, et somno meo requiescerem, id est cœlestem beatitudinem et quietem possiderem. Cum quibus? « Cum regibus, et consu- « libus terræ, qui ædificant sibi solitudines. » His verbis beatus Job dicere videtur. Quod si primus homo non peccasset, jam in suo tempore electorum numero completo, simul cum omnibus, qui ad æternam vitam prædestinati fuerant, summa beatitudine frueretur. Nisi forte tempus pro tempore, aut ipse pro aliis accipiatur : nunc enim præsens tempus significat. Si enim primus homo non peccasset, nemo unquam, nisi æternæ beatitudini prædestinatus nasceretur. Reges autem et consules, vel angeli, vel Ecclesiæ doctores intelliguntur, qui se et alios bene regunt, et omnibus hominibus optime consulunt. Hi autem ædificant sibi solitudines, quia vitam solitariam, et quæ multum a cæterorum hominum

(326 Hæc interpretatio est secundum Septuaginta, qui verbum *suscitare* in verbum *subjugare* verterunt. Ita Pineda in hunc locum.

Digitized by Google

vita differt, in hoc sæculo vivunt. « Aut cum prin- A
« cipibus, qui possident aurum, et replent domos
« suas argento; » per quos ipsos eosdem Ecclesiæ doctores intelligimus, qui et sapientiæ thesaurum possident, et domos sui pectoris eloquentiæ argento repleverunt. Aurum enim sapientiam, argentum vero, eloquii puritatem in divina pagina frequenter significat. Sequitur :

« Aut sicut abortivum absconditum non subsi-
« sterem, vel qui concepti non viderunt lucem. »
Hæc autem in persona primi hominis dicuntur, qui simul in se, et justos continet, et peccatores. Dicatur ergo : Si primus homo non peccasset, aut quidem omnes homines, jam nunc simul cum Domino essent; aut qui ibi non essent, neque subsisterent, B
neque essent ad comparationem videlicet abortivi : qui, quia suo tempore non nascitur, statim ut nascitur, absconditur, et quasi nunquam fuerit, in memoria hominum nullatenus subsistit (327). Id ipsum autem significant et qui concepti non viderunt lucem : nam et ipsi abortivi sunt. Sequitur :

« Ibi impii cessaverunt a tumultu. » Ubi? Ibi utique, ubi nunc dormiens silerem, et somno meo requiescerem. Inde enim impii, id est, maligni spiritus præcipitati, a tumultu et discordia, quam ibi facere conabantur, cessaverunt. « Et ibi requieve-
« runt fessi robore. » Ibi enim nunc sanctorum animæ requiescunt, qui multum se virtute et robore fidei in hoc sæculo contra impios fatigarunt. « Et
« quoniam vinati pariter sine molestia; » subaudi- C
tur, ibi requiescunt. Ibi enim modo sine molestia requiescunt 229 illi, qui in hac vita fide et dilectione conjuncti, quoniam a fide et dilectione dividi non poterant, multas molestias pertulerunt, de quibus adhuc subditur : « Non audierunt vocem exactoris. » Quamvis enim multas molestias sustinuissent, exactoris voci tamen non assenserunt. Hic enim exactor, vel tyrannus aliquis, vel diabolus intelligi potest. Pecunia enim diaboli vitia sunt, quam qui recipit, seipsum subjicit servituti. « Parvus et ma-
« gnus ibi sunt, et servus liber a domino suo. »
Ibi enim et prælati, et subditi, et servi, et domini sine differentia sunt, quoniam omnes uni regi et uni Domino subjiciuntur. Sequitur :

« Quare data est misero lux, et vita his, qui in D
« amaritudine animæ sunt? » Considerata enim superna beatitudine, considerata et hujus mundi miseria, hanc vitam beatus Job tædio habens, pro se suisque similibus loquitur, dicens : « Quare data est misero lux? » Lucem enim pro hac vita posuit : Quare, inquit, tantum hic vivunt, qui se hic miseros esse cognoscunt? Qui, etsi eis mundus arrideat, et his divitiis fugitivis sint locupletes, sola tamen cœlestia contemplantes, semper hic in tristitia et amaritudine animæ sunt; quia semper hinc transire, et mori concupiscunt. Unde et subditur : « Qui exspectant
« mortem, et non venit. » Sed quo desiderio? Vis audire quo? « Quasi effodientes thesaurum. » Tunc enim revera thesaurum, et æternam felicitatem inveniunt sancti, quando mortificato corpore de hac vita transeunt. Unde Apostolus; « Cupio dissolvi et esse cum Christo (*Philip.* I, 23). » « Gaudentque
« vehementer cum invenerint sepulcrum; » id est, cum ejus prædestinatum tempus advenerit, quo et caro in sepulcrum, et anima in cœlum suscipiatur. Nam et secundum litteram, thesaurum effodientes, quando sepulcrum inveniunt, gaudent, quoniam sæpe ibi thesaurum inveniunt. Sequitur :

« Viro cujus abscondita est via, et circumdedit
« eum Deus tenebris. » Dixi, inquit, « Quare data est misero lux? » Sed cui misero? utique viro, cui abscondita est via. Via enim nostra abscondita est, et in tantis ignorantiæ tenebris involuti sumus, ut quid nobis futurum sit, penitus ignoremus. Quem igitur conscientia defendit, multum ut hinc transeat concupiscere debet, ne forte aliqua occasione in pejus ruat. Hoc autem beatus Job desiderans ait.

« Antequam comedam, suspiro, et quasi inun-
« dantis aquæ, sic rugitus meus, quia timor, quem
« timebam, evenit mihi, et quod verebar, accidit.
« Nonne dissimulavi? nonne silui? nonne quievi,
« et venit super me indignatio? » Ante, inquit, quam comedam, antequam illius, de qua nunc loquor, jucunditatis dulcedinem degustem, antequam summi boni suavitate reficiar, quid hic aliud ago, nisi quia suspiro, et illius magni convivii desiderio affligor? « Et quasi inundantis aquæ sic rugitus meus, » quia non sine multarum lacrymarum inundatione fit gemitus cordis mei; quare hoc? « Quia timor, quem ti-
« mebam, evenit mihi. » Quia enim vir sanctus tantis flagellis affligebatur, se Deum in aliquo offendisse putabat, quamvis in quo offendisset, ignorabat unde in sequentibus ait : « Peccavi, quid faciam tibi? » Verumtamen, vitam suam considerans, et quid mali fecisset, ut sic affligi debuisset, ignorans, subjungit : « Nonne dissimulavi? » id est, cum mundus mihi arrideret, et omnia possiderem, sic me habui, sic in eis omnibus delectatus sum, ac si nihil haberem. Unde et subditur : « Nonne silui? nonne
« quievi? » Ac si dicat : Si enim in talibus divitiis delectarer, neque silerem, neque quiescerem; quoniam neque in silentio, neque in quiete; imo multis litigiis et fatigationibus tales divitiæ conquiruntur.

(327) De abortivis fetibus ob nimiam immaturitatem nondum anima præditis intelligendus est hic loqui S. Bruno; quoniam abortivi animati per animam subsistunt, et cum generatione culpam originalem contraxerint, in æterna sunt damnatione. Ita vertit claris. Hiacynthus Ceruti :

Or non vedrei qual nascoso aborto
O qual feto immaturo, etc.

Ita sensit etiam D. Thom : « Ab hujusmodi enim, ait abortivis fetibus nihil perpetuum remanet; aliqui vero moriuntur, post infusionem animæ rationalis; qui quidem post mortem subsistunt secundum animam, sed lucem hujusmodi non vident. » D. Thom. eod. in loco.

Digitized by Google

« Venit tamen super me indignatio; » quæ quare A venerit incertum habeo. Deum enim sibi indignatum credebat, cujus in se flagella sentiebat.

CAPUT IV.

« Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit : « Si cœperimus loqui tibi, fortisan moleste accipies, « sed conceptum sermonem tenere quis post? » Ecce enim Eliphaz, qui *Dei contemptus* interpretatur, qui etiam hæreticorum speciem tenens ab austro venit, sic enim interpretatur Theman, tantarum eloquentiæ pluviarum inflatus est, ut conceptum sermonem, quin foras erumpat, retinere non possit. Loquitur autem hæreticorum more, qui cum humiliter loqui incipiant, ad injurias usque prorumpunt. Sed quid dicit? « Ecce docuisti multos et manus lassas ro- B « borasti. » Hoc enim verum est : « Vacillantes con- « firmaverunt sermones tui, et genua trementia « confortasti. » Et hoc item verum est : « Nunc au- « tem venit super te plaga; » et hoc quidem negari non potest. « Et defecisti. » Hoc autem falsum est; non enim defecit, sed viriliter pugnavit, et vicit. « Tetigit te, et conturbatus es. » Si enim turbatus esset, nequaquam tam quiete dixisset : « Si bona « suscepimus de manu Domini, mala autem quare « non sustineamus? » Sequitur :

« Ubi est timor tuus, fortitudo tua et perfectio « viarum tuarum? » Omnia enim hæc eum amisisse putabat, quia sic humiliatum eum videbat. « Recor- « dare, quæso te, quis unquam innocens periit, aut C « quando recti deleti sunt? » Hæreticorum est, veris sæpe falsa admiscere : sæpe enim in hac vita innocentes pereunt et recti. « Quin potius vidi eos, « qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et « metunt eos, flante Deo, periisse et 230 spiritu « iræ ejus esse consumptos. » Et hoc quidem sæpe, sed non semper contigit. Dolores autem seminant, et metuunt, qui male agunt, et mala recipiunt; Deum autem flare est se in vindicta peccatoribus iratum ostendere. Homo enim quando irascitur majorem ex se flatum emittit, unde et pro ira flatus accipitur.

« Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulo- « rum leonum contriti sunt. » Per leonem namque beatum Job, per leænam vero, uxorem ejus; per catulos autem leonum filios ejus metaphorice designat. In rugitu vero crudelitatem, in voce loquacitatem, in dentibus edacitatem redarguit; edacitatem quidem, quoniam edentes et bibentes oppressi sunt.

« Tigris periit, eo quod non haberet prædam. » Ecce item tigridem Job appellat. Tigris enim sævissimum animal est. Dicit igitur beatum Job periisse, quoniam, viribus amissis, jam predandi non habet facultatem. Sequitur :

« Porro ad me dictum est verbum absconditum, « et quasi furtive suscepit auris mea venam susurri « ejus. » Hæretici enim semper magna promittunt et, ut majoris sit auctoritatis, suam scientiam extollunt, quod iste modo facere videtur, Dicit enim, verbum absconditum et secretum aliisque hominibus incognitum, sibi esse revelatum, cujus verbi venam, id est principium et perfectionem, quasi furtive, latenter et ingeniose ipse suscepit. Et, ut suum ingenium magis commendent, non aperte, sed quasi susurrando se audivisse fatetur. Quid autem sit hoc verbum audiamus.

« In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor « occupare homines, pavor tenuit me et omnia « ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus, me « præsente, transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. « Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, « imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ le- « nis audivi. » Hæc autem Eliphaz ideo dixisse videtur, ut ea, quæ dicturus erat, majorem auctoritatem haberent; siquidem non ipsum ea excogitasse, sed divina revelatione didicisse crederetur : multa enim in somnis per visionem hominibus revelantur. Quod autem ait : « Cum spiritus, me præsente, transiret; » tale est ac si diceret : Cum illa visio spiritualis, me præsente et attentissime considerante, transiret; quia enim non tota simul videbatur, quodammodo transibat, quoniam transeundo fiebat. Quis autem fuerit iste quidam, cujus vultum non agnoscebat, consequenter exponit, dum dicit : « Imago coram oculis meis, » Non enim rei veritatem, sed rei imaginem vidit. Sic enim amicorum nostrorum, quamvis longe positorum imagines in somnis sæpe videmus. Audivit autem vocem, quasi lenis auræ, quia quæ in somnis apparent, tam leniter mentis acumine audiuntur, ut nisi subito a vigilante pertractata fuerint, facillime a memoria dilabantur. Quid autem pavor et tremor? Quid ossa perterrita, et pili inhorrentes significent, alii perscrutentur, nobis autem ista sufficiant, et talia in somnis sæpe contigere non dubitamus. Nunc autem quid Eliphaz in illa levis auræ voce audierit, videamus. Sequitur :

« Nunquid homo Dei comparatione justificabi- « tur, aut factori suo purior erit vir? » Hæc autem ita esse, non solum somniantes, sed et cogitantes intelligunt. Nemo enim Deo justior, aut purior est. Sed hæreticorum est, ea etiam, quæ facillima sunt ad difficultatem perducere, cum ipsi soli, aut pene soli nihil intelligant, nullos nisi se D intelligere putant. Unde et Eliphaz verbum absconditum dicit, quod pene omnibus est manifestum. In his enim verbis se beatum Job vincere putat : si enim Job injuste affligitur, justior et purior Deo affligente, esse videtur; sed quia hoc fieri nequit, ut juste Job affligatur necessario concluditur. Hæc autem cavillatio ibi solvitur, ubi superius Dominus ait : « Tu autem commovisti me adversus eum, ut affli- « gerem eum frustra. » Quod enim est frustra, et non frustra, hoc est juste, et non injuste : injuste enim quantum ad se affligitur Job, quia peccatum non fecit, ut sic affligi debuisset; juste autem, quantum ad Deum, qui ideo eum affligit, ut illum clariorem, sanctiorem et ditiorem faciat. Sequitur :

« Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in

Digitized by Google

« angelis suis reperit pravitatem (328); quanto ma- « gis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum « habent fundamentum. » Hoc quoque adversum Job dicitur. Et impossibile probat non peccare, cum ipsos quoque angelos peccasse manifestum sit. Sed hoc de malignis spiritibus intelligitur. Domos autem luteas habitant homines et terrenum fundamentum habent, quoniam de luto et de terra plasmati sunt, de quibus adhuc subditur :

« Consumentur velut a tinea, de mane usque ad « vesperam succidentur, et quia nullus intelligit, in « æternum peribunt. » Ex carne enim hominis nascuntur vermes, qui ipsam consumunt; sicut et tinea ex veste oritur ipsamque de qua oritur vestem consumit. Consumuntur quoque peccatores velut a tinea; quia ut propheta ait : « Vermis eorum non B morietur (*Isai.* LXVI, 24). » **231** Succidiuntur autem de mane usque ad vesperam, id est a principio suæ nativitatis usque ad finem vitæ, quia, quandiu in hac vita sunt, semper male agendo, se ipsos occidunt : quoties enim peccant, toties se feriendo succidunt. Et quia nullus eorum, neque mala quæ ait, neque pœnitentiæ medellam intelligit; ideo non immerito in æternum peribunt. Unde et subditur : « Morientur et non in sapientia. » Sic enim se habet ordo : morientur, et non in sapientia. Non enim in sapientia moriuntur, qui in peccatis et stultitia vitam finiunt. « Qui autem reliqui fuerint, « auferentur ex eis. » Malorum namque reliquiæ, boni sunt, qui ideo a diaboli dentibus relinquuntur, C quoniam eos diabolus superare non potest. Unde etiam solæ reliquiæ ex Israel salvari dicuntur. Hi autem auferentur ex eis quando dicetur : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* XXV, 34). » Sequitur :

CAPUT V.

« Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad « aliquem sanctorum convertere. » Quam malam enim opinionem de beato Job Eliphaz habuerit, satis apparet, contra quem omnia hæc proverbia jaculantur. Quia enim sic afflictum eum esse videbat, penitus a Domino abjectum esse putabat; ideoque, quamvis multum ad Deum clamaret, attamen non exaudiri arbitrabatur. Et hoc est, quod dicitur : « Voca ergo, si est qui tibi respondeat. » Quod au- D tem sequitur : « Et ad aliquem sanctorum conver- « tere; » tale est ac si diceret : Quoniam tuis peccatis exigentibus te Deus non audit, saltem aliquem sanctorum deprecare, ut pro te ad Deum intercedat. Sequitur :

« Virum stultum interficit iracundia, et parvulum « occidit invidia. » Stultus et parvulus idem significant, quoniam omnis stultus sensu et moderatione parvulus et inscius est. Hunc autem iracundia et A invidia occidit; quia, dum invidendo aliena cum furore appetit, in diaboli laqueum cadit. Sed hoc quidem de beato Job dici non debuit. Sequitur :

« Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pul- « chritudini ejus statim. » Cum enim in mundi divitiis et dignitatibus stultus prosperatur, firma radice stare videtur, sed sapiens aliquis hujus pulchritudini maledicit, dum, cui maledictioni sit obnoxius, et quam cito hanc gloriam amissurus, secum dijudicat. Unde et Apostolus. « Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt, spiritualis autem omnia dijudicat (*I Cor.* II, 14). »

« Longe fient filii ejus a salute, et conterentur in « porta, et non erit qui eruat. » Filii enim hujus stulti sunt, quicunque ejus stultitiam imitantur. Hi B autem longe fient a salute, « quia longe est a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII, 155). » Conterentur autem in porta quoniam in ipso regni introitu, quando paradisi portæ aperientur, dicetur eis : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » « Et non erit qui eruat, » nullo pro eis intercedente.

« Cujus messem famelici comedent, et ipsum ra- « piet armatus et bibent sitientes divitias ejus. » Hujus, inquit, stulti messem, et laborem famelici comedent : per quos malignos intelligimus, quorum cibus iniquitas et mala operatio; hoc enim defectantur et reficiuntur. Ipsum autem rapiet armatus; illo videlicet, de quo in Evangelio Dominus ait : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet (*Luc.* XI, 21). » — « Et bibent sitien- C « tes divitias ejus; » hoc est, quod modo dicit : « Cujus messem famelici comedent. » Sequitur :

« Nihil in terra fit sine causa, et de humo non « orietur dolor. » Ac si dicat : Tu tibi, et non alius hanc afflictionem peperisti. Justus enim est Deus, et nihil sine causa et ratione facit. Non enim humus et terra, sed quia, inquit, peccatores sumus, ideo affligimur.

« Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum « (329); » ac si dicat : Hoc saltem te peccasse cognoscas, quod voluptati solummodo, et deliciis deditus, ipsos filios tuos commessationibus et ebrietati operam dantes non redarguisti. Non enim ad quietem et voluptatem, sed ad laborem nascitur homo; unde et primo homini dictum est : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo (*Gen.* III, 19). » Similiter et avis nascitur ad volatum, ideoque ei alæ datæ sunt, sicut et homini manus. Sed, quia homo utrumque est, et homo videlicet et avis; altera enim pars gravis et de terra est, altera vero cœlestis et agilis; secundum hanc partem, animam dico, natus est ad volatum. Non ergo in imis jaceat, sed volando cœlestia contempletur. Unde et subditur : « Quamobrem ego « deprecabor Dominum, et ad Deum ponam elo-

(328) « Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. » Quæ quidem sententiæ secundum doctrinam catholicæ fidei plana est. Tenet enim fides catholica, omnes angelos bonos fuisse creatos : quorum quidam per propriam culpam ceciderunt a statu rectitudinis, quidam vero ad majorem gloriam pervenerunt. D. TH. in eodem comment. c. 4.

(329) Cod. bibl. Montis Amiatæ : *ad volandum.*

Digitized by Google

« quium meum; » hl est volabo, et mente et spiritu super cœlos exaltabor; ibi deprecabor Dominum, ibique cum eo loquar. Sancti enim, quando in orationibus suis Deum exorant, quamvis corpore in terra sint, spiritu tamen ipsum cœlum volando transcendunt.

« Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia « absque numero. » Nemo enim mirabilia Dei perscrutari, vel dinumerare potest.

« Qui dat pluviam super faciem terræ, et irrigat « aquis universa. » Hoc enim tam mirabile est, ut a nullo perscrutari valeat. Quis 232 enim intelligat, quid sint nubes, quando aquam ferant, quando nunc teneant, et nunc tam mirabiliter guttatim spargant? Si autem allegorice intelligantur, dat etiam Dominus pluviam, id est evangelicam prædicationem super faciem terræ, et spiritualibus aquis irrigat universa.

« Qui ponit humiles in sublimi, et mœrentes erigit sospitate. » Ipse enim humiliat superbos, et exaltat humiles.

« Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint « implere manus eorum, quod cœperant. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum. » Stultam enim, ut Apostolus ait, fecit Deus sapientiam hujus mundi (*I Cor.* I, 20). Dum enim rationem sapientes quærunt, Dei mirabilia non credunt; ideo nec Deum carnem assumpsisse, nec virginem peperisse, nec mortuum resurrexisse contendunt. « Et concilium « pravorum dissipat; » id est Judæorum et tyrannorum, qui multis consiliis et machinationibus Christi nomen et Ecclesiam delere conati sunt.

« Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte « sic palpabunt in meridie. » In Christi namque passione, etiam juxta litteram tenebræ factæ sunt. Denique per diem tenebras incurrebant, dum Christum apertissime se signis et miraculis manifestantem non agnoscebant. Et cum omnia nuda et aperta essent, quasi cæci in nocte palpantes nihil videbant. In meridie autem tunc quasi in nocte palpabant, quando signa et miracula videntes, an Christus esset eum interrogabant, quibus ipse dicebat: « Si mihi non creditis, operibus credite (*Joan.* x, 38). » « Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, « et de manu violenti pauperem. » Hic est ille egenus et pauper, de quo Apostolus: « Tanquam nihil habentes et omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). » Hi autem nec ferri, nec oris gladio vinci potuerunt, quia neque blanditiis, vel minis, neque tormentis sunt superati. Quare hoc? Sequitur:

« Et erit egeno spes. » — « Spe enim, ait Apostolus, salvi facti sumus (*Rom.* IX, 28). » Propter spem si quidem æternorum bonorum superari non poterant. « Iniquitas autem contrahet os suum, » videns eos insuperabiles esse. « Beatus homo qui corripitur a Deo (330); » quoniam vel sic ab iniquitate, quam agit, separatur: qui enim non corripitur, securius peccat. « Increpationem ergo Domini ne reprobes; » quia ipse vulnerat, et medetur; percutiet, et manus ejus sanabunt. Dei enim increpationem reprobare, est contra ejus flagella murmurare.

« In sex tribulationibus liberabit te, et in septima « non tanget te malum. » Septem enim sunt tribulationes, quia septem dies sunt in quibus tribulamur. Sed ideo septimam separatim posuit, quia major erit et finem habebit. Quæ sint autem hæ tribulationes, subinserens ait:

« In fame eruet te de morte, et in bello de manu « gladii, a flagello linguæ absconderis, et non timebis « calamitatem, cum venerit; in vastitate et fame « ridebis, et bestiam terræ non formidabis. » De hac enim fame per prophetam dicitur. « Immittam in vobis non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei (*Ezech.* v, 17). » Hac autem fame non moriuntur sancti. Liberantur autem et in bello de manu gladii, quando contra vitia dimicantes, diaboli tentationes superare valent. Absconduntur vero et a flagello linguæ, quia nec aliis detrahunt, nec sibi detrahentibus respondent. Neque vero timent calamitatem cum venit, quia sciunt per multas tribulationes intraturos esse in regna cœlorum. Ridebunt autem in vastitate et fame, quia tunc jubilando gaudebunt, quando peccatores in suppliciis vastabuntur et fame perpetua cruciabuntur. Bestiam vero terræ, id est diabolum, qui terrenos et peccatores depascit et dissipat, non formidabunt; quia eis de hoc mundo exeuntibus nocere non poterit. Sequitur:

« Sed cum lapidibus regionum pactum suum, et « bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. » Hi enim sunt lapides, de quibus dicitur: « Lapides vivi volvuntur super terram (*Zach.* IX, 16); » per quos sanctos intelligimus, de quibus muri cœlestis Jerusalem ædificabuntur. Cum his autem non solum Job, verum etiam quilibet sanctorum pactum fecit, quia charitatis vinculo eis adhæsit: bestiæ vero, impii homines et crudeles intelliguntur, qui, dum sanctorum patientiam et humilitatem considerant, pacifici eis fiunt, quia divino nutu perterriti eos offendere pertimescunt, unde et subditur:

« Et scies quod pacem habeat tabernaculum, et « visitans speciem tuam non peccabis. » Pacem enim habet ejus tabernaculum, cum ab ipsis quoque inimicis veneratur. Species autem hominis Deus est, et homo. Quoniam ad imaginem Dei, et hominis factus est homo. Speciem igitur suam ille homo visitat, qui charitate non ficta Deum, et hominem diligit. Hic autem non peccat, quia in hoc solo tota lex adimpletur. Et scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum, et progenies tua quasi herba terræ. Semen enim, et progenies ejus, omnes illi sunt, qui ejus vitam et mores imitantur. Multos igitur filios

(330) Salomon etiam ait: *Quem diligit Dominus corripit, et quasi pater in illo complacet sibi* (*Prov.* III, 12).

Digitized by Google

relinquit, qui bene vivendi exempla docet. Unde et subditur :

« Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus in tempore suo. » Sepulcrum enim, in quo post mortem sancti requiescunt, cœlestis patria intelligitur : quam iste quadam in abundantia ingreditur, quia tot secum ducit, quot ejus verbis et exemplo salvantur. Unde bene acervo comparatur, qui multorum granorum collectione conficitur.

« Ecce hoc, ut investigavimus, ita est, **233** quod « auditum mente pertractа. » Elationis, et jactantiæ verba sunt hæc, quæ, quasi ille non intellexit, mente eum pertractare admonet. Deinceps vero quid ei sanctus responderit, audiamus.

CAPUT VI.

« Respondens autem Job dixit : Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et « calamitas, quam patior, in statera : quasi arena « maris hæc gravior appareret. » Utinam, inquit, sicut calamitatem quam patior, videtis, ita etiam peccata, pro quibus affligor, vobis divinitus revelata æqua lance pensare possetis : jam utique cognosceretis quanto calamitas hæc major sit, et quasi arena maris gravis; stateram suo pondere inclinare vobis appareret. Amici enim Job multum eum peccasse putabant, quem tam subito contritum et sic flagellatum videbant. Unde et maxime dolebat, quia ipsis quoque bonis suis eorum æstimatione nudatus erat. Et hoc est quod ait : « Unde « et verba mea dolore sunt plena; » ac si dicat : Inde mihi dolor maximus crescit, quia cum nihil peccaverim, ut hæc pati debuissem, propter peccata tamen me hoc ferre arbitramini. Sequitur :

« Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini « militant contra me. » Magna, inquit, calamitas est quam patior, quia sagittæ et flagella Domini in me sunt, quibus secundum carnem affligor. Et terrores ejus militant contra me, quibus anima conturbatur. Multo enim animæ plus quam corporis tormenta graviora sunt : magis illa, quam ista pati pertimesco. Spiritum autem ejus sagittarum indignatio bibit, quia quanto magis caro affligitur, tanto magis naturalis spiritus deficit et minoratur. Sive etiam, spiritum ejus sagittarum indignatio bibebat, quia si quid elationis et superbiæ spiritus in eo erat, his quasi correctionis flagellis consumebatur. Sequitur :

« Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? « aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit? » Ac si dicat : Miramini quod me sic afflictum dolore videtis, et non consideratis quibus bonis sim exspoliatus, quibus malis circumdatus, et ex quanta copia, quanta inopia circumventus? « Quæ « enim prius tangere nolebat anima mea, nunc præ « angustia cibi mei sunt. » Vel ipsa vos bruta animalia doceant, quæ quando necessariis abundant, neque rugiunt, neque mugiunt. Sed hæc ad litteram. Spiritualiter autem onager, id est asinus silvester qui non solum indomitus, sed etiam secundum legem immundus est, gentilis populus intelligitur. Per bovem autem Judæorum populus figuratur, qui solus, et mundus, et legis jugo domitus erat. Sed neuter istorum vel rugire jam nunc, vel mugire debet, quoniam uterque ad fidem conversus; et novis Evangeliorum herbis abundat, et ante præsepe plenum astans, utriusque Testamenti deliciis satiatur. Hoc autem præsepe divina Scriptura est, quod tunc quidem vacuum erat, quando ad litteram solummodo intelligebatur. Non igitur B. Job isti præferentur; quoniam hoc quod nihil conqueruntur, plenum præsepe, et sanctarum Scripturarum consolatio facit. Unde Apostolus : « Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus (*Rom.* xv, 4). » Hanc autem consolationem beatus Job habebat, quia nondum sanctarum Scripturarum volumina edita erant. Sequitur :

« An poterit comedi insulsum, quod non est sale « conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? » Prius, inquit, quam præsepe plenum esset, id est, spiritualiter sacra Scriptura intelligeretur; omnia insulsa erant, nihilque spiritualis sapientiæ sale conditum, ideoque non vitam, sed mortem comedentibus offerebant. Unde Apostolus : « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6). » Nunc ergo neque onager rugiat, neque bos mugiat, quoniam et præsepe plenum est, nihilque insulsum vel mortiferum est. Sed dicet aliquis : Si ergo insulsa erant, quomodo tunc ab illo populo suscipiebantur? Ad quod ipse : « Animæ enim esurienti etiam amara dulcia esse « videntur; » ideoque ille populus, quia rei veritatem assequi non poterat, ipsius veritatis umbram et figuram avide suscipiebat. Unde idem populus loquitur dicens :

« Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc « præ angustia cibi mei sunt. » In principio namque nascentis Ecclesiæ, cum circumcisionem et legis cæremonias Judæis apostoli spiritualiter exponerent, magis scandalizabantur, et ea recipere nolebant. Unde et Apostolus quamvis dixisset : « Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Galat.* v, 2); » ipse tamen discipulum suum circumcidere coactus est. Hanc igitur doctrinam, quam cibum vocat, etsi prius populus ille recipere et tangere noluisset; postea tamen, quando eam recepit, ejus cibus fuit; recepit quidem, sed præ angustia, quoniam nisi angustiatus, et constrictus, et rationibus convictus, eam recipere noluit. Sequitur :

« Quis det ut veniat petitio mea, et quod exspecto tribuat mihi Deus? » Quæ sit autem ista petitio subinferens ait : « Et qui cœpit, ipse me « conterat, solvat manum suam, et succidat me, « et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore « non parcat, ne contradicam sermonibus sancti. » Ac si dicat : Sagittæ enim Domini in me **234** sunt, et terrores ejus militant contra me; hoc ergo unum

Digitized by Google

est, quod vehementer opto, ut me conterat, et cito succidat, et doloribus me affligens non parcat, et hæc mihi sit consolatio. Consolatio quidem, quia tali modo et peccata dimittuntur, et de vitæ hujus miseriis citius exitur. Hoc autem ne forte sub indignatione dixisse putaretur, illico subjunxit: « Ne « contradicam sermonibus sancti. » Sancti enim sermonibus contradicit, qui contra flagella murmurat, quæ divinæ voluntatis jussione fiunt. Sequitur:

« Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam, aut « quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo « lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. « Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii « quoque mei recesserunt a me. » Quantum ad litteram, hoc dicere videtur. Tantis undique angustiis et incommoditatibus angor, ut non immerito cito succidi, et hinc transire desiderem, ne forte doloribus superabundantibus, aliquo modo ad impatientiam commotus, vel cogitatione Deum offendam; homo enim carneus sum, nec æris, nec lapidis naturam gerens; tu tamen, o Deus, me contundere et flagellare non cessas. Aut igitur, sicut opto, cito me hinc ad illam beatitudinem transfer, vel da mihi auxilium, ut patienter agam. « Non est enim « auxilium mihi in me: » Sit igitur mihi auxilium in te, quoniam non in viribus meis, sed in tua virtute confido. Insuper « et necessarii mei recesserunt a me. » Quid igitur faciet, qui et amissis viribus per se nihil potest, et alium a quo in rebus necessariis sustentetur, non habet? Sequitur:

« Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem « Domini derelinquit. » Si igitur Deum timuissent, necessarii et amici a me non recessissent. Nondum scriptum erat: « Diliges amicum tuum (*Levit.* x, 18). » Quod tamen in chartis scriptum non erat, in Dei utique voluntate beatus Job jam scriptum esse sciebat. Quanta autem agilitate necessarii ejus ab eo recesserunt, adnectit.

« Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui « raptim transit in convallibus. » Torrens enim pluvialis aqua est, quæ ex montibus collecta cito defluens non apparet. Cur autem hoc fecerint, subjungit:

« Qui timent pruinam, veniet super eos nix. » Ac si dicat: Viderunt enim plagam meam, et timore perterriti ne ipsi quoque mecum affligerentur, quasi ad tutiora se conferentes, recesserunt. Sed quid eis profuit? « Qui enim timent pruinam, veniet super eos nix. » Id est, qui hic timent tribulari cum sanctis, in inferno tribulationem patientur cum impiis. Quantum enim distat inter hivem et pruinam, tantum inter hæc et illa tormenta; de quibus adhuc subditur:

« Tempore, quo fuerint dissipati, peribunt, et ut « incaluerint, solventur de loco suo. » In judicio enim viri iniqui dissipati peribunt, et internis incendiis calefacti solventur de loco suo, secundum illud: « Transivi, et ecce non erat, quæsivi eum, et non est inventus locus ejus (*Psal.* xxxvi, 36). » Nullum enim in hoc mundo habitationis locum habebunt, quibus ipsa tormentorum loca incerta erunt. Si quidem ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium. Hoc autem merito; quia nunquam recta et uniformi via incedunt. Et hoc est, quod dicit: « Involutæ sunt semitæ gressuum eorum; » involutæ quidem, quia tortuosæ; unde et subditur: « Ambulabunt in vacuum, et peribunt. » In vacuum enim ambulant, quia ex hujus itineris fatigatione nihil sibi nisi laborem et mortem acquirent; ideoque ait: « Et peribunt. » Hujus autem rei hoc sit vobis exemplum.

« Considerate semitas Theman, itinera Saba, et « exspectate paulisper. Confusi sunt, quia speravi. » Theman, *auster*, Saba, *rete* vel *captivitas* interpretatur. Per hos autem hæreticos intelligimus, qui eloquentiæ pluviis, et syllogismorum retibus fideles quosque decipere et irretire conantur. Talis autem erat iste Eliphaz Themanites et duo socii ejus. Dicatur ergo: Considerate hæreticorum semitas, quæ semper erroneæ sunt et tortuosæ. Et exspectate paulisper: omnis enim hæc vita brevis est, et cito finietur.

« Confusi sunt, quia speravi. » Spes enim sanctorum, iniquorum confusio est. Sancti enim non solum beatitudinem verum etiam et vindictam se de inimicis suscipere sperant; et quia eorum spes frustra esse non potest, ut mali confundantur, necesse est. Insuper etiam, quia beatus Job speravit, et a tribus viris eloquentissimis a suæ spei firmitate moveri non potuit, confusi sunt, et nimia verecundia perturbati. Unde et subditur:

« Venerunt quoque usque ad me, et pudore coo« perti sunt. » Veniunt enim hæretici ad Ecclesiam, et vincuntur victique pudore operiuntur. Venerunt autem et amici Job usque ad eum; quia usque ad ejus cordis intima disputando persecuti sunt eum. Et pudore cooperti sunt, quia unus a pluribus, et ipse æger a sanis vinci non potuit. Sequitur:

« Nunc venistis, et modo videntes plagam meam « timetis. » Quid timebant, aut quid ibi timidum videbant? Videbant enim hominem valde flagellatum; timebant ergo fortasse ne et sibi idipsum contingeret, aut quia dives et potens fuerat; nunc autem nimia inopia oppressus erat; ideo isti forsitan timebant, ne vir sanctus eos rogaret, ut illi de suis facultatibus sibi subvenirent. Hoc enim sequentia sonare videntur, quibus ait:

235 « Nunquid dixi: Afferte mihi, aut de sub« stantia vestra donate mihi; vel liberate me de « manu hostis, et de manu robustorum eruite me? » In talibus enim angustiis et necessitatibus invicem sibi boni amici subvenire solent; avari autem quascunque possunt excusationes objiciunt, et cum indigentem amicum consolari debeant, potius ei sua culpa talia accidisse redarguunt. Quod quidem isti facere videntur. Hunc autem timorem beatus Job pruden-

Digitized by Google

ter ab eis removit, atque eorum stultitiam consequenter irridens, ait :

« Docete me, et ego tacebo; et si quid forte ignoravi, instruite me. » Valde enim irridendus est, qui et sapientiorem se docere vult, et sanctiorem se corrigere conatur. Quod autem isti neque docere, neque corrigere debeant, adjungit :

« Quare detraxistis sermonibus veritatis; cum ex vobis nullus sit, qui possit arguere me ad increpandum, tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis. » Quia enim omnium horum voluntas, et sententia una erat, quamvis solus Eliphaz superius sit locutus, omnes tamen sermonibus veritatis detraxisse et verba ad increpandum concinnasse commemorat. In ventum autem verba proferunt, qui non ad utilitatem, sed se jactando loquuntur, quorum verba, quia otiosa sunt, non memoria hominum retinet, sed ventus tollit. Sequitur :

« Super pusillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. » Quod se pusillum vocat, suam innocentiam, humilitatemque insinuat. Quod vero se amicum dicit, jam quasi Evangelii observator, inimicos etiam et persecutores se amare demonstrat. Sed, quia eorum versutias et subversiones non timet, subinferens ait : « Verumtamen quod cœpistis, prævalete aurem, et videte an mentiar : respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id quod justum est, judicate et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. » Absque contentione respondere, est, audita veritate, statim acquiescere. Sequitur :

CAPUT VII.

« Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies ejus. » Hinc beatus Job qualiter hac in vita militare debeamus, insinuat; qua in re se ipsum qualiter militaverit exemplum ponit. « Militia enim est vita hominis super terram; » quia quanto tempore in hac vita sumus, per arma justitiæ a dextris et a sinistris semper contra vitia et malignos spiritus pugnare debemus; quatenus, finita militia, pro victoria coronemur. Sunt autem dies hominis quasi dies mercenarii; quia si bene in Dei vinea laboraverit, hac die, id est hac vita finita, vitam æternam pro denario et mercede suscipiet; unde et subditur :

« Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui; sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi. » Cervus enim ut æstum repellat, umbram desiderat; mercenarius autem finem operis sui præstolatur, quia ante operis finem, mercedem non suscipit. Sic igitur et vir sanctus menses vacuos habuit, vacuos a mercede, vacuos et a quiete; quia enim eam, quam nondum susceperat mercedem exspectabat; ideo mundi divitias pro nihilo ducens, se laborando fatigabat. Hoc autem tanto desiderio agebat, ut si quando quiesceret, et aliqua occupatione ab hoc opere cessaret, hoc non quietem, sed laborem computabat. Et hoc est quod ait : « Et noctem laboriosam enumeravi mihi. » Noctem enim pro quiete posuit. Unde et subditur :

« Si dormiero, dico, quando consurgam; et rursus exspectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras. » Quia, inquit, non quietem, sed laborem desidero, ideo si quando dormio, et a Dei servitio cesso (dormit enim, qui Deo non servit) statim ad me reversus dico in corde meo, quando consurgam? Consurgere enim, est ad opus et contemplationem assuetam reverti. Sed quamvis hoc faciam, quamvis consurgam, quamvis bono operi insistam, tamen usque ad vesperam, usque ad tenebras, usque ad hujus diei, et vitæ terminum, doloribus replebor; partim quia cœlestia concupisco, partim quia inter impios habitans, semper deterior fieri pertimesco. Et hoc est quod ait :

« Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris. » Nemo enim terram inhabitans se defendere potest, ut terræ pulvere non tangatur. Beatus igitur Job in se Ecclesiam totam significans, dicat : Induta est caro mea putredine vitiorum et sordibus pulveris; quia et si peccare nolim, aliena tamen me peccata coinquinant; unde et Psalmista ait : « Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo (*Psal.* XVIII, 13). » Nostris enim peccatis putrescimus, alienis autem quasi pulvere aspergimur. Sed nota, quia non de spiritu, sed de carne dicit, ut non spirituales, sed carnales Ecclesiæ filios intelligamus, de quibus adhuc subditur :

« Cutis mea aruit, et contracta est. » Cutis enim, quæ in toto corpore exterior est, sæpiusque fœdatur, eos significat, qui a cordis contemplatione, et ab Ecclesiæ secretis consiliis male vivendo longius fiunt. Et isti quidem aruerunt, quia sancti Spiritus gratia non unguntur. Et **236** contracti sunt, quia amisso humore se ad bene agendum extendere nequeunt. Manus enim contracta se ad pauperem non extendit. Sequitur :

« Dies mei velociter transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe. » Pigro enim operario nullus dies velociter transit; hic autem, quia plus laborasse volebat, nimis velociter dies suos transisse conqueritur. Tela autem a texente succiditur, quando uniuscujusque vita finitur. Quasi enim quibusdam filis, ita horis, diebus et mensibus vitæ nostræ tela contexitur. Dolet igitur beatus Job, quod quando potuit, plus non laboravit; si tamen plus laborasse potuit; quoniam nondum ejus tela succisa est, et jam sicut prius laborare non potest. Dies autem præteriti absque ulla spe consumpti sunt, quia nihil ulterius in eis fieri possibile est. Ut ergo dies nostros non perdamus, dum præsentes sunt, dum tempus est, operemur bonum ad omnes.

« Memento, quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, ut videat bona, nec aspiciet me visus hominis. » Dies, inquit, præteriti absque ulla spe consumpti sunt : quid autem in futurum habiturus sim, nescio. Memento igitur, Domine, quia

Digitized by Google

ventus est vita mea, quoniam ad ejus similitudinem A cito transit et deficit. Nunc igitur affige, nunc peccata dimitte; quia postquam hinc transiero, non revertar huc, ut bona videam, id est ut iterum bona agam. Ille enim videt bona, qui oculos a malis avertens, bonum agere non obliviscitur. « Nec aspiciet « me visus hominis; » illius videlicet hominis, qui est Deus et homo. Aspicere autem Dei, misereri est. Cujus igitur hic peccata Deus non dimittit, eum in inferno non aspicit; « quia in inferno nulla est re- « demptio. »

« Oculi tui in me (331), et non subsistam. » Dixit enim modo : « Nec aspiciet me visus hominis; » nunc autem dicit : « Oculi tui in me, et non subsi- « stam : » quod utique contrarium esset, nisi duobus modis Deus super peccatores respiceret. Respicit B etiam ad miserendum, secundum illud : « Respexit Deus Petrum (*Luc.* XXII, 61). » Respicit etiam ad puniendum, ut hoc in loco; ideoque hic dicitur : « Et non subsistam. » Non enim in judicio peccatores subsistere poterunt, quia audita damnationis sententia, statim ad tormenta rapientur; unde et subditur :

« Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui « descenderit ad inferos, non ascendet, nec rever- « tetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum « amplius locus ejus (332). » Sicut enim nubes ventis impulsa consumitur et transit, ita peccatores dæmonum impulsu in tormenta præcipitati, ulterius in domum suam, id est in hunc mundum, in quo sem- C per habitare optabant, non revertentur. Quod autem sequitur : « Neque cognoscet eum amplius locus « ejus; » quantum ad litteram repetitio est. Sequitur :

« Quapropter non parcam ori meo, loquar in tribu- « latione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine « animæ meæ. » Quia, inquit, in infernum descendere timeo, quandiu in hac vita sum, non parcam ori meo. Ille namque suo ori parcit, qui neque peccata sua confitetur, neque pro eis Deum exorat. Loquitur autem vir sanctus in tribulatione spiritus, et amaritudine animæ, quia « cor contritum et spiritum humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 17) : » sive etiam, quia sic flagellatus. Deum laudare, et exorare non desistit. Sequitur :

« Nunquid mare sum ego, aut cetus, quia cir- « cumdedisti me carcere? » Quia enim ad Deum venire desiderat, ideo se carcere inclusum dolet; et tale est ac si diceret : Illi carcere includi debuissent, qui et amaritudine pleni sunt, et quasi cetus alios devorant et glutiunt; quos quidem nisi tuæ potentiæ carcere conclusisses, magnam ubique sanctorum stragem fecissent. At ego cur carcere claudor, cur carne retineor, qui nihil aliud, nisi ad te venire desidero (333). Sequitur :

« Si dixero : Consolabitur me lectulus meus, et re- « levabor loquens mecum in stratu meo; terrebis me « per somnia, et per visiones horrore concuties. » Ideo, inquit, ad te venire desidero, quia nullam hic invenio consolationem; si quidem neque ipsa mea mens me consolari valet; lectus enim, et stratus mentem significat, quoniam tota vis animæ in ea requiescit. Sed neque ibi beatus Job consolari valet; quoniam in extasi, et mentis excessu positus, dum et bonorum præmia, et malorum tormenta considerat, quasi per somnia et visiones terretur, et horrore concutitur; dum tam dura, tamque horrenda malorum tormenta contemplatur; ideoque ibi esse desiderat, ubi sine aliqua commotione beatitudine perfruatur. Unde et subditur :

« Quamobrem elegit suspendium anima mea, et « mortem ossa mea. » Ut et anima scilicet feratur in cœlum, et caro et ossa in terra requiescant; hoc autem exponit, **237** dicens : « Desperavi, nequa- « quam jam ultra vivam. » Alia enim bonorum, alia malorum est desperatio : malorum desperatio est, æternæ beatitudinis nullam habere spem; bonorum vero, hanc vitam præsentem penitus abjicere. Desperavit igitur beatus Job, quia hunc mundum despexit, cum omnibus concupiscentiis ejus; qui ideo jam non vivit, quoniam carnem suam affligendo quotidie occidit.

« Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. » Quia, inquit, hujus vitæ dies pro nihilo duco, et mori cupiens spem mundi nullam habeo; jam nunc parce mihi. Quid est autem, quod supra dixit : « Ut me affligens dolore non parcas : » nunc autem dicit : « Parce mihi : » nisi etsi non parcis flagellando, parce mihi, vel post flagella peccata solvendo? Considerans autem quid homo, et quam fragilis sit, considerans etiam, quanta ei gloria, et beatitudo præparata sit, subjungens, ait : « Quid est homo, quia magnificas eum? » Quod enim homo magnificatur, non ejus meritum, sed gratia Dei est (334). « Aut quid apponis erga eum cor tuum? » Quoniam nunquam ejus oblivisceris; longe enim est a corde, D quod traditur oblivioni. « Visitas eum diluculo. » Diluculo quidem, quia statim dum oritur, statim ut de ventris tenebris, et nocte in hujus diei lucem cadit, in eum visitas, tu nutris, tu custodis, tu cuncta sibi necessaria subministras. « Et subito probas « illum. » Nisi enim probaretur, cujus esset patientiæ, nesciretur. Toties enim homo probatur, quoties tan-

(331) « Oculi tui in me, scilicet erunt. Deo enim mortui conspicui sunt, qui spiritualia intuetur, quia mortui secundum spiritum vivunt, non secundum carnem, quem visus hominis aspicere non potest. » D. Th. in hunc locum Job.

(332) Cod. bibl. Mont. Amiatæ : « Sicut consumitur nubes, et pertransit, sic qui descenderit in infernum, non ascendit, nec revertitur ultra, nec cognoscet eum locus ejus. »

(333) Ita D. Paulus suspirans aiebat : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philip.* I, 3). Hoc est justorum desiderium.

(334) « Si non esset alia vita hominis, nisi quæ est super terram, non videretur condignus homo tanta Dei sollicitudine erga ipsum. Ipsa ergo sollicitudo, quam Deus specialiter habet de homine, demonstrat esse vitam hominis post corporis mortem. » D. Th. in Job.

Digitized by Google

gitur adversitate. « Usquequo non parcis mihi? » Probasti enim me, notificasti patientiam meam. Jam nunc « Dimitte me ut glutiam salivam meam. » Fit enim multoties, ut in magna ægritudine, desiccato gutture, arescente lingua, ardente palato, æger salivam glutire non possit. Tale est igitur, ac si dicat: Quid est Deus, quod agis? Nec peccata dimittis, nec a flagellis cessas. Scio enim, quia peccavi sed non ita, ut sic affligi debuissem. Quia vero flagellare non cessas, id ipsum quod peccavi, nondum esse dimissum pertimesco. Dimitte igitur ut glutiam salivam meam, quatenus vel sic intelligam, dimissa esse peccata mea. « Quid faciam tibi, o custos hominum? » Quam satisfactionem me facere præcipis, qui me semper custodiens, in quibus peccaverim non ignoras? « Quare posuisti me contrarium tibi : » ac si dicat : Indica mihi, Domine, quid commiserim pro quo me tibi contrarium et inimicum dijudicas, cujus rei timore perterritus, « factus sum mihimetipsi « gravis. » Quia enim displiceo tibi, gravis mihi factus sum, quoniam ipse quoque displiceo mihi. Nescio enim, quid peccassem ; sed, nisi peccassem, tibi non displicuissem; quia igitur ignoranter feci, « cur « non tollis peccatum meum, et quare non aufers « iniquitatem meam. » Hoc enim et Apostolus ait : « Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (*1 Cor.* xv, 9); » sed ideo misericordiam consecutus sum, quia ignoranter feci. « Ecce nunc « in pulvere dormio. » In pulvere quidem dormit, qui a bono opere in hoc corpore torpescit. Omnis enim homo pulvis est, secundum illud : Quia « pulvis es, et in pulverem reverteris (*Genes.* III, 19). » « Et si « mane me quæsieris non subsistam. » Mane enim tunc erit, quando hac nocte finita, ad judicandum Dominus veniet; tunc autem quem ipse quæsierit, quem de suis actibus interrogaverit, non subsistet; quoniam in illo districto judicio nemo se defendere poterit. Unde Psalmista ait : « Non intres in judicium cum servo tuo Deus, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLII, 2). »

CAPUT VIII.

« Respondens autem Baldad Suites dixit : Usque- « quo loqueris talia, et spiritus multiplex sermo oris « tui? » Usquequo dicit, quia jam eum audire tædebat. Et quia ejus verba non plene intellexit, multipliciter dicit eum esse locutum. « Nunquid Deus « supplantat judicium, aut omnipotens subvertit « quod justum est? » Redarguit eum dixisse calamitatem suam non æquam suis esse peccatis; insuper et Dei justitiam commendans adjecit : « Etiam si fi- « lii tui peccaverunt ei, et dimisit eos in manu ini- « quitatis tuæ; tu tamen si diluculo consurrexeris « ad Deum, et omnipotentem fueris deprecatus, « mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, « et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ, in « tantum ut priora tua fuerint parva, et novissima « tua multiplicentur nimis. » Vera quidem dicit, A verumtamen contra beatum Job, et filios ejus dixisse talia non debuit : non enim propter peccata quæ fecerint, vel illi oppressi, vel iste flagellatus est. Diluculo autem consurgere, est a vitiorum tenebris cito ad justitiæ lucem transire. Sequitur :

« Interroga enim generationem pristinam, et dili- « genter investiga patrum memoriam. » Ac si dicat : si præsentia non credis, reduc vel præterita ad memoriam, et cum hæc antiquis patribus contigisse cognoveris, tunc me intelligas non esse mentitum. « Hesterni quippe sumus, et ignoramus, quoniam « sicut umbra dies nostri sunt super terram. » Interroga tu, inquit, priores nostros, quoniam et nos interrogabimur **238** a posterioribus nostris. Hesterni enim sumus, et jam pene vitam finivimus, et B ignoramus, quoniam sicut umbra, quæ cito transit, dies nostri sunt super terram, si qui cito transeunt, et pereundo finiunt. Huc usque interpositio. Nunc autem ad patres revertitur dicens : « Et ipsi doce- « bunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent « eloquia. » Quasi enim ipsi loquuntur nobis, dum quid egerint, quomodo vixerint, quid eis acciderit, nobiscum cogitando tractamus. Sequitur

« Nunquid virescere potest scirpus absque hu- « more, aut crescet carectum sine aqua? Cum adhuc « sit in flore, ne carpatur manu, ante omnes herbas « arescit : sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum, « et spes hypocritæ peribit. » His verbis de quibus loquatur apertissime demonstrat : sicut enim scirpus nec sine humore virescit, nec sine aqua crescit; C ita hypocritæ, neque sanctitate virides, neque religione magni crederentur, nisi quia in aquis ecclesiasticis stare videntur : nam et recte prædicant, et eleemosynas faciunt, et orationibus et jejuniis insistunt. Hæ enim sunt illæ aquæ, sine quibus anima neque virescit, neque crescit. Cognoscitur autem hypocrita, quia, cum adhuc sit in flore, et pro pulchritudine, et religione, quamvis ficta, in honore a multis habeatur (hoc est enim in flore esse) ante omnes herbas arescit, etiamsi manu non carpatur, id est citissime a bono opere cessat, etiam si nulla adversitate feriatur. Quia enim ad ostentationem omnia facit, ut videatur, et laudetur, et honoretur, illico arescit. « Omnia enim, dicit Dominus, opera D sua faciunt, ut videantur ab hominibus (*Matth.* XXIII, 5). » — « Non placebit vecordia sua, et sicut « tela aranearum fiducia ejus. » Nam quia receperunt mercedem suam, cum ad judicium venerint, sibi quoque stulte laborasse displicebit, omnisque fiducia, quam habere videbantur, vana et inutilis erit; de quibus adhuc subditur :

« Innitetur super domum suam, et non stabit, « fulciet eam, et non consurget. » Multis enim argumentis domum suam, id est corpus et animam suam hypocritæ tunc defendere et fulcire nitentur; sed quia Deum nihil latet, non stabit. Non stabit quidem, quia in tenebras præcipitata ruet. « Et « non consurget, » quia sursum inter sanctos non elevabitur. Fulcient autem, quando dicent : « Domine,

Digitized by Google

nonne in nomine tuo prophetavimus? (*Matth.* VII, 22.) » Et similia. Sequitur :

« Humectus videtur, antequam veniat sol, et in « ortu suo germen ejus egreditur. » Multi enim suam hypocrisim in tantum occultant, ut semper humecti et Spiritus sancti gratia perfusi credantur, quos tamen siccos fuisse, sol justitiæ revelabit. Egredietur autem germen ejus in ortu suo, quia sui laboris fructum recipere incipit, ab initio simulationis suæ, nullam enim aliam mercedem recipiet. « Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, et inter « lapides commorabitur. » Per petras et lapides, sanctos intelligimus, de quibus cœlestis Jerusalem muri ædificantur. Inter hos commorantur hypocritæ et radices densant, quoniam cunctis viribus his adhærere conantur; quatenus sanctorum societate laudabiliores appareant; si enim se ab eis dividerent, mox eorum hypocrisis manifesta fieret. Sequitur :

« Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, « et dicet : Non novi te. » Hoc enim in judicio fiet, quando de loco suo, id est de hoc mundo hypocritas absorptos et sublatos negabit Dominus, dicens : « Ite, operarii iniquitatis : amen dico vobis, nescio vos (*Luc.* XIII, 27). » Quare hoc? Sequitur : « Hæc « enim est lætitia viæ ejus, ut rursum de terra alii « germinentur. » Mali enim semper desiderant, ut eorum numerus crescat. Merito igitur damnantur, qui aliorum damnationem concupiscunt. Hæc de hypocrita, qui per juncum figuratur; nunc vero ad simplicem convertitur, dicens :

« Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, et « labia tua jubilo. » Sicut enim omnis hypocrita simulator, ita omnis simplex sine simulatione. Hunc autem Deus suscipit; illi autem nunquam misericordiæ manum porrigit. Risus autem et jubilum, gaudium designant : his ergo sanctorum os et labia implebuntur, quoniam æterna lætitia et gaudio perfruentur. « Qui oderunt te, induentur confusione, « et tabernaculum impiorum non subsistet. » Quoniam hac, in qua nunc habitant, carne, iterum induti, nunquam confusione, angustiis et tribulatione carebunt.

CAPUT IX.

« Et respondens Job, ait : Vere scio quod ita sit, « et non justificetur homo comparatus Deo. » Vere, inquit, narras, et Deo comparari nemo potest; qui ut dixisti, neque judicium supplantat, neque subvertit, quod justum est. « Si voluerit contendere cum eo, « non poterit respondere unum pro mille. » Cum Deo namque contendit, qui ejus judicia reprehendit. Sed non potest respondere unum pro mille, quia in ipso suæ locutionis principio, divinæ sapientiæ perfectione convincitur. « Magnus enim est Dominus, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus (*Psal.* CXLVI, 5); » unde et subditur : « Sapiens corde A est, et fortis robore (335). » Vincit igitur ut sapiens, pugnat ut fortis; ideoque subditur : « Quis restitit **239** « ei, et pacem habuit? » De illa autem pace, loquitur, quæ exsuperat omnem sensum, quam qui non habet, revera punitur; siquidem a diabolo possidetur; unde et subditur : « Qui transtulit mon- « tes, et nescierunt hi, quos subvertit in furore suo. » Montes apostoli sunt, hos autem Dominus a Judæis ad gentes transtulit, quoniam Judæi Domino restiterunt. Subvertit eos in furore suo, et nescierunt, quoniam occulto Dei judicio ipsam suam damnationem et Dei super se indignationem non intelligunt; si enim intellexissent, jam olim ad Ecclesiam confugissent. Sequitur :

« Qui commovet terram de loco suo, et columnæ B « ejus concutiuntur. » Commovit enim Dominus terram de loco suo, quia Judæorum populum ab hæreditate separavit : cujus columnæ concussæ sunt, quia Scribæ, Pharisæi et cæteri majores, qui quasi columnæ inter eos erant, simul cum aliis ducti sunt in captivitatem. « Qui præcipit soli, et non oritur, « et stellas claudit, quasi sub signaculo. » Sol in hoc loco Evangelium significat, cujus illustratione totus mundus illuminatur. Stellæ autem doctores sunt, de quibus scriptum est :

« Et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ « erunt in perpetuas æternitates (*Dan.* XII, 3). » Hic autem sol, jubente Deo, modo non oritur. Quia neque Judæis, neque paganis Evangelium modo nuntiatur. Stellæ quoque quasi sub signaculo clausæ C sunt, quia sancti prædicatores nunc inter infideles non apparent, inter quos tamen juxta sæculi finem clarissime lucebunt. « Qui extendit cœlos suos, et « graditur super undas maris. » Cœlos enim Deus extendit, quando suis discipulis ait : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ. » Graditur autem super fluctus maris, quia mundi hujus procellas, quando vult, conquiescere facit.

« Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, inte- « riora Austri. » Singulis singula opposuit, id est contra Arcturum, Oriona, et Hyadas, et interiora Austri. Per Arcturum, qui in cœli sublimitate consistit, apostolos qui utique in Ecclesia sublimiores sunt; per Orionem vero, qui gladio accinctus appa- D ret, tyrannos intelligimus : at vero per Hyadas, quæ suo ortu pluvias concitant, cæteros Ecclesiæ doctores, qui verbi Dei pluvias spargunt et arentia corda infundunt. Per Austri vero interiora, hæreticos designamus; inde Eliphaz Themanites dicitur; inde superius legitur : « Considerate semitas Theman. » Theman enim *Auster* interpretatur. Idem igitur, qui fecit Arcturum, fecit Oriona, quia qui fecit apostolos, fecit et tyrannos; et qui fecit doctores, fecit hæreticos. Unus est enim Creator omnium, « qui « magna fecit, et incomprehensibilia, et mirabilia « quorum non est numerus. » Quia cuncta nume-

(335) Hæc omnia paucis complexus est D. Petrus dicens : *Humiliamini sub potenti manu Dei* (*I Epist.* III, 6).

Digitized by Google

rare non potuit, incomprehensibilia et innumerabilia esse dixit. Sequitur :

« Si venerit ad me, non videbo, si abierit non « intelligam eum. » Deus enim secundum humanam opinionem, quando nobis prospera tribuit, ad nos venire, quando vero adversa, a nobis abire videtur (336). Sed ideo neque venientem, neque abeuntem videmus, quia quare prospera, et quare adversa tribuat, non intelligimus; quoniam et bonis, et malis hæc utraque in hac vita largitur. Quis enim intelligat, quare affligantur boni, et prosperentur mali ? Sequitur :

« Si repente interroget, quis respondebit ei ? Vel « quis dicere potest, cur ita facis ? » Cum enim Deus repente flagellare hominem incipit, tunc eum quodammodo interrogat ; quia quare flagelletur, eum cogitare compellit (337). Homo tamen Deo non respondet, quia cur hoc fiat, rationem reddere nescit. Dei namque flagella aliquando puniunt, aliquando corrigunt, aliquando merita augent, aliquando peccata solvunt, aliquando bonis exempla patientiæ tribuunt, aliquando malis terrorem incutiunt. Sed quis potest Deo dicere, cur ita facis, cum nihil unquam sine ratione et justitia faciat ? « Deus « cujus iræ nemo resistere potest. » Dei iræ pœnitendo, indulgentiam et misericordiam quærendo resistere homo potest, superbiendo non potest ; ideoque angeli in cœlis, et sancti ei subjiciuntur in terris ; unde et subditur : « Sub quo curvantur, qui « portant orbem. » Illi enim orbem portare dicuntur, qui mundum regendo et consulendo sustinent, sive carnaliter hoc sive spiritualiter agant. Et isti quidem sub eo curvantur, quoniam sponte et non sponte sub eo humiliantur. « Quantus ergo sum ego, qui « respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo ? » ac si dicat : Quomodo ego contra eum superbiens, vel cogitatione murmurabo, cui se et cœlestia et terrestria humiliant et inclinant ? « Qui etiam si « habuero quidpiam justum, non respondebo, sed « meum judicem deprecabor. » Deprecandus enim solummodo est, qui neque viribus, neque ratione vinci potest. « Ut cum invocantem exaudierit me, « non credo, quod audierit vocem meam. » Deus enim, per bonitatem suam, solem oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos, non tamen eum invocantes exaudiendo, sed secundum dispositionem suam mundum regendo (338). Quamvis igitur aliquando **240** fiat, quod oramus, non tamen id semper orationibus impetramus, quoniam et si oratio non præcederet, id tamen nihilominus fieret. Dubitari ergo potest, cum exaudimur, an orationem nostram Deus audierit : « In turbine « enim conteret me, et multiplicabit vulnera mea, « etiam sine causa. » Quia enim quare conteratur, ignorat, ideo in turbine et caligine se flagellari dicit. Quod autem ejus vulnera sine causa multiplicentur, ipse Dominus ostendit, dicens :

« Tu autem commovisti me adversus eum, ut « affligerem eum frustra. Non concedet requiescere « spiritum, et implebit me amaritudinibus. » Hæc omnia, quamvis cur fiant non intelligam, non tamen resisto, non reprehendo, non me defendo, neque contradico. Quare hoc ? vis audire quare ? « Si fortitudo quæritur robustissimus est, si æquitas « judicii, nemo audet pro me testimonium dicere, « si justificare me voluero, os meum condemnabit « me, si innocentem ostendero, pravum comproba- « bit. » Qui ergo nihil habet, quo causam suam defendere possit, non commoneat judicem, sed deprecetur. Sed quomodo se Job defendere posset, ad cujus condemnationem solum peccatum originale sufficiebat ? Sequitur :

« Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit « anima mea, et tædebit me vitæ meæ. » Quem enim vitæ suæ non tædet, cum homo tanta ignorantia sit involutus, ut seipsum etiam non cognoscat ? Denique qua temeritate ante judicem cuncta scientem ad se defendendum ire præsumat qui de seipso, qualis sit non intelligit ? Quis enim defendat, quod nescit ? Nemo enim tam simplex est, ut vel ignoranter aliquando contra veritatem non agat. Sequitur :

« Unum est, quod locutus sum ; et innocentem, « et impium ipse consumit. » Hoc non loquendo, sed cogitando locutus est. Deus autem utrumque, sed non uno modo consumit. Alterum enim consumit, ut melior fiat ; alterum vero, ut semper consumatur, et in pœnis sit.

« Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis in- « nocentium rideat. » Quia, inquit, etiam innocentem ipse consumit, et flagellat, nunc innocentes flagellare desistat, et unum innocentem, qui non moritur nisi semel, semel occidat. Hoc enim dicebat, quia nisi Christi passione mundum a tormentis liberari non posse sciebat. Quasi vero de pœnis innocentum Deus ridebat, quando in tormentis relinquens eos eripere non curabat. Quia vero de Christi passione loqui cœperat, subinferens, ait.

« Terra data est in manu impii, vultum judicum « ejus operuit. » Terra enim in manu impii data est, quia Christi caro Judæis in potestate tradita

(336) « In Scripturis Deus venire ad hominem dicitur, quando ei sua beneficia largitur, sive intellectum ejus illuminando, sive affectum inflammando, sive qualitercunque ei beneficando. » D. Thom. in hunc locum.

(337) « Interrogat autem Deus hominem, quando eum ad considerandum suam conscientiam reducit, vel interius inspirando, vel exterius provocando beneficiis, aut flagellis ; secundum illud » Psal. x. *Dominus interrogat justum, et impium*, etc. Idem D. Thom.

(338) Docet S. Thomas in hunc locum, Deum aliquando hominem exaudire non ad votum, sed ad profectum ; quippe eo in tribulationibus constituto, tribulationes non subtrahit, quamvis deprecanti, quia scit eas expedire ad finalem ejus salutem.

Digitized by Google

est. Vultum autem judicum ejus impietas et malitia operuit; quia sicut scriptum est: « Excæcavit eos malitia eorum (*Sap.* II, 21). » Judices autem, Scribæ et Pharisæi, et ipsi principes sacerdotum fuerunt. « Quod si non ille est, quis ergo est? » Si, inquit, ille populus, qui Dominum suum interfecit, impius non est, quis alius impius est?

« Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, « non viderunt bonum. » Hoc est quod in Evangelio Dominus ait: « Multi prophetæ et reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt (*Luc.* X, 24). » Conqueritur enim B. Job quod dies ejus tam cito transierunt, et Christum in carne videre non meruit; ideoque subdidit: « Fugerunt, « et non viderunt bonum. » Vere utique bonum, et sine quo nihil est bonum. Beati igitur apostoli qui eum viderunt, cujus desiderio iste videre optabat, qui in tormentis positus, hoc excepto, solam mortem desiderabat.

« Pertransierunt quasi naves poma portantes, et « sicut aquila volans ad escam. » Pertransierunt, inquit, dies mei, sed non otiose et non inutiliter; imo quasi naves poma portantes, bonum utique odorem reddentes, multosque suavi et delectabili cibo reficientes. Non solum enim illi qui tunc erant, verum etiam nos ejus pomis, ejusque sententiarum dulcedine reficimur. Aquila autem, quamvis naturaliter agilis sit, escæ tamen cupiditate velocius volat, in quo dies suos quam celeriter transisse insinuat; quamvis per hoc eum non in vacuum volasse (siquidem post volatum, beatitudinis escam invenit) intelligere possumus. Sequitur:

« Cum dixero: Nequaquam ita loquar: commuto « faciem meam, et dolore torqueor. » Si, inquit, ut modo feci, præteritam vitam meam aliquando commendo, statim ad me reversus, in corde meo dico. Non ita loquar. Cum autem hoc dixero, illico commuto faciem meam, et mutando dolore torqueor, quoniam sicut hilaris esse videbar, in præteritorum meorum actuum commemoratione; ita mutato vultu dolore torqueor, in futurorum tormentorum recordatione. Melius enim est futura, quam præterita in mente habere, nisi forte peccatorum suorum homo recordetur; bonorum enim actuum recordatio, quid aliud est quam mentis elatio? Hanc autem elationem comprimens, ait:

« Verebar omnia opera mea, sciens quod non par- « ceres delinquenti. » Ac si dicat: Cur mens mea de præteritis bene actis se extollat, cum ego a peccatis cessaverim, quia magistri, qui delinquenti non parcit, flagella metuebam (339)? Hoc autem non **241** tantum in sua, quantum in aliorum persona dicit, qui sæpe in suis actionibus gloriantur. Et quasi ad hæc amici ejus responderent, dicentes: Si ergo A Deus non parcit delinquenti, cum et tibi modo non parcat, te deliquisse non dubium est; ad quod ipse:

« Si autem et sic impius sum (ut isti, subauditur, « me esse arbitrantur) quare frustra laboravi? » Frustra enim laborasse, si talis esset, qualem isti eum esse dicebant. Quod autem ait: sciens, « quod « non parceres delinquenti, » de eo intelligatur qui in peccatis perseverat, quoniam delinquens, præsens tempus significat.

« Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint « velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus « intinges me, et abominabuntur me vestimenta « mea. » Ac si dicat: Neque impius quidem sum, neque me non peccasse defendo; quoniam nemo tam lotus et mundus est, in quo Dei majestatis oculi B maculam non inveniant. Niveis enim aquis lavari, est, ad nivis similitudinem candidum esse. Manus vero opera designant, quoniam manibus opera fiunt. Sordibus autem Deus hominem quodammodo intingit, dum sordibus intinctum esse ostendit. Quid vero vestimenta, nisi corpus quo anima vestitur, significant? Hoc autem vestimentum, quia facile corrumpitur, hominem abominatur, id est abominabilem hominem facit.

« Neque enim viro, qui similis est mei, respon- « debo: nec qui mecum in judicio ex æquo possit « audiri. » Quantumlibet, inquit, lotus fuero, me tamen ante judicem non defendam, quia neque mei similis est, ut aliquid ignoret, et melius quam ego me ipse cognoscit. Hoc est enim quod superius ait: C « Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima « mea. » Denique, et si cum illo, quod absit! contendere voluero, non erit qui me et illum ex æquo audire valeat; ego enim multos, ipse vero nullum habet æqualem, vel superiorem; unde et subditur:

« Non est qui utrumque valeat arguere, et po- « nere manum suam in ambobus. » Omnis enim judex talis esse debet, qui utrumque litigantem, ubi opportunum fuerit, arguere possit, et in ambobus manum ponens, rationabiliter eos et interrogare, et respondere compellat. Sequitur:

« Auferat a me virgam suam, et pavor ejus non « me terreat. » Ideo, inquit, ei non respondeo, quia ipsius virgam correctionis, et nunc in carne sentio, et postmodum deteriora minantem considero. Interim eam igitur auferat, et pavor ejus non me terreat Sæpe enim sensus timore minuitur, quod quidem in pueris fieri videmus, qui cum sibi imminentem virgam aspiciant, ipsum quoque quod sciebant, timore amittunt; unde subditur:

« Loquar, et non timebo eum, neque enim me- « tuens possum respondere. » Hæc enim beatus Job dicit, quia pura conscientia defensus, nihil sibi conscius erat. Sed iterum se non sine causa flagel-

(339) A peccatis multiplicandis abstinerent peccatores, et de præteritis pœnitentiam agerent, si hæc recogitarent, quibus consona sunt quæ habentur Eccli. cap. v, 6. *Et ne dicas; Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim, et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius.*

Digitized by Google

turi intelligens, quamvis in quo peccasset, ignoraret. A se tamen peccasse metuebat; et hanc quidem ignorantiam deplorat, dicens :

CAPUT X.

« Tædet animam meam vitæ meæ. » Hoc autem superius exposuimus, cum diceret : « Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, et « ideo tædebit me vitæ meæ. » Quia igitur me ipsum non cognosco, non ulterius dicam : Loquar, et non timebo, neque contra meum judicem loquar, sed econtra : « Dimittam adversum me eloquium « meum. » Ille enim contra se suum eloquium dimittit, qui seipsum redarguere incipit, secundum illud : « Justus in principio est accusator sui (*Prov.* XVIII, 17). » — « Loquar in amaritudine animæ meæ. » In amaritudine animæ loquitur, qui peccata sua cum dolore et fletu et vera pœnitudine confitetur. « Dicam Deo noli me condemnare. » Hoc enim omnis homo debet orare, dicens Deo : « Noli me condemnare. Indica mihi cur me ita judices? » Cur enim beatus Job quare affligeretur tantopere scire optabat, nisi ut cognita culpa, si qua tamen esset, et magis affligi concupisceret, et majori se pœnitentiæ subjiceret? « Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, et opprimas me, opus manuum tuarum, « et consilium impiorum adjuves? » Placet, inquit, tibi, ut me opprimas, et per calumniam affligas? Hoc enim impii volunt, hoc maligni spiritus desiderant, hoc est illorum consilium, ut homo pereat, et opus manuum tuarum vanum et inutile appareat. C « Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt « homo, et tu videbis? » Tu, inquit, simul præsentia, futura et præterita vides, tu qualis sim, qualis fuerim, et qualis futurus sim, non ignoras; quoniam neque carnei oculi tibi sunt, qui vix ante se posita conspiciunt; neque sicut videt homo, ita et tu videbis; homo enim videt in facie, tu autem corda consideras; unde adhuc subditur :

« Nunquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui, « sicut humana sunt tempora? » Te enim nihil latere potest, quoniam semper fuisti, et es, et eris, et anni tui nunquam deficient. Cur ergo peccata mea examinando scruteris, quæ, si quæ sunt, tu optime nosti? Et hoc est quod dicit : « Ut quæras iniqui- « tatem meam, et peccatum meum scruteris, et D « scias quia nihil impium fecerim; eum sit nemo, « qui de manu tua possit eruere. » Quia, inquit, impium nihil feci, tu me misericorditer dimitte, quoniam aliter de manu tua liberari, et erui non possum.

« Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me « totum in circuitu, et sic repente **242** præcipitas « me? » Ac si dicat : Quare tam vilem et despectibilem deputas, quem in tanta dignitate tuis manibus condidisti? « Memento, quæso, quod sicut lutum feceris « me, et in pulverem reduces me. » De terra, inquit, factus, in terram subito rediturus, fragilis de fragili materia factus, si peccavi, indulgentiam consequi debeo (340). Et ita quidem in primo homine creati sumus, quomodo autem quotidie ab ipso cæteri oriantur, audiamus. Sequitur :

« Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum « me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me, vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum. » Vide ergo quam ordinata humanæ creationis descriptio. Considera etiam a quanta miseria homo incœperit, et cognosce fragilitatem tuam, et noli superbire pulvis et cinis. Qui vero vitam et misericordiam homini tribuit, ipse ejus spiritum visitat et custodit. « Nisi enim Dominus custodierit B civitatem; in vanum vigilant, qui custodiunt eam (*Psal.* CXXVI, 2). »

« Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia « universorum memineris. » Licet, inquit, me hæc celes, et tuam voluntatem plene non intelligam, scio tamen quia universorum memineris, et quia « visitatio tua custodivit spiritum meum; » quem nisi tu quoque custodisses, huic tantæ tentationi resistere non potuisset.

« Si peccavi, et ad horam pepercisti mihi, cur « ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? »

Valde enim beatus Job de peccato suo sollicitus erat, ideoque toties illud commemorat : si, inquit, peccavi, quin peccavi; tunc me punire debuisses; C sed quia hoc non fecisti, et ad horam mihi pepercisti, utrum peccaverim et quid peccaverim incertus sum. Cur ergo ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? Si enim scienter peccassem et pœnitentiam non egissem, merito immundus et iniquus reputarer; nunc autem si peccavi, et, te parcente, non intellexi cur me iniquum esse dijudicas? Utinam non pepercisset, ut statim ipsa correctione peccatum meum intellexissem. Quid ergo faciam?

« Si impius fuero, væ mihi, et si justus, non « levabo caput, saturatus afflictione et miseria. » Vir enim sanctus in flagellis positus, quia se peccasse metuebat, tantam in mente sua afflictionem et miseriam patiebatur, ut caput elevare timeret. Quid D est enim elevatio capitis, nisi exhilaratio mentis?

« Et propter superbiam quasi leænam capies me, « reversusque mirabiliter me crucias. » Si, inquit, impius fuero, quod absit! væ mihi est, et si superbus propter superbiam, quasi leænam capies me. Leæna enim cadens in foveam capitur; impius autem et superbus in foveam cadet; capietur igitur quasi leæna : de hac enim fovea scriptum est : « Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit (*Psal.* VII, 16). » Revertetur autem Dominus, quia qui prius judicandus venerat, secundo judicaturus adveniet, et tunc quidem mirabiliter im-

(340) S. David etiam hæc considerans, ait : *Miserius est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam pulvis sumus* (*Psal.* CII, 14).

Digitized by Google

pios et superbos cruciabit; tunc enim fiet, quod sequitur :

« Instauras testes tuos contra me, et multiplicas « iram tuam adversum me, et pœnæ militant in « me. » Si impius (subauditur) et superbus fuero, Dei namque testes, angeli et apostoli sunt, quorum testimonio damnabuntur iniqui. Et tunc quidem ira Dei multiplicabitur, et pœnæ contra impios militabunt, dicente Domino : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus (*Matth.* xxv, 41). » Hæc autem vir sanctus considerans, sciens omne hoc malum propter peccatum primi hominis accidisse, illius transgressionem deplorans, ait :

« Quare de vulva eduxisti me? Qui utinam con- « sumptus essem, ne oculus me videret, fuissem « quasi non essem, de utero translatus ad tumu- « lum. » Quoniam latius hæc superius exposita sunt, nunc iterum sub brevitate dicamus. Diximus enim : Per vulvam, diaboli suggestionem primam, per consumptionem vero et mortem separationem a peccato significari. Dicatur ergo : « Quare de vulva « eduxisti me? » id est, quare me diabolicæ suggestioni assensum præbere permisisti? « Qui utinam « consumptus essem ; » id est, statim, ut audivi, ab ea « recessissem ne oculus me videret, » id est, ne me nudum esse cognoscerem. Prius enim quam peccasset, quasi a nemine videretur, suam nuditatem homo non erubescebat; tunc igitur eum prius oculus vidit, quando se videri erubuit. « Fuissem quasi non essem ; » id est, si per suggestionis vulvam audiendo transiens non consensissem, fuissem, ac si tentatus non essem, quoniam talis tentatio pro nihilo duceretur. De utero vero transfertur ad tumulum, qui statim de tentationis utero prodiens, quasi jam sepultus, et tumulatus ejus ulterius non recordatur. Sicut econtra illo in peccato vivit, qui a peccato non recedit. Cui autem hæc videntur obscura, recurrat ad superiora. Sequitur :

« Nunquid non paucitas dierum meorum finietur « brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululum « dolorem meum. » Cum enim beatus Job se toto corpore contritum et flagellatum videret; cumque naturalem spiritum penitus in se diminutum esse sentiret, quæ utique mortis signa sunt, quid aliud nisi mortem exspectare poterat? Ideoque **243** dicit : « Dimitte. » Non est autem contrarium, quod aliquando Deum rogat, ut eum affligens dolore non parcat, aliquando vero, ut ei parcat. Vult etiam, ut sibi parcat, quatenus remotis flagellis, et culpis dimissis, nihil in se remansisse intelligat, quod puniatur. Qui enim flagellis non eget, cur flagellari desiderat? Sed quia hic ait, « ut plangam « paululum dolorem meum, » cur se dimitti exoret satis manifestat. Neque enim potest mens orationi et contemplationi vacare, quando corpus immensis doloribus fatigatur. Sequitur :

« Antequam vadam, et non revertar, ad terram « tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram « miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et « nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. » Postquam enim homo in infernum descendit, jam peccata sua flere non valet. Neque vero huc revertí licet, ut iterum pœnitentiam agat. Ibi autem non est nisi tenebræ et caligo, nisi miseria et umbra mortis, nisi horror et timor sempiternus. Quod autem nullum ordinem ibi esse dicit, tale est, ac si diceret : Nihil ibi est quod vel visu, vel auditu sit delectabile ; siquidem ea magis delectant, quæ ratione et ordine fiunt.

CAPUT XI

« Respondens autem Sophar Naamathites, dixit: « Nunquid qui multa loquitur, nonne et audiet? « Aut vir verbosus justificabitur ? » Ab increpatione incipit; et quasi qui non ratione, sed verbositate se defenderet, virum sanctum in principio suæ locutionis redarguit; unde adhuc dicit : « Tibi soli « tacebunt homines, et cum cæteros irriseris, a « nullo confutáberis? » Stulti enim videri se putant quando resistere sapientibus nesciunt, et quod ratione non possunt, vel injuriis vel mendacio facere conantur ; unde et subditur : « Dixisti enim : purus « est sermo meus, et mundus sum in conspectu « tuo. » Hoc Job non dixit, quamvis si dixisset, verum quidem dixisset. Sequitur :

« Atque utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi; ut ostenderet tibi secreta « sapientiæ, et quod multiplex esset lex ejus, et « intelligeres quod multo majora exigaris ab eo « quam meretur iniquitas tua. » Ac si dicat : Quia nobis credere non vis, utinam ipse Deus per se tibi loqueretur, et sapientiam suam, quæ tibi occulta est, tibi ostenderet, ut vel sic a stultitia tua cessares. Legem autem Dei multiplicem dicit, ut eam ad intelligendum difficilem esse demonstret. Et tale est ac si diceret : Tu quia legem pro sua difficultate non intelligis, magna te tormenta sustinere arbitraris, cum multa majora sustinere debuisses. Ei enim, qui legem non intelligit, quælibet res injusta esse videtur.

« Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque « ad perfectum omnipotentem reperies ? » Hæc irridendo dicit. Vestigia namque Dei comprehendere, est ipsius voluntatis viam plenissime scire. Hoc est enim quod exponens ait : « Et usque ad perfectum « omnipotentem reperies. » Quis enim Dei voluntates et consilia ad perfectum et plenissime sciat, cum vicissim inter nos nostras voluntates non agnoscamus ?

« Excelsior cœlo est, et quid facies ? profundior « inferno, et unde cognosces! Longior terra mensura « ejus, et latior mari. » Hæc est igitur causa cur Deus ad perfectum comprehendi nequeat. Immensus enim est, et cum ubique sit, et diffusus per omnia, ipse tamen in se omnia continet. Est autem excelsior cœlo, quia cunctis angelis major, profundior inferno, quia quos de cœlis, ut excelsior ejecit, nusquam se ab ejus oculis abscondere queunt.

Digitized by Google

« Si subverterit omnia, vel in unum coarctave- A habent fiduciam, proposita spe, quia indubitanter
« rit, quis contradicet ei? » Sicut, inquit, quando ea quæ speraverant consequuntur. Et usque ad
omnia fecit nullum habuit adjutorem, ita si ei cun- illud tempus defessi et mundi laboribus fatigati
« ta delere placuerit, nullum habebit contradictorem. jam inde securi dormiunt, et in æterna pace quie-
Hoc autem propter Job dicit, qui suam deflens ca- scunt. Plurimi autem eorum faciem deprecabuntur,
lamitatem, Deo contradicere videbatur. « Ipse novit quia tales fieri desiderant, sicut de Ecclesia dicitur:
« hominum vanitatem, et videns iniquitatem, nonne « Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis
« considerat? » Ac si dicat : Cum ipse omnia, in (*Psal.* XLIV, 13); » sive quia illuc venire concu-
quibus erramus, cognoscat et sciat, nunquid iniqui- piscunt, ubi eos videant, et eis associentur. Se-
tatem non considerabit, aut impunitam abire per- quitur : « Oculi autem impiorum deficient, et ef-
mittet? Quis enim hoc, nisi vanus et stultus credit? « fugium peribit ab eis, et spes eorum abominatio
Et hoc est, quod ait : « Vir vanus in superbiam « animæ. » Tunc enim impiorum oculi deficient,
« erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum quia dicetur eis : Tollantur impii, ne videant glo-
« natum putat. » Hoc verum est, quandiu in vani- riam Dei; sive etiam, quia misericordiam, quam
tate homo persistit, superbire non cessat, et quasi exspectabant, non invenient; unde et subditur. « Ef-
animal indomitum nullo freno retinetur, quin omnia B « fugium peribit ab eis, et spes eorum abominatio
faciat, quæcunque sibi voluntas suggerit, sed quare « animæ, » id est abominatio vitæ. Vellent enim
hoc dicat, sequentia manifestant. impii mori, sed non poterunt (341).

« Tu autem confirmasti cor tuum, et expandisti CAPUT XII.
« manus tuas. » Cor autem confirmare, est in eo- « Respondens autem Job dixit : Ergo vos estis
dem proposito permanere. Et hoc idcirco dicere vi- « soli homines, et vobiscum morietur sapientia?
detur, quia eorum verbis mutari non poterat. Quod « Et mihi est cor, sicut et vobis, nec inferior vestri
autem ait : « Et expandisti ad Deum manus tuas; » « sum. Quis enim hæc quæ nostis, ignorat? » Hoc
hoc est intelligere, nisi cor humiliaveris, frustra ad est enim quod Salomon ait : « Responde stulto
Deum in oratione manus expandis. Hinc autem quasi juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur
ejus insipientiæ compatiens, Dei gratiæ recuperandæ (*Prov.* XXVI, 5). » Ergo vos, inquit, estis soli homi-
consilium subinferens, ait : « Si iniquitatem, quæ nes et rationales; nos autem bruta animalia sumus,
« est in manu tua abstuleris a te, et non manserit et vobiscum morietur sapientia? Si enim in vobis
« in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris solummodo est, vobis morientibus, jam non erit;
« faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et C sed non est ita. Et mihi est cor et sapientia, sicut
« non timebis. » Bonum est hoc consilium, sed Job, et vobis, nec inferior vestri sum. Nota quod non
si sibi daretur, non indigebat. Non enim, ut Sophar superiorem, sed æqualem se esse dicit, quamvis eos
mentitur, iniquitas erat in manibus, id est in ope- omni virtute superaret. « Quis enim hæc, quæ no-
ribus ejus, neque injustitia manebat in ipsius cor- « stis, ignorat? » Vos, inquit, ea extollitis, vobisque
poris tabernaculo. Facies autem levatur absque solis revelata esse fingitis, quæ omnibus manifesta
macula, 244 cum nihil est in conscientia, unde sunt. Hoc enim stultorum est, ut quod sciunt, nul-
homo erubescat. Stabilis vero est, et non timet, lum alium scire arbitrentur. Sequitur :
cujus mens in dilectione solidatur. Sequitur :

« Miseriæ quoque oblivisceris, et quasi aquarum, « Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit
« quæ præterierunt, recordaberis, et quasi meri- « Dominum, et exaudiet eum. Deridetur enim justi
« dianus fulgor consurget tibi ad vesperam. » Mise- « simplicitas, lampas contempta apud cogitationes
riæ namque obliviscuntur sancti, dum considerant, « divitum, parata ad tempus statutum. » De hoc
quanta eis beatitudo post has miserias sit præparata, enim in libro Sapientiæ dicitur : « Hi sunt, quos
et si quando earum recordantur, quoniam jam non habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem
miserias, sed solam beatitudinem exspectant. Ful- D improperii (*Sap.* v, 3). » Deridetur enim justi sim-
gor autem meridianus eis ad vesperam consurgit, plicitas, quoniam neque mentiri, neque simulare,
quia hujus vitæ die flaito, dum sancti ad vesperam neque decipere novit. Quæ tamen simplicitas lampas
et mortem venire putantur, tunc oritur eis sol justi- est, lumen est, et fidelium lux est et exemplum.
tiæ, et tunc fulgent sicut sol in regno Dei; unde et Modo quidem contempta apud divitum cogitationes,
subditur : « Et cum te consumptum putaveris orie- quæ sola avaritia, deceptione et simulatione plenæ
« ris ut lucifer, et habebis fiduciam, proposita tibi sunt. Sed parata ad tempus statutum, per quod ju-
« spe, et defossus securus dormies. Requiesces, et dicii diem intelligimus; tunc enim hæc lampas ful-
« non erit qui te exterreat, et deprecabuntur faciem gebit, tunc ejus gloria apparebit. Sequitur :
« tuam plurimi. » Sancti enim tunc oriuntur, quando
carnem deponentes moriuntur, quia tunc primum « Abundant tabernacula prædonum, et audacter
immortalem vitam suscipiunt. Sed quomodo oriun- « provocant Deum; cum ipse dederit omnia in ma-
tur? Ut lucifer, id est clari et immortales. Tunc « nibus eorum. » Ac si dicat : Si ergo, ut putatis,
quia affligor, et mundi divitiis sum exspoliatus, iniquus et impius sum restat ut prædones et tyranni, qui

(341) Cod. Ghis., *sed non possunt.*

Digitized by Google

bis divitiis abundant, justi et sancti sint : abundant enim mundana felicitate tabernacula prædonum, et audacter ad indignationem, et iram provocant Deum; in rapinis videlicet, in furtis, in homicidiis, in perjuriis, aliisque iniquitatibus quas faciunt; hoc enim faciunt contra Deum, quamvis nihil habeant nisi a Deo. Hoc autem si non intelligitur, ipsa vos in mente docebunt; et hoc est, quod ait :

« Nimirum interroga jumenta, et docebunt te, et « volatilia cœli, et indicabunt tibi : loquere terræ, « et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. « Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fece- « rit? In cujus manu anima omnis viventis, et spiri- « tus universæ carnis hominis. » Si, inquit, nescitis, quia abundant tabernacula prædonum, jumenta, id est homines stulti, solisque voluptatibus dediti, et volatilia cœli, id est sapientes, qui alis virtutum altius volant; et ipsa terra, id est mundi amatores; et pisces maris, id est curiosi, vagi et instabiles vos docebunt. Et hic quidem omnibus fides est adhibenda, bona enim sunt. Unde hoc? Quia a Deo creata sunt. Et hoc est quod ait : « Quis ignorat, quod « omnia hæc manus Domini fecerit? » Est autem anima omnis viventis in manu Domini; quia omni creaturæ, et vivendi, et moriendi 245 terminum posuit. Unde Dominus in Evangelio ait : « Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? » (*Matth.* x, 29.) Et non solum aliorum viventium, sed ipse quoque spiritu, qui est in carne hominis, in manu Dei est; quoniam neque spiritum intelligentiæ, vel aliarum gratiarum, sine Dei voluntate vel habere vel retinere potest.

« Nonne auris verba dijudicat, et fauces come- « dentis saporem? » Ac si dicat : Quia nec aures audiendi, nec fauces comedendi habetis, ideo verba mea mal judicantes, cujus saporis et dulcedinis sint, non intelligitis; nec mirum. Non enim antiquam, sed novam sapientiam diligitis; hoc est enim quod ait :

« In antiquis est sapientia, et in multo tempore « prudentia. » Per hos enim Deum ipsum et angelos ejus intelligere possumus. « Omnis enim sapientia a Domino Deo est (*Eccli.* I, 1). » Hæreticorum autem sapientia, quia de hoc fonte non fluit, stultitia est. Quod autem de Deo hoc intelligi debeat, sequentia manifestant, « Apud ipsum est fortitudo, et sapien- « tia, ipse habet consilium et intelligentiam. » Cum enim septem sint gratiæ Spiritus sancti, quatuor tantum hic enumeravit, quoniam qui has habet, cæteris carere non potest. Qui enim fortis et patiens est, et consilio et intelligentia plenus, ille procul dubio sine pietate et scientia et Dei timore esse non potest. Sequitur :

« Si destruxerit, nemo est qui ædificet, si inclu- « serit hominem, nullus est qui aperiat. Si conti- « nuerit aquas, omnia siccabuntur, et si emiserit « eas, subvertent terram. » Quare hoc? « Quia apud « ipsum est fortitudo et sapientia. » Solus enim Deus destruit et ædificat, quia in pectore fidelium eradicando vitia, virtutum semina plantat. Et ipse quidem homines includit et aperit, quia quos prius in inferno clauserat, eosdem liberos abire permisit. Sive etiam, quia iniquos et tyrannos aliquando frenat, aliquando contra sanctos sævire permittit. Qui si divini eloquii aquas continuerit, ne ubique fluant, omnia siccabuntur. Ideo enim et Judæi, et pagani sicci sunt, quoniam his aquis non irrigantur. Et hæc quidem quando emittuntur, terram solvunt, quia terrenos et peccatores separant ab iniquitate. Talis enim subversio utilis est. De hac enim Apostolus ait : « Ut seductores, et veraces (*II Cor.* VI, 8); » se nimirum, aliosque apostolos, seductores vocans; unde et subditur :

« Ipse enim novit decipientem, et eum, qui deci- « pitur. » Quoniam ille bene decipit, et iste bene decipitur. Bona enim deceptio est, quæ ab errore revocat hominem ad viam veritatis. Cognoscere autem Dei, diligere est. Hinc autem de Judæis loquitur :

« Adducit consiliarios in stultum finem et judices « in stuporem. » Consiliarii enim isti et judices Judæi sunt, qui Christi mortem consulentes eum judicare non timuerunt, dicentes : « Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). » Hos autem in stultum finem Deus adduxit, quia et locum et gentem ex eo perdidit, unde se tenere putabant, qui etiam signa et miracula Christi videntes, in stuporem versi dicebant : « Nihil proficimus, jam totus mundus post eum vadit. Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent nobis locum et gentem (*Joan.* XI, 48). »

« Balteum regum dissolvit, et præcingit funem re- « nes eorum. » Hoc enim ad litteram sæpe contingit; ipse enim deponit potentes de sede, et exaltat humiles. Quod quidem de Judæis, qui et divites erant, et de semine regio originem ducebant convenienter intelligi potest.

« Ducit sacerdotes inglorios, et optimates sup- « plantat : commutans labium veracium, et doctri- « nam senum auferens. » Deus enim Judæorum sacerdotes gloria et honore privavit, et eorum optimates supplantari et superari permisit. Et veracium, id est prophetarum labium ejus commutavit. Et doctrinam senum, eorumdem videlicet prophetarum eis abstulit, quoniam neque in veritate sermonis, neque in doctrina eos imitantur. De quibus adhuc subditur :

« Effundit despectionem super principes, eos qui « oppressi sunt relevans. » Effudit enim Dominus opprobrium et despectionem super Scribas, et Pharisæos et principes sacerdotum; apostolos autem, qui multis tribulationibus oppressi fuerant, relevavit, exaltavit et magnificavit.

« Qui revelat profunda de tenebris, et producit in « lucem umbram mortis. » Umbra mortis, lex erat, quia ad litteram intellecta, non refrigerium sed mortem dabat. Hanc autem in lucem produxit, ejus-

Digitized by Google

que profunditatem de ignorantiæ tenebris revelavit, quando eam spiritualiter intelligere fecit.

« Qui multiplicat gentes, et perdit eas, et subver- « sas in integrum restituit. » Ipse enim generis propagatione gentes multiplicavit, dicens : « Crescite et multiplicamini (*Gen.* I, 22). » Et perdidit eas, quia ad tempus errare permisit, et subversas in integrum restituit, qui postea ad fidem et justitiam, revocavit.

« Qui immutat cor principum populi terræ et de- « cipit eos, ut frustra incedant per invium. » Tale quid et de Pharaone Dominus ait : « Ego indurabo cor ejus (*Exod.* IV, 21). » Immutat enim Dominus principum corda, et quodammodo decipit, quando a falsitate immutari et decipi permittit. Qui frustra quidem incedunt per invium, quia ex errore suo nihil nisi pœnam et mortem acquirunt. Hoc autem non solum de Judæis, sed etiam de hæreticis intelligi potest.

« Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce, et « errare eos faciet, quasi ebrios. » Qui enim manifestæ veritati non credit 248 quasi cæcus in tenebris palpans, ad lucem, quæ Christus est, nunquam venit. Hoc enim Judæi faciebant, qui, signa et miracula cernentes, dicebant : « Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* X, 24). » Errabant autem quasi ebrii, quia nunc eum laudabant, nunc eum iterum vituperabant.

CAPUT XIII.

« Ecce omnia hæc vidit oculus meus, et audivit « auris mea, et intellexi singula. » In hoc, quod se futura vidisse, audisse et intellexisse dicit, prophetiæ spiritum se habuisse ostendit : non enim videre et audire sufficit, nisi etiam intelligere detur. Taceant igitur, qui suas visiones non intellexisse latrant.

« Secundum scientiam vestram et ego novi, nec « inferior vestri sum. » His verbis ejus simul humilitas et scientia commendatur. Humilitas quidem, quia cum major esset, se tamen illis non prætulit. Scientia vero, quia nec ipse carnalis intellectus eum latebat.

« Sed tamen ad omnipotentem loquar, et dispu- « tare cum eo cupio (342), prius vos ostendens fa- « bricatores mendacii et cultores perversorum do- « gmatum. » Ad Omnipotentem loquitur, qui ejus misericordiam deprecatur. Cum Deo vero disputare est ejus judicia subtiliter indagare. Merito autem hæreticos isti designant, qui fabricatores mendacii et cultores perversorum dogmatum dicuntur. Et mendacium quidem fabricari dicitur, quia sine labore et loquacitatis confusione conficitur.

« Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sa- « pientes. » Stultus enim si tacuerit, sapiens esse reputabitur. Hæretici quidem si tacerent, minus quidem nocerent.

« Audite ergo correctiones meas, et judicium la- « biorum meorum attendite. » Quia vestræ, inquit, correctiones erroneæ sunt, vos correctiones meas audite, quæ a veritate non recedunt, ut vel correctum judicium suscipiatis. « Nunquid Deus indiget vestro « mendacio, ut pro illo loquamini dolos? » Hoc autem ideo dicit, quia quasi Dei justitiam defendentes eum superius redarguebant. « Nunquid faciem ejus « accipitis ut pro Deo judicare nitimini ? » Dei enim faciem, id est Dei visum et cognitionem se habere simulant, qui aliorum occulta judicare præsumunt. Hoc enim solius Dei est. « Aut placebit ei, quem ce- « lare nemo potest? aut decipietur, ut homo, ve- « stris fraudulentiis ? Ipse vos arguet, quoniam in « abscondito faciem ejus accipitis. » Ac si dicat : Cum Deus omnia noverit, cui fraus nunquam placet, ipse vos arguet. Quare ? quoniam in abscondito faciem ejus accipitis. In abscondito quidem, quoniam aliter in corde sentitis, aliter voce profertis. Inquantum enim Dei voluntatem homo intelligit, intantum ejus faciem accipit. Merito igitur redarguuntur, qui ea etiam quæ bene intelligunt male loquuntur.

« Statim ut se commoverit, turbabit vos, et ter- « ror ejus irruet super vos. » Quamvis enim Deus immutabilis sit, commoveri tamen et irasci dicitur, quando in peccatores dignam ultionem exercet. Hoc autem erit in judicio, quando dignam pro suis factis sententiam audient. « Memoria vestra comparabitur « cineri, et redigentur in lutum cervices vestræ. » Quia enim caro hominis pulvis et cinis est, recte iniquorum memoria cineri comparatur, siquidem cum carne simul perit et deficit. Non enim scribuntur in libro vitæ. In lutum autem eorum cervices rediguntur, quia quomodocunque superbiant, terra tamen sunt, et in terram revertuntur. « Tacete pau- « lisper, ut loquar quodcunque mihi mens sugge- « serit. » Ac si dicat : Nolite carnaliter impedire quæ spiritualiter profero, vos enim lingua, ego mente loquor. « Quare lacero carnes meas dentibus « meis, et animam meam porto in manibus meis? » Carnes enim suas dentibus suis lacerat, qui ea, quæ carnaliter egit, suis verbis aperte redarguit. Animam vero suam in manibus portat, qui vitam suam ostendere et manifestare non erubescit. Hoc autem viri sancti aliquando faciunt, ut cæteris bene vivendi, et sua peccata confitendi exemplum tribuant.

« Etiam si occiderit me in ipso sperabo. » Valde, inquit, me flagellavit, sed si forte super flagella mortem quoque addere voluerit, ergo tamen nihilominus in ipso sperabo. Desperavi enim de mundo,

(342) Non inopportuna erit S. Thomæ loci hujus elucidatio : *Disputare cum Deo cupio;* « Non quidem ut ejus judicia improbare velim ; sed ut errores vestros destruam. Quibus suppositis sequeretur, quod essem injustus apud Deum ; unde subdit : » *prius vos offendens fabricatores mendacii,* « qui hoc mendacium adinvenerant, quod Job iniquam vitam duxisset. In hoc autem mendacium devenerant, propter hoc, quod circa fidem, qua Deus colitur, errabant, credentes, quod in hac vitam tantum fieret meritorum, et pœnarum retributio. »

Digitized by Google

nullam spem habeo nisi in Deo; nemo mihi mea flagella improperando objiciat, quia neque mors, neque vita, neque tribulatio aliqua poterit me separare a charitate Dei.

« Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit Salvator meus. » Faciat, inquit, quod vult flagellet, quantum vult; verumtamen vias meas arguam, opera mea reprehendam, non me timore excusabo : ipse enim videt omnia, in conspectu ejus sunt omnia, et ipse erit Salvator meus. « Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. » Unde manifestum est me hypocritam non esse. Venient enim aliquando, sed modo venire nolunt, quia peccata sua confiteri erubescunt. Sive etiam non venient in conspectu ejus, quia illis iratus Dominus oculos suos avertet ab eis. « Audite sermonem **247** meum, et ænigmata percipite auribus vestris. » In eo quod ænigmata dicit, se figuraliter loqui insinuat, non tamen quod figuraliter omnia accipi debeant. « Si fuero judicatus, scio quod « justus inveniar. Quis est, qui judicet me, veniat, « quare tacens consumor? » Nihil enim, ut Apostolus ait, sibi conscius erat; unde in sequentibus ait : « In omni vita mea non reprehendit me cor meum. » Per quod datur intelligi quia quamvis sine peccato non esset (siquidem ipse aliquando peccatorem se vocat) peccatum tamen non fecit, per quod injustus debeat judicari, ideoque libere judicem quærit, et ut veniat, rogat, et quia non venit, tacens, et exspectans, et judicium audire desiderans, dolore consumitur. Hoc autem ideo quia, si judicaretur, peccatum illud, pro quo flagellabatur, ei manifestari necesse est. Nihil enim aliud erat, pro quo judicium timuisset. Unde et sequitur :

« Duo tantum ne facias mihi, et tunc a facie tua « non abscondar. Manum tuam longe fac a me, et « formido tua non me terreat. » Hoc autem tale est ac si diceret : Cessent flagella, cesset et formido. Quia enim flagellor, quamvis quid peccaverim ignorem, me tamen multum deliquisse timeo, cum te neminem injuste flagellare posse considero. Insuper etiam, quia nondum flagellare cessas, nondum peccatum hoc esse solutum vehementer formido. Si igitur his duobus solutus fuero, tunc a facie tua non abscondar, sed ultro me ante faciem tuam ad judicium præsentabor. Voca me, et ego respondebo tibi, testimonium videlicet reddente mihi conscientia mea. « Aut certe ego loquar. Et omnem vitam, « et conscientiam meam tibi confitebor. Et tu responde mihi; » id est si aliquid confiteri omisero, vel si quid in me dignum pœna et flagellis invenieris, ostende mihi. Et hoc est, quod ait : « Quantas « habeo iniquitates et peccata, scelera mea et de« licta ostende mihi. » Felix conscientia, quæ tam secure judicari postulat; ipsa enim peccati inculcatione, qua dicit puniendum iniquitate, peccata, scelera et delicta, nihil se puniendum peccasse ostendit, quamvis aliqua differentia in his esse possit. « Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur, « ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam « persequeris. » Faciem suam illi Deus abscondere dicitur, cui se iratum esse ostendit. Non autem inimicum suum beatus Job Deum arbitrabatur, sed quia eum affligebat, inimicus ejus cum hominibus putabatur. Constat igitur, quia secundum opinionem hominum loquitur. Folio, et stipulæ vir sanctus se comparat, dicens, se Dei indignationi et iræ nullatenus resistere posse. Cui enim Deus irascitur, facile quidem dæmonum impetu in infernum rapitur, et quasi sicca stipula ibidem comburitur. « Scribis « enim contra me amaritudines, et consumere me « vis peccatis adolescentiæ meæ. » Quia enim quod scribitur permanet, sua flagella scripta esse dicit, quoniam a se nullo modo recedere sentit. Quia vero in quibus peccaverit, ignorabat, adolescentiæ peccata posuit quorum usquequaque securus non erat; siquidem illa ætas infirma et inscia facile peccat, in illis tamen peccatis consumi non debet, qui majori succedente ætate, quod ignoranter fecit, scienter emendat. « Posuisti in nervo pedem meum, et obser« vasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meo« rum considerasti. » In via enim sumus, et quanto tempore vivimus quasi solutis pedibus ad vitæ hujus terminum currimus, ad quem postquam venimus, quia ulterius currere non possumus, in nervo quodammodo pedem tenemus. Beatus igitur Job, dum pedem se in nervo tenere asserit, cursum suum jam ad finem venisse arbitratur. Semitas autem nostras et vestigia pedum nostrorum Deus considerat, quia quid agamus, vel quæ exempla cæteris relinquamus, intuetur. Quid enim sunt vestigia pedum, nisi exempla operum? « Qui quasi putredo consu« mendus sum, et quasi vestimentum, quod come« ditur a tinea. » Caro enim hominis in putredinem resoluta, vermes ex se generat, a quibus consumitur, sicut ex vestimento tinea oritur a qua vestimentum ipsum consumitur.

CAPUT XIV.

« Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, « repletur multis miseriis. » Homo enim mollis et fragilis est, quia de muliere natus est. Qui et brevi tempore vivit, et multis miseriis repletur : miser igitur homo. « Qui quasi flos egreditur, et conteritur, « et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu « permanet. » In primæva namque ætate, tener, floridus et pulcher apparet; dein vero accessu temporis, jam ægritudine, multisque necessitatibus conteritur. « Et fugit velut umbra, » quia crescendo et senescendo deficit. « Et nunquam in eodem statu « permanet; » quia nunc infans, nunc puer, nunc adolescens, nunc juvenis, nunc senex, nunc sanus, nunc æger, nunc lætus, nunc tristis, aliisque multis modis mutabilis, nunquam in eodem statu permanet. « Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos « tuos, et adducere eum tecum in judicium. » Deus super hominem oculos aperit, quia ejus facta et cogitationes subtiliter investigat. « Quis potest fa-

Digitized by Google

« cere mundum de immundo conceptum semine? « Nonne tu qui solus es? » Subauditur, mundus : quia enim in originali peccato omnis homo concipitur et nascitur, non immerito de immundo semine conceptus dicitur : 248 quem tamen suo sanguine et aqua baptismatis ille mundavit, qui solus est. Quia enim Deus semper est, idem est, immutabilis est, et cunctis rebus, et temporibus semper præsens est, ideo ipse solus est, quia nulla alia res ita est. « Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud « te est. Constituisti terminos ejus qui præteriri non « poterunt. » In Dei namque providentia dierum, et mensium, et annorum nostrorum numerus positus est, et ipse quidem est terminus, ad quem usque venire possibile est, ultra vero impossibile. Nam et si Ezechiæ lacrymis donatum est ut quindecim annos superviveret, sic quoque a Deo constitutum erat ut hoc lacrymis et orationibus impetraret ; ita enim scriptum est : « Audivi orationem tuam et lacrymas tuas : ecce adjiciam super dies tuos quindecim annos (*IV Reg.* xx, 5). » Sequitur : « Recede « paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat « sicut mercenarii dies ejus (343). » Recede, inquit, modo paululum a flagellis, ut homini subito morituro quiescere liceat, donec dies ejus veniat, quem ipse non minus quam mercenarius diem suum venire desiderat. Cupiunt enim sancti mori et esse cum Christo, quatenus sui laboris mercedem suscipiunt. Unde et sequitur :

« Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit ; si senuerit in terra radix ejus, et in « pulvere emortuus fuerit truncus ejus, ad odorem « aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum « primum plantatum est. » Hoc autem de illo ligno intelligi debet, quod plantatum est secus decursus aquarum, fructum boni operis ferre non cessat. Præciditur autem hoc lignum, quando homo moritur. Senescit autem radix ejus in terra, et truncus in pulvere moritur, quando corpus hominis pro temporis longitudine solvitur, et in pulverem redigitur ; sed sicut sperat iterum virescit, et ad odorem aquæ germinabit, quia flatione sancti Spiritus quandoque resurget. De hac enim aqua Dominus ait : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* vii, 38). » Quod mox evangelista exponit, dicens : « Hoc autem dicebat de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum (*ibid.*, 39.). » Faciet autem comam quasi a principio, quia ad eam pulchritudinem rediget, in qua ab initio creatus est.

« Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus, « atque consumptus, ubi quæso est? Quomodo si « recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus « arescat : sic homo cum dormierit, non resurget, « donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec con« surget de somno suo. » Sicut per lignum intelligis justum, ita et per nominem intellige peccatorem. De talibus enim dicitur : « Vos autem sicut homines moriemini (*Psal.* lxxxi, 7). » Hic ergo homo, postquam moritur, et carne nudatur, et vermis consumitur, non resurget, neque evigilabit, neque de mortis somno consurget, donec cœlum atteratur, ut fiat cœlum novum et terra nova. Mari autem et fluviis comparatur homo, quia sicut recedentibus aquis, locus maris et fluviorum vacuus remanet, ita anima recedente, siccum et vacuum remanet corpus.

« Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, et « abscondas me, donec pertranseat furor tuus ; » id est, donec Christi morte intercedente ira tua mitigetur ; « et constituas mihi tempus, in quo recor« deris mei? » Scio, inquit, quia in infernum descendam ; sed quis ibi, nisi tu, a tormentorum pœnis me proteget et liberabit? Tempus autem eis ad misericordiam constitutum, Christi passio fuit, quoniam tunc ad inferos descendens justorum animas eripuit et liberavit, secundum illud : « O mors ero mors tua ; morsus tuus ero, inferne (*Ose.* xiii, 14). » — « Putas ne mortuus homo rursum vivet? » Hæc in persona infidelium dicit, sicut sequentia manifestant : « Cunctis diebus, quibus nunc milito, ex« specto donec veniat immutatio mea. » Nisi enim resurrectionem crederet, frustra quidem militaret, et carnis hujus immutationem exspectaret. « Omnes enim, ut ait Apostolus, resurgemus, sed non omnes immutabimur (*I Cor.* xv, 51). » — « Vo« cabis me, et ego respondebo tibi, operi manuum « tuarum porriges dexteram. » « Vocabis, inquit, « me, » quia de terræ pulvere me surgere præcipies. « Et ego respondebo tibi, » quia illico resurgam. Eis autem Dominus dexteram porriget, quos ad se miserando trahere dignabitur. « Tu quidem gressus « meos dinumerasti ; » quia quid egerim, et qualiter vixerim, non ignoras. « Sed parce peccatis meis ; » quia nisi in tua misericordia nemo salvabitur.

« Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed cu« rasti iniquitatem meam. » Ea delicta in sacculo sunt, quæ intus occultata foris non apparent ; signata autem sunt, quia divinis oculis notata suo tempore manifestabuntur. Quod autem ait : « Sed « curasti iniquitatem meam, » propter flagella dicere videtur. Sequitur :

« Mons cadens defluit ; et saxum transfertur de « loco suo, lapides excavant aquæ, et alluvione pau« latim terra consumitur, et hominem ergo simili« ter perdes. » Ut enim quidam ait : Nemo repente fit turpissimus, sed paulatim sordibus sordescit, et crescente tentatione semper scipso turpior fit, et ita paulatim per momenta cadit, donec ultimi casus sententiam suscipiat. Sicut et mons paulatim cadens, defluit et minuitur, et saxum paulatim movetur de loco suo, et aqua paulatim cavat lapides, et terra paulatim alluvione consumitur. Felix, qui hæc sem-

(343) « Sicut sol est causa diei, ita Deus est auctor vitæ ; recedente autem sole, dies finitur et nox venit : per recessum ergo Dei intelligit terminationem vitæ præsentis, quæ est homini a Deo. » D. Thom. in eod. loco.

Digitized by Google

per in mente habet et tentationem latenter subintrantem a se repellit.

249 « Roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret. » Roboravit enim Deus hominem, ut in perpetuum transiret, quia ad suam similitudinem fecit eum, ut viveret in æternum. Sed hoc paululum, quia cito eum vinci, et peccare permisit, unde et subditur :

« Immutabis faciem ejus, et emittes eum. » Quoniam similitudine Dei amissa mortuus est, et quotidie quidem immutatur et emittitur, quia paulatim hominis pulchritudine deficiente tandem pulvis in pulverem revertitur. Sequitur :

« Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non « intelliget. Attamen caro ejus, dum vivet, dolebit, « et anima illius super semetipso lugebit. » Quamvis enim peccator, quandiu vivit, pro filiis suis, quos ditare vult, etiam peccando, laborare non cessat, tamen postquam moritur, quales sint, et quomodo se habeant, non intelligit. Dolet enim caro ejus dum vivit, quia, ut modo diximus, se fatigando in hac vita non quiescit. Et anima illius super seipso lugebit, quoniam hinc transiens, quamvis infructuose peccata sua tamen pœnitendo deplorat.

CAPUT XV.

« Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit : « Nunquid sapiens respondebit, quasi in ventum lo- « quens, et implebit ardore stomachum suum ? » Ac si dicat : In hoc enim insipiens comprobaris, quia verba inutilia, et vento et inflatione plena profers, et quasi stomachatus, cum ardore, et ira et indignatione respondes, vocans nos mendaces, dolosos et fraudulentos. Sed quid mirum, cum Deum ipsum arguere non timeas? Et hoc est, quod ait : « Arguis « verbis eum qui non est æqualis tui, et loqueris « quod tibi non expedit. » Hoc autem fortasse ideo dicit, quia vir sanctus supra dixerat : « Si judicatus « fuero, scio quod justus inveniar. » Impossibile enim esse putat ut uterque justus sit, et qui flagellat, et qui flagellatur. « Quantum in te est evacuasti « timorem, et tulisti preces coram Domino. » Quantum, inquit, in te est, quantum in tuis verbis, si bene considerata fuerint, apparet, tu nequaquam Deum times, cum judicas ; quis est qui judicet me? et similia, et tamen preces coram Domino fundis, ac si bene promeruisses, dicens : « Sed parce peccatis « meis, » et alia multa. « Docuit enim iniquitas tua « os tuum, et imitaris linguam blasphemantium. » Taliter, inquit, loqui non ab alio, quam ab iniquitate tua didicisti. Tunc enim iniquitas os docet, cum malum quod mente concipitur ore profertur. Linguam autem blasphemantium imitantur, qui contra Deum loqui præsumunt. « Condemnabit te os tuum, et « non ego, labia tua respondebunt. » Hoc autem tale est ac si diceret : Si teipsum bene consideras, nullum nisi te injustitiæ tuæ probatorem quæres. Considera enim quid hæc tua flagella significent. « Nunquid tu primus homo natus es, et ante colles formatus es? Nun- « quid consilium Dei audisti, et inferior te erit ejus « sapientia? » Tu, inquit, quasi dicat, disputare cum Deo cupis, ac si ei coæternus esses, et ejus consilium et sapientiam cognovisses ; sed qua temeritate adversus Deum contendere audes, qui nos quoque sapientia et intelligentia non excellis ? Hoc est enim quod ait : « Quid nosti quod ignoremus ? Quid intel- « ligis quod nesciamus ? Et senes et antiqui sunt in no- « bis, multo vetustiores quam patres tui. » Hæc verba ibi respondere videntur, ubi Job superius dixit : « In antiquis est sapientia, et in multo tempore pru- « dentia. » Unde manifestum est Eliphaz non bene ejus verba intellexisse. Merito ergo ænigmata vocantur, quæ ab ipsis quoque, quibus Job loquebatur, non intelligebantur. Sequitur :

« Nunquid parum est, ut consoletur te Deus, sed « verba tua prava hoc prohibent. » Ac si dicat : Jam tibi Deus pepercisset, si humiliatus ejus misericordias quæsiisses ; sed quia superbus es et justum te existimans corde elevaris, et quia contra Deum superbiæ spiritu intumescis, et hujusmodi sermone loqueris, ideo ejus misericordiam invenire non potes : et hoc est quod dicit : « Quid te elevat cor « tuum et quasi magna cogitans attonitos habes ocu- « los ? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut « proferas de ore tuo hujusmodi sermones ? Quid est « homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat « natus de muliere? » Hic apertissime ejus verba redarguit. « Ecce inter sanctos ejus nemo immuta- « bilis est, et cœli non sunt mundi in conspectu « ejus, quanto magis abominabilis et inutilis homo, « qui bibit quasi aquam iniquitatem? » Quidquid enim Deus non est, quomodolibet mutabilis est. Possumus autem per sanctos et per cœlos eos intelligere qui adhuc in terris positi cœlicam et angelicam vitam ducunt. Unde et Apostolus taliter in mundo vivens dicebat « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). » Et isti quidem in conspectu ejus, quem nihil latet, mundi non sunt, quia quandiu hic vivunt, penitus sine peccato esse non possunt. Quid igitur faciet homo, quid faciet peccator, et abominabilis et inutilis, qui bibit quasi aquas iniquitatem, cui peccare nullus labor esse videtur, qui tandiu peccat, donec iniquitate sit ebrius, et quasi aquis totus repletus? Sequitur :

« Ostendam tibi, audi me : quod vidi, narrabo « tibi. Sapientes confitentur, et non abscondunt pa- « tres suos, quibus solis data est terra, et non trans- « ibit alienus per eos. » Ne forte me, inquit, mentiri arbitreris, **250** non quæ audivi; sed quæ vidi narrabo tibi. Quamvis sapientes libenter confitentur, et non abscondunt patres suos, id est dicta patrum suorum, ea in veneratione habent, et in auctoritate suscipiunt. Quibus solis videlicet sapientibus data est terra (344). Et non transibit alienus per eos, sicut per te modo transisse, teque vastasse dubium

(344) « Sapientibus enim solis terra data esse dicitur, quia bonorum terrenorum ipsi sunt Domini, utentes eis ad suum bonum ; insipientes autem utuntur eis ad suum damnum. » D. Tom. in hunc locum.

Digitized by Google

non est. Hoc enim si ad litteram intelligatur, falsum est; neque enim soli sapientes terram possident, et ea ipsa, quam possident, sæpe eis violenter aufertur. Si autem per terram carnem intelligamus, verum est, quia ipsi soli carnem suam bene regunt, et possident, et alienos, vitia scilicet et malignos spiritus ab ea procul repellunt :

« Cunctis diebus suis impius superbit, et numerus « annorum incertus est tyrannidis ejus. Sonitus ter- « roris semper in auribus illius, et cum pax sit, « semper insidias suspicatur; non credit, quod re- « verti possit de tenebris ad lucem, circumspectans « undique gladium. » Ac si dicat : Hæc sunt, quæ ego vidi et quæ vera esse cognosco. Impius nunquam a superbia cessat, quamvis incertus sit, quando tempore vivat, et suam iniquitatem exerceat, et quia prava conscientia semper eum sollicitat, omni sonitu movetur, omnique rumore terretur; et ideo quamvis sit pax, ipse tamen insidias timens, semper credit hostes adesse. Unde fit ut quasi desperatus, nunquam ad lucem et ad pacem se posse redire confidat; mortem, et gladium undique exspectans, omnes enim timet, quoniam omnes offendit; et dum secundum se alios metitur, nullum sibi parcere credit; siquidem nec ipse alicui pepercit.

Cum se moverit ad quærendum panem, novit, « quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies. « Terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, « sicut regem, qui præparatur ad prælium. » Per panem omne stipendium, quo vivimus et sustentamus, intelligimus. Impius ergo, quia de sola iniquitate et rapina vivit, quando se movet ad quærendum panem, id est vitæ hujus quælibet necessaria, bene intelligit, quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies, quia non dubitat, dum taliter agit, mortem sibi, et tenebras, et æternam damnationem esse paratam. Ideoque terret eum tribulatio et angustia, quia non solum præsentia, sed etiam æterna supplicia pertimescit. Rex autem, qui ad bella paratur, non solum hostes timet, verum etiam suos, ne forte tradatur. Sic et iniquus, qui cunctis est odiosus, non solum quos offendit, timet, sed etiam quos non offendit. « Tetendit enim adversus Deum manum « suam, et contra Omnipotentem roboratus est; « cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cer- « vice armatus est. » Ille enim adversus Deum manum suam tendit, et contra Omnipotentem roboratur, et adversus eum erecto collo, et pingui superbaque cervice currit, et armatur, qui, de ejus misericordia desperans, cunctis criminibus et facinoribus eum contra se provocare non timet. Qui enim ab iniquitate non cessat, quodammodo semper cum Deo præliatur. « Operuit faciem ejus crassitudo, et de « lateribus ejus a ruina dependet. » Quid per faciem et latera iniqui, nisi ejus propinquos et familiares intelligimus, qui et coram eo semper assistunt, et ab ejus latere non recedunt? Hi autem a ruina et crassitudine onerati sunt, quoniam omni iniquitate superabundant. Unde Psalmista ait : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, et transierunt in dispositionem cordis (*Psal.* LXXII, 7). » Qualis enim paterfamilias, tales et domestici ejus. « Habitabit in civitatibus « desolatis et in domibus desertis, quæ in tumulos « sunt redactæ. » Civitates desolatæ et domus desertæ peccatorum hominum conventicula sunt, quæ omni bonitate, justitia et sanctitate sunt destituta, in quibus etiam vitiis dominantibus totum divini operis ædificium destructum est, id est, in tumulos redactum. In talibus igitur civitatibus habitat impius, quoniam omne animal sibi similia diligit. « Non du- « bitatur, nec perseverabit substantia ejus, nec mit- « tet in terram radicem suam. » Non enim ditari potest, qui æternorum bonorum nihil habet. Valde enim dives ille pauper factus erat, qui guttam aquæ a Lazaro petebat. Substantia vero ejus non perseverabit; « quia cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria domus ejus (*Psal.* XLVIII, 18). »—« Nec mittet in terram radicem suam, « quoniam evellet eum Dominus de tabernaculo suo, « et radicem ejus de terra viventium. Non recedet « de tenebris, ramos ejus arefaciet flamma, et au- « feretur spiritu oris ejus. » Semper mali in inferno et in tenebris erunt. Quorum ramos flamma arefaciet, quia eorum propinquos et familiares ignis æternus et inexstinguibilis cruciabit. Et auferetur spiritu oris sui, quoniam propter superbiam suam damnabitur, et propter blasphemiam, quam locutus est. « Non credet frustra errore deceptus, quod aliquo « pretio redimendus sit. » Iniquus enim errore deceptus desperavit, neque credit, quod aliquo pretio redimi possit. Sed non frustra, quoniam secundum fidem suam eveniet ei : nunquam enim redimetur; nunquam redimi potest, qui desperat de redemptione. « Antequam dies ejus impleantur, peribit « et manus ejus arescent. » Cum ante diem dispositum homo non moriatur, quid est quod hic dicitur : antequam dies ejus impleantur, peribit **251**, nisi quod dies ejus, non dies a Deo dispositos intelligere debemus, sed quos ipse impius sibi disposuit, dum stulte se tanto tempore vivere speravit? Quia igitur non tantum vivit, quantum speravit, ante perit impius quam dies ejus impleantur. Manus autem ejus arescent, quia qui modo non laborant postea laborare non poterunt. « Lædetur quasi vinea « in primo flore botrus ejus, et quasi oliva proji- « ciens florem suum. » Cum enim in judicio sancti resurgent, et primum suæ pulchritudinis florem et decorem recipient; tunc iniqui, audita sententia, lædentur, quoniam eumdem immortalitatis et vitæ florem, quem suscepisse videbantur, amittent; siquidem in morte semper erunt. « Congregatio enim « hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula « eorum, qui munera libenter accipiunt. » Ideo enim talis congregatio, quasi vinea in primo flore lædetur, quoniam sterilis, et sine fructu boni operis apparebit. Ignis vero devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt, quoniam eorum corpora æternis tradentur incendiis qui vel justitiam ven-

Digitized by Google

dunt, vel pro munere laudis omnia faciunt, de quibus Dominus ait : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam (*Matth.* v, 16). » Concepit dolorem, et peperit iniquitatem, et uterus ejus præparat dolos. » Hypocrita enim dolorem mente concipit, iniquitatem opere parit, quoniam ejus pectoris uterus dolos semper et insidias aliis præparat.

CAPUT XVI.

« Respondens autem Job dixit : audivi frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis. Numquid habebunt finem verba ventosa? Aut aliquid tibi molestum est, si loquaris? poteram et ego similia vestri loqui. » Non est, inquit, mihi novum quod dicitis, et qua intentione dicatis non ignoro, qui sub specie consolationis, ipsa consolatione me privare nitimini (345). Sed nunquid habebunt finem hæc verba quæ superbiæ vento plena sunt, et si a veritate aliquando non devient? Sed ideo fortasse loqueris, quia nihil molestum est tibi loquenti, quoniam ego omnia patienter audio. Poteram et ego similiter loqui, si verba ventosa et otiosa peccato carerent. « Atque utinam esset anima vestra pro anima mea! » Ut in vobis cognoscere possitis qualiter afflictis compati debeatis. « Consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos, roborarem vos ore meo, et moverem labia mea, quasi parcens vobis. » Si vos, inquit, in hac afflictione essetis, ego vos aliter sermonibus consolarer, et moverem caput meum super vos, quia mentem meam inclinarem et flecterem ad misericordiam. Roborarem vos ore meo, quoniam non simulate, sed veræ consolationis vos verbis firmarem. Et moverem labia, non quasi increpans et subvertere volens, sed quasi parcens vobis. Sic enim debemus consolari afflictos. Sequitur :

« Sed quid agam? Si locutus fuero non quiescet dolor meus, et si tacuero, non recedet a me. Nunc autem oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei. » Hæc autem etiam si ad litteram de Job fortasse intelligi possint, allegorice tamen de Ecclesia intelliguntur. Dicat igitur Ecclesia : Si locuta fuero non quiescet dolor meus. Dolet enim Ecclesia, sive loquatur, sive taceat, quia et quando loquitur non corriguntur mali, et ejus silentio aliquando deteriores fiunt. Et si igitur doleat, quia mali non corriguntur, loqui tamen debet, ut et boni meliores fiant, et mali excusationem non habeant. « Nunc autem opp essit me dolor meus. » Nunc, inquam, quando adversum me loquitur Eliphaz, id est quando hæretici me impugnant; « et in nihilum redacti sunt omnes artus mei, » quoniam omnia membra Ecclesiæ eorum blasphemiis scandalizantur. Aliquando enim in tantum hæreticorum crevit multitudo, ut Ecclesia catholica ad nihilum redacta et penitus putaretur esse destructa. Hoc enim sciunt qui Ariminense concilium noverunt.

« Rugæ meæ testimonium dicunt adversum me, et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, et contradicens mihi. » Ecclesia enim, quantum ad bonos, neque maculam habet, neque rugam. Sed quia hæretici et cæteri iniqui filii Ecclesiæ sunt, qui et in locutione sunt duplices, et mala vetustate senescentes, rugosa facie matris pulchritudinem amiserunt. Ideo sancta Ecclesia rugas habere perhibetur. Et hæ quidem rugæ adversum eam testimonium dicunt, quia duplicitate sermonis, et syllogismorum sophismatibus semper hæretici Ecclesiæ contradicunt. Ili autem sunt falsiloqui et mendaces, qui ut veritati resistant, a diabolo suscitantur; unde adhuc subditur :

« Collegit furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. » Colligebant enim hæretici furorem suum contra Ecclesiam, quando undique congregati, ut insani et furibundi adversum eam concilium faciebant. Comminabantur autem ei, et dentibus in eam fremebant, quia per principes, quos subverterant, exsilia, mortem, et carcerem sanctis inferebant. Lege historias, ita invenies.

« Hostis meus terribilibus oculis me intuitus **252** est. » Per motum exteriorem, mentis affectionem designat. « Aperuerunt super me ora sua exprobrantes, percusserunt maxillam meam, saturati sunt pœnis meis. » Aperuerunt, inquit, ora sua super me, non solum contradicentes, verum etiam opprobria et convicia ingerentes. Percusserunt autem maxillam meam, palam, et in manifesto mihi insultantes. Sic enim Apostolus ait : « Sustinetis enim, si quis in faciem vos cædit (*II Cor.* xi, 20). » Saturati autem sunt pœnis meis, quia mea afflictio eorum refectio est.

« Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit. » Temporaliter enim sanctos suos Deus affligi, et occidi permisit, ut et iniquorum pœna, et sanctorum gloria inde major cresceret. « Ego ille quondam opulentus repente contritus sum. » Hoc ideo dicit, quoniam et tyrannorum persecutione et hæreticorum deceptione, multos Ecclesia amisit, quibus recedentibus, cum prius plena videretur, postea vacua apparuit. « Tenuit cervicem meam, et confregit me, et posuit me sibi quasi signum. » Cervicem enim Ecclesiæ iniquorum multitudo aliquando tenuit, quia loquendi libertatem quibusdam ademit. Apostoli autem cervicem tenere non potuit, unde ipse quoque vinctus in Domino dicit : « Sed verbum Dei non est alligatum (*II Tim.* 29). » Signum autem ad hoc ponitur, ut sagittarum ictibus feriatur. In signum igitur sancti positi erant, quia undique persecutionem telis tundebantur. « Circumdedit me lanceis suis, convul-

(345) « Consolatoris officium est ea dicere quibus dolor mitigetur, onerosus ergo consolator est, qui ea loquitur quæ magis animum exasperant. » D. Thom.

Digitized by Google

« neravit lumbos meos. » Hoc et ad litteram verum est ; quamvis per lanceas vitia intelligere possimus, quibus Christifideles vulnerantur, dum quorumdam mentes ad luxuriam inclinant. Sed quia non paucos in lumbis ferit, ideo non vulneravit, sed convulneravit, dixit; unde et subditur. « Non pepercit, et « effudit in terra viscera mea. » Non pepercit quidem, quia exterius affligendo, et interius mala suggerendo persecutus est eam. Viscera autem ejus in terram effudit, quia etiam de sapientioribus aliquando ad terrena et sæcularia deflexit. Tales enim viscera dicuntur, quia menti ei cordi sunt propinquiores. « Concidit me vulnere super vulnus, « irruit in me quasi gigas. » Vulnere enim super vulnus eam concidit, quia et interius et exterius multa telorum varietate eam percussit. Bene autem B malignus spiritus propter sævitiam et fortitudinem giganti comparatur.

« Saccum consuit super pellem meam, et operuit « cinere carnem meam. » Hoc Ecclesia secundum eos dicit ; qui post peccata ad pœnitentiam sunt conversi. Sed quia diaboli suggestione peccaverunt, ipse et sacco et cinere eos operuit ; siquidem ipse causa fuit ut isti ita pœnitere debuissent. « Facies « mea intumuit a fletu, et palpebræ meæ caligave- « runt. » Hoc juxta litteram ad eosdem pœnitentes sua peccata deflentes referri potest. Allegoricè autem facies et palpebræ Ecclesiæ doctores intelliguntur, in quibus et major pulchritudo apparet, et eam vigilantes custodiunt. Hi autem aliorum peccata plangunt, et plangendo caligant, quia dum eos incorrigibiles cernunt, quasi jam fatigati a vigiliis tepescunt. Sequitur : C

« Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, « cum haberem mundas ad Deum preces. » Huc usque Ecclesia. Nunc autem loquitur Christus, ac si dicat: Quid mirum, o Ecclesia, si te inimicus afflixit, quæ utique sine peccato non es, cum et me, qui peccatum non feci, sit crudelissime persecutus? « Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat « locum in te latendi clamor meus. » Ecclesia enim, pro firmitate et stabilitate sua, terra vocatur. Hæc autem non operuit sanguinem Christi, quia jam ubique gentium ejus passionem, et mortem prædicavit, et ejus sanguinem melius clamantem, ut ait D Apostolus (*Hebr.* XII, 24), quam sanguis Abel, cunctis gentibus revelabit. Hic autem clamor latendi locum in Ecclesia invenisset, si Christi mortem Ecclesia celasset. « Ecce enim in cœlo testis meus, et con- « scius meus in excelsis. » De hoc et in Evangelio ait : « Ego testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater (*Joan.* VIII, 18). » Ipse igitur mihi testis est, ipse mihi conscius est, quod absque iniquitate manus meæ passus sum. « Verbosi amici mei, ad Deum stillat « oculus meus. » Huc usque Christus. Hinc autem Ecclesia suæ locutionis ordinem tenet. Verbosi, inquit, amici mei, id est hæretici, qui me diligere debuerant, verborum suorum affluentia mihi detrahere non cessant; ideoque stillat oculus meus, non solum meas deflens calamitates, sed etiam illorum errores. « Atque utinam sic judicetur vir cum Deo, « quomodo judicatur filius hominis cum collega suo. » In hominum namque judicio causa ventilatur, donec veritas innotescat. Tale igitur judicium optat, quatenus certissime intelligat, quare Deus hæreticorum insaniam patiatur, et quare sanctorum innocentiam non liberet. Quantum enim ad humanum judicium spectat, valde justius esse videtur ut mali affligantur quam boni. Hujus autem tantæ miseriæ hanc solam suscipit consolationem, quod hæc vita præsens brevis est, et omnis hæc tribulatio cito cum vita finitur. Et hoc est quod dicit: « Ecce enim breves anni trans- « eunt, et semitam per quam non revertar ambulo. » Hæc autem semita mors est, per quam non revertitur, qui nisi semel non moritur (346). Sive **253** etiam ambulat Ecclesia per semitam, per quam non revertetur, quia post hanc vitam, nullum laborem, vel angustias patietur.

CAPUT XVII.

« Spiritus meus attenuabitur, dies mei brevia- « buntur, et solum mihi super est sepulcrum. » Ac si dicat : Quia hinc transire desidero, vitam finire, dies breviare, et solum sepulcrum et mortem exopto. Potest autem et de superbiæ spiritu hoc intelligi, qui semper in sanctis attenuatur, quoniam humilitatis spiritus in eis assidue crescit. Qui quoniam huic mundo jam mortui sunt, dies suos breviatos, et solum sibi sepulcrum superesse dicunt. « Non peccavi, et in amaritudinis moratur oculus « meus. » Non peccavi, inquit, ut sic affligi debuissem. Non enim propter peccata sua, sed quia Christum confitebantur SS. Martyres affligebantur. Sive etiam, hoc secundum perfectiores dicit, qui non sua, sed aliorum flebant peccata. Qua in re, quanto charitatis igne ferverent apertissime declaratur :

« Libera me, et pone me juxta te, et cujusvis « manus pugnet contra me. » Libera me, inquit, de inimicorum insidiis, et pone me juxta te, et sicut promisisti, non me deseras, neque derelinquas, et quicunque velit pugnet contra me, quia te auxiliante neminem timeo. « Cor eorum longe fecisti a disci- « plina, propterea non exaltabuntur. » Cor, inquit, eorum, subauditur, inimicorum et hæreticorum, longe fecisti, id est longe fieri permisisti a disciplina veritatis. Ideoque non exsaltabuntur, sed usque ad inferiora humiliabuntur. Sequitur :

« Prædam pollicetur sociis, et oculi filiorum ejus « deficient. Posuit me quasi in proverbium vulgi,

(346) « Fuerunt autem aliqui, qui credebant hominem post mortem iterato ad præsentis vitæ cursum redire : et sic videri posset, quod in spe terrenæ prosperitatis recuperandæ, saltem in illa futura vita posset Job consolationem habere; ideo ad hoc excludendum subdit : *Et semitam, per quam non revertar, ambulo.* » D. Th.

Digitized by Google

« et exemplum sum coram eis. » Quis est iste qui prædam sociis pollicetur, qui et sic absolute hic ponitur, nisi malignus spiritus, qui tam iniquus est, ut in malis actis etiam sine nomine cognoscatur? Hic autem pollicetur sociis prædam, quia iniquorum mentes ad prædam et rapinas incitat et accendit. Qui utique et ejus socii sunt, quia simul cum eo mala operantur, et ejus filii, quia eum imitantur. Horum autem oculi deficient, quoniam eorum desiderium, et exspectatio nequaquam adimplebitur. Et quidem non sine Dei permissione Ecclesiam in proverbium vulgi, et in exemplum coram eis, id est coram sociis suis posuit, quia tanta calamitate sanctos oppressit, ut in proverbium et in exemplum calamitatis traherentur ab his qui aliis malum aliquod irrogabant. Unde in Psalmis dicitur : « Posuisti nos in similitudinem gentibus (*Psal.* XLIII, 15). » Non enim pejus inimico suo quilibet se diceré posse putabat, quam ut talem te videam, quales sunt Christiani :

« Nunc autem derident me juniores temporum, « quorum non dignabor patres ponere cum canibus « gregis mei. » Cum enim hæretici Ecclesiæ filii sint, non dubium est ea tempore esse juniores (347). Et horum quidem patres, hæresiarchæ intelliguntur, ut Simon magus, Arrius, Sabellius, et Jovinianus. Hos autem Ecclesia cum canibus gregis sui ponere nolebat, quia sanctis prædicatoribus nunquam eos conjungere voluit. Tales enim canes oves Dei custodiunt, de quibus dicitur : « Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (*Psal.* LXVII, 24). »

« Caligavit ad indignationem oculus meus, et « membra mea quasi in nihilum redacta sunt. » Quia, inquit, isti me irrident, et tu quasi non curans me, non ulciscéris; ideo indignatus oculus meus caligavit. Oculi enim Ecclesiæ episcopi sunt, qui dum iniquos exaltari, et se deprimi et humiliari considerant, indignatione et stuporis admiratione aliquando caligant, quoniam gregem sibi commissum non tam diligenter custodiunt. Unde fit ut membra quasi in nihilum redigantur, quoniam, deficiente custodia subditorum, greges vitiorum morsibus laniantur.

« Stupebunt justi super hoc, et justus contra « hypocritam suscitabitur, et tenebit justus viam « suam, et mundis manibus addet fortitudinem. » Hoc est quod modo dixerat, quia mali exaltantur et boni humiliantur. Super hoc stupebunt justi, cur hoc fiat nescientes. Sed tamen, ne membra penitus redigantur in nihilum, et innocens quidem contra hypocritam suscitabitur. Et justus tenebit viam suam, quam pro indignatione ad horam reliquisse videbatur; (348) viam enim suam justus tenet, quando assueto justitiæ operi constanter insistit. Et mundis manibus addet fortitudinem, quia in sanctis operationibus fortius laborabit. Et dicet :

« Igitur vos omnes convertimini, et venite, et non « inveniam in vobis ullum sapientem. » Quia, inquit, detersa oculorum caligine contra hypocritam insurgens viam meam teneo, ideo et vos Ecclesiæ membra, quæ jam pene ad nihilum redacta eratis, convertimini ad Dominum, et venite post me, id est imitatores mei estote, sicut et ego Christi. « Et non inve- « niam **254** in vobis ullum sapientem; quoniam « sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. » Unde et Apostolus : « Si quis, inquit, videtur sapiens inter vos, stultus fiat, ut sit sapiens (*I Cor.* III 18). » Et alibi : « Non multi sapientes, fratres, et non multi nobiles inter vos, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes (*I Cor.* I, 26). » Huc usque Ecclesia. Nunc autem Job, cujus verba hæc sunt, sicut hujus sermonis principium de se specialiter dixit; ita et finem, ut de se spiritualiter intelligamus, insinuat.

« Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissi- « patæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt « in diem, et rursum post tenebras spero lucem. » Dies, inquit, mei, quos ideo meos dico, quia non mihi in eis, sed Domino vixi, et quos in Dei contemplatione et servitio transegi, jam transierunt. Cogitationes meæ, quibus non sæcularia, sed æterna cogitabam, quæ et compunctione, et lacrymis cor meum torquebant; siquidem « cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19), » quæ noctem mihi in diem sæpissime verterunt, quia non minus in nocte, quam in die me vigilare cogebant. Illæ, inquam, tales meæ cogitationes dissipatæ sunt. Tantis enim angustiis premor, ut nihil me aliud cogitare delectet. Dolet igitur vir sanctus, quia pro carnis doloribus tanta contemplatione privatur. Sed ecce « rursum post tenebras spero lucem, » quia post hujus afflictionis fatigationem, lucem et quietem exspectabo. Sed quid mihi prodest? Sequitur :

« Si sustinuero infernus domus mea est, et in « tenebris stravi lectulum meum. » Ego, inquit, lucem exspecto, et sustineo; sed tenebræ mihi sunt præparatæ. Scio enim quia in infernum descendam (349), qui utique locus est tenebrarum. « In tene- « bris stravi lectulum meum. » Stravit enim non in se, sed in primo homine, quia ipse materialiter in eo erat, quando Adam Dei mandatum transgre-

(347) Tertullianus, cap. 32 Præscript., probat hæreticos Ecclesia catholica multo posteriores esse, quod ab apostolis desciverunt, et aliam doctrinam prædicaverunt. Novitas ergo doctrinæ posterioris originis argumentum est.

(348) « Et tenebit justus viam suam, quia scilicet non deseret eam propter iram zeli. Talis enim ira non præcedit rationem, sed sequitur, et ideo non potest hominem a justitia separare. Utilis tamen est ira per zelum, quia facit hominem cum majore animi fortitudine insurgere contra mala, et hoc est quod subdit : *et mundis manibus addet fortitudinem;* scilicet per zelum, unde et dicitur 3 Ethic. Quod ira fortitudinem juvat. » D. Thom.

(349) « Vocat autem infernum sepulcrum, secundum opinionem eorum, contra quos disputabat, qui non credebant animam hominis remanere post mortem, sed solum corpus in sepulcro, quod vocabant infernum, quia intra terram situatur. » D. Thom.

Digitized by Google

diens, et sibi et humano generi in tenebris et in inferno lectum sternebat. « Putredini dixi pater « meus es, mater mea et soror mea, vermibus. » Omnes enim nostri parentes, qui jam præcesserunt, quid aliud sunt quam vermes et putredo; ex putredine igitur nati, in putredinem redituri sumus. « Ubi est ergo nunc præstolatio mea, et patientiam « meam quis considerat? » Si, inquit, anima in infernum, caro vero in putredinem, et vermes ire compellitur, ubi est ergo præstolatio mea? Quid expectavi? Quid invenio? Quid ex hac tanta patientia mea consequor? Quis meam patientiam considerat? Ille utique de quo scriptum est: « Quoniam tu laborem, et dolorem consideras. » — « In profundissi- « mum infernum descendent omnia mea: putas ne « saltem ibi erit requies mihi? » Quidquid enim inferius est, suis superioribus comparatum, infernus dici potest. Quia igitur locus ille pœnalis, et cœlo, et aere et terra inferior est, merito profundissimum infernum eum appellat. Ibi autem omnia sua descendere dicit, cum solam animam ibi descendisse manifestum fit, quoniam nihil aliud suum computabat, nisi illud quod secum ferebat. Quod autem ait: « Putasne saltem ibi erit requies mihi? » non desperando dicit; sed quia talis requies, non requies, sed pœna putatur.

CAPUT XVIII.

« Respondens autem Baldad Suhites, dixit: Usque « ad quem finem verba jactabis? Intellige prius, et « sic loquamur: » Quod cum verba jactasse dicit, eum de superbia et jactantia reprehendit. Quia vero intelligere admonet, quasi non intellexisset, eum deridet. « Quare putati sumus ut jumenta? Et sor- « duimus coram te, qui perdis animam tuam in « furore tuo? » Hæc ideo fortasse dicit, quia Job superius dixerat. « Interroga jumenta, et docebunt « te. » Itemque: « Utinam taceretis, ut pateremini « esse sapientes. » Quia vero illorum sententiam non sequebatur, contra animam suam eum agere cogitabant; ideoque hic dicitur: « Qui perdis animam « tuam in furore tuo. » Omnis enim ista contentio ex eo maxime fiebat, quia beatus Job et juste et propter peccata sua se affligi non confitebatur. « Nun- « quid propter te derelinquitur terra, et transferen- « tur rupes de loco suo. » Ac si dicat: Si tu solus bene intelligis, totus mundus errat. Quod si ita est, necesse est ut et terra relinquatur, et mundus pereat. Rupes autem se et alios sapientes dicit, qui altitudine ingenii superexcellant. Hoc autem non poterit Job transferre de loco suo, quia suæ intelligentiæ stabilitate, quamvis mala sit, eos non poterit separare.

« Nonne lux impii exstinguetur? Nec splendebit « flamma ignis ejus? » Quamvis, inquit, prava intelligentia impii aliquando luceat, et vera esse putatur, exstinguetur tamen et dissipabitur. Neque enim semper splendebit flamma ignis, id est ingenii ejus. Ignis enim et splendor mentis ingenium est.

« Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, et lucerna, quæ super eum est, exstinguetur. » Impii tabernaculum caro est. In hoc autem lux tenebrescet; quando omnis ejus intelligentia falsa fuisse probabitur. Insuper et lucerna, quæ super eum est, exstinguetur, quia non solum hoc quod mente concepit, verum etiam id quod ab **255** antiquis et suis superioribus didicit destruetur. Omnis enim erronea scientia evacuabitur. Verum quidem dicit Baldad; sed hoc tamen contra Job dicere non debuerat. Sequitur: « Arctabuntur gres- « sus virtutis ejus, et præcipitabit eum consilium « suum. » Quandiu enim impius vivit, per latam et spatiosam mortis viam incedens, et in sua virtute confidens, quidquid ejus voluntas fert operatur. Sed tunc quidem gressus ejus arctabuntur, quando ligatis manibus, et pedibus in tenebras projicietur; unde et subditur: « Et præcipitabit eum consilium « suum. » Non enim præcipitaretur, si non suo, sed sanctorum consilio credidisset. « Immisit enim in « rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat. » Pedes enim suos in rete misit iniquus, quia diaboli laqueis et deceptionibus tenetur, ne recto itinere incedere valeat. Et in maculis ejus ambulat, quia de vitiis in vitia transit; nunc adulterium, nunc perjurium, nunc homicidium exercens. Quot enim sunt vitia, tot sunt et maculæ hujus retis. « Tenebitur « planta ejus laqueo, et exardescet contra eum sitis. » Quanto enim desiderio peccet iniquus, ex hoc appareat, quia cum adhuc uno vitio teneatur, aliud jam facere ardescit; quasi pede ligatus a luxuria tenetur, et aliena rapere concupiscit. « Abscondita est in « terra pedica ejus, et decipula illius super semitam. » Ibi enim diabolus pedicam et decipulam ponit, unde peccatorem frequentius transitum habere cognoscit. In quo enim vitio unusquisque persistit, illud et via est per quam currit ad perditionem. Scit igitur diabolus vias, scit deceptiones quibus unusquisque capietur; aliud enim luxuriosis, aliud avaris, aliudque superbis opponit. « Undique terrebunt eum formidi- « nes, et involvent pedes ejus. » Qui enim male agit, nunquam potest esse securus, quia non solum Deum timet, sed et homines quos offendit, nusquam sine formidine vadit, ubicunque est timore concutitur. « Attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat « costas illius. » Si enim fame attenuatur aliquis, inedia confestim in costis apparet. Robur igitur, et costæ iniqua fame et inedia attenuabuntur, et invadentur, quia in pœnis positus et fortitudinem amittet, et quam penuriam patiatur celare non potest. Sicut nec ille, qui dicebat: « Pater Abraham, miserere mei et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma (*Luc.* xvi, 24). »

« Devoret pulchritudinem cutis ejus, consumat « brachia illius primogenita mors. » In cute exterior pulchritudo, in brachiis autem fortitudo continetur. Mors vero diabolus est, quia per eum facta est. Devoret igitur mors, id est diabolus, non solum pulchritudinem ejus cutis, id est carnem, sed etiam brachia illius consumat, id est animam, in qua tota virtus

Digitized by Google

hominis et fortitudo consistit. « Avellatur de taber- « naculo suo fiducia ejus, et calcet super eum quasi « rex interitus. » Iniqui enim fiducia, hæc vita est, quia in nulla re tantum quantum in hac vita confidit. Hic autem avellitur de tabernaculo corporis sui, quia quando se multum vivere sperat, repente ejus vita succiditur. Et tunc interitus, quasi rex calcat super eum, quia diabolo penitus traditur in potestatem; qui quoniam princeps mortis est, non immerito interitus vocatur. « Habitent in tabernaculo « illius socii ejus qui non est, aspergatur in taber- « naculo ejus sulphur. » Postquam enim de hac vita impius subtrahitur, nullum nisi infernum tabernaculum, sive habitaculum habet. Per illum autem qui non est, diabolus intelligitur, qui ideo non esse dicitur, quia bene destitit esse, et quia de Deo dicitur, qui est, merito de diabolo dicatur, qui non est. Sic enim Moyses ait : « Qui est, misit me ad vos (*Exod.* III, 14). » In tabernaculo igitur iniqui habitant socii ejus, qui non est, per quos omnium dæmonum multitudo figuratur, quibus iste sociatus, nunquam ulterius tribulatione carebit. Sulphur autem in ejus tabernaculo spargitur, quia semper in fetore versatur.

« Deorsum radices ejus siccentur, sursum autem « atteratur messis ejus. » Quid per deorsum et sursum, nisi præsens vita et æterna beatitudo signatur? Deorsum igitur impii radices siccantur, quia in hac vita bona opera in eo moriuntur, sine quibus, quasi sine radicibus vivere non datur. Sursum autem ejus messis atteritur, quia in alia vita unde vivat, non habebit. « Memoria illius pereat de terra, et non « celebretur nomen ejus in plateis. » Pereat, inquit, memoria ejus, nec audiatur in plateis cœlestis Jerusalem. « Expellet eum de luce in tenebras, et de « orbe transferet eum. » De luce quidem in tenebras expellet eum Dominus, et de orbe transferet eum, quia de hac vita et de hoc mundo in tenebras et æterna supplicia eum impellet. « Non erit semen « ejus, neque progenies in populo suo, nec ullæ re- « liquiæ in regionibus ejus. » Semen, et progenies, et reliquiæ istius, vel ejus imitatores, vel ejus opera intelligi possunt. Hæc autem post hanc vitam nec in populo Dei erunt, nec in regionibus ejus, id est in patria cœlesti.

« In die ejus stupebunt novissimi, et primos in- « vadet horror. » Quæ est dies ejus, nisi dies judicii, in qua iniquus damnabitur, et peribit? Novissimi nos sumus, de quibus Joannes ait : « Filii novissima hora est (*I Joan.* II, 18). » Et Apostolus : « Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). » Primi autem sunt patriarchæ, et prophetæ et cæteri qui ab Adam usque ad Christum fuerunt. Omnes autem isti stupebunt et horrore invadentur, quando iniquorum multitudinem judicari conspicient. Quomodo **256** enim non stupebunt, qui tantum exercitum, et maxime hujus sæculi potentum, tam violenter ad mortem et ad tormenta trahi videbunt? « Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, et iste A « locus ejus, qui ignorat Deum. » Quæ? videlicet, ut transferatur de luce ad tenebras. Miser ille per omnia, cui talia tabernacula sunt præparata.

CAPUT XIX.

« Respondens autem Job, dixit : usquequo affligi- « tis animam meam et atteritis me sermonibus? Et « decies confunditis me, et non erubescitis oppri- « mentes me. » Qui enim ad consolandum venerant, cum potius affligebant, et injuste redarguendo sermonibus atterebant. Quia vero quinquies illi locuti fuerant, et quinquies ipse responderat, decies se confusum dicit, quia non magis de illorum locutionibus dolebat, quam de suis, quos illi nec recipere, nec credere volebant. Et quod adhuc majus est, erubescebat ille qui opprimebatur, et non erubescebant B illi qui eum injuste opprimebant. Sequitur :

« Nempe et si ignoravi, mecum erit ignorantia « mea. At vos contra me erigimini, et arguitis me « opprobriis meis. » Et si ignoravi, inquit, id est ignoranter peccavi, mecum erit ignorantia mea, quoniam usque nunc intelligere non possum quid peccaverim, ut sic affligi debuissem. At vos contra me erigimini, ac si illa mea occulta sciretis, quæ ego ipse scire non possum. « Et arguitis me oppro- « briis meis; » id est, mea opprobria et flagella mihi objicitis, et quia flagellor, inde me iniquum probare nitimini.

« Saltem nunc intelligite quia Deus non æquo « judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit. « Ecce clamabo vim patiens, et nemo exaudiet, voci- C « ferabor, et non est qui judicet. » Ipse enim Dominus ostendit quod non æquo judicio eum afflixerit, dum dicit : « Tu autem commovisti me adversus « eum, ut affligeres eum frustra. » Hoc autem quomodo intelligi debeat, jam superius dictum est. Flagellis autem cingere, est graviter undique affligere. Et ex hoc, inquit, intelligite me non æquo judicio affligi, quia clamabo et vociferabor, et nemo erit qui audiat, vel qui judicet. Si enim juste me affligit, cur a judicium non venit? Veniret enim si culpam suam eum intelligere faceret; quod quia non faciebat, nullam eam esse docebat. Sequitur :

« Semitam meam circumsepsit, et transire non « possum; et in calle meo tenebras posuit. » Quo D beatus Job ire volebat, quia dicit semitam suam circumseptam et tenebris involutam, ut transire non possit, nisi quia tota mente et intentione ad hoc tendebat, ut illam culpam intelligere potuisset, pro qua affligebatur? Erant igitur ignorantiæ tenebræ ei oppositæ, quæ mentem ejus, ne hujus rei veritatem discerneret, impediebant.

« Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de « capite meo, destruxit me undique, et pereo, et « quasi evulsæ arbori abstulit spem meam. Iratus est « contra furor ejus, et sic me habuit quasi hostem « suum. » Valde enim gloriosus fuerat, quoniam justus et perfectus ab omnibus habebatur. Hac autem gloria spoliatus erat, quia propter flagella quæ patiebatur, inter iniquos jam ab eis computabatur, in-

Digitized by Google

super coronam, quam vitiis superatis pro victoria susceperat, se amisisse conqueritur; quoniam jam non victor, sed victus potius videretur. Hoc autem non in rei veritate, sed secundum hominum opinionem. Destructus autem undique erat, quoniam oves, et boves, et asinos, et camelos, omnemque substantiam amiserat, et quasi truncus arboris, ramis omnibus evulsis, omnem futuræ posteritatis spem amiserat, quia filiis et filiabus orbatus erat. Unde Deum sibi iratum, et quasi hostis se haberi loco ab illo conqueritur; non quod ita esset, sed quia ita videbatur esse.

A

« Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi « viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum « meum. » Simul, inquit, subito et cum furore venerunt latrones ejus, id est maligni spiritus. Et transierunt per me vastantes et dissipantes omnia. Et obsederunt in gyro tabernaculum meum; quia omnibus perditis, et filiis et filiabus oppressis, me quoque a planta pedis usque ad verticem vulnere pessimo percusserunt, ut per tabernaculum corpus ejus intelligamus. Huc usque Job; cætera vero loquitur Christus.

B

« Fratres meos longe fecit a me, et noti mei, « quasi alieni, recesserunt a me. » Judæi enim Christi fratres secundum carnem, quia ex semine Abraham, et noti, per conversationem et legis notitiam, ab eo per infidelitatem longe facti sunt, et cum negantes ab eo recesserunt; unde et subditur: « Dere- « liquerunt me propinqui mei, et qui me noverunt « obliti sunt mei. Inquilini domus meæ et ancillæ « meæ sicut alienum habuerunt me, et quasi pere- « grinus fui in oculis eorum. » Inquilini enim et ancillæ domus ejus, id est Synagogæ sacerdotes et levitæ intelliguntur, qui templi secreta colebant, et familiarius custodiebant. Hi autem quasi alienum et peregrinum habuerunt eum, dicentes: « Hunc unde sit, nescimus (*Joan.* IX, 29). »

C

« Servum meum vocavi, et non respondit, ore proprio deprecabar illum. » Servum suum Judæorum populum dicit, de quo Isaias: « Quis cæcus nisi servus meus? » (*Isa.* XLII, 42). Hunc autem non solum verbis, sed et miraculis ad fidem vocavit, secundum illud: « Si mihi non creditis, operibus credite (*Joan.* X, 38). »

257 Et jam non per prophetas, ut prius, sed ore proprio deprecabar eum, cum diceret: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI, 28). » — « Et non respondit ei, id est non obediunt. » Halitum meum exhorruit « uxor mea; et orabam filios uteri mei. » Uxor ejus quondam Synagoga fuit. Hæc autem ejus halitum, id est ejus verba exhorruit. Cum enim diceret: « Antequam Abraham fieret ego sum (*Joan.* VIII, 58); » et: « Ego sum lux mundi (*ibid.*, 12); » et: « Ego principium sum, qui et loquor vobis (*ibid.*, 26); » et: « Ego sum Christus (*Matth.* XXIV, 5); » tunc ejus halitum horrebat Synagoga; unde et dicebat: « Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 8). » Orabat autem filios uteri sui, scilicet Judæos, quos ut filios diligebat. « Stulti quoque despiciebant « me, et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. » Stulti enim Scribæ et Pharisæi in verbis eum aliquando despiciebant, signa tamen videntes mirabantur. Et cum ab eis paululum recessisset, et a miraculis cessasset, detrahebant ei dicentes: « Nonne hic est filius fabri? » (*Matth.* XIII, 55.) « Abominati sunt me « quondam consiliarii mei, et quem maxime diligebam. » Ejus namque consiliarii legis periti intelliguntur, qui cum se in sacris voluminibus exercerent, cum Deo quodammodo consiliabantur. Et hi quidem prius Christi adventum prædicabant, quem in carne videntes non receperunt. Prius igitur eos maxime diligebat; tunc videlicet, quando veritatem prædicabant. Potest autem et per eum quem ipse maxime diligebat Judas intelligi, qui eum postea tradidit.

D

« Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os « meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa « dentes meos. » Pellis enim sanctæ mulieres, carnes apostoli, os vero Christus intelligitur. Carnibus igitur consumptis, id est apostolis fugientibus, os tantummodo pelli adhæsit, quia sanctæ mulieres nec in ipsa passione Christum reliquerunt, quibus ipse dicebat: « Filiæ Jerusalem, nolite flere super me. (*Luc.* XXIII, 28). » Ipsæ quoque labia dici possunt, quoniam primæ locutæ sunt, Christi resurrectionem annuntiantes. Labia igitur circa dentes relicta sunt, quia, Christo visibiliter eis sublato, mulieres apostolis adhæserunt. Dentes enim apostoli sunt, a quibus totus Ecclesiæ cibus molitur. Huc usque Christus. Hinc autem Job suæ locutionis ordinem sequitur:

« Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, « amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare « persequimini me sicut Deus, et carnibus meis sa- « turamini? » Quia, inquit, manus Domini me flagellat, cujus fortitudinem vix ferre valeo; saltem vos, amici mei, parcite jam nunc et miseremini mei. Et quare persequimini me sicut Deus? Nunquid sine peccato estis? Solus enim Deus sine peccato. Quia ergo sine peccato non estis, cur mea peccata redarguitis? Redarguite vestra. Aliorum vero carnibus saturatur, qui in aliorum afflictionibus et detractionibus delectatur.

« Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? « Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, « et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? » Optat enim vir sanctus, ut sermones ejus scribantur, quatenus illi qui post eum venturi erant, patientiæ exemplum ex eis caperent. Vult autem ut scribantur stylo ferreo, id est stabili firmaque sententia, ne deleri de hominum memoria valeant. Sed ubi? In plumbi lamina, vel celte in silice, id est in Judæorum et gentilium pectore. Plumbum enim omni metallo vilius est: Judæi autem cunctis gentibus subditi sunt; gentiles vero, quia idola et lapides adorabant, merito per silices significantur. Sed quasi aliquis dicat: Quid tibi prodest, si sermones

Digitized by Google

tui scribantur, cum tu ipse quoque morte penitus finiaris? Ad quod ipse : « Scio enim quod Redemptor « meus vivit » (350) (quem Judæi se occidisse putabant) « et in novissimo die de terra surrecturus « sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in « carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego « ipse, et oculi mei conspecturi sunt. » O quanta spes resurrectionis! Sola enim hæc verba sufficiunt contra omnes qui resurrectionem negant. « Quem visurus sum, inquit, ego ipse. » Quid est ego ipse? Id est in hac carne, in hac essentia, in hac persona. Et non alius, carnis mutatione, sed unus idemque, ejusdem ipsius receptione. « Reposita est « hæc spes mea in sinu meo. » Sic, inquit, credo, sic spero, sic rei certus sum, ut illius rei, quam in sinu et pectore habeo.

« Quare ergo dicitis : Persequamur eum, et radi- « cem verbi inveniamus contra eum? » Radicem verbi inveniunt, quando in ejus verbis aliquid notant, unde contra eum loquendi materiam sumant. Sed hoc frustra faciunt, quia ejus fides et spes moveri non potest. Insuper dum eum impugnant, seipsos occidunt, unde et subditur : « Fugite ergo a « facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius « est, et scitote esse judicium. » Ac si dicat : Dum contra me injuste contenditis, gladium divinæ ultionis vestris cervicibus imminentem non consideratis. Cessate igitur ab iniquitate, et fugite ultionis gladium, quoniam ultor iniquitatum gladius est : et scitote esse judicium, in quo Deus omnia occulta manifestabit. « Nolite igitur **258** ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo (*I Cor.* IV, 5). »

CAPUT XX.

« Respondens autem Sophar Naamathites, dixit : « Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et « mens in diversa rapitur. » Idcirco, inquit, quia tu quoque de futuro judicio non dubitas, et tamen quasi in tua justitia confidens, a superbiæ sermone non cessas; inde, inquam, cogitationes meæ variantur. Saltem enim illius judicii timor te ab hac tanta jactantia debuit cohibere. « Doctrinam, qua me ar- « guis, audiam, et spiritus intelligentiæ meæ re- « spondebit mihi. » Tu, inquit, loquere quodvis, argue me quantum vis, quia ego doctrinam tuam audire quidem possum; sed spiritus intelligentiæ meæ intus mihi respondens, tuæ doctrinæ non me patitur assentire. « Hoc scio a principio, in quo po- « situs est homo super terram, quod laus impiorum « brevis est, et gaudium hypocritæ adinstar puncti. » His verbis beatum Job et impium et hypocritam injuste reprehendit. Quæ tamen verba de impio, et hypocrita competenter intellecta, vera esse possunt. Brevis est enim laus hypocritæ, quia et cognita cito perit, et penitus in hac vita finitur. Est autem gaudium ejus adinstar puncti, qui tam brevis est, ut vix fuisse videatur. « Si ascenderit usque ad cœlum « superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi « sterquilinium in fine perdetur. » Per cœlum et nubes Ecclesiæ doctores intelligimus. Usque ad hos ascendit hypocrita, eosque tangit, dum per bene vivendi simulationem parem se eis esse ostendit; perdetur tamen in fine velut sterquilinium, quoniam etsi exterius sit dealbatus, tamen vitiorum stercore sordescit.

« Et qui eum viderant, dicent : Ubi est? Velut « somnium avolans non invenietur, transiet sicut « visio nocturna; oculus qui eum viderat, non vi- « debit, neque ultra intuebitur eum locus ejus. » Bene autem hypocrita somnio et nocturnæ visioni comparatur; quoniam quidquid egit, phantasma et deceptio fuit. Ideo non cum sanctis erit, ubi esse putabatur, sed cum iniquis in tenebras præcipitabitur. Unde et hi qui eum viderant et cognoverant, præ nimia admiratione dicent : Ubi est? Ibi videlicet est, ubique neque locus et habitatio ejus eum intuetur et admiratur, neque talis oculus eum videt, qui ejus deceptionibus falli possit. « Filii ejus atterentur « egestate, et manus ejus reddent ei dolorem suum. » Filii, inquit, ejus, id est imitatores ejus, atterentur egestate et omnium bonorum penuria. Et manus ejus, id est opera quæ operatus est, reddent ei dolorem suum, quoniam eadem mensura qua mensus fuerit remetietur ei. Et hoc merito. Quandiu enim vixit, a malo nunquam quievit. Et hoc est quod ait : « Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ « ejus, et cum eo in pulvere dormient. » Quid enim per ossa, nisi robustiorem ætatem intelligimus? Ossa igitur ejus implentur vitiis adolescentiæ, quia neque in senectute ab illis vitiis cessabit, quæ in adolescentia facere consueverat (351). Et cum eo in pulvere dormient, quoniam in nulla ætate a se vitiorum pulverem excutiet, ut vel sero ad opus bonum evigilet. Semper enim dormiunt mali; unde et Apostolus ait : « Surge, qui dormis, surge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Ephes.* V, 14). »

« Cum enim dulce fuerit malum in ore ejus, abs- « condet illud in lingua sua, parcet illi, et non de- « relinquet illud, et celabit in gutture suo. » Cum enim malum, et iniquitas in ore cordis illius dulce et suave fuisset, non manifestavit, neque pœnitentiam egit, sed abscondit illud sub lingua sua. Et pepercit illi, quia noluit confitendo delere. Et non dereliquit illud, ut per linguæ confessionem exiret;

(350) *Redemit autem nos Christus de peccato per mortem pro nobis moriendo; non autem sic mortuus est, quod eum mors absorberet : qui et si mortuus secundum humanitatem, mori tamen non potuit secundum divinitatem. Ex vita autem divinitatis etiam humanitas est reparata ad vitam resurgendo, secundum illud ad Cor. ultim.: Nam et si crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei.* » D. Th.

(351) Idem habetur in Prov. XXII, 6 : *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

Digitized by Google

sed celavit in gutture suo, id est in secreto cordis sui. « Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspi- « dum interius. » Panis ejus in venenum, et in fel aspidum interius vertitur (352), quando ipso cibo, quo debuit vivificari anima, occiditur. Hoc autem illis contingit, qui bene intelligunt et male agunt. Unde et Apostolus : « Aliis, inquit, sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (*II Cor.* II, 16). »—« Divitias, quas devoravit, emovet, et de ven- « tre illius extrahet Deus. » Divitias enim sanctarum Scripturarum, quibus hypocritæ frequenter abundant, eo tempore penitus amittent. Quo e contra boni quidquid minus habent, perfecte suscipient. Sicut enim scientia bonis, sic ignorantia crescet malis. Caput aspidum surget, occidet eum lingua viperæ. Diabolus enim et aspis et vipera vocatur : aspis quidem, propter veneni sævitiam, vipera vero, quia pariens rumpitur. Tunc enim diabolus rumpitur dolore, quando ex ejus ventre illi, quos devoraverat, peccatores foras erumpunt, et ad pœnitentiam redeunt. Qui enim caput aspidum non fugit, et malignorum spirituum venenum insanabile bibit, eum nimirum lingua viperæ occidit, et quia diaboli persuasione superatus, et devoratus, ex ejus ventre vix unquam exire, et evadere **259** poterit? « Non videat rivulos fluminis, « torrentes mellis et butyri. » Non videat, inquit, et non intelligat rivulos fluminis, id est sententias Novi Testamenti, quæ et melle et butyro abundant, et fluunt, quoniam Deum et hominem apertissime Christum esse ostendunt. Mel enim, quia ex aere colligitur, divinitatem, butyrum vero, quod ex carne est, humanitatem designat. Sive etiam, quia dulcis et facilis est, mel et butyrum doctrina evangelica dici potest. « Luet, quæ fecit omnia, nec tamen « consumetur. » Quia pro unoquoque peccato quod fecit punietur; sed quia immortalis erit, penitus consumi non poterit. Hoc autem exponit.

« Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic « et sustinebit. Quoniam confringens nudavit pau- « peris domum, rapuit, et non ædificavit eam, non « est satiatus venter ejus. » Pauperis enim domum, quam iniquus per superbiam violenter confregit, per avaritiam nudavit et exspoliavit. Nec tamen venter ejus satiatus est, quia ejus cupiditatis desiderium satiari non potest. « Et cum habuerit quæ « cupierat, possidere non poterit. » Ut ille in Evangelio cui cum haberet multa bona, dictum est ei : « O stulte, hac nocte anima tua rapietur a te, quæ autem parasti, cujus erunt? » (*Luc.* XII, 10.)

« Non remansit de cibo ejus, et propter ea nihil « permanebit de bonis ejus. » Hoc autem sic ad litteram intelligi potest, ut quia neque de ciborum suorum reliquiis eleemosynam fecit, ideo de bonis suis nihil ei remansit. « Cum satiatus fuerit, arcta- « bitur, æstuabit, et omnis dolor irruet in eum. » Cum, inquit, satiatus et plenus fuerit, tunc multis curis et sollicitudinibus arctatur; tunc fures et prædatores timet, dormire non audet, omnia formidat, ne et ipse capiatur, trepidat. Sic igitur omnis dolor irruit in eum, cui melius fuerat divitem non esse, quam propter divitias in timore et angustia semper esse. Et quoniam iniqui tunc miseriæ et perditioni propinquiores sunt, quando magis divitiis abundant, ideo subdidit : « Utinam impleatur venter ejus, ut « emittat in eum iram furoris sui, et pluat super « illum bellum suum. » Utinam, inquit, impii desiderium compleatur, ut ejus nequitia consummata, ad tormenta citius rapiatur, et vel ibi sentiat iram et bellum furoris Dei, quod quasi pluvia super iniquos abundanter descendit. « Fugiet arma ferrea, et ir- « ruet in arcum æreum, eductus, et egrediens de « vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua. » Ut enim modo supra dixit, quandiu in hac vita impius est, sine timore, et dolore, et tristitia, et sollicitudine non est. Et hæc quidem sunt arma ferrea, quæ ipse de sæculo transiens fugit; sed quod pejus illi est, irruit in arcum æreum, id est tormenta impia, et dura (353). Quia enim illa tormenta occulta sunt, arcus vocantur : quia vero dura, ærea vocantur. Sed quando hoc illis continget? tunc utique quando educetur et egredietur de vagina sua; id est quando ejus anima de carnis tabernaculo extrahetur. Sed quomodo ibi, nisi fulgurans, id est ardens et candens in amaritudine et angustia sua? Unde autem sit hæc amaritudo, audi quod sequitur : « Vadent et venient super eum horribiles. » Hi autem horribiles maligni spiritus sunt, qui super eum vadunt et veniunt; quoniam sine intermissione eum conculcantes, quietem illum habere non patiuntur. « Omnes tenebræ absconditæ sunt in oculis ejus. » Quoniam ibi absconditus est, ubi umbra mortis, et tenebræ sunt, et caligo. « Devorabit eum ignis, qui « non succendetur, affligetur relictus in taberna- « culo suo. » Ignis enim ille inexstinguibilis est, et semel succensus non indiget, ut ulterius succendatur. Relictus autem in tabernaculo carnis suæ semper affligetur; quia et caro, et anima in æternum cruciabitur. « Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et « terra consurget adversum eum (354). » Cœli et terra apostoli sunt et Ecclesia. Horum autem judicio, quia mali damnabuntur, contra eos insurgere, et eorum iniquitates revelare dicuntur. « Apertum « erit germen domus illius; detrahetur in die furo-

(352) *Quasi dicat, sicut quandoque cibus comestus convertitur in humores venenosos, ita et bona, quæ* (peccator) *habuit usque ad mortem, convertuntur in amaritudinem mortis.* D. Thom.

(353) « Fugiet arma ferrea, id est pœnas præsentis vitæ, impatienter eas sustinendo, quæ ad modum gladii ferrei feriunt de propinquo : et irruet in arcum æreum, id est in pœnas futuræ vitæ, quæ quasi feriunt a remotis ad modum arcus ærei, qui est infrangibilis, ut futurarum pœnarum infrangibilitas designetur. » D. Thom.

(354) « Id est cœlesti virtute fiet, quod iniquitas ejus reveletur post mortem, quæ latebat in vita. » D. Thom.

Digitized by Google

« ris Domini. » Quidquid enim nunc latet, tunc apertum erit, et manifestum (355). Et tunc omnia foras trahentur, quia omnibus aperientur. « Hæc « est pars impii a Deo, et hæreditas verborum ejus « a Domino. » Id est hanc partem et hanc hæreditatem recipiet impius a Deo non solum pro his quæ inique gessit, verum etiam pro his quæ stulte et indisciplinate locutus est.

CAPUT XXI.

« Respondens autem Job dixit : Audite, quæso, « sermones meos, et agite pœnitentiam, sustinete « me, et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba, ridete. » Quia enim contra veritatem locuti fuerant, et compatiens, ad pœnitentiam eos invitat. Quod vero non tantum verbis, sed etiam risu eum afflixerint, manifestatur, cum dicit : « Et post mea, « si videbitur, verba, ridete. » Stulti enim, cum aliter non possunt, ne victi videantur, risu se defendunt. « Nunquid contra hominem disputatio mea, ut « merito non debeam contristari? » Contra illum disputate, qui **280** justissimus est, et qui injusta nihil facere potest. Cum igitur et illius justitiam, et mea facta, et hæc flagella considero, quomodo contristari non debeam? Cur enim affligar ignoro, tamen non sine causa me affligi non ignoro. « Attendite me, et obtupescite, et superponite digi- « tum ori vestro. » Attendite, inquit, et considerate verba mea, et admirantes obstupescite de his quæ modo dixi, id est, quia et Deus justus est, et ego innocens, et tamen flagella non cessant. Quod autem sequitur « et superponite digitum ori vestro : » eos his verbis ad indignationem commotos fuisse, et respondere noluisse insinuat. « Et ego quando recor- « datus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam « tremor. » Non solum vos, inquit, sed ego quoque dum hæc recordor, et mente pertracto, illico pertimesco et timore concutior. Sed illud magis mirandum est, quod vos, quia me affligi videtis, impium me esse putatis, ac si nemo nisi impius affligeretur, et nemo nisi justus gaudio, et lætitia frueretur. « Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt et « confortati divitiis. » Si, inquit, ut dicitis, solos Deus impios persequitur, et affligit, quare ergo vivunt? Quare divitiis sublevantur et confortantur? Et hoc probat. « Semen eorum permanet coram « eis, propinquorum turba, et nepotum in conspectu « eorum; domus eorum securæ sunt et pacatæ, et « non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, « et non abortivit, vacca peperit, et non est privata « fetu suo, egrediuntur quasi greges parvuli eo- « rum, et infantes eorum exsultant lusibus, tenent « tympanum, et citharam, et gaudent ad sonitum « organi. » Quis igitur dicere audeat istos non esse sublevatos, et divitiis confortatos? Hæc autem ad litteram intelliguntur, et tam plana sunt, ut expositione non egeant. Sequitur : « Ducunt in bonis « dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (356). » Ac si dicat : Quamvis in tanta felicitate hanc vitam agant, in puncto tamen cuncta amittunt, et rapiuntur ad tormenta; quoniam inter mortem et pœnam nulla mora est. « Qui dixerunt « Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum « nolumus. » In hoc autem manifestatur, et quod merito ad inferna descenderint. Illi enim non tantum voce, quam actionibus Deo dicunt : « Recede a nobis, qui male vivendo, omnem justitiam et æquitatem a se repellunt. Et isti quidem vias ejus scire nolunt, quoniam non per virtutum semitam, quæ arcta est, sed per amplas vitiorum vias ad mortem tendunt.

« Quid est Omnipotens, ut serviamus ei? et quid « prodest, si adoraverimus illum? » Hoc et Pharao dicebat « Nescio Dominum, et Israel non dimittam (*Exod.* v, 2). « Unde et David : « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus (*Psal.* XIII, 1). » Et quid prodest, inquit, nobis, si adoraverimus illum? Cum eos qui illum adorant miseros, et qui illum non adorant felices esse videamus? Hoc enim illi dicunt, qui non futura, sed præsentia contemplantur. « Ve- « rumtamen quia non sunt in manu eorum bona « sua, consilium impiorum longe sit a me. » Omnia enim in manu et potestate Dei sunt, quo jubente nihil impiis remanebit. Sive etiam bona sua non sunt in manu eorum, quia proprie æterna bona non intelligunt. « Quoties lucerna impiorum exstinguetur, et « superveniet eis inundatio, et dolores dividet furo- « ris sui. » Quamvis, inquit, aliquando, non semper tamen impii prosperantur; nam et lucerna eorum sæpe exstinguitur, et ea quæ quasi oculorum lumen amabant amittunt. Hoc enim unicuique lucerna est, quod multum diligit, sive filii sunt, sive divitiæ, sive honores; inundatio autem supervenit eis, quando repentina Dei indignatio eos vehementer affligit. Dividit autem eis dolores Dominus furoris sui, quia alios eis in hac vita tribuit, alios in futura reservat. Quid autem eis fiat, cum ad illos dolores venerint, audiamus. « Erunt « sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla « quam turbo dispergit. » Prius enim quam succendantur, paleæ sunt, succensi vero, favillæ. Ventus autem et turbo qui eos dispergit, malignorum spirituum impetus intelligitur. « Deus servabit filiis il- « lius dolorem patris, et cum reddiderit, tunc sciet. » Non solum etiam per alios iniquos, verum etiam per illum, qui omnium iniquissimus erit, sermones suos

(355) Hanc etiam veritatem docuit Dominus, cum dixit : « Nihil est opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur. » *Luc.* x, 26.

(356) « Infernus accipitur etiam pro morte, sicut cum multis Patribus hic docet S. Thomas : *Et in puncto ad infernum descendunt*, id est in mortem. Omnes enim antiqui ante Redemptoris adventum, ad inferna descendebant : sed quidam adversitatibus pressi in via non subito, sed per multas amaritudines ad inferna descendebant; sicut Jacob dixit Genes. XXXVII : *Descendam ad filium meum, lugens in infernum*, sed illi qui prosperitate vigent usque ad mortem, quasi in puncto ad inferna descendunt. »

Digitized by Google

vir sanctus confirmat, id est per Antichristum. Hujus autem filii sunt, quicunque ejus opera faciunt. His autem servat Deus dolorem patris quia simul cum eo damnati eadem patientur tormenta. Et cum Deus ad judicium redierit, qui modo injuste judicatus cœlos ascendit; tunc sciet iste iniquus, quantus dolor et sibi et filiis suis sit reservatus. « Videbunt « oculi ejus interfectionem suam, et de furore Om- « nipotentis bibet. » Hoc est enim quod Apostolus ait: « Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8); » quod quia palam fiet, hoc ejus oculos visuros dicit. « Quid enim ad eum pertinet de domo sua « post se, et si numerus mensium ejus dimidietur? » Ejus enim domus illi sunt quos deceperat. Hi autem post mortem suam ad eum non pertinebunt; quia veritate cognita ad fidem convertentur, secundum illud: « Si 261 fuerit numerus filiorum Israel, sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient (*Rom.* IX, 27). » Dimidiabitur autem numerus mensium ejus, quoniam non tantum vivet, quantum se vivere sperabit. Unde ipsa Veritas ait: « Nisi breviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi (*Matth.* XXIV, 22). »

« Nunquid Deum quispiam docebit scientiam, qui « excelsos judicat? » Ac si dicat: Cum ergo manifestum sit quia et boni et mali in hac vita indifferenter aliquando affliguntur, aliquando vero non, quis docebit Deum scientiam, ut dicat non esse justum ut boni affligantur, neque esse justum ut mali ducant in bonis dies suos? Qui enim excelsos judicat, ab infimis nec doceri nec judicari debet. Sed hoc quoque sequitur, volo, ut respondeatis.

« Iste moritur robustus, et sanus, dives et felix; « viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa « illius irrigantur: alius vero moritur in amaritu- « dine animæ, absque ullis opibus, et tamen simul « in pulvere dormient, et vermes operient eos. » Hoc de solis impiis se dixisse demonstrat. Non enim simul dormient boni et mali. In his igitur verbis aperte demonstratur, quod neque ille damnatur, quia dives est, neque iste justificatur, quia pauper est; sed uterque ideo damnatur, quia impius est. Non igitur divitiæ vel paupertas, sanitas vel ægritudo, prosperitas vel adversitas, sed sola impietas hominem damnat. Hoc autem quare dixerit, adjungit: « Certe novi cogitationes vestras et sententias « contra me iniquas. Dicitis enim: Ubi est domus « principis, et ubi tabernacula impiorum? » Quia enim omnia ejus bona dissipata, et ipsum tam graviter afflictum cernebant, impium et iniquum eum judicabant, ac si nemo impius esset, qui in hac vita affligeretur. Nunc autem ad Antichristum, de quo supra loqui cœperat, verba convertit, qui quamvis omnium iniquissimus sit, in tantum tamen ad tempus prosperabitur, ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Et hic quidem ex hoc impius fuisse probatur, quoniam etsi regnum, et mundi gloriam ante mortem non amittat, post mortem tamen ad tormenta mirabiliter trahitur, et hoc est quod dicit:

« Interrogate quemlibet de viatoribus, et hæc « eadem illum intelligere cognoscetis. Quia in diem « perditionis servabitur malus, et ad diem furoris « ducetur. » Servabitur enim ad tempus, et non affligetur, ut postea majori pœna condemnetur. Si igitur Job, quia affligitur, iniquus judicatur, consequitur ut Antichristus qui prosperabitur justus judicetur. Viatores autem eos dicit qui, in hoc mundo peregrinantes, ad supernam patriam pergunt. Talis enim viator erat ille qui dicebat: « Incola ego sum in terra, et peregrinus, sicut omnes patres mei. Et viam mandatorum tuorum cucurri (*Psal.* CXVIII, 19). » Hic autem eadem quæ et Job de Antichristi interitu intellexit. Ait enim: « Inclinabit se et cadet, cum dominatus fuerit pauperum (*Psal.* IX, 10). » Itemque: « Conteres brachium peccatoris et maligni (*ibid.*, 15). » Sequitur: « Quis arguet coram eo viam « ejus, et quæ fecit, quis reddet? » Nisi Christus? subauditur; qui « eum interficiet spiritu oris sui. » Tantæ enim potentiæ, ut humana virtus ei resistere non possit. « Ipse ad sepulcra ducetur, et in con- « gerie mortuorum vigilabit. » De his sepulcris in Evangelio Dominus dicit: « Mortuus est autem dives, et sepultus est in inferno (*Luc.* XVI, 22). » Ibi autem iste iniquus in congerie mortuorum, id est in illa tanta multitudine damnatorum vigilabit; quoniam nunquam amplius quietem habebit, et hoc merito: « Dulcis fuit glareis Cocyti (357), et post se « omnem hominem trahet, et ante se innumerabi- « les. » Cocytus, ut poetæ fingunt, fluvius inferni est, qui *luctus* interpretatur, per quem ipsius inferni graviores pœnas intelligere possumus. Hujus autem fluvii glareæ sunt omnes, qui in eo submersi, luctum, et miseriam, et cætera inferni tormenta patiuntur. Talibus autem dulcis fuit Antichristus, quoniam ejus opera, et doctrina omnibus iniquis placuerunt. Trahet autem post se omnem hominem, quoniam quicunque ei crediderit, simul cum eo ad inferna ducetur. Homo enim hoc in loco peccatores significat, secundum illud: « Vos autem sicut homines moriemini (*Psal.* LXXXI, 7). » Et ante se trahet innumerabiles, non solum enim illos, quos ipse hic inveniet, decipiet, sed etiam eos qui nunc ejus adventum exspectant, secum trahet ad tormenta. « Quare ergo consolamini me frustra, cum respon- « sio vestra repugnare ostensa sit veritati? » Consolamini enim deridendo dicit. Responsio illorum repugnare veritati ostensa est, quoniam nec solos impios hoc in sæculo flagellari, nec solos justos prosperari probatum est.

CAPUT XXII.

« Respondens autem Eliphaz Themanites dixit:

(357) « Quia enim testimonium viatorum invocavit, veritatem de pœnis malorum post mortem proponit sub fabula quæ vulgariter ferebatur, quia scilicet in inferno inter alios esset quidam fluvius nomine Cocytus, qui interpretatur *luctus*, quo animæ malorum perduntur. » D. Thom.

Digitized by Google

« Nunquid Deo comparari potest homo, etiam cum « perfectæ fuerit scientiæ? Quid prodest Deo si « justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata « fuerit via tua? Nunquid timens arguet te, et ve- « niet tecum in judicium? Et non propter malitiam « tuam plurimam, et infinitas iniquitates tuas? » Constat enim victum **262** esse Eliphaz, nec jam habere quid respondeat; quoniam et ea replicat quæ dicta sunt, et omnibus nota, quasi novum aliquid dicere erubescit; insuper et valde iratus ad injurias et contumeliosa verba prorumpit. Quis enim hoc ignorat, quod nemo Deo comparari possit, et quod in nulla re augeri vel minui valeat, et quod non pro timore aliquid agat? Quod enim Job se manifeste a Deo argui et judicari postulavit, non minis provocando, sed deprecando et operando dixit. Sed audiamus, quid Eliphaz iratus contra virum sanctum mentiendo dicat: « Abstulisti enim pignus fratrum « tuorum sine causa, et nudos spoliasti vestibus. « Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti « panem. In fortitudine brachii tui possidebas ter- « ram, et potentissimus obtinebas eam; viduas « dimisisti vacuas, et lacertos pupillorum commi- « nuisti. Propterea circumdatus es laqueis, et con- « turbat te fortitudo subita. Et putabas te tene- « bras non visurum, et impetu aquarum inun- « dantium non oppressum iri? » Per tenebras, et aquas inundantes, omnes ejus afflictiones, quæ repente et violenter super eum irruerunt, significat. In his autem allegoriam quærere superfluum est, quoniam ad litteram intelligi debent. Non enim minus vitium est, in his quæ ad litteram intelligenda sunt, allegoriam quærere, quam ea quæ allegorice intelligenda sunt, ad litteram tantum velle interpretari. Unde cum in Evangelio Dominus dixisset: « Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem (*Matth.* xv, 11), » et apostoli parabolice dictum putantes, dicerent: « Edissere nobis parabolam istam (*ibid.*, 15); » illico eos Dominus redarguit, dicens: « Adhuc et vos sine intellectu estis? » (*ibid.*, 16.)

« An non cogitas quod Deus excelsior cœlo sit, « et super stellarum vertices sublimetur? Et dicis: « Quid enim novit Deus? Et quasi per caliginem ju- « dicat. Nubes latibulum ejus, nec nostra consi- « derat, et circa cardines cœli perambulat. » Quamvis enim Deus cœlo excelsior sit, mundi tamen gubernacula non relinquit. Nec longe quidem est, quia ubique est. Omnia novit, quia omnia fecit, cujus oculis nec nubes nec caligines obstant. Cuncta considerat, et quamvis immobilis manens, cuncta perambulat. « Nunquid semitam sæculorum custodire « cupis, quam calcaverunt viri iniqui, qui sublati « sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fun- « damentum eorum? » Semita enim sæculorum illa est, per quam non spirituales, sed sæculares homines gradiuntur, quæ, quia longa et ampla est, sæculorum dicitur. Hanc autem semitam calcant, et custodiunt viri iniqui, quoniam sola præsentia et sæcularia diligunt. Hanc autem et Job custodire cuperet, si, ut ipse putabat, propter bona fugitiva doluisset. Sunt vero sublati viri iniqui ante tempus suum, quia non tantum vivunt, quantum se vivere sperabant. Fluvius enim, et impetus mortis subvertit fundamenta eorum, id est eorum vitæ stabilitatem. Fluvius enim mors dicitur, quia ex quo cœpit fluere, non destitit: de hoc enim fluvio bibunt, quicunque in hunc mundum veniunt: « Qui dicebant « Deo: Recede a nobis, et quasi nihil possit facere « Omnipotens, existimabant eum, cum ipse imples- « set domos eorum bonis. » Deus enim iniquorum domos bonis implet, quia divitiis sæcularibus, quæ utique quantum ad se bonæ sunt, eos multiplicari facit. « Quorum sententia longe sit « a me. » Hæc autem verba Eliphaz removet a se, quia propter se beatum Job ea superius dixisse putavit.

« Videbunt justi, et lætabuntur, et innocens sub- « sannabit eos. » Hoc est enim quod Psalmista ait: « Lætabitur justus, cum viderit vindictam (*Psal.* LVII, 11). » Innocens autem, id est Christus, subsannabit eos, secundum illud: « Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos (*Psal.* II, 4), » et insultando dicet: « Nonne succisa est erectio eorum? » Quia se elevando superbiebant. « Et reliquias eorum devorabit ignis. » Ignis utique gehennæ, reliquias autem, carnem et animam vocat, quoniam ex omnibus quæ possidebant, nihil aliud eis relinquetur. « Acquiesce igitur ei, et habeto « pacem, et per hoc habebis fructus optimos. » Acquiesce, inquit, ei, et noli superbire; et habeto nunc jam quietem et pacem; et per hoc habebis optimos fructus et magnam remunerationem. « Suscipe ex ore illius legem, et pone sermo- « nes illius in corde tuo. » Suscipe, inquit, hæc verba, suscipe hanc legem, non de ore meo, sed de ore illius; hæc enim verba et hi sermones illius sunt. Pone igitur eos in corde tuo, et noli eorum oblivisci. Vera quidem dicit Eliphaz, sed arroganter loquitur: « Si reversus fueris ad Omnipotentem, « ædificaberis, et longe facies iniquitatem a taberna- « culo tuo. » Destructus, inquit, es propter superbiam et iniquitatem tuam; sed si pœnitentiam agas et ad Deum revertaris, iterum ædificaberis, et omnis iniquitas fugiet a te. « Dabit pro terra silicem, et « pro silice torrentes aureos. » Si, inquit, ad Omnipotentem reversus fueris, pro terræ mollitie et infirmitate quam habuisti, dabit tibi silicis robur et fortitudinem. Quam fortitudinem si bene tenueris, dabit tibi pro ea torrentes aureos, id est magnam sapientiæ et scientiæ plenitudinem. « Eritque Omni- « potens contra hostes tuos, et argentum coacerva- « bitur tibi. » Illi enim coacervatur argentum, qui et sapientiam in corde, et veritatem tenet in locutione. Sapientia enim sine veritate inutilis est. « Tunc super Omnipotentem deliciis affluens, et « levabis ad Deum faciem tuam. » Deliciis enim super Omnipotentem affluit, qui in ejus contemplatione de-

Digitized by Google

lectatur; ideoque subditur : « Et levabis ad Deum faciem tuam, » quia jam non ima, non terrena, sed cælestia 263 intueri delectaberis. « Rogabis eum, et « exaudiet te, et vota tua reddes. » Qui enim post exaudilionem vota reddit, se ut exaudiretur, aliquid vovisse ostendit. Quod quidem et nautis, et aliis, qui in periculo sunt, sæpe contingit. « Decernes « rem, et veniet tibi, et in viis tuis splendebit lumen : » id est, quod desiderabis consequeris, et in tuis operationibus non errabis. « Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, et qui inclinaverit oculos, « ipse salvabitur. » Secundum illud : « Omnis qui se humiliat, exaltabitur. (*Luc.* III, 5). » Facile enim in oculis superbia deprehenditur. « Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum « suarum. » Et humilis quidem, et innocens salvabitur, non tantum quia humilis et innocens est, quantum quod in omni suo opere mundus est.

CAPUT XXIII.

« Respondens autem Job, ait : Nunc quoque in « amaritudine est sermo meus, et manus plagæ meæ « aggravata est super gemitum meum. » Quia, inquit, et vos sub specie consolationis injustis increpationibus me fatigatis, et manus Domini me flagellare non cessat, sermo meus in amaritudine est, et gemitus meus amplius crescit.

« Quis mihi tribuat, ut cognoscam et inveniam « illum, et veniam usque ad solium ejus? Ponam « coram eo judicium meum, et os meum implebo « increpationibus » ut sciam verba quæ mihi respon- « deat, et intelligam quid loquatur mihi. » Deum enim cognoscere, et invenire, et usque ad solium ejus pervenire, est ejus voluntatem, ejusque occulta judicia plenissime intelligere. Hoc autem B. Job desiderabat, quia cur affligeretur scire cupiebat. Vult quoque coram eo judicium ponere, et os suum increpationibus implere, quia omnem vitam suam ei confiteri, et in quibuscunque deliquit, seipsum judicare, damnare et increpare paratus est. Sed hoc quare? Ut sciat quid illi Dominus respondeat, et quid loquatur. Tunc enim Dominus illi responderet et loqueretur, si et suam voluntatem et illud quod scire cupiebat ei revelaret.

« Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec « magnitudinis suæ mole me premat. Æquitatem « proponat contra me, et perveniat ad victoriam ju- « dicium meum. » Nemo enim tam justus est, qui se defendere valeat, si districto judicio a Domino judicetur. Unde Psalmista ait : « Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (*Psal.* CXLII, 2). » Quis enim, non dicam de originali, sed de his quæ cogitatione vel ignorantia peccat, se posset defendere, si districto jure a Domino judicaretur. Vult igitur judicari æquitate et misericordia, quod quidem secundum sæculi leges dicitur, ex bono et æquo. Æquum est enim ut humilibus et bono animo servientibus, etsi ignoranter, et in his, sine quibus hæc vita vix ducitur, peccatis aliquomodo labentibus, et confestim ad pœnitentiam confugientibus, æquum, inquam, est ut illis Dominus parcat. Hanc autem æquitatem si Dominus proposuerit adversum Job, nihil timet quin ejus judicium ad victoriam perveniat. Sed quare beato Job hæc æquitas denegatur, quæ nulli unquam peccatori denegatur?

« Si ad orientem iero, non apparet; et si ad oc- « cidentem, non intelligam eum ; si ad sinistram, « quid agam? Non apprehendam eum. Si me vertam « ad dexteram, non videbo illum. Ipse vero scit « viam meam, et probabit me quasi aurum, quod « per ignem transit. » Ergo, inquit, et meipsum, et viam meam penitus agnoscit. Quæro enim, et diligenter mecum pertracto, si in oriente, id est in prima ætate aliquid egi, ut sic affligi debuissem, et non intelligo, neque peccatum, neque ibi judicem pro peccato judicantem. Item venio ad occidentem, id est ad hanc ultimam meam ætatem, et neque ibi video meum judicem me judicantem. Et non tantum in æquitatibus, verum etiam in dextra et sinistra, id est in prosperitatibus et adversitatibus meis, idipsum quæro, et non invenio. Sic igitur ignorantiæ tenebris involutus, non cognosco meipsum. Ipse vero scit omnem viam meam, et ideo probabit me, quasi aurum quod per ignem transit, id est neque exurere, neque affligere me cessabit, donec omnium vitiorum rubigine decocta, nihil vitiosum, et immundum in me maneat.

« Vestigia ejus secutus est pes meus; viam ejus « custodivi, et non declinavi ex ea; a mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi « verba oris ejus. » Ideo, inquit, quid reprehendam, vel in quo damnari debeam non invenio, quoniam in quantum potui legem Dei custodivi. Vestigia ejus secutus est pes meus, quoniam recte incedens, virtutum gradibus eum imitatus sum. Verba autem in sinu cordis abscondit, qui ea firmissime memoriæ mandat. « Ipse enim solus est, et nemo « avertere potest cogitationem ejus, et anima ejus, « quodcunque voluerit, hoc fecit. » Bene ille solus esse dicitur, qui semper est, et nunquam mutatur. Nemo autem ejus cogitationem avertere potest, quia quod semel disposuit, firmum et stabile est. Et anima ejus, id est virtus, et potentia ejus, quæcunque voluit fecit. Quia igitur talis est, merito eum secutus sum, quoniam talis non est alius quem sequi debuissem. « Cumque expleverit in me voluntatem suam, et alia similia multa præsto sunt ei. » Id est, postquam me nescio pro qua culpa, secundum 264 voluntatem suam afflixerit, alia quoque si voluerit in me reperiet, pro quibus iterum affligar. « Et idcirco a facie ejus turbatus sum, et con- « siderans cum timore sollicitor. » Quia nihil, inquit, eum latere potest, districtum ejus judicium timeo, dum ipsius faciem et cognitionem considero. « Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me. » Ipse, inquit, bene cognoscit, eique in nullo me abscondere possum. Qui non solum me fecit, sed et cor meum mollivit, et quidquid boni

Digitized by Google

me egisse putabam, non ego egi, sed ipse : « Quoniam neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (*Rom.* IX, 16). » Et Omnipotens conturbavit me, qui quare conturbaverit, et si ego nesciam, ipse tamen non ignorat. « Non enim perii « propter immanentes tenebras, nec faciem meam « operuit caligo. » Patior, inquit, ignorantiæ tenebras, sed non erroris. Erroris enim tenebras qui patiuntur, ut Judæi, pagani et hæretici, in ipsis et propter ipsas pereunt. Ego autem propter tales tenebras non peril, nec affligor; neque cordis mei oculos operuit caligo erroris.

CAPUT XXIV.

« Ab Omnipotente non sunt abscondita tempora, « qui autem noverunt eum, ignorant dies illius (358). » Nos, inquit, sine aliqua ignorantia non sumus. Solus enim Deus omnia novit, qui præsentia simul, et præterita et futura videt. Qui autem noverunt eum, sive angeli, sive sancti, et si per fidem eum noverunt; ejus tamen dies ignorant, qui eorum ab æterno non recordantur. Quæ enim scientia infinitum comprehendere valeat? Hinc autem narrare incipit iniquorum vitam et operationem.

« Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, « et paverunt eos. Asinum pupillorum abegerunt, et « abstulerunt pro pignore bovem viduæ. Subverte- « runt pauperum viam, et oppresserunt pariter man- « suetos terræ. » Hæc autem quoniam ad litteram plana sunt, quid allegoriee significent, videamus. Fidei namque terminos et Judæi, et hæretici transferunt, quando vel plus, vel minus, quam Ecclesia catholica habet, credere persuadent. Greges autem diripiunt et pascunt, quia quoscunque fideles Deo subripere et decipere possunt, sui erroris doctrina pascunt et nutriunt. Sed quid per asinum et bovem, nisi episcopos et sacerdotes, qui et Dei agrum colunt, et aliorum onera ferunt? Quid vero per viduam et pupillos, nisi Ecclesiam et ejus filios? Horum autem bovem et asinum hæretici furantur et tollunt, quando de sacerdotali ordine aliquem subvertunt. Bovem autem pro pignore tollunt, quia prælato aliquo decepto, sic de subditis securi sunt, quasi de quibus jam pignus tenent, unde et subditur, quia « subverterunt pauperum viam, et pariter op- « presserunt mansuetos terræ. » Deceptis etenim illis, qui et fide et scientia divites videbantur, facile simplices et indocti subvertuntur et opprimuntur. Sequitur :

« Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus « suum, vigilantesque ad prædam præparant panem « liberis, agrum non suum demetunt, et vineam « ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant. » Alii, inquit, quasi onagri, voluptati et luxuriæ dediti, per ejus mundi desertum, non Dei, sed suum opus faciunt. Vigilant ad prædam, dant operam deceptioni, præparant panem, id est fallaciæ doctrinam liberis suis, illis videlicet qui eos imitantur. Agrum non suum demetunt, quia Dei Ecclesiam vastant. Et vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant. « Vinea enim Dei Sabaoth domus Israel est, in qua quot fideles hæretici decipiunt, tot quasi botros in ea vindemiant (*Isa.* V, 7). » Sed quia Christus veritas est, quicunque veritati resistunt, Christum violenter opprimunt.

« Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, « quibus non est operimentum in frigore, quos im- « bres montium rigant, et non habentes velamen « amplexantur lapides. » Hæretici enim fidei indumenta tollentes, eos quos decipiunt nudos dimittunt, illos videlicet quibus non est operimentum in frigore, in eo utique frigore, de quo dicitur : « Quia abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV, 12). » Facile enim illis fidei indumenta tolluntur, qui charitatis operimentum non habent, si quando iniquitatis frigus contra ignem charitatis ingruerit. Sed quia dixit, « dimittunt, » de illis intelligere debemus quos hæretici subvertentes retinere non valent, quoniam errore cognito ad Ecclesiam convertuntur; unde et subditur : « Quos imbres « montium rigant; » id est, quos sanctorum doctrina ab omni hæresi lavat et purgat. Hi autem qui nudi erant, et velamen non habebant (hæretici enim eos exspoliaverant) amplexantur lapides, dicentes montibus : « Cadite super nos; et collibus : Operite nos (*Luc.* XXIII, 30). » Rogant enim sanctos, deprecantur lapides vivos, ut eorum contegant nuditatem, et fidei indumentis eos iterum induant. « Vim fecerunt, deprædantes pupillos, et vulgum « pauperem spoliaverunt. » Quia enim fortiores, et thesauris sapientiæ divites, neque deprædari, neque aliqua via per eos transire possunt, ad pupillos et vulgum pauperem et **265** indoctum se convertunt. « Nudis et incedentibus absque vestimento, et esurientibus tule- « runt spicas. » Nudi et esurientes illi sunt quos plene fidei doctrina nec induit nec satiavit. Unde non granum, sed spicas perdunt, quia fidem quam gerunt nondum vident, neque cujus sit saporis intelligunt. « Inter acervos eorum meridiati sunt, qui « calcatis torcularibus sitiunt. » Per eos qui calcatis torcularibus sitiunt, eos intelligere possumus, qui sacros libros quotidie legunt et non intelligunt; quot enim libri, tot torcularia. Inter istorum enim acervos multi sunt, et meridiantur hæretici, quoniam a doctoribus fatigati, inter tales delectantur et quiescunt, suæque pravæ expositionis mustum propinant. « De civitatibus fecerunt viros gemere, et « anima vulneratorum clamavit, et Deum inultum « abire non patitur. » Civitates istæ singulæ Ecclesiæ sunt. Viri autem, qui in eis gemunt, episcopi sunt et sacerdotes, quorum animæ doloris vulnere pro hæreticorum crudelitate ad Deum

(358) « Id est comprehendere non valent modum æternitatis ejus; et quia dixerat (Job) temporalium cursum Deo ignotum non esse, consequenter ostendit, qualiter temporalia judicat, permittens diversas hominum culpas, quorum quidam fraudulenter aliis inferunt nocumenta. » D. Thom.

Digitized by Google

clamant. Quos quidem absque dubio Deus vindicabit. « Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt « vias ejus, nec reversi sunt per semitas illius. » Lumini, id est Christo, qui est lux vera, et lumen de lumine, semper hæretici rebelles fuerunt. Et nescierunt vias ejus, quia « universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 11); » ipsi vero impii et mendaces. Nec sunt reversi per semitas illius, ut de suis iniquitatibus pœnitentiam agerent. Pœnitentia enim non via, sed semita est.

« Mane primo consurgit homicida, interficit ege- « num et pauperem, per noctem vero erit quasi « fur. » Iniqui enim quod in die non possunt, in nocte agunt, quibus nullum tempus vacat ab iniquitate. « Oculus adulteri observat caliginem, dicens: « Non me videbit oculus, et operiet vultum suum. » « Omnis enim, sicut scriptum est, qui male agit, odit lucem (*Joan.* III, 30). » Hoc autem et de hæretico intelligi potest, quoniam ipse ex Ecclesia adulter est, semperque caliginem observat, quia dubie et obscure loquens, deprehendi pertimescit. Et hoc est quod dicit: quia operuit vultum suum; non enim vult cognosci, qui vultum operit. « Perfodit in tene- « bris domos, sicut in die condixerant sibi, et igno- « raverunt lucem. » Hoc beatus Job specialiter de amicis suis dicere videtur, de quibus superius ait.

Condixerant enim inter se, ut simul venientes visitarent eum. Illi enim cum in die et in prosperis essent, inter se condixerant, ut ad Job in tenebris et in adversitatibus positum venirent, ejusque omnes conscientiæ domos, et receptacula suis increpationibus diligentissime perfoderent et aperirent. Et ignoraverunt lucem, quia ignorantiæ tenebris involuti veritatis lucem in verbis beati Job non agnoscebant. « Si subito apparuerit aurora, arbitrantur « umbram mortis: et sic in tenebris, quasi in luce « ambulant. » Tunc aurora hæreticis apparet, quando vel rationibus, vel sanctorum exemplis convicti, in suis erroribus veritatem agnoscunt. Hoc autem ipsi arbitrantur umbram mortis, quia unde lætari debuerant, inde usque ad mortem contristantur; et sic in tenebris, quasi in luce ambulant, quoniam non minus in tenebris erroris delectantur, quam sancti et catholici viri in luce veritatis. « Levis est super « faciem aquæ. » Facies enim aquæ quolibet vento perflata movetur, sic et iniquus omni vento doctrinæ circumfertur. « Maledicta pars ejus sit in terra, nec « ambulet per viam vinearum. » Quotidie enim hæreticos Ecclesia damnat et maledicit. Vineæ autem Ecclesiæ sunt, quarum via fides est. Per hanc autem viam hæretici non ambulant; si enim per hanc ambulassent, hæretici non essent. « Ad nimium calo- « rem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos « peccatum illius. » Hoc enim impii in inferno habebunt, quia de tormentis ad tormenta translati, nunc frigore, nunc æstu cruciabuntur. Et usque ad infe-

A ros peccatum illius; quoniam in peccato mortuus, et damnatus inferni tormenta patietur. « Oblivisca- « tur ejus misericordia. » Ut nunquam misericordiam inveniat. « Dulcedo illius vermes, » id est quidquid in eo dulce fuerit a vermibus consumatur. Sive dulcedo illius, id est caro, quam sola dilexit, convertatur in vermes. « Non sit in recordatione. » Hoc est enim quod modo dixit: « Obliviscatur ejus misericordia. » Sed conteratur quasi lignum infructuosum. Secundum illud: « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). » — « Pavit enim sterilem, « quæ non parit, et viduæ bene non fecit. » Carnem enim suam, quæ omni bono opere sterilis et infecunda fuerat, deliciose nimium pavit, animæ vero B suæ viduatæ, et a Deo separatæ bene non fecit.

« Detraxit fortes in fortitudine sua: et cum stete- « rit, non credet vitæ suæ. » Detraxit, inquit, fortes, id est decepit hujus sæculi potentes in suæ pravitatis fortitudine; et interius excæcatus, quandiu in hoc mundo steterit, non credet vitæ suæ, id est Christo, qui ait: « Ego sum via, veritas et via (*Joan.* XIV. 6). »

« (359) Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille « abutitur eo in superbiam. » Quia cum se pœnitentiæ humiliare debuisset, ipse econtra superbire non cessat. « Oculi autem ejus sunt in vitiis illius, elevati sunt « ad modicum et non subsistent. » Non enim in viis Dei, sed in viis suis oculi ejus, **266** quoniam assuetæ iniquitatis vias semper, et opera intuens, C nunquam eorum obliviscetur. « Elevati sunt ad modicum » in superbia. « Et non subsistent; » quia cito peribunt et deficient. « Et humiliantur sicut omnia, » terrena scilicet et transitoria. « Et auferentur » de vitæ hujus illecebris. « Et sicut summitates spica- « rum » (minutatim subauditur, et facillime) « conte- « rentur. Quod si non est ita, quis me potest ar- « guere esse mentitum, et ponere ante Deum verba « mea? » Sic, inquit, est, ut dixi: verumtamen si ita non esset, vos de mendacio arguere non possetis, neque ante Deum ponere verba mea, quoniam et mendaces probati estis, et quibus jam credatur, digni non estis.

CAPUT XXV.

D « Respondens autem Baldad Suhites, dixit: Po- « testas et terror apud eum, qui facit concordiam « in sublimibus suis. » Si, inquit, alicujus rei timor est, ille solus timendus est qui suo terrore et potestate malignorum spirituum fugato exercitu, in sublimibus suis concordiam fecit, quoniam inter cæteros angelos pacem et concordiam confirmavit; qui non solum concordes et fortes, verum etiam innumerabiles sunt, ut nihil eis resistere possit; unde et subditur: « Nunquid est numerus militum « ejus? Et super quem non refulget lumen illius? » Ac si dicat: Stultitia quidem est cum eo contendere

(359) *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, scilicet differens pœnam, et hæc est ratio quare permissus est aliquis diu in prosperitate vivere, sed hoc quod Deus exhibuit ei in bonum, ipse convertit ad malum*, etc. D. THOM.

velle, qui et sua, et suorum militum numero et fortitudine omnia superat; cujus oculorum lumen ubique refulget, cui non solum actiones, sed etiam cogitationes se abscondere nequeunt. » Nunquid justificari potest homo, comparatus Deo? Aut apparere mundus, natus de muliere? » Sic, inquit, ut cæteri homines es, nec te de muliere natum esse negare debes, quæ utique fragilis est, et porta peccati (360). Non igitur mundus es, nec Deo comparatus justificari potes, quia dixisti : « Æquitatem proponat contra me, et perveniat ad victoriam judicium meum. Ecce enim luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus; quanto magis putredo, et filius hominis, vermis. » (361) Quid enim per lunam, nisi Ecclesiam; quid vero per stellas, nisi sanctos? Ecce, inquit, Ecclesiæ et stellæ Novi Testamenti, id est sancti baptismatis unda renovati, et originali peccato soluti, ante Dei oculos omnino mundi non sunt; quanto magis homo putredo, et filius hominis, vermis, qui nondum in aliquo innovatus primi hominis maledictione tenetur; cui dictum est : « Maledicta terra in opere tuo (*Gen.* III, 17); » et paulo post : « Quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*ibid.*, 19). »

CAPUT XXVI.

« Respondens autem Job, dixit : Cujus adjutor es? « Numquid imbecillis? et sustentas brachium ejus « qui non est fortis? Cui dedisti consilium? Forsitan « illi qui non habet sapientiam, et prudentiam tuam « ostendisti plurimam? Aut quem docere voluisti? « Nonne eum qui fecit spiramentum? » Isti enim quasi Dei adjutores pro Deo loquentes, ejusque justitiam defendentes, et Deum justum, et Job injustum probare conabantur, ac si Deus, ut imbecillis, imprudens et inscius causam suam defendere non posset, vel vir sanctus eum injustum probare voluisset. Hinc autem Dei fortitudinem, prudentiam et sapientiam describit, dicens :

« Ecce gigantes gemunt sub aquis (362), et qui « habitant cum eis. Nudus est infernus coram illo, « et nullum est operimentum perditioni. » Ecce, inquit, gigantes, id est reges et principes, cæterique potentes, et qui cum eis habitant, eorum scilicet consiliarii et familiares, gemunt sub aquis, id est in regimine populorum. « Aquæ enim multæ, populi multi (*Apoc.* XVII, 27). » Non enim sine magno labore et sollicitudine eos quos regunt, vel habere, vel tenere possunt. Gemunt igitur sub eis, quia quasi graviter onerati, vix eos ferre et regere possunt. Deus autem solo nutu cuncta disponit et ordinat. Infernus autem et perditio, diabolus intelligitur, qui ipsis quoque quos perdidit, in pœnis inferior est. Hic autem, quia suam iniquitatem et malitiam Deo abscondere non potest, nudus et sine operimento coram eo esse perhibetur. « Qui extendit aquilonem « super vacuum, et appendit terram super nihilum. » Hoc cum ad litteram verum sit, magis mirari quam intelligere possumus. Per aquilonem ille significatur, qui ait : « Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, et ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 13). » Hunc autem extendit Deus super vacuum, qui illis dominari permittit, qui fide, religione et bona operatione vacui sunt. Terram autem super nihilum appendit, quia sanctam Ecclesiam super gentes firmavit et stabilivit, quas prius pro nihilo computabat, secundum illud : « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et inane reputatæ sunt ei (*ibid.*, 40). » — « 367 Qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant « pariter deorsum. » Nubes doctores sunt, in quibus Deus suæ doctrinæ aquam ligavit, et clausit, ne simul tota erumperet, potius auditorum vitam, quam sitim exstingueret. Ideoque Apostolus aliis lac potum dedit, non escam (*I Cor.* III, 2), qui tamen sapientiam loquitur inter perfectos. « Qui tenet « vultum solii sui, et expandit super illud nebulam « suam. » Solium enim, sedes judiciaria intelligitur. Faciem igitur sui solii Deus adhuc abscondit, et tenet, quia ejus occulta judicia, donec in hoc mundo sumus, scire non possumus. Unde non immerito obscuritatis nebulam super illud expansam esse dicit. « Terminum circumdedit aquis, donec finiantur lux et tenebræ. » Per aquas, sanctarum Scripturarum scientiam significavit. Cui scientiæ Deus terminum posuit, ut non plene intelligatur, donec finiantur lux et tenebræ, id est dies et nox. Scriptum est enim : « quia vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem (*Gen.* I, 5). » Nemo igitur integram, perfectamque scientiam habebit, nisi prius hic mundus finiatur. « Columnæ cœli tremiscunt et pavent « ad nutum ejus. » Cœli namque columnæ, apostoli sunt Ecclesiæque doctores, qui nisi Deum timuissent, tanta pro eo non paterentur. « In fortitudine « illius repente maria congregata sunt, et prudentia « ejus percussit superbum. » Dei namque virtus et sapientia, Dei fortitudo et prudentia Christus est. Hic autem incarnatus diabolum percussit, et de regno, quod jamdiu possederat, ejecit. Et ita cuncta maria, id est omnes mundi hujus nationes, repente in unam fidem, et unam Ecclesiam congregavit. « Spiritus ejus ornavit cœlos, et obstetricante manu « eductus est coluber tortuosus (363). » Nondum enim

(360) *Quod signanter dicit, quia ex hoc ipso quod homo de muliere per carnis concupiscentiam nascitur, maculam contrahit.* D. THOM.

(361) *Scilicet non potest reputari resplendens splendore justitiæ, si divinæ justitiæ comparetur : neque mundus per innocentiam, si comparetur puritati divinæ.* D. THOM.

(362) *Ecce gigantes. Scilicet antiqui : gemunt scilicet in pœnis inferni : sub aquis, id est qui fuerunt submersi aquis diluvii, et quia non solum ipsi perierunt, sed multi alii cum eis, scilicet similiter gemunt; scilicet a virtute potestatis ipsius.* D. THOM.

(363) « Coluber tortuosus, id est diabolus, qui colubro comparatur, propter maligniatis venenum, et tortuosus dicitur propter calliditatem. Signanter autem dicit eum eductum, obstetricante manu Dei. Sicut enim obstetrix sic educit infantem, quandoque mortuum, ut mater non lædatur; ita Deus sic eduxit

Digitized by Google

cœli, id est sancti apostoli, ornati erant; sed Spiritu sancto adveniente, statim et scientia, et diversitate linguarum, et virtutum efficacia ornati sunt. Et coluber ille tortuosus, qui primum hominem decepit, et nunquam recta via incedit, de fidelium mentibus ejectus, et ejectus est, manu et virtute Dei in anima, et in corpore fideles suos circumcidente.

« Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus, et « cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, « quis poterit tonitruum magnitudinis illius in- « tueri? » Hanc, inquit, particulam, et quasi stillam de illa tanta plenitudine virtutum ejus audivimus, et nuntiavimus. Sed cum in infirmitate assumptæ carnis, ut modo diximus, tanta peregit, quis eum in majestate sua venientem, et damnationis sententiam super iniquos tonantem intueri poterit?

CAPUT XXVII.

« Addidit quoque Job assumens parabolam suam, « et dixit. » In eo quod parabolam dicit, aliud præter litteram quærendum insinuat. « Vivit Deus, qui « abstulit judicium meum, et omnipotens qui ad « amaritudinem adduxit animam meam. Quia donec « superest halitus in me, et Spiritus Domini in na- « ribus meis, non loquentur labia iniquitatem, nec « lingua mea meditabitur mendacium. » Ejus enim, judicium Deus abstulit, quia aliter se judicandum putavit. Loqui autem, oris est; meditari vero cordis. Nec igitur lingua oris mendacium, nec lingua cordis loquetur iniquitatem. Cur autem dixerit hoc, manifestat : « Absit a me, ut justos vos esse judicem : « donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. » Mentiretur enim, si eos, qui justi non erant, justos judicaret : si vero mentiretur, innocens non esset. Unde adhuc subditur : « Justificationem, quam « cœpi tenere, non deseram. Nec enim reprehendit « me cor meum in omni vita mea. » Desereret enim justificationem, si a veritate cessaret : veritas enim eum justificabat. Quod vero cor ejus in omni vita sua non reprehendit, illum nisi ignoranter non peccasse ostendit. Quis enim reprehendat, quod ignorat? Quia vero illicitis cogitationibus viriliter resistit, et si aliquando illicita cogitaverit, cor tamen ejus ex hoc eum non reprehendit. « Sic agit, ut « impius inimicus meus, et adversarius meus, quasi « iniquus. » Sic igitur agit inimicus meus, id est Satan, ut impius, quia quantumcunque potest, omni pietate remota me affligit. Et adversarius meus, quasi iniquus, quoniam æquitatis mensuram me flagellando multum excedit. Hoc ille agit. Insuper et vos me simulatorem, et hypocritam esse putatis. Unde et subditur : « Quæ enim est spes hypocritæ, « si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus? « Nunquid clamorem ejus audiet Deus, cum venerit « super illum angustia? » Cum enim hypocrita se justum simulat, justitiæ laudem, quæ solis justis debetur, avare rapit. Hoc autem facit, quia æternæ retributionis spem non habet. Unde stultissimus comprobatur, qui se Deo servire simulat, et ejus animam Deus non liberat. Hujus autem clamorem post hanc vitam Deus non audiet, quamvis multum clamet : « Domine, Domine, aperi nobis (*Matth.* xxv, 11). » Sequitur : « Aut poterit in Omnipotente, « delectari? Aut invocare Deum in omni tempore? » Non enim delectantur in Domino, qui solam mundi laudem et gloriam quærunt. Hi tamen non semper, sed 268 quando aliqua adversitate tanguntur, tunc Deum invocant. « Docebo vos per manum Dei, « quæ Omnipotens habet, nec abscondam : ecce vos « omnes nostis, et quid sine causa vana loquimini? » Docebo, inquit, vos, nec abscondam ea quæ Omnipotens habet, id est veritatem; hæc enim semper est doctrina Omnipotentis. Sed quomodo docebo? Non utique per me, sed per manum Dei, quæ tam fortis est, ut etiam lapidea corda mollire possit. Sed dicite mihi : Quid sine causa contra me vana loquimini, cum ipsi sciatis vera esse quæ dico : « Hæc « est pars impii apud Deum, et hæreditas violento- « rum, quam ab Omnipotente suscipient. Si multi- « plicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, et nepotes « ejus non saturabuntur pane. » Impii enim, et violenti hæretici sunt, quia et crudeliter animas perdunt, et violenta interpretatione Scripturas exponunt. Hi autem quam partem et hæreditatem a Deo suscipiant, audiamus. Si multiplicati fuerint, inquit, filii ejus, id est imitatores ejus, et qui de ejus doctrina generantur, divinæ ultionis gladio ferientur. Et nepotes ejus, illi scilicet, qui de his malis filiis nascuntur, non saturabuntur pane, pane utique vivo qui de cœlo descendit. Quoniam autem hæreticorum alii ad Ecclesiam convertuntur, alii vero in suis erroribus relinquuntur; ideo subditur : « Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur « in interitu, et viduæ illius non plorabunt. » Qui, inquit, ad veritatem non redierint, et in sua malitia perstiterint, in interitu æternæ damnationis sepelientur. « Et viduæ, illius non plo- « rabunt. » Cujus illius? Illius, cujus filii in gladio erunt. Sed quæ sunt ejus viduæ, nisi animæ, quæ cognita veritate ab eo sunt separatæ? Et istæ quidem viduæ non plorabunt, imo gaudebunt, quoniam cum sanctis in gaudio erunt. « Si comportaverit « quasi terram argentum, et sicut lutum præparavit « vestimenta, præparabit quidem, sed justus ve- « stietur illis, et argentum innocens dividet. » Quid enim per argentum et vestimenta, nisi sanctarum Scripturarum testimonia intelligimus? Qui enim his non abundat, pauper et nudus est; pauper quidem in ratiocinando, nudus vero in se contegendo et defendendo. Fit enim multoties, ut hæretici libros componant, et in sua defensione sanctarum Scripturarum testimonia colligant, quæ se ad defendendum cum ad concilia comportaverint, eisdem ipsis, quasi suis gladiis superantur. Et ita quidem fit, ut justus eorum vestibus armetur et induatur,

diabolum de medio angelorum, ut bonorum angelorum societas in nullo detrimentum sit passa. » D.

et eorum eloquiorum divitias, quæ per argentum figurantur, vir innocens rationabiliter exponat et dividat. « Ædificavit sicut tinea domum suam, et « sicut custos fecit umbraculum. » Domum suam sicut tinea hæreticus ædificat, quia Ecclesia, quam regit, corrumpendo et dissipando construit. « Facit « autem sicut custos umbraculum, » quoniam ejus ædificium non habet fundamentum positum. Non enim ædificat super fundamentum apostolorum et prophetarum.

« Dives cum dormierit, nihil secum auferet, ape- « riet oculos, et nihil inveniet. » Dives enim qui non in Deo, sed in hujus mundi divitiis spem habet, postquam dormierit, et mortis somno oculos clauserit, nihil secum auferet. Aperiet oculos in resurrectione, et nihil inveniet, quoniam tanta inopia opprimetur, ut guttam aquæ mendicare cogatur; unde et sequitur : « Apprehendet eum, quasi aqua, « inopia, et nocte opprimet eum tempestas. « In nocte enim, et in tenebris positus, omnium tribulationum impetu et tempestate opprimetur, et quasi abundanti et repentina aqua, ita inopia apprehendetur. « Tollet eum ventus urens, et auferet, et ve- « hut turbo rapiet eum de loco suo. » Tollet eum, inquit, de hac vita ventus urens, id est malignus spiritus, et qui violenter animas tollit, et quas tollit æternis tormentis exurit. Et velut turbo, et impetus tempestatum rapiet eum de loco suo, id est de hoc mundo, in quo ad tempus habitavit. Et hoc merito. « Emittit super eum, et non parcit, de manu « ejus fugiens, fugiet. » Emittit, inquit, Dominus super eum, et extendit virgam correctionis suæ, et non parcit ad tempus, ut in æternum parcat : corripit enim omnem filium, quem recipit (*Prov.* III, 12). Ille vero cum se emendare, et de Dei correctione gaudere debuisset, quasi malus discipulus, non recipiens disciplinam de manu ejus fugiens fugit. In hoc enim fugit, quod disciplinam non recipit. Sed quid Dominus ad hæc? Subditur : « Strin- « get super eum manus suas, et sibilabit super il- « lum, intuens locum ejus. » Hoc est enim, quod peccanti populo per prophetam Dominus dicit : « Jam non irascar tibi amplius (*Ezech.* XVI, 42); » id est, age quod vis, quia ego te ulterius non corrigam. Manum enim stringere est a flagellis et alapis cessare. Intuens autem locum ejus super eum sibilat, quia considerans ad quam pœnam et mortem tendat, quasi admirando eum irridet.

CAPUT XXVIII.

« Habet argentum venarum suarum principia, et « auro locus est, in quo conflatur. » Quamvis, inquit, hæretici, de quibus supra multa locuti sumus, argentum habeant, ejus tamen venas et principium non habent. Vena enim et principium argenti, id est sanctorum eloquiorum, veritas est. Omnis enim divina Scriptura hoc ex fonte manat. De hoc autem fonte illi non bibunt, quoniam prave Scripturas interpretantur. Locus autem, in quo conflatur aurum, Ecclesia est, quoniam extra eam, neque sapientiæ thesaurus bene exponitur, neque vasa digna 269 honore fabricantur. Hic enim vas electionis beatus Paulus fabricatus est. Hic igne martyrii et tribulationis omnes martyres conflati sunt. « Ferrum de terra tollitur, et lapis solutus « calore in æs convertitur. » Terra enim in ferrum, et lapis in æs, sancti Spiritus igne decocti, convertuntur, quoniam terreni et peccatores, duri et incredduli, ferri fortitudinem et æris sonum suscipiunt, ut et fortes sint in opere, et clari in prædicatione. « Tempus posuit tenebris, et universorum finem « ipse considerat. » Tempus enim posuit tenebris, quia suæ incarnationis tempore Salvator noster Scripturas aperuit, et ignorantiæ tenebras ab eis removit. Sive etiam : tenebris, id est peccatoribus, terminum posuit, quo et peccare desistant et pœnitentiam agant. Ipse etiam universorum finem considerat, quia ad quem finem omnia tendunt, non ignorat. Cum enim et Judas inter apostolos, et Paulus inter persecutores essent, utriusque finem ipse videbat.

« Lapidem quoque caliginis, et umbram mortis « dividit torrens a populo peregrinante. » Lapis enim caliginis, et umbra mortis Judæorum populus est. Lapis quidem, quia credulitate durus, caliginis autem, quia infidelitate cæcus. Sub quo, qui se humiliaverit, sic ejus umbra, quasi morte exstinguetur. Omnis enim, ad cujus doctrinam prosternimus, umbra nobis est. Sed qui torrens, nisi fluvius, et prædicatio novi testamenti? Quid vero populus peregrinus, nisi Ecclesia, quia in hoc mundo peregrinans, dicit : « Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Heb.* XIII, 14). » Torrens igitur, lapidem caliginis, et umbram mortis a peregrinante populo dividit, quia Novum Testamentum Judæos ab Ecclesia separat. In hoc enim a nobis differunt, quod Novum Testamentum non suscipiunt.

« Terra de qua oriebatur panis in loco suo igne « subversa est. » Cum enim totus mundus divini eloquii famem pateretur, tunc Judæa terra verbi Dei pane abundabat. Hæc autem in loco suo igne subversa est, quia zelo et igne invidiæ contra Christum exarsit. « Locus saphiri lapides ejus, et glebæ illius « aurum. » Hujus, inquit, terræ lapides pleni fuerunt saphiris, quia sancti, qui prius in ea habitaverunt, cœli faciem et angelorum pulchritudinem imitati sunt. Et glebæ illius aurum, quia sancti prophetæ, et per sapientiam aurum, et per fructum boni operis glebæ fuerunt. « Semitam ignoravit avis, « nec intuitus est eam oculus vulturis. » Avis enim Christus est, quia volando cœlos ascendit. Est autem et vultur, quoniam ad suscipiendum nostræ carnis morticinum descendit. Hujus autem avis semitam terra illa prædicta ignoravit, quia Judæorum populus, neque quod de cœlo Christus descenderet, neque quod in cœlos ascenderet, credere voluit. Hoc autem ideo, quia non est intuitus oculus vulturis, id est, quia non satis diligenter prophetarum verba

Digitized by Google

consideravit. Christi enim oculi prophetæ fuerunt, quoniam prius per eos, postea per seipsum, sedentes in tenebris illuminavit.

« Non calcaverunt eam filii justorum, nec per- « transivit per eam leæna. » Institores enim apostoli sunt, qui fidei pretio Evangelii doctrinam ubique vendentes instabant, quorum quidem filii fuerunt episcopi et doctores. Quamvis enim apostoli Judæam terram parvo tempore calcassent, eorum tamen filii eam non calcaverunt, quia, relictis Judæis, omnes se ad gentes contulerunt. Leæna autem Ecclesia est, quæ et vitia et malignos spiritus ubique vincit et devorat. Hæc autem transivit quidem, sed non pertransivit per eam; exspectat enim donec plenitudo gentium intret, et sic omnis Israel salvus fiat. « Ad silicem extendit manum suam, subvertit a ra- « dicibus montes. » Terram, inquit, leæna reliquit, et ad silicem manum extendit, quia, relictis Judæis, ad duritiam gentium auxilii sui manum porrexit. Et subvertit a radicibus montes, quia hujus sæculi potentes a dæmonum cultura funditus eradicavit.

« In petris rivos excidit, et omne pretiosum vidit « oculus ejus. » In petris, inquit, id est in duris et lapideis cordibus, rivos scientiæ vel lacrymarum excidit, et abundare fecit. Et omne pretiosum vidit oculus ejus, quia sacramenta omnibus sæculis abscondita ei revelata sunt Unde et subditur :

« Profunda quoque fluviorum scrutatus est, et « abscondita produxit in lucem. » Sanctus enim prædicator fluviorum profunda scrutatus est, et abscondita in lucem produxit, quia utriusque Testamenti mysteria, diu abscondita, exponendo revelavit, « Sapientia vero ubi invenitur? Et quis est locus « intelligentiæ? » Hæc autem sapientia Christus est, qui Dei virtus et Dei sapientia dicitur. « Nescit homo « pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter vi- « ventium. » Miser Judas, miseri et Judæi, a quibus tam vili pretio emptus et venditus est, cujus pretium sciri non potest. Si enim pretium ejus homo ille iniquus scivisset, eum tali pretio non vendidisset. Non invenitur autem sapientia in terra suaviter viventium, quia non in eis habitat Christus, qui carnis illecebris et voluptatibus traditi sunt. « Abyssus « dicit : Non est in me; et mare loquitur : Non est « mecum. » Abyssus enim illi sunt qui erroris et ignorantiæ tenebris sunt involuti; in talibus autem non habitat Christus. Mare autem illos significat qui felle et amaritudine pleni, et superbiæ spiritu commoti, nunquam possunt esse quieti. « Non da- « bitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur ar- « gentum in commutatione ejus. » Aurum obryzum, quod optimum est, sanctos apostolos designat; argentum vero, propter 270 eloquii puritatem, prophetas significat. Sed tamen nullus horum Christo comparari potest. Unde Psalmista ait : « Ut quid suspicamini montes coagulatos; mons, in quo beneplacitum est Deo habitare (*Psal.* LXVII, 17). » — « Non « conferetur Indiæ tinctis coloribus, nec lapidi sardo- « nico pretiosisimo, vel saphiro. » Quid enim tincti colores Indiæ, nisi philosophi hujus mundi? Illi enim quidquid pulchritudinis habent, exterius et in pelle ostendunt. At vero de Ecclesia dicitur : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus » (*Ibid.* XLIV, 14). » Lapis autem sardonicus coloris sanguinei, martyres ostendit. Saphirus vero sanctos prædicatores, qui altius volant et cœlestia contemplantur. « Non adæ- « quabitur ei aurum, vel vitrum, nec mutabuntur « pro ea vasa auri excelsa et eminentia, nec comme- « morabuntur comparatione ejus. » Sancti enim et aurum sunt propter sapientiam, et vitrum propter vitæ puritatem; quales enim exterius, tales et interius sunt, nihil obscurum, nihil tenebrosum in eis est. Vasa autem excelsa et eminentia illa erant, de quibus cum Dominus diceret : « Quem dicunt homines esse Filium hominis? (*Matth.* XVI, 14.) » Apostoli respondentes dixerunt : « Alii Eliam, alii Jeremiam, alii Joannem Baptistam, aut unum ex prophetis. » Satis enim magni erant, qui Christus esse putabantur, et tamen nihil horum Christo comparatur. « Trahitur enim sapientia de occultis. Non « adæquabitur ei topazion de Æthiopia, nec tincturæ « mundissimæ componentur. » De occultis enim, id est de corde, Patris trahitur hæc sapientia. Sed quis eam trahit nisi pietas et misericordia? Ilis enim trahentibus ad terram Christus descendit. Huic autem topazion non adæquatur, quamvis omnium colorum diversitate varietur. Similiter autem neque tincturæ mundissimæ; per hæc enim eos intelligimus, qui et sapientia, et scientia, et omnium virtutum varietate sunt adornati; quot enim virtutes, tot colores. Et hæ quidem tincturæ tunc mundissimæ sunt, quando nulla hypocrisi inficiuntur. Nihil autem horum æquabitur Christo. « Quis enim in nubibus æquabitur Domino? Aut quis similis erit Domino inter filios Dei? » (*Psal.* LXXXVIII, 7.) « Unde ergo sa- « pientia veniet? Et quis est locus intelligentiæ? « Abscondita est ab oculis omnium viventium. » Unde, inquit, veniet Sapientia, quis nobis eam revelabit? « Generationem ejus quis enarrabit? (*Isa.* LIII, 8). » Quis est locus ejus? Ubi habitat? Ipsa dicat : « Ego sum, inquit, in Patre, et Pater in me est (*Joan.* X, 38). » Abscondita igitur est ab oculis omnium viventium, quoniam nemo eam novit, sicut est. « Volucres cœli quoque latet. Perditio « et mors dixerunt : Audivimus auribus nostris « famam ejus. » Volucres namque cœli, apostolos, et doctores, qui et altius volant, et subtilius cœlestia contemplantur, significare possunt. Et his quidem quandiu in mundo fuerunt, non plene hæc sapientia revelata est. Perditio vero et mors diabolus est qui peccatores occidit, et perdit. Iste autem famam ejus audivit, quia Christi gloriam et virtutem, vel superatus intellexit.

« Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum « ejus. Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia, « quæ sub cœlo sunt respicit » — « Nemo enim novit Filium, nisi Pater (*Matth.* XI, 27). » Ipse enim ejus humanitatis et incarnationis viam ante tempora

Digitized by Google

cum eo simul disposuit. Et ipse quamvis non localis, est locus ejus. Unde et ipse ait : « Ego sum in Patre, et Pater in me est (*Joan.* x, 38). » Et quoniam Deum nihil latet, hæc sapientia mundi fines, et quæcunque sub cœlo sunt, qualiter se humilient, intuetur. « Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. » Venti hoc in loco vel animas, vel leves et vagos homines significant. His autem fecit Deus pondus, quia religionis maturitatem, et gravitatem eis dedit. Unde et illud : « In populo gravi laudabo te (*Psal.* xxxiv, 18). » Aquas autem in mensura appendit, quia, ut Apostolus ait, sancti Spiritus gratias secundum mensuram fidei, unicuique tribuit (*Rom.* xii, 7). « Quando ponebat pluviis « legem, et viam procellis sonantibus; tunc vidit « illam, et enarravit, et investigavit, et dixit homini : « Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, et recedere « a malo, intelligentia. » Pluviis enim legem posuit, quando prædicandi ordinem docuit. Ordo autem hic est; ut doctor, quod prædicat, agat. Sed audiamus ipsam legem : « Sic luceat, inquit Dominus, lux vestra coram hominibus, ut videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* v, 16). » Quod autem per pluviam, hoc per procellas, et quod per legem, hoc per viam significavit. Per procellas tamen ea doctrina intelligitur, quæ de futuro judicio, et de æterna pœna, terrorem peccatoribus incutit. Quod vero ait : « Tunc vidit illam, et enarravit, et præparavit, et « investigavit; » hoc est intelligere, tunc eam videri, et enarrari, præparari, et investigari permisit. Tunc enim Christus cognitus est, quando prædicatores pluere cœperunt. Et tunc dixit homini : « Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, et recedere a « malo, intelligentia (364). » Vere hæc est sapientia et intelligentia, quæ et sola sufficit, et sine qua Christus Dei virtus, et sapientia nec cognosci, nec haberi potest : qui enim Deum timet, nihil negligit, et qui a malo recedit nunquam peccat.

271 CAPUT XXIX.

« Addidit quoque Job assumens parabolam suam, « et dixit : Quis mihi tribuat ut sim juxta menses « pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat « me? » Hæc beatus Job de se et de Ecclesia dicit, ideoque parabolam vocat. Loquatur igitur Ecclesia, non illa prima et nobilis, sed ea quæ nunc est, et quæ usque ad sæculi consummationem futura est. Quis, inquit, mihi tribuat, ut talis nunc sim, qualis in principio fui? Quando Deus me custodiebat, quando neque ab ipsis tyrannis, neque a vitiis, neque a malignis spiritibus me superari permittebat. Hoc autem Ecclesia secundum meliores dicit, qui Christianam religionem multum diminutam considerantes, deplorant. « Quando splendebat lucerna ejus « super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam « in tenebris. » De hac enim lucerna et de hoc lumine scriptum est : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis (*Psal.* cxviii, 115). » Verbum enim caput, id est mentem illuminat, ut bene intelligat, et pedes, id est opera, ut sine offensione fiant. Hoc igitur lumine in tenebris, id est inter impios, et peccatores secura Ecclesia ambulabat, quoniam et sermonum et virtutum luce fulgebat. Sequitur :

« Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando « secreto Deus erat in tabernaculo meo, quando erat « Omnipotens mecum, et in circuitu meo pueri mei. « Quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei; quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant mihi cathedram. » Jam enim magna ex parte Ecclesia senuit, neque eam speciem et pulchritudinem, nisi in paucissimis tenet, quam in diebus adolescentiæ, id est tempore apostolorum et martyrum habuit. Tunc enim Deus secreto erat in ejus pectoris tabernaculo, quia potius intus bene agendo, quam foris se ostentando Deo placere conabatur. Et tunc erat Omnipotens secum, quod in miraculis declaratur, qui semper eum tam præsto exaudiebat. Tunc quoque pueri ejus erant in circuitu ejus, de quibus Apostolus ait : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* xiv, 20). » Pueri enim a puritate dicuntur. Tunc autem pedes suos, id est doctores qui eam ubique ferunt, butyro lavabat, quia majori et perfectiori scientia eos infundebat. Butyrum, lactis pinguedo est. Sicut igitur lac mediocrem scientiam, ita perfectam butyrum significat. Petra autem rivos olei ei fundebat, quia qui prius infideles, duri et lapidei erant, postea Spiritu sancto inuncti, pietatis et misericordiæ oleum fundebant. Ad portam vero civitatis procedebant, quia civitatem sanctam Jerusalem intrare volentibus fidei portas aperiebat. Ponebant autem ei cathedram in plateis, ut jam non in occulto, sed palam et manifeste cunctis gentibus prædicaret. Qui enim veritatem palam docet, in platea super cathedram sedet. Sequitur :

« Videbant me juvenes, et abscondebantur, et se« nes assurgentes stabant. » Juvenes hoc loco intelliguntur, qui diu in peccatis perseverando creverunt. Senes vero, qui morum gravitate et religione suam vitam commendaverunt. Isti igitur adstant ut religiosi; illi se abscondunt ut timidi. Adhuc videmus adulteros, et fornicatores et cæteros sceleratos ab episcoporum facie declinare. « Principes cessa« bant loqui, et supponebant digitum ori suo. Vo« cem suam cohibebant duces, et lingua eorum gu« turi suo adhærebat. » Hi principes et duces hæresiarchæ sunt, qui sanctarum Scripturarum auctoritate et veris rationibus convicti, contra Ecclesiam loqui cessabant. Qui autem hoc non intelligit, legat tot concilia, in quibus hæreticorum ora sunt opilata. « Audiens auris beatificabat me, et

(364) « Quia intelligentia præcipue ad hoc homini est necessaria, ut per intelligentiam discernat mala a bonis, quibus evitatis, per exsecutionem bonorum operum ad sapientiæ divinæ participationem perveniat. » D. Thom.

Digitized by Google

« oculus videns testimonium reddebat mihi quod « liberassem pauperem vociferantem et pupillum, « cujus non esset adjutor. » Quid per pauperem vociferantem, nisi peccatorem misericordiam implorantem? Quid vero per pupillum, cui non erat adjutor, nisi infidelem aliquem, ad fidem venientem, in quo jam diabolus pater iniquus mortuus erat? Hos autem Ecclesia liberavit, testantibus eis qui viderunt et audierunt. Spernit enim Ecclesia surdi et cæci testimonium.

« Benedictio perituri super me veniebat, et cor « viduæ consolatus sum. » Peccator enim qui periturus erat, eum benedicit per quem ad pœnitentiam convertitur. Cor autem viduæ consolatur, qui animæ pœnitenti, et post multa peccata diaboli connubium fugienti, veniam et indulgentiam pollicetur. « Justitia « indutus sum, et vestivit me, sicut vestimento et « diademate judicio meo. » Sic, inquit, justitia et æquitatis judicio indutus sum, quomodo pulchris vestibus et diademate alii induuntur, quoniam non minus in istis, quam illi gloriantur in illis. « Oculus « fui cæco, et pes claudo; » quoniam sive interius, sive exterius debilitati, non minorem a me quam a propriis membris consolationem habuerunt.

« Pater eram pauperum, et causam quam nescie- « bam, diligentissime investigabam. » Pauperes enim Ecclesia quasi proprios filios nutrit. Quia vero nihil temere, nihil perperam, nihil injuste facere vult, causam quam nescit, diligentissime investigat. « Con- « terebam molas iniqui, et de dentibus illius aufe- « rebam prædam, dicebamque in nidulo meo: Moriar, « et sicut palma multiplicabo dies. » Iniquorum molas conterere, est maligni spiritus, vel hæreticorum machinamenta destruere: de dentibus **272** vero illorum præda aufertur, cum aliquis ab eis jam pene seductus ad veritatis viam revocatur. In nidulo autem suo moritur, qui in ea fide et religione, in qua delectatur et quiescit, usque ad mortem perseverat. Multiplicat autem dies, ut palma quæ et si difficile crescat, multum tamen vivit et viriditatem non amittit. Sic et Ecclesia ex difficili parvoque principio multum quidem crevit, et in æternum vivit, suæque pulchritudinis viriditatem non amittit.

« Radix mea aperta est secus aquas, et ros mora- « bitur in messione mea. » Sanctorum enim radices virtutes sunt, sine quibus anima non vivit. Hæ autem radices ideo in sanctis non moriuntur, quia ad aquas se extendunt, et sancti Spiritus gratia, et Scripturarum fluentis semper irrigantur. Ros vero in sanctorum messione moratur, quia quando eorum animæ divinæ jussionis falce a corporibus separantur, non æstum, sed refrigerium sentiunt. « Gloria mea sem- « per innovabitur, et arcus meus in manu mea in- « staurabitur. » Quod enim innovatur, vetustum est. Dolet igitur Ecclesia, quod gloria sua in quibusdam deficit et veterascit; sed consolatur, quoniam in aliis proficit et innovatur. Similiter autem et arcus ejus in manu illius instaurari non diceretur, nisi vires quodammodo perdidisse videretur. Arcus etenim ejus divina Scriptura est; sagittæ vero singulæ sententiæ sunt. Hic igitur arcus tunc instauratur, quando Dei verbum instanter prædicatur, et sanctorum auctoritate impius aliquis convincitur et damnatur. « Qui « me audiebant et exspectabant sententiam meam, « et intenti tacebant ad consilium meum. » Quis enim Ecclesiæ sententiam et consilium libenter non suscipiat, nisi ille qui aures audiendi non habet? « Verbis meis nihil addere audebant, et super illos « stillabat eloquium meum. » Qui enim in ejus doctrina stillicidio delectantur, ejus verbis nihil addere præsumunt. Hæretici autem ejus verbis aliquid addunt, et addendo veritatem corrumpunt. « Exspecta- « bant me sicut pluviam, et os suum aperiebant, « quasi ad imbrem serotinum. » Sicut enim terra sitiens pluviam exspectat, ita fideles animæ Ecclesiæ doctrinam audire desiderant, ad quam velut ad imbrem serotinum os cordis aperiunt, mentis ariditatem tali potu exstinguere cupientes.

« Si quando ridebam ad eos, non credebant, et « lux vultus mei non cadebat in terram. » Diximus enim, quoniam secundum perfectiores Ecclesiæque doctores ista dicantur, qui cujus severitatis et gravitatis esse debeant, ex eo ostenditur, quod tam raro et ridere, et lætitiam in se ostendere debent; ut si aliquando hoc faciant, vix credatur eis, quod pro gaudio temporali hoc agant. Lux enim vultus eorum in terram cadit, quando lætam faciem peccatoribus ostendunt. Unde scriptum est: « Filiæ tibi sunt, ne ostendas lætam faciem tuam ad eas (*Eccli.* VII, 26). » Peccatores enim non ut rideant, sed ut fleant instruendi sunt. « Si voluissem ire ad « eos, sedebam primus. Cumque sederem, quasi rex, « circumstante exercitu, eram tamen mœrentium « consolator. » Si enim reges et principes hoc intelligerent, Ecclesiæ prælatos sibi subdi debere non putarent. In quanta autem reverentia aliquando episcopi fuerint, his verbis ostenditur. Sedent tamen adhuc boni episcopi, quasi reges, fidelium exercitu circumstante, et eorum doctrinam audiente. Qui potius suaviter consolantur mœrentes, quam superbe terreant delinquentes.

CAPUT XXX.

« Nunc autem derident me juniores tempore quo- « rum non dignabar patres ponere cum canibus gre- « gis mei. » Sic, inquit, ut dixi, olim mihi fuit, nunc autem juniores tempore, majores superbia, qui in me nati, ex me exierunt, hæretici scilicet, mea verba derident. Quorum patres cum canibus gregis mei ponere non dignabar, id est his qui greges meos custodiunt, eos sociare contempsi. Inde enim plures hæreticorum de Ecclesia exierunt, quod majores dignitates in ea habere non potuerunt (365).

(365) Qui ecclesiasticam historiam callent, hoc non ignorant; nec oportet ut Simonem Magum, Novatianum aut Tertullianum, etc., nominemus.

Digitized by Google

His enim canibus sociatur, qui episcopus ordinatur. « Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, et « vita ipsa putabantur indigni. » Habent enim hæretici virtutem manuum, quia plerumque bona operantur; sed hoc Ecclesia pro nihilo habet, quia fidem non habent sine qua impossibile est placere Deo.

« Egestate et fame steriles qui rodebant in soli- « tudine, squallentes calamitate et miseria, et man- « debant herbas et arborum cortices, et radix juni- « perorum erat cibus eorum. » Hæretici enim bono opere steriles sunt, quoniam veræ doctrinæ egestatem et famem patiuntur. Rodunt autem in solitudine, quoniam in densa sylva sanctarum Scripturarum ea quæ intelligere non possunt, violenter rodunt et lacerant. Secundum interiorem quoque hominem calamitate et miseria squalidi sunt, quoniam et fide sunt vacui, et vitiorum contagione fœdati. Herbas autem et arborum cortices mandunt, quoniam et novitate delectantur, et omissa spirituali intelligentia, pene omnia ad litteram exponunt. Verbi namque Dei corium et cortex littera est. Sed quid per juniperum, **273** quæ tota spinis repleta est, nisi vitiorum multitudinem intelligimus. Horum autem radix superbia est, et avaritia, quoniam ex his cætera vitia originem ducunt. Hac igitur radice hæretici incrassati Ecclesiæ humilitatem despiciunt. « Qui de convallibus ista rapientes, cum singula « reperissent, ad ea cum clamore currebant. » Divinam enim Scripturam, quam modo solitudinem dixit, nunc convallem appellat, quia non rhetorum sublimitates, sed plani sermonis humilitatem imitatur. In hac autem hæretici se exercentes, dum aliquid novi, et quod eorum erroribus convenire videatur, inveniunt, mox undique cum clamore et lætitia ruunt, et suis libris et disputationibus illud inserunt (366). « In desertis habitabant torrentium, « et cavernis terræ, vel super glaream. » Hæretici enim inter eos, et cum eis habitant, qui a Deo deserti et derelicti sunt. Et isti quidem quoniam viva aqua et indeficienti doctrina non abundant, torrentes dicuntur. Appellantur autem et cavernæ terræ, quia in eis serpentes et maligni spiritus habitant. Glareæ quoque nominantur, quoniam et iniquitate graves sunt, et omnium voluptatum flumine trahuntur. « Qui inter hujuscemodi lætabantur, et esse « sub sentibus delictas computabant. Filii stulto- « rum, et ignobilium, et in terra penitus non pa- « rentes. » Lactantur autem hæretici inter hujuscemodi, quoniam et tales facile ab eis decipiuntur. Computant vero delicias sub sentibus esse, quia in peccatorum aculeis delectantur. Et hi quidem sunt filii stultorum et ignobilium, quia eorum magistri, nisi stulti essent, et a matris suæ nobilitate degenerarent, ad hanc tantam insaniam non pervenissent. Pro qua et modo Ecclesiam fugiunt, et penitus in terra viventium non apparebunt. « Nunc in eorum « canticum versus sum, et factus sum eis prover- « bium. » Hoc autem ideo dicit, quoniam stulta, vana et joculari irrisione Ecclesiæ adversantur.

« Abominantur me, et longe fugerunt a me, et « faciem meam conspuere non verentur. » Longe enim ab Ecclesia fugiunt, quia sanam doctrinam recipere nolunt. Faciem quoque ejus conspuere non verentur, quoniam verba turpia et inhonesta palam contra eam et in faciem dicunt (367). Hoc autem non sine Dei permissione fieri manifestatur, cum dicitur : « Pharetram enim suam aperuit, et afflixit « me, et frenum posuit in os meum. » Dei namque permissio pharetra est, ex qua velut sagittæ hæretici et tyranni prorumpentes, contra Ecclesiam insurgunt. Frenum autem illius illi sunt, qui ejus doctrinæ et verbis contradicunt. « Ad dexteram « Orientis calamitates meæ illico surrexerunt. » Hoc autem sic ad litteram dicere videtur, quod ex illa mundi parte prius contra eam hæretici venerint. Possumus vero per Orientem, Patrem; per dextram, Filium intelligere, secundum illud : « Psallite Do- « mino, qui ascendit super cœlos cœlorum ad « Orientem (*Psal.* LXVII, 33). » Surrexerunt igitur calamitates Ecclesiæ illico contra dexteram Orientis, quia statim a principio hæretici Christo Dei Filio derogare cœperunt.

« Pedes meos subverterunt, et oppresserunt, « quasi fluctibus semitis meis. »—« Qui enim lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet (*Joan.* XIII, 10). » Pedes igitur hæretici sunt, qui terræ propius adhærentes, sola terrena et transitoria diligunt. Tales autem pedes hæretici subverterunt, et supplantaverunt, et suæ doctrinæ semitis quasi maris fluctibus oppresserunt. « Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et prævaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium. » Hoc enim et Dominus ait : « Qui non est mecum contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit (*Luc.* XI, 23). » Ecclesiæ namque itinera hæretici dissipabant, quia aliam fidem, per quam ad supernam patriam tenderetur, prædicabant. Prævalebant etiam aliquando, et non erat qui ferret auxilium; quod quidem occulto Dei judicio fiebat; qui ait : « Necesse est enim ut veniant scandala (*Matth.* XVIII, 7); » et Apostolus : « Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant (*I Cor.* XI, 19). »—« Quasi rupto muro, et aperta janua irrue- « runt super me, et ad meas miserias devoluti sunt, « redactus sum in nihilum. » Ecclesiæ namque murus, et defensio Christus est, et fides, et scientia Scripturarum. Hic autem murus, quia rumpi non potest, frustra contra Ecclesiam hæretici pugnant. Quod autem ait : Redactus sum in nihilum, secundum eorum opinionem loquitur.

« Abstulisti quasi ventus desiderium meum, et

(366) Quanti facienda sit divinorum librorum auctoritas, ex hoc etiam erui potest, quod ipsi hæretici tutius suos errores tegi non putent quam a sacris Scripturis perperam ab ipsis intellectis. Ita Lutherani, etc.

(367) Hoc olim fecere Lutherani contra Ecclesiam Romanam; et hoc idem agunt quidam moderni scriptores, qui eam conviciis insectantur.

Digitized by Google

« quasi nubes pertransiit salus mea. » Abstulisti, inquit, id est auferri permisisti desiderium meum, quod de omnium hominum salute habeo, et salus mea, quam ubique medicando operabar, cessavit, et transiit. Sed quomodo? Quasi ventus aufert nubes. Bene enim hæretici vento, et Ecclesia nubibus comparantur, quoniam illi cum furore et impetu sæviunt, hæc autem misericordiæ doctrinam abunde pluit. « Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis. » Omnia enim hæc ad illa tempora referri debent, in quibus hæretici, et maxime Ariani sanctam Ecclesiam vehementissime perturbabant (368). Tunc enim erant **274** dies afflictionis, et Ecclesiæ vita in semetipsa marcescebat, quoniam jam eam vivere tædebat. Sic enim et Apostolus ait: « Quoniam supra modum gravati sumus; ita ut tæderet nos etiam vivere (*II Cor.* I, 8). »

« Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me « comedunt, non dormiunt: in multitudine eorum « consumitur vestimentum meum, et quasi capitio « tunicæ succinxerunt me. » Hæc autem de Job ad litteram intelliguntur, quamvis de Ecclesia spiritualiter interpretemur. In hac nocte, inquit, in hac tantarum tribulationum perturbatione, os meum, fortiora membra doloribus perforantur, quoniam tantæ vastitatis dolores sanctorum corda penetrabant. Et qui me comedunt, non dormiunt, quoniam hæretici et maligni spiritus, me persequendo, non quiescunt. Hac etiam significatione dicitur: « Quia comederunt Jacob (*Psal.* LXXVIII, 7). » Et quia multi sunt, in multitudine eorum consumitur vestimentum meum, id est, imperfectiores exteriores decipiuntur. Tales enim Ecclesiæ vestimenta sunt: quoniam et exterius eam exornant, et facile eis exspoliatur. Succinxerunt autem eam, quasi capitio tunicæ, quatenus eam penitus suffocarent, ne veritatem loqui potuisset. Tunicæ namque capitium, si fortiter constringatur, vocem penitus intercludit.

« Comparatus sum luto, et assimilatus sum fa- « villæ et cineri. » Intantum, inquit, conculcata et afflicta sum, ut me tam vilem et despectabilem quasi lutum et cinerem habeant. Sed quid mirum? « Clamabo ad te, et non exaudies me; sto, et non « respicis me. » Ideo, inquit, isti superbiunt, quia me ad te clamantem non exaudis, et in fide perseverantem non respicis. Se quoque meliorem partem habere arbitrantur, dum pene in omnibus se vident esse superiores.

« Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia « manus tuæ adversaris mihi. » Quia enim graviter affligere ad crudelem pertinet; quamvis Deus crudelis non sit; tamen quia crudelium opus egit, crudelis vocatur. Manus enim dura est, quæ fortiter affligit. « Elevasti me, et quasi super ventum ponens « elisisti me valide. » Multum, inquit, me elevasti, magno honore et gloria me sublimasti. Jam non in terra ambulare; sed super ventum et in aere ambulare videbar; quoniam qualis eram, talem me homines esse credebant. Nunc autem, quoniam sic elisa, sic afflicta, sic deleta sum, ipsi quoque familiares mihi credere pertimescunt. Et hoc quidem non ideo dico, quod temporaliter mori timeam, de hoc enim certa sum. Unde et sequitur:

« Scio, quia morti trades me, ubi constituta est « domus viventi; verumtamen non ad consum- « mationem eorum emittes manum tuam, et si « corruerint, ipse salvabis. » Scio, inquit, quia illam mortem evadere non possum, in qua posita, et constituta est domus, id est caro omnis viventis. Hac enim morte sola caro, et non anima moritur. Verumtamen non ad consummationem eorum emittes manum tuam: quorum? nisi eorum qui affliguntur. Ex quibus nonnulli aliquando timore succumbunt et cadunt. Hoc autem non usque ad consummationem et perditionem Deus affligi permittit; quoniam alios fortitudine firmat, ne cadant, et eos qui cadunt compungit, ut per pœnitentiam redeuntes salvi fiant. Et hoc est quod dicit: « Si corruerint, ipse salvabis. »

« Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, « et compatiebatur anima mea pauperi. » Novit enim et Ecclesia flere cum flentibus, ac misereri pauperibus. « Exspectabam bona, et venerunt mihi « mala; præstolabar lucem, et eruperunt tenebræ. » Hoc enim in sanctis plerumque contingit, ut priusquam ad illa bona, quæ toto mentis desiderio exspectant, pervenire valeant, mala præsentis vitæ superveniant, quæ eos vehementissime affligant, et dum de die in diem mori cupientes, æternæ beatitudinis lucem præstolantur, subito in hujus mundi procellas, et adversitatum tenebras cadunt.

« Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, « prævenerunt me dies afflictionis. » Tunc enim Ecclesiæ interiora efferbuerunt, quando hæretici, qui in ea latentes erant, suam indignationem et odium propalantes adversus eam loquentes exarserunt. Et tunc quidem prævenerunt eam dies afflictionis, quoniam illa mala, quæ in Scripturis pronuntiata adhuc post multa tempora futura putabat, suo tempore cognovit esse completa. « Mœrens incedebam, sine furore consurgens in turba clamavi. » Mœrens incedit, qui et sua et aliorum peccata plorat. Sine furore consurgens in turba clamat, qui non suas ulcisci injurias, sed pacem et concordiam componere conatur. « Frater fui draconum, et socius struthionum. » Per dracones, tyrannos et superbos; per struthiones vero hypocritas intelligimus. Sicut enim alæ struthionum, ita hypocritarum opera inutilia sunt; cum neque illi alis, neque isti operibus ad cœlestia elevantur. Inter tales autem et Job, et Ecclesia habitans, suæ tamen innocentiæ puritatem non amisit. « Cutis mea dene- « grata est super me, et ossa mea aruerunt præ

(368) Quid Athanasius, quid Eusebius Vercellensis, quid Hilarius pro tuenda eo tempore Ecclesiæ fide pertulerint, meminisse sufficiet.

Digitized by Google

« caumate. » In cute exterior pulchritudo, in ossibus vero interior fortitudo signatur. Hæc autem in persecutionis æstu et caumate, et si Ecclesia non amittat, amittere tamen videtur. Intelliguntur igitur, et hæc secundum hominum opinionem. « Versa « est in luctum cithara mea, et organum meum in « vocem flentium. » Quoniam jam non jubilare et psallere mihi vacat, sed pro angustiis et tribulationibus meis me flere oportet. Cætera vero quæ sequuntur, non ad Ecclesiam, sed ad Job tantum referenda sunt.

275 CAPUT XXXI.

« Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de « virgine (369). » A castitate namque incipiens, quam perfectus fuerit ostendit. Quia vero cogitare mentis est, de interioribus oculis hoc debet intelligi. Non enim peccat videndo exterius, qui non movetur cogitando interius. « Quam partem haberet Deus in « me desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis. » Si, inquit, luxuriæ, et voluptati deditus essem, in Dei sorte et hæreditate connumerari non possem. « Nunquid non perditio est iniquo, et alie« natio operantibus iniquitatem? « Ideo, inquit, talia non egi, quoniam hæc agentes perdendos esse, et a Deo separandos non dubitabam. « Nonne et ipse « considerat vias meas, et cunctos gressus meos di« numerat? » Deo, inquit, mentiri non possum, cui omnia opera mea sunt manifesta.

« Si ambulavero in vanitate, et festinavit in do« lore pes meus, et appendat me in statera justa, et « sciet Deus simplicitatem meam. « Si, inquit, ambulavi, sicut me ambulasse putatis, in vanitate, et secundum opinionem vestram festinavit in dolo pes meus, appendat me Deus in statera justa, id est, justitiam meam vos intelligere faciat, et tunc scietis simplicitatem meam; sic enim resolvitur : « Et sciet Deus simplicitatem meam. » Non enim secundum se statera indiget Deus ad sciendum aliquid. « Si de« clinavit gressus meus de via, et si secutus est « oculus meus cor meum, et in manibus meis ad« hæsit macula, seram, et alius comedet, et pro« genies mea eradicetur. » Gressus de via declinare, est boni operis rectitudinem non tenere. Oculus autem sequitur cor, quando operatio sequitur cogitationem. Macula vero in manibus peccatum est in operibus. Quid est autem, « seram, et alius comedet, » nisi nullum de laborib us meis fructum suscipiam? « Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet (*Galat.* VI, 8). » Progenies vero eradicatur, quando virtutes et boni mores a diabolo evelluntur. Sequitur :

« Si deceptum est cor meum super mulierem, et « si ad ostium inimici mei insidiatus sum, scortum « sit alterius uxor mea, et super eam incurventur « alii. » His etenim verbis a fornicationis et adulterii reatu se defendit. « Hoc enim nefas est, et iniquitas « maxima; ignis est usque ad perditionem devorans, « et omnia eradicans genimina. » Maximum enim peccatum est fornicatio et adulterium, unde et ignis usque ad perditionem devorans non immerito definitur; ideoque Apostolus : « Omne, inquit, peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (*I Cor.* VI, 18). » Itemque : « Fornicatores et adulteros judicabit Deus (*Hebr.* XIII, 4). » Hoc enim vitium omnium virtutum genimina dissipat, eradicat et perdit. Hinc autem, quia de ejus castitate audivimus, de humilitate quoque audiamus.

« Si contempsi subire judicium cum servo meo, « et ancilla mea, cum disceptarent adversum me, « quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum « Deus, et cum quæsierit, quid respondebo illi? « Nunquid non in utero fecit me, qui et illum ope« ratus est, et formavit in vulva unus? » Ac si dicat : Omnes unum Dominum habemus ; omnes unius Domini servi sumus; ipse omnia fecit, ipse « unicuique reddet secundum opera sua (*Matth.* XVI, 27); » et : « Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* VII, 2). » Et hæc quidem de humilitate. Nunc autem de ejus pietate et misericordia videamus.

« Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos « viduæ exspectare feci. » Per hoc non solum largitatem, sed et benevolentiæ celeritatem ostendit. « Si comedi buccellam meam solus, et non comedit « pupillus ex ea, quia ab infantia crevit mecum mi« seratio, et de utero matris meæ egressa est me« cum. » In hoc enim non sibi largitori, sed Deo totam suam imputat bonitatem. Hoc enim et ille dicere potuit, de quo scriptum est : « Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te (*Jerem.* I, 5). » — « Si despexi « prætereuntem, eo quod non habuit indumentum, « et absque operimento pauperem. » Non enim propter hominis nuditatem, naturæ despiciebat dignitatem. « Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de « velleribus ovium mearum calefactus est. » Lingua enim omnium membrorum est instrumentum, per quod suis benefactoribus benedicunt. « Si levavi su« per pupillum manum meam, etiam cum viderem in « porta me superiorem; » id est in judicio; portam enim pro judicio posuit, quoniam ante portas judicia faciebant. Si, inquit, hoc, vel illud feci. « Humerus « meus a junctura sua cadat, et brachium cum ossi« bus suis confringatur. » Ut non solum corporis, sed etiam animæ fortitudinem amittens, cunctis in operibus, quibus salvari debueram, inutilis fiam. « Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui

(369) « Incipit autem innocentiam suam ostendere per immunitatem a peccato luxuriæ, quod plures involvit, quod quidem peccatum in lubrico positum est, et nisi aliquis principia vitet, vix a posterioribus possit pedem retrahere. Primum autem in hoc peccato est aspectus oculorum, quo mulier pulchra aspicitur, et præcipue virgo; secundum autem est cogitatio; tertium, delectatio; quartum, consensus; quintum, opus. » D. Thom.

Digitized by Google

« Deum, et pondus ejus ferre non potui. » Hoc enim, quid aliud est, nisi quod plus omnibus tormentis, plus etiam quam ipsam mortem semper Deum timuit. « Fortis enim, ait Salomon, ut mors dilectio (*Cant.* VIII, 6). » Nihil nautæ magis timent, quam maris fluctus super se intumescentes. Pondus autem Dei **276** leviter ferunt, qui illius magnitudinis iram et furorem parvipendunt. « Si putavi aurum « robur meum, et obryzo dixi, fiducia mea. Si lætatus sum super multas divitias meas, et quia « plurima reperit manus mea. » His enim paucis verbis, ab omni suspicione avaritiæ apertissime defenditur, quoniam neque dilexit, neque spem suam in divitiis posuit. « Si vidi solem cum fulgeret, et « lunam incedentem clare, et lætatum est in abs- « condito cor meum, et osculatus sum manum « meam ore meo; quod est iniquitas maxima, et « negatio contra Deum altissimum. » Et hæc quidem verba ab omni idololatria eum defendunt. Puto enim infideles hanc antiquitus consuetudinem habuisse, quoniam solem et lunam deos esse credebant, eorum fulgorem et pulchritudinem admirantes, quasi pro eorum veneratione manus sibi oscularentur, quæ tantis diis sacrificium obtulissent. Lætabantur etiam in abscondito mentis, et corde gaudebant, in tanta taliqne deorum suorum claritate. Hoc autem maxima iniquitas est, et negatio contra Deum altissimum, quia non creaturæ sed Creatori serviendum est : in ipsum credere, ipsum colere et adorare debemus. « Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me « oderat, et exsultavi, quod invenisset eum malum; « non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut « expeterem maledicens animam ejus. » (Et in his nullum odium contra aliquem habuisse probatur). « Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de « carnibus ejus, ut saturemur? » Hoc enim ideo dicebant, quoniam sub distincta disciplina ab omni iniquitate eos coercebat. « Foris non remansit pe- « regrinus, ostium meum viatori patuit. » Hoc autem ad misericordiam spectat. « Si abscondi quasi « peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquita- « tem meam. » Ille enim peccatum suum abscondit et celat, qui nullam pro eo agit satisfactionem. Et quoniam primus homo peccatum suum abscondit, quasi hæreditarium in cæteros descendit, ut peccata sua confiteri nolint. « Si expavi ad multitudinem « nimiam, et despectio propinquorum terruit me, « et non magis tacui, neque egressus sum ostium. » Ac si dicat : Si aliquando propinqui et vicini mei insurrexerunt contra me, ne forte responsionibus lites et scandala concitarem, potius tacui, neque ostium egressus sum; non quod eorum quamvis nimiam multitudinem timuissem, neque eorum despectio, qua, quia plures erant, me despiciebant, terruit me. « Quis mihi tribuat adjutorem, ut desi- « derium meum Omnipotens audiat, et librum scri- « bat ipse, qui judicat, ut in humero meo portem « illum, et circumdem illum, quasi coronam mihi? » Quem enim alium adjutorem beatus Job, nisi Christum quærit, quem ipse quantum cumque potest in omnibus imitatur? In Christo enim patriarcharum et prophetarum omnium desiderium completum est, quoniam omnes eum exspectabant; unde ipse ait : « Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt (*Matth.* XIII, 17). » Et ipse librum quidem scripsit, librum utique Novi Testamenti, librum legis. Quem ipse judicat, qui et judex est et legislator. « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V, 25). » Hujus igitur adventum Job exspectabat, hujus librum scribi desiderabat, quem priusquam scriberetur, perfectissime observabat; unde et in humero suo se portare dicit. Evangelium namque in humero portat, qui ea quæ præcipit non æstimans onerosa, fideliter credit et operatur. Hic autem liber corona vocatur, quoniam sine ejus fide nemo coronatur.

« Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, et « quasi principi offerebam eum. » Quasi enim per singulos gradus suos Evangelium legit ille, qui et facta sua, et Evangeliorum verba diligenter considerans, timens aliquid se egisse, quod ibi reprehendatur. Offert autem quasi principi, quoniam ejus secreta non quibuscunque, sed Ecclesiæ principibus annuntiat, ne forte det sanctum canibus et mittat margaritas ante porcos. « Si adversum me terra mea « clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent, si fructus « ejus comedi absque pecunia et animam agricola- « rum ejus afflixi, pro frumento oriatur mihi tribu- « lus et pro hordeo spina. » Quid per terram et sulcos, nisi terræ habitatores et cultores intelligimus? Hi enim adversus eum clamassent, si se ab eo injuste gravari et affligi sensissent. Ille autem absque pecunia fructus ejus comedit, qui cum nihil aut parum regiminis et consolationis suis subditis faciat, eorum tamen redditus et servitium non minuit. Pro frumento vero et hordeo tribulus et spina oritur, quando illi, qui gaudium et lætitiam exspectant, mœrorem et tristitiam omnemque tribulationem incurrunt. Finita sunt verba Job.

CAPUT XXXII.

« Omiserunt tres viri isti respondere Job, eo quod « justus sibi videretur. Et iratus indignatusque est « Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram. » Iratus est autem adversus Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo. Eliu enim *Deus meus* interpretatur, per quem arrogantes intelligimus, qui quamvis cum arrogantia prædicent, a fide tamen veritate non recedunt. Est autem Eliu filius Barachel, quia omnes qui recte credunt, Ecclesiæ benedictionem suscipiunt. Barachel enim *benedictio* interpretatur. Sed quamvis recte credat et benedictionem in Ecclesiæ sacramentis susceperit, tamen quia arroganter prædicat, Buzites, et contemptibilis **277** est. Buzites enim *contemptibilis* dicitur. Quis enim arrogantium verba non contemnat? Et iste forte arrogans non esset, si de cognatione Ram non fuisset. Ram enim interpretatur *excelsus*, quia igitur excelsus est, humiliter loqui nescit.

Digitized by Google

« Porro adversus amicos suos indignatus est, eo « quod non invenissent responsionem rationabilem; « sed tantummodo condemnassent Job. Igitur Eliu « exspectavit Job loquentem; eo quod seniores es- « sent, qui loquebantur. Cum autem vidisset, quod « tres respondere non potuissent, iratus est vehe- « menter. » Aliquando enim arrogantes, quamvis contra Ecclesiam non sint; attamen contra eam loquuntur, quoniam in sapientia confidentes, sanctorum, qui præsunt, simplicitatem, quasi fatuitatem redarguunt; sæpe enim contra episcopos, scholasticos arroganter loqui videmus. « Respondensque Eliu « filius Barachel Buzites, dixit : Junior sum tem- « pore, vos autem antiquiores : idcirco, demisso ca- « pite veritus sum indicare vobis meam sententiam. » Prius enim hæreticos quam arrogantes Ecclesia sustinere debuit, quia propter hæreticos in plurimis arrogantia crevit. Cum enim hæretici Ecclesiam impugnarent, et viri bene litterati et ingenio ferventes, qui in ea erant, suis argumentationibus eos superassent; cumque se de scientia et ingenio ab omnibus laudare sensissent, repente in arrogantiam ceciderunt; unde non tantum pro defensione veritatis, quanto pro suæ sapientiæ ostentatione aliquando loquebantur. « Sperabam enim, quod ætas prolixior « loqueretur, et annorum multitudo doceret sapien- « tiam; sed, ut video, spiritus est in hominibus, et « inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam; » id est cujuscunque ætatis homines sint : « Spiritus tamen ubi vult spirat (*Joan.* III, 8). » — « Non sunt lon- « gævi sapientes, nec senes intelligunt judicium; « ideo dicam : Audite me, ostendam vobis etiam ego « sententiam meam. Exspectavi enim sermones ve- « stros, audivi prudentiam vestram, donec discepta- « remini sermonibus et donec putabam vos aliquid « dicere, considerabam; sed ut video, non est, qui « arguere possit Job, et respondere ex vobis ser- « monibus ejus. » In hoc enim, quod ait, ex vobis, suam sententiam extollit, quasi qui eum redarguere, eique respondere possit, cui illi respondere nequiverunt. Sequitur : « Ne forte dicatis, invenimus sa- « pientiam : Deus projecit eum, et non homo. » Vos, inquit, cur affligatur nescitis, quoniam non ab homine sed a Deo flagellatur, cujus consilium impenetrabile est. Hæc autem transcurrimus, quoniam asperitatem in plano quærere nolumus, et vanam arrogantium verbositatem subtiliter indagare non curamus. « Nihil locutus est mihi, et ego non se- « cundum vestros sermones respondebo illi. » Arrogantes enim, ne doceri videantur, Ecclesiæ magistros sibi negant esse locutos; quasi qui eorum doctrina nihil egeant; non autem ut hæretici, arrogantes Ecclesiæ respondent; quoniam et si humiliter non loquantur, attamen contra fidem non disputant. « Extimuerunt, et non responderunt ul- « tra, abstuleruntque a se eloquia. » Hoc non Eliu, sed ille qui hæc scribit, dicere videtur. Sæpe enim hæretici magis arrogantium syllogismos quam sanctum eloquia timent. « Quoniam igitur exspectavi, « et non sunt locuti : steterunt, et non responderunt « ultra; respondebo et ego partem meam, et osten- « dam scientiam meam. » Quia, inquit Eliu, isti contra Job ulterius non loquuntur, respondebo nunc ego, et quæ sit mea sententia manifestabo. « Plenus « sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri « mei. » Arrogantes enim quandoque arrogantiæ spiritu concitati, etiamsi velint, tacere non possunt. « Et venter meus quasi mustum absque spiraculo, « quod lagunculas novas dirumpit. » Ac si apertius diceret : Non minus ego arrogantiæ impetu extendor, quam apostoli vel prophetæ Spiritu sancto tendebantur. Tali enim musto apostoli pleni erant, quando eis novis linguis loquentibus, Judæi dicebant : « Hi musto pleni sunt (*Act.* II, 13). » Novas autem lagunculas Spiritus sanctus disrumpit, quoniam in delicioso et fragili pectore, et nondum aquis fidei inebriato vix continetur. « Loquar, et « respirabo paululum, et aperiam labia mea, et re- « spondebo. » Et in his quidem arrogantia sonat. In eo enim quod dicit, respondebo, et multa se dicturum, et sapientia se abundare, insinuat. « Non accipiam personam viri, et Deum homini non « æquabo. » Quare hoc? « Nescio enim quandiu « subsistam, et si post modicum tollat me factor « meus. » Vita, inquit, hæc brevis est, quantum hic vivam nescio, ideoque dum hic fuero, sine personarum acceptione veritati obediam.

CAPUT XXXIII.

« Audi igitur, Job, eloquia mea, et omnes sermones « meos ausculta. » Semper enim longis proœmiis utuntur arrogantes ut magis attentos faciant auditores. « Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea « in faucibus meis. » Ecce, inquit, loquar, nec te diutius morabor, lingua mea loquatur tibi, non clamose, sed in faucibus; tu tantum attende et diligenter suscipe verba mea. « Simplici corde sermo- « nes mei, et sententiam puram labia mea loquan- « tur. » Veri enim sermones ex simplici corde procedunt, unde et mentientes duplici corde loqui dicuntur :

« Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis « vivificavit me. » Sic enim de primo homine dicitur : « Inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ (*Gen.* II, 7). » Præmittit **278** igitur fidem suam, ne quasi extraneus ab Ecclesia audiatur. « Si « potes, responde mihi, et adversum faciem meam « consiste. » Quanta arrogantia hæc clausula abundat. « Ecce et me, sicut et te fecit Deus, et de eo- « dem luto ego quoque formatus sum, verumtamen « miraculum meum non te terreat, et eloquentia « mea non sit tibi gravis. » Ambo, inquit, ab uno creati, et de eadem materia formati sumus, non tamen similis sapientia et eloquentia est utrisque. Hoc enim miraculum est, quod de eodem luto vasa tam dissimilia creavit Deus. Verumtamen hoc tibi grave et invidiosum non sit, neque admiratione terrearis.

« Dixisti ergo in auribus meis, et vocem verborum

Digitized by Google

« tuorum audivi : Mundus sum ego, et absque de- A
« licto, immaculatus, et non est iniquitas in me.
« Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est
« me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos,
« custodivit omnes semitas meas. Hoc est ergo, in
« quo non es justificatus. » Horum quædam dixit Job, quædam non dixit nec eadem ipsa secundum hujus intelligentiam dixit. Non enim absolute dixit, se et mundum esse, et sine delicto, et immaculatum, et sine iniquitate; sed dixit non peccasse, sic ut affligi debuisset. « Respondebo tibi, quia major sit « Deus homine, adversum eum contendis, quod non « omnia verba responderit tibi. » Tu, inquit, cum Deo non contenderes, si hoc solum considerasses, quia Deus major est homine, major utique sapientia, et potentia, et justitia, et æquitate, et cæteris om- B nibus. Crede igitur justum esse, quod agit, quamvis, quia minor es, nequeas intelligere; et noli ulterius contra eum contendere, quod non omnia verba responderit tibi; id est, quod te omnia intelligere non permisit. Neque enim datur homini in hac vita omnium rerum perfecta cognitio, hoc enim nobis post hanc vitam servatur; et hoc est, quod ait : « Semel loquitur Deus, et secundo idipsum « non repetit. » Ac si dicat : Exspecta paululum, futurum est, ut Deus adhuc semel firmiterque loquatur, quia una locutione tam perfecte omnes suos fideles instruet, ut secundo magisterio non egeant. Hoc autem quomodo fiat exponit. « Per somnium in « visione nocturna, quando irruit sopor super homi- C « nes, et dormiunt in lectulo » (id est in requie a Deo illis præparata), » tunc aperiet aures virorum, et « erudiens eos, instruet disciplina. » Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est : videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem (*II Cor.* XIII, 10). » Sed quomodo eos instruet disciplina? Vis audire quomodo? Quasi per somnium in visione nocturna. Facile enim, et cito discimus, quæ nobis per somnia revelantur. Unde manifestum est quod in illa disciplina, quamvis perfecta sit, non multum laborabimus. « Ut « avertat hominem ab his, quæ fecit, et liberet eum « de superbia, eruens animam ejus a corruptione, et « vitam illius, ut non transeat in gladium. » Ideo, D inquit, sopor et somnus mortis repente cum non speratur multoties irruit super homines, ne forte, quod sæpe contingit, deteriores fierent, si in hac vita diutius permanerent. Unde in libro Sapientiæ de viro justo dicitur : « Translatus est, ne malitia mutaret cor ejus (*Sap.* IV, 11). » Sic igitur et hic, ut avertat, inquit, hominem ab his quæ fecit, ne ea ulterius faciat, et animam ejus de superbia et corruptione penitus eripiat. Hoc autem ideo fit, ne transeat in gladium æternæ ultionis. Sequitur : « Increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia « ossa ejus marcescere facit. » Non solum, inquit, ibi, sed hic quoque Deus hominem increpans instruit disciplina. Increpat enim per dolorem temporalis afflictionis in lectulo corporis hujus, quoniam quid sit utile unicuique ipse cognoscit. Et omnia ossa ejus marcescere facit, quia omnem ejus nocivam fortitudinem debilitat, et ad defectionem perducit; unde et subditur : « Abominabilis ei fit in « vita sua panis, et animæ illius cibus ante desidera- « bilis. » Ad hoc enim carnis correctio et afflictio proficit, quoniam ab omnibus carnis desideriis et voluptatibus hominem separat, ut per panem et cibum ante desiderabilem, omnia carnis oblectamenta intelligamus. « Tabescet caro ejus, et ossa, quæ « tecta fuerant, nudabuntur; appropinquavit corru- « ptioni anima ejus, et vita illius mortiferis. » Ad hoc quoque proficit homini disciplinæ correctio, quod caro ejus, id est carnalis affectus, et concupiscentia ex ea tabescit, et deficit, et ossa, quæ carnis affectionibus tecta fuerant, nudantur; quoniam virtutes animæ, quæ corporeis motibus superatæ latebant, robur et fortitudinem suscipiunt. Carnis enim defectio, animæ fortitudo est. Et hoc quidem superba carnis pinguedo et abundantia facit, quod anima ejus corruptioni et mortiferis appropinquavit. Vitia enim, quia mortis damnationem ferunt, mortifera dicuntur. « Si fuerit pro eo angelus loquens « unus de millibus, ut annuntiet homini : æquitatem « miserebitur ejus, et dicet : Libera eum, ut non « descendat in corruptionem; inveni, in quo ei pro- « pitier. » Difficile, inquit, modo veniam consequitur homo, donec veniat angelus ille magni consilii, qui pro eo loquens eum liberabit. Angelus enim iste Christus est, de quo dicitur : « Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis (*Malac.* III, 1). » Ipse autem pro nobis ad Patrem intercedens unum de similibus loquitur, quia corpus suum, quod unum quidem est de similibus corporibus nostris, ei ostendit. Quid est enim loquens, **279** nisi ostendens? Sic enim Filius loquitur Patri. Ipsa enim carnis præsentatio, in eo quod videtur, ad Deum loquitur et interpellat. Iste igitur nuntiat hominis æquitatem, quia æquum non est, ut pereat homo, pro quo Dei Filius factus est homo. Iste ejus miseretur, et miserando dicit : « Libera eum, ut « non descendat in corruptionem. » Id est, nunc eum libera a peccatis, ut postea eum liberes a tormentis. « Inveni, in quo ei propitier; » inveni, inquit, mortem, reperi crucem, suscepi tormenta; hæc est hominis propitiatio. Sic enim sine verbo loquitur Verbum, et sine voce clamat, et ineffabiliter interpellat. Sequitur : « Consumpta est caro suppliciis, « revertatur ad dies adolescentiæ suæ; » id est ad eam dignitatem, in qua creatus est; quia propter hoc caro suppliciis consumpta est, suppliciis quidem, non corruptione. Hoc autem et de carne nostra intelligi potest. « Deprecabitur Deum, et placabilis ei « erit, et videbit faciem ejus in jubilo, et reddet « homini justitiam suam. » Postquam, inquit, ille angelus magni consilii venerit, jam confidenter homo deprecabitur Deum, et Deus illius intercessione hu-

Digitized by Google

mini placabilis erit. Et videbit faciem ejus in jubilo, quia de hac vita transiens, mox ante Dei faciem in gaudio et lætitia præsentabitur. Et reddet homini justitiam suam, non quod sua sit, sed quia sua esset, si non peccasset. « Respiciet homo, et dicet: « Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus, non « recepi. » Tunc, inquit, prius homo respiciet, tunc prius videre incipiet, et mentis oculos tunc prius aperiet, et tunc quidem non superbe defendet, sed humiliter sua peccata confitebitur. Et hoc agens fiet ei, quod sequitur. « Liberabit animam suam ne « pergeret in interitum, sed vivens lucem videret. » Tali enim confessione liberatus a morte, ad vitam transfertur, ut lux perpetua luceat ei. « Ecce hæc « omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, « ut revocet animas eorum a corruptione; et illu- « minet in luce viventium. » Tribus enim vicibus liberat Deus hominem, et separat a peccatis, suæque gratiæ reconciliat; semel per baptismum; secundo per pœnitentiam; tertio per mortem. Sequitur: « Attende, Job, et audi me, et tace, dum ego loquor, « si autem habes quod loquaris, responde mihi, « loquere: volo enim te apparere justum; quod si « non habes, audi me, tace, et docebo te sapien- « tiam. » Mirum valde est quod per hominem tam arrogantem tam profunda mysteria Spiritus sanctus revelare dignetur.

CAPUT XXXIV.

« Pronuntians itaque Eliu etiam hæc locutus est: « Audite, sapientes, verba mea, et eruditi, auscultate « me. Auris enim verba probat, et guttur escas gu- « stu dijudicat. » Vos, inquit, qui sapientes estis; benevolos enim eos reddit, ut ejus sermonibus faveant. Attendite et considerate verba mea. Ut enim sola auris audit et guttur per gustum escæ saporem sentit, ita soli sapientes, quæ sapienter dicuntur, diligentius et melius intelligunt. « Judicium eliga- « mus nobis, et inter nos videamus quid sit me- « lius. » Nota, quod prius sapientes eos vocat, deinde ad discernendum judicium eos invitat. « Quia « dixit Job. Justus sum, et Deus subvertit judicium « meum. In judicando enim me, mendacium est, « et violenta sagitta mea est, absque ullo peccato. » Hoc Job non dixisse, quicunque superiora diligenter legit, intelligit. « Quis est vir, ut est Job, qui bibit « subsannationem quasi aquam: » Deus de beato Job eum laudando; Eliu vero vituperando dicit, « quod non sit similis ei in terra. » Subsannationem autem quasi aquam bibit, non sine aliquo pietatis obstaculo; Deum irridet et reprehendit. « Qui gra- « ditur cum operantibus iniquitatem, et ambulat « cum viris impiis? » Cum talibus enim graditur, qui similia operatur. Unde Psalmista: « Si videbas furem currebas cum eo (*Psal.* XLIX, 18). » — « Dixit « enim: Non placebit vir Deo etiamsi cucurrerit « eum eo. » Et hoc quidem in verbis Job nusquam invenitur; unde non solum arroganter, sed mentiendo multa Eliu dicere probatur. « Ideo, viri « cordati, audite me: » Vos, inquit, qui cor habe- tis, qui veritatem intelligitis, audite me. Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. Hoc est enim, quod Psalmista ait: Quia « Deus est justus judex (*Psal.* VII, 12), reddens unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI, 22). » — « Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec « Omnipotens subvertet judicium. Quem constituit « alium super terram? aut quem posuit super or- « bem, quem fabricatus est? » Ipse, inquit, mundum fecit, ipse et non alius eum regit et judicat, nullo in fabricando, nullo in regendo socio, vel adjutore indiget, quia tam justus in omnibus est ut nihil injuste facere possit. « Si direxerit ad eum cor « suum, spiritum illius, et flatum ad se trahet. » Si, inquit, cor suum ad Deum homo direxerit, et mundo, et recto corde servire cœperit, confestim spiritum et flatum illius ad se trahet, quoniam sancti Spiritus gratia replebitur. Spiritus autem et flatus idem significat, quamvis per flatum vita intelligi possit. In hoc autem magna Dei benevolentia commendatur, quod tam cito ad misericordiam flectitur. « Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem « revertetur. » Ac si dicat: Illi, qui cor suum ad Dominum dirigunt, spiritu et vita illius vivificati, mori non possunt; cæteri vero omnes peribunt; quia pulvis sunt, et in pulverem revertentur: « Si ergo « habes intellectum, audi quod dicitur, et ausculta « vocem eloquii mei. » Semper **280** Eliu in arrogantiam crescit, unde virum justum et sapientissimum, an habeat intellectum scisciteatur; in quo, sicut in cæteris omnibus magna beati viri patientia demonstratur. « Nunquid qui non amat judicium « sanari potest? Et quomodo tu eum, qui justus « est, intactum condemnas? Qui dicit regi, apostata, « qui vocat duces impios. » Hoc enim contra Job dici non debuit, qui toties superius se judicari postulavit. Amat judicium, qui justam causam se habere sentit; quoniam ibi defenditur et sanatur, et ab injuria liberatur. Deum autem, qui justus est, intactum condemnat, qui priusquam intelligat, ejus judicium reprehendit. Tunc enim Deus tangitur, quando ad interrogata respondet. Et ipse quidem tam justus est ut nec regibus, nec ducibus blandiatur; sed secundum eorum merita illos et apostatas, et impios vocat. Vocare autem quid est, nisi ostendere et damnare? Dum enim eos damnat, quales fuerit, ostendit. « Qui non accepit personas « principum, nec cognovit tyrannum, cum disce- « ptaret contra pauperem: opus enim manuum « ejus sunt universi. » Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam acceptus est illi. Omnes enim æqualiter judicat, qui omnes creavit. Et audiens afflictorum gemitus, affligentes perdit et damnat; unde et subditur:

« Subito morientur, et in media nocte turba- « buntur populi, et pertransibunt, et auferent vio- « lentum absque manu. » Subito enim morientur,

Digitized by Google

quia una sententia damnationis peribunt. Hoc autem in media nocte, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet; in nocte quidem, quando veniet, obscurum est et ab omnibus ignoratur. Et pertransibunt, jam non amplius redituri. Et tunc quidem Dei jussiones atque judicia auferent populum impium et violentum absque manu; non enim alicujus manus auxilio Dei indigent jussiones. « Oculi enim « ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum « considerat. Non sunt tenebræ, et non est umbra « mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem; neque enim ultra in hominis est « potestate, ut veniat ad Deum in judicium. » Auferuntur, inquit, impii, quoniam quales fuerint, Dei oculos non latet; ipse enim omnium vias et opera considerans, reddet unicuique secundum opera sua. Non enim sunt ante Dei oculos tenebræ ignorantiæ, neque umbra mortis, id est caligo oblivionis, in quibus abscondantur qui operantur iniquitatem. Prius igitur quam auferantur, pœnitentiam agant et convertantur, quia postquam hinc sublati fuerint, jam non est in eorum potestate, ut iterum veniant ad judicium; semel enim judicat Deus, cujus judicium non retractatur (370). « Conteret multos « innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. Novit « enim opera eorum, et idcirco inducet noctem, et « conterentur. » Multos enim, imo innumerabiles quotidie Dominus occidit et conterit, et iniqua eorum opera considerans æternæ damnationis noctem inducet super eos. Tamen, quia electorum numerus nondum completus est, stare facit alios pro eis. « Quasi impios percussit eos in loco videntium, « qui quasi de industria recesserunt ab eo, et omnes « vias ejus intelligere noluerunt, ut pervenire face- « rent ad eum clamorem egeni, et audiret vocem « pauperum. » Locus videntium Ecclesia est; quoniam non cæci, sed videntes et intelligentes in ea habitant, et hi quidem, quoniam per viam incedere debeant, vident; non ex ignorantia, sed sponte et de industria peccant. Quod enim non intelligunt, non impotentia facit, sed voluntas; intelligerent enim si vellent. Isti autem contra Dei præceptum egenum et pauperem affligentes, eorum clamorem ad Deum venire faciunt. Quia igitur sine pietate alios affligunt, non immerito quasi impii percutiuntur. Sequitur : « Ipso enim concedente pacem, quis « est qui condemnet? Ex quo absconderit vultum « suum, quis est qui contempletur eum et super « gentem et super omnes homines? Qui regnare « hypocritam facit propter peccata populi. » Ipse, inquit, percussit impios, ipse dat pacem afflictis, et non qualemcunque, sed perpetuam pacem, quam qui recipit, nullius judicium vel condemnationem timet. Sed quibus aliis vultum suum Deus abs- condit, nisi illis, quibus irascitur? Quibus postquam dicetur : « Tollantur impii ne videant gloriam Dei (*Isa.* xxvi, 16). » Et in infernum præcipites dejicientur; impossibile erit ut eum ulterius videant. Hoc autem facit Deus et super omnes gentes, et super omnes homines, videlicet et justos liberat et impios damnat. Facit autem regnare hominem hypocritam, propter peccata populi, quod quidem de Antichristo specialiter et de cæteris generaliter intelligi potest. Plerumque enim propter populi peccata malis subditis mali præpositi præficiuntur. « Quia ergo locutus « sum ad Deum, te quoque non prohibebo. Si erravi, « tu doce me; si iniquitatem locutus sum, ultra non « addam. Nunquid a te Deus expetit eam, quia displi- « cuit tibi. » Hæc autem et arroganter, et irridendo dicit, et ibi se reprehendi postulat, ubi certissime scit se reprehendi non posse. In his enim quæ modo dixit, neque erravit, neque iniquitatem locutus est, quam etiam si locutus fuisset, asserit, quod a se non ab alio requireretur, et ipse pro ea redditurus esset rationem. « Unusquisque enim, ait Apostolus, pro **281** se rationem reddet (*Rom.* xiv, 12). » Hoc autem est, quod ait : « Nunquid a te Deus exspectet « eam, quia displicuit tibi? » Subauditur disputatio mea, quasi tu pro ea sis rationem redditurus. Arrogantes enim, cum verba sua laudari non audiunt, displicuisse putant. « Tu enim cœpisti loqui, et non « ego; quod si melius nosti, loquere. Viri intelli- « gentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me. « Job autem stulto locutus est, et verba illius non « sonant disciplinam. » Ac si dicat : Quod te reprehendi, tibi et non mihi imputare debes; tu enim cœpisti loqui, et non ego; quod ego reprehendi, a te audivi, non ego finxi. Verumtamen si quid nosti melius, vel his quæ ego dixi, vel his quæ tu prius dixisti, loquere. Loquere quidem dicit, nec tamen ut loquatur exspectat. Et quasi intelligentiam Job non haberet, a suo colloquio eum removet, dicens : Viri intelligentes loquantur mihi, et sapiens audiat me, non autem iste qui sapientia et intelligentia caret. Stulta autem beatum Job, et sine disciplina locutum dicit, quia justitiam suam eum defendere audivit. Unde et ad Deum conversus ait : « Pater mi, probetur « Job usque in finem : ne desinas ab homine iniquitatis, quia addit super peccata sua blasphe- « miam. » Qualis, inquit, ante flagella fuerit, ostenditur, qui propter peccata sua flagellatus, inter ipsa flagella peccare non cessat. Probetur igitur usque in finem, ut vel sic aliquando resipiscat. « Inter nos « interim constringatur, et tunc ad judicium provo- « cet sermonibus suis Deum. » Prius, inquit modo constringatur et vincatur rationibus nostris, ut in his intelligat se Dei rationibus nullo modo resistere posse.

CAPUT XXXV.

« Igitur Eliu hoc rursum locutus est. Nunquid « æqua tibi videtur hæc tua cogitatio, ut diceres : « Justior Deo sum? Dixisti enim : Non tibi placet « quod justum est, vel qui tibi proderit, si ego pec- « cavero? » Hoc enim Job non dixit, neque quod Deo

(370) Recolendus est etiam Ecclesiastes, qui cap. 12 multis adhortatur hominem, ut sibi consulat antequam tenebrescat sol, et tenebræ mortis super veniant.

Digitized by Google

justior esset, neque quod Deo rectum non placeat; sed quid dixit? « Æquitatem proponat contra me, « et perveniat ad victoriam judicium meum. » Itemque : « Scio, si judicatus fuero, quod justus inve- « niar. » Hæc igitur Eliu non bene intellexisse manifestum est. Nam et si Job justus probaretur, inde tamen Deus injustus non esset; non enim propter illius peccata ipsum affligebat; sed quia inde eum majorem, et clariorem, et meritis excellentiorem facere volebat. Uterque igitur justus est, et qui affligit, et qui affligitur. « Itaque respondebo ego sermo- « nibus tuis, et amicis tuis tecum. » Non enim tibi soli respondere vult, quia se intelligentibus et sapientibus locuturum dixerat : « Suspice cœlum, et intuere; et « contemplare æthera, quod altior te sit. Si peccave- « ris, quid ei nocebis : et si multiplicatæ fuerint ini- « quitates tuæ, quid facies contra eum? Porro si juste « egeris, quid donabis ei? Aut quid de manu tua acci- « piet? » Non sicut promiserat, ejus sermonibus respondet; quia in sermonibus beati Job non invenitur : « Quid tibi proderit, si ego peccavero; » hinc enim argumentatio hæc trahitur. Hæc autem non contra Job, sed contra aliquem desperatum, et ad peccandum promptissimum eloqui debuerat. Suspice, inquit, cœlum et æthera, vides quod altior te sit, nullis viribus illuc attingere potes, ibi quidem Deus est. Sive igitur peccaveris, sive bene egeris, securus est Deus, neque donis, neque minis movetur. « Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua : et « Filium hominis adjuvabit justitia tua. » Deo, inquit, in nullo neque prodesse, neque obesse vales; homini autem, si impius, vel justus fueris, multis modis obesse vel prodesse poteris. « Propter multi- « tudinem calumniatorum clamabunt, et ejulabunt « propter vim brachii tyrannorum. » Hominis, inquit, impietas, hominibus nocere potest, illi tamen qui affliguntur clamant et ejulant ad Dominum, ut eos de calumniatorum et tyrannorum violentia ulciscatur; non semper tamen clamantes exaudiuntur, quia non fideliter, sed dubitando clamant. Unde et subditur : « Et non dixit : Ubi est Deus qui fecit « me, qui dedit carmina in nocte? Qui docet nos « super jumenta terræ, et super volucres cœli exau- « dit nos. Ibi clamabunt, et non exaudiet propter « superbiam malorum. » Singulare pro plurali posuit, et in uno ostendit quantum omnibus dubitatio noceat. Ille, inquit, qui affligitur, fideliter dicat : Ubi est Deus, qui fecit me? Et non tantum ore, sed et corde clamet, firmiterque credat quoniam non derelinquet hominem, qui eum fecit. Qui dedit carmina in nocte, id est, qui gaudium, et lætitiam in magnis tribulationibus fidelibus suis sæpissime largitus est. Hic enim fortasse antiqui patres in orationibus suis Dei magnalia narrare didicerunt. Docet autem nos Dominus super jumenta terræ, et super volucres cœli, quoniam qui Dei sapientiam habent, omnibus mundi amatoribus, cunctisque philosophis sapientiores sunt. Ibi clamabunt, ubi? In tribulationibus, quas ab impiis patiuntur. Quare? Propter superbiam malorum, qui eos affligunt. Et non exaudiet. Quod Deus non exaudit, aut ideo fit, quia non bene petitur, aut quia melius, non exaudiendo, quam exaudiendo fidelibus suis facere disposuit. Unde et Apostolo oranti dicitur : « Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII, 9). » Non igitur exauditur, ut ejus virtus perficiatur. « Non ergo frustra audiet Deus, et Omnipotens « singulorum causas intuebitur. Etiam cum dixeris, « non considerat, judicare coram eo, et exspecta « eum, 282 nunc enim non infert furorem suum, et « absque scientia verba multiplicat. » Frustra enim audiret Deus, si stultas, et iniquas, et fatuas petitiones exaudiret; sed quia singulorum causas intuetur, ea tantum audit, quæ audienda sunt; scit enim quid unicuique causæ conveniat. Etiam cum dixeris, non considerat Deus afflictiones meas, jam tunc judicaris coram eo, et te liberare, tuumque adversarium jam damnare disponit; ideoque exspecta eum, donec ad judicium veniat. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde. Quicunque ergo perfecte vindicari desiderat, futurum judicium exspectet. Unde constat quoniam Job frustra aperuit os suum, quoniam quæcunque dixit, vana et inutilia sunt. Aut enim futurum exspectare debuit judicium, aut sic orare ut exaudiri mereretur.

CAPUT XXXVI.

« Addens quoque Eliu, hæc locutus est : Sustine « paululum, et indicabo tibi; adhuc enim habeo, « quod pro Deo loquar. » Multa enim Eliu jam locutus fuerat; sed superbiæ spiritu tumidus, loquendo satiari non potest; neque vero superari timet, quia Dei partem defendit; unde et subditur :

« Repetam scientiam meam a principio, et ope- « ratorem meum probabo justum. Vere enim absque « mendacio sermones mei, et perfecta scientia pro- « babitur tibi. » Ac si dicat : Ne forte me putes esse mentitum, scientiam meam repetam a principio; tu vero, si quid habes, responde, quia ego operatorem meum probabo justum, et sicut a principio dixi, simplices et sine mendacio sunt sermones mei, et scientia mea probabitur tibi esse perfecta. Non solum enim arroganter loquitur; verum etiam quæ ei objici poterant, anticipando removet, neque enim se de mendacio defendere posset. « Deus potentes non « abjicit, cum et ipse sit potens, sed non salvat im- « pios, et judicium pauperibus tribuit. » Cum, inquit, Deus potens sit, non propter potentiam, sed propter impietatem potentes, abjicit; salvat enim potentes, sed non salvat impios. Et judicium pauperibus tribuit, ut illi juste eos damnent, a quibus injuste judicati sunt. « Non auferet a justo « oculos ejus, et reges in solio collocat in perpe- « tuum, et illi eriguntur. Et si fuerint in catenis, et « vinciantur funibus paupertatis. Judicabit eis opera « eorum, et scelera eorum, quia violenti fuerint. » Impios, inquis, non salvabit Deus; econtra a justo

Digitized by Google

non auferet oculos misericordiæ suæ, nunquam ejus oblivisciturquem semper respicit. Reges autem in solio collocat in perpetuum, quia Ecclesiæ principibus, episcopis videlicet et sacerdotibus æternas sedes præparavit. Et illic eriguntur; qui enim hic humiliantur, ibi eriguntur et exaltantur. Et his quidem regibus, quando carcere, et paupertate, aliisque miseriis in hoc sæculo affliguntur, occulta inspiratione Deus indicat; et ad memoriam reducit opera et scelera, quæ aliquando fecerunt, ut dum eorum recordantur, patientius tormenta sustineant, quibus sua peccata solvi non dubitant. Hoc est enim, quod superius dixerat : « Respiciet homo, et dicet : Pec- « cavi, et vere deliqui, et ut eram dignus, non re- « cepi.

« Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat, et « loquetur, ut convertantur ab iniquitate; si audie- « rint, et observaverint, complebunt dies suos in « bono, et annos suos in gloria; si autem non au- « dierint transibunt per gladium, et consumentur « in stultitia. » Deus, inquit, occulta inspiratione fidelibus suis peccata eorum indicat, et ad memoriam reducit. Aurem quoque mentis eorum revelat et aperit. Quare hoc? « Ut eos corripiat; » eisque intus, et invisibiliter loquitur, admonens eos ut ab iniquitate convertantur. Quod si fecerint, complebunt dies suos in bono, id est hanc præsentem vitam in sancta conversatione. « Et annos suos in gloria; » quoniam post hæc in æterna gloria cum Domino erunt. « Si autem non audierint, transibunt per gladium » æternæ ultionis. Et consumentur in stultitia; quia de stultitia sua nihil, nisi mortem et consumptionem invenient.

« Simulatores, et callidi provocant iram Dei, « neque clamabunt, cum vincti fuerint. Morietur in « tempestate anima eorum, et vita eorum inter ef- « feminatos. » Merito enim in se iram Dei provocant, qui simulatione et caliditate omnia faciunt; sive ut alios decipiant, sive ut honorem et vanam gloriam sibi acquirant. Et hi quidem non clamabunt, cum vincti fuerint, cum nec in ipsa morte pœnitentiam agent. Vinctus enim est, qui in sua potestate non est. Ideoque anima eorum morietur in tempestate, id est in tribulatione et angustia, omnium tormentorum grandine super se irruente. Et vita eorum inter effeminatos erit, id est inter otiosos, et molles, et luxuriæ et voluptatibus deditos.

« Eripiet pauperem de angustia sua, et revelabit « in tribulatione aurem ejus. » Pauper enim est, qui in hujusmodi divitiis spem non habet. Unde David cum dives esset, egenum tamen et pauperem se vocat. Hujus autem aurem in tribulatione Dominus revelat et aperit, quoniam tribulationis bonum eum intelligere facit; ut jam non doleat de tribulatione, qui per multas tribulationes scit se intrare in regna cœlorum.

« Igitur salvabit te de ore angusto latissime, et non « habente fundamentum subter se : requies autem « mensæ tuæ erit plena pinguedine. Causa tua, quasi « impii judicata est, causam judiciumque recipies. »

283 De hoc enim Psalmista dicit : « Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum (*Psal.* LXVIII, 16). » Est igitur hæc inferni descriptio, cujus os et angustum, et latissimum est : angustum quidem, quia quos recipit strictissime tenet, neque inde exire permittit : latissimum autem, quia multos, et cum magna frequentia glutit. Infernus autem non habet fundamentum, quia ejus vorago vastissima impleri non potest. Requies autem mensæ tuæ impletur pinguedine, quando post hujus vitæ labores, et requies, et mensa, et æterni cibi refectio sanctis a Domino præparatur. Unde in Evangelio dicitur : « Quia præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis (*Luc.* XVIII, 38). » Quod autem ait : « Causa tua quasi impii judicata est; » ideo dicit, quia quasi impius severissime affligebatur. Sed causam, judiciumque suscipiet, quoniam pro tali causa, atque judicio, ipse quoque causidicus, et judex constituetur, sive quia magnis honoribus et muneribus pro hoc remunerabitur. « Non « te ergo superet ira, ut aliquem opprimas, nec « multitudo locorum inclinet te. » Non ira superatus aliquando beatus Job aliquem oppressit; quamvis rectitudine disciplinæ suos subjectos castigaverit; unde superius ait : « Si non dixerunt viri tabernaculi, quis det de carnibus ejus, ut saturemur? » Nec multitudo locorum inclinet te ad iniquitatem. Sæpe enim divites et potentes, quia multa loca possident, a justitiæ sublimitate oculos avertunt, et iniquiores fiunt. « Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, et omnes robustos fortitudine, « ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis. » Suam enim magnitudinem deponunt, quicunque se ex toto corde Deo humiliant, neque in suæ justitiæ magnitudine confidunt. Hoc autem alii sponte, et absque tribulatione faciunt, alii vero nisi multis tribulationibus afflicti facere nolunt. Depone etiam robustos fortitudine, id est cunctis impiis et superbis, qui tecum conversantur, male agendi licentiam et fortitudinem adime. « Ne protrahas noctem. » Noctem protrahere, est exaltare iniquos, et vitiorum tenebris obvolutos; tales enim non protrahendi, sed retrahendi sunt. Quare? Ut ascendant populi pro eis. Tunc enim bonorum populi, et multitudines crescunt, quando iniqui et superbi vires amittunt. Sequitur :

« Cave ne declines ad iniquitatem : hanc enim « cœpisti sequi, post miseriam. » Iniquitatem enim Eliu esse putabat, quod beatus Job plus quam meruisset, se affligi dicebat. Hæc autem verba quanta arrogantia plena sint, quis non videt? « Ecce Deus « excelsus in fortitudine sua, et nullus est similis in « legislatoribus. Quis poterit scrutari vias ejus? Aut « quis poterit ei dicere, operatus es iniquitatem. « Memento, quod ignoras opus ejus, de quo cecine- « runt viri. » Hæc manifesta de Christo prophetia est. Quod autem Eliu prophetiæ spiritu loquatur,

Digitized by Google

mirum valde est. « Spiritus tamen ubi vult, spirat (*Joan.* III, 8). » Caiphas quoque prophetavit. Insuper et asina locuta est. Denique et Sibylla (371) Dei vatem se esse dixit : « Ecce, inquit, veniet Deus « excelsus in fortitudine divinitatis suæ ; qui humilis valde apparebit in infirmitate humanitatis suæ. « Et nullus ei similis in legislatoribus. Quis enim « similis Deo inter filios Dei? » Legis namque latores, non solum Moyses, sed et cæteri prophetæ fuerunt. Sed et quis dicere poterit, operatus es iniquitatem? Cujus operationes, et vias nemo scrutari potest. Hoc enim et ipse dicebat : « Quis ex vobis arguet me de peccato? » (*Joan.* III, 46.) De hoc autem cecinerunt viri, quia SS. prophetæ ejus adventum et incarnationem, ejus mortem et resurrectionem, et cætera omnia de eo prædixerunt. Hujus autem opus ignorare, est a justitia et æquitate recedere. « Omnes homines vident eum, et unusquisque « procul intuetur eum. » Omnes enim homines vident eum, secundum quod scriptum est : « Videbit omnis caro salutare Dei (*Isa.* LI, 10). » Et unusquisque procul intuetur eum, quoniam et si hominem videant, Deum tamen non videre, sed quodammodo quasi de longe intelligere possunt. « Ecce Deus ma- « gnus vincens scientiam nostram, numerus annorum ejus inæstimabilis. » Vincit enim Deus scientiam nostram, quia, sicut est, scire non possumus; sive quia ejus scientiæ nulla scientia comparatur. Et quamvis inter homines juvenis appareat, numerus tamen annorum ejus est inæstimabilis. Unde ipse quoque ait : « Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum (*Joan.* VIII, 58). »

« Qui aufert stillas pluviæ, et effudit imbres adinstar gurgitum, qui de nubibus pluunt, quæ prætexunt cuncta desuper. » Quid enim per stillas pluviæ, nisi prædicatores Veteris Testamenti, qui Ecclesiæ doctoribus comparati, quædam pluviæ guttæ esse videntur? Hos autem Christus suo adventu abstulit et cessare fecit, et per se suosque discipulos adinstar gurgitum, qui de nubibus pluunt, sacri eloquii fluenta effudit. Hæ vero nubes cuncta desuper prætexunt, quia sanctarum Scripturarum volumina, ex quibus hæ pluviæ manant, fidelium corda irrigant et obumbrant. « Si voluerit extendere nubes, quasi « tentorium suum : et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. » Si, inquit, nubes, id est evangelicam doctrinam, vel sanctos apostolos extendere voluerit, dicens : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni 284 creaturæ (*Marc.* XVI, 15). » Sicut enim in principio tentorium suum, id est cœlum extendit, et si desuper lumine suo, id est miraculorum illustratione fulgurare voluerit, cardines quoque maris operiet : id est, omnes mundi terminos ad fidem convertet. Sicut enim cœli tentorium, ita et apostolorum doctrina, omnes mundi terminos in se continet et concludit. « Per hæc enim judicat populos, et « dat escas multis mortalibus. » Quid est per hæc? Id est per apostolos et doctrinam evangelicam ; per hæc enim, quasi per legem et judices, judicantur omnes populi ; per hæc etiam, quasi per cibum cibique mysterium, nutrit Deus multos mortales. « Immanibus abscondit lucem, et præcipit ei, ut « iterum veniat. » Hoc est, quod alibi dicitur : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV, 6). » Quod enim nunc immanes, et superbi lucem, et veritatem non vident, si se humiliaverint, protinus ad eos lux mundi Deus, et veritas revertetur. « Annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. » — « Vos amici mei estis, dicit Dominus, si feceritis quæ ego præcipio vobis (*Joan.* XV, 14). » His autem annuntiavit Christus, id est, intelligere fecit quod hæc hæc eorum possessio sit, secundum illud : « Dominus pars hæreditatis meæ (*Psal.* XV, 5). » Si enim sanctorum hæreditas Christus est, ergo et possessio. Sed quis unquam ad hanc possessionem se ascendere posse speraret, nisi diceretur. « Et ad eam possit ascendere. » Hanc enim spem ipse Deus confirmans, ait : « Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum (*Joan.* XVII, 24). »

CAPUT XXXVII

« Super hoc expavit cor meum, et emotum est « de loco suo. » Super hoc, inquit, quod Deus excelsus in fortitudine sua carnem sumere, et non tantum homo, sed hominum possessio dignatus est fieri, expavit cor meum, et præ nimia admiratione emotum est de loco suo. Cor enim de loco suo quodammodo movetur, quando in mentis excessu homo elevatur. Inde Habacuc propheta : « Domine, inquit, audivi auditum tuum, et timui, consideravi opera tua, et expavi (*Habac.* III, 2). » Sequitur : « Audiet « auditionem in terrore, vocis ejus, et sonum de ore « illius procedentem. » Audiet, inquit, homo auditionem vocis ejus, et sonum procedentem de ore illius. Sed quomodo audiet? « In terrore. » Hæc igitur vox, quæ in terrore audietur, illa est qua Dominus peccatoribus dicet : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). »

« Subter omnes cœlos ipse considerat, et lumen « illius super terminos terræ. » — « In altis enim habitat, dicit Psalmista, et humilia respicit in cœlo et in terra (*Psal.* CXII, 6). » Quia igitur ubique est, et omnia videt, nemo se ab ejus judicio abscondere poterit. « Post eum rugiet sonitus, tonabit voce for- « titudinis suæ, et non investigabitur, cum audita « fuerit vox ejus. » Postquam, inquit, damnationis sententiam Dominus dederit, et fortitudinis voce intonuerit, sonitus eorum, qui post eum erunt, id est damnatorum omnium, quos in pœnis relinquet, præ dolore et tristitia rugiet. Dei tamen sententiam nemini tunc investigare licebit, quia non respondendi locus erit ; sed mox audita sententia trahentur ad tormenta. « Tonabit Deus in voce sua mirabiliter,

(371) De oraculis Sybillinis agit Natalis Alexander Histor. Veter. Testam. tom. III, art. 4, prop. 2.

Digitized by Google

« qui facit magna et inscrutabilia. » Quomodo enim non mirabiliter et terribiliter tunc voce sua, quasi iratus tonabit super impios, qui olim benevolus et placatus terruit pios? Scriptum est enim, divisse filios Israel : « Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur (*Exod.* xx, 19). » Magna autem et inscrutabilia sunt judicia Dei, secundum quod Apostolus ait : « O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* xi, 33.)

« Qui præcipit nivi, ut descendat super terram, et « hiemis pluviis, et imbri fortitudinis suæ. » Prius, inquit, quam judicare Dominus veniat, super omnem terram prædicatores mittet; per nivem enim sanctos prædicatores intelligimus, vita, et moribus, et sancta conversatione candidatos. Talem nivem fieri optabat, qui dicebat : « Lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* l, 9). » Per hiemis autem pluvias et imbres fortitudinis, doctrina evangelica figuratur. Hæc enim hiemis pluvia fit, quando libidinis æstum, et furoris, et odii ignem exstinguit, quoniam hiemales pluviæ frigidiores sunt. Fit autem doctrina evangelica imber quoque fortitudinis, quando peccatoribus futuri judicii tormenta minatur. « Qui in manu « hominum signat, ut noverint singuli opera sua. » Quinque enim sunt corporis sensus, quibus bona et mala operamur, qui etiam in quinque talentis in Evangelio figurantur. Totidem autem, et sunt digiti manus, quos cum videmus, sensuum nostrorum recordari debemus; ut vel sic quid egerimus intelligamus, et si quid in aliquo deliquimus, pœnitentiam agamus. « Ingredietur bestia latibulum suum, et in « antro suo morabitur. » Hæc bestia diabolus est cujus antrum et latibulum sunt omnes iniqui, quoniam in eis latet, et inhabitat. « Ab interioribus egre- « ditur tempestas, et ab Arcturo frigus. » Sicut enim per Arcturum, aquilonem, ita per interiora austrum intelligimus. Unde et supra dicitur : « Qui « facit Arcturum, et Oriona, et Hyades, et interiora « austri. » Quia igitur Judæi austro, Romani autem aquiloni propinquiores sunt, per illos quidem auster, per istos vero aquilo ponitur. Ab austro ergo tempestas egreditur, quia prima persecutio 285 contra Ecclesiam in Judæa surrexit. Ab aquilone vero egreditur frigus, quia Romanorum vel gladiis, vel jussionibus SS. martyres ubique interfecti sunt. Et vide quam eleganter mortem per frigus significavit. Hoc autem sine voluntate Dei fieri ex eo ostenditur, quod subditur : « Flante Deo concrescit gelu, et rur- « sum latissime funduntur aquæ. » Gelu enim tunc crescebat, quando sanctis martyribus ubique morientibus, mors in Ecclesia temporaliter regnabat. Unde Apostolus ait : « Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis (*II Cor.* iv, 12). » Rursum autem latissime fundebantur aquæ, quoniam pace cœlitus data, sancti prædicatores multiplicati, et confortati doctrinæ pluviam ubique gentium fundere cœperunt.

« Frumentum desiderat nubes, et nubes spargunt « lumen suum, quæ lustrant per circuitum, quocun- « que voluntas gubernantis deduxerit, ad omne « quod præceperit illis super faciem omnis terræ, « sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quo- « cunque loco misericordiæ suæ eas jusserit inve- « niri. » Hoc est enim, quod discipulis suis Dominus ait : « Levate capita vestra, et videte regiones, quæ albæ sunt jam ad messem (*Joan.* iv, 35). » Jam Christi frumentum, jam messem Dei, nubes Evangelii, Ecclesiæque doctores et videre et audire desiderat. Et nubes spargunt lumen suum, quia non solum doctrina, sed et miraculis refulgent. Quæ lustrant per circuitum, quia in omnem terram exivit sonus eorum. Verumtamen non alibi vadunt, nisi quo sui gubernatoris voluntas eas duxerit, neque aliud agunt, nisi quod illis præceperit. Sive in una tribu filiorum Israel eos esse voluerit; sive ut prius aliquanto tempore morati sunt in Jerusalem, et in tribu Juda; sive in terra sua, id est in tota terra Judæorum; sive in quocunque loco cui misereri voluerit, eas jusserit inveniri, id est ubique terrarum. « Ausculta hæc igitur Job, sta, et consi- « dera miracula Dei. » Quare stare præcipit qui nusquam ire poterat, nisi quia ad sui comparationem, quasi in imis jacere considerabat? Unde et subditur : « Nunquid scis, quando præceperit Deus « pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus? » Ac si dicat : Nunquid tibi, sicut mihi revelatum est, quando secundum Dei præceptum, et dispositionem prophetarum lux, atque virtus eorum in verbis, et doctrina manifestabitur? Tunc enim lucem nubium, id est prophetarum claritatem eorum pluviæ, id est eorum prophetiæ, et libri ostendere cœperunt, quando spiritualiter intelligi potuerunt. Quotidie enim Judæi Isaiæ pluvias bibunt, nec tamen in eis intelligunt, quantam claritatem, videndo futura in mentis oculis Isaias habuerit. Nobis autem prophetarum pluviæ eorum lucem et scientiam ostendunt, quia dum eas bibimus, quid viderint, intelligimus. « Nunquid nosti semitas nubium magnas, et per- « fectas scientias? » Has prophetarum magnas semitas, et perfectas scientias illas puto, quibus usque ad Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, et ascensionem prophetando venerunt. Hoc autem de apostolis apertissime intelligi potest.

« Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata « fuerit terra austro? » Uniuscujusque vestimentum ejus caro est, auster vero ventus calidus est. Hoc in loco Spiritum sanctum significat, qui apostolis in igne apparuit. Calescunt igitur vestimenta, cum terra austro perflatur; quia quando homo sancti Spiritus afflatione tangitur, ipsa ejus caro compunctionis et amoris ignem in se quodammodo sentit; et tale est, ac si diceret : Si te sancti Spiritus ignis, et afflatio tetigisset, nequaquam contra Deum te tua superbia erexisset. « Tu forsitan cum eo fabri- « catus es cœlos, qui solidissimi quasi ære sunt? « Ostende nobis, quid dicamus illi : nos quippe in- « volvimur tenebris. » Hoc autem irridendo dicit, ac si dicat : Tu qui cum Deo contendis, fortasse simi-

Digitized by Google

lis ejus es, et cum eo fabricatus es cœlos; doce igitur nos, quid illi dicamus, et quomodo ei respondeamus. Tu enim solus sapiens es; nos quippe involvimur tenebris et ignorantia. Possumus autem per cœlos, angelos et sanctos intelligere, qui quoniam in Dei amore, et in fide fortes sunt, ærei, solidique dicuntur. « Quis narrabit ei quæ loquor? « Etiam si locutus fuerit homo, devorabitur. » Quis, inquit, narrabit ei, quæ loquor, ut hac saltem mea locutione se defendat, qui quamvis ad majorum comparationem loqui nesciam, tibi tamen me respondere posse non diffiteo? Sed quid de me, vel de te dico? Etiam si locutus fuerit homo, ejus scientia devorabitur, et quasi jam sepultus, quid ei respondeat, non habebit. Quid est enim homo? Nunquid et isti homines noverant? Homo enim hic pro sapientia ponitur. Hoc enim inter sapientes et cæteros homines, quod inter hominem et cætera animalia. Tales autem homines non in Veteri, sed in Novo Testamento abundant. Unde et subditur : « At nunc non « vident lucem : subito aer cogetur nubes, et ventus « transiens fugabit eas. » Nunc, inquit, homines ignorantiæ tenebris involuti, lucem et veritatem discernere non possunt. Nunc, inquam, aliter enim postea fiet. Sicut enim aer subito cogitur in nubes, quibus caligine et obscuritate cuncta obumbrantur; sed mox vento transeunte, nubibusque fugatis ad pristinam claritatem omnia redeunt; ita illi, qui post nos futuri sunt de ignorantiæ tenebris liberati, clare et manifeste veritatem conspicient. « Ab aquilone aurum venit, et ad Deum formidolosa laudatio. » Per aquilonem eos intelligimus, in quibus diabolus sedebat et habitabat; sicut ipse ait : « Sedebo in monte **286** Testamenti, in lateribus aquilonis, et ero similis altissimo (*Isa.* XIV. 13). » Aurum autem justorum animæ sunt, baptismo pœnitentiæ, et martyrii igne purgatæ. Venit autem ad Deum et formidolosa laudatio, quoniam isti de quibus nunc dximus, considerantes peccata sua, considerantes etiam quod scriptum est : « Quia non est (372) pretiosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9), » non sine timore et formidine Deum laudant. Sequitur :

« Digne eum invenire non possumus, magnus for- « titudine, et judicio, et justitia, et enarrari non « potest. » In his, inquit, quæ fecit, Dei magnitudinem cognoscere secundum aliquid possumus (373). Nam neque ejus fortitudinis magnitudo, neque ejus judicium, neque ejus justitia enarrari possibile est. Quis enim intelligat qua fortitudine cœlum et terram fecerit? Quis ejus judicia narrabit? de quibus Psalmista ait : « Judicia tua abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7). » Quis hanc justitiam investigabit, cur Jacob dilexerit, Esau autem odio habuerit? Sufficiat igitur nobis credere et timere quod intelligere non datur.

A Unde et subjicitur : « Ideo timebunt eum viri, et non « audebunt eum contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes. » Viri enim, et sapientes eum timent; quia « initium sapientiæ timor Domini (*Eccl.* I, 26). » Qui vero non sunt sapientes, et se sapientes esse putant, ut arrogantes Judæi, philosophi, et hæretici, eum contemplari non audebunt; quando dicetur eis : « Tollantur impii, ne videant gloriam Dei (*Isa.* XXVI, 10). » Miseri igitur sapientes, quia ipsam sapientiam intueri non audebunt.

CAPUT XXXVIII.

B « Respondens autem Dominus Job de turbine dixit (374). » Quia enim flagellis turbatus Job affligebatur, de turbine ei Dominus respondisse narratur : « Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Accinge sicut vir lumbos tuos, « interrogabo te, et responde mihi. » Quamvis enim bene sententias dixerit, imperitis tamen sermonibus eas involvit, quoniam arroganter locutus fuit. Quoniam autem nescire Dei, reprobare est, illum te profecto reprobare ostendit, de quo ipse, quia omnia novit, interrogat quis sit. Accinge, inquit, sicut vir lumbos tuos, accinge tibi gladium spiritus, quod est verbum Dei, præpara te ad respondendum, major tibi pugna paratur; ego te interrogabo, jam non homini, sed Deo es responsurus.

« Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? « Indica mihi, si habes intelligentiam Quis posuit C « mensuras ejus, si nosti? Vel quis tetendit super « eam lineam? Super quo bases ejus solidatæ sunt? « Aut quis dimisit lapidem angularem ejus? » Hæc enim et ad litteram mira et stupenda sunt. Spiritualiter autem de Ecclesia intelligenda sunt; Ecclesiæ namque fundamenta, prophetæ et apostoli sunt; unde et Apostolus : « Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II, 20). » Hæc autem fundamenta Deus ante tempora posuit; quia quando, vel quomodo ponenda erant, tempora disposuit. Ecclesiæ vero mensuras tunc posuit Christus, quando præcepit discipulis suis, dicens : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 19). » Eamdem igitur mensuram habet Ecclesia, quam habet mundus. Lineam D vero super eam tetendit; sive quia per episcopatus eam divisit, sive quia ad rectitudinis formam, eam correxit. Ubi enim linea ponitur, tortitudo se celare non potest. Bases autem illius, quas modo fundamentum vocavit, super quo, nisi super Christo solidatæ sunt? Ipse enim non solum fundamentum, sed fundamentorum fundamentum est, secundum illud Apostoli : « Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, nisi id, quod positum est; id est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » Et ipse quidem est lapis an-

(372) Vulgata legit *speciosa*.

(373) Idem ab Apostolo docemur : *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas.* Rom. I, 20

(374) « Quod quidem potest ad litteram intelligi, ut dicatur formatam esse vocem Dei miraculose in aere cum quadam aeris turbatione, sicut in monte Sinai factum legitur. Exod. XX, vel sicut ad Christum vox facta est, quando quidam dixerunt, tonitruum factum esse, ut legitur, » Joan. XII, D. Thom.

Digitized by Google

gularis, conjungens in unam fidem duos parietes ; alterum ex circumcisione, alterum ex præputio. De quo Psalmista : « Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Psal.* CXVII, 22.) »

« Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei. » Astra enim matutina, vel angeli, qui in ipso mundi principio creati sunt, vel apostoli, qui in exordio nascentis Ecclesiæ primi claruerunt intelligi possunt. Omnes autem filii Dei, omnis angelorum fidelium multitudo significari potest. Isti autem omnes Deum laudant et ineffabiliter jubilant; nam priusquam fierent, in ipsa Dei dispositione, jam Deum laudabant, eique jubilabant. Ut enim de nobis sumamus exemplum, quando bonum aliquod facere disponimus, ipsa dispositio nostra nos nobis commendat. Quid igitur Job de sua justitia dicat, cum multos pares habeat, et antequam fieret, ut talis esset, non a se, sed a Deo dispositus est ? « Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens ? Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem ? » Quid enim per mare, nisi mundi hujus tyrannos et potentes? Hos non muro, sed ostiis sæpe Deus concludit, **287** quia contra sanctos sævire non possunt, nisi sæviendi portas ei Deus aperiat, et affligendi bonos licentiam tribuat. Unde et Dominus discipulis ait : « Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum (*Luc.* XXII, 31). » Illi autem quasi de vulva procedentes erumpunt, quando accepta potestate totis viribus contra sanctos insaniunt. Impetu enim, et non ratione de vulva exitur. Et hi quidem sic nube et caligine quasi pannis infantiæ sunt involuti, quia errore et ignorantia excæcati, nihil nisi vana, inepta, et puerilia sapiunt; ideoque quasi infantiæ pannis his constricti, nec ipsa sua membra in potestate habent. Hoc autem se Deus facere dicit, quoniam fieri permittit ; sic enim de Pharaone ait : « Ego indurabo cor ejus (*Exod.* VII, 3). »

« Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia, et dixi : Huc usque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. » Suis enim terminis supradictum mare, id est tyrannos Deus circumdedit, quia et sæviendi et vivendi eis terminum posuit, ad quem terminum postquam veniunt, quasi vecte opposito et ostiis clausis, jam ulterius progredi nequeunt. Ibi igitur tumentes fluctus suos confringunt; quoniam vel morte, vel conversione, vel potestatis amissione, vel alia qualibet occasione ab insania et iniquitate quiescunt.

« Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum? Et tenuisti concutiens extrema terræ, et excussisti impios ex ea ? » Subauditur, ut ego. Christus enim post ortum suum diluculo præcepit, et locum suum auroræ ostendit; quia postquam temporaliter de virgine natus est, Ecclesiam docuit, et ad quem locum venire, et in æternum debeat manere ostendit. Idem enim per diluculum, et auroram intelligitur. Tenuit etiam extrema terræ, quia infirma mundi elegit Deus, concutiens vitiorum tineas ex ea, et non tantum hoc, sed etiam impios Judæos et hæreticos separans, et excutiens ab ea; de quibus subditur : « Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum. » De hoc signaculo Apostolus dicit : « Et signum accepit circumcisionem, signaculum justitiæ fidei (*Rom.* IV, 11). » Per signaculum igitur eos qui signati sunt intelligamus. Hi autem restituuntur, ut lutum, quia jam non cœlo, sed terræ similati, et ut lutum platearum deleti, a cunctis gentibus conculcantur. Stant autem quasi vestimentum, quia prava intelligentia tumescentes Christi carni, et humanitati non appropinquant; appropinquarent enim si crederent. Illa enim vestimenta, quæ rigida stant, grossiora sunt, et quasi fugientia corpori aptari non possunt.

« Auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur. » Quia, inquit, Judæi quasi vestimentum rigidi et superbi Christo se conjungere nolunt, lux sua, lux mundi Deus, lux eis specialiter missa, auferetur ab eis. Et brachium excelsum confringetur; quia sicut prius unus persequebatur mille, et duo fugabant decem millia. « Nunquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti ? Nunquid apertæ tibi sunt portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti? Nunquid considerasti latitudinem terræ ? » Subauditur, ut ego. Mare hoc in loco et abyssum, infernum vocat, quia et profundissimus et obscurus est. In hunc autem Christus descendit, quando eum exspoliavit. Et quoniam, sicut scriptum est : « Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII, 5), » in eo deambulasse se dicit. Et ibi quidem sunt portæ mortis, ibi sunt ostia tenebrosa, per quæ vel inferni pœnas, vel malignos spiritus intelligere possumus. Hæ autem portæ illi sunt apertæ, qui per eas securus et intrat et exit. Sed quia inde Salvator noster rediens, mundi principe devicto, discipulos suos in omnes terras prædicare misit, ideo subditur : « Nunquid considerasti latitudinem terræ? » Ipsum enim considerasse, convertere fuit. « Indica mihi, si nosti omnia, in qua via habitet lux, et tenebrarum quis sit locus : ut ducas unumquemque ad terminos suos, et intelligas semitas domus ejus. « Sciebas tunc, quod nasciturus esses, aut numerum dierum tuorum noveras? » Nisi enim sequeretur, ut ducas unumquemque ad terminos suos; fortasse lucis et tenebrarum locus sciri posset. Via enim lucis justitia est, et quæcunque nos ducunt ad Deum, et ad lucem. Locus autem tenebrarum non solum infernus, verum etiam omnium iniquorum animus intelligi potest. Sed quoniam et Judas periit, et Paulus salvatus est, lucis nemo et tenebrarum terminum perfecte novit, nisi ille solus qui omnia novit. Quis enim Judam inter apostolos miracula facientem vidit, et non eum ad lucem venturum esse credidit ? Quis Paulum sævientem, et sanctos occidentem co-

Digitized by Google

gnovit, et non ei tenebræ, et infernum destinavit? Manifestum est igitur, quod nemo unusquisque ad terminum suum ducat, et ejus domus semitas nemo intelligat; si enim semitas sciret, domum non ignoraret : domus autem aut infernus est, aut paradisus. Sed quomodo terminum sciat, qui principium ignorat? In Dei namque dispositione uniuscujusque nativitas, dies, et anni, tota vita, et vitæ terminus disposita sunt. Quando autem ista disponebantur (si tamen quando vel dici, vel intelligi possit) nemo erat, neque nativitatem, neque dierum suorum numerum terminumque sciebat. Et hoc est, quod ait : « Sciebas tunc quod nasciturus esses? Et numerum « dierum tuorum noveras? Nunquid ingressus es « thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, « quæ præparavi in tempore hostis, in die pugnæ et « 288 belli? » Quia thesauros dicit, bonas nives, grandinesque significat. Quid enim per nives et grandines, nisi Ecclesiæ doctores? Qui quoniam mundi et candidi sunt, nix vocantur : quoniam vero in virtute et potentia prædicantes, et futuri judicii tormenta minantes, peccatores terrent, non immerito grando dicuntur. Hos autem præparavit Dominus in tempore hostis, et in die pugnæ et belli; quoniam isti a Judæis, tyrannis, et hæreticis, et a malignis spiritibus semper Ecclesiam defendunt. « Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus « super terram? » Ipse respondeat : « Ego, inquit, « sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). » Per hanc autem spargitur lux, ut ipse ait : « Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII, 12). » Hæc igitur via lumen spargit, quia simul lux est et vita. Ab eo autem et æstus dividitur super terram, quoniam Salvator noster suæ fidei mensuram, et Spiritus sancti gratiam unicuique tribuit. Ipse enim ait : « Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos; « cum assumptus fuero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI, 7). »

« Qui dedit vehementissimo imbri cursum, et « viam sonantis tonitrui; ut plueret super terram, « absque homine in deserto, ubi nullus mortalium « commoratur. Ut impleret inviam et desolatam, « et produceret herbas virentes. » Doctrinam enim evangelicam, vehementissimum imbrem et tonitruum dicit; quoniam subito et abundanter totum mundum irrigavit, et multorum vocem tonitruum insonuit. Huic autem doctrinæ cursum, et viam, et tantam efficaciam ipse Dominus dedit, ut super terram et in deserto plueret, ubi non homines qui ratione uterentur, sed bestiæ et bruta animalia habitabant, quæ et ligna et lapides adorabant. Unde Apostolus ait quod ad bestias pugnaverit Ephesi. Ex his tamen bestiis, jam ad fidem conversis, invia et desolata, id est sancta Ecclesia, et peccatoribus collecta, plena est. Et in hac quidem Dominus quotidie producit, et abundare facit herbas virentes, id est doctrinam Novi Testamenti, quæ et nova est, semperque vivens et virens; de qua et subditur. « Quis est « pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris? » Quis enim alius est pluviæ pater, nisi ille de quo dicitur : « Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum (*Eccli.* I, 1). » Ipse autem genuit, et stillas roris, id est mitem humilemque doctrinam, de qua Apostolus ait : « Lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III, 2). » Doctrina enim evangelica, diverso respectu, grando, tempestas, vehementissimus imber, sonitus tonitrui, pluvia, stilla, gutta, et ros vocatur; vocatur etiam glacies et gelu. Unde et subditur : « De cujus utero « egressa est glacies, et gelu de cœlo quis genuit? » Ipse enim qui genuit pluviam, genuit et gelu glaciem, quia ipse, qui dedit Novum, dedit et Vetus Testamentum. Vetus enim Testamentum, quia frigidum est (frigidum quidem, quia occidit) glacies et gelu vocatur; inde enim et mors frigida dicitur; sed audi Apostolum : « Littera occidit (*II Cor.* III, 6); » itemque : « Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? » (*Ibid.*, 7.) Quod vero ait : « Et gelu de cœlo quis genuit? » Hoc est quod alibi dicitur : « Vos vidistis, quod de cœlo locutus sim vobis (*Exod.* XX, 22). » — « In si- « militudinem lapidis aquæ durantur, et superficies « abyssi constringitur. » Aquæ enim sanctarum Scripturarum (quæ spiritualiter intellectæ facile sorbentur) Judæis non solum in glacies, sed etiam in lapides induratæ, nec radi, nec mundari possunt. Illis autem constringitur abyssi superficies, quibus ipsius Testamenti littera non aperitur. De hac enim abysso dicitur : « Abyssus abyssum invocat (*Psal.* XLI, 8). » Hujus autem superficies littera est.

« Nunquid conjungere valebis micantes stellas, « Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? » Septem enim stellæ sunt, quæ Pleiades vocantur, valde sibi vicinæ, sed non penitus conjunctæ, per quas omnes mundi Ecclesias intelligimus. Illæ enim et fide conjunctæ et loco divisæ sunt; sed tunc plenius conjungentur, quando intra muros cœlestis Jerusalem simul a Deo colligentur. Per Arcturum autem qui in ipsa cœli firmitate consistit, Ecclesiæ doctores, qui cæteris præsident, figurantur; hi enim prædicando mundum circumdant, et gyrant. Horum autem gyrum tunc Dominus dissipabit, quando eos ab hoc tanto labore quiescere faciet. « Nunquid « produces luciferum in tempore suo, et vesperum « super filios terræ consurgere facis? » Subauditur, ut ego. Ut enim per luciferum, Christum, ita per vesperum significat Antichristum, quoniam ille diem, et claritatem, iste vero tenebras, et noctem affert. Produxit igitur luciferum in tempore suo, quia : « Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (*Gal.* IV, 4). » Faciet autem consurgere vesperum super filios terræ, quia terrenis, et peccatoribus Antichristum dominari permittet. « Nun- « quid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus « in terra? » Hoc est enim, quod semper oramus : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra (*Matth.*

Digitized by Google

vi, 10). » Christus enim cœli ordinem, rationem, et concordiam in terra posuit, quia ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, ad illius enim ordinis exemplar regitur Ecclesia. « Nunquid elevabis in « nebula vocem tuam, impetus aquarum operiet te? » Christus enim vocem suam in nebula levabat, quia plerumque obscure, et in parabolis loquebatur. Impetus autem aquarum eum operiebat, quoniam affluentia Spiritus sancti, et omnis scientiæ plenitudo in ejus locutione abundabat : secundum illud : « Diffusa **289** est gratia in labiis tuis. Nunquid « mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : « Adsumus? » Quid enim per fulgura, nisi apostolos miraculis coruscantes, et sententiarum ictibus, et fulgure vitia, et malignos spiritus ubique fugantes? Hos autem ad prædicandum Dominus misit. Qui semper ad eum revertebantur, quoniam in ejus nomine cuncta operabantur, et quia semper ad obediendum parati erant, semper ei, adsumus, responderunt. Qui enim obedire non vult, quamvis sæpe vocatus, vix aliquando respondet.

« Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? « Vel quis dedit gallo intelligentiam? Quis enarrabit « cœlorum rationem, et concentum cœli quis dormire « faciet? Quando fundebatur pulvis in terram, et « glebæ compingebantur. » Solus enim Deus et homini sapientiam, et gallo intelligentiam dedit; de hoc enim gallo scriptum est : « Gallus succinctus renibus, non est rex qui resistat ei (*Prov.* xxx, 32). » Per hunc doctores intelligimus, quorum voce cæteri excitantur. Quantus gallus ille erat, qui dicebat : « Vigilate, justi, et nolite peccare (*I Cor.* xv, 34). » Narravit quoque Dominus cœlorum rationem, quia ad sanctorum exemplum cæteros informavit. Quoties enim in Evangelio invenitur : simile est regnum cœlorum illi, et illi. Ipse autem concentum cœli quandoque dormire facit, quia sanctorum prædicationem aliquando cessare et quiescere jubebit. Sed quando fiet hoc? Vis audire quando? Quando fundebatur pulvis super terram. Quid est enim, quod hic de futuro interrogatur et de præterito respondetur, nisi quia Deo et præterita et futura præsentia sunt? In sæculi namque consummatione pulvis in terram fundetur, quoniam corpora in pulverem redacta, quasi a principio, solidabuntur. Et tunc glebæ compingentur, quia cœnosa illa terra simul collecta, et adunata resurget.

« Nunquid capies leænæ prædam, aut animam « catulorum ejus implebis, quando cubant in antris, « et in specubus insidiantur? » Leæna propter fortitudinem Ecclesia dicitur; scriptum est enim : « Quia justus ut leo confidit (*Prov.* xxviii, 1). » Hujus maritus est leo ille magnus de tribu Juda, qui suæ quidem leænæ prædam capit, quoniam et si prædicatores verbi Dei retia tendant, ipse tamen interius corda convertit. Unde ipse ait : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv, 6). » Et Apostolus : « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (*I Cor.* iii, 7). » Ipse quoque ejus catulorum animam implet, quia episcoporum et sacerdotum desideria complet, dum Ecclesiam suam multiplicat et exaltat. Et isti quidem cubant in antris, et in specubus insidiantur; quoniam ut seductores et veraces multis modis ad fidem infideles trahere conantur. Quid enim eorum blandimenta et persuasio, nisi specus et antra quædam sunt? « Quis præparat corvo escam suam, « quando pulli ejus ad Deum clamant vagantes, eo « quod non habeant cibos? » Quam modo leænam dixit, nunc corvum appellat. Hæc enim in Canticis canticorum corvum se intelligens, ait : « Nigra sum, sed formosa (*Cant.* i, 5). » Unde Apostolus : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v, 10). » Huic autem et spiritualem, et corporalem escam Dominus præparat, quando pulli ejus clamantes dicunt : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Matth.* vi, 11). » Vagantur autem isti pulli propter cibum, quoniam ut spiritualibus deliciis animam satient, et Novi et Veteris Testamenti, et apostolorum et prophetarum mensas laboriose scrutantur.

CAPUT XXXIX.

« Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, « vel parturientes cervas observasti? Dinumerasti « menses conceptus earum, et scisti tempus partus « earum? Incurvantur ad fetum, et pariunt, et rugi« tus emittunt. » Hoc est quod in Evangelio Dominus ait : « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium (*Joan.* xvi, 21). » Ibices enim, parva quædam animalia sunt quæ in petris pariunt, quæ etiam de excelsis rupibus cadentes, se in suis cornibus sine læsione suscipiunt. Per has autem apostolos intelligimus, qui per aquam et spiritum in petris, id est in Ecclesiis generantes filios, et in fide cornibus, et fortitudine se suscipientes, nullius adversitatis casum timebant. « Sancti enim per fidem, ait Apostolus, vicerunt regna (*Hebr.* xi, 35). » Et Psalmista : « Exaltabuntur, inquit, cornua justi (*Psal.* lxxiv, 11). » Cervæ autem parturientes, omnes mundi hujus Ecclesiæ sunt. In multis enim cervarum naturam imitatur Ecclesia. Nam et agilis est, et serpentes necat, et incurvata parit, et pariens rugitus emittit. Incurvatus enim Apostolus pariebat, cum diceret : « Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem (*I Cor.* ix, 16); » multum enim in partu se curvaverat, qui ut omnes Deo pareret, omnibus se et per omnia humiliavit. Non autem sine rugitu Ecclesia parit; quia sine prædicationis et orationis voce filios non generat. Quæ quidem, quoniam et quotidie parit, et usque ad sæculi consummationem parere non cessabit, illius conceptionis et parturitionis menses nemo valet dinumerare.

« Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus « qui solvit? Cui dedi in solitudine domum, et taber« nacula ejus in terra salsuginis, contemnit multi« tudinem civitatis, clamorem exactoris non audit,

Digitized by Google

« circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quo- A « que perquirit. » Hoc de perfectioribus intelligitur; **290** qui ut liberius, et familiarius Deo serviant, omnem mundi gloriam contemnentes, hominum conversationem fugiunt, et ad remotiora et solitaria loca se conferunt. Paulus, et Antonius, et Hilario sint in exemplum. Isti enim, ut onagri, omni mundana servitute liberi, et cunctarum sollicitudinum vinculis absoluti, domos sibi et tabernacula in solitudine et in terra salsuginis elegerunt, qui quoniam de solitudine non recedebant, non immerito onagri dicuntur. Contemnebant enim multitudinem civitatis, quia nec honores, nec dignitates appetebant. Noster autem quotidianus exactor venter est, cui lege naturæ quotidie cibi potusque debitum solvere oportet. Circumspiciebant autem montes pascuæ B suæ, magisque in spiritualibus cibis, quam in carnalibus delectabantur, quos de sacris voluminibus et apostolorum, et prophetarum exemplis suscipiebant. Et virentia quæque perquirebant, quia non cibum, qui perit, sed qui permanet, appetebant.

« Nunquid volet rhinoceros servire tibi, et mora- « bitur ad præsepe tuum? » Rhinoceros enim, qui et unicornis dicitur, ferocissimum animal est, per quem hujus sæculi potentes intelligimus. Dicatur ergo. Nunquid hujus sæculi potentes, reges, imperatores et principes, qui mihi serviunt, servient tibi? Et morabuntur ad præsepe tuum, sicut morantur ad meum; quos nunc fidei doctrinam, et evangelicam prædicationem audire delectat? Humiliare igitur mihi, qui tam potentes homines mihi se humiliare cognoscis. « Nunquid alligabis rhinocerotem « ad arandum loro tuo? » Sicut ego? Ligavit enim Deus potentes ad arandum, quoniam et ipsi peccare metuentes in Dei agro desudant et laborant. Huic enim aratro ligatus non est, qui neque bonum agit, neque peccare timet. Sic enim Constantinus imperator et Justinianus arabant, quando in Ecclesiæ defensionem leges constituebant. « Aut confrin- « get glebas vallium post te? Sicut confringit post « me. » Glebæ enim vallium, quæ semen in planum cadere et crescere prohibent, iniqui homines sunt, qui evangelicæ prædicationi contradicunt. Hos autem imperatores et principes frangebant, quia isti eorum terrore verbi semen impedire metuebant. « Nunquid fiduciam habes in magna fortitu- « dine ejus, et derelinques ei labores tuos? » Dei namque labor Ecclesia est, quam ipse non solum prædicando, sed moriendo acquisivit. Hanc autem hujus sæculi potentibus Dominus fiducialiter dereliquit, quoniam eorum terrore, nec aliam fidem in ea alii prædicare audent, nec ipsa etiamsi prædicaretur, palam suscipere auderet. « Nunquid credes « ei, quoniam reddat sementem tibi, et arcam tuam « congreget? » Sementem enim potentes reddunt ei; postquam verbi semen audiunt et intelligunt, justitiæ, pietatis et misericordiæ opera faciunt, alioquin semen in eis periit. Arcam autem, id est Ecclesiam congregant, quando suis edictis eam protegunt atque defendunt. Hæc nunc de beato apostolo Paulo interpretemur, de quo et specialiter dicta esse videntur. Ipse enim, ut fortissimus unicornis, Ecclesiam persequens, ab omnibus timebatur; sed mox conversus, et Christi servus, et in Evangelii præsepio commoratus, et pastus, et fidei catena ligatus in agro Dei arare et triturare cœpit. Unde ipse ait: « Non alligabis os bovi trituranti (*I Cor.* IX, 9). » Mox igitur glebas vallium fregit, quia Scribas et Pharisæos ad fidem convertit. In cujus magna fortitudine Deus fiduciam habens, sanctam Ecclesiam ei commisit et commendavit. Ipse vero et sementem multiplicatam reddidit, et Dei arcam fidelissime congregavit.

« Penna struthionum similis est pennis herodii B « et accipitris, quæ dereliquit in terra ova sua; « tu forsitan in pulvere calefacies ea. » Sicut enim per rhinocerotem viros catholicos et sanctos, ita per struthionem hypocritam designat, qui quamvis in pennarum specie herodio et accipitri similis sit, differt tamen, quoniam volare et alis suis se ad superos levare non potest. Sic igitur et hypocrita, simulatione quidem sanctus et justus apparebit, virtutum tamen alis ad cœlestia non levatur. Derelinquit struthio in terra ova sua, quoniam hypocrita eos, quos Domino genuit, a terrena et carnali conversatione liberare non curat: vult enim non esse, et apparere bonus. Hos autem in pulvere Deus calefaciens, paulatim ad sui amorem convertit. Cum enim aliquis adhuc in fide infirmus, inter pec- C catores, cum quibus, quasi in pulvere conversatur, sancti Spiritus igne calefactus, totum se subito ad Deum convertit, tunc quidem struthionis ova in pulvere calefiunt. « Obliviscetur, quod pes « conculcet ea, aut bestiæ agri conterant. » Pes enim ova conculcat et bestia conterit, quia hypocritarum proles dum in pulvere jacet, et soli corpori servit, a diabolo conculcatur. Hoc autem, quia hypocrita parvipendit, oblitus esse dicitur. « Du- « ratur ad filios suos, quasi non sint sui; frustra « laboravit, nullo timore cogente. » Durus enim ille est filiis suis, qui de illorum salute non curat. Frustra vero laborat, qui pro lucro temporali et pro vana gloria sanctitatem et justitiam simulat. D Hoc autem agit hypocrita, nullo timore cogente, quia hoc non ageret, si Deum et judicium timuisset. Sed non mirum. « Privavit autem eum Deus « sapientia, nec dedit illi intelligentiam. » Hæc est igitur causa, quod struthio, id est hypocrita frustra, et inutiliter laborat. « Cum tempus fue- « rit, alas in altum erigit, deridet equum, et ascen- « sorem ejus. » Alas enim tunc hypocrita erigit **291** in altum, quando suæ simulationis virtutes ostendat. Hoc autem facit, cum tempus fuerit, id est cum a multis se videri et laudari senserit: « Omnia enim opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus (*Matth.* XXIII, 5). » Sed quid per equum et ascensorem ejus, nisi virum justum, et ipsam qua regitur justitiam intelligamus? Hos autem hypocrita

Digitized by Google

deridet, quia gloriam et honorem, qui justo et justitiæ debetur, ipse sibi arrogat, suæque simulationi, et non tantum ille pro vera, quantum iste pro ficta virtute laudatur. « Nunquid præbebis equo fortitudi- « nem? aut circumdabis collo ejus hinnitum? nun- « quid suscitabis eum quasi locustas? gloria narium « ejus terror. » Equus enim iste Ecclesiæ doctores significat, quibus et fortitudinem Dominus dedit, et æquitatis freno gubernat et regit. Quibus etiam circa collum hinnitum posuit, quoniam non solum hinnire, et Deum laudare eis sufficit, verum etiam laudando et prædicando circumquaque audiri delectat. Ili autem suscitantur quasi locustæ, quia in majori æstu persecutionis fortius moventur et volant. Locustæ enim mane pigræ, meridie concitæ moventur et volant. Sed quid est quod ait: « Gloria narium « ejus terror? » Equus enim hinnitu narium suarum gloriam ostendit, quoniam majori impetu flatum emittit. Sic igitur Ecclesiæ doctores, quando spiritu intus ferveant, ostendunt quando minis et terroribus quatiuntur.

« Terram ungula fodit, exsultat audacter. » Quid enim per terram nisi peccatores? Quid per ungulam, nisi fortitudo figuratur? Terram igitur equus fodit ungula, quoniam sancti prædicatores tyrannorum corda forti responsione fodiunt et penetrant, Ideoque subditur: « Et exsultat audacter. » Audacter enim exsultant sancti, quia non timent eos qui occidunt corpus, quibus Dominus ait: « Ego dabo vobis os et sapientiam, quibus non possunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 25). »

« In occursum pergit armatis, contemnit pavo- « rem, nec cedit gladio. » Qui non intelligit, sanctorum passiones legat, et cognoscet eos pro defendenda justitia cunctis se opposuisse periculis. « Super « ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus. » Ipsa enim sanctorum prædicatio, pharetra eis, et hasta, et clypeus est; ex ea enim, quasi sagittæ, sententiæ prodeunt, cum ipsæ, velut cum forti hasta adversarios feriunt, et veluti clypeo se cum illa contra Judæos, et hæreticos, et philosophos protegunt et defendunt. « Fervens et fremens sorbet « terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. » Sancti enim prædicatores, ut ait Apostolus, spiritu ferventes et excelsa prædicationis voce frementes, terram, id est peccatores, sorbent, quoniam ad fidem eos vocantes Ecclesiæ corpori eos introducunt. Nec reputant tubæ sonare clangorem, quia propter iniquorum minas super se, et contra se intonantes et frementes a prædicatione non cessant. « Ubi « audierit buccinam, dicit, vah! procul odoratur « bellum, exhortationem ducum et ululatum exer- « citus. » Sancti enim prædicatores audita buccina dicunt, vah! quia quando persecutorum tumultum et insaniam jam sibi appropinquare sentiunt, confisi de victoria exsultant. Vah enim exsultationis vox est. Procul autem odorantur bellum, quia semper mori parati, desiderio illud exspectant. Quoniam autem non solum a tyrannis, sed etiam ab hæreti- A cis hoc bellum infertur; ideo subdidit, dicens: « Exhortationem ducum et ululatum exercitus. » Duces enim, hæresiarchæ intelliguntur, quorum exercitus est omnis hæreticorum multitudo. Unde et duces quasi rationabiles se exhortantur; cæteri vero quasi irrationabiles sola feritate ululant et sine consideratione clamant.

« Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipi- « ter, et expandit alas suas ad austrum? » Accipiter enim, qui per singulos annos, austrinis flatibus, veteribus plumis exutus novis induitur, sanctos significat, qui afflatione sancti Spiritus quotidie innovantur, et veterem hominem cum actibus suis exuentes novum induunt. « Hoc autem non tua, sed « mea sapientia fit. Aut ad præceptum tuum eleva- B « bitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? In « petris manet, et in præruptis silicibus commora- « bitur, atque inacessis rupibus, inde contemplatur « escam, et de longe oculi ejus prospiciunt, pulli « ejus lambent sanguinem, et ubicunque cadaver « fuerit, statim adest. » Aquila enim illi intelliguntur, qui et altius volant, et subtilius cœlestia contemplantur. Talis aquila erat beatus Joannes, qui cœlo appropinquans ait: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Hæc autem « in arduis ponet nidum suum; » quoniam in cœlestibus regnis sanctorum habitatio est. Ibi igitur elevabitur aquila ad præceptum Dei. Interim autem « in petris manet, » id est in sanctorum dictis et exemplis quiescit. C Singuli enim prophetarum libri, petræ quæ lam sunt, qui et prærupti silices et rupes inaccesæ vocantur. Hoc autem ideo, quia difficilis via per eos fit, et cum magno labore intelliguntur. Non enim omnibus per hanc viam transire datur. In his igitur rupibus aquila manens contemplatur escam, quoniam hinc nisi illum panem vivum, qui de cœlo descendit, neque videt, neque intelligit. « Et de longe quidem oculi ejus conspiciunt, » quia nondum facie ad faciem, sed per speculum et in ænigmate vident. Fortasse autem ideo prophetarum libri, petræ, silices et rupes vocantur, quia primum lex in lapideis tabulis scripta fuit. Hujus vero aquilæ « pulli sanguinem » lambunt, **292** quoniam apostolorum et doctorum filii in Christi passione delectantur. Adest autem hæc aquila D ubicunque fuerit cadaver; quia sicut in Evangelio dicitur: « Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ (*Matth.* XXIV, 28). » Brevia quidem sunt hæc, sed his quibus scribimus brevia non sunt.

« Et adjecit Dominus, et locutus est de Job. « Nunquid qui contendit cum Deo tam facile con- « quiescit? Ubique qui arguit Deum, debet respon- « dere? » Dixisti, inquit, superius, disputare cum Deo cupio; ecce Deus loquitur tibi, quare non respondes? Quia enim beatus Job, audita ratione, conquievit, hæc ei a Domino ex magna dilectionis affectione dicuntur. Non enim Job ex illis erat qui veritatem defendere nolunt. Quod enim superius contendit, non malitia, sed ignorantia fecit. « Re-

Digitized by Google

« spondens autem Job Domino, dixit : « Quia levi- « ter locutus sum, respondere quid possum? manum « meam ponam super os meum. Unum locutus sum, « quod utinam non dixissem, et alterum, qui- « bus ultra non addam. » Ideo, inquit, tibi non respondeo, quia ex tui sermonis gravitate leviter me locutum esse cognosco, magisque de levitate mea silendo pœnitere, quam eam defendere volo. Manum meam ponam super os meum, ut hoc opere restituam, quod ore deliqui. Unum et alterum locutus sum, quod utinam non dixissem; scio enim quia ulterius ea non dicam, unum enim et alterum dixit, quia cogitatione et locutione deliquit; quoniam et corde et ore de flagello murmuravit.

CAPUT XL.

« Respondens autem Dominus Job de turbine, « dixit : Accinge sicut vir lumbos tuos, interroga- « bo te, et indica mihi. » Hæc autem superius exposita sunt. « Nunquid irritum facies judicium « meum, et condemnabis me, ut justificeris? » Qui enim de flagellis murmurat, flagellantem condemnat, et qui inter flagella se justum dicit, flagellantis judicium irritum facit. Nisi forte (ut in hoc loco) alia causa sit in flagellante, quam qui flagellatur, intelligit : nesciebat enim Job qua de causa flagellaretur. « Si habes brachium, sic- « ut Deus, et si voce simili tonas? Circumda tibi « decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, « et speciosis induere vestibus. » Dei enim brachium Christus est, per quem omnia fecit, et cujus fortitudine diabolum superavit. Tale enim brachium nullus habet. Sed quis voce simili tonat, qui dicendo omnia facit? « Fiat, inquit, lux, et facta est lux. Ipse enim dixit, et facta sunt (*Gen.* I, 3); » nullius igitur vox talis. Dicatur ergo : Si voce et fortitudine Deo similis es, circumda tibi decorem immortalitatis, et in sublime erigere, id est, super omnes cœlos ascende, et esto gloriosus sicut ille in sanctis suis. Et speciosis induere vestibus, ut ille, qui amictus lumine sicut vestimento lucem habitat inaccessibilem. Hoc autem dicens, eum ad impossibile ducit; unde adhuc subditur : « Disperge superbos « in furore suo (375), et respiciens omnem arro- « gantem humilia; » sicut ego, « qui depono po- « tentes de sede et exalto humiles. » Hoc autem fiet in judicio, quando illustratione adventus sui superbos et arrogantes humiliabit; de quibus subinfertur : « Respice cunctos superbos, et confunde eos, et con- « tere impios in loco suo. » Locus impiorum est locus impiis præparatus, quis alius est, nisi locus tormentorum? Unde et subditur : « Absconde eos « in pulvere, et facies eorum demerge in foveam. » Simul enim et uniformiter in pulvere absconduntur, qui vita privati et carne resoluti in pulverem revertuntur. Facies autem eorum in foveam mergitur, quoniam in infernum præcipitantur, in quo sine fine con- « teruntur et affliguntur. Et ego confitebor quod sal- « vare te possit dextera tua; » si hæc, subauditur, quæ dicta sunt facere possis. Ille solus sua dextera et fortitudine salvare, quos voluerit, potest, qui hæc omnia facere potest. « Ecce bechemoth, quem feci « tecum, fenum quasi bos comedet. » Valde, inquit, fortior et gloriosior te fuit bechemoth; ipse tamen confidens propter superbiam periit. Qui quamvis magnam adhuc habeat fortitudinem, tamen contra dexteram et brachium meum nihil potest. Bechemoth namque, qui *bellua* interpretatur, diabolum significat, qui simplicitatem angelicam deserens, in belluinam feritatem declinavit. « Ecce, inquit, bechemoth, quem feci tecum (376); » tecum quidem, quia te et illum feci. « Fenum quasi bos comedet, » quoniam illos devorabit, qui in feni ariditatem conversi, fidei viriditatem et florem virtutum amiserunt. De hoc enim feno per prophetam dicitur. « Vere fenum est populus, exsiccatum est fenum et cecidit flos (*Isa.* XL, 8). »

« Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in « umbilico ejus. » Viri enim luxuria in lumbis, feminæ vero in umbilico esse dicitur. Habet igitur diabolus vires et fortitudinem in lumbis et in umbilico, quoniam multos utriusque sexus per luxuriam vincit. Bene ejus dicit, quia illius sunt illa membra quibus dominatur. « Constringet caudam suam quasi « cedrum, nervi testiculorum ejus perplexi sunt. » Cauda **293** enim diaboli Antichristus erit, quoniam ultimus, et post omnes veniet : qui bene cedro comparatur, quia multum elevatus in magna fortitudine apparebit. Hunc autem diabolus constringet et amplexabitur, quia ex toto eum possidebit; unde et filius perditionis recte vocatur. Hujus autem testiculi illi sunt, per quos sibi filios generat, et suæ pravitatis et deceptionis semen effundit. Ossa enim diaboli, sapientiores et fortiores ejus ministri intelliguntur. Isti autem sunt velut fistulæ aeris, qui sua modulatione et dulci locutione homines decipiunt. Aeris namque fistulæ dulcem sonum reddunt. Sed quid de ossibus dicam, cum ipsa ejus cartilago, quæ utique ossibus satis mollior est, sit quasi laminæ ferreæ? Per quod et illos in diaboli corpore fortissimos esse significat qui vires et fortitudinem non habere putantur. Hæc autem ad Antichristi tempora rectissime referuntur, quia maxime tunc talia ossa, talemque cartilaginem diabolus habebit. « Ipse principium est viarum Dei, qui fecit « eum, applicavit gladium ejus. » Dei namque viarum, id est operationum diabolus principium est, quoniam inter omnes creaturas primus factus est. Applicavit autem Dominus gladium ejus, quia nisi plicatus esset, ne recta cuspide feriret, perpauci

(375) Per furorem Dei intelligitur gravis vindicta. D. Thom.

(376) « Potest dupliciter hoc verbum intelligi : uno modo, ut sit sensus : *Quem feci tecum*, id est quem feci sicut te; et hoc dicit ad excludendum errorem illorum qui, considerantes malitiam diaboli, æstimaverunt eum non esse Dei boni creaturam : alio modo, ut sit sensus : *Quem feci tecum*, id est similitudinem tecum habentem, quantum ad naturam intellectualem, quæ est in homine. » D. Thom.

Digitized by Google

ejus deceptionis gladium effugere possent. Quasi igitur plicato gladio ferit, quia minus, quam desiderat, percutit. « Huic montes herbas ferunt, omnes « bestiæ agri ludent ei. » Montes enim, divites et potentes accipiuntur, qui difficulter intrant in regna cœlorum. Isti autem diabolo herbas ferunt, quia de suis iniquis operationibus eum reficiunt. Cibi enim diaboli iniqua opera sunt. Omnes vero bestiæ agri ludunt ei, quia quicunque stulte, voluptuose et bestialiter vivant, ejus ludus et delectatio sunt. Ager enim, ut in Evangelio dicitur, est mundus. « Sub « umbra dormit in secreto calami, et in locis hu- « mentibus (377). » Per hæc genitalia loca significat. Sed cur ego exponere erubescam quod ipse Dominus dicere non erubuit? Umbra enim illa loca dicuntur, quæ ab omnibus occultantur et operiuntur; unde etiam verenda vocantur. In his igitur diabolus dormit, in his delectatur et quiescit. Sive etiam dormit sub umbra, id est in illis habitat, qui otiosam et voluptuosam vitam ducunt. Et in secreto calami, id est eorum cordibus, qui non solidi, sed ad similitudinem calami, fide, omnique bonitate vacui sunt. Et in locis humentibus, id est in ebriosis, qui semper vino inundant. Unde Apostolus : » — « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Ephes.* v, 18). « Protegunt « umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices « torrentis. » Ejus enim umbræ sunt quicunque ejus imaginem et similitudinem imitantur. In umbra enim quodammodo regis imago exprimitur. Umbræ igitur ejus protegunt umbram ejus, quando multi iniqui unum iniquum protegunt et defendunt. Sæpe enim videmus ad unius alicujus iniqui defensionem magnam iniquorum multitudinem convenire. Salices autem torrentis eum circumdant, quoniam ei semper illi assistunt et serviunt, qui et infructuosi sunt et in aquis tumultuosis rapidisque morantur; id est cum populis seditiosis et impiis habitare delectantur. « Aquæ multæ populi multi (*Apoc.* xvii, 15); » de quibus aquis adhuc subditur : « Ecce absorbebit « fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod « influat Jordanis in os ejus (378). » Fluvium peccatorum, et maxime gentilium et Judæorum multitudinem vocat. Hos autem absorbet bechemoth, et non mirabitur, quia non pro magno ducit ut tales decipiat. Habet enim fiduciam quod Jordanis, id est Christianorum et baptizatorum populus, influat in os ejus. Jordanis enim baptizatos significat, quoniam ibi cœpit baptismus. « In oculis ejus quasi « homo capiet eum, in sudibus perforabit nares « ejus. « Usque modo narravit fortitudinem bechemoth, nunc autem qualiter capiatur insinuat. Quando enim Christi divinitas carnem induit, tunc Christum se ipsum quasi hamum fecit, ut per ferrum divinitatem, per escam vero, carnem ejus intelligamus. Hunc autem hamum bechemoth videns concupivit, accessit et tentavit, et dum putat capere, captum est. Hoc autem in oculis suis, quia quem jam in miraculis cognoverat, et Dei Filium confessus fuerat, importuna voracitate invadere præsumpsit. « Et in sudibus perforabit nares ejus. » Quid enim per sudes, nisi Dei virtutem et potentiam intelligimus? His enim diaboli nares perforatæ, quamvis sagacissimi ingenii sit, nostri tamen secreta cordis, nisi per motus exteriores, ad plenum cognoscere et perscrutari non valet. Hoc autem a canibus trahitur, qui odore narium animalium vestigia sentiunt. Nam et diabolus canis est, secundum illud : « Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam (*Psal.* xxi, 21). » — « An extrahere po- « teris leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus? » Ecce jam alio nomine vocatur diabolus. Leviathan enim, qui Latine draco dicitur, *additamentum* 294 *eorum* interpretatur. Hoc autem per contrarium, quia dum oculorum lumen se primis parentibus addere promisit, immortalitatem ademit. Hunc autem supradicto hamo, id est, per Verbum carnem factum, de suorum fidelium mentibus Dominus abstraxit. Cujus quidem lingua fune ligato, quoniam Trinitatis fide, quæ triplex funiculus vocatur, ejus deceptionis persuasio et locutio valde refrenata est. Hoc igitur fune lingua ejus ligatur, quia non auditur, etiamsi loquatur. « Nunquid pones circulum in « naribus ejus, et armilla perforabis maxillam ejus? » Hoc enim loco circulus et armilla pene idem significant, quoniam et armilla circulus est. Nares autem et maxillæ quæ circulo constringuntur sui officii potentiam viresque amittunt. Merito igitur in naribus et in maxilla leviathan ligatus perhibetur, quoniam nec sagacitate decipere, nec maxillarum fortitudine confringere sanctos Dei valet, secundum sui desiderii aviditatem. Nunquid multiplicabit ad te preces aut loquetur tibi mollia? Quantum enim ad litteram preces leviathan Domino multiplicabat, quando maligni spiritus territi dicebant. « Quid nobis, et tibi, Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos, et si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos (*Matth.* viii, 29). » Quantum vero ad membra sua, et preces in judicio multiplicabit, et mollia ei loquetur, quia iniqui, qui ejus corpus, et membra sunt, veniam et misericordiam deprecabuntur. « Nunquid feriet te- « cum pactum, et accipies eum servum sempiter- « num? » Subauditur, ut ego. Hoc enim pactum cum Domino diabolus facit, ut sine ejus permissione neminem tentet, neminem affligat, atque in ipsa

(377) « Cum in *bechemot* magnam bestiam intelligat, id est elephantem in quo figuram diaboli ponit, ideo proprietates ejus enumerans ait : *Sub umbra dormit in secreto calami in locis humentibus;* et quia hoc animal non qualemcunque habitat umbram, sed condensam, subdit : *Protegunt umbræ umbram ejus*, ut scilicet inferior umbra per superiorem umbram contra æstum defendatur. » D. Th.

(378) « Hæc referuntur ad diabolum, in cujus figura dicuntur, significatur ejus præsumptio, qua se confidit de facili sibi incorporare per consensum omnes homines instabiles, etiamsi habeant aliquam Dei cognitionem : ad quod significandum inducitur specialiter de Jordane, qui est fluvius in terra, in qua vera Dei cognitio habebatur, » etc. D. Th.

Digitized by Google

tentatione vel afflictione modum a Deo positum custodiat. Et secundum hoc pactum non solum servus, verum etiam sempiternus servus dicitur, quia non solum nunc, sed etiam post hanc vitam sub hac ei conditione serviet. « Nunquid illudes ei quasi avi, « aut ligabis eum ancillis tuis? » Diabolus enim, et bechemoth, id est bellua dicitur propter feritatem, et leviathan, id est draco propter fortitudinem, et avis propter superbiam, quia super omnes cœlos volare voluit. Huic autem illusit Dominus quasi avi, quia Christi humanitatem, quasi escam ei opposuit, per quam eum cepit, ligavit et tenuit. Ligavit autem ancillis suis, de quibus Apostolus ait : « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi nobiles, non multi sapientes, non multi potentes sunt inter vos; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientia; et ignobilia, ut confundat fortia; et ea, quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I, 26). » Hæ sunt igitur ancillæ quibus ligatus est diabolus, ut vires et fortitudinem contra eas habere non possit, secundum illud : « Dominus con- « teret Satanam sub pedibus vestris velociter. Con- « cident eum amici, dividentillum negotiatores. » Hoc autem de toto ejus corpore intelligi debet, id est de tota iniquorum multitudine. Isti enim amici et negotiatores, doctores Ecclesiæ sunt. Negotiatores quidem, quia Evangelii merces pretio fidei commutant. Hi autem diaboli corpus concidunt et dividunt, quia quotidie inde aliquos separant et per fidem Ecclesiæ reconciliant. « Nunquid implebis sagenas « pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius. » Quid enim per sagenas, pisciumque gurgustium, nisi S. Ecclesiam intelligimus? In hanc enim pisces capiuntur et habitant; qui in aquis baptismatis regenerantur et natant. Pellis autem prædicti corporis leviathan, illi sunt, qui quasi sine veneno exterius positi, facilius convertuntur. At vero per caput, principales, fortiores et majores figurantur. Hujus autem corporis caput beatus Paulus aliquando fuit, ex quo maxima ex parte Ecclesia impleta. Sic igitur Dominus ex pelle et capite leviathan sagenas, et gurgustium piscium implet, quando ex illa iniqua multitudine, et minores et majores in Ecclesiam introducit. « Ponesne super eum manum tuam? » Subauditur, sicut ego meam. Ego, inquit, sic eum mea manu et potestate comprimo, ut absque mea jussione vel permissione nihil facere audeat. Hoc autem se non posse ex eo apparet quod tam violenter ab eo flagellaris; et hoc est quod ait : « Memento « belli, nec ultra addas loqui. » Id est considera in quo præjudicio tu es, et age pœnitentiam de his quæ inconsiderate et minus caute locutus es, et cogita quid respondeas Domino, qui sic flagellaris a servo. « Ecce spes ejus frustrabitur eum, et videntibus « cunctis præcipitabitur. » Sæpe enim spe sua diabolus præcipitabitur, quoniam multos ex his subito amittit, quos secum ad tormenta trahere sperabat. Quod quidem in beato Job ei contigisse probatur. Cunctis autem videntibus præcipitabitur, quoniam ejus damnationis sententiam et boni et mali audient, quando dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 42). »

CAPUT XLI.

Non quasi crudelis suscitabo eum : quis enim « resistere potest vultui meo? » Ac si ad superiora Job responderet, dicens : Cum tam fortis tamque iniquus sit iste leviathan, cur, Domine, contra fideles tuos sic eum suscitas? cur adversus eos sic eum sævire permittis? Ad quod ipse non quasi crudelis, inquit, suscitabo eum, id est, neque illorum obliviscar, neque hunc super illorum vires sævire permittam, neque patiar super id quod possunt; sed robur et fortitudinem illis dabo, quibus contra istius malitiam **295** resistere valeant. Quis enim vultui meo resistere valeat? Cur igitur timeat, quem ego defendo? Ego in eis sum, ego in eis pugno, ego sum qui civitatem custodio. Et ille : Si tu, inquit, Domine, eos custodis, quid est quod hujus deceptione tot homines puniri videmus? Et Dominus ad eum : « Et quis ante dedit mihi, ut reddam ei? « Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. » Ac si dicat : Quos defendo, misericordia est; quos non defendo, justitia est. Cum enim omnia mea sint, non mihi quasi mea omnia serviunt, quæ etiam si servirent, non tamen de suo, sed de meo mihi servirent. Nihil igitur mihi quasi ex debito requirere debent, qui nihil mihi ante dederunt. De hac profundissima quæstione Apostolus ait : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? » (*Rom.* XI, 33.) — « Non « parcam ei, et verbis potentibus ad deprecandum « compositis. » Hoc autem de toto corpore leviathan intelligitur, id est de tota iniquorum multitudine, quæ quamvis potentibus verbis et ad deprecandum compositis Deum exorent, non tamen parcet eis. Non enim verborum compositionem, sed cordis compunctionem, respicit Deus. Multa enim membra diaboli intra Ecclesiam sunt, quæ satis attente, constanter et composite Deum orare videntur. Deus tamen non verba sed opera, non preces sed corda intuetur. Unde et subditur : « Quis revelabit faciem indumenti ejus, et in « medium oris ejus quis intrabit? » Subaudi : nisi ego. Nostri enim oculi, quia infirmi sunt, non ea quæ interius latent, sed solum indumenti faciem vident; Deus autem indumenti faciem penetrans, ipsius cordis cogitationes considerat, secundum illud : « Homo videt in facie, Deus autem « in corde. » Intrat autem Dominus et in medio oris ejus, quia quidquid homo dicat, quidquid cogitet, Deus et in ore et in corde est, quia omnia perscrutatur. Non valet igitur homini composita deprecatio, quia « Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum (*Sap.* I, 5). » — « Portas vultus ejus quis aperiet? » Quando enim inferni portas Christus confregit, et

Digitized by Google

inde sanctorum animas secum tulit, tunc quidem portas aperuit quibus leviathan vultum suum, ne videretur, absconderat. Portæ quoque vultus ejus, hæretici dici possunt, quoniam per eos quasi portas intratur ante faciem et præsentiam ejus. Has autem portas Christus aperit, quando eorum hæreses manifestat. « Per gyrum dentium ejus formido. » Non solum enim portæ, sed et dentes diaboli dicuntur hæretici, quia quos capiendo devorant, diabolo repræsentant. Isti autem dentes per gyrum formidinem habent, quoniam qui ab eis capiuntur, a diabolo devorantur. Possumus autem et per formidinem, tyrannorum gladios intelligere, quibus hæretici sæpissime muniuntur. Quod quidem si ad Antichristi tempora referatur, perspicuum est; tunc enim verbis et gladiis hæretici pugnabunt. « Corpus illius quasi scuta fusilia, et compactum squamis se prementibus. » Membra namque diaboli quasi scuta fusilia sunt, quoniam dura valde et malitia obstinata, verbi Dei jacula a se repellunt. Conjunguntur autem quasi squamis se prementibus, quoniam iniquitate sibi concordi sese vicissim ad malitiam impellunt et premunt. Sæpe enim videmus iniquos homines sic se ad facinus invitantes, ut alter alterum trahat, et ire nolentem violenter impellat. « Una uni conjungitur, nec spiraculum quidem incedit per eas, una alteri adhærebit, et tenentes se nequaquam separabuntur. » Squamæ, inquit, leviathan, idem homines impii, ex quibus diaboli corpus conficitur, intantum sibi conjuncti sunt, et in nequitia concordes, ut ad invicem separari nequeant, et sanctæ prædicationis spiraculum per eos transire non valeat; invident enim alterutrum, et in luxuria, furto, rapina, homicidiis et his similibus alter altero non vult inferior esse. « Sternutatio ejus, splendor ignis, et oculi ejus ut palpebræ diluculi. » In sternutatione namque tanto impetu moventur spiritus, ut et si velit homo, eum retinere non possit. Sternutatio igitur diaboli Antichristus erit, quem tanto inflationis et superbiæ impetu contra Ecclesiam concitabit, quanto nemo unquam in hunc mundum venit. Hunc autem sequitur splendor ignis, id est ira, et indignatio, et fulgor miraculorum: dabit enim signa et prodigia multa. Oculi vero ejus illi erunt, per quos tunc suæ iniquitatis vias peccatoribus revelabit. Qui quoniam sapientia, et miraculis fulgebunt, palpebræ diluculi dicuntur. Quid est enim palpebra dilueuli, nisi manifestatio lucis et diei? At vero miraculorum operatio quædam dici et lucis manifestatio est. « De ore ejus lampades procedunt, sicut tædæ igni succensæ. » De ore namque diaboli procedunt lampades, quoniam ejus deceptionis verba ad vitiorum delectationem homines succendunt. Quæ verba, quoniam suaviter peccatoribus redolent, eosque delectant, tædæ dicuntur. Sed quoniam prava concupiscentia eos inflammat, igne dicuntur esse succensæ. « De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventes. » Quia enim per nares spiritus emittitur, per nares spiritus significatur. Procedit igitur fumus de naribus ejus, quoniam qui ejus iniquitatis spiritum suspiciunt, tenebrarum et caliginis fumo adumbrati veritatem reddere non possunt. Bene autem ollæ succensæ atque ferventi diabolus similatur, quoniam invidia, atque odio, et **296** mala voluntate semper ardet. « Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur. » Quid enim per prunas, nisi homines odio et ira succensos intelligamus? Hos enim diabolus ardere facit, quoniam sufflando sæpe ex minimis rebus magnas lites concitat. Sic igitur et flamma ex ejus ore egreditur, quia magna discordia ex ejus verbis generatur. « In collo ejus morabitur fortitudo, et faciem ejus præcedet egestas. » Fortitudo enim in ejus collo moratur, quoniam ex quo superbire cœpit, nunquam se postea ad pœnitentiam humiliavit. Faciem autem ejus præcedet egestas quia, priusquam Antichristus huic mundo appareat, magna divini eloquii egestas fiet; ut et per prophetam dicitur: « Ecce ego immittam in vos non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Membra carnium ejus cohærentia sibi. (*Ezech.* v, 17) » Hoc in ejus squamis supra exposuimus; membra namque carnium ejus, omnium iniquorum multitudo est. Hæc autem membra sibi cohærent, quia perfidia et iniquitate junguntur. « Mittet contra eum fulmina et ad locum alium non ferentur. » Omnium tormentorum impetus, et fulmina contra eum et membra ejus Dominus mittet; neque ad locum alium ferentur, quoniam isti soli, et non alii, affligentur. « Cor ejus indurabitur quasi lapis, et stringetur quasi malleatoris incus. » Semper enim diabolus induratur et nunquam ad pœnitentiam humiliatur. Ideoque constrictus et ligatus quasi malleatoris incus, æternis tormentorum ictibus contundetur. « Cum sublatus fuerit timebunt angeli, et territi purgabuntur (379). » Angeli Ecclesiæ, doctores intelliguntur, qui pluribus in locis angeli vocantur. Lege Apocalypsim, et invenies. Isti autem quando leviathan damnatum et ad præcipitandum sublatum viderint timebunt, ipsoque timore purgabuntur, si quid præteritæ corruptionis in eis fuerit (380). « Cum apprehenderit eum gladius subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax. » Ac si dicat: Quamvis semper superbus, impius et crudelis diabolus fuerit; tamen sævissimus erit, quando gladius eum apprehenderit. Gladius iste

(379) « Cum sublatus fuerit virtute divina de loco suo, timebunt angeli admirando divinam virtutem, in qua admiratione multi effectus divinæ virtutis eis innotescunt, et ideo subdit: *et territi purgabuntur:* Ut enim Dionysius dicit, cap. 5. De divinis nominibus. Angeli purgari dicuntur non ab immunditia, sed a nescientia, » etc. D. Thom.

(380) *Si enim Deus*, ut ait S. Petrus, II, II, 4, *angelis peccantibus non pepercit, neque hominibus non pœnitentibus parcit.*

Digitized by Google

Antichristus erit, qui multa millia hominum interficiet et a Deo separabit. Hic autem postquam diabolum apprehenderit, et in sui pectoris habitaculo plenissime susceperit, jam non poterit subsistere, neque hasta, neque thorax, quoniam nemo erit qui vel contra eum pugnare, vel se regendo defendere possit. Scripturarum namque scientia, et hasta nobis est, cum alios impugnamus, et thorax cum ab aliis impugnamur. « Reputabit enim quasi paleas, « ferrum, et quasi lignum putridum, æs. » Et ferrum, inquit, id est gladium spiritus, quod est verbum Dei. Et æs, id est clarissimum sonum sanctæ prædicationis, quasi paleas, et lignum putridum reputabit; quoniam nulla ei sapientia et eloquentia resistere valebit. Possunt autem per ferrum et æs Enoch et Elias significari. « Non fugabit eum vir « sagittarius, in stipulam ei versi sunt lapides « fundæ. » Omnis enim Evangelii prædicator, vir sagittarius et fundibularius est. Ipsa vero prædicatio et arcus et funda est : inde enim quasi sagittæ et lapides sententiæ prodeunt ad feriendos inimicos. Sed his non fugabitur leviathan, quoniam per illum hominem invasum, perditionisque filium, cunctos sibi adversantes despiciet, et pro nihilo ducet. « Quasi stipulam æstimabit malleum, et deridebit « vibrantem hastam. » Quasi stipulam, inquit, æstimabit malleum, quia pœnam futuri judicii parvipendet, cujus gravi pondere in æternum contundetur. Insuper et ipsum Deum deridebit, quem jam hastam vibrantem et pœnam præparantem intuetur; desperavit enim, et misericordiam quærere dedignatur; cuncta potius tormenta ferre paratus. « Sub ipso erunt radii solis, sternet sibi « aurum quasi lutum. » Solis namque radii quibus mundus illuminatur, sapientes significant, ex quibus multi, vel minis, vel blanditiis, vel promissionibus ab Antichristo subversi, diaboli se jugo subjicient. Hoc autem exponit, dicens : « sternit « sibi aurum quasi lutum; » id est eos, qui sapientia et virtutibus fulgere videbantur, non minus sibi subjiciet et prosternet, quam luteos terrenos et peccatores.

« Fervescere faciet, quasi ollam, profundum « mare, et ponet quasi cum unguenta bulliunt. » Quid enim profundum mare, nisi hujus sæculi majores et potentiores? Hos autem diabolus quasi ollam fervescere faciet, quia eos ad tantam insaniam concitabit, ut quicunque sanctorum diabolo parere et imaginem bestiæ, ut alibi legitur, adorare noluerit, confestim ab eis gladio feriatur. Et ponet hoc, quasi cum unguenta bulliunt, quia horum insaniam in Dei zelum et fervorem convertet, et in sanguine, quem fundebunt, quasi in suavissimo odore ungenti Deum delectari docebit. « Post eum lucebit « semita, æstimabit abyssum, quasi senescentem. » Semita namque lucebit post eum, quia miraculorum fulgor et fama eum sequetur. Sive quia post mortem filii ejus, id est Antichristi, omnis error et caligo auferetur. Æstimat autem abyssum quasi senescentem, quoniam infernum ejusque pœnas **297** quasi jam finitas et innocuas, et sine viribus reputat; quod enim veterascit et senescit, prope interitum est. Nescit enim superbus iste timere, unde et subditur : « Non est super terram potestas, « quæ comparatur ei, qui factus est ut nullum « timeret. » Non enim angelicæ naturæ aliquis homo comparari potest. Quamvis secundum ejus opinionem hoc intelligi valeat. Qui enim Deo similis esse voluit, cuilibet creaturæ par esse dedignatur. Factus est autem ut neminem timeret, non a Deo, sed a se; talem namque eum superbia fecit, ut nihil sit quod timere dignetur; cunctis enim se præfert, et in superbia elevatus, sub se quasi inferiora omnia conspicit. Unde nec ipsi suo Creatori ut se adoraret dicere timuit; et hoc est quod ait : « Omne « sublime videt, ipse est rex super omnes filios « superbiæ. » Omne enim sublime videt qui nihil in se humile sentit; ideoque ipse est rex, qui omnes superbiæ filios regit. Merito autem in radice et in fine suæ locutionis superbiam posuit, quia ipsa radix est omnium malorum.

CAPUT XLII.

« Respondens autem Job Domino dixit : Scio « quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. » Scio, inquit, quia omnia potes, et, sicut dixisti, non est qui possit resistere vultui tuo. Et nulla te latet cogitatio, qui ipsius leviathan occultas calliditates tam diligenter exposuisti. « Sed quis est iste, qui « celat consilium absque scientia? » Quis, inquit, est iste, qui tam stultus est ut calliditates suas scienti omnia celare conetur? « ideo insipienter locutus « sum, et quæ ultra modum excederent scientiam « meam. » In hoc etiam insipienter locutus sum qui in judicio tecum contendere volui. Si enim, quod verum est, nemo tibi resistere valet, frustra superius dixi, « et perveniat ad victoriam judicium meum. » In hoc etiam insipienter locutus sum, quia contra eam sapientiam sum locutus, quæ ultra modum excedit scientiam meam. Insipiens enim est qui cum eo contendit a quo et potentia et sapientia superatur. « Audi, et ego loquar, interrogabo, et responde mihi. » Quid est enim : « audi, et ego loquar, » nisi exaudi orationem et locutionem meam? Quid vero est : interrogabo, et responde mihi : nisi fac me intelligere desiderium meum, et ea quæ multum scire desidero manifesta. Sicut enim nos optando et deprecando Deum interrogamus, ita ipse nos exaudiendo et donando respondet. Unde etiam quasi jam exauditus beatus Job subinferens ait : « Auditu auris audivi « te, nunc autem oculus meus videt te, idcirco ipse « me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et « cinere. » Prius, inquit, et audivi, nunc autem video, quia tantum interest inter eam, quam prius habui, et eam, quam nunc de te habeo, cognitionem, quantum interest inter auditum et visum. Idcirco ipse me reprehendo, qui contra flagella tua vel cogitare, vel murmurare præsumpsi. « Et ago pœnitentiam in favilla et cinere. » Quid est in favilla et

Digitized by Google

cinere pœnitentiam agere, nisi favillam et cinerem se esse cognoscere? Qui enim hoc agit, in sua justitia non confidit.

« Postquam autem locutus est Dominus verba « hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themaniten : Iratus « est furor meus in te, et in duos amicos tuos; « quoniam non estis locuti coram me rectum sicut « servus meus Job. » In eo quod dicit coram me, non eodem animo, quo Job loquebatur, eos locutos fuisse, ostendit. Non enim quid dicatur considerat Deus. Unde et Job superius contra eos queritur, dicens : « Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis, super pupillum « irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. « Sumite igitur vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offeret holocaustum pro vobis. » Bona ira Dei, qua remedii consilia dantur, quibus et peccata solvantur, et peccatores convertantur. Beatus enim Job, ut supra diximus, Ecclesiam significat; amici vero illius hæreticorum speciem tenent. Orat igitur Job pro amicis suis, et offert holocausta pro eis; quoniam hæretici, nisi ad Ecclesiam redierent, eique reconciliati fuerint, et nisi ipsa pro eis preces et sacrificium obtulerit, Dei indignationis furorem evadere non poterunt. Offerunt autem hæretici tauros et arietes, quando superbiam et ignorantiam in se mortificant. Taurus enim superbiam, aries autem ignorantiam et ducatum pravæ intelligentiæ designant. Sed quoniam septenarius numerus perfectus est, ut perfecte in se hæc vitia destruant, septem tauros, totidemque arietes offerre præcepit. Sequitur : « Job autem servus meus orabit pro vobis; « faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur « stultitia; neque enim locuti estis ad me recta; « sicut servus meus Job. » Repetitio est eorum quæ dicta sunt, quæ, quotiescunque fit, sermonis firmitatem stabilitatemque ostendit.

« Abierunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldad « Suhites et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut « locutus eis fuerat Dominus, et suscepit Dominus « faciem Job. Dominus quoque conversus est ad « pœnitentiam Job, cum ille oraret pro amicis suis. » Multum igitur profecit Job, qui pro amicis suis orando, non solum illis, sed sibi quoque veniam promeruit : in quo magnum aliquid esse ostenditur, orare pro aliis. « Et addidit Dominus quæcunque fuerant Job 298 duplicia. » Hoc et propheta dicit : « duplicia in terra sua possidebunt (*Isai.* LXI, 7). » Finitis tamen his tantis miseriis, juxta sæculi finem, omnia quæcunque habuit, vel habere debuit Ecclesia, duplicabuntur, quoniam utrumque populum et Judæorum et gentium in se tunc plenissime colliget; secundum illud : « Cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). »

« Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et « universæ sorores suæ, et cuncti qui noverant « eum prius, et comederunt cum eo panem in domo « ejus, et moverunt super eum caput, et consolati « sunt eum super omni malo quod intulerat Domi- « nus super eum. » Venient enim ad Ecclesiam omnes qui, vel merito fidei fratres, vel carnis fragilitate sorores dicuntur; insuper et omnes qui eam noverunt ejusque famam audierant. Et comedent cum ea panem, panem utique vivum, qui de cœlo descendit, sive etiam scientiam sanctarum Scripturarum. Movebunt autem et caput super eam, ei congaudentes, ejusque constantiam, fidem et patientiam admirantes. Hoc enim loco capitis commotio mentis est exhilaratio. Et consolabuntur eam super omni malo quo Dominus eam affligi permisit; quoniam tunc perfecte Ecclesia consolabitur, omniumque suarum afflictionum obliviscetur quando tantam omnium gentium ad se utique confluentium viderit conversionem. « Et dederunt ei unusquisque ovem unam, et inaurem auream unam. » Quid enim per ovem, nisi innocentiam? Quid vero per inaurem, nisi utriusque auditus obedientiam? Unde etiam, et inauris aurea dicitur, ut auditus castus sit et purus. Sine his igitur nemo ad Ecclesiam veniat, qui vult eam consolari, hæc munera ferat. Offerat ovem ut sit innocens, offerat inaurem ut sit obediens, et quia aurea est, sapienter intelligat.

« Dominus autem benedixit novissimis Job, magis « quam principio ejus. » Benedicere hoc in loco, multiplicare significat. In fine enim Ecclesia multiplicabitur, quoniam omnium gentium plenitudine implebitur. Unde et subditur :

« Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, sex « millia camelorum, et mille juga boum et mille « asinæ, et fuerunt ei septem filii et tres filiæ. » Quid per oves et camelos, boves et asinas, filios et filias significetur, in libri hujus principio dictum est. Quid vero numerus duplicatus significet, modo exposuimus. Filiorum autem et filiarum numerus non est duplicatus, quoniam quantumlibet cresceret, nihil tamen amplius significaret. Septem enim filii, septem Ecclesiæ sunt, tres vero filiæ, tres mundi partes, in his autem tota fidelium multitudo continetur. Et hoc quidem in principio expositum est.

« Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ « Cassiam, et nomen tertiæ Cornustibii. » Sancta enim Ecclesia, quæ tota ex his tribus mulieribus constat. Etenim dies est, quoniam soli justitiæ subdita est, secundum illud : « Et fecit Deus luminare majus, ut præesset diei (*Gen.* I, 16). » Et Cassia est, quoniam bonum circumquaque spargit odorem; unde Apostolus : « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (*II Cor.* II, 15). » Et Cornustibii est, quia clara, et sublimi voce prædicationis ubique resonat, secundum illud. « Buccinate in Neomenia tuba (*Psal.* LXXX, 4). » Et : « Laudate eum in sono tubæ (*Ibid.*) » Componitur autem Cornustibii ex cornu, et tibia, quod utrumque prædicatorum voces designat. « Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ, sicut « filiæ Job in universa terra; deditque eis hæreditatem pater suus inter fratres earum. » Nam neque Synagoga, neque idololatria, neque alia quælibet.

Digitized by Google

secta pulchritudini Ecclesiæ comparari potest. Ipsa enim est quæ non habet maculam, neque rugam. Et ipsa quidem inter fratres suos, id est inter angelorum choros, (qui ejusdem cujus et ipsa filii sunt) hæreditatem suscipit. Sive etiam cum fratribus sorores ad hæreditatem admittuntur, quoniam perfectis minus perfecti in beatitudine sociantur. « Vixit « autem post hæc Job centum quadraginta annis, et « vidit filios suos et filios filiorum suorum, usque ad « quartam generationem, et mortuus est senex et « plenus dierum. » Finis.

INCIPIT [299]

EXPOSITIO IN PSALMOS.

Ille bene et sapienter indicare potest qui prius diligenter causam examinat. Unde et Propheta iste nobilissimus cum dixisset : « Judica me, Deus, » confestim subdidit, dicens, « et discerne causam meam (*Psal.* XLII, 1). » Hoc autem tale est ac si diceret : Non fugio judicium, si prius causa mea diligenter examinata fuerit. Qui vero aliter hoc agere præsumit, multoties ea laudat quæ jure laudanda non sunt, et ea reprehendit quæ jure reprehendenda non sunt. Hoc autem peccatum quam magnum sit, propheta ostendit, ubi ait : « Væ, qui dicunt bonum malum, et malum bonum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem, qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce (*Isai.* V, 20). » Cum adhuc adolescentulus essem, exposui Psalterium secundum aliam translationem, quæ videlicet translatio pluribus in locis tantum differt ab hac translatione, qua Romana Ecclesia utitur, ut nullo modo secundum illius expositionem hæc translatio intelligi possit (381). Et illa quidem multos habet expositores : hanc autem, si aliquis exposuerit, nescio. Rogatus igitur ab amicis meis, et præcipue a Peregrino venerabili abbate, dedi operam ut hæc quoque, sicut et illa, propriam haberet expositionem. Quam qui totam ex ordine diligenter legerit, scio quia non judicabit esse superfluam, facileque intelligere poterit quanta distantia sit inter primam et hanc secundam expositionem. Non enim dicere erubesco quod B. Paulus apostolus et magister gentium dicere non erubuit : « Cum essem parvulus loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli (*I Cor.* XIII, 1). » Nulli injuriam facit, qui sibi ipsi se ipsum præfert. Et illa quidem expositio valde compendiosa est : sed hæc melior mihi esse videtur. Non curavi unius rei multas ponere sententias; sed illa mihi sufficere visa est, quæ superioribus et inferioribus convenienter continuari possit. Habent enim hoc prophetarum dicta, ut multis modis separatim intelligi possint. Unde multa exempla dare potuissem, si hoc necessarium esse cognoscerem. Nullum titulum dereliqui, omnes posui et exposui, qui quidem ad psalmos intelligendos valde mihi necessarii esse videntur. Illud super omnia memoriæ commendandum esse confirmo, quoties nobis Propheta dicit, et quasi obliviosis et non obedientibus, toties præcipit canticum novum semper cantare, semper psallere, firmiterque sperare. Canticum vero novum cantare, est legis et prophetarum verba non secundum litteræ vetustatem C annuntiare, sed secundum spiritualem intelligentiam exponere et prædicare. Unde Apostolus ait : « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6). » Hinc quoque in Apocalypsi Joannis dicitur : « Ecce nova facio omnia (*Apoc.* XXV, 5); » quoniam spiritualiter intellecta nova sunt omnia.

PSALMUS PRIMUS.

« Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. » Psalmus iste non habet titulum, sed ipse non solum psalmorum, sed omnium sanctarum Scripturarum titulus quodammodo esse videtur. Titulus enim ad hoc ponitur, ut breviter nobis insinuet quid in sequenti Scriptura quærere et intelligere debeamus (382). Et hoc quidem agit iste psalmus, qui statim in ipso suo principio docet nos beatitudinem quærere, D ac per hoc declinare a malo et facere bonum. Hoc est enim ad quod tendit omnis homo, et ad quod pervenire desiderat, neque est aliquis qui beatus esse non cupiat. Perversi tamen homines dum in hac vita beatitudinem quærunt, neque in hac neque

(381) Idem ait in expositione psal. XCIX.

(382) De titulis sive inscriptionibus singulis psalmis appositis egregie disserit S. Hilarius. « Mihi quidem, inquit, temeritas videtur invertere inscriptiones quæ a prima origine usque ad Ptolemæi tempora delatæ sunt, qui post Alexandrum in Ægypto regnavit : quas inscriptiones LXX interpretes omnes seniores in Græcam linguam transtulere, sicut omnes alias sacras Scripturas. Supra 150 annos ante interpretationem Ptolemaicam, mirabilis ille Esdras edidit in lucem libros cœlestis gratiæ plenos, qui quidem propter Judæorum incuriam, tunc vero propter impietatem Babyloniorum diutius depravati permansere. Si igitur Esdras divino numine afflatus horum voluminum memoriam illis hominibus renovavit, etiam hi septuaginta viri non sine Spiritu sancto hæc opera in Græcum sermonem converterunt. Inter cætera vero sacra volumina etiam inscriptiones interpretati sunt. »

Digitized by Google

in alia eam habebunt. Quam utique habuissent, si A hujus psalmi consilio credidissent, et declinare a malo et bona facere voluissent. Qui igitur beatus esse desiderat, non abeat in consilio impiorum, non stet in via peccatorum, neque in cathedra pestilentiæ sedeat. Si consilium impiorum audisti, fuge illud, et noli ire in eo. Quid est enim ire in eo, nisi illud facere, et manere in eo? Si viam peccatorum jurasti, noli ibi stare, sed recede ab ea. Si cathedram pestilentiæ ascendisti, descende cito, et nihil ibi judices, **300** nihil doceas in ea. Non peccare enim impossibile est; in peccato vero perseverare (383) iniquissimum est. « Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8). » Peccatores igitur sunt qui in hoc psalmo ad beatitudinem invitantur. B Ad quam illi soli poterunt pervenire qui, quamvis peccabunt, in peccatis tamen non perseverabunt. Et hoc quidem significat non ire, non stare et non sedere. Sola igitur perseverantia in malo facit impedimentum ad beatitudinem, et hoc solum peccatum est quod non dimittitur hominibus, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Ecce docuit nos Propheta quod vir justus et ad beatitudinem festinans fugere debeat. Nunc autem audiamus quid cum agere oporteat; non enim sufficit nobis declinare a malo, nisi et bona faciamus. Sed prius mala pellenda sunt, quia terra prius purganda est, quam plantanda vel seminanda.

« Sed in lege Domini voluntas ejus. » Quidquid utrumque testamentum facere, vel non facere jubet, C lex Domini est. Non potest itaque vir justus manere in consilio impiorum, neque stare in via peccatorum, neque in cathedra pestilentiæ sedere, cujus voluntas et desiderium est legem Domini adimplere. Quod autem ait « fuit, » non sic accipias, quasi jam cessaverit : audi quod sequitur :

« Et in lege ejus meditabitur die ac nocte. » Quid est die ac nocte? Omni tempore in prosperis et adversis; et prospera enim, et adversa a lege Domini et a custodia mandatorum ejus maxime miseros homines separare solent. Venit quidam adolescens ad Dominum, qui in prosperis erat multasque pecunias possidebat. Qui cum eum interrogaret quomodo ad vitam æternam pervenire posset : cumque ei Dominus diceret ut omnia venderet et pauperibus erogaret, sicut scriptum est : « Tristis abiit, quia multas habebat possessiones (*Matth.* XIX, 22). » Sic igitur prospera separant homines a Deo et a lege Dei. De adversis autem facile intelligitur, cum Dominus dicat, etiam electos in errorem inducendos esse propter multas tribulationes, si fieri possit (*Matth.* XXIV, 24). Magna igitur laus justi est in lege Domini meditari die ac nocte. Unde magna retributio in sequenti versiculo ei promittitur.

Et erit tanquam lignum quod plantatum est « secus decursus aquarum. » Quid est majus quam Christo Domino comparari? « Scimus, inquit Joannes apostolus et evangelista, quoniam similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » « Fulgebunt enim sancti sicut sol in regno Dei (*Matth.* XIII, 43). » Hoc enim lignum seipsum esse ipse Dominus ostendit, dicens : « Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? (*Luc.* XXIII, 31) » Et Salomon de sapientia, quæ Christus est, loquens, sic ait : « Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus (*Prov.* III, 18). » Et illud in Apocalypsi : « Vincenti, inquit, dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei (*Apoc.* II, 7). » Hoc igitur lignum plantatum est secus decursus aquarum. Quatuor sunt flumina paradisi, B quatuor sunt Evangeliorum volumina, quæ illis fluminibus significantur. Vis videre lignum vitæ? Secus decursus aquarum invenies. Sic autem et Christum in quatuor Evangeliorum fluminibus reperies. Ibi enim et quis, et qualis, et quantus sit, facile dignoscitur. Ad hoc præterea lignum fit secus decursus aquarum, quia « ad ipsum, ut scriptum est, fluent omnes gentes (*Isa.* II, 2). » — « Aquæ enim multæ, dicit Scriptura, populi multi (384). »

« Quod fructum suum dabit in tempore suo. » Ex quo mundus iste factus est, fructum suum lignum hoc dare non destitit : « Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). » Dedit tamen maxime et abundantius fructum suum in tempore suo, in tempore incarnationis et adventus C sui. Quis autem eos fructus, ea dona, illas divitias et delicias enumerare valeat, quas ex tunc fidelibus suis Dominus tribuit? Unde et dicitur : « Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII, 19). »

« Et folium ejus non decidet. » Hæc folia verba sunt; verba autem Christi non cadent. Sic enim ipse ait : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt (*Luc.* XXI, 33). »

« Et omnia quæcunque faciet prosperabuntur. » Prosperantur autem omnia quæcunque Christus facit, sed non omnibus prosperantur. Unde et Apostolus ait : « Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (*Rom.* VIII). »

« Non sic impii, non sic. » Non erunt, inquit, D impii beati : non enim meditabuntur in lege Domini die ac nocte, et non erunt tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum : quid igitur erunt? Audi quod sequitur :

« Tanquam pulvis, quem projicis (385) a facie « terræ. » Beati ligno vitæ assimilantur; impii vero pulveri comparantur, præsertim illi pulveri qui vento superbiæ circumfertur, et a terræ, id est sanctæ Ecclesiæ, stabilitate elevatus nusquam comparet. Et ideo quia tales sunt.

« Non resurgent impii in judicio. » Quid est igitur

(383) Cod. Vallicellanus, *nequissimum est.*

(384) *Aquæ populi* interpretantur in Apocalypsi cap. XVII, 15, ita etiam Augustinus enar. in psalmum primum.

(385) Vulgata legit, *quem projicit ventus*

Digitized by Google

quod Apostolus ait: **301** « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur (*I Cor.* xv, 51). » Qui sunt enim illi qui resurgent et non immutabuntur, nisi impii et peccatores? Resurgent igitur impii et peccatores, sed non in judicio, jam enim judicati sunt. Resurgent ergo, non ut iterum judicentur, sed tantum ut damnentur. Damnabuntur autem non solum impii, verum etiam peccatores in peccatis perseverantes. Et tunc « iter impiorum peribit, » hoc est, in itinere et opere suo impii peribunt, via vero justorum laudabilis apparebit

« Quoniam novit Dominus viam justorum. » Quæ eos perducit ad regna cœlorum.

PSALMUS II.

PSALMUS DAVID.

Huic psalmo, qui secundus est, primus titulus imponitur, quem ideo suum esse dicit; ut major ei auctoritas et fides adhibeatur. Quis enim ea non credat quæ tanti regis et Prophetæ auctoritate roborantur? Si autem ad illum David respiciamus, qui in isto loquitur, et de quo iste alibi ait : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* LXXXIV, 8), » jam nullus erit qui in aliquo contradicere audeat. Hæc autem brevis expositio nobis sufficiat in omnibus psalmis qui hoc titulo prænotantur; egregie autem ab ipsa passione Christi incipit, quam semper in memoria habere debemus, per quam liberati, et salvati sumus. Et merito quidem contra eos cum quadam indignatione loquitur, qui in Christum Dominum manus mittere non timuerunt.

« Quare fremuerunt gentes, et populi meditati « sunt inania? » Audivimus modo superius de Christo, quod ipse sit lignum vitæ, cujus folia non cadent, cujus verba non præteribunt, cujus omnia opera, et quæcunque faciet, prosperabuntur. Quare ergo fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Quare « astiterunt reges terræ, » Herodes videlicet, et Pilatus et principes sacerdotum « convenerunt in unum adversus Dominum » Patrem, « et adversus Christum » Filium « ejus? » Quare vel hoc non attendebant quod tantum talemque fructum hæc arbor nobilissima tunc temporis dabat : mortuos suscitando, cæcos illuminando, leprosos mundando, omnes languores omnesque infirmitates sanando? Gentes et populi hoc in loco idem significant, quamvis per gentes Romanos, et populos Judæos Intelligere possumus, qui adversus Christum Dominum pariter in unum convenerunt. Fremere autem non est hominum, sed ferarum, ut eorum sævitiam et crudelitatem in hoc verbo intelligamus. Convenerunt igitur omnes isti iniquitatis filii, atque dixerunt :

« Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a « nobis jugum ipsorum. » Ligatos se esse et sub jugo esse conqueruntur, quoniam assueta peccata a Christo Domino et a discipulis ejus acere prohibentur. Redarguebat enim eos Dominus non solum de his quæ male agebant, verum etiam de iniquis cogitationibus, sicut in Evangelio invenimus. Quale est illud : « Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? (*Matth.* IX, 4) » Miseri qui eumdem (386) non violenter trahentem, sed clementer ad se vocantem non audiebant, quando eis paterna pietate dicebat : « Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos : jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI, 28) » Merito flet eis quod sequitur.

« Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus « subsannabit eos. » Quia hoc, inquit, et illa fecerunt, et Christo Domino credere noluerunt, stultos et fatuos subsannatione, et irrisione dignos eos Dominus ostendet. Tales enim affectiones in eo non sunt, sed ejus voluntatem et operationem aliter nisi assuetis nostris locutionibus ostendere non possumus. Cum enim ea facit quæ irati et furentes homines facere solent, quamvis iratus non sit, in ira tamen et furore ea facere narratur (387), unde et subditur

« Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore « suo conturbabit eos. » Hoc autem erit in judicio, quando impiis et peccatoribus dicet : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). » Quia enim hoc dicendo irati et sævientis consuetudinem imitabitur, ideo in ira et furore hæc dicturus, et facturus esse narratur.

« Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. » Iste versus ibi continetur, ubi dicitur : « Quia convenerunt in unum adversus Dominum, et adversum Christum ejus, » subauditur, dicentem : « Ego autem constitutus sum rex ab eo. » Quem Judæi Christum, nos regem vocamus. Christus Dominus noster et Deus est, et homo, qui secundum humanitatem quidem non solum a **302** Patre, verum etiam a se ipso, et a Spiritu sancto et rex et Dominus constitutus est. Ipse enim qui secundum divinitatem neque factus, neque creatus est, secundum humanitatem seipsum creavit, et fecit. Hanc igitur distinctionem in memoria habeamus, quæ pene in omnibus psalmis nobis necessaria erit. Omnia enim ad humanitatem referenda sunt, si quando contristatur, si quando aliquid patitur, si quando aliquid postulat, et similia. « Ego autem, inquit constitutus sum rex ab eo, » ubi? « super montem sanctum ejus. » Ad quid? « prædicans præceptum Domini. » Sion *specula* interpretatur; a qua videlicet specula omnes episcopi superintendentes et speculatores vocantur. Unde et Ezechieli dicitur « Fili hominis, speculatorem posui te domus Israel (*Ezech.* III, 17). » Quamvis Rex regum, et Dominus dominantium sit Salvator noster, ipse tamen solius

(386) Cod. Ghisianus, *eumaem ipsum*.

(387) Ira Dei quomodo sit intelligenda. « Iram, et furorem Domini Dei, non perturbationem mentis oportet intelligi, sed vim qua justissime vindicatur. » August., enar. in psal. I.

Digitized by Google

montis Sion regem se dicere dignatur. Sed audiant A episcopi quare ordinati sunt, quare et a quo super Sion constituti sunt. Non utique ad tyrannicam et sæcularem potestatem exercendam, sed ad speculandum et prædicandum, et contra hæreticos et malignos spiritus pugnandum.

Dominus dixit ad me : Filius meus es tu. » Hoc autem ad divinitatem spectat. Ego, inquit, qui secundum humanitatem rex a Deo constitutus sum, secundum divinitatem non adoptive, sed substantialiter ejus filius sum ; hoc enim ipse Pater testatus est, dicens : « Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Ego hodie genui te (*Luc.* III, 23). » Non habet Deus nisi hodie, cum nihil præteritum, nihil futurum, sed omnia sibi præsentia sint. Quid igitur aliud dicere potuit, nisi hodie ? Nihil enim aliud est; B « ego hodie genui te : » tale est ac si simpliciter dixisset, ante tempora et sine initio genui te (388). Æternus est enim Pater, æternus est et Filius. Sed ante æternum nihil est. Hodie igitur æternitas est. Quod itaque ait : « Ego hodie genui te, » tale est ac si dixisset : Ante tempora, et sine initio genui te. Potest autem et secundum humanitatem sic intelligi, ut a Patre ei dicatur : Ego qui ante tempora genui te, hodie, id est temporaliter ex Virgine genui te. Ipse est enim Pater omnium, ipse non solum humanitatem Filii sui, verum etiam nos omnes et genuit et creavit (389).

« Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem « tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Diximus superius quia si Filius aliquid postulat, non C secundum divinitatem, sed secundum humanitatem postulat. Postulat ergo non solum a Patre, sed a seipso, et a divinitate quæ in ipso est. « Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. » Judæi, inquit, spreverunt te, dicentes : « Non habemus regem nisi Cæsarem, et nolumus hunc regnare (390) super nos (*Joan.* XIX, 12) : » suscipe igitur omnes gentes in hæreditatem. Inde est enim quod alibi dicitur : « Omnes gentes servient ei; et quia dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ (*Psal.* LXXI, 8). » Hoc est enim usque ad terminos orbis terræ quod et possessionem tuam terminos terræ.

« Reges eos in virga ferrea. » Quid est in virga D ferrea ? Imperio forti et insuperabili, et cui nemo resistere poterit. Omnia metalla ferro domantur; omnia regna mundi Christi imperio subjugantur.

« Et tanquam vas figuli confringet eos. » Vasa figuli semel fracta redintegrari non possunt. Impii et peccatores semel in judicio damnati misericordiam ulterius non invenient.

« Et nunc, reges, intelligite. » Ecce rex magnus justus et potens Deus constitutus est, cui et nos, et omnes gentes obedire oportet. Intelligite ergo, et regnandi doctrinam et disciplinam ab eo suscipite. Et hoc est quod ait :

« Erudimini qui judicatis terram : servite Domino « in timore. » In timore servire, et servitium diligenter agere et in Dei servitio negligentiam non habere. Reges igitur, qui ad populum juste regendum et ad justitiam exercendam constituti sunt, sic justitiam exerceant, ut misericordiæ non obliviscantur, non autem cordis impetu, sed divinæ legis moderamina sequantur.

« Et exsultate ei cum tremore. » Non vobis, inquit, sed Deo exsultate, non in honoribus et divitiis, B sed in Domino gaudete. Hinc est enim quod Apostolus ait : « Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete (*Philip.* IV, 4). » Bene additur, cum tremore, ne timor Domini et æternæ felicitatis desiderium mundi hujus lætitia et prosperitate pellatur. Per reges non solum reges gentium, verum etiam episcopi omnesque Ecclesiæ prælati intelligi debent. Denique omnis homo rex dici potest, qui se ipsum bene regit, et domum suam bene disponit.

« Apprehendite disciplinam, nequando irascatur « Dominus, et pereatis de via justa. » Omnis doctrina et institutio religionis disciplina dici potest. Hanc autem qui non recipit, et tenet, non immerito Dei **303** iram et indignationem incurrit. Tales autem C pereunt de via justa, quia in viam peccatorum declinantes per justorum viam ad beatitudinem non pervenient. Hæc autem disciplina cum omnibus hominibus necessaria sit, illis tamen maxime necessaria est, qui alios regere, et docere debent. Beati illi, qui hanc disciplinam suscipiunt, et qui non in vanitatibus mundi, sed in Domino confidunt.

« Quoniam cum exarserit in brevi ira ejus, beati « omnes et soli qui confidunt in eo. » In brevi autem dixit, quia cito et post modicum ad judicium Dominus veniet. Unde et Joannes apostolus ait : « Filioli, novissima hora est (*Joan.* II, 18). » Et Apostolus : « Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). » Jam superius diximus quomodo Dei iram intelligere debeamus.

PSALMUS III

PSALMUS DAVID CUM FUGERET A FACIE FILII SUI ABSALON

Quid significet psalmus David superius dictum est. Et David quidem fugam legimus, Christi autem fugam non legimus, quia contra de se ipso alibi significat, atque in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantum, quia quidquid æternum est, semper est : divinitus accipitur secundum id dictum, *ego hodie genui te*, quo sempiternam generationem virtutis, et sapientiæ Dei, qui est Unigenitus Filius, fides sincerissima et catholica prædicat. » August. loc. cit.

(388) Idem brevius dixerat S. Maximus Taurin., serm. 36 de Paschat., edit. Rom. 1784, pag. 491. « Una plane dies est Christus, quia in eo una est divinitatis æternitas. Hodie autem vocatur, quod cum nec vetusta antiquitate subterfugiunt, nec futura ignoratione prætereunt. »

(389) « Quanquam etiam possit ille dies in prophetia dictus videri, quo Jesus Christus secundum hominem natus est, tamen hodie qui præsentiam

(390) Cod. Ghis. *hunc regem regnare.*

Digitized by Google

dicit : « Periit fuga a me (391) (*Psal.* CXLI, 6). » Quem cum Judæi simul cum Juda traditore capere venissent, non fugit, sed obviam ivit. Et ut suæ divinitatis potentiam ostenderet, uno verbo prostravit. Ipse tamen est, in cujus Canticis canticorum Ecclesia dicit : « Fuge, dilecte mi (*Cant.* VIII, 14). » Et de discipulis quidem ejus dicitur, quia « relicto eo omnes fugerunt (*Matth.* XXIII, 36). » Non igitur in se ipso, sed tamen in discipulis suis fugit Jesus : sic autem dicitur (392) quia non ipse baptizabat, sed discipuli ejus. Uterque autem et Judas, et Absalon simili morte, id est suspendio (393) interierunt. Interpretatur autem David *manu fortis* (394), Absalon vero, *patris pax* interpretatur. Et videtur per contrarium esse dictum, sicut et Judæ a Domino dicitur : « Amice, ad quid venisti? » (*Matth.* XXVI, 50) cum amicus utique non esset.

« Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? » Secundum humanitatem Dominus loquitur, et conqueritur Patri de Judæorum conjuratione contra se facta quæ, non solum ex Romanis qui ibi erant, verum etiam ex numero discipulorum multiplicata erat. Unde et dicit quia « Multi insurgunt adversum « eum, et multi dicunt animæ ejus : quia non est « salus illi in Deo ejus. » (395) Videbat enim jam tunc non solum Judæos, verum etiam per totum mundum reges et principes, omnesque homines iniquos, totumque malignantium spirituum exercitum contra fideles suos, contra membra sua, contra corpus suum, quod est Ecclesia, crudeliter insurgere. Quia, ut dicitur, in unoquoque suorum ipse affligitur, tribulatur, et persecutionem patitur, non immerito quod illis accidit sibi imputat, et illorum pœnas quasi proprias conqueritur.

« Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria « mea, et exaltans caput meum. » Mentiuntur, inquit, qui dicunt, « Non est salus illi in Deo ejus; » quia ad salutem pertinent ea quæ hic enumerantur. Suscepit enim Pater Filium ad se, incarnatum et hominem factum revertentem (396) glorificavit, et in suæ majestatis sedem exaltavit. Secundum illud : « Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis (*Psal.* CIX, 1). » Videtur autem mihi quod, si Ecclesia in hoc psalmo loquatur, convenientius accipi possit. Dicat igitur Ecclesia, dicat populus Christianus, A quem prius soli Judæi, postea vero totus mundus gravissimis pœnis affligere et perdere cœpit. « Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Multi insurgunt adversus me. » Multi ex omnibus mundi hujus nationibus « dicunt animæ meæ, Non est salus illi in Deo ejus. » Hoc est quod infideles contra sanctos dicere solebant, quod Deus illorum eos liberare non posset. « Tu autem, Domine, susceptor meus et gloria mea, et exaltans caput meum. » Hæc est sanctorum non modica consolatio; quia statim post martyrium coronabuntur, glorificabuntur et in æternam beatitudinem a Deo suscipientur. Hoc enim Salvator noster illis promiserat, ut, ubi ipse esset, ibi esset **304** et minister ejus (*Joan.* XII, 26). Et ubi esset corpus, illic congregarentur et aquilæ (*Matth.* XXVI, 28), et cum exaltatus esset, omnia traheret ad se ipsum. Unde et modo Ecclesia dicit : « Et exaltans caput meum. » Caput nostrum Christus est, qui post resurrectionem suam die quadragesimo cœlos ascendit.

« Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit « me de monte sancto suo. » Cum, inquit, tribularer, et pœnis gravissimis ab impiis et infidelibus cruciarer, tunc ego voce mea, voce cordis mei, illa voce, quæ in silentio clamat, et cœli secreta penetrat, clamavi ad Dominum, et ipse exaudivit me de monte sancto suo, id est de illo altissimo et clarissimo secretario gloriæ suæ. Cum enim Deus ubique sit, est tamen aliquis locus, ubi gloriam suam clarius, et manifestius revelare dignatur. Possumus autem per hunc montem Christum Dominum intelligere, de quo et a quo sanctorum voces exaudiuntur. Et quid mirum si illos exaudit, pro quibus etiam mortuus est : unde et Apostolus dicit : « Qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (*Ephes.* V, 2). » Cujus vox loquentis congrue satis modo introducitur.

« Ego dormivi, et somnum cepi, et resurrexi, « quoniam Dominus suscepit me. » Brevissime satis in his verbis passionem suam, resurrectionem et ascensionem ostendit. Quomodo, inquit, eorum voces ad me clamantes non exaudirem, pro quibus mori quoque non dubitavi? Hoc est enim, quod ait : « ego dormivi. » Mors Christi dormitio fuit : unde et bene subdidit : « Et somnum cepi. » Cepit quidem; sed non diu dormivit. Et idcirco subdidit,

(391) Non legitur Christus fugisse cum ab Judæis ad necem, quemadmodum David a Saulo, quæreretur. *Fugit tamen in montem*, ut habetur Joan. VI, 15, *cum vellent turbæ eum regem facere.* Non dissonat ergo prophetia Evangelio habita diversa ratione fugæ Christi.

(392) Cod. Gnis. *quia baptizabat Jesus, et statim dicitur.*

(393) Idem cod. *perierunt*

(394) Hanc interpretationem sumpsisse videtur S. Bruno ex Ven. Beda, qui in expositione tituli secundi psalmi hæc habet : « David interpretatur *manu fortis*, sive *desiderabilis*, quod nihil aptius convenire potest quam omnipotenti Christo, qui est veraciter fortissimus, et summo desiderio requirendus, de cujus passione loquitur Propheta, et ipse Dominus sua verba dicturus est. » Hæc prænotavimus, quia in progressu psalmorum auctor noster persæpe in persona Davidis Christi fortitudinem commendat. Eamdem interpretationem habet Cassiodorus in expositione secundi Psalmi.

(395) Differt hæc lectio a Vulgata, quæ in prima parte eadem est in Augustino; scilicet : *Multi insurgunt adversum me :* non in secunda : *Multi dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in Deo ejus;* ita vulgata. Augustinus autem quemadmodum Bruno : *Non est salus illi in Deo ejus.* Ita etiam legit. CASSIODORUS.

(396) *Susceptor* secundum formam dicitur servi : hominis enim susceptio est *Verbum caro factum.* CASSIODORUS.

Digitized by Google

dicens : « Et resurrexi. » In eo vero quod addidit : « Quoniam Dominus suscepit me, » post dies non multos, cœlos se ascendisse ostendit. Nunc autem Ecclesiam, quæ loqui cœperat, audiamus.

« Non timebo, inquit, millia populi circumdantis « me. » Multi quidem insurgunt adversum me, et valde multiplicati sunt inimici mei, sed ego jam ulterius non timebo, etiam si multa millia post istos me circumdantes insurgant adversum me. Sed dicam, sicut semper in omnibus tribulationibus meis dicere soleo (397).

« Exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus. » Talibus armis viri sancti et religiosi se defendunt, non gladiis, sed orationibus pugnant.

« Quoniam tu percussisti omnes adversantes (398), « mihi sine causa. » Non timebo, inquit, quia non est conveniens ut timere debeam. Unde hoc? Quoniam tu percussisti, et quotidie percutis, et tandem in judicio virga ferrea percuties omnes adversantes mihi. Et hoc merito, quia sine causa mihi adversantur.

« Dentes peccatorum contrivisti. » Dentes peccatorum intelligimus eorum potentiam, eorum scientiam, corum fortitudinem, eorum argumentationes, et omnia alia quibus se defendere vel alios impugnare possunt. Hæc autem contrivit Dominus, quia dedit fidelibus suis os et sapientiam, cui omnes adversarii sui non resistere potuerunt.

« Domini est salus, et super populum tuum bene- « dictio tua. » Insultatio est. Erubescant, inquit, inimici tui, qui mihi quondam dicere solebant : « Non est salus illi in Deo ejus; » sicut modo videre et cognoscere certissime possunt. « Domini est salus. » Hinc vero Ecclesia de inimicorum contritione et sua salute lætabunda ad Dominum convertitur, dicens : « Sit salus super populum tuum, » o Domine, quem sic honorasti, cui hanc salutem et victoriam dedisti. « Et benedictio tua » et nunc, et semper per infinita sæcula sæculorum. Amen.

305 PSALMUS IV.

PSALMUS DAVID IN FINEM IN CARMINIBUS.

Quid significet psalmus David, in secundo psalmo dictum est. Poterat aliquis intelligere hunc psalmum ad tempora David, et ad Synagogam pertinere, nisi Apostolus dixisset : « Finis enim legis Christus est (*Rom.* x, 4). » Qui de se ipse loquitur, dicens : « Ego sum alpha, et omega, primus et novissimus, initium, et finis (*Apoc.* i, 8). » In finem igitur, id est ad tempora Salvatoris nostri ista referantur, et in carminibus et laudibus Ecclesiæ cantentur, ad quam proprie et specialiter pertinere videntur (399).

« Cum invocarem te, exaudisti me, Deus (400) « justitiæ meæ. » Psalmus iste valde disjunctus est et multa indiget continuatione. Ecclesia est quæ loquitur, quæ inde Deo gratias agit, quia in magnis suis tribulationibus eam exaudivit. Magnas autem tribulationes in tempore apostolorum et martyrum sustinuit, et in sæculi consummatione passura est. « Erit enim tunc tribulatio talis, qualis non fuit, neque fiet (*Matth.* xxiv, 21). » Exaudisti, inquit, me modo, non meis meritis, neque mea justitia, quia si qua justitia est in me, non mea, sed tua est. Tu autem es Deus, et Dominus, creator et dator justitiæ meæ.

« In tribulatione dilatasti me. » Plus enim in tribulationibus et adversitatibus quam in prosperitatibus sancta Ecclesia dilatata est (401). Cujus quidem termini sunt a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Modo tamen et in Africa, et in multis aliis mundi partibus defecisse videtur, in quibus quondam satis gloriosa erat.

« Miserere mihi, Domine, et exaudi orationem « meam. » Ecce docet nos mater nostra sancta Ecclesia, quomodo ipsa Deum invocavit, et quomodo nos invocare debeamus. Sufficit nobis ista oratio in omnibus petitionibus nostris. Si infirmitas, si terræ sterilitas, si sæviens adversarius, si persecutio aliena supervenerit, dicamus : « Miserere mihi, Domine, et exaudi orationem meam, » et sufficit nobis, cui etiam Dominus miseretur, et qui in suis petitionibus a Domino exauditur, quid amplius quærit

« Filii hominum, usquequo gravi corde? » Non suam solummodo, sed aliorum quoque salutem quærit Ecclesia. Ecce enim in suis tribulationibus exaudita ad ipsos suos convertitur inimicos, ad fidem, et ad beatitudinem eos invitans. Filii hominum illi sunt, qui unam solummodo generationem habent, et qui nondum ex aqua et Spiritu sancto regenerati Deum Patrem habere meruerunt. Tales autem sunt graves corde, dura et lapidea corda habentes, in quibus veræ fidei et cœlestis disciplinæ scribi et contineri verba non possunt. Sicut autem levia sursum, ita et gravia deorsum trahunt. Timeant ergo graves corde, ne sua duritia et gravitate ad inferna trahantur.

« Ut quid diligitis vanitatem, (402) qui quæritis « mendacium? » Illi enim vanitatem diligunt et

(397) Etiam S. Aug. postquam Prophetam hoc in psalmo de Christo locutum fuisse exposuerit, de Ecclesiæ simul, cujus Christus caput est, hostibus, et futuris persecutoribus vaticinium protulisse asserit, a quibus liberanda et salvanda erat.

(398) *Adversantes* autem, non solum ad mortem pertinet, sed etiam ad hæreticas quæstiones, qui sine veritatis studio catholicas regulas pravis dogmatibus insequuntur. Et merito tales cæcitate mentis percutiuntur, qui se perversis desideriis miscuerunt. CASSIODORUS.

(399) Hujusce tituli interpretatio ex Ven. Beda est, sicuti psalmi expositio, in quo alloquens Deo Ecclesia inducitur. Idem sensit Cassiodorus, tam in expositione tituli quam psalmi.

(400) Eadem lectio est apud Cassiodorum.

(401) « Tribulatio est enim, quæ dilatat semper Ecclesiam, quando eodem tempore confessores fiunt, martyres coronantur, totaque turba justorum, contritionibus semper augetur. » CASSIOD.

(402) Cod. Ghis. *et quæritis.*

Digitized by Google

mendacium quærunt, qui vel falsos deos adorant, vel in mundi hujus divitiis spem suam ponunt. Unde et Apostolus divites admonet (*I Tim.* VI, 17), non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum.

« Scitote quoniam magnificavit Dominus Sanctum « suum. » Hoc autem tale est ac si diceret : Filii hominum, relinquite deos falsos, relinquite idola et vanitates, credite in Christum Filium Dei, et salvi eritis. Et hoc scitote, et nullatenus dubitetis quia magnificavit Dominus sanctum suum, Christum videlicet, Filium suum, qui ideo quidem sua sponte mortuus est, ut a morte perpetua nos liberaret. Quomodo autem secundum humanitatem Christum Dominus magnificatus sit, ipsemet ostendit, cum dicit. « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Et quasi illi jam creduli dicerent : Peccatores sumus, idola coluimus, sanctorum sanguinem fudimus, et multa millia peccata commisimus, non suscipiet nos; confortat eos piissima mater nostra sancta Ecclesia. Nolite, iniquit, timere, ego clamabo, et orabo pro vobis.

« Et Dominus exaudiet me cum clamavero ad « eum. Irascimini ergo, et nolite peccare (403). » Hoc autem non diceretur nisi irasci aliquando bonum esset. Si enim odium aliquando bonum est, quare et ira aliquando bona non sit? Audi ergo quod Dominus ait : « Qui non odit patrem et matrem, et uxorem, et filios, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus (*Matth.* XIV, 26). » Et certe omnia hæc, quæ utique amanda sunt, si ad peccata nos trahere et a Deo separare voluerint, odienda sunt. Talibus igitur et taliter irasci non est peccatum, ideoque **306** subdidit : « Et nolite peccare. » Irascimini, inquit, præteritæ vestræ conversationi, irascimini vitiis et peccatis. Taliter illi irati erant, quibus Apostolus dicebat : « Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis (*Rom.* VI, 21). » Et nolite amplius peccare, sicut prius peccare soliti fuistis. (404) Sed sunt quædam peccata, et ipsa quidem maxima, a quibus facile abstinere possumus. Quare est illud de quo Dominus ait : « Israel, si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum (*Psal.* LXXX, 10). »

« Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus « vestris compungimini. » Cubilia cogitationum corda nostra sunt, ibi oriuntur, ibi quiescunt, ibi fructificant fructum, si bonæ sunt, et malum si malæ sunt. Hinc est enim quod Dominus ait : « Ex corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, perjuria et falsa testimonia, et similia, quæ coinquinant hominem (*Matth.* XV, 18). » De his compungimini, de his pœnitentiam agant, has in ipso initio succidite, et eas ad effectum perducere nolite. Postea vero facite quod sequitur :

« Sacrificate sacrificium justitiæ. » Quod si feceritis confidenter. « Sperate in Domino. » Quid? ea bona suscipere, « quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus » et vobis, et omnibus « diligentibus se (*I Cor.* II, 9; *Isa.* LXIV, 4). » Sacrificium justitiæ facit, qui seipsum pro peccatis suis judicat et affligit. Hinc est enim quod Apostolus ait : « Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI, 21). » Quod autem carnis afflictio sacrificium sit, audi eumdem Apostolum dicentem : « Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII, 1). »

« Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona? » Ego, inquit, dixi vobis, sperate in Domino, et quid sperare debeatis ostendi; sed sunt multi qui spem non habent, et in suis cogitationibus dicunt, Quis ostendit nobis illa bona? Quis inde certus nuntius venit? (405) Quomodo sperare, vel credere possumus? Miseri, qui ista dicunt; quoniam hæc verba desperatione plena sunt. Sed tamen qui sunt isti, qui tam impie loquuntur? nisi illi, qui « a fructu frumenti, « vini et olei sui multiplicati sunt. » Per hanc autem tria, quibus humana necessitas maxime sustentatur, omnia bona hujus mundi caduca et transitoria significantur. Qui vero in talibus spem suam posuerunt, æterna bona sperare non possunt. Talis erat ille de quo in Evangelio dicitur, qui cellaria sua destruere et majora construere cogitabat, qui lætabundus animæ suæ dicebat : « Habes multa bona tibi præparata in annos multos, gaude igitur et epulare (*Luc.* XII, 19); » cui a Domino responsum est. « Stulte, hac nocte anima tua rapietur a te; quæ autem parasti, cujus erunt? » (*Ibid.*, 20.) Et unde est, quod Apostolus præcipit non sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* VI, 17). Inde est etiam quod dicit divites non posse intrare in regnum Dei. Nunc audiamus quid boni quoque dicant et sentiant.

« Signatum est, inquiunt, super nos lumen vultus « tui, Domine. » Hoc autem tale est ac si diceret : Signo Christi signati sumus, in ejus militia connumerati, ejus doctrina illuminati, in ipso speramus, et quæcunque nobis promisit firmissime exspectamus. Hoc signo legimus in Apocalypsi (*c.* VII) de omni turba filiorum Israel duodecim millia esse signatos, per quos videlicet tota Ecclesia omnisque fidelium multitudo significatur : est illud signum, quod Propheta vocavit *thau* (*Ezech.* IX, 4), quo quicunque signatus non fuerit in judicio peribit. Bene autem hoc signum lumen vocatur, quoniam qui hoc signum non habet, cæcus est, et in tenebris ambulat : voluntas autem in vultu cognoscitur, unde et a vultu voluntas dicitur. Quid est igitur lumen vultus tui, nisi lumen voluntatis tuæ? Hoc enim lumen et hoc signum secundum voluntatem tuam, et tibi factum

(403) Mazochius in Spicil. Bibl. I, II, p. 177, censet locum posse ita interpungi. « Irascimini? at nolite peccare. Si quando vos iratos senseritis, non ad injuriam sive re, sive verbis prorumpatis. »

(404) Cod. Ghisianus : *Non peccare enim impossibile est; sed.*

(405) Cod. Ghis. : *Quomodo hæc sperare.*

Digitized by Google

est patibulum mortis et nobis factum est causa salutis; sequitur :

« Dedisti lætitiam in corde meo. » Vox Ecclesiæ est quæ de hac sanctorum responsione lætitiam se habere significat.

« In pace in idipsum dormiam, et requiescam, « quoniam tu, Domine, singulariter in spe consti- « tuisti me. » Illi, inquit, qui desperantes dicunt : « Quis ostendit nobis bona ? » neque pacem, neque quietem habebunt : ego vero in idipsum, id est pariter, et simul cum omnibus filiis meis dormiam, et requiescam in æterna pace (406). Et hoc dico, quia tu, Domine, singulariter in spe constituisti me, id est me solum, et singularem hanc tam immensam tuæ beatitudinis spem habere donasti.

PSALMUS V.

307 IN FINEM PRO EA QUÆ HÆREDITATEM CONSEQUITUR PSALMUS DAVID.

Quid significet in finem, modo superius diximus : similiter autem quomodo intelligatur psalmus David, in secundo psalmo exposuimus. Ea vero, quæ hæreditatem consequitur sancta Ecclesia est; unde Apostolus : Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* xvi, 17) nos esse dicit. Hanc hæreditatem perdidit Synagoga, quæ de Salvatore nostro ad se veniente, ait : « Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas (*Marc.* xii, 7). » Hujus autem hæreditatis testamentum in illo psalmo ei datum est, in quo dicitur : « Disposui testamentum electis meis (407). »

« Verba mea auribus percipe, Domine; intellige « clamorem meum. Intende voci orationis meæ, rex « meus et Deus meus. » Ecclesia loquitur, quæ pro Synagoga in hæreditatem successit. Docet autem nos, quam instanter, perseveranter, quam violenter orare debeamus, in eo quod ipsum toties repetit. Unde in Evangelio dicitur, quia « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud (*Matth.* xi, 12). » Hanc autem violentiam ipse Dominus nos facere jubet, dum ait : « Petite, et accipietis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis (*Matth.* vii, 6). » Dicit autem et similitudinem de illo, qui petebat ab amico suo tres panes, eum ille dare noluisset, et ipse per totam noctem petitionibus instaret, propter violentiam tandem illius et importunitatem surrexit, et dedit illi quotquot habebat necessarios. Bonæ autem petitiones, non tantum voce quantum affectu, et desiderio fiunt; secundum illud : « Desiderium pauperum exaudiet Dominus (*Psal.* x, 16). »

« Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies « vocem meam. » Mane igitur oret qui exaudiri desiderat. Quid est igitur quod hic idem propheta alibi ait : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi (*Psal.* cxviii, 62); » et illud : « In noctibus extollite manus vestras in sancta (*Psal.* cxxxiii, 5).. » E certe nullo tempore attentius et quietius, quam in nocte viri religiosi orare possunt. Mane igitur orare tale est ac si diceret : Si vis a Domino exaudiri, mane ora, fuge noctem, fuge opera tenebrarum, pelle vitia et peccata. Audi Apostolum dicentem : « Filii lucis et diei sumus, non noctis et tenebrarum (*Thess.* v, 5). » Et alibi : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v, 10). » Talis igitur nox, talesque tenebræ prius relinquendæ sunt, et tunc orandum. De his autem tenebris exit homo, et ad mane venit, statim ut pœnitentiam agere incipit. Sicut enim mane finis est noctis, et initium diei; ita et pœnitentia finis est peccati, et initium sanctitatis et religionis.

« Mane astabo tibi. » Quia, inquit, nos exaudire non vis, nisi mane, quam citius potero noctis tenebras relinquam, et ad mane festinabo. Et tunc astabo tibi, quasi famulus ad serviendum paratus. « Et videbo, quoniam non volens Deus iniquitatem tu es. » Hæc igitur erat causa quare in nocte non exaudiebas, quoniam qui in nocte sunt, in iniquitate sunt.

« Non habitavit juxta te malignus, neque perma- « nebunt injusti ante oculos tuos. » Tales enim in judicio audituri sunt; tollantur impii, ne videant gloriam Dei (*Isa.* xxvi, 10). Quotiescunque ista dicimus, de illis solummodo peccatoribus intelligimus qui in peccatis perseverantes ad pœnitentiam redire nolunt. De quibus et Apostolus ait : « Secundum duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* ii, 5). » Unde et subditur :

« Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem, « perdes omnes qui loquuntur mendacium. » Non dixit, qui operati sunt, vel qui locuti sunt, sed præsens tempus posuit, ut perseverantiam significaret : Qui enim in talibus perseverant, odio digni sunt et perditione. Et quamvis omne mendacium peccatum sit, de hæreticis tamen hoc maxime intelligere debemus, et de omnibus aliis qui, causa decipiendi alios, mentiuntur (408). Hoc etiam et sequentia significare videntur.

« Virum sanguinum et dolosum abominabitur « Dominus. » Vir sanguinarius omnis homicida dici potest. Sed quia subdidit, et dolosum, de hæreticis hoc intelligendum est, qui per dolos et deceptionem animas hominum interficiunt. Et certe multo periculosior est mors animæ quam hæretici interficiunt, quam sit mors corporis, quam cæteris homicidæ faciunt, quoniam illa æterna est, hæc autem temporalis ; illa separat animam a Deo, ista solummodo a

(406) *Dormiam*, « finem vitæ vult intelligi *Requiescam*, futuram beatitudinem indicare monstratur, quando jam requies dabitur sanctis et gloriosa pausatio. » CASSIOD.

(407) Eamdem interpretationem habet D. Augustinus, qui Ecclesiæ promissam Dei hæreditatem probat. Eamdem etiam Cassiod.

(408) Hanc, et sequentem interpretationem agit Cassiodorus; qui gravius ait peccare hæreticos alios fallentes, quam a mandatis solummodo deficientes.

Digitized by Google

corpore dividit. Merito igitur talis homo abominatur a Deo, qui omni fera crudelior est.

« Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo, Domine, in domum tuam. » Ecce modo consequitur Ecclesia hæreditatem, sicut in titulo hujus psalmi de ea scriptum **308** est. Domum namque Dei, quam se introire confidit, cœlestem patriam, et terram viventium intelligimus; in quam videlicet domum non ex suis meritis, sed in multa Dei misericordia se introire dicit : « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32). »

« Adorabo ad templum sanctum tuum in timore « tuo. » Templum Dei Christi humanitas est, in qua habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II, 9). Hanc autem adorare debemus, sicut in alio psalmo nobis præcipitur : « Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum (409) pedum ejus, quoniam sanctum est (*Psal.* XCIII, 5). » — « Cœlum mihi sedes est, dicit Dominus, terra autem scabellum pedum meorum (*Isa.* LXVI, 1). » Si enim terra scabellum Dei est, et scabellum Dei adorare debemus, ergo et terram adorare debemus. Nulla autem alia terra est, quæ adoranda sit, nisi hæc sola, quam Verbum Dei sibi conjunxit, id est Christi humanitas, quæ hoc in loco templum Dei vocatur. Hanc adorant sancti quanto tempore in hac vita sunt, et hanc adorant, quando ibi sunt. Et quidem in timore Dei, quia sic eam timent, et adorant, sicut ipsum Patrem et Deum.

« Deduc me, Domine, in tua justitia. » Ego, inquit Ecclesia, ad suscipiendam hæreditatem festino, sed dum in hac vita sum, tua maxime protectione indigeo. Unde multum te rogo ut in tua justitia me deducas, et ab ea justitia me declinare non permittas. Ecce enim inimici mei maligni spiritus, Judæi, hæretici, et tyranni omnibus modis iter meum impedire nituntur. « Tu vero propter inimicos meos, » ne a recto itinere me separare valeant, « dirige in conspectu tuo viam meam. »

« Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eo« rum vanum est. » Ideo, inquit, timendi sunt, quia cum mendacio et deceptione omnia faciunt, utpote in quibus veritas non est, et quorum cor omni bonitate vacuum est.

« Sepulcrum patens est guttur eorum. » Sepulcrum quando clausum est non fetet, apertum vero sui fetoris plenitudinem manifestat. Tales enim sunt hæretici, qui utinam semper tacuissent, et nunquam fetoribus suæ hæresis alios violassent. Sed sicut sequitur semper « linguis suis dolose agunt, » et simplicium animas occidunt, et glutiunt. « Judica illos, « Deus. » Jam quasi stomachata loquitur, et quia eos sustinere non valet, judicium, et damnationem eis imprecatur.

« Decidant a cogitationibus suis. » Ecce iterum compatiendo loquitur, et magis illorum vitam quam mortem affectat. « Judica, » inquit, « illos Deus, » nisi « decidant a cogitationibus suis, » quibus fideles tuos se subvertere posse confidunt. « Et secundum mul« titudinem impietatum eorum expelle eos. » Unde, et quo? Ab Ecclesia tua in ignem æternum : hoc enim sequitur post judicium. Et hoc merito, « quo« niam exacerbaverunt te, Domine. » Nulli enim ita Dominum exacerbant, et ad iracundiam provocant, sicut hæretici, quia nulli tantum Ecclesiæ nocent. Tyranni enim in corpora, hæretici vero in animas sæviunt.

« Et lætentur omnes qui sperant in te. » Læti lætitia spirituali, et æterna; et hoc est illud quod sequitur. « In æternum exsultabunt, et habitabis in « eis. » Quæ enim lætitia tam magna quam desiderium, et amorem suum ante oculos semper habere? « Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen « tuum. » — « Qui gloriatur, » inquit Apostolus, « in Domino glorietur (*II Cor.* X, 17). » Aliam gloriam nesciunt sancti, quia nihil se, nisi a Deo habere sciunt, in quo debeant gloriari. Unde et alibi dicunt : « In Domino faciemus virtutem (*Psal.* LIX, 14). » Nam et ipse Dominus de se ipso ait : « Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est (*Joan.* VIII, 54). » Hoc videlicet significans, quia ipsa suæ humanitatis gloria ad divinitatem referenda erat.

« Quoniam tu, Domine, benedices justo, et scuto « bonæ voluntatis coronasti nos. » Merito, inquit, Domine, sancti tui in te lætantur, qui tantam a te retributionem exspectant. Sciunt enim, quoniam benedices eos illa desiderabili et diu exspectata benedictione, qua eos benedicturus es in judicio, dicens : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34). » — « Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coro« nasti nos. » In te, inquiunt sancti, totaque Ecclesia lætari, Domine, et gloriari debemus, quoniam ecce sumus quod sumus, in te inimicos superamus, et a te modo coronati sumus. Tuæ bonæ voluntatis protectione, et defensione, quasi scuto forti, et insuperabili muniti semper, atque defensi.

309 PSALMUS VI.

IN FINEM IN CARMINIBUS PRO OCTAVA, PSALMUS DAVID.

Quid significet « in finem, » et « in carminibus, » et « Psalmus David, » jam superius exposuimus. Quia igitur in multis psalmis hic unus titulus est, una nobis expositio sufficiat. Quod autem ait « pro octava » ad diem ultimæ resurrectionis refertur. Illa enim dies, quæ prima est, ipsa est et octava, quæ dies Dominicus vocatur, in qua Christus Dominus a mortuis resurrexit. De qua die alibi dicitur : « Hæc est dies, quam fecit Dominus; exsultemus et lætemur in ea (*Psal.* CXVII, 14). » Hac enim die creavit Deus cœlum, et terram, et lucem a tenebris separavit; hac die, ut modo diximus, resurrexit; hac die Spiritum sanctum discipulis dedit; hac die mundum in justitia et æquitate judicans, unicuique dabit secundum opera sua.

« Domine, ne in ira tua corripias me, neque in

(409) Cod. Ghisian. *pedum meorum.*

Digitized by Google

« furore tuo corripias me. » Istæ affectiones in Deo non sunt, in eo tamen esse videntur, quando ea facit, quæ illi facere solent, in quibus sunt. Semper autem sancta Ecclesia memor est illius octavæ, semperque hunc psalmum cantat in memoriam illius diei. Rogat igitur Dominum, ut paterna pietate, et misericordia eam corripiat, et non ira, et furore, sicut illos, quos in illa die octava tam dura, terribilique sententia judicaturus, et damnaturus est (410).

« Miserere mihi Domine quoniam infirmus sum. » De animæ infirmitate loquitur, quæ major est, quam infirmitas corporis. Hoc enim sequentia manifestant, dum dicit : « Et anima mea turbata est valde. » Quoties enim homo peccat, toties anima infirmatur. Et quoties ad pœnitentiam redit, toties ab infirmitate convalescit. « Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. » Suis ossibus sustentatur corpus, quæ si defecerint, stare non potest. Similiter autem et anima suis ossibus sustentatur, et portatur, quæ si conturbata fuerint, miserabiliter ruit. Sed quæ sunt ossa animæ? Primum quidem fides, spes, et charitas, deinde ratio, sapientia, memoria, et intellectus, postea vero cæteræ virtutes. Hæ vero infirmantur in anima, quando aliquod magnum peccatum homo committit. Pro his enim, qui majora peccata commiserunt, modo quidem sancta Ecclesia orare videtur, dum non unum, vel duo, sed omnia ossa, et totam animam valde conturbatam esse dicit. Quamvis enim pro omnibus orandum sit, pro his tamen maxime hoc faciendum est, qui majori detinentur infirmitate.

« Et tu Domine usquequo? » Usquequo, inquit, o Domine, differs medicinam, et non subvenis animæ, tanta, et tam gravi infirmitate laboranti? « Convertere, et eripe animam meam. » Quandiu in peccatis homo perseverat, iratus et adversus est ei Deus. Si autem ad pœnitentiam convertatur, statim placatur, et pœnitentiam respicere dignatur. « Salvum me fac, » non meis meritis, quia merita nulla sunt, sed « propter misericordiam tuam. » Salva me, inquit, et sana animam meam, ne infirmitas ista me ad mortem, et ad inferos trahat, et mergat. Hoc enim illis contingit, qui usque ad mortem in peccatis perseverant, et pœnitentiam recipere negligunt. Tales enim nulla venia digni sunt, et nihil est, quod eis ulterius subvenire possit. Unde et subditur :

« Quoniam non est in morte qui memor sit tui; « in inferno autem quis confitebitur tibi? » Apparet igitur eos per omnia esse damnatos, qui neque Dei memoriam habent, neque suorum peccatorum veniam quærunt; et ne mihi quoque dicit Ecclesia, similia contingerent, feci quod sequitur :

« Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas « noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum « rigabo. » His autem verbis apertissime docet, quid illis agendum sit, qui magna peccata commiserunt. Laboravi, inquit, et in omnibus modis operam dedi, ut ea quæ commiseram peccata delerentur; neque vero adhuc cessabo; sed per singulas noctes lectum meum lavabo, et lacrymis stratum meum rigabo. Per lectum, et stratum corda nostra intelligere debemus, in quibus peccata et oriuntur, et continentur. Unde et Dominus in Evangelio ait : « Ex corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, perjuria, falsa testimonia, et similia, quæ coinquinant hominem (*Matth.* xv, 19). » (411) Lavandus est igitur ille lectus, qui his sordibus coinquinatur. Quod nimirum faciebat ille, qui dicebat : « Cor mundum crea in me, Deus (*Psal.* l, 11). » Unde et Salomon ait : « Omni custodia serva cor tuum (*Prov.* iv, 23). » Hoc autem et publicanus ille intelligens pectus suum percutiebat, quoniam in illo lecto sui pectoris peccata, quæ commiserat, esse sciebat. Sed quid est per singulas noctes lectum suum lavare, **310** nisi pro unoquoque peccato jejuniis, et orationibus, præcipuaque lacrymarum inundatione satisfactioni, et pœnitentiæ operam dare? Noctes autem dicuntur peccata, quæ et in tenebris fiunt, et ad tenebras omnia trahunt. Unde et Dominus ait. « Omnis qui male agit, lucem fugit (*Joan.* iii, 9). » Et Joannes apostolus. « Qui odit fratrem suum in tenebris manet, et nescit quo vadat, quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus (*I Joan.* ii, 11). » Per tenebras videlicet peccata significans.

« Turbatus est præ ira oculus meus. » Iste est ille oculus, de quo in Evangelio Dominus ait : « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; quod si nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit (*Luc.* xi, 34). » Quid est igitur iste oculus, nisi catholicus intellectus? Hunc igitur oculum sancta mater Ecclesia sibi propter iram turbatum esse dicit. Bona ira, qua talis oculus conturbatur, bona conturbatio, de qua sancta Ecclesia gloriatur. De hac ira in alio psalmo dicitur : « Irascimini et nolite peccare (*Psal.* iv, 5). » Irascitur igitur, et turbatur Ecclesiæ oculus, id est catholicus intellectus contra inimicos suos, per quos Judæos, hæreticos, tyrannos, et malignos spiritus intelligimus, qui eam a veritate separare, et ad suæ pravitatis errorem trahere conantur. Et non mirum si irascantur; quoniam non paucis diebus, sed longo jam tempore scandalum deceptionis, et hanc malæ persuasionis persecutionem ab eis passa est. Unde et subditur: « Inveteravi inter omnes inimicos meos. » Jam quasi dicat, eos me audire tædet, et eorum errores audire fastidio. Unde et valde convenienter subdidit, dicens:

« Discedite a me omnes, qui operamini iniquita-

(410) « Petit ergo, ut ante judicium, non in judicio corripiatur; quia qui ibi arguitur, sine dubitatione damnatur. Et mente condendum est, quod dies judiciiro timore magnitudinis suæ ira, et furor vocaptur. » Cassiod.

(411) « Lectus est hoc loco appellatus ubi requiescit animus æger, et infirmus, id est in voluptate corporis, et in omni delectatione sæculari; quam delectationem lacrymis lavat, qui sese ab illa conatur extrahere. » August. *Enar. in Ps.*

Digitized by Google

« tem. » Quoniam nihil jam vobiscum habeo. « Nulla conventio Christi ad Belial, nulla pars fideli, » dicit Apostolus, « cum infideli (*II Cor*, VI, 15). » « Quo « niam exaudivit Dominus vocem fletus mei. » Hoc est enim quod superius ait : « Lacrymis meis stratum meum rigabo. » Sed nondum quod ait : « vocem fletus mei. » Altius enim sonat, et clarius a Domino auditur vox lacrymarum, quam linguæ et oris. Et inde est quod alibi dicitur. « Non taceat pupula oculi tui (*Thren.* II, 18). »

« Exaudivit Dominus deprecationem meam, Do« minus orationem meam suscepit. » Quando unum idem toties repetitur, ideo fit ut constantius, firmiusque credatur.

« Erubescant, et conturbentur omnes inimici mei, « avertantur retrorsum, et erubescant valde veloci« ter. » Hæc verba et in bonam, et in malam partem accipi possunt. Et sicut in superiori, ita et in hoc versu idem sæpius repetitur. Videtur mihi tamen quod sancta Ecclesia magis conversionem inimicorum, quam eorum mortem desideret. Potest igitur ad bonam partem sic intelligi : « Erubescant, » quia contra veritatem pugnaverunt; « et conturbentur, » contra seipsos, erroresque suos. « Avertantur retrorsum » a falsitate quam sequuntur, et ad veritatem redeant quam destruere nituntur. « Et erubescant valde velociter. » Tempus enim breve est, judicium instat; qui dedit hodiernam diem, non promisit dubium cras, « novissima hora est (*I Joan.* II, 18). » « Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). » — « Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam (*Matth.* IV, 42). »

PSALMUS VII.

PSALMUS DAVID QUEM CANTAVIT DOMINO PRO VERBIS CHUSI FILII JEMINI.

Semei, filius Jera, David regi maledixisse legitur (*II Reg.* XVI, 6), cum fugeret a facie filii sui Absalon, pro cujus verbis iste psalmus factus esse putatur. Mutato itaque nomine vocatur Chusi, ideo fortasse quia Semei bonam, Chusi vero malam habet interpretationem. Interpretatur autem Chusi *Æthiops* : Semei autem *audiens Dominum*; Jemini autem *dextera* interpretatur. Et merito quidem Chusi vocatur, ut mente et corpore fedus fuisse credatur, qui tanto regi, et prophetæ maledicere non dubitavit. Dicitur autem fuisse filius Jemini, ut hoc ei oppositum fiat, quod tam nequam de bono patre genitus sit (412).

« Domine Deus meus in te speravi, libera me ab « omnibus persequentibus me, et libera me. « Hæc vox ipsius Prophetæ est, et aliorum omnium, qui ejusdem perfectionis sunt. Isti autem in solo Deo spem habentes omnes suos persecutores et inimicos vicerunt, et contempserunt. Quamvis enim aliquando occiderentur, victores tamen erant, quoniam a sua fidei stabilitate nullo tormentorum genere divelli poterant. Et hanc quidem fortitudinem non suis viribus imputabant, sed soli Deo, qui nunquam deserit sperantes in se.

« Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non « est qui redimat, neque qui salvum faciat. » Inimicus noster diabolus, sicut scriptum est, « tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret (*I Petr.* III, 8); » cujus dentes, et insidiæ illi soli effugere potuerunt, qui in Domino sperantes, ab ipso et liberati, et salvati sunt. Unde iste prius dixit : « Domine Deus meus, in te speravi. » Deinde vero suæ spei retributionem quærens subdidit, dicens : « Libera me, et eripe me, **311** « Domine Deus meus, si feci istud? » Quod iste Chusi niger, et Æthiops, et veritatis inimicus mihi improperat, hoc est. « Si est hæc iniquitas in « manibus meis, » quam ipse dicit, et « si ego red« didi retribuentibus mihi mala, » sicut ipse mentitur, « decidam merito, » id est sicut dignum et justum est, « ab inimicis meis inanis. » Hæc autem sunt verba Semei, quem ipse David mutato nomine non immerito vocat Chusi. « Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial; reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo (*II Reg.* XVI, 7). » (413) Hoc autem falsum esse omnes cognoscunt quicunque Regum historias legunt, et intelligunt. *Inanis* autem intelligi potest, qui virtute et fortitudine, omnique virtute vacuus est. Unde hæc talis imprecatio dura valde esse videtur, quam utique David non fecisset, nisi veritatem dicere certissime sciret : sequitur adhuc de ipsa eadem imprecatione :

« Persequatur inimicus animam meam, et com« prehendat eam, et conculcet in terram vitam « meam, et gloriam meam in pulverem deducat. » In illum videlicet pulverem, de quo in Psalmo dicit : « Quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4). » Per quem impii, et peccatores intelliguntur, quibus quicunque associatus fuerit, nullam omnino gloriam habebit. Vita vero illius in terra a diabolo conculcatur, qui, ejus iniquis persuasionibus superatus, sola terrena et transitoria quærit. Sequitur :

« Exsurge, Domine, in ira tua, et exaltare in fi« nibus inimicorum tuorum. » Ostende, inquit, iram, et indignationem tuam, ostende patientiam, et fortitudinem tuam in terra inimicorum tuorum. Jam tunc videbat propheta, et per Spiritum sanctum in-

(412) Aliter interpretatur hunc titulum; Isid. clarius.

(413) Supponit S. Bruno satis notam historiam Semei filii Gera de cognatione domus Saul, qui partes Absalonis secutus, rebellis et hostis factus est David. Hic autem improperavit ipsi regi David, quod Absalonis sanguinem effuderit, regnumque, eo interfecto, invaserit. Falsum hoc ait commentator noster ex eadem sacra Scriptura *II. Reg.* XVI, ex qua hujusmodi Semei vel Chusi improperium, aut exsecratio habetur. Cum autem propheta Deum deprecans in sui adjutorium, de se loquatur, ait inimicis sibi infestis, et ad mortem persequentibus mala non retribuisse; ac proinde sperabat nunquam sibi defuturum divinum auxilium. S. Augustinus hoc in loco docet, hæc a quacunque anima perfecta, quæ suis inimicis benefaciat, usurpari posse.

Digitized by Google

telligebat, quando ista scribebat, quid illa maledictio significabat, quam contra ipsum Chusi faciebat. Hæc est enim illa maledictio, de qua ipse Dominus ait : « Maledicent illi, et tu benedices (*Psal.* CVIII, 28). » Ergo Semei maledicendo David Judæorum populum significabat, qui hanc maledictionem contra Dominum, et Salvatorem nostrum facturus erat, quasi qui regnum Patris invasisset, et se falso Dei Filium esse dixisset, contra quos Apostolus loquitur, dicens : « Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Phil.* II, 6). » Isti sunt igitur illi inimici, de quibus modo Propheta ait : « Exsurge, Domine, in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum tuorum. »

« Exsurge, Domine Deus, in præcepto quod mandasti. » Præcepit Dominus filiis Israel, ut inimicos suos interficerent, et usque ad internecionem omnes delerent. Rogat igitur, secundum hoc præceptum, ipso quoque inimicis suis faciat, et populum illum ingratum, impium, et proditorem occidat, et disperdat, et gentium populum qui melior est in hæreditatem sibi associet. Hoc est enim quod sequitur : « Et synagoga populorum circumdabit te. » Synagoga populorum gentium populus est, qui prius quidem in tenebris sedebat ; nunc vero Christi lumine illustrata eum sicut regem et Dominum circumdat, colit, et veneratur.

« Et propter hoc in altum regredere. » Propter hanc enim Dominus, et Salvator noster et passus est, resurrexit, et cœlos ascendit : quia nihil horum fecisset, nisi Ecclesiam dilexisset. Ascendit igitur, ut eam traheret ad seipsum, sicut ipse alibi ait : « Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (*Joan.* XII, 32). » — « Domine judica populos. » Non ulterius habeant, inquit, illum judicem, et regem, quem habere solebant ; sed tu prorsus judica, qui es justus judex, qui omnia judicas in æquitate. « Judica me Domine. » Tu, inquit, me judica, qui mei cordis secreta cognoscis, et fac alios intelligere, quia non sum talis, qualem Chusi me esse dicebat. Hoc autem fiet in judicio, quando hujus viri beatissimi puritas, et innocentia, et ipsi Sauli, et cunctis aliis revelabitur. Judica igitur, sed quomodo?

« Secundum justitiam meam et secundum innocentiam manuum mearum super me. » Felix conscientia, quæ tale sibi de seipso testimonium reddit. Sed quare dixit : « super me. » Si enim manus nostræ, per quas videlicet ossa manuum nostrarum intelligimus innocentes sunt, super nos utique sunt. Major est igitur innocentia nostra, quam nos ipsi, quia sine innocentia miseri sumus ; felices vero, si eam habeamus.

« Consumetur nequitia peccatorum, et dirige justum, scrutans corda et renes Deus. » Hoc autem sic potest intelligi, ut ipse David specialiter de se ipso loquatur, ut nequitia peccatorum, qui simul cum filio suo Absalon eum tunc temporis persequebantur, consumetur, et cito finiatur. Et ipse qui justus est, et innocens est, ad regni sui gubernacula dirigatur. Quod autem ait : « scrutans corda, et renes Deus. » Tale est ac si diceret : tu omnia vides, te nihil latet, te ea quæ dico vera esse cognoscis ; et renes, et corda scrutatur Deus, quia quid in corde habeamus, et quid in renibus, ubi luxuria dominatur, ipse intelligit.

« Justum adjutorium a Domino, qui salvos facit « rectos corde. » Hæc autem dicit **312** gratias agendo, quasi jam exauditus, et in regnum a Domino restitutus. Recti corde illi sunt, qui neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantes, firmi stabilesque in veritate persistunt : quibus illi contrarii esse videntur, de quibus dicitur : « In corde, et corde locuti sunt mala. »

« Deus justus fortis, et longanimis, numquid irascitur per singulos dies? Nisi convertamini, (414) « arcum suum vibrabit. » In se ipso probavit hoc propheta, quia Deus est justus judex, et ideo dixit : « Justum adjutorium meum a Domino. » Unde et alibi ait : quia « reddet unicuique secundum opera sua (*Psal.* LXII, 13). » Quod utique non fecisset, si justus judex non fuisset. Bene autem subditur, « et fortis, » ut data sententia, volentes nolentesque id quod judicatum est, teneant, et custodiant. Sed ne districtus nimium, et severus putaretur, addidit, « et longanimis ; » non enim statim punit, sed in multa patientia peccatores exspectat quia « non vult mortem peccatoris ; » sicut Propheta ait, « sed magis ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII, 11). » Unde et sequitur : « Nunquid irascitur per singulos dies? » Si enim longanimis, et patiens non fuisset per singulos dies, imo per singulas horas atque momenta irasceretur, dum tanta in nobis est frequentia peccandi. Verumtamen quamvis tam benignus et patiens sit, nisi convertamini, nulla (subauditur) ulterius excusatio erit. Quoniam sicut ipse ait : « Nisi venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent ; nunc autem excusationem non habent de peccatis suis (*Joan.* XV, 22). » Unde et subditur :

« Gladium suum vibrabit. » Iste gladius sermo divinus, et Evangelica prædicatio intelligitur, de quo videlicet ait : « Vivus est enim Dei sermo, et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV, 12) ; » de quo et alibi dicit : « Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Eph.* VI, 17). » Tali autem gladio sancti prædicatores armati sunt, de quibus dicitur : « Et gladii ancipites in manibus eorum (*Psal.* CXLIX, 6). » Hunc igitur gladium vibrabit Dominus, quando suis discipulis ait : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII 19). » Quæ igitur excusatio esse potest? « In omnem terram exivit sonus eorum, et in finem orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5). »

« Arcum suum tetendit, et paravit illum, et in « ipso paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus « effecit. » Idem autem et per gladium, et per ar-

(414) Eadem lectio apud Cassiodorum.

Digitized by Google

cum significatur. Hunc autem arcum, id est utriusque Testamenti doctrinam, tunc temporis Salvator noster tetendit, et paravit, quando librum septem sigillis signatum aperuit, et suis discipulis sensum dedit, ut Scripturas intelligerent (415). Vasa vero mortis, quæ hunc arcum ferunt, apostoli, et doctores sunt, de quibus ipse vas electionis beatus Paulus apostolus ait : « Aliis sumus odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem (*II Cor.* II, 16). » Isti autem sagittarii vitia, et malignos spiritus interficiebant, et de his habitaculis igne sancti Spiritus sagittis inflammati pellebant. Et hoc est quod ait : « sagittas suas ardentibus effecit. » Istæ sagittæ, illæ sententiæ sunt, quas sancti apostoli, et doctores in suis sermonibus proferebant. Bene autem his, qui ardentes sunt has sagittas Dominus et fecit, et dedit, ut tali igne succensi alios inflammarent, et quoscunque tangerent, ad Dei amorem succenderent. Sequitur :

« Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, « et peperit iniquitatem. » Hic autem versus ibi continuatur, ubi dicitur : « Ne quando rapiat ut leo animam meam. » Quem enim alium fructum diabolus concipere, vel parere potuit, nisi injustitiam, dolorem, et iniquitatem? Ipse enim hoc in hominibus operatur, ut injusti, et iniqui sint, ac per hoc ad dolorem, et omnium pœnarum miseras simul secum eos perducat. Talis enim est operatio illius, talis doctrina, talis et fructus doctrinæ. Unde et subditur :

« Lacum operuit, et effodit eum, et incidit in « foveam quam fecit. » Lacus iste infernus est, quem ipse diabolus et fecit, et aperuit. Talis est enim oratio illius, malus artifex, qui in solis tormentis, et tormentorum locis construendis delectatur. Nec cessat quotidie effodere aliis majorem, aliis minorem, pro ut digni sunt, foveam parat. Sed ipse quoque cadet in foveam, quam fecit : quia ignis æternus et sibi paratus est, et angelis ejus. Et tunc fiet ei quod sequitur :

« Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in ver« ticem ejus iniquitas ejus descendet. » Quanto enim omni creatura iniquior est, tanto ei major pœna parata est. « Ego vero, » inquit Propheta, « confite« bor Domino, et laudabo Dominum secundum justi« tiam ejus; » quia tam justus est, ut nunquam a justitia separetur. « Et psallam nomini Domini al« tissimi. »

313 PSALMUS VIII.

IN FINEM PRO TORCULARIBUS PSALMUS DAVID

Quid significet in finem, et quod Psalmus David dictum est. Torcularia vero tot sunt, quot sunt Ecclesiæ, ubicunque sunt. In his torcularibus illud vinum conficitur, et propinatur, quo sancti omnes inebriati, terrenorum omnium obliviscuntur. Unde in alio psalmo dicitur : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV, 9). » Hoc vino ebrii erant illi, qui cum linguis omnium loquerentur, insani esse putabantur (416).

« Domine Dominus noster, quam admirabile est « nomen tuum in universa terra. » Sic loquuntur ebrii, sic loquuntur illi, qui sanguinem Christi bibere meruerunt. Lætantur quod nomen summi et æterni Dei jam non solum in Judæa, ut quondam, sed ubique gentium laudatur et prædicatur; et qui prius multa nomina falsorum deorum venerabantur, nunc unius solius, et veri Dei nomen laudant et prædicant.

« Quoniam elevata est magnificentia tua super « cœlos : ex ore infantium, et lactentium perfecisti « laudem. » Ex eo namque tempore cœpit hoc nomen admirabile esse in universa terra, ex quo magnificentia Dei super cœlos elevata est. Magnificentia Dei Christus est, vel quia Pater per Filium magnificatus est, vel quia ipse Filius tam magnus a Patre factus est, ut omnis creatura, et quæ in cœlis, et quæ in terra est, ei subjiciatur : unde et in sequentibus dicitur :

« Omnia subjecisti sub pedibus ejus. » Hæc autem ad humanitatem subjicienda sunt, et quod super cœlos elevatus, et quod magnus dicitur esse factus. Divinitas enim quæ ubique est, quomodo vel ascendere, vel descendere potest? Infantes autem et lactentes illi sunt, de quibus beatus Petrus Apostolus ait : « Quasi modo geniti infantes sine dolo, rationabiles, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem (*I Petr.* II, 2). » Per quos videlicet omnis Christiana multitudo intelligi debet. De talibus enim Dominus ait : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII, 3). » Et Apostolus : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* XIV, 20). »

« Propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et « defensorem. » A talibus, inquit, tam puris, tam innocentibus et religiosis laudes tuas prædicare voluisti, ut qui olim per vilissima animalia Pharaonem superasti, nunc per simplices et infantes omnes tuos inimicos superares. Inimici autem et defensores illi sunt, qui errorem et falsitatem quibuscunque argumentationibus defendunt. Quod quidem, quamvis et aliis conveniat, de hæreticis tamen specialiter intelligi debet.

« Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum « tuorum, lunam, et stellas, quæ tu fundasti. Quia « elevata est, » inquit, « magnificentia tua super cœ-

(415) Tota est ex Augustino hujusmodi interpretatio. Ait enim : « Arcum ergo illum, Scripturas sanctas libenter acceperim, ubi fortitudine Novi Testamenti, quasi nervo quodam, duritia Veteris flexa et edomita est. Hinc tanquam sagittæ emittuntur apostoli, vel divina præconia jaculantur. » Ita enim commentatus est Cassiod.

(416) Idem sentit D. August. de tituli hujus significatione.

Digitized by Google

« los. » Restat nunc ut et nos illuc ascendamus, et videamus opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti. Hoc enim ipse quoque Dominus dixerat : « Pater volo, ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum (*Joan.* XVII, 24). » Per lunam autem et stellas, totam universaliter Ecclesiam, et unumquemque fidelium singulariter intelligimus. Hæ sunt illæ stellæ, de quibus Apostolus ait : « Stella enim differt a stella in claritate; sic erit et resurrectio mortuorum, quia alia erit claritas lunæ, et alia claritas stellarum (*I Cor.* XV, 42). » Opera autem digitorum Dei sancti dicuntur, qui Spiritus sancti gratia in hac tanta plenitudine formati sunt, ut sicut sol fulgeant in regno Dei. Quod autem per digitum Dei Spiritus sanctus intelligi debeat, ipse Dominus ostendit, dicens : « Si ego in digito Dei ejicio dæmonia; filii vestri in quo ejiciunt? (*Luc.* XI, 20) » De quo digito magos quoque in Ægypto dixisse legimus. « Digitus Dei est hic. » Hos autem fundavit Dominus, et sic fundavit et in fide sua, et in Ecclesia sua, ut inde nullo modo divelli possint.

« Quid est homo, quia memor es ejus, aut filius « hominis (417), quoniam visitas eum? Minuisti « eum paulo minus ab angelis, gloria et honore co- « ronasti eum, et constituisti eum super opera ma- « nuum tuarum. » De quo autem homine hic intelligere debeamus, docet nos in epistola ad Hebræos Apostolus, ubi ait : « Eum qui paulo minus ab angelis minoratus est, videmus Jesum propter tolerantiam passionis (*Hebr.* II, 9). » Admirando igitur dicit, « quid est homo, aut filius hominis? » qui (418) talis tantusque est, ut humana lingua explicari non possit. Coronatum autem eum esse ostendit, quia dimicavit, et legitime certavit. « Et constituisti eum « super opera manuum tuarum; » hoc autem exposuit, dum dicit :

314 « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, « et boves universas, insuper et pecora campi. Vo- « lucres cœli, et pisces maris, qui perambulant se- « mitas maris. » Et de ovibus quidem in Evangelio Dominus ait : « Oves meæ vocem meam audiunt (419) (*Joan.* X, 27). » Boves autem episcopi sunt et doctores, a quibus ager Dei, qui est Ecclesia, colitur et aratur. Pecora autem campi omnes illi, qui extra Ecclesiam sunt, intelligi possunt, de quibus historiographus ait : « Qui sunt veluti pecora, quos prona « finxit (420), et obedientia ventri? » Unde et egregie dixit : « Insuper et pecora campi. » Quia non solum fideles, verum etiam infideles, quamvis nolentes, Christo Domino subjecti sunt. Sed quid per volucres cœli, nisi omnes angelos et bonos et malos intelligamus. Pisces vero maris potentiores hujus sæculi mihi esse videntur, qui ad prædam semper parati hoc mare magnum et spatiosum perambulant, circumdant, affligunt et possident. Omnia in his paucis verbis enumerata sunt, quæ memoriæ digna fuerunt. Constat igitur sibi omnia esse subjecta (421). Iste psalmus non finitur, quia tunc incipit, cum finiri videtur; et ideo fortasse, quia laudes Dei semper cantari, et nunquam finiri debent (422).

PSALMUS IX.

IN FINEM PRO OCCULTIS FILII : PSALMUS DAVID.

Occulta Filii Dei illa sunt, quæ nec ipsis suis discipulis in hac vita manifestare voluit. Cum enim apostoli eum quondam interrogarent, et dicerent : « Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel (*Act.* I, 6) : » respondit eis : « Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate (*ibid.*). » Unde et alibi ait : « De die autem illa, et hora nemo scit, nisi Pater solus (*Matth.* XXIV, 36). » Bene autem in finem hic psalmus titulatur, quoniam ad sæculi consummationem, et ad tempora Antichristi ea quæ hic dicuntur, referenda sunt.

« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, « narrabo omnia mirabilia tua. » Ecclesia loquitur, et non labiis tantum, sed toto corde, totaque mentis affectione Deum se laudare, et omnia mirabilia narrare promittit, ut et nos discamus qualiter Deum laudare debeamus. Quod autem ait : « Narrabo « omnia mirabilia tua. » sic est determinandum, quæcunque ad meam notitiam pervenire poterunt.

« Lætabor, et exsultabo in te, et psallam nomini « tuo, Altissime. » Alli, inquit, in sæculi honoribus et dignitatibus lætentur et exsultent; mihi vero sufficit ut tibi soli placere, quem et tuum nomen laudare, et prædicare valeam.

« In convertendo inimicum meum retrorsum. » Quod enim ait, « in convertendo, » tale est ac si diceret : Dum convertam inimicum meum retrorsum, in te lætabor et exsultabo. Neque enim humana virtute retrorsum converti, vel fugari diabolus potuisset, nisi divinum auxilium præsentialiter adesset. Unde et subditur : « Infirmabuntur, et pereant a « facie tua (423). » Non enim humana fortitudo, sed facies Dei, quam sustinere non potest, cum terret, ut retrorsum convertatur. Prius singulariter inimicum dixit; sed ut multa millia in ejus exercitu esse

(417) Non idem exprimi illis verbis : *homo, aut filius hominis* docet Augustinus; sed in primo hominem veterem et terrenum; in secundo hominem novum et cœlestem designari. De hoc secundo tantum loquitur commentator noster, supponens alterum intelligi.

(418) Id. cod. Ghisianus *quia*.

(419) Id eod. Ghis. « Per quos videlicet tota fidelium multitudo intelligitur. »

(420) Id. cod. Ghis. *Quos natura prona finxit*.

(421) Perfecte consonat interpretatio Brunonis cum August.

(422) In Psalterio tamen Basilicæ Vaticanæ repetitur primus versus : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!*

(423) Tam vulgata, quam textus apud S. August. habent : *Infirmabuntur, et peribunt a facie tua.* Eodem modo legitur apud Cassiodorium, ut in Brunone.

Digitized by Google

ostenderet, pluralem numerum subdidit, dicens : « Infirmabuntur, et percant. »

« Quoniam fecisti judicium meum, et causam « meam, sedes super thronum qui judicas æquita- « tem. » Ideo, inquit, inimicus meus vincitur; ideo fugatur, infirmatur et perit, quia justam causam habeo, et justum judicium mihi judicasti. Hoc est enim, quod dicit : « Judicium meum, et causam « meam justam fecisti; » id est, justam esse judicasti. In his verbis manifeste ostenditur, quia Dominus noster justus judex est, qui non personam sed causam attendit, qui nec ipsum diabolum a sua actione, vel accusatione, nisi justo judicio repellit; et hoc est, quod sequitur : « Sedes super thronum, « qui judicas æquitatem. » Indignum ergo est, ut in sede judiciaria sedeat, qui æquitatem neque judicat, neque intelligit.

« Increpasti gentes, et periit impius. » Sic enim in Evangelio Dominus ait : Quia veniens Spiritus sanctus, « arguet mundum de peccato (*Joan.* xvi, 8). » Increpavit igitur Dominus gentes apostolica prædicatione, in qua non ipsi, sed Spiritus sanctus loquebatur, sicut dixerat ipse Dominus : « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus sanctus, qui loquitur in vobis (*Matth.* x, 20). » — « Et periit impius; » quia tunc prius et regnum et potestatem diabolus amisit, qui usque ad id temporis omnes gentes in sua potestate tenebat et possidebat. « Nomen eorum « delesti in æternum, et in sæculum sæculi. » Omnia **315** nomina falsorum deorum, quæ in hoc uno nomine continentur; siquidem omnes dii gentium dæmonia, jam deleti sunt, quia nulla gens est, quæ modo eos veneretur, et colat.

« Inimici defecerunt frameæ in finem. » In finem, inquit, et ex toto defecerunt frameæ hujus nostri inimici, per quas tyrannos et hæreticos intelligere possumus. Et ideo quidem jam defecisse dicit, quia sine dubio eos defecturos esse cognoscit. Usitata locutio est, ut quod certissime futurum esse speramus, jam factum esse dicamus.

« Et civitates eorum destruxisti. » Fuit aliquando ipsa Roma, quæ aliarum civitatum caput est, civitas deorum; sed illa quidem, quæ illorum erat, jam destructa est; jam simul cum illis in tormentis est. Hæc vero, quæ nunc est, non illorum; sed sanctorum apostolorum, et ipsius Dei civitas est.

« Periit memoria eorum cum sonitu. » Sic enim periit Jericho, quorum muros non machinis, non arietibus, nec aliquo impetu, sed solo tubarum clangore cecidisse legimus. Cum sonitu igitur falsorum deorum memoria periit, quia prædicantibus apostolis idola confracta et templa destructa sunt. « Et « Dominus in æternum permanet, cujus regni non « erit finis. »

« Paravit in judicio sedem suam. » Sedes Dei apostoli sunt, sedes Dei episcopi sunt et sacerdotes, in quibus Deus sedet et judicat; non enim ipsorum est judicium, sed Dei, quia non illorum est lex, qua judicant, sed Dei. « Et ipse judicabit orbem terræ in æquitate. Et modo quidem per istos, postea vero in illo judicio universali, et per seipsum, et per istos. « Judicabit populos cum justitia. »

« Et factus est Dominus refugium pauperum. » Illorum videlicet pauperum, de quibus Apostolus ait : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* vi, 10). »

« Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. » Quod enim dixit in opportunitatibus, hoc subdendo, exposuit « in tribulatione; » quia tunc maxime Dei adjutorio indigemus, quando in aliqua tribulatione sumus.

« Et sperent in te omnes, qui noverunt nomen « tuum, » quia, inquit, adjutor es, et in tribulationibus sanctos tuos non deseris; « Sperent in te omnes, qui quærunt nomen tuum; » — « quoniam « non derelinquis quærentes te, Domine. »

« Psallite Domino, qui habitat in Sion. » Sion specula interpretatur, per quam Ecclesia intelligitur, cujus speculatores sunt episcopi et doctores. Unde et Ezechieli dicitur : « Fili hominis, speculatorem posui te domus Israel (*Ezech.* iii, 17). »

« Annuntiate inter gentes mirabilia ejus. » Hoc quidem jam dictum est, « quia in omnem terram exivit sonus » apostolorum, « et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* xviii, 5). »

« Quoniam requirens sanguinem eorum memora- « tus est, et non est oblitus (424) orationem pauperum (425). » Annuntiate, inquit, et nolite timere; quia corpus quidem occidere possunt, animam autem occidere non possunt. Neque illorum obliviscitur Dominus, qui pro ejus nomine moriuntur, quoniam illorum sanguinem requirens, ipsorum quidem adversarios punit, eos vero in æternam beatitudinem inducit.

« Miserere mihi, Domine, et vide humilitatem « meam de inimicis meis. » Non est, inquit, Dominus oblitus orationes pauperum; clamantium subauditur, atque dicentium : « Miserere mihi, Domine, et vide humilitatem meam de inimicis meis; » a quibus, te jubente, tot et tanta sustineo

« Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem « laudes tuas in portis filiæ Sion. » Portæ mortis hæretici sunt, et quicunque ad mortem et perditionem animas hominum trahunt (426). Talis porta fuit Simon Magus, talis Arius et Sabellius, tales et multi alii, quorum doctrina et persuasione multæ animæ perierunt. Tyranni quoque portæ mortis fuerunt, qui terrore tormentorum multos negare fecerunt.

(424) Memoratus est autem, « nemo ita positum putet, quasi oblivio cadat in Deum; sed quia post longum tempus futurum est judicium. » S. Aug. enarr. in psal. ix.

(425) Eamdem lectionem secutus est Cassiodorius.

(426) « Porta mortis est diabolus, vel omnis illecebra sæcularis; quoniam per hæc ad æternum exitium infeliciter introitur. » Cassiod.

Digitized by Google

De his autem portis sancti liberati et exaltati laudes Dei annuntiare non cessant « in portis filiæ Sion, » id est in auditu et auribus animarum fidelium. Nam et aures portæ sunt, per quas sanctæ prædicationis verba ad corda fidelium (427) ingrediuntur.

« Et exsultabo in salutari tuo. » Exsultabo, inquit, tantum de salute mea, quæ temporalis est, quantum de salute tua, quæ æterna est. Hoc autem dicit de salute animæ, quæ (428) de portis mortis liberata, jam secura est, et ulterius mori non timet.

« Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt. « In laqueo isto, quem occultaverunt mihi, compre- « hensus est pes eorum. » Hoc est enim, quod alibi dicitur : « Qui fratri suo foveam parat, ipse prius cadet in eam (*Eccle.* x, 8). » Qui (429) alios decipere nituntur, ipsi absque dubio decipiuntur.

« Cognoscetur Dominus judicia faciens; in operibus « manuum suarum comprehensus est peccator. » Modo, inquit, ab impiis et peccatoribus non cognoscitur Dominus, neque adhuc suæ fortitudinis potentiam, et severitatem eis ostendit; sed potius super **316** eos solem suum oriri facit, et in multa patientia eos exspectat. Cognoscetur tamen, cum ad judicium venerit, et suæ majestatis gloriam ostenderit. Et tunc quidem lætabitur justus, cum viderit vindictam, « quia in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. » Tunc quoque super eos hæc sententia dabitur, quæ in sequenti versiculo declaratur :

« Convertantur peccatores in infernum, omnes « gentes, quæ obliviscuntur Dominum. » Si peccatores in inferno modo non essent, utique diceretur « convertantur peccatores in infernum. » Sed modo quidem ibi sunt, ubi, audita sententia, simul cum corporibus præcipitabuntur.

« Quoniam non in finem oblivio erit pauperum, « patientia pauperum non peribit in finem. » Nunquam enim fit, quod usque in finem non fit. Nunquam igitur patientia justi peribit, siquidem usque in finem non peribit. Unde manifestum est, ideo peccatores præcipue esse damnatos, quia pauperes Christi afflixere (430), quorum oblivio nunquam erit. Cum autem hæc Propheta diceret, et martyrum afflictiones, et tyrannorum atque hæreticorum persecutiones describeret, datum sibi divinitus est, ut majora conspiceret, et ipsum Antichristum, perditionis filium, videret, de quo scriptum est. « Quia extollet se, et elevabitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (*Thess.* II, 4). Erit autem tunc tribulatio talis, qualis, » sicut ipse Dominus ait, « nunquam fuit, neque erit (*Matth.* XXIV, 20). » Hoc igitur in spiritu Propheta conspiciens de tanta sanctorum qui tunc temporis erunt afflictione perterritus, exclamat, dicens :

« Exsurge, Domine, non prævaleat homo, judicen- « tur gentes in conspectu tuo. » Exsurge, inquit, Domine, sanctis tuis in adjutorium, quia tam iniquus est homo iste (431), ut nemo ei resistere possit (432). De hoc enim perditionis filio scriptum est, quia post se multos homines trahet, et ante se innumerabiles. Quod igitur ait, « judicentur gentes in conspectu tuo ; » tale est ac si diceret : Veni cito ad judicium et brevientur dies ejus, quoniam si iste iniquus diu regnaverit, omnes sancti tui peribunt. Hoc est enim, quod Dominus ait : « Nisi abbreviati fuissent dies illi, non esset salva omnis caro (*Matth.* XXIV, 22). » Regnabit enim, sicut scriptum est, « per tempus, et tempora, et dimidium temporis (*Dan.* VII, 26) ; » id est non amplius quam tribus annis cum dimidio.

« Constitue Domine legislatorem super eos ut « sciant gentes, quoniam homines sunt. » Exsurge, inquit, quasi dicat, in adjutorium fidelibus tuis, ne forte eis prævalere valeat. Super gentes autem, quæ eum sequuntur, et eum colunt, et adorant, legislatorem illum constitue, ut tandem sciant et intelligant, quoniam homines sunt, qui te relinquentes, hoc monstrum venerantur. Erit enim et ipse legislator, quia sicut fecit Moyses et Salvator noster, ipse quoque suam legem dabit. Quod autem ait, « quia homines sunt. » Tale fuit ac si dixisset, quia stulti et fatui sunt. Secundum quam significationem et Apostolus ait : « Cum alius dicat : ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, nonne homines estis ? (*I Cor.* I, 12.) »

« Ut quia, Domine, recessisti longe, despicis in « opportunitatibus, in tribulatione ? » Exsurge, ait, quid moraris ? Cur a servis tuis longe recessisti Quare in opportunitatibus, hoc est in tantis tribulationibus eis non subvenis ? Neque enim (433) opportunius erit illis adjutorium tuum, quam modo, cum tanti hostis persecutionem patiuntur.

« Dum superbit impius, incenditur pauper. » Ille, inquit, superbit et sævit ; pauper vero, id est S. Ecclesia, omni humano auxilio destituta, incenditur et cruciatur. Potest autem et sic intelligi, quia quanto amplius ille superbit et sævit, tanto amplius et illa in Dei amore succenditur et inflammatur.

« Comprehenduntur in cogitationibus suis, quas « cogitant. » Non diu, inquit, celabitur, non diu cordis illius malitia occultabitur ; sed cito et ipse, omnesque discipuli ejus, qui cum eo sunt, ejusdem iniquitatis et malitiæ conscii comprehendentur et confundentur ; de quibus in Evangelio Dominus ait : « Quia surgent multi pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia multa ; ita ut in errorem judicantur, si fieri possit, etiam electi (*Matth.* XXIV, 24). » Hinc autem usque in finem psalmi ipsius Antichristi vitam et historiam scribit.

(427) Id. cod. *audientium.*
(428) Id. cod. *quia.*
(429) Id. cod. *qui enim.*
(430) Ex eod. cod. Ghisiano.
(431) Id. cod. *tantusque eum iniquorum omnium exercitus sequitur, ut.*
(432) Vaticinium de adventu Antichristi, et de magna, quam inferet in Ecclesiam vastatione. Idem sensit Augustinus, et cum eo Cassiodorius.
(433) Id. cod. Ghis. *aliquando.*

Digitized by Google

« Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ A
« suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur. » Nihil est, quod homines impios et iniquos magis ad iniquitatem exercendam moveat et incitet, quam adulatores, qui eorum opera (434) laudant et extollunt (435). Et inde fit ut nunquam ad pœnitentiam redeant, et a sua pravitate quiescant.

« Irritavit Dominum peccator. » Quid est enim irritavit, nisi qui ad immensam iram et indignationem contra se eum commovit et incitavit? ut ipsum dura morte perderet, et sanctorum sanguinem, quem crudeliter effuderat, requireret et vindicaret. Unde subditur : « Secundum multitudinem iræ suæ non « inquiret? » Hoc autem **317** sub interrogatione legendum est, et tale ac si diceret : Ergo ne Dominus sic irritatus, et ad tantam iracundiam provocatus B secundum multitudinem iræ suæ non inquiret? Illius videlicet, ut modo diximus, perditionem et pauperum suorum ultionem. Unde et in sequentibus dicit : « Propter quod irritavit impius Deum? Dixit enim « in corde suo, non est Deus. »

« Non est Deus in conspectu ejus, polluuntur viæ « ejus in omni tempore. Auferuntur judicia tua a « facie ejus. » Omnia judicia Dei vera et justa sunt ; quæ ideo a facie ejus auferri dicuntur, quia neque juste judicabit, neque ejus justa judicia timebit. Si enim timuisset, in hanc tantam crudelitatem et superbiam non se elevasset.

« Omnium inimicorum suorum dominabitur. » Quos enim alios inimicos ejus nisi sanctos intelligere C
debemus? Horum autem secundum quemdam modum dominabitur Antichristus, et secundum quemdam modum non dominabitur. Dominabitur quidem, quia sic in sua potestate eos habebit, ut secundum voluntatem suam eos cruciet et affligat. Non dominabitur autem, quia ad consensum suæ pravæ voluntatis eos trahere non valebit.

« Dixit enim in corde suo : non movebor de gene« ratione in generationem sine malo. » Quam iniquus et impius sit in eo facile quis cognoscere potest, quod tanto desiderio semper in malo delectatur. Qui de generatione in generationem, de loco ad locum sine malo et sine animarum perditione se non transire minatur.

Cujus os maledictione, et amaritudine plenum D
« est, et dolo. » Merito Antichristus iste vocatur, qui Christo per omnia contrarius est. De Christo enim hic ipse Propheta alibi ait : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine super mel et favum (*Psal.* CXVIII, 103). » De hoc vero contrario dicit : Quia ejus fetidum os maledictione et blasphemiis, amaritudine et dolo plenum est.

« Sub lingua ejus labor et dolor : sedet in insidiis « cum divitibus in occultis, ut interficiat innocen« tem. » Verba, inquit, quæ sub ejus lingua sunt, ad laborem, et dolorem, et ad summam infelicitatem ejus auditorum animas perducet. Sedere autem eum dicit in insidiis simul cum divitibus hujus sæculi, qui sola terrena et transitoria diligunt, quos suis muneribus decepit, et ditavit, « ut interficiat innocentem, » id est animam religiosam et sanctam suis iniquis persuasionibus supplantet et perdat (436). Bene autem addit in occultis, quia super omnes homines dolosus et callidus erit.

« Oculi ejus in pauperem respiciunt, » non utique ad misercndum, sed ad perdendum, et decipiendum. Unde et subditur : « Insidiatur in occulto, sicut leo in « cubili suo. » Sed quid insidiatur? « Insidiatur, inquit, « ut rapiat pauperum. » Et rapere pauperem quid est? Rapere pauperem est, dum attrahit eum, dum suæ pravitatis errori eum associat. Hoc autem postquam faciet, « in laqueo suo humiliabit eum ; » quia sic captum et subjugatum quasi proprium servum eum habebit. Miser, et per omnia infelix, qui ea mala non videt, quæ post modicum super eum ventura sunt, de quibus modo subditur : « Inclinabit se, et cadet, cum « dominabitur pauperis. » Ipse est enim, quem sicut Apostolus ait : « Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et auferet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8). » Et quia supra modum exaltavit, inferius cæteris humiliabitur, et in pœnas præcipitabitur. « Omnis enim qui se exaltat, dicit Dominus, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XIV, 11). »

« Dixit enim in corde suo, oblitus est Deus, aver« tit faciem suam, ne videat usque in finem. » Cum, inquit, homo iste iniquus, et perditionis filius crudelissimus, et exquisitis tormentis sanctos Dei interficeret, hoc in corde suo stultissime cogitabat, quod ex toto, et usque in finem eorum Dominus oblitus fuisset ; quoniam non statim eos vindicabat.

« Exsurge, Domine Deus meus, et exaltetur ma« nus tua, ne obliviscaris pauperem in finem. » Exsurge, inquit, sanctis tuis in adjutorium, et exaltetur manus tua, exaltetur virtus et potentia tua super eos, et ne obliviscaris pauperem, sicut ipsi malitiose arbitrantur, usque in finem. Nunquam enim fit, quod usque in finem non fit ; siquidem sanctorum finis nunquam erit.

« Propter quid irritavit impius Deum. » Insultatio est adversus eum, quem jam per Spiritum sanctum in illam altissimam tormentorum foveam tam miserabiliter corruisse Propheta intuetur. Et quare hoc sibi contigerit, subdidit dicens : « Dixit enim in corde suo « non requiret Deus. » Magnum igitur peccatum est, de justitia Dei perversum aliquod non solum dicere, verum etiam cogitare.

« Vides quoniam tu laborem, et dolorem consi« deras, ut tradas eos in manibus tuis. » Non obliviscetis, inquit, aliquando, sed semper vides, et

(434) Id. cod. *iniqua.*

(435) Malus dum prædicatur, extollitur, nec de correctione cogitat, cui laudator blandiens invenitur. Cassiodorius.

(436) Interficere innocentem, est de religioso sacrilegum facere, ejusque animam perpetua morte damnare. Cassiodor., cujus interpretationi Bruno plerumque se conformavit.

Digitized by Google

paterna pietate consideras laborem et dolorem, quem pro tuo nomine sancti tui patiuntur, ut ipsis tuis manibus Patri eos tradas, et repræsentes. De hac enim traditione Apostolus ait, quia tunc ei omnia subjecta erunt, cum tradiderit regnum Deo et Patri (*I Cor.* xv, 24).

« Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. » Ex quo, inquit, pauper antiquum patrem diabolum dereliquit, et per aquam et Spiritum sanctum regeneratus **318**, filius tuus factus est, tibi soli semper adhæsit, tibique soli derelictus, nullum alium tutorem et defensorem habuit. Quod autem diabolus pater sit iniquorum omnium, et nondum baptizatorum, ipse Dominus ostendit, ubi ait : « Vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri facitis (*Joan.* VIII, 44). » Talibus igitur Apostolus ait : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate (*Ephes.* v, 10). » Et Joannes Apostolus : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (*Joan.* I, 12). » Sunt ergo modo filii Dei, qui prius erant filii diaboli. Pupilli autem, id est orphani (sicut alia translatio habet) ideo dicuntur, vel quia primus eorum pater eis mortuus est, vel quia adhuc in hac vita peregrinantes, nondum in illa beatitudine Deo Patri conjuncti sunt. Unde et suis discipulis Dominus dicebat : « Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos (*Joan.* XIV, 18). » Qui utique ex sola ipsius absentia orphani essent, si ad eos Dominus non venisset.

« Conteres brachium peccatoris, et maligni. » Sicut brachium Patris Filius vocatur, de quo per prophetam dicitur : « Et brachium Domini cui revelatum est (*Isa.* LIII, 1) ; » ita et brachium diaboli Antichristus dicitur, quia in eo, et per eum operatur, et præliatur ; de cujus contritione et perditione satis jam superius dictum est :

« Requiretur delictum ejus, et non invenietur. » Delictum diaboli superbia est, qui in corde suo dixisse legitur : Super cœlum ascendam, et ero similis « altissimo (*Isa.* XIV, 13). » Quia videlicet superbia Antichristus quoque supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, elevatur et exaltatur. Hoc autem si post mortem Antichristi, in regno Christi, quod est Ecclesia, requiratur, inveniri non poterit. Per quod datur intelligi, quia illi qui tunc temporis erunt, in timore et tremore, et maxime qui in humilitate Domino servient. Unde etiam scriptum est, quia « in diebus illius salvabitur Juda (*Jer.* XXXIII, 16) ; » et « cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25). » Quis enim tunc superbire audeat, cum et Antichristum pro sua superbia damnatum, et judicii diem instare cognoscat ?

« Regnavit Dominus in æternum, et in sæculum sæculi ; cujus regni, sicut scriptum est, non erit finis (*Luc.* I, 34). » Vos autem gentes, quæ simul cum Antichristo damnatæ estis, peribitis de terra ejus ; id est de terra viventium, quia in eam non intrabitis. « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, desideria cordis eorum exaudivit auris tua. » Prophetarum est pro futuris præterita ponere, quoniam ea, quæ futura sunt, jam quasi præterita conspiciunt. Desiderium autem pauperum, id est sanctorum, qui tempore Antichristi futuri sunt, hoc erit, ut ipse sicut dignus est damnetur et judicetur, et sancti Dei, de ejus insidiis liberati, in æternam beatitudinem introducantur. Sciendum autem quod desiderium non in ore, sed in corde est. Ad cor igitur respicit Deus, et magis cordis desideria, quam oris orationes exaudit. Quando autem hoc sanctorum desiderium exauditur, sequentia manifestant :

« Judicare pupillo, et humili. » Cum venerit, inquit, judicare pupillo et humili, tunc secundum sua desideria sancti suscipient. Pupillo autem judicare, est pupilli causam justam ostendere et prædicare. Hæc autem, quæ de Antichristi justissima damnatione et perditione dicta sunt, ideo et dicta et scripta sunt, « ut non apponat ultra magnificare se homo « super terram ; » ne sibi quoque similia contingant, quæ illi, quem imitari non timuit contigisse audivit.

PSALMUS X.

IN FINEM PSALMUS DAVID (437).

Iste titulus jam satis supra expositus est, qui ideo toties ponitur, ut omnes psalmi ejusdem auctoris esse credantur.

« In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ « transmigra in montem sicut passer (438) ? » Contra hæreticos Ecclesia loquitur, jam illorum persuasionibus et argumentationibus fatigata : in Domino, inquit, confido, et ideo vestra consilia parvipendo, quæ utique illi soli recipiunt, qui in Domino non confidunt. « Quomodo ergo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer ? » Neque vos montes, neque nos secundum vestram intelligentiam passeres sumus : qui exaltando vos, montes ; nos humiliando, passeres vocatis. Estis tamen et vos montes inflatione superbiæ inflati (439), montes videlicet Gelboe, quibus quondam maledixit David. Nos quoque passeres sumus, de laqueo venantium liberati, per quem videlicet **319** laqueum, vestræ insidiæ significantur. Unde et alibi dicitur : « Passer invenit sibi domum (*Psal.* XIII, 4). » Hæretici igitur ad sui comparationem viros catholicos passeres deputant : quos ipse quoque Salvator noster exigui pretii esse ostendit, dum dicit : « Nonne duo passeres asse veneunt ? (*Matth.* X, 29) »

(437) « Finis semper ad Christum tendit : sed modo passionem illius, modo resurrectionem designat. Nunc autem sanctam fidem declarat, in qua hæretici digladiantur contra fidelissimos Christianos. Sciendum igitur hunc psalmum ad destruendos hæreticos esse prolatum. » Beda.

(438) « Ad persuasores quippe hæreticos hic sermo dirigitur, qui volunt loqui quod impium est, ut contentionibus pravis seducant animas innocentes. » Cassiod.

(439) Id. cod. *tumidi*.

Digitized by Google

« Quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum, « paraverunt sagittas suas in pharetra : ut sagittent in obscuro rectos corde. » Ad ipsum Dominum S. Ecclesia suæ locutionis verba convertit, et de hæreticorum non modica persecutione conqueritur, dicens : Vides, Domine, et cognoscis quoniam isti, contra quos loquimur, hæretici et peccatores tetenderunt arcum. Omnis hæreticorum falsa et hæretica compositio, sive in scripto, sive sine scripto sit, arcus eis est, quo sanctorum animas interficiant. Pharetram vero ipsorum corda intelligimus, in quibus suæ deceptionis sententias, veluti sagittas collectas et paratas habent, quibus, cum opportunum fuerit, rectos corde subdole, et in obscuro sagittent et vulnerent

« Quoniam quem perfecisti, destruxerunt. » Et hoc, inquit, te non latet; sed satis tibi manifestum est, quoniam sanctus et catholicus intellectus, quem tu nos docuisti, et in nobis perfecisti, jam pene destructus est. Unde et multos valde eorum prava doctrina significat esse deceptos (440). Quod quidem tempore Arii factum esse cognovimus, qui totum fere mundum subvertit, et in suum errorem transire coegit. « Justus autem quid fecit? » Sequitur :

« Pluit super peccatores laqueos. » Sic enim se habet ordo. Sed prius ea, quæ interposita sunt exponamus; postea vero et hæc, et cætera quæ sequuntur, videamus :

« Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo « sedes ejus. » Quando, inquit, sancti ista dicebant : « Dominus in templo sancto suo, » per quod videlicet eosdem ipsos intelligimus : « Dominus in cœlo, ubi est sedes ejus. » Quod quidem hoc ipsum significat, hæc eadem in cordibus illorum tractabat et considerabat. Unde Apostolus ait : « Nos enim quid oremus, nescimus; sed Spiritus sanctus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII, 26). » Quod autem et templum Dei, et sedes Dei sancti dicantur, certissimum est.

« Oculi ejus in pauperem respiciunt. » Non enim respiceret, si non diligeret. Sic enim scriptum est : « Quia respexit Dominus Petrum (*Luc.* XXII, 61). » Oculi igitur ejus in pauperem respiciunt, ut ejus semper misereatur, semper eum custodiat, ejusque omnes cogitationes et actus dirigat et disponat.

« Palpebræ ejus interrogant filios hominum. » Solo igitur intuitu cuncta cognoscit, et aperiens oculos omnia videt, et nihil est, quod ejus interrogationi, id est perspicaci inquisitioni occultari valeat.

« Dominus interrogat justum, et impium. » Et justum, inquit, et impium interrogat Dominus, et cognoscitur, quia utriusque conscientia sibi respondet, et quacunque intus latent ei interroganti et perscrutanti se manifestant.

« Qui autem diligit iniquitatem, odit animam « suam. » Hæc est definitio impii. Hic, quasi dicat, impius est qui diligit iniquitatem, et odit animam suam. Utrumque enim valde impium esse videtur, et iniquitatem diligere, et odio habere animam suam. Et pejus quidem est iniquitatem diligere, quam iniquitatem agere; sicut minus malum est aliquando peccare, quam in peccato perseverare.

« Pluit super peccatores laqueos. » Hic versus sicut superius diximus, ibi continuatur, ubi dicitur :

« Justus autem quid fecit? » In eo enim, quod pulchre dicit, magnam laqueorum superabundantiam ostendit. Quot sunt peccata, tot sunt et laquei, quibus peccatores capiuntur et illaqueantur. Funibus enim peccatorum suorum tenebitur impius. Pluribus igitur tenebitur et ligabitur laqueis qui plura et majora peccata commiserit. « Ignis, sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum (*Psal.* X, 6). » Hic est calix iræ et furoris Dei, quo peccatores inebriabuntur, et per quem ipsa mors et pœnarum omnium tormenta significantur. Sed si ea, quæ hic enumerantur non totus calix, sed pars calicis erit, multa alia, et fortasse graviora adhuc eos tormenta exspectant. De igne autem in Evangelio scriptum est, qui etiam æternus et inexstinguibilis vocatur. Eos vero in sulphure puniendos intelligere possumus, qui in luxuriis et carnis voluptatibus defecerunt. In spiritu vero procellarum illi peribunt, qui sanctam Ecclesiam perturbantes, nunquam quiescere, et pacem habere voluerunt. Et quia ipsi in hac vita quasi procellæ tempestatis fuerunt, dignum est ut ipsi quoque spiritu procellarum semper cogantur et submergantur.

« Quoniam justus Dominus justitiam dilexit, æqui« tatem vidit vultus ejus. » Et justum, et impium interrogavit Dominus, et quia justus est, et justitiam diligit, secundum hoc, quod æquitas postulat, juxta opera sua unicuique tribuit.

320 PSALMUS XI.

IN FINEM PRO OCTAVA PSALMUS DAVID

Totus hic titulus jam superius expositus est, neque ut iterum exponatur necesse est.

« Salvum me fac, Domine, quoniam defecit « sanctus; quoniam diminutæ sunt veritates a filiis « hominum. » Vox justorum et ante Christi incarnationem ipsius adventum desiderantium. Fuit aliquando, ut non solum gentiles, verum etiam Judæi, qui populus Dei vocabantur, idola colerent, dæmonia adorarent, vanitatem quærerent, simulque omnes a veritate recederent. Sic igitur sanctitate, et veritate ubique deficiente, cum nusquam sit, unde auxilium a Deo sperare possit, vir justus non immerito exclamat, dicens : « Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus. »

« Vana locuti sunt unusquisque ad proximum « suum. » Vana, inquit, locuti sunt unusquisque, sive Judæus, sive gentilis ad proximum suum. Proximum autem non tantum consanguinitate,

(440) Hæc hyperbolice dicta sunt ad significandam multorum subversionem.

Digitized by Google

quantum malitia intelligere debemus. Qui enim hoc modo proximi sunt, se semper ad vanitatem et stultitiam vicissim hortantur, habentes « labia do- « losa in corde, et corde locuti sunt mala. » Et de sanctis quid dicitur? « In omnibus erat cor unum, et anima una (*Act.* IV. 32). » Isti vero non unum, sed duplicia corda omnes habere dicuntur. Duplicia quidem, quia mutabilia, et nulla veritatis constantia stabilita.

« Disperdet Dominus universa labia dolosa, et « linguam magniloquam; » eorum videlicet qui dixerunt : « Linguam nostram magnificabimus, la- « bia nostra a nobis sunt, quis noster est Domi- « nus? » Tales omni tempore fuerunt, qui linguam et scientiam suam magnificantes, errores seminare non timuerunt. Hoc enim fecerunt gentiles philosophi, qui sapientiores in populo habebantur, qui quoniam in omnibus ad cultum Dei pertinentibus errabant, non omnes unum idemque, sed singuli singulas atque diversas sui erroris sententias dabant. Isti igitur dicere poterant : « Linguam » et scientiam « nostram magnificabimus; » sententiæ nostræ a nobis sunt, et non aliunde eas suscepimus. Quis enim noster magister est et dominus, cui ea quæ loquimur et scimus ascribere debeamus? Merito igitur Apostolus ait : quia « stultam fecit Domi- « nus sapientiam hujus mundi (*I Cor.* I, 20). » Nam et inter Judæos hæreticos multos fuisse legimus, sicut Saducæos, qui negabant resurrectionem, quorum impiam hæresim ipse Salvator noster certissimis rationibus destruere dignatus est. Quam videlicet hæresim a philosophis descendisse non dubium est.

« Propter miseriam inopum, et gemitum paupe- « rum, nunc exsurgam, dicit Dominus. » Responsio Domini est ad illos, qui in hujus psalmi initio dicunt : « Salvum me fac Domine. » Nunc, inquit, in adjutorium exsurgam, et inopes, et pauperes de potestate diaboli, et a tantis erroribus liberabo. Quomodo, et per quem hoc suæ benignitatis adjutorium faciat, subdendo manifestat :

« Ponam super salutare meum, fiducialiter agam « in eo (441). » Salutare Dei Christus est, per quem hanc tantam salutem Dominus operatus est. De quo nimirum salutari in alio psalmo dicitur : « Notum fecit Dominus salutare suum (*Psal.* XCVII, 2). » De quo et patriarcha Jacob sic ait : « Salutare tuum, exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX, 18). » Bene autem ait : « Fiducialiter agam in eo, » quia tanto talique duce præliante, nihil periculi est, cum de ipso scriptum sit : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII, 8). »

« Eloquia Domini, eloquia casta. » Ecce audistis eloquia, et promissionem Dei, dicit Propheta : firmissime itaque credite, et nullatenus dubitetis, quia quod promisit, sine dubio adimplebit. Unde hoc? Quia eloquia ejus casta, et vera sunt, et ipse nullo modo mentiri potest.

« Argentum igne examinatum, terræ purgatum « septuplum. » Talia, inquit, sunt eloquia Domini, tam pura, tam casta, tam vera, et nulla falsitate corrupta quasi argentum igne examinatum : terræ purgatum septuplum intelligitur, quod tantum excoquitur, donec omni terrena corruptione purgetur. Unde et numerus ponitur perfectionis, in quo omnes numeri continentur. Quod igitur septies purgatur, nulla indiget purgatione.

« Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a « generatione hac in æternum. » Vox illorum est, qui Christum in carne videre meruerunt. Et tale est, ac si diceret : Ecce venisti, completa est promissio Patris, et sermones prophetarum; jam nihil timenus, quia tu servabis et custodies nos ab hoc præsenti tempore usque in æternum. Impiis autem quid fiet? Sequitur :

« In circuitu impii ambulant. » Non recto, inquit, itinere incedunt, sed in circuitu oberrantes, veritatis finem et terminum invenire non possunt.

« Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios « hominum. » Ac si dicat : Si isti in circuitu semper ambulant, et veritatis viam ignorant, quare sic multiplicati sunt? quare omnibus bonis vitæ hujus abundant? Ad quod ipse : altum est, inquit, hoc secretum, et investigabile, et majoris inquisitionis. Hæc autem quæstio de bonorum infortunio, et de iniquorum prosperitate multis in locis sanctarum Scripturarum invenitur (442). Potest autem et sic intelligi, ut sanctorum numerus multiplicandus sit, secundum numerum illorum qui cœli altitudinem inhabitant. Unde scriptum est, quia « Statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum (*Deut.* XXXII, 8) (443). »

PSALMUS XII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Iste titulus jam superius expositus est.

« Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? « Usquequo avertis faciem tuam a me? » Vox Prophetæ est, et aliorum Christi nativitatem suæque redemptionis diem cum magno desiderio exspectantium. De quibus ipse Dominus ait : « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ vos auditis, et non audierunt (*Luc.* X, 24). » Isti igitur conqueruntur, quod tanto tempore eorum Dominus oblitus, eisque iratus fuerit, et faciem suam ab eis averterit, et per Filii sui incarnationem eos jam tandem non visitaverit.

« Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem « in corde meo per diem? » Non sufficit mihi, inquit, consilium meum, non sufficit mihi consilium

(441) « Salutare suum dicit Pater Verbum suum; quod est caro factum, per quod vita mortalibus venit, dum omnis credens copiosa largitate consequitur. » CASSIOD.

(442) De hoc agit D. Aug., *de civit. Dei* lib. V, c. 15 et 16.

(443) Vulgata it : « Co lorum, juxta numerum filior

animæ meæ. Veniat jam nunc ille angelus magni consilii, veniat, quæso « ille admirabilis consiliarius, pater futuri sæculi, princeps pacis (*Isa.* IX, 7), » et auferat hunc dolorem de corde meo, quem habeo per diem, id est per singulos dies, sive potius illius diei, lucisque desiderio, cujus adventus illustratione me illuminari confido.

« Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? « respice et exaudi me, Domine Deus meus. » Ne avertas, inquit, ulterius faciem tuam a me; sed jam nunc respice et exaudi me ut amplius non exaltetur inimicus meus super me.

« Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in « morte. » Illumina, inquit, oculos meos, illumina oculos mentis meæ : mitte nobis illam tuam clarissimam lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; mitte nobis Filium tuum, cujus sanguine mors ipsa moriatur, et peccatum originale deleatur. Hoc est enim quod sancti maxime timebant, ne illius peccati morte deficerent.

« Ne quando dicat inimicus meus, prævalui adver- « sus eum. » Illi sunt, quibus prævalet inimicus, et de quorum interitu gloriatur, qui vel a peccato originali nondum liberati sunt, vel qui in gravioribus peccatis sine pœnitentia moriuntur.

« Qui tribulant me exsultabunt, si motus fuero. » Hoc est enim gaudium et exsultatio malignorum spirituum, ut viri justi moveantur; ut a Deo, a fide, a veritate, a justitia et ab omni bonitate separentur.

« Ego autem in tua misericordia sperabo. » Nihil enim aliud est, nisi sola Dei misericordia, quæ ab eorum insidiis nos liberare valeat.

« Exsultabit cor meum in salutari tuo. » Ecce, inquit, habeo quod desideravi, quod quæsivi et tanto tempore exspectavi; videlicet salutare tuum, Jesum Christum Filium tuum. Amodo igitur gaudebit, exsultabit et lætabitur cor meum in salutari tuo.

« Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psal- « lam nomini Domini altissimi. » Quem per altissimum, nisi Deum Patrem intelligamus? cui non immerito cantare et psallere iste promittit; quoniam in adventu Filii sui omnia bona quæ desiderari vel sperari possunt, largitus est.

PSALMUS XIII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Sæpe jam diximus quid significet *in finem*, et quid significet Psalmus David (444).

« Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, cor- « rupti sunt et abominabiles facti sunt in voluntati- « bus suis. » Ecclesia loquitur, et Judæorum populum increpat, qui de Domino et Salvatore nostro, quoniam humilis et in forma Dei apparuit, sicut stultus, et insipiens, et divinas Scripturas non intelligens, « dixit : Non 322 est Deus. » Unde et corrupti sunt patriarcharum et prophetarum fidem et veritatem non tenentes; et abominabiles facti sunt Deo, et hominibus in pravis suis voluntatibus.

« Non est qui faciat bonum, non est usque ad « unum. » Non est, inquit, in illo populo; at vero nec in alio populo, nec in omnibus aliis qui faciat bonum. Quia enim fidem non habent, nullum eorum opus in bonum illis imputatur (445), quoniam « sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI, 6). » Quod autem ait, usque ad unum, de illis intelligitur, quibus est unus Deus, una fides, unum baptisma, et sicut Apostolus ait, cor unum et anima una.

« Dominus de cœlo prospexit super filios homi- « num, ut videat si est intelligens aut requirens « Deum. » Et quales eos invenit? Sequitur : « Om- « nes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. » Probatum est igitur a divina auctoritate, quia non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Simul autem declinaverunt, quia a veritate recedentes, omnes pariter ad errorem transierunt. Inutiles igitur facti sunt, quoniam neque Deo neque sibi ipsis utilia agunt.

« Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis « suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis « eorum. » Non sufficit, inquit, illis quod bona non faciunt, sed ad suæ damnationis cumulum quibuscunque modis possunt mala operantur. Est autem os eorum sepulcrum patens; quia sic sunt istis suis auditoribus fetor mortis ad mortem, sicut Apostoli odor vitæ ad vitam. Unde et bene subditur : « Lin- « guis suis dolose agebant, venenum aspidum sub « labiis eorum. » Venenum aspidum insanabile est. Qui igitur eorum doctrinam credunt et tenent, sic vulnerantur ut sanari non possint.

« Quorum os maledictione et amaritudine plenum « est, veloces pedes eorum ad effundendum sangui- « nem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam « pacis non cognoverunt. » In eo quod ait : « et viam pacis non cognoverunt, » non de solis Judæis, sed de omnibus qui extra Ecclesiam sunt et fidem Christi non habent, omnia hæc intelligenda esse demonstrat. Quæ enim est via pacis, nisi Salvator noster, qui et pax et via vocatur? « Ipse enim pax nostra, qui fecit utraque unum (*Eph.* II, 14); » ipse est : « et via, et veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). »

« Non est timor Domini ante oculos eorum. » Quia, inquit, omnes isti, de quibus modo superius locuti sumus, viam pacis non cognoverunt, ideo non est timor Dei ante oculos eorum, ac per hoc mala facere non erubescunt, et bona facere non curant. Sequitur : « Nonne cognoscent omnes qui « Non cognoscent omnes qui operantur iniquitatem. » Ad postremum eorum in fine prædicitur evenire conversio : « cum averterit Dominus. » BEDA.

(444) Ecclesia Christi vesaniam condemnat Judæorum; facies illa Domini, quæ in VII Psalmo quærebatur, hic jam advenisse narratur. Et ideo primo modo increpat Ecclesia Judæos, qui viso Christo minime crediderunt. « Dixit insipiens. » Secundo modo dicit inani eos trepidatione confundi, qui fructuosum timorem Domini cognoscere noluerunt :

(445) Observandum S. Brunonem non docere, nihil boni fieri ab infidelibus, sed nihil eis imputari ad meritum, cum fide careant, quæ est principium meriti.

Digitized by Google

« operantur iniquitatem et qui devorant plebem « meam, sicut escam panis : » et illi qui « Deum « non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi « non erat timor. »

« Quoniam Deus in generatione justa est; » quam tantopere affligere et perdere conantur. Per eos qui operantur iniquitatem, omnes iniquos homines intelligere possumus, sive Judæos, sive gentiles. Per eos vero qui devorant plebem Dei, sicut escam panis, tyranni et hæretici specialiter significantur. De quibus scriptum est : « Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt (*Ps.* LXXVIII, 7). » Quanta autem aviditate sanctos Dei et anima, et corpore perdant, in eo manifeste ostendit, quod quasi escam panis plebem Dei eos devorare dicit. At vero per illos qui « illic « trepidaverunt timore, ubi non erat timor; » Judæos proprie intelligimus, qui contra Salvatorem nostrum conspirantes dicebant : « Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent nobis locum et gentem (*Joan.* XI, 48). » De quibus bene subditur : « Consilium inopis confudistis; quoniam Deus spes « ejus est. » Hic autem est ille inops, de quo dicit Apostolus : « Qui cum omnium dives esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII, 9). » Hujus autem consilium miseri Judæi spreverunt, damnaverunt, et recipere noluerunt; sed potius insultando dicebant : « Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult (*Matth.* XXVII, 43). » Et hoc est quod dicitur : « Quoniam Dominus spes ejus est. »

« Quis dabit ex Sion salutare Israel, dum avertet « Dominus captivitatem plebis suæ. » Quis, inquit, infelices Judæi, cujus vester adjutor et defensor veniens ex Sion, dabit salutem Israel, sicut vestri prophetæ testantur? Sic enim in prophetarum libris scriptum est, quia, « Ex Sion veniet qui auferet captivitatem Jacob (*Rom.* XI, 26), » per quem nullum alium nisi Christum intelligimus. Decepti sunt igitur Judæi Antichristum exspectantes, quem ipsi Messiam appellant.

« Lætetur Jacob, et exsultet Israel. » Hoc autem si ad litteram intelligatur, ironice dictum esse videtur, quoniam non lætitia et exsultatio, sed magna calamitas et tristitia eos exspectat. Si autem illa pars populi, quæ in Christum credidit, vel si Jacob et Israel specialiter accipiatur, manifesta intelligentia est (446).

PSALMUS XIV

323 PSALMUS DAVID.

Quia in hoc titulo non ponitur, in finem, ad ipsum David, qui hæc scribit, hæc verba referuntur. Et ipse in hoc psalmo Deum interrogat, atque ipsius responsionem accipere meretur.

« Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? (447) « aut quis requiescet in monte sancto tuo? » Propheta est qui loquitur, imo ipse Dominus loquitur in Propheta, sicut ipse alibi dicit : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* LXXXIV, 9). » Hæc autem loquitur ad instructionem nostram, ut Domino respondente, intelligamus quid agere et tenere, et quid fugere et respicere debeamus.

« Qui ingreditur sine macula, et operatur justi- « tiam. » Quis enim sine macula, nisi ille solus « Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II, 22). » Quomodo autem et illud intelligemus, quia « Peccator quacunque hora conversus fuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor (*Ezech.* XXXIII, 16). » Tales igitur sine macula ingredi, intelligere debemus, quoniam qualescunque fuerint, tamen ad pœnitentiam conversi nequaquam in peccatis perseverant. Bene autem subditur : « Et operatur justitiam; » quia non sufficit abstinere a malo, nisi bona faciamus. Unde est illud : « Declina a malo, et fac bonum (*Psal.* XXXVI, 27). »

« Qui loquitur veritatem in corde suo, et non « egit dolum in lingua sua. » Quod est intelligere, ut non aliud in corde, et aliud lingua loquamur, sed quod lingua sonat in corde habeamus.

« Non fecit proximo suo malum. » Hoc est enim quod in Evangelio Dominus ait : « Quod tibi non vis, alteri ne feceris (*Matth.* VII, 12). » Quid si fecit, et postea satisfecit, et pœnitentiam egit? Semper autem illud Apostoli in mente habeamus, quod in malo perseverantibus ait : « Secundum duritiam tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II, 5). » Hac enim sententia multa determinari possunt, quæ valde difficilia esse videntur.

« Et opprobrium non accepit adversus proximum « suum. » Quid est non accepit? Non sibi placuit, non gratum, non acceptabile habuit; sed si fecit fecisse pœnituit. Sunt enim quidam, sicut scriptum est, « qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II, 14). »

« Ad nihilum deductus est in conspectu ejus mali- « gnus. » Præteritum secundum consuetudinem pro futuro posuit. Ad nihilum, inquit, ad mortem, et perditionem, Deo jubente, et contemplante, in die judicii ducetur iniquus, diabolus videlicet, iniquorum omnium caput, cum omni exercitu suo. Et tunc fiet, quod sequitur : « Timentes autem Dominus magni-

(446) « Lætabitur Jacob, qui non separatam accepit medicinam. Exsultabit Israel, id est inenarrabili gaudio consolabitur, quando viderit re quod ardentissime desiderabat in spe. » CASSIOD.

(447) Cassiodorius tabernaculi etymologiam docens, ait, veteres domos pauperum tabernas appellasse, quod trabibus tantum, non tegulis tegebantur. Ideoque tabernas dici. Et quia ibi habitabant, et cœnabant, sicut antiquis mos erat cibum semel sumere, ex duobus nominibus unum traditur factum esse vocabulum. Hinc jam tabernacula consonanter dicta sentimus expeditionales, et subitas habitationes. Sibi ergo Dominus fieri jussit tabernaculum, quasi domus divina, quæ esset in castris Hebræorum, et cum ipsis moveretur.

Digitized by Google

« ficat. » Tunc enim Dominus sanctos suos magnificabit, et glorificabit, et super cœlos exaltabit. Hoc versiculo interposito, ad illud redit, de quo loqui cœperat.

« Qui jurat proximo suo, et non decipit eum. » Omnis sanctorum promissio, si bona est, quasi juramentum firma et stabilis esse debet; et cum omne judicium malum sit, illud tamen pessimum est, quod decipiendi causa fit.

« Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. » Hoc enim et juxta litteram magnum peccatum est, quia in tali facto charitas perit, et pauperes suis facultatibus exspoliantur. Potest tamen, et de illis hoc intelligi, qui gratis non tribuunt, quod gratis accepérunt, et qui omnia opera sua faciunt, ut ab hominibus videantur. « Et munera super innocentem non « accepit. » Hoc audiant judices, hoc audiant sæculi potentes, qui multoties, susceptis muneribus, innocentes affligunt.

« Qui facit hæc, non commovebitur in æternum. » Qui, inquit, facit hæc, quæ modo superius enumerata sunt, iste in tabernaculo Dei habitabit, et in monte sancto ejus requiescens in æternum non commovebitur.

PSALMUS XV.

TITULI INSCRIPTIO IPSI DAVID.

De illa tituli inscriptione loquitur, quæ Hebraicis, græcis, et latinis litteris facta est, et super caput Salvatoris nostri, in cruce pendentis posita est. In qua videlicet inscriptione continebatur : « Jesus Nazarenus Rex Judæorum. » Quod autem ait, ipsi David, ad ipsum Christum Dominum, revera manu fortem, hæc omnia, quæ in hoc psalmo dicuntur referenda esse ostendit.

« **324** Conserva me Domine, quoniam in te spe« ravi. » — « Sicut anima rationalis, et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus (*Symb. Athan.*). » Quoties igitur Salvator noster aliquid petit, quoties se conservari, se adjuvari, et liberari postulat, quoties se in Deo sperare, vel confidere, vel aliquid tale dicit, nihil ad divinitatem, sed omnia ad humanitatem referenda sunt. Divinitas enim Christi, qua Patri per omnia æqualis et similis est, nihilo indiget. Dicat igitur Christus Dominus, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem : « Conserva me, Domine, quoniam in te speravi. » Prope habebat, cui loquebatur, ibi erat, in quem sperabat, humanitas divinitatem rogat, non timore perterrita, quæ tanto adjutorio fulciebatur, sed ut verum hominem se ipsum ostenderet, talia loquebatur : « Dixi Dominus meus es tu. » Unde hoc probas? « Quoniam bonorum meorum non indiges. » Quæ sunt igitur bona tua? « Omnia quæ habet Pater mea sunt (*Joan.* xv, 16). » Et Pater, quid habet? Omnia quæcunque sunt sibi bona, sunt et illius et mea sunt.

(448) Notant Maurini in aliquibus editis psalteriis haberi *mirificari*, sed ipsi lectionem Augustini sequuntur, quam etiam nonnulli codices mss. præferunt. Vulgata legit *mirificavit*; quam lectionem sequitur Cassiod.

A Nihilo indiget Pater, nihilo indiget Filius, et Spiritus sanctus Deus est, et unus Deus, quia ipse solus est, qui suis bonis contentus est, et de alienis bonis nihil habet.

« Sanctis, qui in terra sunt ejus mirificavi (448) « voluntates meas inter illos. » Mirificavit enim Dominus, multumque mirabiles fecit voluntates suas in omnibus sanctis, qui in terra ejus sunt. Quidquid enim in hoc mundo est, in terra illius est, qui cum omnium dives esset, egenus et pauper fieri, et tot et tanta pro nobis sustinere voluit. Cæteri vero præter sanctos, et eos, qui inter illos sunt, de his Salvatoris nostri voluntatibus non admirantur, quia nihil horum verum esse credunt.

« Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea B « acceleraverunt. » Istæ autem infirmitates, quas sancti, et cæteri, qui inter illos erant, qui eorum doctrina, et prædicatione ad fidem Christi conversi sunt, prius quidem multiplicatæ erant; sed postea cum Christus Dominus prædicaret, et ad fidem eos vocaret, acceleraverunt, cucurrerunt, crediderunt, et sanati sunt. Et multos quidem secundum carnem, plures vero secundum animam sanavit. Unde et has infirmitates, quas multiplicatas fuisse dicit, non corporum, sed animarum intelligere debemus.

« Non congregabo conventicula eorum de sangui« nibus (449) » Hoc in loco in bona significatione conventicula accipiuntur. Hæc sunt illa conventicula, de quibus Dominus ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* xiv, 2). » In hæc igitur C conventicula, et in has domos congregabuntur sancti, qui quamvis infirmi, et peccatores prius fuissent (quod in sanguinibus significatur) omnes tamen, qui in illud convenient, puri et sancti ab omni vitiorum sorde mundati erunt. « Nec memor ero no« minum illorum per labia mea. » Quales ipsi erant, talia prius nomina habebant. Vocabuntur enim fornicatores, adulteri, homicidæ, sacrilegi, et aliis nominibus, quibus mali homines vocari solent. Nunc autem et dii et filii Dei nominantur. « Ego, inquit, dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* lxxxi, 6). »

« Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. » Isti, inquit, sunt hæreditas mea, quam videlicet hæreditatem calicem passionis bibendo acquisivi. D De quibus Apostolus ait : « Empti enim estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in corde vestro (*1 Cor.* vi, 20). » Fuit autem Dominus pars calicis Christi, quia ejus passioni compassus est. Ostensum est igitur quæ sit hæreditas Christi, et quæ sit hæreditas sanctorum. Solum enim Dominus hæreditas sanctorum est; quia, spretis omnibus quæ in mundo sunt, solum Dominum in partem sibi elegerunt. Bona commutatio, ut et ipsi sint hæreditas Domini, et in hæreditatem habeant Dominum.

(449) Hoc autem nomen *de sanguinibus*, contra artem positum constat esse grammaticam, apud quam pluralis hujus verbi numerus non habetur : et ideo inter idiomata, id est propria Scripturæ divinæ numerandum est. Cassiod.

Digitized by Google

« Tu es, qui restituisti hæreditatem meam mihi. » Humanitas loquitur, et divinitati gratias agit, cum is fortitudinem diaboli vicit, cujus munere hæreditatem suscepit.

« Funes ceciderunt mihi in præclaris. » Funibus, et perticis hæreditates suas homines dividunt, quos videlicet funes aliquando in bonam terram, aliquando in sterilem et lapidosam, aliquando etiam in vepres, et spinas cadere necesse est. Sed Dominus commendans hæreditatem suam, totam præclaram, et fecundam esse ostendit, dum sibi funes in præclaris cecidisse dicit (450). Et si fortasse, quod sæpe contingit, aliis præclara esse videatur, sibi tamen per omnia præclara esse videtur. Unde et subditur : « Etenim hæreditas mea præclara est mihi. »

« Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intelle- « ctum. Insuper est hoc quoque : benedicam Domi- « num, quod usque ad noctem increpaverunt me « renes mei. » Lætus Dominus **325** et Salvator noster de tam præclara hæreditate suo labore conquisita, de omnibus quæ fecit, et quæ a Judæis passus est, Deo Patri benedicit, et gratias agit. Bonus intellectus, bona doctrina, et prædicatio Christi, per quam diabolus victus est, et mundus a morte liberatus. Hic est ille intellectus, et illa doctrina, de qua ipse alibi ait : « Mea doctrina non est mea (*Joan.* VII, 16). » Erat enim sua secundum divinitatem, sed non erat sua secundum humanitatem, Unde intellectum suum non suum esse, sed sibi a Deo tributum esse dicit. Renes autem ejus Judæi sunt, de quibus secundum carnem originem duxit. Isti autem eum increpare, blasphemare, maledicere, et crudeliter persequi usque ad mortem, quam per noctem intelligimus, non destiterunt. Ipse tamen eorum persecutiones non curabat, tanto talique ipsius divinitatis, quæ in ipso erat, munitus præsidio, et hoc est quod dicit.

« Providebam Domino in conspectu meo semper; « quoniam a dextris est mihi ne commovear. » Non est commotus, id est iratus, ut in aliis fieri solet, Salvator noster in illa sua tam dura passione; sed e contrario pietate et misericordia fessus, pro ipsis suis crucifixoribus orabat, dicens : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Sic igitur divinitas a dextris ejus erat, quæ non ad iram, et vindictam, sed ad pietatem et misericordiam eum provocabat.

« Propter hoc delectatum est cor meum. » Propter hoc, inquit, delectatum est cor meum, quia divinitas semper mihi a dextris est, quæ me in omnibus dirigit, et custodit. « Et exsultavit lingua mea. » Lingua, videlicet interioris hominis, per quam intellectus, de quo modo diximus, significatur. « In- A « super et caro mea requiescet in spe. » In spe utique velocis et cito occurrentis; unde et subditur :

« Quoniam non derelinques animam meam in in- « ferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptio- « nem (451). » Divinitas enim simul cum anima in inferno descendit, nec tamen corpus in sepulcro dereliquit. Anima a corpore separari potuit, divinitas autem non potuit, quia Deus ubique est, et omnia continet, Indignum valde esse, ut illa caro sanctissima corruptionem aliquam videret, quæ sine omni corruptione de Virgine nata, sine omni peccato in hoc mundo est conversata.

« Notas mihi fecisti vias vitæ. » — « Exivi, inquit, a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem (*Joan.* XVI, 28). » Omnes B viæ mihi notæ sunt, et eundi, et redeundi itinera cognovi.

« Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. » Deum semper videre, et cum illo semper esse summa lætitia est. « Delectationes, » gaudium et exsultatio erunt mihi sedenti « in dextera tua usque in finem. »

PSALMUS XVI

ORATIO DAVID.

Ipsius David, qui eam dictavit, hanc orationem esse intelligamus : qui si Salvatoris nostri eam esse voluisset, sicut solitus est, in finem addidisset.

« Exaudi, Domine, justitiam meam. » Vox prophetæ est et totius Ecclesiæ, omniumque fidelium utriusque Testamenti. « Exaudi, inquit, Domine, ora- C « tionem meam. » Qui se justitiam habere cognoscit, confidenter Deum orare potest. « Intende de- « precationi meæ. » Ejusdem deprecationis repetitio est, sicut et id, quod sequenti scribitur versu :

« Auribus percipe orationem meam, non in labiis « dolosis. » Non habent sancti labia dolosa, et ideo mundas, et puras faciunt orationes.

« De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui « videant æquitatem. » Facile in vultu, et in oculis voluntas deprehenditur. Unde et multoties antequam sententia contra reos a judice proferatur, in facie, et oculis ipsius cognoscitur. Tale est igitur ac si diceret : ostende te iratum, averte faciem tuam ab inimicis meis, et in facie tua cognoscant justum esse judicium tuum, et causam meam.

D « Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me « examinasti, et non est inventa in me iniquitas. » Probavit Deus Abraham, probavit Job et Tobiam, probavit et multos alios, et visitavit in nocte angustiarum et tribulationis. Unde et subditur : « Igne me « examinasti, et non est inventa in me iniquitas. » Et certe quam multi probantur adhuc, qui tamen, utrum probentur, ignorant, et mala quæ patiuntur non ad

(450) « Hæreditas autem Christi est prædestinata multitudo sanctorum. Ubi ideo additum est mihi, quia non in se secundum humanitatem, sed in Patre gloriatur. » CASSIOD.

(451) Opportune hic monet Cassiodorius. « Ubi sunt Apollinaristæ fallaciter opinantes, qui dicunt Dominum Christum animam rationalem non habuisse? » Ecce « ipse clamat, ipse Patri gratias agit : quia ejus anima non sit more communi in inferno derelicta; sed celeri resurrectione clarificata, ad cœlorum regna pervenerit. »

Digitized by Google

probationem sibi esse intelligunt. Recordentur igitur istorum sanctorum, et in ipsis suis tribulationibus gratias agant, ut in ipsis quoque iniquitas non inveniatur.

« Ut non loquatur os meum opera hominum : « propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias « duras. » Quæ, inquit, dico, non ad inanem laudem et commendationem **326** dico; quia si hoc facerem, tunc loqueretur os meum opera hominum. Verba labiorum Dei utriusque Testamenti præcepta intelligimus. Quæ quicunque tenere, et observare desiderant, duras, et asperas vias eos incedere, et custodire necesse est.

« Perfice gressus meos in semitis tuis; ut non « moveantur vestigia mea. » Nemo suis viribus, sine Dei adjutorio ad perfectionem pervenire potest. Unde semper Dei misericordia quærenda est, qui in via mandatorum suorum pedes nostros confirmet, ut ab his, quæ sibi placita sunt, nulla diabolica persuasione moveantur vestigia nostra.

« Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus, in- « clina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. » Multoties, inquit, clamavi, et adhuc clamo, et tu multoties me exaudisti, et adhuc exaudis. Tu enim, quasi dicat, me semper exaudiendo hanc clamandi fiduciam mihi dedisti, ut ad te clamare et orare nunquam desistam.

« Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis spe- « rantes in te. » Quotidie misericordias suas mirificat Deus, quia et peccatores ad se convertit, et in te sperantes salvos faciens ab iniquorum hominum et insidiis spirituum malignorum liberat. Isti enim sunt, qui resistunt dexteræ Dei; isti sunt, qui pugnare non cessant contra Ecclesiam Dei.

« A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, Domine, « ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum pro- « tege me a facie impiorum, qui me afflixerunt. » Nihil est, quod majori custodia indigeat, quam pupilla oculi, quæ si violata fuerit, lumen amittitur. Huic igitur vir justus se ipsum comparat, ut sine Dei custodia fragilem se, et facile periturum se esse ostendat. Per alas vero Dei quid aliud, quam virtutes intelligamus, sine quibus ad cœlestia volare non possumus? Quas si habuerimus, impiorum impetus, et insidias non timebimus; cum de fide Apostolus dicat : « Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, etc. (*Hebr.* xi, 33.) » Fides igitur, et aliæ virtutes nos protegunt, et defendunt, sine quarum munitione inimicorum insidias evadere non valemus.

« Inimici mei animam meam circumdederunt. » Ad quid? Ut eam caperent, et deciperent, et suis erroribus implicarent. Sed sicut alibi dicitur : « Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium (*Psal.* cxxiii, 7). »

« Adipem suum concluserunt. » Quid per adipem? nisi omnium iniquitatum et deceptionum crassitudinem, et superabundantiam intelligamus? De hoc quoque adipe alibi dicitur : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum (*Psal.* lxxii, 7). » Unde et tauri pingues vocantur, qui tali adipe impinguati sunt. Nunc autem adipem impii et peccatores, tyranni videlicet, Judæi, et hæretici mente conceperunt, in corde concluserunt, memoriæ commendaverunt, ut suo tempore contra sanctos Dei dolose, et violenter effunderent. Unde et subditur : « Os eorum locutum « est superbiam. » Hoc autem faciebant, quando Christum blasphemabant, et sanctos deridebant, eisque imprecando, dicebant, quod hominem mortuum adorarent; qui de manibus illorum liberare non posset, sicut neque se ipsum de manibus Judæorum liberare potuit.

« Projicientes me nunc circumdederunt me. » Unde projicientes? vis audire? de domibus nostris, de honoribus nostris, de possessionibus nostris, de habitationibus nostris, de dignitatibus nostris. Sed quare circumdederunt? Ut eos caperent, tenerent, ligarent, flagellarent, et post multos cruciatus morti condemnarent. Hoc autem faciebant, quia Deum nesciebant, neque post hanc vitam aliam esse credebant. Unde et subditur : « Oculos suos statuerunt « declinare in terram. » Quia enim aliam vitam ignorabant, sola terrena, et transitoria cogitabant.

« Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, « et sicut catulus leonis habitans in abditis. » Quanta crudelitate sanctos Dei interficerent, his paucis verbis demonstratur.

« Exsurge, Domine, prævені eos. » Exsurge, inquit, Domine, sanctis tuis in adjutorium, prævені eos, qui illos prævenire et decipere conantur, ut cito pereant et eas quas diligunt divitias amittant. Hoc autem contra Judæos specialiter dicere videtur, qui primam persecutionem contra Ecclesiam moverunt, et in Jesum Christum Dominum nostrum impias manus mittere non timuerunt. Qui cum sanctos apostolos interficere, et Christi nomen et memoriam penitus de terra auferre conarentur a Romanis præventi, capti, subversi, et in servitutem deducti sunt.

« Eripe animam meam ab impio. » Eripe, inquit, animam meam ab illo impio Judæorum populo, qui legem et prophetas male interpretando, multos decepit, et in errorem cadere fecit. « Frameam ini- « micorum de manu tua. » Frameam inimicorum intelligere debemus omnia instrumenta, et materialia, et spiritualia, quibus et se defendere, et Christianos impugnare possunt. Plures enim suis rationibus, suis syllogismis et argumentationibus, quam materialibus armis Judæi, et hæretici de Christianis interfecerunt. Rogant igitur Dominum sancti, quatenus hanc frameam eis auferat, ne simplicem populum in ea interficere, et decipere valeat. Quod autem ait : « de « manu tua, » tale est ac si diceret, virtute, et fortitudine tua. Neque **327** enim tantum ad verba quantum ad loquentis voluntatem attendere debemus.

Digitized by Google

« Domine, a paucis de terra dispertire eos. » Per pauceos enim illos intelligimus, de quibus in Evangelio Dominus ait : « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* XXI, 14). » Ab his autem in judicio separabuntur mali, quando agni ponentur a dextris, hædi autem a sinistris. « Et supplanta eos « in vita ipsorum. » Prius enim quam de hac vita Judæi transeant, se supplantatos fuisse intelligent. Hoc autem erit post mortem Antichristi, quando cognita veritate, illi qui tunc erunt, ad fidem convertentur, de quibus etiam scriptum est : « Convertentur ad vesperam (*Psal.* LVIII, 7); » et alibi : « In diebus salvabitur Juda (*Jer.* XXXIII, 16). » Potest et sic intelligi quod ait : « Et supplanta eos, » ac si dixisset : Supplantari eos permitte quod non tantum imprecando, quantum prophetando dixit; quoniam sic futurum esse prævidit.

« De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. » Venter, inquit, illorum, id est paucorum, a quibus isti separati sunt. De absconditis tuis, id est secretis tuis adimpletus est. Per quem sapientiæ et scientiæ thesauros intelligimus, quos nulli alii habent, nisi illi qui Christi fidem et evangelicæ prædicationis doctrinam suscipere meruerunt. « Isti vero econtra (452) saturati sunt porcina. » Quæcunque in lege, et prophetis, et Evangeliorum libris a Domino prohibita sunt, per carnem porcinam significantur. Quod igitur ait : « Saturati sunt porcina, » tale est ac si diceret : Vitiis omnibus et peccatis pleni sunt. Et quæcunque in Scripturis sanctis Dominus facere interdixit, ista facere non timuerunt. « Et reliquerunt quæ superfuerunt parvulis suis. » Eamdem enim doctrinam atque errorem, quem post Christi passionem Judæi qui tunc erant, docuerunt et tenuerunt, tenent isti qui modo sunt : tenebunt et illi qui post eos futuri sunt, usque ad eos qui in fine sæculi salvandi sunt.

« Ego autem cum justitia apparebo in conspectu « tuo, satiabor, dum manifestabitur gloria tua. » Ego, inquit, propheta, et Ecclesia, et sanctorum omnium multitudo cum justitia, quam te jubente custodivi et tenui, apparebo in conspectu tuo, et satiabor non porcina, ut isti, sed illis suis deliciis ineffabilibus, quibus angeli utuntur et reficiuntur, dum manifestabitur gloria tua.

PSALMUS XVII.

IN FINEM PUERO DOMINO DAVID, QUI LOCUTUS EST AD DOMINUM VERBA CANTICI HUJUS, IN DIE QUA ERIPUIT EUM DE MANU OMNIUM INIMICORUM EJUS, ET DE MANU SAUL; ET DIXIT :

« In finem, » inquit, hæc referenda sunt ad illum videlicet finem, de quo Apostolus ait : « Finis legis Christus est (*Rom.* X, 4), » qui etiam de se ipso loquitur, dicens : « Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, initium et finis (*Apoc.* I, 17). » In finem igitur hæc transferantur, et puero Domino David, id est Salvatori nostro adscribantur. David enim manu fortis interpretatur. Sed quis tam fortis ut ille de quo dicitur : « Dominus fortis et potens, Dominus fortis in prælio (*Psal.* XXIII, 8). » Hæc igitur Filius locutus est ad Patrem in die passionis suæ, quando ab omnibus inimicorum suorum insidiis liberatus est, et diabolus superatus, qui per Saul significatur, eum jam ulterius persequi cessavit.

« Diligam te Domine, virtus mea, Domine firma- « mentum meum, et refugium meum. » Loquitur Filius ad Patrem, loquitur humanitas ad divinitatem, suæque dilectionis, et affectum simul, et causam ostendit : dum suam virtutem, suum firmamentum, suum refugium, suum liberatorem, suum adjutorem et protectorem suum esse dicit. Hæc autem eum dixisse puto, cum ad crucem duceretur, in qua se inimicos omnes superare, et de ipso humani generis hoste triumphare non dubitabat. Merito, inquit, diligo te, semperque diligam, quod quidem ipso tantæ obedientiæ experimento facile probari potest. « Domine virtus mea, Domine firma- « mentum meum, et refugium meum, et liberator « meus, Deus meus, adjutor meus, sperabo in eum. » Prophetarum est subito mutare personas.

« Protector meus, et cornu salutis meæ. » Cornu in divina pagina pro fortitudine ponitur, sicut in hoc loco, ubi dicitur : « Vinea facta est dilecto in cornu (453) olei (*Isa.* V; 1). » Sequitur :

« Adjutor meus, laudans invocabo Dominum, et « ab inimicis meis salvus ero. » Hoc autem fecit in illa hora qua dixit : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII, 46). » **328** Nunc autem ipsam suæ passionis breviter historiam narrat.

« Circumdederunt me gemitus mortis. » Hoc autem factum est, quando turba (ut in Evangelio legitur) et qui vocabatur Judas, venit cum gladiis et fustibus comprehendere eum; quando injecerunt manus in Jesum, et tenuerunt eum, et vinctum duxerunt ad principes sacerdotum. In eo vero quod gemitus mortis, et humanæ passionis affectus sibi accessisse dicit, verum se hominem esse ostendit, et non phantasticum, ut quidam hæretici prædicaverunt, sed in veritate idem ipse et captus, et ligatus, et crucifixus, et mortuus est. « Et torrentes iniquitatis conturba- « verunt me. » Torrentes iniquitatis Judæos vocat, quia quasi torrens inundans eum, magno impetu et furore super eum in illa nocte venerunt, unde et discipuli perterriti, eo relicto, fugerunt.

« Dolores inferni circumdederunt me. » Per quod datur intelligi magnos et intolerabiles dolores eum in illa nocte et in illo die sustinuisse. Quamvis enim in potestate illius erat, secundum voluntatem suam

(452) Ibi notant Maurini in quibusdam codicibus esse υἱῶν, latine *filiis*, in aliis ὑῶν, *porcis*, aut ὑείων *porcinis*, sive *porcina;* quæ dictiones inter se affines causam præbuerunt, cur in Vulgata translatum fuerit : « Saturati sunt filiis, » et in vetustissima itala ut legitur in Psalterio Eccl. Vaticanæ : « Saturati sunt porcina; » quam translationem secutus est S. Bruno, eamdemque habent interpretationem, et lectionem S. Augustinus et Cassiodorus.

(453) Cod. Gbis. *filio :* ita et in Vulgata

Digitized by Google

illos dolores sustinere et mitigare, dignum tamen est quod eos tales fuisse dicit, quales cæteri homines sustinere solent. Quare fideles ejus cognoscant et intelligant, quantum nos dilexerit, qui talia tantaque pro nobis sua sponte sustinere voluit.

« Prævenerunt me laquei mortis. » Laquei mortis illi sunt, qui ea quæ capiunt et tenent, et ad mortem trahunt. Tales laquei fuerunt Judæi, qui eum prævenientes, et simul cum Juda proditore super eum irruentes, usque ad mortem eum non dimiserunt.

« Et in tribulatione mea invocavi Dominum, et ad « Deum meum clamavi. » Et ipse quid fecit? Sequitur : « Et exaudivit de templo sancto suo vocem « meam, et clamor meus in conspectu ejus, et in- « troivit in aures ejus. » Audivimus in Evangelio quid clamaverit et quomodo Deum invocaverit. Audivimus, et nunc ipso dicente, quod exauditus fuerit, quod quidem firmissime credimus, et nullatenus dubitamus. Quod autem ait : « De templo sancto suo. » Quid convenientius quam de se ipso intelligi potest? Templum namque Dei ipse est, in quo, sicut Apostolus ait, inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II, 9). Unde et ipse dicebat : « Solvite templum hoc, et ego in triduo resuscitabo illud (*Joan.* II, 19). » Quod statim exponens Evangelista, ait, hoc autem dicebat « de templo corporis sui. » In se ipso igitur erat, et ille qui orabat, et ille qui exaudiebat, neque indigebant collocutione, quorum una voluntas et conscientia erat. Unde et dicit : « Et clamor meus in conspectu ejus; » quia neque divinitas ab humanitate, neque humanitas a divinitate aliquando separatur. Huc usque Dominus suæ passionis historiam texit, cætera quæ sequuntur Ecclesia loquitur de his quæ post Christi passionem in ea facta sunt.

« Et commota est, et contremuit terra. » Postquam, inquit, Dominus cœlos ascendit, et ubique gentium ad prædicandum discipulos misit, tota terra commota est, aliis defendentibus, aliis impugnantibus veritatem, et tunc quidem completum est, quod Dominus ait : « Nolite putare quia veni mittere pacem in terram; non veni mittere pacem, sed gladium. Ex hoc, inquit, erunt quinque in domo una, et duo in tres, et tres dividentur in duos. Filius pugnabit contra patrem, et filia contra matrem, et nurus contra socrum suam (*Matth.* x, 34). » Sic igitur terra commota est, et sic contremuit. Timebat enim unusquisque suæ parti, ne in tanto conflictu vinceretur.

« Et fundamenta montium conturbata sunt, et « commota sunt, quoniam iratus est eis Deus. » Non solum, inquit, terra commota est, verum etiam ipsi montes, et ipsorum montium fundamenta conturbata et commota sunt. Quid enim per montes, nisi potentiores hujus mundi, prudentiores et sapientiores intelligimus? Hoc enim sunt illi ad homines inferiores, quod montes sunt ad loca planiora. A Fundamenta vero montium Romani principes mihi esse videntur, qui tunc temporis totum mundum portabant, regebant et sustinebant. Omnes autem isti contra sanctos Dei, et fidem Christianam commoti et conturbati sunt. Quare? « Quia iratus est ei « Deus. » Nisi enim eis iratus fuisset, sicut alios ad se trahebat, ita quoque istos ad se traxisset. « Nemo enim venit ad me, » dicit Dominus, « nisi Pater, qui misit me, traxerit eum (*Joan.* VI, 44). » Unde ipse ait : « Ego scio quos elegerim (*Joan.* XIII, 18). » Et Apostolus : « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi nobiles inter vos, non multi potentes, sed ignobilia mundi elegit Deus (*I Cor.* I, 26). » Sciant igitur omnes homines iniqui, et qui veritatem impugnare et Ecclesiam affligere non cessant, quoniam iratus est eis Deus. B

« Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus « exardescit. » Hoc est enim quod alibi dicit : « Dominus in ira sua conturbavit eos, et devorabit eos ignis (*Psal.* XX, 10). » Et illud : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII, 22). » Hic igitur ille ignis, de quo Dominus in judicio dicturus est : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). » Si igitur ignis æternus est, utique et fumus æternus est. Uterque autem et ignis et fumus magnum tormentum est.

« Carbones succensi sunt ab eo. » Et qui sunt isti carbones, nisi homines iniqui, quales sunt illi quos modo montes et montium fundamenta vocavit? Isti autem semel succensi nunquam amplius exstinguentur, sed semper et sine fine ardebunt. C

329 « Et inclinavit cœlos, et descendit, et caligo « sub pedibus ejus. » Isti sunt illi cœli, de quibus dicitur : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 1), » per quos apostolos intelligimus, quos tunc Dominus inclinavit, quando eos in mundum universum ad prædicandum mittens, ait : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Et magna quidem inclinatio est, quando cœli ad terram, justi ad peccatores, filii Dei ad idololatras et dæmoniorum servos mittuntur. Tales erant illi, ad quos vocandos, sanandos, lavandos, illuminandos et resuscitandos apostoli missi sunt. Et non solum eos inclinavit, et misit, verum etiam cum illis abiit et descendit, Sic enim eis promiserat, dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Sed quid est, quod ait : « Et caligo sub pedibus ejus? » De peccatoribus namque Apostolus ait : « Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V, 10). » Si tenebræ, et caligo. Talis igitur caligo, talesque tenebræ doctrina apostolorum illuminatæ sub Christi pedibus se humiliare et jacere gaudent. D

« Et ascendit super Cherubim, et volavit super « pennas ventorum. » Quos modo superius cœlos dixerat, nunc ventos appellat (454). Interpretatur

(454) Id. cod. Ghis. : « Nunc Cherubim vocat, et eos quos montes vocaverat nunc ventos, » etc.

Digitized by Google

enim Cherubim *scientiæ plenitudo*. Et ubi tanta scientiæ plenitudo, quanta in sanctis apostolis, quos prius Dei Filius, deinde Spiritus sanctus instruxit et docuit? Et vide elegantiam locutionis in cœlis descendere, in Cherubim ascendere dicitur. Neque enim aliter cœli terræ jungi possunt, nisi se inclinarent et descenderent. Super Cherubim vero ascendit ut, eis volantibus, pennas ventorum supergrediatur. Diversæ quidem sunt rationes, ut sancti apostoli nunc cœli, nunc Cherubim, nunc nubes, nunc boves, nunc equi vocentur, et aliis nominibus, diversis ex causis illis convenientibus. Ascendit igitur super Cherubim, id est super apostolos suos, quibus, sicut ipse ait, dederat os et sapientiam, cui non possent resistere omnes ejus adversarii. « Ascendit, » inquit, « et volavit. » Ubi? « Supra pennas ventorum. » Bene autem Apostolus volasse dixit, ut eorum celeritatem ostenderet, qui brevissimo tempore totum mundum sua prædicatione repleverunt. Sicut enim alibi dicitur: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4) (455). Per ventos enim, sicut diximus, reges et principes, cæterique hujus sæculi potentes significantur, qui hoc mare magnum et spatiosum, id est mundum istum ventilant et perturbant, et vix aliquando quiescere sinunt. Soli enim venti mari dominantur, ibique maxime suam potestatem ostendunt. Super tales igitur Dominus volasse dicitur, quia ejus virtus atque potestas omnes mundi hujus potestates supergreditur, et nihil est quod ejus imperio non subjiciatur. Sive etiam super eos volavit, quia habitationis locum in eis non accepit, sed desuper volans ad alios festinavit.

« Et posuit tenebras latibulum suum (456). » Quasi aliquis diceret: Sic ita volavit, et super pennas ventorum volavit, ubi eum quæremus? Ubi reperiemus? Cui respondetur, « et posuit tenebras latibulum suum. » Dico ergo: « Si Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ (*Joan.* I, 5), » quomodo in tenebris lucet? An fortasse, quia sicut scriptum est, « Deum nemo vidit unquam? (*Ibid.*, 18.) Satis in tenebris est id, quod videri non potest. Aliter tamen in tenebris latet Dominus, ubi ab his, qui pio desiderio eum quærunt, facile reperitur. Tenebræ enim dicuntur utriusque Testamenti scripturæ, quia obscuræ sunt, et non ab aliis quam a fidelibus penetrari possunt. Qui igitur Deum quærit, et eum cognoscere et videre desiderat, has tenebras ingrediatur, et ibi inveniet illam lucem quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc enim significavit Moyses, qui in monte Sinai, ut cum Domino loqueretur, nebulam et caliginem intrasse dicitur. Sequitur:

« In circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebrosa « aqua in nubibus aeris. » In circuitu, inquit, hujus latibuli, tabernaculum Dei, id est viri religiosi, majorisque scientiæ quotidie morantur, ubi suum ingenium exercent, ibi Dei voluntatem et notitiam quærunt, et quærendo inveniunt. Cum enim Evangelium, vel alia qualibet divina Scriptura in Ecclesia legitur, et totus populus, qui Dei tabernaculum vocatur, intentis auribus circum assistit, tunc quidem in circuitu prædicti latibuli tabernaculum Dei stare videmus. De quo latibulo adhuc subditur:

« Tenebrosa aqua in nubibus aeris. » Tenebrosus enim et tenebrosa a tenebris denominantur. Quia igitur latibulum in tenebris est, aqua quoque quæ in latibulo est, non immerito tenebrosa vocatur (457). De quibus videlicet nubibus, quod in sequentibus dicitur, audiamus:

« Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt. » Præ fulgore hoc in loco una pars est; tale est, ac si diceret: Præ fulgore, id est præclaræ et splendidæ **330** nubes, per quas apostolos significari diximus, transierunt. In quorum transitu grando, et carbones ignis facti sunt, undecunque transierunt. In eo vero, quod eos transisse dicit, quantam in prædicatione sollicitudinem habuerint, apertissime manifestat. Non diutius morabantur in uno loco, sed semper de loco transibant ad alium locum. Quid vero per grandinem et carbones ignis, nisi eorum verba et sermones intelligimus, quibus peccatoribus, nisi converterentur et pœnitentiam agerent, omnium tormentorum grandinem, æterni ignis flammas et incendium minabantur? Hanc enim grandinem et hos carbones ignis beatus Joannes Baptista spargebat, cum diceret: « Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Luc.* X, 9). » Bene autem dixit « in conspectu ejus, » quia semper eos respicit Deus, et nunquam eorum obliviscitur.

« Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus « dedit vocem suam. » Hic versus superioris versus expositio esse videtur. Sive enim cœli, sive nubes, sive Cherubim apostoli dicantur, eadem significatio est. « Intonuit igitur de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, » quando per ora apostolorum, quos modo superius nubes vocavit, quis ignis, quæ grando, qualis cruciatus et quanta tormenta peccatores exspectant, manifestavit. Unde adhuc subditur:

« Misit sagittas suas, et dissipavit eos, fulgura « multiplicavit, et conturbavit eos. » Ecce iterum, quæ grandinem et carbones ignis dixerat, modo sagittas et fulgura vocat. Tales sagittas et talia fulgura illi duo fratres mittere et jaculari solebant, qui Boanerges, id est filii tonitrui in Evangelio vocandentium, ubi lateret ipse, non eos descrens. »

(455) Id. cod.: « Sed quid est quod ait, *super pennas ventorum?* »

(456) Brevior Augustinus: « Et posuit obscuritatem sacramentorum et occultam spem in corde cre-

(457) Id. cod.: « Istæ nubes, apostoli et prophetæ, eorum Scripturæ intelliguntur, quæ cum obscuræ sint, tenebrosæ esse dicuntur. »

Digitized by Google

tur, Jacobus (458) et Joannes. « Dissipavit autem A eos, et conturbavit, » contra quos has sagittas et fulgura mittebat, non secundum substantiam, sed secundum malitiam. Sic enim dissipare et conturbare eos Dominus volebat, quibus dicebat : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum (*Luc.* IX, 13). » Sic Apostolus se ipsum dissipatum et conturbatum esse ostendit, ubi ait : « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus (*Galat.* II, 20). » O utinam et nos ita dissipari et conturbari mereamur ! Et prius quidem pauci sagittarii et fulguratores fuerunt, sed boni ; postea vero crescente numero electorum multiplicati sunt super numerum. Et tunc quidem factum est quod sequitur :

« Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt « fundamenta (459) terræ. Ab increpatione tua, Do- B « mine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ. » Tot sunt fontes aquarum, quot sunt prophetæ et apostoli, omnesque sancti prædicatores, eorumque librorum volumina. Illi quoque digne satis fundamenta orbis terræ dicuntur, quia super eos tota Ecclesia fundata est. Unde Apostolus ait : « Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II, 20). » Isti autem fontes, ut hæc fundamenta tunc apparuerunt et revelata sunt, quando Ecclesiæ doctores jam super multiplicati, ubique gentium prædicare, peccatores increpare, Scripturas exponere, et in ipsis Scripturis ostendere iram Dei, et indignationem, et tormentorum omnium inundationem, eos exspectare, qui in peccatis suis perseverant, et pœnitentiam agere recusant. Huc usque S. Ecclesia de apostolorum prædicatione et gentium conversione locuta est. Hinc vero tyrannorum persecutiones quas passa est, et magnas Dei misericordias, quas in ipsis persecutionibus et inter ipsa tormenta experta est, narrare incipit.

« Misit de summo, et accepit me et assumpsit « me de multitudine aquarum : eripuit me de ini- « micis meis fortissimis, et ab his, qui oderunt me, « quoniam confortati sunt super me. » Dicit quia de summo ad se liberandam : sed quid miserit, hic quidem non dicit ; alibi vero dicit, ubi ait : « Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, animam meam eripuit de medio catulorum leonum (*Psal.* LVI, 5). » Quos igitur ibi catulos D leonum dicit, hoc in loco aquas multas, et fortissimos inimicos vocat. De talibus autem sancta Ecclesia sæpe liberata est, sola Dei misericordia et veritate quam prædicabat opitulante. Misit autem de summo, de se ipso, quem summum bonum de suæ divinitatis altissimo secreto ; unde veniunt omnia bona, sicut scriptum est : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jacob.* I, 17). » Sic legitur de talibus ; a Deo liberata est, ac si de aquarum multa profunditate vel de leonum faucibus attraheretur.

« Prævenerunt me in die afflictionis meæ. » Prævenerunt me, inquit, et quasi incaute præoccupaverunt cum magna ira, et furore super me irruentes, ad reges et præsides attrahentes, flagellantes, multisque modis insultantes. Sed quid fecit Dominus ? « Et factus « est, inquit, Dominus protector meus, et eduxit « me in latitudinem, salvum me fecit quoniam « voluit. » Quia, inquit, me dilexit, et voluit, et amittere noluit, de magnis tribulationibus, et angustiis me traxit, et in latitudinem adduxit. Per latitudinem autem, gaudium, et exsultationem, et securitatem significat.

« Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam « meam, et secundum innocentiam manuum mearum « retribuet **331** mihi. » Et de tribulationibus, inquit, B me liberavit, et adhuc de servitio retributionem et mercedem exspecto : quia justus est, et reddet unicuique secundum opera sua. Unde et subditur :

« Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a « Deo meo. » Hoc est itaque, unde adhuc retributionem exspectat. Quid est autem vias Domini custodire, nisi ejus mandata observare ? Impie autem a Deo agit, qui aliquo casu ab eo separatur.

« Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo « sunt semper, et justitiam ejus non repuli a me. » Magnæ namque (460) causæ sunt istæ exspectandæ retributionis. Qui enim vias Domini custodit, et nullo casu ab eo recedit, judicia ejus observat, et tenet, et nunquam justitiam ejus a se repellit, quid amplius facere potest ? Et quasi aliquis diceret : Ecce bene C hodie (461) hæc omnia fecisti ; sed te facturum esse nondum promisti. Ad quod ipsa.

« Et ero immaculatus coram eo, et observabo me « ab iniquitate mea. » Et feci, inquit, et faciam, et ad antiquæ conversationis pravitatem et iniquitatem nunquam revertar. Unde certa sum (dicit Ecclesia, vel quæcunque fidelis anima) « quia retribuet mihi « Dominus secundum justitiam meam, et secundum « innocentiam manuum mearum in conspectu oculorum ejus. » Quia manibus opera fiunt, omnia opera quocunque modo fiant per manus significari possunt, et est causa pro effectu. Quod autem dicit : « in conspectu oculorum ejus ; talia sua opera ostendit, quæ Deo placeant, et ejus visionem mereantur. Nunc autem mutat personam, et ad ipsum Dominum suæ locutionis sermonem dirigit.

« Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente « innocens eris, et cum electo electus eris, et cum « perverso subverteris. » Hoc autem his verbis dicere videtur ; quia Dominus sanctus est, sanctos non deseret, et quia innocens est, innocens non nocebit, et quia populo suo electus est, et electum suum non derelinquet. Quod autem sequitur : « Et cum perverso subverteris, » sic est accipiendum, sicut et multa alia, quæ quamvis ipse non faciat, facere tamen dicitur, quia facientes quodammodo imitari videtur. Cum

(458) Ld. cod., *videlicet*.
(459) Ld. cod., *orbis*.
(460) Ld. cod., *et dignæ*.
(461) Ld. cod., *usque hodie*.

Digitized by Google

enim nunquam pœniteat vel irascatur, et pœnitere tamen et irasc. dicitur, cum pœnitentis et irascentis affectum ostendit. Sic igitur cum idem semper, et immutabilis sit, subverti tamen, et a propria voluntate mutari videtur, cum eum quem prius dilexerat, postea propter suam perversitatem a se repellit. Unde et sequitur :

« Quoniam tu populum humilem salvum facies, et « oculos superborum humiliabis. » In populo namque humili, quem Dominus salvum faciet, omnes quos modo superius dixit, ei sancti, et innocentes, et electi continentur. Per superbos vero, qui humiliandi sunt, soli perversi significantur.

« Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine « Deus, illumina tenebras meas. » Lucerna Ecclesiæ episcopi sunt, et sacerdotes, omnesque alii quorum verbis et exemplis cætera multitudo illuminatur. De tenebris autem Apostolus dicit : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v, 10). » In corpore autem ecclesiastico, et boni, et mali, et usti, et peccatores, et perfecti, et imperfecti, et sapientes, et insipientes continentur. Inter hos autem multi sunt, qui tenebræ vocantur. Si enim boni ideo lucerna dicuntur, quia alios illuminant; quare et mali tenebræ non dicantur, qui verbis et exemplis alios excæcant? Pro talibus igitur orat Ecclesia, ut illuminentur, ne tenebrarum principem sequentes in majores tenebras demergantur. Nam et ipse inde tenebrarum princeps dicitur, qui iniquorum hominum princeps est, qui tenebræ dicuntur.

« Quoniam a te eripiar a tentatione, et in Deo « meo transgrediar murum. » Ideo, inquit, rogavi te, ut illumines tenebras meas, qui magnam in illis patior tentationem, a qua videlicet, nisi a te et per te liberari non possum. Tu igitur et meis precibus, et tua benignitate eos illuminabis, et a suis tentationibus liberabis; et ego in te Deo meo et protectore meo transgrediar murum. Magnus inter nos, et Deum murus positus est, quem nisi divino adjutorio transire non possumus. Per hunc autem murum malignorum spirituum incitamenta, et vitiorum omnium impedimenta intelligimus. Nunc iterum mutat personam, et laudes Domini, cui loquebatur, quasi exaudita prædicat et extollit.

« Deus meus, impolluta via ejus. » Qualis, inquit, est hic Deus meus, quam clemens, quam benignus, quam verax; qui nulli mentitur, et nunquam deserit sperantes in se. « Impolluta via ejus. » Omnia opera ejus pura et sancta, et omnes viæ ejus misericordia et veritas : « Eloquia Domini igne examinata protector est omnium sperantium in se (*Psal.* xvii, 31). » Eloquia, inquit, Domini igne sunt examinata, et in tribulationibus, et angustiis, omnium tormentorum incendiis a fidelibus probata, quia quæcunque illis promisit, fideliter adimplevit. Et hoc est, quod dicit : « Protector est omnium sperantium in se. »

« Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis « Deus præter Deum nostrum? » Unde 332 et alibi dicitur : « Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit (*Psal.* xcv, 3). »

« Deus qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam. » Tanta virtute præcincta est Ecclesia, ut tunc quoque vincat, quando vincta esse putatur. Nulla sibi major victoria est, nullus triumphus major, quam tormentis non succumbere, et (462) patiendo patientiam non amittere. Unde et viam suam immaculatam esse dicit, quia inter ipsa tormenta fidem custodivit, et recto et inviolato itinere ad Deum ivit.

« Qui perfecit pedes meos tanquam cervi, et super excelsa statuit me. » Pedes animæ bona opera sunt, virtutes et mores honesti, quibus in via mandatorum currit, quibus sustinetur atque portatur, et super excelsa cœlorum statuitur et exaltatur. Ipsi autem pedes cervorum pedibus comparantur, quia cito facilique cursu ad statutum locum eam perducunt.

« Qui docet manus meas ad prælium, et posuit ut « arcum æreum brachia mea. » Per manus et brachia bonus intellectus et bona intentio significantur, qui sapienter a Domino edocti contra omnes iniquorum insidias viriliter præliantur.

« Et dedisti (463) protectionem salutis tuæ, et « dextera tua suscepit me, et disciplina tua ipse me « docebit. » Securus ad prælium vadit, qui tali protectione salvatur, tali dextera suscipitur, et tali disciplina docetur.

« Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt « infirmata vestigia mea. » Sive, inquit, fugere, sive hostes persequi volui, validos et veloces gressus, et vestigia habui. Utrumque enim utile est et fugere et pugnare, ubi necesse est. Fugiunt illi, qui peccandi timore ubicunque se abscondunt, vel qui peccandi instrumenta a se repellunt. Illi vero persequuntur, qui dura pœnitentia vitia superant, et qui orationibus et jejuniis ipsos malignos spiritus a se repellunt. Sed qui hoc non intelligit, martyrum agones et beatorum Benedicti, Antonii et Hilarionis historias legat.

« Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, « et non convertar, donec deficiant. Affligam illos, « nec poterunt stare. » Qui sic loquitur non timet inimicos, nec fugere, sed pugnare desiderat. Beati illi, qui sic pugnant, qui omnia vitia, omnesque voluptates, carnisque concupiscentias in se interficiunt. Hoc enim significavit Dominus per Moysen, ubi omnes gentes, quæ terram promissionis possidebant, usque ad internecionem interficere jussit.

« Cadent subtus pedes meos. » Quod per pedes virtutes et bona opera significentur, modo superius diximus, quibus videlicet omnis vitiorum exercitus vincitur et concultatur. Ecce iterum Ecclesia mutat personam, et ad ipsum Dominum suæ locutionis verba convertit.

(462) Id. cod., *moriendo.*

(463) Id. cod., *mihi.*

Digitized by Google

« Et præcinxisti me virtute ad bellum (464). » In hoc prælio, de quo Ecclesia modo loqui incipit, non solum contra vitia et malignos spiritus, verum etiam contra tyrannos, Judæos et hæreticos se pugnasse ostendit. « Et præcinxisti me virtute ad bellum. » Tanta enim virtute præcinxit Dominus sanctos suos atque munivit, ut nullo tormentorum genere, nulla philosophorum disputatione vinci potuissent.

« Supplantasti omnes insurgentes in me subtus me » Quid est supplantasti, nisi cadere fecisti? Unde et modo dixit : « Cadent subtus pedes meos. » Hoc autem de Judæis specialiter dicere videtur, qui ubique Christianis subjecti sunt, et neque armis, neque rationibus eis resistere possunt. Unde et subditur. « Et inimicorum meorum dedisti mihi « dorsum (465). » Nam et ubique gentium dispersi et perditi sunt (466), et non faciem ad resistendum habent, sed et solum dorsum ad flagella paratum. De quibus adhuc subditur.

« Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad « Dominum, nec exaudivit eos. » Magnum argumentum est, eos a Deo reprobatos esse, quia tempore suæ obsidionis, quando a Romanis capti sunt, jam per mille annos (467), et amplius ad Dominum clamare non cessant, nec tamen exauditi sunt, cum prius quidem in omnibus suis afflictionibus parvo tempore castigati semper a Deo exauditi et liberati fuerint.

« Et comminuam illos, ut pulverem ante faciem « venti, ut lutum platearum delebo eos. » Hoc autem loco digne satis Domini persona introducitur ad verba Ecclesiæ respondentis. Dixerat enim modo Ecclesia, quia clamaverunt Judæi ad Dominum, nec exaudivit eos. Cui ipse, nec exaudivi, inquit, nec exaudiam, sed « comminuam illos ut pulverem ante faciem venti, et ut lutum platearum delebo eos. » Et hoc quidem ex maxima parte jam factum est, et adhuc in judicio futurum est. Sed, quia de Judæis loqui cœperat, ad Patrem conversus de illorum conqueritur infidelitate. Et hoc est, quod dicit :

« Eripies me de contradictionibus populi, consti- « tues me in caput gentium. Populus, quem non « cognovi, servivit mihi, ab auditu auris obedivit « mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni « inveteraverunt, et claudicaverunt a semitis tuis. » Eripies me, inquit, o Pater, de contradictionibus hujus populi, qui semper mihi et contradixit **333** et contradicit, et meam doctrinam suscipere noluit. « Et constitues me in caput gentium, » quas ego pro Judæis in hæreditatem suscepi. Quia quasi dicat; populus gentium, quem ego prius non cognovi, et meæ gratiæ, et benevolentiæ alienum, et extraneum feci, audito meo nomine, protinus mihi et servivit, et obedivit. Econtra vero (468) « filii alieni mentiti sunt mihi, » quos ego semper usque ad meæ passionis tempora, ut proprios et charissimos filios custodivi. « Filii alieni inveterati sunt » in peccato inobedientiæ suæ, sive etiam quia solius litteræ vetustatem sequentes novam doctrinam suscipere noluerunt. Quod autem ait : « Et claudicaverunt a semitis tuis, » ab intelligentia legis et prophetarum, per quam incedere debebant, eos declinasse et aberrasse significat. Hinc usque Dominus. Hinc vero Ecclesia, sicut cœperat, suam continuat orationem.

« Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et « exaltetur Deus salutis meæ. » Vivit, inquit, Dominus cujus resurrectioni Judæi contradicunt, et ipse sit per omnia benedictus, ipse exaltetur super omnes inimicos suos, qui sua morte me salvavit, et de cunctis periculis liberavit. Sequitur :

« Deus, qui das vindictam mihi, et subdidisti po- « pulos sub me. Liberator meus, Domine, de genti- « bus iracundis, et ab insurgentibus in me exalta- « bis me; a viro iniquo eripies me. » Deus, inquit, qui das vindictam mihi, et in hoc sæculo ex parte, et ex futuro ex toto, et subdidisti populos sub me, quosdam videlicet sua sponte ad obediendum, cæteros vero resistere non valentes; tu, inquam, qui liberator es meus de gentibus iracundis, per quas Judæos, hæreticos, et tyrannos intelligimus, spero, et confido, dicit Ecclesia, et certa sum, quia sicut semper fecisti, sic semper mihi facies! Quid?

« Et ab insurgentibus in me exaltabis me, et a « viro iniquo eripies me. » Vir iste iniquus, et isti insurgentes, Antichristus cum omni suo exercitu convenienter intelligi potest. Dicit igitur, quia sicut a primis suis persecutoribus liberata est, ita et ab ultimis cum Dei adjutorio liberabitur.

« Propterea confitebor tibi in populis, Domine, « et nomini tuo psalmum dicam. » Promittit se omni tempore in populis, qui ubique gentium dispersi sunt, Deum laudare, ejusque nomini jubilare, qui sic semper et ubique ad eam exaudiendam, et liberandam præsto est.

« Magnificans salutare regis ipsius, et faciens mi- « sericordiam Christo suo David, et semini ejus « usque in sæculum. » Tibi, inquit, confitebor, qui magnificans magnificasti salutare regis ipsius. Cur ipsius? Ipsius videlicet populi, de quo modo Dominus superius ait : « Populus, quem non cognovi, servivit mihi. » Hujus enim regis salutem ita magnificavit Deus, ut non solum ipsum, verum etiam omnes illos salvaret, qui credunt in ipso. Unde et subditur : « Et faciens fecisti misericordiam Christo « suo David, et semini ejus usque in sæculum. » Hic

(464) Ex cod. Vallicellano, quo suppletur editio.

(465) Id cod., *et odientes me disperdidisti*. Alio modo interpretatur Augustinus : « Et inimicos meos convertisti, et dorsum mihi eos esse fecisti, id est ut sequerentur me. »

(466) Ejusdem codicis Vallicell. supplementum.

(467) Designatur ætas S. Brunonis, qua hæc commentaria scripsit.

(468) « Israelitæ, seu filii exteri, et spurii, mentiti sunt mihi, promissam fidem mihi negantes : qui filii exteri, et spurii inveterati remanserunt in veteri statu legis antiquæ, et claudicantes deviaverunt a semitis sibi præscriptis a lege et prophetis, per quas veniendum erat ad me. » Card. Thom.

Digitized by Google

autem modus locutionis in divina pagina sæpe reperitur : ut *exspectans exspectavi :* et *euntes ibant;* et *venientes venient*, et *gaudens gaudebo*, et *faciens facies*, et similia.

PSALMUS XVIII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Iste psalmus David ad finem, ad Christum, ad Ecclesiam, et ad illos referatur, qui dicunt : « Nos « sumus ad quos fines devenerunt (*I Cor.* x, 11). »

« Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus « annuntiat firmamentum. » Multis ex causis SS. apostoli cœli dici possunt, sive quia in tota Ecclesia excellentiores et majores sunt, sive quia in ambitu sui principatus universa concludunt; sive quia divina secreta celant et continent; sive quia templum Dei sunt, et Spiritus Dei visibiliter eis datus plenissime habitat in ipsis; sive quia ad cœli similitudinem cunctis virtutibus, quasi quibusdam clarissimis stellis cælati et variati sunt. Isti enarrant gloriam Dei, isti annuntiant opera manuum ejus. Qui non immerito firmamentum vocantur, quoniam in illorum fidem tota Ecclesia et firmata, et fundata est. Unde et Apostolus dicit : « Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* I, 20). » Tales igitur digni fuerunt, qui ad gloriam Dei prædicandam in totum mundum mitterentur. Neque digniori nomine, propheta, qui in hoc psalmo loquitur, eos vocare potuit, quam cœlum et firmamentum.

Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat « scientiam. » Hoc ipsum significat dies diei eructat verbum, quod significat : « Cœli enarrant gloriam Dei. » Quos enim modo cœlos dixerat nunc dies vocat, quos ipse Filius Dei in Evangelio lucem nominat, dicens : « Vos estis lux mundi (*Matth.* v, 14). » Nam et hoc nomen honoris est, et dignitatis **334**. Eructat igitur dies verbum diei, quando sancti apostoli populo Christiano, qui et ipse dies est, vero lumine illuminatis evangelicæ prædicationis verbum annuntiant. Sed o scelus, et malum intolerabile ! quia sicut eructat dies verbum Dei, ita et nox nocti scientiam indicat. Si enim apostoli et omnes fideles dies vocantur : quare hæretici omnesque infideles nox non dicantur? Quando igitur isti suum errorem, suamque cæcitatem suis auditoribus prædicant, tum procul dubio et nox nocti suam scientiam indicat.

« Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non « audiantur voces eorum. » Hoc est enim, quod alibi dicitur : « Loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei (*Act.* II, 11). » Omnibus linguis loquebantur, et pleni Spiritu sancto totius sapientiæ et scientiæ sermones resonare faciebant. Ubi?

« In omnem terram exivit sonus eorum, et in « fines orbis terræ verba eorum. » Et quid dicebant? Sequitur :

« In sole posuit tabernaculum suum, et ipse an- « quam sponsus procedens de thalamo suo. Ex- « sultavit ut gigas ad currendam viam : a summo « cœlo egressio ejus. Et occursus ejus usque ad « summum ejus, nec est qui se abscondat a calore « ejus. » Hæc est prima prædicatio apostolorum, in qua Christi nativitas, ascensio, et ultimum judicium brevissime continentur. Tabernaculum Christi ipsa ejus humanitas est, in qua, ut Apostolus ait, inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II, 9). Hoc autem posuit Dominus in sole, quia cunctis gentibus revelavit. Quod enim in sole non est, in tenebris est et videri non potest. Sola igitur illa in sole sunt, quæ videri possunt, et in tenebris non sunt. Unde et alibi dicit : « Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit justitiam suam (*Psal.* XCVII, 2). » Secundum humanitatem igitur Salvator noster in sole est, secundum divinitatem super solem; quia secundum humanitatem videri potuit, secundum divinitatem videri non potuit. Procedens autem tanquam sponsus de thalamo suo, id est de utero virginali, ubi illud conjugium ineffabile factum est, ubi divinitas humanitati ineffabiliter conjuncta est. « Exsultavit ut gigas ad currendam viam. » Hoc est autem illa via de qua alibi dicit : « De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput (469) (*Psal.* CIX, 8). » In quo manifeste ostenditur, quia omnes, quæ de eo scribuntur, sua sponte sustinuit passiones. Via igitur illius fuit de virgine nasci, miracula facere, mori, resurgere et tandem post omnia cœlos ascendere. Sed quare dicitur, « ut gigas? » Ut gigas enim factus est Dominus, quia fortis et insuperabilis. Insuper autem et gigantes geminæ naturæ esse putabantur. Sic enim in Genesi scriptum est, quia « videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores, ex omnibus quas elegerant (*Gen.* VI, 2); » de quibus postea gigantes nati esse narrantur. Et hoc dictum sit secundum opinionem hominum (470). Fuit autem « a summo cœlo egressio ejus, et occur- « sus ejus usque ad summum ejus, » quia sicut ipse ait : « Exivi a Patre, et veni in mundum, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem (*Joan.* XVI, 28). » Per summum itaque cœlum Deum Patrem intelligamus, qui super omnia est, et supra quem nihil est. A summo ergo usque ad summum dicere nihil aliud est, quam dicere, per omnia Patri æqualis est. Quod autem dicit : « Non est qui se abscondat a calore ejus, » dupliciter intelligi potest, ut vel de calore Spiritus sancti, vel de calore æterni incendii intelligatur. Neque enim fieri potest, ut unum istorum

(469) In præterito usurpavit S. Bruno illa verba : *in via bibit, propterea exaltavit caput*, quæ in futuro enuntiantur in Vulgata : *bibet, exaltabit;* ex lectione antiquissimorum codicum, ubi *i*, pro *e*, et *v*, pro *b*, scriptum est. Sed fortasse ita intellexit, quia plerumque prophetæ præterito verbo, pro futuro utuntur.

(470) Fuit illa nonnullorum auctorum opinio ab usque remotiori antiquitate, ducta ex libro Henoch apocrypho, existimantium perperam sane, angelos prævaricatores conjugium cum filiabus hominum iniisse, et gigantes hinc genitos. *Gen.* c. VI.

Digitized by Google

homo non sentiat. Qui igitur in hac vita Spiritus A sancti calore inflammatur illius caloris incendium non sustinebit. Finita autem hac prima apostolorum prædicatione, secundam videamus, in qua de lege Domini et justitia, de timore et de judiciis ejus plenissime disputat.

« Lex Domini irreprehensibilis, convertens animas, testimonium Domine fidele, sapientiam præstans parvulis. » Audite, inquiunt apostoli, intelligite, percipite legem Domini quia lex Domini sancta et irreprehensibilis est, non subvertens, non decipiens, neque interficiens animas, sed potius convertens, et salvans, et ad beatitudinem perducens. Unde subditur : « testimonium Domini fidele. » Fidele quidem, quia neminem decipit, nulli mentitur, sed omnibus veritatem dicit, et ipsis « parvulis sa- B pientiam præstat. » Per legem autem, et per testimonium unum atque idem significatur. Possumus autem per parvulos illos intelligere, de quibus Dominus ait : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* xviii. 3). » Sed qualiter parvuli esse debeamus, Apostolus docet : « Nolite, inquit, parvuli effici sensibus, sed malitia parvuli estote (*I Cor.* xiv, 20). »

« Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. » Ecce iterum aliis nominibus eamdem legem Domini vocat. Omnis enim scriptura quæ malum interdicit, et bonum **335** agere præcipit, lex Domini est. Cui videlicet legi quicunque obedit, et credit, secundum interiorem hominem, et lætificatur, et hilaratur. C Sicut e contra qui aliter agit, cæcus est, et in tenebris ambulat, et magnus mœror, et tristitia eum exspectat.

« Timor Domini sanctus permanens in sæculum « sæculi. » De hoc timore alibi dicitur : « Initium sapientiæ timor Domini (*Eccli.* i, 16). » Nemo igitur ad hujus legis notitiam pervenire, et eam, quæ in ipsa continetur, sapientiam habere potest, nisi prius in Deum credat, ipsum timeat et adoret. Est autem timor Domini sanctus et æternus, quia eos, in quibus est, sanctos et æternos facit. « Judicia Dei vera justificata in semetipsa; » sive legem, sive præceptum, sive testimonium, sive justitias, sive judicia dicas, nulla differentia est. Sunt autem judicia Dei vera et D naturaliter vera, non aliunde, nisi in semetipsa justificata, neque indigent probatione, quia naturali veritate muniuntur.

« Desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum « multum, et dulciora super mel et favum. » Quid enim tam desiderabile, ut sapientia, ut justitia, ut veritas, ut ipsa sui Creatoris agnitio. Omnia enim hæc, et quæcunque alia viri justi et timentis Deum desiderare possunt quæ in lege Domini continentur. Unde et primo psalmo de viro justo dicitur : quia « meditabitur in lege Domini die ac nocte. » Et inde apparet quia dulcior sibi est super mel et favum, qui ejus captus amore nullo tempore ab ea separatur.

« Nam et servus tuus custodit ea, in custodiendo « illa retributio multa. » Ideo, inquit, servus tuus legem tuam et judicia tua diligit et custodit, ideo super omnia quæcunque sunt, dulciora et desiderabiliora habet, quia in custodiendo illa multam se retributionem habere non dubitat.

« Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda « me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. » Quicunque, inquit, intelligit delicta sua, quicunque cognoscit peccata sua, dicat mecum : « Ab occultis meis munda me, Domine. » Hoc enim ipse fecit, quando cum Bersabea peccavit, et Uriam interfecit. Multum enim valet, sicut scriptum est, deprecatio justi assidua. De alienis autem peccatis Apostolus ait : « Nemini cito manum imposueris, neque communices peccatis alienis (*I Tim.* v, 22); » et stultum est aliena fovere peccata, cui non sufficit plangere sua.

« Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus « ero, et emundabor a delicto maximo. » Hoc est autem quod Apostolus dicit : « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore (*Rom.* vi, 12). » In illis enim regnat peccatum et dominatur, qui non solum cogitant et faciunt; verum etiam in ipso perseverant. Qui si convertantur et ad pœnitentiam redeant, tunc immaculati erunt, sicut scriptum est : « Quacunque hora peccator conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech*, xxxiii, 11). » Et tunc quidem emundabitur a delicto maximo, per quod nullum aliud convenientius intelligitur, quam perseverantia in peccato. Hoc est enim illud peccatum quod non dimittetur hominibus neque in hoc sæculo, neque in futuro; de quo et Apostolus ait : « Secundum duritiam tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* ii. 5). » Merito igitur hoc peccatum maximum dicitur, si quidem nunquam a Domino dimittitur. Si autem legatur (ut quidam codices habent) si mei non fuerint dominati, de malignis spiritibus intelligetur, qui tanto tempore hominibus dominantur, et non amplius, quanto tempore in peccato perseverant. Sequitur :

« Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei, et « meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. » Si autem ab hoc maximo peccato mundatus fuero, tunc et verba mea et cogitationes meæ tibi placebunt, et tua visione digna in conspectu tuo semper erunt. Tanta est misericordia Creatoris nostri, ut una eademque hora fiat et pœnitentia, et remissio.

« Domine adjutor meus, et redemptor meus. » Ipse qui redemit, ipse adjuvat, ne in servitutem iterum redeamus. Quod nisi fecisset, illa tanti pretii redemptio nihil profuisset.

PSALMUS XIX.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

In finem quidem hæc referuntur, id est ad Christum, et ad tempora Christi. Ipsius tamen Prophetæ vox est, qui ista scripsit. Unde et bene dicitur psalmus David (471).

(471) « Istum psalmum Propheta in persona Ecclesiæ canit de Christo. » S. Hieron.

Digitized by Google

« Exaudiat te Dominus in die tribulationis, pro- A « tegat te nomen Dei Jacob. » Christo Domino nostro Propheta loquitur, et ipsam illius divinitatem pro ejusdem ipsius humanitate interpellat. Exaudiat, inquit, Dominus, qui in te est, qui secundum humanitatem tuam tibi Dominus est. Quando? « In die tribulationis, » hoc est in tempore passionis » protegat te nomen Dei Jacob. » Qui modo indigne satis tantam persecutionem pateris a filiis Jacob. Non cognoscunt nomen tuum, **336** non credunt te illum esse, qui quondam Moysi interroganti, quod tibi nomen esset, respondit : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, hoc est nomen meum (*Exod.* III, 6). » Ille igitur te protegat, cujus nomen hoc est. Quod nihil aliud est dicere, nisi tu ipse protege te ipsum, quoniam tu ipse, qui secundum divinitatem es Deus B Jacob, modo secundum humanitatem interficeris a filiis Jacob.

« Mittat tibi auxilium de sancto. » De quo sancto? De te ipso; tu enim es Sanctus sanctorum, in cujus adventu cessavit unctio. Unde non aliunde quæras auxilium, quia in te est, qui et tibi, et omnibus nobis auxilium præstat.

« Et de Sion tueatur te. » Potest autem per Sion ipse Salvator noster intelligi. Nam et ipse mons est, et non qualiscunque, sed omnibus aliis sublimior : « Mons Dei mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacitum est Deo habitare (*Psal.* LXVII, 16). » Idem significat : « de Sion tueatur te, » quod significat : « mittat tibi auxilium de sancto. » Si autem et C sic dicatur : « de Sion tueatur te, » id est ab his qui habitant in hac destruenda Sion, te protegat et defendat; non erit inconveniens, quia ipsi sunt qui eum occiderunt.

« Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, et holo- « caustum tuum pingue fiat. » Ipse est enim sacerdos magnus secundum ordinem Melchisedech, qui admirabili potentia panem et vinum in sui corporis et sanguinis substantiam vertit, suisque discipulis dedit, dicens eis : « Accipite, et comedite : hoc est corpus meum : et hic est calix novi testamenti in meo sanguine (*Matth.* XXVI, 26). » Altera vero die postquam hoc fecit, se ipsum in ara crucis pro nobis immolavit; et tunc quidem fecit illud pingue et suave, et Deo acceptabile holocaustum, quo pri- D mum, et originale peccatum deletum est, et humanum genus gratiæ Dei reconciliatum est. Hujus autem holocausti odore suavissimo et cœlum, et terra repleta est, ut merito de ipso dicatur : « Odoratus est Dominus odorem suavitatis (*Gen.* VIII, 21). » Et hoc quidem holocaustum omnia illa holocausta significabant, quæ a patriarchis et prophetis ab ipso mundi initio immolata sunt.

« Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum, et « omne consilium tuum confirmet. » Desiderium namque cordis ejus, et consilium hoc fuit, ut pro salute nostra moreretur, et resurgeret, cœlos ascenderet, et Spiritum Paracletum suis discipulis mitteret, quo mundum illuminaret, et ad se converteret. Hoc autem consilium et desiderium, sicut ante multum temporis Propheta oraverat, ipso Domino volente et disponente jam completum est.

« Lætabimur in salutari tuo, et in nomine Dei nostri « magnificabitur. » Ideo, inquit, hæc oramus et precamur, quia de salute tua lætabimur, sive tibi a Domino data, sive nobis a te concessa. Et in nomine Domini Dei nostri, id est in nomine sancto tuo, quo Christiani vocabimur, erit magnificatio, exaltatio, et gloriatio nostra. Unde adhuc id ipsum orantes, et deprecantes universaliter dicimus.

« Impleat Dominus omnes petitiones tuas. » Hoc autem cum Propheta dixisset, suasque orationes per Spiritum sanctum exauditas esse cognosceret, cogitabundus ait : « Nunc cognovi quoniam salvum faciet « Dominus Christum suum. » Quid apertius? Quid manifestius? Miseri Judæi vel nunc cognoscite de Christo hæc pronuntiata fuisse. « Et exaudiet illum « de cœlo sancto suo. » Quod sicut superius exposuimus, de se ipso intelligamus : « In potentatibus salus dexteræ ejus; » vere in potentatibus, quia nullus alius unquam cum tanta gloria, tanto honore, talique triumpho inimicos superavit.

« Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine « Domini Dei nostri magnificabimur. » Cæteri, inquit, in curribus et equis glorientur, prælientur et magnificentur, nobis autem hoc solum sufficit, ut in nostris necessitatibus nomen Domini invocemus; quoniam « omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit (*II Tim.* II, 19). »

« Ipsi obligati sunt et ceciderunt, nos vero sur- « reximus et erecti sumus. » Docet nos Propheta, quia illi, qui derelicto divino adjutorio, in sæcularibus adjutoriis spem suam ponunt, inde obligati et impediti citius cadunt, unde victoriam exspectant. Sancti vero in Deo solo spem habentes, nunquam ejus auxilio et consolatione destituentur.

« Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die « qua invocaverimus te. » Quantum rex et propheta David hunc nepotem, seu potius filium suum (sic in pluribus locis vocatur Dominus) semper dilexerit, in eo manifestissime ostendit, quod pro eo etiam exauditus orare non cessat. « Et exaudi nos, inquit, in die qua invocaverimus te » in nomine ipsius, quatenus adimpleatur id quod suis discipulis promisit, dicens : « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XVI, 23). »

337 PSALMUS XX.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Hic titulus, et superior eamdem habent expositionem, et sicut in illo, ita et in isto Propheta loquitur de Christo.

« Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super- « lutare tuum exsultabit vehementer. » Ecce iterum amorem suum et sollicitudinem Propheta ostendit, quam de Salvatoris nostri humanitate corde gestabat. Atque a fine superioris psalmi incipere videtur. Dixerat enim : « Domine salvum fac regem; » nunc autem de eodem rege dicit : « Domine, in virtute tua

Digitized by Google

« lætabitur rex, et de salute tua exsultabit vehe- « menter. » In quibus verbis et suam orationem exauditam esse, et Christi salvationem, et victoriam apertissime ostendit. Neque enim aliter lætari et exaltari potuisset, nisi ejus voluntas et desiderium adimpletum fuisset. Unde et subditur :

« Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate « labiorum ejus non fraudasti eum. » Quamvis enim voluntas non in labiis, sed in corde sit, labiorum tamen voluntas esse dicitur, quia quæ voluntas in corde sit, in labiis ostenditur.

« Quoniam prævenisti eum in benedictione dulce- « dinis. » Prius enim quam Salvator noster de virgine nasceretur, omnes patriarchæ et prophetæ eum benedictione dulcedinis benedixerunt.

« Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretio- « so. » — « Nemo coronabitur (dicit Apostolus) nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Dignum ergo fuit, ut Salvator noster coronaretur, cujus prælium et victoria tam famosissima narratur. Corona Christi Ecclesia est, quæ tota de lapidibus pretiosis constructa et fabricata est. Sic enim et Apostolus illis, quos ad fidem converterat, ait : « Fratres mei, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino charissimi (*Phil.* IV, 1). » Hoc igitur modo locutionis illi, qui sunt causa coronæ, accipiuntur pro ipsa corona. Possumus autem per coronam ipsam victoriam intelligere, quæ videlicet ipsius coronæ causa est, quæ, si justa et rationabilis fuerit, tunc de lapide pretioso facta est. Unde e contrario dicitur : « Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim (*Isa.* XXVIII, 1). »

« Vitam petiit a te. » Petiit quidem, quando dixit : « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI, 39). » Et tu quid fecisti? « Et « tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæ- « culi. » Plus, inquit, fecisti, quam ipse rogabat, quoniam ipse paucorum dierum vitam postulabat; tu vero « tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. »

« Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam et « magnum decorem impones super eum. » Quomodo?

« Quoniam dabis eum in benedictionem in sæcu- « lum sæculi. » Et super hæc omnia, « lætificabis « eum in gaudio cum vultu tuo. » Hæc omnia valde potiora sunt, quam hæc vita præsens; quoniam hæc omnia æterna sunt; præsens vero vita cum omnibus bonis suis caduca est et cito transiens.

« Quoniam rex speravit in Domino, et in miseri- « cordia Altissimi non commovebitur. » Merito, inquit, Domine, omnia hæc sibi fecisti, et si necesse fuerit majora facies; quoniam in te semper speravit et non in se, sed in tua misericordia confidit. Unde et multum tibi sit commendatus, quia nihil est, vel erit, quod eum a te commovere et separare valeat in æternum. Sæpe jam diximus, quia quoties de Christo talia scribuntur, omnia ad humanitatem referenda sunt, quam modo tam diligenter et curiose ipsi divinitati Propheta commendat. Huc usque de Christi humanitatis commendatione; nunc autem contra illos invehitur, qui Salvatorem nostrum usque ad mortem persecuti sunt.

« Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis. » Hoc autem exponit : « Et dextera tua inveniat omnes qui te oderunt. » Sive enim inveniant, sive inveniantur, væ illis erit, quia hanc tantæ fortitudinis dexteram nec effugere nec sustinere valebunt, quia semel confracti, velut vasa figuli, jam ulterius reintegrari non poterunt.

« Pone eos ut clibanum ignis. » Quando? « In « tempore vultus tui, » Et Dominus quid faciet? « Dominus in ira sua conturbabit eos. » Et ignis quid? « Et devorabit eos ignis. » O dura comparatio! si clibanus erunt, interius succensi in se ipsis semper ardebunt, et exstingui non poterunt. Et hæc quidem tanta mala tunc temporis super eos venient, quando ante conspectum Domini sui venientes bona sperare debuerant.

« Fructum eorum de terra perdes et semen eo- « rum a filiis hominum. » In hoc enim, et ipsos, et bona ipsorum, et opera, et filios eorum, per quos eorum imitatores intelligimus, simul omnia perire significat. Et hoc merito.

« Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt « consilium, quod non potuerunt stabilire. » Destructum est consilium Judæorum, quo Christi nomen omnino delere conati sunt.

« Quoniam pones eos dorsum. » Hoc in divina pagina multoties Dominus facere dicitur, quod prohibere potest et fieri permittit; sicut illud : « Quia induravit Dominus cor Pharaonis (*Exod.* IX, 11). » Similiter autem et hic : « Quoniam pones eos dor- « sum. » Dorsum **338** et non faciem Judæi ostendent, quia usque hodie semper Christum fugiant, et ejus misericordiam non requirunt. Et quoniam tales sunt, non isti, sed illi salvandi sunt, qui in fine sæculi futuri sunt, quos digne satis reliquias Domini vocat. De quibus scriptum est : « Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ convertentur (*Rom.* IX, 27). » Illi igitur sunt, quorum vultum Deus præparavit, quorum faciem illustravit et ad se videndum illuminavit.

« Exaltare, Domine, in virtute tua, cantabimus, « et psallemus virtutes tuas. » Exaltare, inquit, Domine; satis inter impios conversatus es, victi sunt inimici, coronatus es corona de lapide pretioso, exaltare igitur, et sic (472) cœlos ascende. Nos autem cantabimus, et ubique gentium prædicabimus virtutes tuas. Hinc est enim, quod in Canticis canticorum dicitur : « Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum (*Cant.* VIII, 14). »

PSALMUS XXI.

IN FINEM PRO SUSCEPTIONE MATUTINA PSALMUS IPSI DAVID.

Quid significet in finem, satis dictum est. Susce-

(472) Ll. cod., *coronatus cœlos.*

Digitized by Google

plio matutina Christi resurrectio est, qui die tertia primo mane a mortalitate ad æternam immortalitatem susceptus est. Bene autem in hoc psalmo resurrectionem præmisit, qui de sola passione locuturus erat, ut illi, qui per totum psalmum de Christi passione contristantur, ipsa tituli inscriptione consolentur, neque dubitent resurrecturum, cum mortuum esse cognoverint.

« Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti longe a salute mea? » Sæpe jam diximus quia Salvator noster Deus et homo est, et altera pars in eo clamat, altera vero clamantem exaudit. Humanitas quoque quando clamat non tantum pro se, quantum pro nobis clamat, quia divinitati ineffabiliter conjuncta, nihil est quod pro se timere debeat (473). Sic autem et lingua loquitur pro omnibus membris, et cum in se nihil patiatur, in unoquoque tamen membro se pati ostendit. Percutitur oculus, manus, vel pes, et dicit lingua, cur me percutis? non pro se, videlicet, sed pro aliis loquens, et aliorum passiones suas esse ostendens. Hoc igitur modo locutionis Salvator noster secundum humanitatem sic loquitur, dicens : « Deus « Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? » Et quasi ipsa divinitas causam clamoris quæreret, qua præsente, neque clamare neque timere debuisset, subdidit, dicens : « Longe a salute mea. » Non, inquit, pro me clamo, caput sum, lingua sum, pro membris meis clamo, quæ jam per totum mundum pro meo nomine tam dura tormenta pati conspicio; Mea namque passio causa illis erit, ut illa omnia patiantur. Insuper autem, et pro illis clamo, qui tanto mei sanguinis pretio redempti peccare non cessant, et in suis iniquitatibus perseverant, pro quibus nimirum et nunc, et semper me ad te clamare necesse erit. Et hoc est, quod ait :

« Verba delictorum meorum. » Hæc verba non sunt mea, non ad me pertinent, verba sunt delictorum, infirmitatum et passionum fidelium meorum. « Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies, et « nocte, et non ad insipientiam mihi. » Per diem, et noctem omne tempus intelligamus, quia sicut Apostolus ait : « Quotidie interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34). » Possumus tamen per diem, et noctem, et prospera, et adversa intelligere. Dicat igitur Salvator noster, dicat humanitas divinitati, omni tempore clamabo, nunquam te orare desistam, et non mihi imputetur ad insipientiam, quia etsi mihi clamor iste necessarius non est, illis tamen, pro quibus clamo, semper necessarius est.

« Tu autem in sancto habitas, laus in Israel. » Pro me, inquit, clamare ideo necesse non habeo, quia tu in me habitas et mecum es, sine clamore me exaudis, quem laudat et prædicat Israel. Clamat tamen Dominus aliquando etiam pro se, non ut ei clamare necessarium sit, sed ut nos ipsius consilium et voluntatem in ejus clamore cognoscamus. Hoc autem sequentia manifestabunt.

« In te speraverunt patres nostri, speraverunt, et « liberasti eos. Ad te clamaverunt, et salvi facti « sunt, in te speraverunt, et non sunt confusi. » Semper, inquit, clamandum est et nunquam a clamore cessandum est, et si non illico exaudiamur, a clamore tamen cessare non debemus. Clamor iste non oris, sed cordis est, quamvis et oris clamor valde utilis est, si et corda, et ora simul conveniant. Hoc autem fecerunt patres nostri, hoc patriarchæ et prophetæ fecerunt. Hoc fecit et iste, qui hunc psalmum scribit. Et quia firmiter credidederunt, **339** et speraverunt, ideo exauditi sunt, et non sunt confusi. Hinc autem totam suam passionem ex ordine narrat, et ea quæ post tantum temporis futura erant, quasi jam facta fuissent cunctis gentibus manifestat, ut qui apostolis credere nolunt, vel hunc psalmum legentes, et audientes credant, et vera esse cognoscant. « Ego autem sum vermis, « et non homo, opprobrium hominum, et abjectio « plebis (474). Omnes, qui videbant me, aspernabantur me, locuti sunt labiis, et moverunt caput. « Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat « eum, quoniam vult eum. Patres, inquit, nostri « speraverunt in te, et liberati sunt, Speraverunt, et « non sunt confusi. » Mihi autem hoc ipsum improperatur, quod in te spero, et quasi spes mea vana sit, et nihil mihi profutura sit. Sic enim et hic, et in Evangelio scriptum habemus, et quidem dicitur : « Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum. » Ibi vero : « Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credimus ei, confidit in Domino, liberet eum, si vult (*Matth.* XXVII, 42). » Quod hic dicitur : « Speravit in Domino; » ibi; « confidit in Deo. » Et quod hic dicitur : « Salvum faciat eum, quoniam vult eum : » ibi dicitur : « liberet eum si vult. » Vide igitur quam bene sibi conveniant verba Prophetæ et verba Evangelii. Nunc autem significationem videamus. « Ego, inquit, sum vermis, et non homo; » ac si dicat : Sicut inter animalia vermis vilissimus est, sic me inter homines abjectum et peccatorem deputant. Unde et propheta in persona illorum loquitur, dicens : « Nos autem reputavimus eum quasi leprosum, et abjectum a Deo, et humiliatum (*Isa.* LI, 4). » Est autem Salvator noster aliquo modo vermis, quia de sola virgine sine aliqua virili commistione natus est. Sic enim nascuntur vermes, aut de solo ligno, aut de sola terra, nulla diversorum sexuum commistione (475).

(473) S. Maximum Taurin. hac in expositione secutus videtur S. Bruno; ille enim homil. 45, edit. Rom. 1784, p. 138, ait : « Hæc autem dicit, ut manifestaret propter nos esse derelictum, quorum peccata portabat, ac videntes discerenus et nos pro ipso sancto, et justo mori, cum pro peccatoribus et ille moreretur. »

(474) « Ego autem jam non ex persona Adam loquens, sed ego proprie Jesus Christus, sine semine in carne natus sum, ut essem in homine ultra homines; ut vel sic dignaretur imitari humana superbia humilitatem meam. » S. Aug. in hunc locum enarr.

(475) Hæc dicta sunt juxta obsoletam Peripateticorum opinionem, admittentium generationem ex putri.

Digitized by Google

Ego, inquit, quem ipsi inter impios et peccatores deputant, non sum genitus, neque natus ut cæteri homines qui in iniquitatibus concepti et in peccatis nati sunt. Factus sum tamen opprobrium, et abjectio plebis, qui me spernentes, latronem elegerunt, dicentes : « Nolumus hunc, sed Barabbam (*Joan.* xx, 40). »

« Quoniam tu es, qui abstraxisti me de ventre, « spes mea ab uberibus matris meæ, in te jactatus « sum ex utero, de ventre matris meæ, Deus meus « es tu. » Quod enim ait : « Abstraxisti me de ventre, » ad id respondere videtur, quod modo dixerat : « Ego sum vermis, et non homo ; » ut per hoc contra legem naturæ (476), et non sicut alios homines eum natum esse intelligamus. Quod vero sequitur : « Spes mea ab uberibus matris meæ, in te jactatus sum ex utero, et de ventre matris meæ Deus meus es tu ; » sic est intelligendum, ut antequam carnem susciperet, et de Virgine nasceretur, quoniam Patri per omnia æqualis erat, nec eum in aliquem sperasse, nec Deum, vel Dominum, vel majorem habuisse firmissime credamus. Omnia igitur hæc, ut jam sæpe diximus, et cætera quæ sequuntur, ad humanitatem referenda sunt.

« Ne discesseris a me, quoniam tribulatio proxima « est, et non est, qui adjuvet. » Sic enim Christi divinitas humanitati conjuncta est ut nunquam ab ea discedere possit, et sic eam in omnibus adjuvare valeat ut nullius alterius adjutorio egeat ; sed propter nos talia loquitur, ut nostram naturam in Christo esse sciamus, et verum hominem esse credamus, et qualiter omnia facta fuerint, cognoscamus.

« Circumdederunt me vituli multi : tauri pingues « obsederunt me. » Tauri pingues, principes sacerdotum, Scribæ et Pharisæi omni malitia et nequitia incrassati et pleni intelliguntur. Vituli vero reliqua populi multitudo, quæ quasi ductores, et magistros eos sequebatur.

« Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens « et rugiens. » Aperuerunt, inquit, super me os suum, simul omnes una voce clamantes : « Crucifige : et, Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* xix, 7). » Quorum voces propter nimiam crudelitatem leoni rugienti comparantur.

« Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia « ossa mea. » Sicut aqua effusus est Dominus, aliis quidem ad salutem, et emundationem, aliis vero ad ruinam, et perditionem. Sic enim de se ipso scriptum est : « Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel (*Luc.* II, 34). » Ubi enim funditur aqua, facile homines ruere solent. Quod autem ait : « Et dispersa sunt omnia ossa mea, » discipulorum fugam significare videtur. Qui non immerito ossa vocantur, quoniam inter omnia membra ecclesiastici corporis firmiores et fortiores fuerunt. De quibus adhuc subditur :

« Et factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei. » Cor Christi, apostoli sunt, in quibus voluntas, **340** consilia et majora secreta Domini continentur. Per ventrem vero illos intelligere possumus, qui molliores et imperfectiores in Ecclesia sunt, quales illi erant, qui tunc temporis nondum perfecte credebant. Erat enim turba multa, quæ convenerat ad diem festum, credula quidem, sed non perfecte. Cujus etiam timore principes sacerdotum dicebant : « Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo (*Matth.* xxvi, 3). » In medio igitur talium sancti apostoli facti sunt, tanquam cera liquescens, quia nimio terrore perterriti, neque sibi ipsis, neque illis aliquam consolationem dederunt.

« Exaruit velut testa virtus mea. » Scimus quia testa fragilis est, et exiguæ firmitatis. Huic igitur virtutem suam Salvator noster comparat, quia tempore passionis suæ fragilem se et sine fortitudine ostendere voluit. Unde et Petro pugnare volenti, sic ait : « An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri (*Matth.* xxvi, 53)? » Hæc est itaque causa, quare sicut testa virtus ejus exaruit. « Et lingua mea adhæsit faucibus meis. » Hoc est autem quod propheta ait : « Sicut agnus ad victimam ductus est, et non aperuit os suum (*Isa.* LIII, 7). » — « Et in pulverem mortis deduxerunt me. » Affectu videlicet, et desiderio suo, non quod caro ejus, ut in alio psalmo dicitur, videret corruptionem.

« Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. » Canes et concilium malignantium Judæos vocat, contra eum sine causa et ratione latrantes.

« Foderunt manus meas, et pedes meos. » Hoc autem tam planum est ut expositione non egeat. Quod quidem exemplum ad Judæos refellendos validissimum est, quia de nullo alio, nisi de Christo hoc intelligere possunt, cujus manus, et pedes crudelissimis clavis confixerunt.

« Dinumeraverunt omnia ossa mea. » Nullus est, cujus ossa sic numerari et separatim videri valeant, sicut illius, qui in cruce extenditur. Quod igitur ait, « dinumeraverunt, » tale est ac si dixisset : dinumerabilia fecerunt. Possumus autem per ossa, sicut jam supra diximus, ipsos apostolos intelligere ; qui ideo fortasse numerati sunt, ne aliquis eorum evadere potuisset.

« Ipsi vero considerabunt, et conspexerunt me ; « diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem « meam miserunt sortem. » Hoc autem propheta in

(476) Sumit S. Bruno *contra* pro *præter*. Quidquid enim est præter naturam, id nobis videtur esse contra ipsius leges ; eum Deus recte loquendo nihil agat, nec agere contra naturæ leges possit, sibi contradiceret ; quidquid enim ipse agit, debet esse naturæ consentaneum, ne auctori supremo repugnet ; licet utpote extraordinarium nobis videatur naturæ legibus contrarium.

Digitized by Google

spiritu et evangelistæ suis oculis inspicientes, uno similique modo dixerunt. Credat igitur prophetis qui non vult credere evangelistis. Una autem illa vestis, quæ divisa non est, illa est, de qua milites dixerunt: « Non scindamus eam, sed mittamus sortem cujus sit (*Joan.* XIX, 24), » ut hæc Scriptura adimpleretur, sicut Joannes apostolus ait.

« Tu autem, Domine, ne longe facias auxilium « tuum a me, ad defensionem meam aspice. Erue a « framea animam meam, de manu canis unicam « meam. » Quid enim per frameam, nisi diabolicam deceptionem intelligimus, qua omnes pereuntium et damnatorum animæ decollantur? Canis autem idem ipse diabolus est, qui cum omni exercitu suo contra sanctos latrare, et irrationabiliter loqui non cessat. De quo subditur:

« Libera me de ore leonis, et a cornibus unicor- « nium humilitatem meam. » Leo iste diabolus est, de quo alibi dicitur: « Quia inimicus noster diabo- lus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem de- voret (*I Petr.* V, 8). » At vero per unicornes Judæos significat, qui soli inter omnes gentiles uno cornu muniebantur, per quod videlicet cornu legem intelligimus per Moysen divinitus sibi datam, in qua singulariter gloriabantur. Finita historia suæ passionis, nunc de Ecclesia incipit loqui.

« Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio « Ecclesiæ laudabo te. » Fratres suos apostolos dicit, quibus et per se ipsum post passionem suam, et Spi- ritum sanctum, quem eis misit, nomen et gloriam paternæ majestatis ostendit, quorum officio Eccle- siam regeret, et doceret, et ubique gentium Dei ma- gnalia prædicaret. « Qui timetis Dominum laudate « eum, universum semen Jacob magnificate eum. « Timeat eum omne semen Israel, quoniam non spre- « vit, neque despexit preces pauperum, neque aver- « tit faciem suam a me, et dum clamarem ad eum « exaudivit me. » Quotidie in Ecclesia Dominus prædicat, quia ejus verba quotidie in Ecclesia prædicantur; ipsius enim verba sunt quæcunque in utroque Testamento scripta sunt. Ipse est igitur qui docet, ipse est qui prædicat. Unde et discipulis ait: « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (*Matth.* X. 20). » Semen vero Jacob et Israel nos sumus, qui Domi- num et Salvatorem nostrum Patrem habemus, qui per Jacob et Israel significatur. Et ipse quidem est Jacob, quia diabolum vicit et supplantavit. Ipse est Israel, cui tota paternæ majestatis gloria revelatur; unde et scriptum est: « Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse narra- vit (*Joan.* I, 18). »

« Apud te est laus mihi in Ecclesia magna. » Quod autem ait, « apud te; » tale est ac si diceret de se, quia omnis laus Filii ad Patrem refertur. Ecclesia vero magna, Ecclesia catholica, et universalis est, non in una mundi parte, sed in toto mundo diffusa. « Vota mea Domino reddam coram timentibus eum. » Vota sua, sui corporis et sanguinis sacramenta dicere videtur, propter id, quod sequitur:

« Edent pauperes, et saturabuntur. » Et hæc quidem vota jure dicuntur, quia ante sæcula pro salute nostra Deo Patri offerre **341** disposuit. Ipsum namque disponere, vovere fuit. Hæc autem vota quotidie redduntur, et offeruntur coram fideli- bus suis, et timentibus eum. « Edent pauperes, et « saturabuntur, laudabunt Dominum qui requirunt « eum. » Illi, inquit, pauperes, qui non mundi ho- nores, divitias et dignitates, sed Dominum requi- runt, quibus ipsa paupertas pro Domino placet, edent cibum illum ineffabilem, et saturabuntur se- cundum interiorem hominem, et laudabunt Domi- num de tanto beneficio sibi attributo. « Qui enim manducat hunc panem, dicit Dominus, vivet in æternum (*Joan.* VI, 59). » Unde et subditur:

« Vivet cor eorum in sæculum sæculi, reminiscen- « tur, et convertentur ad Dominum universi fines « terræ. » In eo enim, quod dicit, « reminiscentur, » oblitos eos fuisse ostendit. Et revera antequam apo- stoli prædicarent, in tantam et Dei, et sui oblivio- nem venerant homines, ut perpauci invenirentur, qui veritatem cognoscerent. Prædicantibus igitur apostolis, recordati sunt illius beatitudinis, quam in primo homine amiserunt, et conversi sunt ad Do- minum universi fines terræ. Et hoc est, quod sub- ditur:

« Et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ « gentium. » Et hoc merito; « quoniam Domini est « regnum, et ipse dominabitur gentium. » Prius dia- bolus regnabat, et ubique gentium dominabatur; sed in Christi passione et regnum, et potestatem amisit.

« Manducaverunt, et adoraverunt omnes divites « terræ. » Egregie modo divites dicit, quos paulo ante pauperes vocaverat; quoniam et si caducis, et transitoriis divitiis pauperes sint, æternis tamen et spiritualibus bonis divites sunt. « In conspectu ejus « procident universi, qui descendunt in terram. » Sic videtur mihi esse dictum, « qui descendunt in terram, » sicut illud in Evangelio: « Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 8), » ut in terram descendere, et in mundum ve- nire idem significet. Omnes igitur, qui in mundum veniunt, omnes, qui in terram descendunt, procident ante Deum, sicut scriptum est: « Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu, et confi- tebitur omnis lingua (*Isa.* XLIII, 23). »

« Et anima mea ipsi vivet, et semen meum ser- « viet illi. » Non est itaque Christi illa anima, quæ Deo non vivit, neque illud semen, quod Deo non servit.

« Annuntiabitur Deo generatio ventura, et annun- « tiabunt cœli justitiam ejus populo, qui nascetur, « quem fecit Dominus. » Generatio ventura, et popu- lus qui nascetur, unum mihi significare videntur. Hæc autem generatio populus gentium est, qui, re- pulsa Synagoga, illis diebus prædicandus et vocan-

Digitized by Google

dus erat. Unde et Apostolus Judæis verbum Dei audire nolentibus ait : « Vobis primum oportuit prædicari verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes *Act.* XIII, 46). » Bene igitur hic dicitur : « Populus qui nascetur, quem fecit Dominus, » quoniam ille populus tunc a Domino factus est, quando per aquam baptismatis regeneratus est.

PSALMUS XXII.

PSALMUS DAVID.

Quære superius.

« Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco « pascuæ ibi me collocavit. » Populus gentium noviter regeneratus, et ad fidem vocatus loquitur in hoc psalmo. Hic est ille populus, de quo modo in fine superioris psalmi dicitur : « Populus qui nascetur, quem fecit Dominus. » Qui ideo a Domino factus esse perhibetur, quoniam ab antiqua vetustate in novam creaturam per aquam baptismatis reformatus est. Dicat igitur populus iste : Dominus regit me, jam nihil timeo, bonum rectorem et pastorem habeo, qui me in loco pascuæ collocavit, et sanctorum suorum Ecclesiæ associavit. Ubicunque sunt Novi et Veteris Testamenti volumina, ibi est et pascuæ locus, ibi sunt illi cibi, quibus anima reficitur et sanatur. De quibus subditur :

« Super aquam refectionis educavit me, animam « meam convertit. » Omnis divina Scriptura, et evangelica prædicatio aqua refectionis est. Hæc est illa aqua, de qua dicitur : « Sitientes, venite ad aquas (*Isa.* LV, 1). » Dicitur autem aqua refectionis, quoniam qui ex ea saturatus fuerit, sicut dicit Dominus : « Non sitiet ultra (*Joan.* VI, 15). » Hæc est aqua totius sapientiæ, qua fidelium animæ educantur, lavantur et sanantur.

« Deduxit me super semitam justitiæ propter no- « men suum. » Quam pulcher ordo locutionis! primum ad pascuæ locum, deinde ad aquas refectionis, demum ad semitam justitiæ narrat se esse deductum. Per semitam justitiæ incedit, qui ad errorem non declinat, et a veritate non recedit. Hanc semitam nesciunt Judæi, hæretici et pagani. Hæc solummodo Christianorum est; quia ipsi soli veritatem sequuntur et tenent, ipsi soli nomen Domini suscipere meruerunt, et tanto patronymico digni a Christo Christiani vocantur.

« Nam, si ambulavero in medio umbræ mortis, « non timebo mala, quoniam tu mecum es. » Cur enim timeat, quem Dominus deducit, et per talem semitam incedit? Umbra mortis hæretici sunt, omnesque alii seductores. In umbra enim illius figura **342** et similitudo naturaliter exprimitur, cujus est ipsa umbra. Sunt igitur isti tales umbra mortis; quia, sicut mors occidit corpora, ita et isti animas interficiunt. Per medium autem istorum viri sancti ambulare non timent, quoniam ipsum Deum protectorem habent, qui eos superari et decipi non permittit.

« Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata « sunt. » Scio, inquit, te virgam habere et baculum. Et contra eos quidem, qui minus delinquunt, baculum portas. Sive etiam, quia in hac vita virga percutis, in futura vero non virga, sed baculo. Hæc est igitur consolatio mea, quia te ultorem esse cognosco, qui inimicos meos sine pœna transire non patieris.

« Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, « qui tribulant me. » Ecce iterum alia consolatio, ut tuos inimicos timere non debeas. Mensam ante se paratam esse dicit, cujus cibi et potus immortales faciunt, et ab omni hæretica pravitate se ea utentes defendunt. Hæc mensa divina Scriptura, et utriusque Testamenti scientia intelligitur, qua viri ecclesiastici refecti hæreticorum non timent versutias.

« Impinguasti in oleo caput meum. » Quasi ei aliquis diceret : Quid tibi hæc mensa faciet, si intelligentia desit? Ad quod ipse et mensam, et intelligentiam se habere ostendit, dum caput suum in oleo impinguatum esse dicit. Quid enim per caput nisi mentem? Quid per oleum nisi sancti Spiritus gratias intelligimus? Tali oleo Salvator noster inunctus dicebat : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me (*Isa.* LXI, 1). » Unde et alibi dicitur : « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ pro participibus tuis (*Psal.* XLIV, 8). »

« Et poculum tuum inebrians quam præclarum « est! » Hoc poculum de hac mensa suscipitur, quo sancti inebriati terrenorum obliviscuntur, et ipsas suas injurias non cognoscunt. Præclarum est autem hoc poculum, quia nihil in se continet nebulosum, nihil nisi dulce, et suave, et veritatis fulgore illuminatum.

« Et misericordia tua subsequetur me omnibus « diebus vitæ meæ. » Hoc autem tale est ac si diceret : Ecce multa bona mihi fecisti; in loco pascuæ me collocasti; super aqua refectionis me educasti; in semitam justitiæ me deduxisti, in conspectu meo mensam posuisti; poculo tuo me inebriasti : unum solum mihi restat, quod si habuero sufficit mihi, si non habuero, nihil sum. Hoc est igitur, quod peto, ut misericordia tua quasi pedagogus et magister subsequatur me, quæ a recto itinere me deviare non patiatur omnibus diebus vitæ meæ, ut hac vita finita habitem in domo Domini, in illa videlicet cœlesti Jerusalem in longitudinem dierum. Nemo igitur ex operibus suis sine Dei misericordia salvari posse confidat.

PSALMUS XXIII.

PSALMUS DAVID PRIMA SABBATI.

Prima Sabbati dies Dominicus intelligitur. In ipso die fecit Deus cœlum et terram; in ipso die a mortuis resurrexit; in ipso die Spiritum sanctum apostolis dedit; et in ipso die ultima resurrectio fiet, quando ad judicandum vivos et mortuos Dominus veniet.

« Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis ter- « rarum, et universi, qui habitant in eo. » Videns Propheta per Spiritum sanctum in illa ultima, et prima die, una enim est prima, et ultima. Omnes et bonos et malos, quicunque fuerunt, et sunt, et

Digitized by Google

erunt pariter astare ante tribunal Christi, nullo jam litigante, nullo jam sibi aliquid vindicante, sed unoquoque judicium exspectante dicit : « Domini est terra et plenitudo ejus. » Ubi tunc reges? Ubi principes? Ubi sæculi potentes? Ubi illi, qui nunc terram fraudulenter dividunt, et ipsis suis fratribus partes suas auferunt? Unusquisque se abscondet, nemo tamen se abscondere poterit : « Tunc dicent montibus : Cadite super nos; et collibus : Abscondite nos (*Luc.* XXIII, 30). » Et tunc quidem manifestum erit, quia Domini, et solius Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in ea. Cujus enim esse debet, nisi illius, qui eam fecit? Et quando eam fecit? prima Sabbati. Et quando eam recuperabit? prima Sabbati.

« Ipse super maria fundavit eam, et super flumina B « præparavit illam. » Disputent philosophi, et quærant inter se quomodo super liquidum elementum terra stare possit. Mihi tamen non videtur mirabilius ab aquis, quam ab aere sustineri; si tamen vel ab aquis, vel ab aere sustineatur. Ego autem ad faciliorem me transfero intelligentiam, quia super, pro juxta, frequenter dicere solemus. Veluti cum dicimus illa talis civitas super mare, vel super Tiberim sita est : quod utique non supra aquam, sed juxta intelligimus. Sic igitur omnis terra, vel supra maria vel super flumina posita est, ut ejus termini nusquam alibi, nisi super maria vel super flumina esse possint.

« Quis ascendet in montem Domini, aut quis C « stabit in loco sancto ejus? » Video, inquit, ante Judicem astare omnes; video ibi divites et pauperes. Quis horum vocabitur? Quis horum ascendet in montem Domini? Nunquid soli divites? Nunquid soli potentes? Isti enim sunt qui vocari, **343** et honorari soliti erant. Per montem Domini, et per locum sanctum ejus, hoc in loco terra viventium significatur. Vis audire quis ascendet, et quis ibi stabit?

« Innocens manibus, et mundo corde, qui non ac- « cepit in vano animam suam, nec juravit in dolo « proximo suo. » His paucis verbis docet Propheta, quis ibi ascendet, et quis ibi stabit. Perfectus mihi esse videtur, qui et manibus et mundo corde innocens est. Per quem videlicet illi significantur, qui D neque facto, neque consilio aliis nocent, et tales quidem raro inveniuntur. Ego semper in his angustiis et difficultatibus ad illa verba Prophetæ recurro, quibus ipse dicit : « Peccator, quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 11).» Et post hanc talem conversionem inter innocentes peccatorem, jam non esse peccatorem confido. « Qui non accepit in vano animam suam. » Ille enim animam suam ab aquis baptismi purificatam et renovatam in vano accipit, qui postea peccare non timens, et in peccatis perseverans, ad eamdem, quam prius habuerat, deformitatem redire compellit. « Nec juravit in dolo proximo suo. » Non prohibet Propheta jurare, sed in dolo jurare prohibet. In dolo igitur jurat, qui id, quod jurat sua sponte, non observat. Sequitur :

« Hic accipiet benedictionem a Domino, et mise- « ricordiam a Deo salutari suo. » Hic inquit, qui talis est, hic vocabitur, hic ascendet, hic modo benedictionem suscipiet; illam utique benedictionem, quam suis fidelibus se daturum Dominus esse promittit : « Venite, inquit, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XV, 34).» Et hoc quidem habebunt sancti non ex suis meritis, sed misericordia Salvatoris sui.

« Hæc generatio quærentium Dominum, quæ- « rentium faciem Dei Jacob. » Omnes, inquit, isti, qui cœlos ascendunt, qui benedicuntur et salvantur, collecti sunt de illa universorum hominum generatione, quæ Deum quærit, et ejus faciem videre desiderat.

« Tollite portas, principes vestras; et elevamini, « portæ æternales, et introibit rex gloriæ. » Habent maligni spiritus suas portas, per quas Judæos, hæreticos et tyrannos, omnesque seductores, insuper vitia et peccata, omnemque illorum doctrinam et seductionem intelligere possumus. Præcipit igitur Propheta malignis spiritibus, quos principes vocat, has suas portas tollere, et ipsis suis tormentis secum habere. Hoc est enim, quod in judicio dicturus est Dominus : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. (*Matth.* XXV, 41). » Portæ vero æternales apostoli sunt et doctores, per quos, quasi per quasdam portas intrabitur in cœlestem Jerusalem. Dicit ergo Propheta, ut facto judicio eleventur, et aperientur, et per eos omnes fideles in patriam introducantur. Quod autem ait : « Et introibit rex gloriæ. » Salvatoris nostri humanitatem ad judicium venisse ostendit. Ipse enim judicabit, quia « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V, 22). » Dignum enim est, ut ille judicet, qui judicatus est. Unde in alio psalmo dicitur : « Deus, judicium tuum regi da (*Psal.* LXXI, 1). » Quia igitur humanitas Salvatoris localis est, peracto judicio illuc revertetur, ubi nunc est, ideo modo dicitur : « Et introibit rex gloriæ. »

« Quis est iste rex gloriæ? » Tu ipse dic, de cujus progenie natus est, et tu qui melius eum cognoscis. « Dominus fortis, et potens, Dominus potens in « prælio (477). » De hoc prælio ipse Dominus ait : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Si autem fortior eo supervenerit, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet (*Luc.* XI, 21). »

« Tollite portas, principes vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ. Quis est

(477) « Ideo ergo potens, quia fortis. Et ita revera est prædicanda potentia, quæ non alienis fulta virtutibus : sed sua sibi per omnia potestate subsistit. » S. MAXIM. TAURIN., serm. 46, ed. Rom. 1784, p. 518.

Digitized by Google

iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. » Non fuit ei sufficiens, semel dicere, ad quod multum videre desiderabat, et in quo plurimum delectabatur. Videbat enim jam tunc sanctorum omnium gloriam, inter quos se ipsum quoque stare videbat. Videbat et iniquorum omnium damnationem et perditionem. Videbat portas æternales apertas et elevatas et ad suscipiendum tantam fidelium multitudinem præparatas. Videbat et portas infernales clausas, et æternis incendiis destinatas. Et bonas quidem portas hortatur, ut sursum ad cœlestia ascendant; malis autem principibus dicit, ut suas portas tollant, et claudant, et in infernum descendant, et tunc quidem clausæ erunt portæ mortis, quia nemo per illas transibit ad mortem.

344 PSALMUS XXIV.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

In hoc psalmo loquitur Ecclesia, et ideo in finem titulatur; quoniam ipsa est, sicut ait Apostolus, in quam fines sæculorum devenerunt(*I Cor.* x, 11).

« Ad te, Domine, levavi animam meam : Deus « meus in te confido, non erubescam. » Ad te, inquit, Domine, levavi animam meam, quæ sub magno vitiorum pondere prius oppressa jacebat. De hoc autem pondere alibi dicitur : « Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Psal.* xxxvii, 5). » Tali pondere oneratis Dominus ait : « Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* xi, 8). »— « Deus meus in te confido, non erubescam. » Quod tale est ac si diceret. Quia in te confido, non sit vana et inutilis fiducia mea : non prævaleant inimici mei, et « nequando dicat inimi« cus meus : Prævalui adversus eum. » Et hoc est, quod ait :

« Neque irrideant me inimici mei: » per quos hæreticos, et tyrannos, et ipsos malignos spiritus intelligimus.

« Etenim universi, qui te exspectant, non confun« dentur. » Divinum utique, et non humanum auxilium in magnis nostris necessitatibus sperare et exspectare debemus. Et si fortasse non, sicut volumus, tam cito veniat, exspectandum est, et nullatenus desperandum.

« Confundantur iniqui facientes (478) mala. » Illi, inquit, qui te exspectant non sunt digni confusione, sed potius iniqui confundantur, qui vana faciunt et operantur. Quamvis enim nomine vanitatis omne malum, omnisque stultitia intelligi possit; illi tamen idoli nomine vocari videntur, qui idola faciebant et colebant.

« Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas « tuas edoce me. » Hoc interest inter vias et semitas, quod interest inter amplas et angustas vias; et angusta quidem via ducit ad vitam, ampla vero ad perditionem. Rogat itaque Ecclesia Dominum ut suas vias et semitas eam edoceat, ne forte in illam amplam viam declinet, quæ inde ampla dicitur, quia maxima et infinita multitudo per eam ingreditur. Unde et subditur :

« Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu « es Deus salutaris meus, et te sustinui tota die. » — « Ego, inquit Dominus, sum via, veritas, et vita (*Joan.* xiv, 6); » — « Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Ibid.*). » Hæc est igitur illa via ad quam orat ut dirigatur, quia per nullam aliam ad beatitudinem, quo festinat, pervenire potest. Errat itaque, et pravo itinere ad mortem tendit quicunque per viam veritatis non incedit.

« Reminiscere miserationum tuarum, Domine, « et misericordiæ tuæ, quæ a sæculo sunt. » Non est, inquit, novum tibi, et inusitatum misericordias facere, et fideles tuos exaudire. Hoc enim jam ab illo sæculo facere cœpisti, quando illam maximam et ineffabilem misericordiam facere voluisti. Nam et si prius multas misericordias Dominus fecerit; tamen a tempore suæ passionis, nostræque redemptionis majorem suæ misericordiæ copiam ostendit : quia non unum populum, sed omnes gentes suo sanguine redemit. Unde est illud : « Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi. » Quare? « Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus (*Psal.* cxvi, 1). » De qua videlicet misericordia sequitur :

« Delicta juventutis meæ, et ignorantiæ meæ (479), « ne memineris, secundum magnam misericordiam « tuam memor esto mei, Deus. » Rogat igitur Ecclesia Dominum, ut tam magnæ misericordiæ suæ memor sit, quæ tam valido argumento super nos confirmata est. Delicta vero juventutis et ignorantiæ illa intelligere possumus, quæ ante conversionem fecerat, cum adhuc ignorantiæ tenebris teneretur.

« Propter bonitatem tuam, Domine. » Hoc inquit, quod postulo, ideo postulo, quod tanto tuo beneficio digna sim; sed propter bonitatem tuam, Domine, quam facere solitus es sperantibus in te. « Dulcis, « et rectus Dominus, propter hoc legem statuit de« linquentibus in via. » Hæc est via mandatorum Dei, de qua dicitur : « Beati immaculati in via qui « ambulant in lege Domini (*Psal.* cxviii, 1). » Et illud : « Viam mandatorum tuorum cucurri (*Ibid.* xviii). » In hac autem via multi delinquunt, et non ea puritate et diligentia, qua debent, per eam incedunt. Sed quia dulcis est Dominus, et facilis ad miserendum, « qui non vult mortem peccatoris, sed potius ut convertatur, et vivat (*Ezech.* xxxiii, 11); » propter hoc « legem statuit delinquentibus in via. » Et quam legem? Et quia legitur : « Peccasti, quiesce, declina a malo, et fac bonum (*Isa.* i, 16) : » quacumque hora conversus fueris, omnium iniquitatum tua-

(478) Cod. Gis., *Vana* : ita etiam apud August. enarr. in hunc Psalmum xxiv. Lectio autem basilicæ Vatic. est : *Confundantur iniqua facientes vane.* Apud Cassiodorum legitur : *Confundantur iniqui facientes vana.* In Vulgata autem, *confundantur omnes iniqua agentes usquequaque.*

(479) Eadem lectio est apud Augustinum et apud Cassiodorum.

Digitized by Google

rum non recordabor. Nusquam locus est desperationi, quia dulcissimus Dominus dulcissimam nobis statuit legem. Et certe pauci vel nulli salvari potuissent, nisi **345** hanc dulcissimam legem Dominus statuisset. Bene autem subditur : « Et rectus ; » quia quamvis dulcis sit, nunquam tamen a rectitudine recedit. De quo scriptum est : quia « reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI, 27). » Dulcis igitur est, sed pœnitentibus; rectus vero in malitia perseverantibus.

« Diriget mites in judicio, docebit mansuetos vias « suas. » Mites et mansueti idem significant. Graves enim et maturi homines mites vocantur. De quibus dicitur : « In populo gravi laudabo te (*Psal.* XXXIV, 18). » Mansueti vero quasi manu assueti dicuntur. Unde et contrario illa animalia prava vocamus, quæ manus refugiunt, et tangi non patiuntur. Dirigit igitur Deus in judicio, et docet mansuetos vias suas, quia hos tales homines a via justitiæ, et æquitatis errare non permittit. Soli enim illi boni judices sunt et bene judicant, qui mala repellunt et bona eligunt. Sed quæ sunt viæ Domini ? « Universæ viæ Domini « misericordia, et veritas. » Et quibus hæ viæ præparatæ sunt ? « Requirentibus testamentum ejus, et « testimonia ejus. » Per has ipse incedit, per has et nos incedamus, ut et ipse ad nos, et nos ad ipsum pervenire valeamus. Per has autem illi incedunt, qui utriusque Testamenti testimonia diligunt, requirunt et custodiunt.

« Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis « peccato meo, copiosum est enim. » Sed quod est nomen Domini ? Nomen Domini est Jesus. Jesus autem *Salvator* interpretatur. Sic enim ad B. Mariam angelus ait : « Ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum (*Luc.* I, 31). » Quare ? Quia « ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). » Salvat igitur Dominus, propitiatur et miseretur fidelibus suis propter nomen suum, id est secundum significationem nominis sui, quoniam ideo Salvator vocatus est, ut salvaret, et se invocantibus misericordiam præstaret. Copiosum autem peccatum suum esse improprie dixit, ut valde magnum esse ostenderet.

« Quis est homo, qui timet Dominum ? Legem « statuit ei in via, quam elegit. » Quis est, inquit, homo, qui timeat Dominum ? Nihil timeat, si peccavit; pœniteat, lætetur et gaudeat, quia legem sibi statuit Dominus in via, quam elegit. Per viam, inquit, veritatis incedere elegit ; si fortasse ab ea declinavit, recordetur quia lex sibi posita est, agat tantummodo pœnitentiam, et dimittetur sibi.

« Anima ejus in bonis demorabitur ; et semen « ejus possidebit terram. » Tantum potest lex, quæ a Domino peccatoribus constituta est, ut quicunque eam custodierint et de peccatis suis pœnitentiam egerint, bonis æternis non priventur, sed ipsi, et semen eorum, per quod eorum imitatores intelligimus, terram viventium in hæreditatem possidebunt.

(480) Id. cod. Ghis. *cordis mei.*

A Magna omnipotentis Dei misericordia in hoc versiculo prædicatur, et magna spes pœnitentibus datur.

« Firmamentum est Dominus timentibus eum, et « testamentum ipsius, ut manifestetur illis. » Et Dominus, inquit, et testamentum Domini firmamentum est omnibus timentibus eum. Hoc autem testamentum ad hoc nobis datum est, ut per ipsum, et in ipso ille nobis manifestetur, qui ipsius testamenti auctor est. Magnum habemus firmamentum et consolationem, ut spes nostra firma sit, cum Dei notitiam habeamus. Firma enim et stabilis est illa domus, quæ super talem petram fundata est.

« Oculi mei semper ad Dominum. » Et quasi aliquis diceret : Dum semper oculis ad eum intendis, cavendum tibi est, ne quasi incaute in laqueum pe- B dem mittas ; ad quod ipse : « Quoniam ipse evellet « de laqueo pedes meos. » Hoc autem sanctis martyribus multoties accidisse legimus, qui dum solum Deum quærerent, et videre et habere desiderarent, in ipsis suis verbis et actionibus cogniti, quod Christiani essent, mox capti, ligati et illaqueati ad supplicia trahebantur. Sed Dominus, qui nunquam deserit sperantes in se, tantam illis constantiam dabat, ut moriendo ipsos suos vincerent inimicos et nullis tormentis vinci potuissent.

« Respice in me, et miserere mei, quia unicus et « pauper sum ego. » Unicam et pauperem Ecclesia se esse dicit, quia ipsa sola est ex omnibus mundi hujus nationibus, quæ unum et verum Deum veneratur et colit. Est autem et pauper, illis videlicet C divitiis quibus alii homines divites fiunt. Quando S. Ecclesia loquitur, aliquando perfectorum, aliquando vero imperfectorum personam in loquendo suscipit, sicut in hoc loco, ubi ejus verba solis perfectoribus convenire videntur.

« Tribulationes (480) meæ dilatatæ sunt; de ne- « cessitatibus meis eripe me. » Tempora quoque distinguenda sunt, quia non omnia, quæ dicit, omnibus temporibus aptari possunt, quoniam aliter loquitur in prosperis, et aliter in adversis. Ecce enim modo tribulationes cordis sui dilatatas esse dicit, cum a tyrannis et hæreticis persecutionem patiatur. Unde et subditur :

« Vide humilitatem meam et laborem meum, et D « dimitte omnia peccata mea. Respice inimicos « meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo « oderunt me. » Multum se ab inimicis humiliatam et laboribus fatigatam esse ostendit, suosque inimicos multiplicatos et iniquo odio succensos esse conqueritur. Unde jam non præsentem vitam, sed solam suorum peccatorum remissionem et veniam postulat. Sic enim et Apostolus ait : « Nolo vos ignorare, **346** fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere (*I Cor.* I, 8). »

« Custodi animam meam, et eripe me, Domine, « non confundar, quoniam invocavi te. » Hoc autem

Digitized by Google

tale est ac si diceret : Non pro corpore rogo, neque hanc vitam, quæ non est mihi nisi labori, (481) longam habere desidero; animam solam custodi et eripe; et sufficit mihi. « Domine, non confundar, quoniam invocavi te. » Sed intelligant isti tandem aliquando, quia te invocare non est confusio. Sic enim scriptum est, quia « Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt (*Sap.* v, 1). » Et tunc quidem sanctos Dei sapientes esse cognoscent, quos stultos et fatuos esse putabant.

« Innocentes, et recti adhæserunt mihi, quoniam « sustinui te, Domine. » Ecce quales sunt pro quibus nunc rogo, innocentes sunt, recti sunt, tales sunt, qui tua gratia et misericordia digni sunt. Qui mihi adhæserunt, non carnali amore neque carnali affectione; non adhæserunt mihi propter me, sed quoniam sustinui te.

« Redime, Deus Israel, ex omnibus angustiis « meis. » Tunc enim S. Ecclesia ex omnibus angustiis suis redimetur et liberabitur, quando tota plena et integra cum omnibus suis membris super cœlos exaltabitur.

PSALMUS XXV.

PSALMUS DAVID.

In hoc psalmo loquitur ipse David, et simul cum eo omnes alii, qui ejusdem perfectionis sunt.

« Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia « mea ingressus sum, et in Domino sperans non « infirmabor. » Judicari se rogat propheta, quoniam justam causam se habere cognoscit, quod utique non fecisset, si injustam causam se habere cognovisset. Innocentem autem se dicit esse ingressum, quoniam et si peccavit, non tamen in malitia perseveravit. Scimus enim, quia neque innocenter ad Bersabeam ingressus est, neque innocenter Uriam interfecit. Sed quoniam digne pœnituit, et per prophetam a Domino audire meruit : « Dimissum est tibi peccatum tuum (*II Reg.* XII, 14), » ac si non peccasset, innocentem et justum se esse ostendit. Quia in re magna peccatoribus consolatio datur, ut post pœnitentiam ita se intelligant a peccatis esse salvatos, ac si ea nunquam commisissent. Et mihi videtur ideo prophetam ista dixisse et scripsisse, ut exemplo sui ad hanc tantam spem cæteros provocaret.

« Et in Domino sperans non infirmabor. » Quid est non infirmabor, nisi hanc, quam nunc habeo innocentiam, et animæ sanitatem non amittam? Hoc tamen non suis viribus, sed sola Dei misericordia se complere posse confidit. Dat autem etiam in hoc dicto cæteris exemplum, ut post pœnitentiam ad peccata non revertantur.

« Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos, « et cor meum. » Nam et si Propheta hoc non dixisset, Dei tamen est, et ad ipsum solum pertinet scrutari renes et corda. Unde non tantum rogando, quantum annuntiando hæc dixisse videtur. Ipse enim est, qui solo intuitu probat et tentat, interrogat et cognoscit quid in renibus et quid in corde habeamus, et intentionem nostram bonam esse videt et pœnitentiam fructuosam; si vero quid rubiginis, et reliquiarum adhuc ibi est, urit et sanat. Unde ipse ait : « Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit (*Luc.* XI, 36). »

« Quoniam misericordia tua ante oculos meos est « et complacui in veritate tua. » Hoc autem tale est ac si diceret : Si misericordiam tuam ante oculos non habuissem et me pœnitentem per tuam misericordiam a peccatis absolutum esse non cognovissem, nunquam ut me judicares et probares, te rogassem. Bene autem ait : « Et complacui in veritate tua, » quia in hac quoque vita magnificatur, quia pœnitentibus misericordiam facit, sicut se facturum esse promiserat.

« Non sedi in consilio vanitatis, et cum iniqua « gerentibus non introibo. Odivi congregationes « malignorum, et cum impiis non sedebo. » Isti duo versus unum atque idem dicere videntur. Perfecti autem sunt quicunque sive ante pœnitentiam sive post pœnitentiam hæc veraciter dicere possunt. Quid enim perfectius quam vanitati non acquievisse et hoc ipsum in posterum se facturum esse promittere? De talibus enim Apostolus ait quia « ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia (*Rom.* v, 20). » Unde et in alio psalmo dicitur : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum (*Psal.* XXXI, 1, 2). »

« Lavabo inter innocentes manus meas, et cir- « cumdabo altare tuum, Domine. » Non possumus hoc ad litteram intelligere, ut rex et propheta David cum solis justis et innocentibus conversari potuisset; nisi forte sic intelligamus, quia mente et voluntate cum talibus conversabatur, cum **347** cæteris autem solo corpore habitabat. Sic enim et absentes et præsentes simul esse possumus. Absentes videlicet ab his cum quibus sumus, et præsentes cum his cum quibus non sumus. Si enim non placet mihi consilium illius, qui mecum est, absens ab eo sum; si vero placet consilium illius, qui mecum non est, ubicunque est, præsens illi sum. Sic enim et Apostolus : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). » Sic et Corinthiis, et absentem, et præsentem se esse dicebat. Lavat igitur manus suas inter innocentes, quia ad similitudinem illorum, cum quibus et inter quos mente et animo conversatur, omnia opera sua, quæ per manus significantur, purificat et sanctificat. « Et circumdabo altare tuum, Domine. » Quare?

« Ut audiam vocem laudis tuæ, et enarrem « universa mirabilia tua. » Nundum templum fabricatum erat, sed tabernaculum, quod fecerat Moyses, et arca testamenti, et altare aureum ibi erat. Hoc igitur altare se circuire, et ea quæ legebantur, se audire promittit. Solum enim Heptati-

(481) Id. cod. *et dolori.*

Digitized by Google

cum (432) tunc ibi legebatur, quoniam prophetarum libri nondum compositi erant. Audiebat itaque ibi laudes Domini, et omnia mirabilia ejus, quæ in illis libris plenissime continentur; quæ sicut modo se facere promittit, postea in omnibus istis psalmis enarravit et prædicavit.

« Domine, dilexi decorem domus tuæ. » Hoc autem exponit : « Et locum tabernaculi gloriæ tuæ. » His autem verbis domum illam, et locum illum multum se frequentasse ostendit, in quo supradictum tabernaculum, et ea quæ in ipso erant, continebantur. Et hoc quidem faciebat, sicut modo dixit, ut audiret vocem laudis Domini et enarraret universa mirabilia ejus. Quantum autem decorem domus Domini, et locum tabernaculi ejus dilexerit, ex eo satis intelligere possumus quia templum ejus magno desiderio facere voluit; omnesque expensas ibi necessarias præparavit quibus postea Salomon filius ejus, vice illius templum Domini construxit.

« Ne perdas cum impiis animam meam, et cum « viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus « iniquitates sunt. » Ne perdas, inquit, cum impiis animam meam, neque me in pœnis illis associes, quorum concilia et congregationes iniquas ego semper odio habui, sed potius pone me cum innocentibus, inter quos mente et animo conversatus sum.

« Dextera eorum repleta est muneribus. » Hoc est enim, quod modo dixit : « In quorum manibus iniquitates sunt. » Illorum namque manus muneribus, et iniquitatibus plenas esse dicit, quia ad hoc munera dant, vel suscipiunt, ut innocentes et simplices homines perdant et affligant.

« Ego autem in innocentia mea ingressus sum ; « redime me, et miserere mei. » Ego, inquit, in innocentia mea ingressus sum, et idcirco in illa tua beatitudine simul cum innocentibus me esse confido. Quantæ puritatis et perfectionis vir iste fuerit, ipsa ejus verba apertissime manifestant. Nam et ipse Dominus hoc ipsum ostendit, qui pluribus in locis valde eum commendat.

« Pes enim meus stetit in via recta, in ecclesiis « benedicam Dominum. » Hoc autem videtur esse expositio eorum, quæ modo dixit : « Ego autem in « innocentia mea ingressus sum. » Neque enim dubitandum est, eorum pedes stare in via recta, qui innocenter ingrediuntur. Quod autem ait : « in ecclesiis benedicam Dominum; » istorum omnium psalmorum commendatio est, in quibus per omnes Ecclesias ubique diffusas quotidie Deus laudatur et benedicitur.

PSALMUS XXVI.

PSALMUS DAVID PRIUSQUAM LINIRETUR.

De illa unctione dicit, quæ facta est sibi in Hebron post mortem Saul, quando rex constitutus est. Unde apparet illis diebus hunc psalmum factum fuisse, quibus Saul interfectus est, qui eum iniquo odio persequebatur.

« Dominus illuminatio mea, et salus mea. Quem « timebo? » Videtur mihi quando Propheta hæc scribebat, quia et Saulis mortem, et se in proximo regem constituendum per Spiritum sanctum prævidebat. Unde et bene in titulo dicitur : « Psalmus David, priusquam liniretur. » Dominus, inquit, illuminatio mea est, qui sic me illuminare, et sua secreta, et futura mysteria revelare dignatur, qui mihi per Spiritum suum in me loquentem, et salutem et defensionem se daturum esse promittit; et ego « quem timebo? » Neminem, quasi dicat, timebo, tanto adjutore et defensore protectus; unde et subditur :

« Dominus defensor vitæ meæ : a quo trepidabo. « Dum appropiant super me nocentes, ut edant « carnes meas? » A quo, inquit, trepidabo, dum appropiant nocentes, et super me irruere meditantur, ut edant carnes meas? In hoc enim, quod dicit : « ut edant carnes meas, » quanto odio eum persequerentur, manifeste ostendit.

« Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt « et ceciderunt. » His verbis Saulis mortem, et aliorum, qui in prælio 348 ceciderunt, significasse videtur.

« Si consistant adversum me castra, non timebit « cor meum, si insurgat in me prælium, in hoc ego « sperabo. » Talem, inquit, adjutorem et defensorem habeo ut nulla adversantium castra, nullæ inimicorum exercitus, et nulla insurgentium prælia timeam.

« Unam petii a Domino, hanc requiram. » Unam, inquit, rem petii a Domino, hanc semper requiram, hanc omnibus aliis præferam, quam si mihi dederit, dives sum; si vero non dederit, omnia alia pro nihilo duco. Et quæ est illa? « Ut inhabitem in « domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. » Hoc non dicunt hujus sæculi potentes, qui si honores, dignitates et divitias habeant, et eorum inimici eis resistere non valeant (totum enim hoc habebat David), hanc talem petitionem facere non curant, quia non æterna, sed transitoria diligunt. Domum Domini cœlestem dicit Jerusalem, cujus habitationem omnibus divitiis præferebat. Et quasi aliquis diceret : Quare in illa domo tantopere habitare desideras? Ait :

« Ut videam voluntatem Domini, et protegar a « templo sancto ejus. » Nemo in hac vita Dei voluntates et consilia plene cognoscere valet; unde et multoties nobis displicet, cum iniquis prospera, et bonis adversa contingere videmus. Desiderat itaque Propheta ibi esse, ubi omnem veritatem cognoscat et nullas inimicorum insidias timeat.

« Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in « die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui, in petra exaltavit me. Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos, circuibo, « et immolabo in tabernaculo ejus hostiam jubilationis, cantabo, et psalmum dicam Domino. »

(432) Volumen scilicet primos septem Veteris Testamenti libros complectens.

Digitized by Google

Ideo, inquit, circuibo, et immolabo, et psalmum dicam Domino, quoniam abscondit me in tabernaculo suo, et cætera quæ sequuntur. Nunc significationem videamus. Potuerunt, quasi dicat Saul et omnes alii inimici mei, ejicere me, et meos de domo mea et de tabernaculo meo; sed de amplissimo tabernaculo Dei me fugare et ejicere non potuerunt. Tabernaculum Dei mundum istum intelligit, qui ad tabernaculi similitudinem cœli velamine tectus est. In hoc autem tabernaculo ita Dominus eum abscondit et custodivit, ut omnes ejus inimici neque capere, neque invenire eum potuissent. Dies autem malorum illi sunt, in quibus mali dominantur et suas faciunt voluntates. Quod autem ait: « Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos; » tale fuit, ac si dixisset: Nunc autem quando Saul et cæteri inimici mortui sunt, et super populum suum regem me Dominus constituere voluit; nunc, inquam, exaltavit Dominus caput meum, id est virtutem et fortitudinem meam super omnes inimicos meos. Sicut enim in libris Regum legitur, nulli tunc temporis in illis partibus fuerunt, qui ejus virtuti et fortitudini resistere potuissent. Et pro tanto a Deo sibi collato beneficio nunc quidem non immerito dicit: « Circuibo, et immolabo in tabernaculo ejus hostiam jubilationis. » De hoc autem tabernaculo in superiori psalmo satis locutus est. Hoc est enim illud tabernaculum, quod fecerat Moyses, de quo et Apostolus dicit: « Tabernaculum factum est primum, in quo erat candelabrum, et arca testamenti, et mensa propositionis, quod dicitur sancta (*Hebr.* IX, 2). » Et hoc quidem illis diebus in illa terra erat, ad quod videlicet David toto tempore suæ persecutionis accedere non potuit. Nunc autem, pace sibi concessa, se illuc ire promittit, vota sua reddere, et laudis et jubilationis hostias immolare et in psalmis Deo cantare. Sequitur:

« Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad « te; miserere mei et exaudi me.

« Tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum, « vultum tuum, Domine, requiram.

« Ne avertas faciem tuam a me, et ne declines « in ira a servo tuo. »

Sic loquitur Propheta, ac si jam ad tabernaculum Domini venisset, ubi se cantare et jubilationis hostias immolare promiserat. Et tale est ac si diceret: Ecce, Domine, quod semper desideravi, ad tabernaculum tuum veni et ante conspectum tuum assisto. Nunc igitur exaudi orationem meam, qua clamavi ad te; nunce miserere mei et exaudi me? Unde? De hoc videlicet, quod superius dixit: « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXII, 6). » Hoc est enim, quod ait: « Tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram. » Quid est enim vultum tuum, Domine, requiram, nisi unam petii a Domino, hanc requiram? Et quis potest videre vultum Domini, nisi ille qui habitat in domo Domini? (485) O rex sapientissimus et aliorum omnium religiosissimus, qui regnum, quod illis diebus acceperat, relinquere, et cœlestia gaudia toto corde desiderabat? « Ne avertas faciem tuam a me, ne « declines in ira a servo tuo. Adjutor meus esto, ne « derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. » Sic loquitur Propheta, ac si faciem suam ab eo Dominus avertisset, eique se iratum ostendisset, atque dixisset: Impossibile petis; et quæ postulas, modo impetrare non potes: dabuntur tibi in tempore suo, et noli timere quia te non deseram **349**, neque derelinquam. Hoc autem sequentia significare videntur.

« Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. » Quis est iste pater, nisi mundus de quo Dominus ait: « Filii hujus mundi prudentiores filiis lucis sunt in generatione sua (*Luc.* XVI, 8): » de qua et Jeremias: « Maledictus vir, inquit, qui nuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi filius masculus (*Jer.* XX, 15); » mater vero iniquitas est, sicut idem Propheta testatur, ubi ait: « Quoniam in iniquitatibus conceptus sum (*Psal.* L, 7). » Dicitur autem et de diabolo, quia omne sublime videt, et quia ipse est rex super omnes filios superbiæ. Qua in re omnium iniquorum superbia mater esse ostenditur. Illi igitur soli a Domino suscipiuntur, quos iste pater, et hæc mater derelinquit.

« Legem mihi constitue, Domine, in via tua, et « dirige me in semitam rectam (484) propter inimicos meos. » Quia, inquit, petitio mea modo exaudiri non potest, et me adhuc in hoc mundo inter inimicorum meorum insidias habitare jubes, eamdem mihi legem constitue in via tua, quam et aliis constituisti. De hac autem lege in alio psalmo dicitur: « Quis est homo, qui timet Dominum (485)? legem tatuit ei in via quam elegit (*Psal.* XXIV, 12). » Et quare illam legem sibi constitui dicit, quam omnibus hominibus constitutam esse cognoscit, nisi quia plus cæteris se peccare timet, si forte a via justitiæ aliqua occasione declinaverit? Unde et Dominus ait: « Servus sciens voluntatem Domini sui, et non faciens, digna vapulabit multis; qui vero nescit, et non fecit, vapulabit paucis (*Luc.* XII, 47). »

« Ne tradideris me in animas persequentium « me. » (486) Per hos autem malignos spiritus intelligimus, quorum desiderium est maxime, ut viros justos a recto itinere declinare et in peccata ruere faciant. Sunt enim, sicut scriptum est, escæ ejus electæ, de quibus subditur: « Quoniam insurrexe-

(483) Addatur ex S. Maximo Taurin. *Neque enim tota humanitatis Christi sanctissima dispensatio aliud intendit, aliud exigit, nisi ad superna nos dirigat, quatenus expleto mortalitatis nostræ tempore ad sui manifestam perducat visionem, atque æterna vultus sui gloria nos satiet.* Serm. 48, edit. Rom. p. 520.

(484) Cod. Vallicel. *propter nomen tuum.* Cod. Ghis. *propter inimicos meos.*

(485) Id. Cod. Vallicel. *timens Dominum.* Cod. Ghis. *timet Deum.*

(486) Secundum historiam potest intelligi de

« runt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas A « sibi. » Isti enim sunt, qui beatum Job accusaverunt, et falsum testimonium contra eum reddiderunt, et ante conspectum Dei sanctos ejus accusare non cessant die ac nocte. Sed mentita est iniquitas sibi. Unde et in alio psalmo legitur : « Convertetur dolor ejus in caput ejus, et iniquitas ejus in verticem ejus descendet (*Psal.* VII, 17). »

« Credo videre bona Domini in terra viventium. » Quamvis, inquit, falsi testes insurgant contra me; ego tamen credo et nullatenus dubito, quia petitio mea exaudita est et video bona Domini in terra viventium. Audio enim ipsum Dominum in me loquentem; audio Spiritum sanctum me consolantem, et dicentem : « Exspecta Dominum, et viriliter age, « et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. » B Hinc est enim, quod alibi ait : « Audiam quid in me loquatur Dominus Deus (*Psal.* LXXXIV, 9). »

PSALMUS XXVII.

PSALMUS IPSI DAVID.

Iste titulus hoc dicere videtur, quod ipse David loquatur ea, quæ in hoc psalmo continentur. Ipsi David, id est Christo Domino Salvatori nostro.

« Ad te, Domine, clamavi; Deus meus, ne sileas « a me, et ero similis descendentibus in lacum. » Hæc vox non est solummodo David, sed omnium aliorum, qui eamdem fidem habent, quam habet David. « Ad te, inquit, Domine, clamavi; ne sileas a me. » Quid est « ne sileas a me, » nisi responde mihi? Et quid est responde mihi, nisi exaudi orationem C meam? Si enim hoc non feceris, « ero similis descendentibus in lacum. » De quo alibi dicit : « Lacum aperuit, et effodit eum, incidit in foveam quam fecit (*Psal.* VII, 6). »

« Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad « te, et dum extollo manus meas ad templum san- « ctum tuum. » Hinc est, quod alibi ait : « In noctibus extollite manus vestras in sancta (*Psal.* CXXXIII, 1). » Idem enim significat « in sancta, » quod ad templum sanctum tuum. Quotiescunque igitur in orationibus nostris manus extollimus, ad templum sanctum Dei eas extollimus, quoniam etsi idem templum non videamus, cordis tamen intentione diriguntur.

« Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum D « operantibus iniquitatem ne perdas me. » Pura oratio est, nec indiget expositione, quoniam facilis est ad intelligendum.

« Cum his, qui loquuntur pacem cum proximo « suo; mala autem sunt in cordibus eorum. » Hoc fecit Judas proditor, qui Salvatorem nostrum verbis pacificis, et dolo (487) tradidit; cum quo se partem habere non dubitent, quicunque eum in tali facto imitati fuerint. Hoc est enim quod eis Propheta in sequentibus imprecatur.

« Da illis, Domine, secundum opera eorum, et « secundum nequitiam studiorum ipsorum retribue « illis. Redde retributionem eorum **350** ipsis. » Illam videlicet retributionem, qua digni sunt.

« Quoniam non intellexerunt opera Domini, et « in opera manuum ejus non consideraverunt. » Omnia opera Domini bona; quia « vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona (*Gen.* I, 31). » Ad tanti igitur operatoris exemplum, omnia opera nostra dirigere debemus, ut in nostris quoque operibus non nisi bonum inveniatur. Isti autem econtra fecerunt, et nil nisi malum in suis operibus esse voluerunt. Et ideo fiat illis quod sequitur :

« Destrue illos, nec ædificabis eos. » Utilis destructio est, quam bona ædificatio sequitur. Taliter Apostolus destructus et reædificatus dicebat : « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II, 20). » Isti autem sic destruentur, sicut illi, de quibus dicitur : « Et tanquam vas figuli confringes eos. Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ (*Psal.* II, 9). » Gratias agit Deo, quia videt completum totum id, quod super iniquos et proditores imprecatus fuerat. Spiritus enim, qui in eo loquebatur subito, et in momento quod futurum erat, quasi jam factum esset, sibi ostendebat.

« Dominus adjutor meus, et protector meus, et in « ipso speravit cor meum, et adjutus sum. » Despicit jam contra eos amplius loqui, quos tam miserabiliter destructos videt, atque damnatos. Sed lætatur, et sicut cœperat in agendo gratias perseverat, de adjutorio et protectione sibi divinitus concessa.

« Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea con- « fitebor illi. » Hoc autem et de pœnitentia, et de baptismo intelligi potest, quibus totus homo juvenescit et renovatur. Quod autem ait : « Et ex voluntate mea confitebor illi; » illam confessionem laudabilem esse ostendit, quæ non coacta, sed spontanea est, quam charitas, et amor, et dilectio facit.

« Dominus fortitudo plebis suæ. » Hoc est enim, quod alibi ait : « Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur (*Psal.* XIX, 8). » Ipse est fortitudo nostra, qui suis discipulis ait : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV, 5). Et : « Protector salvationum Christi sui est. » Hoc autem tale est ac si diceret : Quos Filius salvavit et suo sanguine redemit, eos Pater protegit et defendit, ut per salutaria eos, qui salvati sunt, intelligamus. Nunc Propheta ad Deum convertitur, ut populum et hæreditatem suam salvet, benedicat, regat et extollat, et orat, dicens : « Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic « hæreditatem tuam, et extolle illos usque in sæ- « culum. »

Saule, qui eum acerrimo odio persequebatur. Sed quoniam rex erat, nec solus poterat agere quod jubebat, apte numerus pluralis hic positus est.

(487) Cod. Ghis. *et osculo.*

Digitized by Google

PSALMUS XXVIII.

PSALMUS DAVID IN CONSUMMATIONE TABERNACULI.

Hoc tabernaculum sancta Ecclesia est. Quod quidem tunc et perfectum, et consummatum est, quando Salvator noster in cruce positus spiritum emisit. Cum autem dedissent ei acetum cum felle mistum, et ille gustasset, et bibere noluisset, ait : « Consummatum est, et inclinato capite tradidit spiritum (*Joan.* XIX, 30). » Consummatum, inquit, et perfectum est tabernaculum, in quo tempore meæ incarnationis usque ad hanc horam laborare non destiti.

« Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios « arietum. » Filii Dei illi sunt, de quibus Evangelista ait : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (*Joan.* I, 12). » Et in alio loco : « Charissimi filli Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus (*I Joan.* III, 2). » Arietes vero apostoli, et doctores, qui in toto grege ecclesiastico majores sunt, et principatum tenent, et aqua et Spiritu sancto non hædos, sed agnos Domino generant. Dicat igitur Propheta, et simul cum eo quilibet fidelis : Ecce tabernaculum consummatum est, et valde dignum, ut in ejus consummatione Deo nostro munera offeramus. Sed quæ munera? « Filios arietum. » Quid vero per filios arietum, nisi agnos, id est innocentes, simplices et mansuetos intelligamus? Talia igitur munera filii Dei, id est episcopi et sacerdotes quotidie offerunt Deo. Hinc est enim, quod Dominus ait : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Luc.* XX, 25). »

« Afferte Domino gloriam, et honorem : afferte « Domino gloriam nomini ejus. » Gloriam et honorem illi offerunt, qui verbis et operatione illum prædicant et laudant. Offerunt autem et illi gloriam nominis ejus, qui de salute, quam in nobis operatus est ei gratias agunt, eum magnificant et benedicunt: Nomen namque illius est Jesus, quod *Salvator* interpretatur.

« Adorate Dominum in aula sancta ejus. » Ecce, inquit, tabernaculum constructum est, et aula Dei, per quam Ecclesia intelligitur, consummata est; ibi eum adorate, ibi eum prædicate et magnificate. Cum autem hæc diceret Propheta, vidit in spiritu apostolos et prædicatores ubique gentium Deum laudare et prædicare, et infinitam multitudinem ad fidem Christi et ad Ecclesiam festinare. Unde nimia lætitia commotus ait : « Vox Domini super aquas, Deus « majestatis » (subauditur intonuit) « super aquas, et « Dominus intonuit super aquas multas. » Aquæ multæ **351** sicut scriptum est, populi multi. (488) Super aquas igitur vox Domini sonat et intonat, quando sancti prædicatores verbum Dei in Ecclesia prædicant. Et quia non ipsi sunt, qui loquuntur, sed Spiritus sanctus loquitur in eis, bene hic dicitur, quia « Deus majestatis intonuit super aquas multas. » Possumus autem per aquas multas baptismatis quoque aquas intelligere, super quas vox Dei benedicentis per ora sacerdotum quotidie auditur. Et quasi aliquis diceret : Unde hoc probas, quod hæc vox Domini sit, quæ intonuit super aquas multas? subdidit, dicens:

« Vox Domini in virtute : vox Domini in magnifi- « centia. » Nisi, inquit, vox Domini esset, hanc tantam virtutem et efficaciam non haberet. Quid enim mirabilius, quid gloriosius, quam cæcos illuminare, leprosos mundare, mortuos suscitare, et impios et peccatores tam subito aquis baptismatis sanctificare? Hæc vox destruxit templa deorum, confregit idola, fugavit dæmones, et majores hujus mundi potestates ab altitudine suæ superbiæ humiliavit, et ad Christi fidem convertit. Unde et in sequentibus dicitur; quia confregit cedros, flammas divisit, solitudines concussit, cervos præparavit et condensa revelavit. Probatum est igitur, quia hæc vox Domini est, quæ tanta virtute, tantaque magnificentia declaratur. Sed cujus Domini?

« Vox Domini confringentis cedros, et confringet « Dominus cedros Libani, et comminuet eas tan- « quam vitulum Libani, et dilectus sicut filius uni- « cornium. » Per cedros autem divites et potentes hujus sæculi intelligere debemus, quarum quidem aliæ sua sponte confringuntur et sub Christi jugum humiliantur, sed talis confractio bona est; aliæ vero in nimiam altitudinem superbiæ elevatæ excidentur, confringentur et in ignem mittentur; sicut scriptum est : « Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Et confringet Dominus cedros Libani (*Matth.* III, 10). » Per Libanum et cedros Libani Hierusalem et habitatores ejus significantur, quoniam illa civitas inter alias civitates aliquando nobilissima fuit, ejusque habitatores, et divites, et potentes, et sapientes fuerunt. Hos autem jam ex maxima parte confractos, et comminutos esse videmus, quos tamen adhuc majorem in judicio pœnam habituros esse putamus; unde et in Zacharia propheta loquitur : « Aperi, Libane, portas tuas, et devoret ignis cedros tuas (*Zach.* XI, 1). » Et hoc quidem tempore Titi et Vespasiani completum est, quando capta urbe, et simul cum illo templo nobilissimo tota succensa, ejus habitatores igne et fame, et aliis pœnis miserabiliter perierunt, præter illos, qui in captivitatem et in servitutem ab hostibus ducti fuerunt. De quibus adhuc subditur :

« Et comminuet eos tanquam vitulum Libani. » De illo vitulo dicit, de quo in Exodo et in Levitico scriptum est; qui immolandus prius totus in frusta concidebatur et super struem lignorum componebatur. Et tunc demum, igne supposito, totus incendebatur. Ad cujus videlicet similitudinem has cedros superbissimas comminuendas esse minatur.

« Et dilectus sicut filius unicornium. » De hoc dilecto Dominus ait : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* XII 18). » De

(488) Cod. Ghis. *Super has igitur aquas.*

Digitized by Google

quo in Canticis canticorum Ecclesia dicit : « Dilectus meus candidus et rubicundus, et electus ex millibus (*Cant.* v, 10). » Itemque : « Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum (*ibid.*, VIII, 14). » Hic igitur dilectus comminuet, confringet et dissipabit illum populum impium et ingratum, sicut filius unicornium, qui omnia sibi irato occurrentia prosternit atque comminuit. Hoc autem animal rhinoceros græce vocatur, cui super nasum unum solummodo cornu est tantæ valetudinis, ut nullum sibi animal resistere possit. Egregie igitur rhinocceroti Salvator noster comparatur, de quo scriptum est : « Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui (*I Reg.* II, 10). »

« Vox Domini intercidentis flammam ignis : vox « Domini concutientis solitudinem, et commovebit « Dominus desertum Cades. » Magna flamma erat inter Judæos et gentiles, quia uterque populus suæ legis et religionis igne succensus, nullam ad invicem communionem habere volebant. Unde et beatus Petrus a Judæis redarguitur, quod ad hominem præputium habentem intraverit. Qui nimirum reddita ratione omnem illam flammam, et indignationem, quæ in illorum cordibus versabatur, exstinxit. In quo videlicet exemplo manifeste apparet, quomodo vox Domini flammam ignis intercidit. Unde et subditur : quia « vox Domini concussit solitudinem. » (id est gentiles), « et commovebit desertum Cades, » id est Judæos. Nam isti et illi, audito verbo prædicationis, timore futuri judicii concussi et commoti ad fidem Christi conversi sunt et pœnitentiam agere cœperunt. Quibus interrogantibus beatus Joannes præcursor Domini respondisse legitur : « Ego sum vox clamantis in deserto, parate viam Domino (*Luc.* III, 4). « Itemque : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*ibid.*). » Et Judæis quidem dicebat : « Qui habet duas tunicas, det non habenti (*ibid.*, 11), » militibus vero, qui ex gentibus erant : « Neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis. Estote contenti stipendiis vestris (*ibid.*, 14). » Sic itaque vox Domini et solitudinem concutiebat et desertum commovebat. Sed quod desertum? Desertum Cades. **352** Cades enim interpretatur *sancta*, per quod satis convenienter ille populus figuratur, qui ex cunctis gentibus a Deo electus et sanctificatus fuerat.

« Vox Domini præparantis cervos, et revelabit « condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam. ». Quid per cervos nisi apostolos intelligamus, ad currendum agiles, ad prædicandum veloces, serpentes interficientes, venenum non timentes et ad fontes aquarum desiderantes? Hos autem præparavit Dominus ad Evangelium prædicandum, et ad Scripturas revelandas et exponendas. Unde et subditur.

A « Et revelavit condensa. » Per hos enim Dominus revelabit condensa, multumque obscura utriusque Testamenti sacramenta. Unde et Joannes apostolus cum hæc condensa videret, et librum septem sigillis signatum conspiceret ; multumque fleret, quod nullus ad librum aperiendum idoneus inveniretur, dictum sibi est, ut non fleret, quia « vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus (*Apoc.* v, 5). » Sic igitur Dominus prius apostolis, et per apostolos nobis hæc condensa revelare dignatus est. « Et in templo ejus omnes dicent gloriam ; » quod utique non fecissent, nisi liber apertus, et condensa revelata fuissent.

(489) « Dominus diluvium inhabitabit, et sedebit B « Dominus rex in æternum. » Et superius quidem aquas multas posuit, nunc autem non multas aquas, sed ipsum diluvium ponit, in quo nulla defuit aqua ; ut per hoc intelligamus universum mundum ante sæculi consummationem ad fidem Christi convertendum esse ; unde et subditur : quia « sedebit Dominus rex in æternum. » Cum enim omnia ei subjecta fuerint, omnesque mundi hujus nationes ejus fidem susceperint ; tunc omnibus manifestum erit, quia solus rex, et Dominus regnat in æternum.

« Dominus virtutem populo suo dabit. » Dedit enim jam, sed majorem adhuc daturus est, quia totus mundus per ipsum, et ab ipso judicabitur. Unde et Apostolus dicit : « An nescitis quia mundum judicabitis? Si ergo per vos mundus judicabitur, indigni C estis, qui de minimis judicetis (*I Cor.* VI, 1). » Et tunc quidem « benedicet populo suo in pace. » Quid est in pace? In seipso. « Ipse enim est pax vestra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Qui igitur illam benedictionem suscipient, simul cum eo suscipient vitam æternam.

PSALMUS XXIX.

PSALMUS CANTICI IN DEDICATIONE DOMUS DAVID.

Domus David Ecclesia est, quæ quotidie ædificatur et sanctificatur. Quotidie igitur iste psalmus cantandus est ; si quidem in dedicatione domus David cantari jubetur. Et consummatio quidem brevi tempore fuit ; dedicatio vero longo tempore perseverat : quoniam et si brevi tempore baptizatur D homo, et Christianus efficitur, quanto tamen tempore vivit dedicandus, (490) purificandus et sanctificandus est. Unde et de sacerdotibus per Moysen a Deo præcipitur, ut post consecrationem suam adhuc septem diebus manus ejus ungantur. Omni namque tempore fit, quod septem diebus fit, quia non sunt dies nisi septem.

« Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, « nec delectasti inimicos meos super me. ». Ipsa Ecclesia loquitur hæc verba in dedicatione sua et in dedicatione filiorum suorum. Exaltabo te, inquit,

(489) Vulgata legit : *Dominus diluvium inhabitare facit.* Quod egregie a S. Maximo Taurin. exponitur : *Consideremus totum orbem, respiciamus barbaras nationes, Romanum quoque lustremus imperium, ubique in nostrum Dominum baptizantur, et ita fit ut non una aqua, sed quodammodo fit diluvium baptizatorum.* Serm. 10. edit. Rom. p. 403.

(490) Id. Cod. Ghis. *lavandus.*

Digitized by Google

« Domine, laudabo, et magnificabo nomen tuum. Et certe Deus exaltari non potest, quia super omnia excelsus est. « et magnitudinis ejus non est finis (*Psal.* CXLIV, 3). » Exaltari tamen dicitur a nobis, quando ejus magnitudinem, potentiam et gloriam prædicamus, et his, qui eum ignorant, annuntiamus. Quod autem ait : « Quoniam suscepisti me; » tale est ac si diceret : Multum te offendi, longe a te recessi : « longe » est enim « a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII, 155). » Abii, quod non debui, in regionem longinquam, porcos pavi, egere cœpi, et in me tandem reversa, tuæque dulcedinis recordata, ad te per pœnitentiam redii. Tu vero quid fecisti? Suscepisti me, ornasti, decorasti, ad convivium tuum me vocasti, et tui corporis, et sanguinis deliciis satiasti, et idcirco tantis tuis beneficiis memor exaltabo te. « Nec delectasti inimicos meos super me. » Lætantur inimici nostri maligni spiritus, quando peccamus, delectantur vero et jucundantur, quando in peccatis perseveramus. Hoc igitur dicere et cantare potest illa anima, quam cito pœnitet et non diu in peccato perseverat. Unde et subditur :

« Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti « me; Domine, abstraxisti ab inferis animam « meam, sanasti me a descendentibus in lacum. » Multum, inquit, anima mea **353** jam infirmabatur, et jam inter mortuos computabatur, et cum descendentibus in lacum a maligais spiritibus ad inferos trahebatur; quando ego et mei, et tui recordata clamavi ad te, et quod ego digna non eram, exaudisti me, sanasti, et ab inferis abstraxisti, et a descendentibus in lacum me tua sola pietate et misericordia salvasti. Nonne vides quam bene omnia hæc Ecclesiæ dedicationi conveniant?

« Psallite Domino, sancti ejus, et confitemini me- « moriæ sanctitatis ejus. » Psallite, inquit Ecclesia, Domino, omnes sancti ejus, laudate, prædicate et magnificate eum in hac mea et vestra dedicatione, qui sic nos diligit, sic nos mundat, sic sanat, sic lavat, sic ab omni peccatorum nostrorum sorde purificat et sanctificat : « Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus; » sicut et ipse nostri semper memoriam habet, et fidelium suorum nunquam obliviscitur. Et super hæc omnia ita facere valde necesse est. Unde hoc?

« Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in « voluntate ipsius. » Contendite, inquit, ut eum placare, et ejus bonam voluntatem habere valeatis, et nolite eum ad indignationem et iracundiam provocare, quoniam irá intolerabilis est in indignatione ejus, et vita æterna est in illius bona voluntate. Et quasi aliquis diceret : Tu nos psallere et prædicare jubes, et inimicorum insidias non consideras, qui ad rapiendum, et tenendum, et interficiendum parati sunt. Ad quod ipsa :

« Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matu- « tinum lætitia. » Hæc, inquit, persecutio cito transiet, cito hæc tristitia vertetur in gaudium; qui usque ad vesperum habebit tristitiam, in matutino habebit lætitiam. « Nolite itaque timere eos, qui occidunt corpus, quoniam animam non possunt occidere (*Matth.* x, 8). » Per vesperum ergo, quod dici finis est, mortem hanc temporalem intelligamus, quæ et ipsa vitæ nostræ terminus est, quo videlicet termino omnis fletus sanctorum, et tristitia cessat, et confestim ad matutinum, id est ad illius diei initium veniunt, de quo scriptum est : « Quia melior est dies una in atriis tuis super millia (*Psal.* LXXXIII, 11). » Possumus autem per vesperum hujus mundi finem, per matutinum vero alterius vitæ initium intelligere, quando sancti de hujus vitæ tenebris exeuntes in æternæ lucis beatitudinem intrabunt. Quam egregie sancta mater Ecclesia membra sua, et filios suos consolatur in tempore dedicationis suæ!

« Ego autem dixi in mea abundantia, non mo- « vebor in æternum. » Dives, inquit, sum, omnibus bonis abundo : « Dominus regit me, et nihil mihi deest (*Psal.* XXII, 1). » In hac autem mea abundantia et dixi, et dico, non movebor in æternum : « Neque mors, neque vita, neque sublimitas, neque profundum, neque præsentia, neque futura, neque aliqua creatura poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* VIII, 39). » Sæviant inimici quantum velint, minentur flammas, et cruces, et omnia tormentorum genera, supra firmam petram firmata sum, non movebor in æternum.

« Domine, in bona voluntate præstitisti decori « meo virtutem. » Et decorem, inquit, mihi dedisti, et super decorem, hanc quam habeo virtutem addidisti. Hoc autem nullis præcedentibus meritis, sed ex bona voluntate tua. Hinc est enim, quod Apostolus ait : « Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quid enim habes, quod non accepisti? » (*Rom.* IX, 16.) Omnis igitur virtus, constantia et fortitudo sanctorum non ipsorum, sed Dei est. Unde et subditur :

« Avertisti faciem tuam a me, et factus sum con- « turbatus. » Et Dominus quidem a sanctis suis faciem suam non avertit, sed ut probentur et manifesti fiant, eos aliquando affligi permittit, et tunc quidem faciem suam avertisse videtur. Sed si conturbantur, et ipsa tormenta sustinere non valent, subito ad protegendum et consolandum præsto est, ut facile intelligant se suis viribus pugnare non posse; unde et alibi dicunt : « In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros (*Psal.* LIX, 14). » Sed quid debent facere sancti, quando se inter ipsa tormenta conturbatos esse cognoscunt? Sequitur :

« Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum « deprecabor. » Ecce quomodo, et quibus armis pia mater ad pugnandum instruit filios suos. Nam et Salvatorem nostrum discipulos suos tempore passionis suæ admonuisse legimus : « Orate, inquit, ne intretis in tentationem : spiritus enim promptus est, caro autem infirma (*Matth.* XXVI, 39). » Orant igitur sancti ut non mortem evadant, sed ne in tor-

Digitized by Google

mentis contra Deum aliquid agant. Unde et subditur : « Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo « in corruptionem? » Hoc autem tale est ac si diceret : Quid prodest mihi sanguinem fudisse, et tot et tanta tormenta sustinuisse, si modo me inimici mei me corrumpere et decipere poterunt? Possumus autem et de Christi sanguine hoc intelligere, quem ideo Ecclesia suum esse dicit, quoniam pro ipsa solummodo effusus est.

« Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit « veritatem tuam? » Hic est ille pulvis, de quo alibi dicitur : « Quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4). » Si igitur sancti peribunt, et tormentorum timore, et suæ fidei sinceritate corrupti fuerint, quis confitebitur Domino? Quis veritatem ejus amplius prædicabit et annuntiabit? Sequitur :

« Audivit Dominus, et misertus est mihi : Domi« nus factus est mihi adjutor. » Hæc autem verba, quæ Ecclesia, vel SS. martyres tempore suæ afflictionis dicebant, sive potius mente tractabant, audivit Dominus **354** afflictorum omnium consolator, et dignam eis, atque necessariam tribuit consolationem. Unde et subditur :

« Convertisti planctum meum in gaudium mihi. » Hoc autem faciebat Dominus, quando vel a tormentis liberabat sanctos suos, vel tolerandi fortitudinem et constantiam dabat.

« Conscidisti saccum meum, et præcinxisti me « lætitia. » Quid per saccum, nisi corpus mortale et corruptibile, in quo quasi in vilissimo sacco anima clauditur et continetur, intelligamus? Hoc autem nisi conscissum fuerit, et anima libera inde evolaverit, plenam lætitiam sancti Dei habere non possunt. « Ut cantet tibi gloria mea, et non com« pungar. » Hæc, inquit, Domine, qui gloria mea es, mihi præstitisti, planctum meum in gaudium convertisti, saccum meum conscidisti, lætitia me præcinxisti, ut amodo secura et sine omni sollicitudine tibi cantem canticum lætitiæ et exsultationis, et non compungar. Ibi compunctio nulla est, ubi neque peccatum, neque peccati timor ullus est. « Domine Deus, confitebor tibi. » Confessio ista, sicut pluribus in locis pro laude ponitur, qua simul cum angelis in cœlesti Jerusalem sancti omnes ineffabili gaudio et lætitia Domino jubilant.

PSALMUS XXX.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Sæpe jam diximus quid significet in finem, et quid significet psalmus David. « Nos enim sumus, dicit Apostolus, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11). » Ecclesia itaque loquitur in hoc psalmo, in qua quia omnes continentur, omnium suscipit personas. Nunc pro ipsis apostolis, cæterisque Ecclesiæ doctoribus, nunc pro martyribus, nunc pro confessoribus, nunc pro perfectis, nunc pro imperfectis, nunc pro quibusdam, nunc pro omnibus; quæ si etiam pro ipso capite aliquando loquatur, non erit inconveniens, quia et caput pars corporis est, et ipsa maxima et principalis. Unde et in superiori psalmo dicit : « Quæ utilitas in sanguine meo? » id est in sanguine, quem pro me fudisti.

« In te Domine, speravi, non confundar in æter« num, in tua justitia libera me, et eripe me. In« clina ad me aurem tuam, accelera, ut eripias me. « Esto mihi in Deum protectorem, et in locum re« fugii, ut salvum me facias. » Docet nos mater nostra S. Ecclesia, quanta instantia orationi incumbere et insistere debeamus, ex eo quod id ipsum tam sæpe repetit. Nam et Apostolus hoc dicit : « Sine intermissione orate (*I Thess.* v, 17). » Et Dominus in Evangelio : « Petite, inquit, et accipietis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur (*Matth.* VII, 7). » Dat etiam similitudinem de illo, qui ab amico suo tres panes petebat (*Luc.* XI, 5); cumque ille per totam noctem surgere noluisset, et ipse econtra tota nocte petitioni instaret; tandem illius improbitate fatigatus, surrexit, et dedit illi quotquot habebat necessarios. « In te, inquit, Domine, speravi, » etc., quia in te speravi, non confundar in æternum. Unde et Apostolus : « Spes, inquit, non confundit (*Rom.* v, 5). » Confunderet enim si semper speraret, et sperata nunquam reciperet. Sicut desperatione nihil est deterius, ita firma spe nihil est melius. Quod autem ait : « in tua justitia libera me, et eripe me; » tale est ac si diceret : (491) Ita fac, ut justitia tua dictat. Cætera vero quæ sequuntur, idem significant.

« Quoniam firmamentum meum, et refugium « meum es tu. » Ideo, inquit, dixi : « Esto mihi in « Deum protectorem, et in locum refugii, » quoniam alium protectorem, aliud firmamentum et aliud refugium præter te ego non habeo. Scio enim, quia maledictus est omnis, qui sperat in homine, et ponit spem suam in brachium suum, et a Deo recedit cor ejus. « Et propter nomen tuum dux mihi « eris, et enutries me. » Nomen Domini est Jesus; Jesus autem *Salvator* interpretatur. Magna igitur ratio est, ut propter nomen suum salvet, protegat, ducat et nutriat fideles suos, qui ideo sic vocatus est ut ista faceret, et nisi hæc facturus esset, sic vocatus non fuisset.

« Et educes me de laqueo isto, quem occultave« runt (492) mihi; quoniam tu es protector meus, « Domine. » Quis enumerare valeat omnes laqueos, quos tyranni, hæretici et maligni spiritus occultaverunt sanctis et fidelibus Christi? Quid est igitur quod singulariter hic dicitur, de laqueo isto, nisi quia, cum deceptio in genere una sit, multæ tamen sunt species deceptionis? Unde et alibi dicitur : « Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium (*Psal.* CXXIII, 7). » Et illud : « Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero (*Psal.* XC, 3). » — « Quoniam tu es protector

(491) Id. cod. Ghis., *quia justus es.*
(492) Cod. Vallic. *Educes me de laqueo, quem abs-conderunt*, etc. Cod. Ghis. *Educes me de laqueo isto, quem occultaverunt.*

Digitized by Google

« meus, Domine, in manus tuas commendo spiri- « tum meum. » Timeo, inquit, inimicorum laqueum, timeo eorum occultas et callidas deceptiones; faciant de corpore meo quidquid velint, spiritum vero tibi commendo. Hoc enim et de beato Job **355** legitur, quia Dominus cum dedisset potestatem Satan super eum, animam autem conservare præcepit (*Job* II, 6). Nam et ipse Salvator noster in cruce positus spiritum suum Domino commendavit (493); quatenus nos doceret, quid in tali eventu facere debeamus.

« Redemisti me, Domine Deus veritatis. » Tibi, inquit, spiritum meum commendo, qui supra modum me direxisti, dum tui sanguinis pretio me redemisti; et hoc quidem ne spiritus meus periret, fecisti. In eo vero quod Deum veritatis eum vocat, majorem se securitatem inde habere ostendit, quia non potest non facere, quod promisit. Dixerat enim : « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan.* XIV, 18). » Et : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Itemque : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 8). » — « Odisti observantes vanitatem supervacue. » De vanitate dicit Salomon : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*Eccle.* I, 1). » Et Apostolus : « Vanitati enim creatura subjecta est non volens (*Rom.* VIII, 20). » Et hic idem Propheta : « Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens (*Psal.* XXXVIII, 6). » Cum igitur nemo sit sine vanitate, bene hic additum est, « supervacue, » ut illos solos odio habere intelligamus, qui supervacue vanitatem faciunt, et observant, non autem eos, qui etiam nolentes, ut Apostolus docet, vanitati subjecti sunt (*Rom.* VIII, 20). Illi itaque supervacue subjecti sunt vanitati, quibus ipsa vanitas ita placet, ut nunquam cessent a vanitate. Per quos videlicet illos intelligimus, qui usque in finem in sua malitia perseverant.

« Ego autem in Domino sperabo, et exsultabo, et « lætabor in tua misericordia. » Qui ita loquitur aperte ostendit, se non esse de illis, qui supervacue vanitatem observant.

« Quia respexisti humilitatem meam, salvam fe- « cisti de necessitatibus animam meam nec conclu- « sisti me in manus inimici. Statuisti in loco spatioso « pedes meos. » Ideo, inquit, exsultabo et lætabor de tua misericordia, quia maximam et inæstimabilem misericordiam tuam super me esse cognosco. De hoc videlicet, quod in tempore persecutionis respexisti humilitatem meam, et salvam fecisti de multis necessitatibus animam meam, et cum inimicus meus captam, et deceptam, et penitus superatam esse putaret, liberasti me et non conclusisti in manus inimici, sed statuisti in loco spatioso pedes meos, quia inde amplius dilatata sum, unde me angustatam, et ad nihilum redactam esse credebant. Nullo namque tempore tantum crevit Ecclesia, tantumque dilatata est, quantum tempore persecutionis. Occidebatur unus, et ejus fide et constantia multi alii ad fidem convertebantur.

« Miserere mihi, Domine, quoniam tribulor. » Unde? « Conturbatus est in ira oculus meus, anima « mea, et venter meus. » Quod Ecclesia modo se lætam et exauditam, et de omnibus suis angustiis, et necessitatibus liberatam esse dicit, modo vero conturbatam, afflictam, contristatam et multis injuriis circumventam, conqueritur; ad diversa tempora referendum est. Quoniam (494) de pace sibi divinitus concessa gaudebant sancti, aliquando vero tantis angustiis afficiebantur ut tæderet eos etiam vivere (*II Cor.* I, 8), sicut Apostolus ait. Unde et modo dicit : « Miserere mihi, Domine, quoniam tribulor. » Et mox ipsius tribulationis causam ostendens, subjungit, dicens : « Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus. » Sed quid per oculum Ecclesiæ, nisi apostolos et doctores intelligamus? Isti sunt enim, qui cæteros illuminant, et viam veritatis ostendunt, et in viam mandatorum Dei dirigunt, et errare non permittunt. Per animam autem iidem ipsi significantur, qui et aliis vitam præstant. Et sic sunt in Ecclesia, ut anima in corpore. Venter autem illi sunt, qui omnibus aliis molliores et imperfectiores sunt. In his autem tota Ecclesia consistit. In ira autem et furore iniquorum hominum totam se Ecclesia conturbatam esse ostendit, dum et oculum, et animam, et ventrem conturbatum sibi esse dicit.

« Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei « in gemitibus. » Hæc est igitur causa quare sic Ecclesia conturbata est, quoniam omnes dies vitæ illius in dolore, et gemitibus fiunt, et finiunt. « Infir- « mata est in paupertate virtus mea, et ossa mea « conturbata sunt. » Major est paupertas hominum quam divitiarum. Unde et pauperem se Ecclesia dicit, quando aliqua occasione filios amittit. Tali igitur paupertate infirmatur, quia is deficientibus, non est, qui veritatem defendere valeat. Unde ipsa quoque ossa sua conturbata esse dicit, per quæ fortiores quosque intelligimus, qui cætera membra portare et sustinere solebant.

« Super omnes inimicos meos factus sum oppro- « brium vicinis meis nimium, et timor notis meis. » Fuit enim aliquando ut ipsi vicini, et propinqui plus sanctos affligerent et irriderent, quam cæteri eorum inimici. Quod quidem et beato Job amicos olim fecisse cognovimus. Erant autem et timor notis suis, illis videlicet, qui ejusdem erant religionis, sed non ejusdem **356** perfectionis, quia ad ipsos multoties accedere timebant, ne forte cum illis caperentur et

(493) « Consideremus cur hic sermones ipsi sint positi, quos Evangelii textus eloquitur? Nam et ibi sic ait : *In manus tuas commendo spiritum meum : et inclinato capite, reddidit spiritum;* scilicet ut et hic cognosceres fuisse locutum, qui post tot sæcula eadem erat in cruce positus verba dicturus. » Cassiod.

(494) Id. Cod. *aliquando.*

Digitized by Google

tenerentur. Hoc enim faciebat et Nicodemus, qui non in die, sed in nocte veniebat ad Jesum (*Joan.* III, 2). Unde et sequitur :

« Qui videbant me foras fugiebant a me, excidi « tanquam mortuus a corde (495). » Qui, inquit, videbant me, id est qui me videre desiderabant, illico ut me videbant, propter causam meam, modo superius dictam, fugiebant. Unde factum est ut mei penitus obliviscerentur. Et hoc est, quod dicit : « Excidi tanquam mortuus a corde, et a memoria eorum. Et factus sum sicut vas perditum; » quoniam sic me habuerunt quasi impium, et perditioni obnoxium. Unde in Evangelio Dominus ait : « Veniet hora, ut omnis, qui interficiet vos, arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* XVI, 2). » Usitatissimum est in divino eloquio per vasa hominem significari; unde et vas electionis Paulus apostolus vocatur. Hoc autem et in persona Salvatoris nostri mater Ecclesia dicere potest, qui sicut vas perditum factus est; quoniam « inter iniquos deputatus est (*Luc.* XXII, 37). » Qui et ipse audivit vituperationem multorum circum habitantium, quando genuflexo illudebant ei, dicentes : « Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas illud (*Matth.* XXVII, 40), » et multa alia.

« In eo dum congregarentur omnes simul adver- « sum me, ut acciperent animam meam consiliati « sunt. » Hoc enim erat iniquorum consilium, et hac de causa congregabantur, ut mala morte sanctos perderent, et occiderent, et duris tormentis eorum animas extorquerent. Illi autem quid faciebant? Dicat Ecclesia :

« Ego vero, inquit, in te speravi, Domine, dixi, tu « es Deus meus in manibus tuis tempora mea. Libera « me, et eripe me de manibus inimicorum meorum, « et a persequentibus me. Illumina faciem tuam su- « per servum tuum, et salvum me fac in tua miseri- « cordia. Domine, non confundar, quoniam invo- « cavi. » Hæc sunt arma sanctorum, sic se defendant, non gladiis, sed orationibus pugnent. Sunt autem in manibus Dei tempora nostra, quia secundum ejus arbitrium et vivere, et mori necesse habemus. Illuminat vero faciem suam super nos, quando se nobis placabilem ostendit, nostrasque orationes exaudit.

« Erubescant impii, et deducantur in infernum, « muta efficiantur labia dolosa, quæ loquuntur ad- « versus justum iniquitatem in superbia, et con- « temptu. » Hoc autem erit in judicio, quando impii et peccatores se errasse cognoscent, et cognoscendo erubescent, et ita confusi in infernum demergentur. Et tunc demum muta efficientur labia dolosa, quæ modo loquuntur adversus justum et catholicum virum in superbia et contemptu.

« Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, « quam abscondisti timentibus te, et perfecisti eam « sperantibus in te in conspectu filiorum hominum. » Eodem, inquit, tempore, quo impii erubescent, et in infernum deducentur, cognoscent sancti, et ipso experimento intelligent quanta sit multitudo dulcedinis Dei, quæ adhuc eis abscondita est. Quod autem ait : « Et perfecisti eam sperantibus in te in conspectu filiorum hominum; » hoc est, quod in Evangelio Dominus ait : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est (*Matth.* X, 32). » Postquam autem hanc suæ dulcedinis multitudinem sanctis suis Dominus revelaverit, quid deinde illis faciat, audiamus.

« Abscondes eos, inquit, in abdito vultus tui a « conturbatione hominum; proteges eos in taberna- « culo tuo a contradictione linguarum. » Tabernaculum Dei, et illud abditum, in quo videri potest vultus et facies Dei, idem significat. Per quod videlicet, quid aliud quam cœlestis regni palatium intelligamus? Ibi autem sancti Dei, qui sic in hoc sæculo conturbantur et fatigantur, sine aliqua conturbatione et contradictione simul cum Deo creatore suo sine fine gaudebunt. Unde et Ecclesia Dominum benedicit, qui in illa civitate munitissima misericordiam suam sanctis suis tam magnifice mirificavit. Et hoc est, quod dicit :

« Benedictus Dominus, qui mirificavit misericor- « diam suam in civitate circumstantiæ. » Quod autem hic dicitur in civitate circumstantiæ, in alia translatione dicitur in civitate munita. Et bene quidem civitas circumstantiæ dicitur, quæ tantis sanctis et defensoribus munitur.

« Ego autem dixi in pavore meo (496). Projectus « sum a vultu oculorum tuorum. » Ego, inquit Ecclesia, in pavore meo, in tempore doloris et intolerabilis afflictionis meæ dixi, quod dicere debui. Quid? « Projectus sum a vultu oculorum tuorum. »

« Ideo exaudisti vocem deprecationis meæ, dum « clamarem ad te. » Ideo, inquit, ut ostenderes, et me certissime intelligere faceres, quia non eram projecta a vultu oculorum tuorum, illico dum clamarem ad te, exaudisti vocem deprecationis meæ. Hinc autem Ecclesia hortatur suos, ut Deum diligant, viriliter agant, et in Domino confortentur. Hoc est enim quod ait :

« Diligite Dominum, omnes sancti ejus, quoniam « veritatem requiret Dominus, et 357 retribuet « his, qui abundanter faciunt superbiam. Viriliter « agite, et confortetur cor vestrum omnes, qui spe- « ratis in Domino. »

PSALMUS XXXI.

HUIC DAVID INTELLECTUS.

De seipso loquitur Propheta, et intellectum istius psalmi divinitus sibi datum esse dicit. Est enim de

(495) Vulgata habet *oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde.*

(496) Vulgata lectio est : *Ego autem dixi in excessu mentis meæ*, etc., quam ita exponit card. Thomasius. « Cæterum, cum olim ego maximis malis perculsus, in pavore, ac stupore magno essem, et pene jam excessissem ex mente, dixi ita : Plane de favente oculorum tuorum conspectu projectus sum, o Domine. »

Digitized by Google

laude pœnitentiæ et confessionis peccatorum. Pœnitentia igitur, et confessione Deo se reconciliatum intelligit, qui peccato in Uriam, et Bersabee a Deo recessit.

« Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. » Vox Prophetæ est et aliorum, qui se peccasse intelligunt, et per confessionem et pœnitentiam peccatorum veniam se habere confidunt et gaudent. Quid enim prodest pœnitentiam agere, nisi post pœnitentiam peccatum sibi dimissum esse confidat? Quis non credat vel prophetæ dicenti : « Peccator quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet, et non morietur? » (*Ezech.* XXXIII, 11.) Illos igitur Propheta beatos esse dicit, quorum iniquitates et peccata per confessionem et pœnitentiam dimissa et tecta sunt. « Charitas enim, sicut scriptum est, operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV, 8). »

« Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus. » Hoc est enim quod per prophetam Dominus ait : « Quacunque hora peccator pœnitentiam egerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor (*Ezech.* XVIII, 22). » Constat enim, quia non imputabit, si non recordabitur. Quod autem ait : « Non est in ore ejus dolus, » ad puram pœnitentiam et nudam confessionem spectare videtur; unde et alibi dicitur : « Effundite coram illo corda vestra (*Psal.* LXI, 9); » et illud : « Convertimini ad me in toto corde vestro (*Joel* II, 12); » itemque : « Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra (*ibid.*) »

« Quoniam tacui inveteraverunt omnia ossa mea « dum clamarem tota die. » Hoc silentium magis in corde quam in ore est; nam si cor taceat et os loquatur, nihil prodest. Non ad os, sed ad cor respicit Deus. In corde igitur est pœnitentia, in corde est vera confessio, secundum illud : « Cor contritum, et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19). » Corde igitur clamat, qui de peccati perpetratione intus affligitur, et ex toto corde peccatum, in quo prius delectabatur, a se repellit. « Quoniam, inquit, tacui inveteraverunt omnia ossa « mea. » Quod autem inveterascit et senescit, dicit Apostolus, prope interitum est. Omnis igitur virtus, omnisque animæ vigor et fortitudo, quæ per ossa significantur, deficiunt et pereunt, quando homo in peccatis delectatur, et cor silentium tenet, neque clamat, neque pœnitet, neque se peccasse confitetur. Sed quid est, quod ait : « Dum clamarem tota die? » Si enim tacebat, quomodo clamabat? Hoc est igitur, quod modo diximus, quia si cor taceat, clamor oris nihil valet. Clamet ore, clamet corde, et plus corde quam ore qui exaudiri desiderat.

« Quoniam die ac nocte gravata est super me « manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum « configitur spina. » Beatus ille, super quem manus Domini gravatur, et quem Dominus pro peccatis suis affligere, et visitare dignatur (497). « Flagellat enim, sicut scriptum est, omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6). » Econtra vero peccanti populo dicit; « Non irascar tibi amplius. Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina (*Isa.* LIV, 9). » Ecce quantum sibi profuit quod super eum manus Domini gravata est, et quod spina correctionis compunctus, et vulneratus est, quia in hac ærumna, et afflictione ad pœnitentiam conversus est. Unde et subditur :

« Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitias « meas non operui. » Nihil absconditur Deo, omnia videt, ipse est, qui scrutatur renes et corda. Ipsi tamen tunc delicta et injustitias nostras manifestamus, quando dura pœnitentia, lacrymis et cordis contritione peccasse ostendimus.

« Dixi pronuntiabo adversum me omnes injustitias « meas Domino, et tu remisisti impietatem cordis « mei. » Hoc omnis homo debet dicere et statuere in corde suo quod peccata sua non abscondat, neque foveat; sed contra seipsum pronuntiet et manifestet; et hoc Domino (498). « Et tu remisisti impietatem cordis mei. » Hoc est enim quod alibi dicitur : « Dic tu prius peccata tua, ut justificeris. » Et : « Justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII, 17). » Et Apostolus : « Si, inquit, nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI, 31). » Qui enim seipsum judicat, ille injustitias suas adversus seipsum pronuntiat.

« Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore « opportuno. » Pro hac causa videlicet, ut remittas ei impietatem cordis sui, orabit ad te omnis sanctus. Nemo enim sanctorum est, qui quotidie Domino non dicat : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI, 12). » Quod autem ait, « in tempore opportuno, » hanc præsentem vitam significat, quæ quidem **358** pœnitentiæ, et orationi, et satisfactioni opportuna est, sicut Apostolus ait : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI, 2). » Hæc autem post hanc vitam locum non habebunt.

« Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad « eum non approximabunt. » Orat quotidie vir sanctus pro peccatis suis, quamvis ad eum peccata appropinquare non valeant, utpote in diluvio aquarum multarum positum et constitutum. Unde enim quasi dicat, peccatorum sordes transire (499) valeant, qui tantarum aquarum diluvio undique muniuntur? Hinc Novum, hinc Vetus Testamentum, hinc prophetarum libri, hinc apostolorum omniumque doctorum scripturæ, hinc lacrymarum affluentia, hinc confessio et pœnitentia. Denique quidquid est, quo peccata abluantur et extergantur inter aquas computari potest.

« Tu es mihi refugium a pressura, quæ circum-

(497) « Divinitas non manibus aliquid agit, sed voluntatis suæ virtute omnia disponit et perficit. » CASSIOD.

(498) Id. cod., *ipse autem quid faciet?* sequitur.

(499) Id. cod. *transire.*

Digitized by Google

« dedit me, exsultatio mea, redime me a circum- « dantibus me. » Orat, inquit, sanctus, ut superius dictum est. Sed quid orat? Hoc, quod modo diximus : Tu es mihi refugium, tu es mihi exsultatio, tu redime me a circumdantibus me. Quam egregie dictum est, « a circumdantibus me. » Stat vir sanctus in medio aquarum supradictarum, videt vitia et peccata, omnesque inimicos circumstantes, et ad eum (500) venire desiderantes, et orat, atque orando a se repellit. Si ergo vir sanctus orat, ne invadatur et capiatur, quanto magis ille qui jam captivus detinetur, orare debet ut liberetur?

« Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, « qua ingredieris, firmabo super te oculos meos. » Hic est ille intellectus, qui, sicut in titulo dicitur, datus est David. Et hic quidem modo promittitur viro sancto, solummodo prævideat et custodiat se, ne datum sibi intellectum amittat, et fiat sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus. Quid per equum et mulum, nisi superbos homines, potentes et luxuriosos intelligamus? Hi autem si hunc intellectum, quo hic psalmus titulatur, et pœnitentibus datur, habuissent, non se tam facili cursu in tanta flagitia præcipitassent. Quid autem vir sanctus et religiosus contra tales facere debeat, audiamus.

« In camo, inquit, et freno maxillas eorum con- « fringes, qui non approximant ad te. » Si, inquit, isti equi, et muli a te fugerint, et tibi approximare, et ad pœnitentiam redire noluerunt, in freno et camo maxillas eorum confringes. Per frenum et camum nihil convenientius intelligere possumus, quam maledictiones, interdictiones et excommunicationes, et quascunque a fidelibus separationes. Hæc sunt enim illa retinacula, quibus refrenati, et quamvis nolentes, et recalcitrantes ad intellectum, et pœnitentiam tales equi et muli reduci solent.

« Multa flagella peccatorum, sperantes autem in « Domino misericordia circumdabit. » Sciant peccatores, dicit Dominus, cujus verba hæc sunt, quia nisi resipuerint et pœnitentiam egerint, multa flagella, multa tormenta, multi magnique cruciatus eos exspectant. Si vero conversi fuerint, et in Dei misericordia speraverint, credant, et nullatenus dubitent, quia sperantes in Domino misericordia circumdabit. Ecce quantum valet pœnitentia, et vera confessio peccatorum (501). Nunc autem ad eos convertitur Dominus, qui confessione et pœnitentia justificati sunt, et hortatur eos ut lætentur, et exsultent, et glorientur. Hoc autem in Domino, in quo, et per quem omnes suos vicerunt inimicos. Et hoc est, quod dicit : « Lætamini in Domino, et exsultate, justi, et « gloriamini omnes recti corde. »

PSALMUS XXXII.

PSALMUS DAVID.

Hæc David, qui hunc psalmum edidit, ipse in eo loquitur, et ejus esse dicitur. Non modicam igitur habet auctoritatem qui tanti viri testimonio confirmatur.

« Gaudete justi in Domino, rectos decet collauda- « tio. » Gaudeant, inquit, alii in mundi hujus honoribus et dignitatibus, in fallacibus divitiis et suavitatibus, quorum quidem gaudium cito finem habebit; vos autem justi gaudete in Domino, quia æternus est Dominus, et vestrum gaudium æternum erit. Unde et in Evangelio Dominus discipulis ait : « Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI, 22). » — « Rectos autem decet collaudatio, » quia non est pretiosa laus in ore peccatoris. « Peccatori enim dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas? » (*Psal.* XLIX, 16.) Illi igitur laudent, qui eum diligunt, et qui recti sunt, qui sursum cor et oculos habent. Sed quomodo laudabunt? In cithara, inquit, et in psalterio. Et hoc est, quod ait :

« Confitemini Domino in cithara, in psalterio de- « cem cordarum psallite ei. » In cithara cantabat David, et Saulis furorem placabat, **359** et dæmonium quo vexabatur, ab eo pellebat. Talis citharœdus erat Apostolus in cujus verbis ipsi philosophi delectabantur. At vero in psalterio decem cordarum illi cantant, qui decem legis mandata custodiunt. Sed hoc ad Vetus Testamentum pertinet, nunc autem de Novo audiamus.

« Cantate, inquit, ei canticum novum, bene psal- « lite ei in jubilatione. » Novum Testamentum non indiget ligneis instrumentis ; vocem humanam quærit, et linguam rationabilem. Novum autem canticum est canticum Christi nativitatis, passionis, resurrectionis, et ascensionis. Illi autem bene psallunt, et in jubilatione psallunt, qui corde et ore Deum laudant, et bona, quæ dicunt, opere complent. Unde et subditur:

« Quoniam rectus est sermo Domini, et omnia « opera ejus in fide. » Rectus sermo, rectum quærit prædicatorem, et quia omnia opera ejus fidelia sunt, bene et fideliter nuntiari debent.

« Diligit misericordiam, et judicium ; misericordia « Domini plena est terra. » Hoc est igitur, quod cantare debemus, hoc omnibus nuntiandum est, et quod Dominus diligit, hoc diligamus, et misericordiam et justitiam faciamus, et præcipuæ misericordiæ intendamus, quia et ipse exaltat misericordiam judicio ; siquidem misericordia Domini plena est terra. Misericordia utique est, et bonis, et malis miseretur Deus. Et quasi diceret : Considera si potes, qualis et quantus est iste Dominus, cujus misericordia plena est terra, subdit, dicens :

« Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris « ejus omnis virtus eorum. » Unde, et statim in sequentibus ait :

« Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. » Si enim dixit, Verbo dixit. Dicere autem, voluisse fuit. Verbum autem Dei, et mabilis medicina, quæ non solum a peccatis absolvit, sed etiam sanctorum præmia beata concedit. »

(500) Id. cod. Ghis. *ad eum.*

(501) « O pœnitentia, inquit Cassiodorus, inæsti-

Digitized by Google

voluntas Dei ipse Filius est. Breviter in hoc versiculo Trinitatis mysterium declaratur. Quid est enim Dominus et Verbum ejus, et Spiritus ejus, nisi Pater, et Filius, et Spiritus sanctus? Unus igitur est Deus, cujus voluntate cœli facti sunt (502). Unde et alibi dicitur : « In voluntate tua universa sunt « posita, et non est, qui possit resistere voluntati « tuæ; tu enim fecisti omnia, cœlum, et terram, « et universa, quæ cœli ambitu continentur. » Si autem per cœlos apostolos intelligamus, manifestum est, quia verbo Domini, per quod Salvatorem nostrum intelligimus, et facti, et firmati, et redempti sunt, et Spiritus sancti, secundum ejusdem promissionem, virtutem et fortitudinem susceperunt.

« Congregans sicut in utre aquas maris, ponens « in thesauris abyssos. » De hoc modo locutionis jam in alio psalmo locuti sumus, ubi dicitur : « Magnificans salutem regis ejus (*Psal.* XVII, 51). » Sicut enim ibi dicitur : « Magnificans magnificat, » sic in hoc loco : « Congregans congregat, et ponens ponit, inquit, Dominus congregans sicut in utre aquas maris. » Quid per aquas maris nisi omnes mundi hujus nationes intelligamus? Has autem quasi in utrem, sic in unam catholicam, et universalem Ecclesiam congregavit Deus. Magnus est hic uter, et multas in se continet aquas. Hunc SS. apostoli impleverunt et in thesauros Dei delati sunt. Unde et subditur : « Ponens in thesauris abyssos. » Id ipsum enim et per mare, et per abyssos significatur. Unde enim nisi de abysso tanta aquarum abundantia funditur? De thesauris autem in Evangelio Dominus ait : « Thesaurizate vobis thesauros in cœlis (*Matth.* VI, 20). » Et : « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum (*ibid.*, 21). » Et : « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro (*Matth.* XIII, 44). » Et : « Vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* XIX, 21). » Inter hos igitur thesauros ponit Dominus et abyssos, et aquas maris. De quibus etiam beato Job a Domino dicitur : « Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? » (*Job* XXXVIII, 24.)

« Timeat Dominum omnis terra; ab ipso autem « commoveantur universi, et omnes qui habitant « orbem. » Non est enim, ut ait Apostolus, personarum acceptor Deus (*Act.* X, 34); sed in omnibus gentibus, qui tenet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi, et mare, et abyssos, et grandines, et nives in thesauris suis reponit. Timeat igitur eum omnis terra, nullum alium timeat, quia nullus alius timendus et colendus est : ab ipso commoveantur, et ad ipsum fugiant omnes habitatores terræ, quis enim timendus est, nisi ille qui omnia fecit? Hoc est enim quod ait :

« Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt. Dominus dissipat consilia « gentium, reprobat autem cogitationes populorum, « et reprobat consilia principum. » Nullum, inquit Propheta, timeatis, quia Dominus vobiscum est, qui omnium consilia et cogitationes contra vos insurgentium reprobat et dissipat. Consilium vero Domini manet in æternum, cogitationes cordis ejus in sæculum sæculi. Sicut ipse disposuit, et ante tempora præfinivit, sic et non aliter fieri oportet. Et malorum pœna, et vestra gloria sic disposita **360** est, ut omnino immutari non possit. Beati igitur illi, qui in illum credunt, et qui ab ipso præelecti, et prædestinati sunt, quia nullo modo prædestinata sibi beatitudine carebunt. Et hoc est, quod ait :

« Beata gens, cujus est Dominus Deus eorum : « populus, quem elegit Dominus in hæreditatem « sibi. » Hic autem subdit, et ponit ordinem ipsius electionis.

« De cœlo prospexit Dominus, et vidit omnes « filios hominum. » De cœlo, inquit, de illo sæ majestatis profundissimo secreto prospexit, et vidit, et cognovit omnes filios hominum, et alios quidem prædestinavit ad gloriam; alios vero ad supplicium. Unde Apostolus ait : « Nunquid non habet potestatem figulus luti, facere aliud vas in honorem, et aliud in contumeliam? » (*Rom.* XIX, 21.) Unde et Dominus in judicio dicturus est bonis quidem, ut susciplant regnum, quod sibi paratum est ab origine mundi; malis vero, ut eant in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Nota quod ait : Et illis paratum esse regnum, et illis paratum esse supplicium (503). Unde manifestum est, quia nemo ad malum, vel ad peccatum agendum prædestinatur, providentia sicut ab æteruo bonos destinavit hæredes, et consortes facere regni sui; ita ab æterno constituit malos perpetuo inferni igne afficiendos. Eadem est S. Fulgentii doctrina, qui lib. I ad Monimum, circa finem, inquit : « Tales ad interitum prædestinavit, quia talibus justæ punitionis supplicium præparavit. Quod utique manifesto Dominus ipse sermone perdocuit, in eo quod a se ostendit paratum non solum regnum, ubi lætentur boni, sed et ignem æternum, ubi crucientur mali. Bonis etenim dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum a constitutione mundi.* Malis autem dicturus est : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.* Ecce ad quid Dominus iniquos et impios prædestinavit, id est ad supplicium justum, non ad aliquod opus injustum, ad pœnam, non ad culpam. » In salvandis igitur relucet prædestinatio, ut in damnandis appareat reprobatio; sed utraque relative se habet ad me-

(502) Id. cod. Ghis. « et cujus inspiratione confirmati sunt. » — Eadem expositio est apud Cassiodorum. « Si diligenter perscrutemur, et sanctam hic significat Trinitatem. Dicendo enim *Verbo*, Filium declarat : adjungendo *Domini*, Patrem dicit : *Spiritu oris ejus*, utique et Spiritum sanctum vult intelligi, qui ante tempora de Patre processit. Et ut in tribus personis manifestam intelligeres unitatem, *ejus* dicitur, non eorum. »

(503) Quod hic S. Bruno dicat, quod Deus cognoscens omnes filios hominum, « alios quidem prædestinavit ad gloriam, alios vero ad supplicium, » non est intelligendum nisi de voluntate salvandi merentes, et damnandi immerentes. Cum enim, ut ait Psalmista psal. CXVIII, « justus sit Dominus, et rectum judicium ejus », non decrevit præmium, et gloriam nisi merentibus; quemadmodum non statuit damnationem, et supplicium nisi pro iis, qui suis culpis ejus indignationem sibi provocaverint. Divina ergo

Digitized by Google

sed vel ad gloriam, vel ad supplicium prædestinati sunt omnes. Sequitur:

« De præparato habitaculo suo respexit super « omnes qui habitant orbem. » Repetitio videtur eorum, quæ dicta sunt.

« Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit « in omnia opera eorum. » Sigillatim omnium corda fecit Deus, quia neque omnibus omnem, neque æqualem omnibus sapientiam et intelligentiam dedit. « Qui intelligit in omnia opera eorum, » et quia omnium opera intelligit, unicuique secundum sua merita retribuit. Ab eo loco, ubi dicitur : de cœlo prospexit Dominus, usque ad hunc locum tenor sententiæ pendet; et hic tandem subaudiendum est id quod superius diximus.

« Non salvabitur rex per multam virtutem suam, « neque gigas salvus erit in multitudine fortitudinis « suæ. » Soli, inquit, illi salvabuntur, qui Deum timent, ejusque mandata custodiunt, et ad vitam æternam prædestinati sunt. Cæteri vero non confidant in multitudine fortitudinis suæ, quia neque rex poterit salvari per virtutem suam, neque gigas per fortitudinem suam.

« Falsus equus ad salutem, in abundantia autem « virtutis suæ non erit salvus. » His autem verbis nihil aliud significare videtur, nisi quia sola Dei misericordia est, quæ hominem salvare et pœnis eripere potest. Nemo confidat in equi velocitate, quia sæpe mentitur, et subito cadens, neque seipsum, neque sessorem salvare valet. Quod autem de rege, de gigante et equo dicitur, de omnibus quoque aliis rebus intelligatur.

« Ecce oculi Domini super timentes eum, spe- « rantes autem in misericordia ejus, ut eripiat « a morte animas eorum, et alat eos in fame. » Hoc autem tale est ac si diceret : Illi, qui in seipsis, et in sua fortitudine, et virtute confidunt, non salvabuntur; illi vero, qui Deum timent, et in sola ejus misericordia sperant et confidunt, securi sunt, quia semper eos Dominus respicit, et eos errare, et perire non permittit; alit enim eos cibis spiritualibus in fame, quam iniqui homines in hoc sæculo patiuntur; de qua videlicet per prophetam dicitur : « Immittam in eos non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei (*Amos* VIII, 11). » Potest tamen de illa fame hoc intelligi, qua in inferno mali cruciantur. Unde et dives ille dicebat Abrahæ : « Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma (*Luc.* XVI, 24). »

« Anima autem nostra sustinet Dominum, quia « adjutor, et protector noster est. Et in ipso lætatur « bitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus spe- « ravimus. » Hortatur seipsum et animam suam, et in seipso omnes alios, ut securi sint et patienter exspectent, quia et bonum habent præceptorem, et ea, quæ sperant et exspectant sine ulla dubitatione suscipient. Et hoc est, quod dicit :

« Fiat, Domine, misericordia tua super nos, sicut « speravimus in te. » Magna est virtus spei, quæ per omnes psalmos tantum commendatur. Hanc autem maligni spiritus amiserunt, et summo studio laborant, ut eos quos decipiunt ad desperationem perducant. Hoc est illud peccatum, quod non dimittetur hominibus neque in hoc sæculo, neque in futuro. Bene autem pluraliter posuit, « anima nostra, » quia sicut in Actibus apostolorum legitur : « Omnibus est cor unum, et anima una (*Act.* IV, 32); » unde, et alibi dicitur : « Anima nostra sicut « passer erepta est de laqueo venantium. »

361 PSALMUS XXXIII.

PSALMUS DAVID CUM IMMUTARET CORAM ABIMELECH VULTUM SUUM, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT (504).

Non legitur quod David immutasset vultum suum coram Abimelech, sed potius coram Achis rege Geth, quando se furiosum esse simulavit; timens ne ab eo occideretur, de cujus regno multos interfece-

rita et demerita, ut prior scilicet prædestinatio effectivam connectat bonitatem, altera vero, id est reprobatio, supponat opere completam pravitatem. Ita docet S. Th. q. 23. art. 3 : « Sicut prædestinatio, ait, est pars providentiæ respectu eorum qui divinitus ordinantur in æternam salutem, ita reprobatio est pars providentiæ respectu illorum qui ab hoc fine decidunt. Unde reprobatio non nominat præscientiam tantum, sed aliquid addit secundum rationem, sicut et providentia, ut supra dictum est. Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, et gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis pœnam pro culpa. » Quod hæc fuerit S. Brunonis mens, et non alia, ex sequentibus etiam luculentius patet.

(504) Titulus Psalmo huic a Brunone præfixus idem est apud S. Augustinum. In Vulgata autem dicitur, Davidem vultum immutasse coram Achimelech. Sed in libro I Reg., cap. XXI, v. 13 legimus hoc factum esse coram Achis regem Geth et servis ejus. Hanc tantam diversitatem longa dissertatione conciliat S. Augustinus. Sed breviorem Bedæ præferimus, quam etiam affert Card. Thom. : « *Cum Saul persequeretur David, tunc fugit ad Achis regem; ubi dum esset invidia faciente suspectus, industriose mutavit vultum suum, ita ut salivis ora compleret; quatenus œnergumenus æstimatus, miseratione faciente dimitteretur illæsus. David ergo Christus est, Achis populus Judæorum : in quo ille incarnatus, sed invidentibus non agnoscendus apparuit; unde et Achis interpretari dicitur,* quomodo est! *Quod est verbum mirantis, et non agnocentis : quia Judæi virantes Christi admirantes, ipsum Deum minime esse agnoverunt. Et bene* David vultu mutatus *salivas dimisit in barbam; saliva quippe infirmitatem, barba autem virtutem designat; quia Christus, cum in forma Dei esset, seipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II). *Nec in nomine regis error est; cum ex patre rege natus potuerit etiam Abimelech dici, qui interpretatur* pater meus rex, *sive* patris mei regnum; *sed et mysterii sensus arridet; quia Judæi patrem regem habuerunt, de quibus dicitur :* filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Dimisit *autem* eum, et abiit : dimisit *Judæos*, et abiit *credendus a gentilibus. Potest et ita dici, quia coram Abimelech sacerdote mutaverit vultum, quando, ut arma, panesque sibi, et sociis perciperet, a Saule se missum simulavit.* » Iisdem pene verbis eadem interpretatio legitur in Cassiodoro.

Digitized by Google

rat. Vocat igitur Achis Abimelech, quia in salvatione sua qualis fuit Achis, talis fuit et Abimelech, quoniam uterque illæsum eum abire permisit. Et sicut Achis, ita et Abimelech vultum, id est animum et voluntatem, David eo tempore non cognovit. Inde enim Abimelech postea cum omnibus suis a Saule interfectus est, quia non tenuit David, et eum abire permisit. Sic igitur verum est, quia David immutavit vultum suum, et coram Achis et coram Abimelech. Et coram Achis quidem, qui se furiosum esse simulavit; coram Abimelech vero, quia cum ab eo interrogaretur cur solus venisset, respondit : Rex præcepit mihi sermonem, et non vult ut aliquis sciat. In qua re manifeste significat se in domo Abimelech securum non fuisse. Unde in hoc psalmo Deum laudat, et benedicit, qui et in domo Abimelech, et in domo Achis eum custodivit.

« Benedicam Dominum in omni tempore, semper « laus ejus in ore meo. » Docet nos Propheta qualiter nos Deum benedicere et laudare debeamus; non ad horam, sed omni tempore, et in prosperis, et in adversis.

« In Domino laudabitur anima mea, audiant man- « sueti, et lætentur. » Ideo, inquit, omni tempore laudabo Dominum, quia quidquid sum ab eo sum, nihil in me laudabile invenitur, quod mecum sit. Ad ipsum igitur referatur virtus, et fortitudo mea, humilitas, sapientia et patientia mea, et quidquid boni inveniri potest in anima mea. Hoc audiant humiles et mansueti, et lætentur mecum, neque pœniteat eos humiles semper fuisse, et mansuetos. Sic et alibi dicit : « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus (*Psal.* CXXXI, 1). »

« Magnificate Dominum mecum, et exaltemus no- « men ejus in invicem. » Benevolus est Propheta, socios quærit, hortatur alios ad laudem Dei, et quicunque secum fuerint in laudibus et in magnificatione, sint quoque participes in remuneratione.

« Inquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex « omnibus tribulationibus meis eripuit me. » In hoc quoque suæ benevolentiæ affectum satis nobis manifeste ostendit, dum ad exemplum sui nos docet, quid in nostris tribulationibus nos agere debeamus; ideo in suis tribulationibus se Dominum inquisivisse et exauditum esse dicit, ut et nos similiter faciamus et similiter exaudiamur. Hoc est enim quod dicit.

« Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus « vestri non erubescent. » Unde hoc? « Quia iste « pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et « ex omnibus tribulationibus liberavit eum. » Seipsum pauperem dicit, quia quamvis dives esset, in divitiis tamen spem non habebat, et mundi hujus divitias pro nihilo ducebat. « Accedite, » inquit, per pœnitentiam, qui ab eo recessistis per inobedientiam, « et illuminamini. » **362** Ipse enim « est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). » De quo et Moyses dicit : « Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius (*Deut.* XXXIII, 3). » Et certe doctrina illius interioris hominis illustratio est. Qui autem sic illuminati fuerint, in judicio non confundentur; unde et hic dicitur : « Et vultus vestri non erubescent. »

« Immittet angelum Dominus in circuitu timen- « tium eum, et eripiet eos. » Unde et Apostolus ait : quia « Angeli sunt administratores spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14). »

« Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus; « beatus vir, qui sperat in eo. » Iste qui hoc dicit, jam ejus degustaverat suavitatem. Et fortasse in eo loco, ubi ait : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII, 103). » Sed quæ sunt illa eloquia, quæ tantam sanctis dulcedinem præstant? Lege in Evangelio, et invenies : « Cum exaltatus fuero a terris, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII, 32). » — « Qui credit in me habet vitam æternam (*ibid.* VI, 47). » — « Ubi ego sum, ibi et minister meus erit (*ibid.* XII, 26). » — « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui venit ad me, non ejiciam foras (*Marc.* XVI, 16). » — « Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Matth.* V, 12). » Hæc sunt et similia, quæ nos gustare persuadet; quatenus in his videamus, et cognoscamus quam dulcis est Dominus, et quam suavis. « Beatus vir, qui sperat in eo. » Unde et alibi dicit : « Sperate in eo, omnis conventus plebis, et effundite coram illo corda vestra; quia Deus adjutor est in æternum (*Psal.* LXI, 9). » Beatus enim ille est, cujus Deus in æternum adjutor est.

« Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam « nihil deest timentibus eum. » Hinc est quod Salomon ait : « Time Deum, et mandata ejus custodi (*Eccle.* XII, 13). « Propter hoc factus est omnis homo, ut Deum timeat et mandata ejus custodiat. Qui Deum timet, nihil negligit. Hoc est enim quod dicit : « Timete Dominum, omnes sancti ejus. » Universa legis et prophetarum mandata comprehendit, et nihil fuit quod amplius dicere potuisset. Qui enim ex amore Dei timet, omnia facere desiderat quæ ipsi præcipit, et omnia fugere, quæ interdicit; nihilque illi deest ad perfectionem, qui ad hanc pervenire potuit dilectionem. Unde et subditur : « Quoniam nihil deest timentibus eum. » — « Initium sapientiæ timor Domini (*Eccli.* I, 16). »

« Divites eguerunt, et esurierunt; inquirentes « autem Dominum non minuentur omni bono. » Quanta sunt, quibus divites egent, et quam multa unde penuriam patiuntur? Sancti vero omnia habent, quæcunque habere concupiscunt. Nam et si nondum habeant in re, omnia tamen habent in spe. Neque enim beati esse potuissent, si eis aliquid defuisset. Unde et Apostolus dicit : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). » Quomodo aliquid minus poterunt habere, qui sibi in Deo omnia possidebant?

Digitized by Google

« Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo A « vos. » Dixit superius ut Deum timeant, nunc autem quomodo timere debeant ostendit. Venite, inquit, et redite ad me, quia peccando recessistis a me. Nunc autem collectis et in unum congregatis ait :

« Quis est homo qui vult vitam. et cupit videre « dies bonos? » Et quasi aliquis respondeat : Ego; subdidit dicens : « Cohibe linguam tuam a malo, et « labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo, et « fac bonum; inquire pacem, et persequere eam. » In his paucis verbis plena instructio est timoris Domini, et perfecta doctrina Christianæ religionis (505). Totum hic dicitur, et quid effugere, et quid agere debeamus. « Qui » enim « in verbo non offendit, hic perfectus est vir (*Jac.* III, 1); » et : « Qui custodit B linguam suam, custodit animam suam (*Prov.* XIII, 3). » Pacem vero quærit et sequitur qui omnes diligit, et neminem odit. Unde et Apostolus dicit : « Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (*Rom.* XII, 18). » Et alibi : « Cum his qui oderunt pacem eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis (*Psal.* CXIX, 7). »

« Oculi Domini super justos, et aures ejus ad « preces eorum. Vultus autem Domini super facien- « tes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. » Dixit quid facere, et quid non facere debeamus; nunc dicit inspectorem Deum desuper esse, qui uniuscujusque facta considerat; et justos quidem ad hoc respicit, ut exaudiat; injustos vero, ut de C terra viventium perdat. Unde et sequitur :

« Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et « ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. » Sed quid mirum, si eos audivit, et de tribulationibus liberavit, qui semper cum illis est, et nunquam ab eis separatur? Et hoc est quod dixit :

« Juxta est Dominus qui tribulato sunt corde, et hu- « miles spiritu salvabit. » Cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L): humiles autem spiritu ad distinctionem illorum mihi dicere videtur, qui corpore humiles sunt, id est, qui humilitatem foris ostendunt, quam interius non habent. Et tales quidem facit hypocrisis : humiles vero spiritu sola sancti spiritus gratia facit. Tales autem humiles salvabit Dominus; de aliis vero dicit : « Longe a D peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII, 155). »

« Multæ tribulationes justorum, et de his **363** « omnibus liberavit eos Dominus. » Jam liberatos eos esse dicit, quos certissime liberandos esse cognoscit.

« Dominus custodit omnia ossa eorum; unum ex « eis non conteretur. » Ossa sanctorum multoties confracta fuisse legimus, et non solum confracta, sed combusta, et in pulverem redacta. Sed sicut alibi dicitur (*Psal.* CXX, 7) : « Dominus custodit te ab omni malo; » et statim quomodo intelligi debeat ostendit, dicens : « Custodiet animam tuam Dominus, » sic et in hoc loco non ossa corporis, sed ossa animæ intelligere debemus. Ossa animæ fides, spes, charitas, humilitas et misericordia, cæteræque virtutes intelliguntur, sine quibus debilis est, et in via mandatorum Dei currere non potest. Hæc sunt illa ossa, quæ Dominus custodit, et ex quibus nec unum frangi permittit : « Qui enim offendit in uno, factus est omnium reus (*Jac.* II, 10). »

« Mors peccatorum pessima, et qui oderunt ju- « stum delinquent. » Pessima quidem est illa mors, quæ et corpus et animam perdit. « Et qui oderunt justum delinquent. » Si in alio non delinquerent B mali, nisi in eo quod justos sine causa odio habent, sufficeret illis ad perditionem. Possumus autem per justum Salvatorem nostrum intelligere, qui de seipso, suisque adversariis in Evangelio dicit : « Quia odio habuerunt me gratis (*Joan.* XV, 25). » De quibus bene dicitur, quia delinquent, quia usque hodie contra Christum peccare non cessant, neque cessabunt usque ad consummationem sæculi.

« Redimet Dominus animas servorum suorum, et « non derelinquet omnes qui sperant in eo. » De illa redemptione satis convenienter intelligere possumus, quam sui sanguinis effusione Dominus fecit, neque credibile est ut eos derelinquat, quos tanto pretio redemit.

PSALMUS XXXIV.

IPSI DAVID.

Dicit rex et propheta David ut iste psalmus adscribatur ipsi David, id est Salvatori nostro, qui revera manu fortis vocatur. Loquitur autem in hoc psalmo Salvator noster, sed, sicut sæpe diximus, secundum humanitatem (506).

« Judica, Domine, nocentes me, expugna impu- « gnantes me. » Judica, inquit, Domine, nocentes me, et redde illis, sicut digni sunt; et expugna impugnantes me, ut suis non valeant resistere inimicis. Hoc autem contra illos dictum esse intelligere debemus, qui inconvertibiles fuerint, et usque in finem in sua malitia perstiterunt. Namque pro aliis in cruce positus oravit Dominus, et dixit : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 14). » Non est igitur inconveniens si nunc pro eis, nunc contra eos orare videatur; quia alii sunt pro quibus orat, et alii contra quos orat.

« Appreheude arma, et scutum, et exsurge in adjutorium mihi. » His armaturis non eget Dominus, qui solo nutu omnes suos potest destruere inimicos. Rogat tamen ut armis gens illa disperdatur, quoniam ita dispositum erat. Et hoc suum adjutorium esse dicit, quia ad Judæos expugnandos his armis uti voluit. Unde et subditur :

(505) Vid. S. Maximum Taurin. hom. 106, edit. rom. p. 351, quanta de custodia linguæ copiose et eleganter doceat.

(506) Persæpe, ut auctor noster, S. Augustinus ait : David, scilicet Christus, interpretatur *fortis manu*, vel *desiderabilis*; quod hic explicat : « In hoc enim, inquit, *manu fortis*, qui mortem nostram vicit; in hoc *desiderabilis*, quod vitam æternam promisit. »

Digitized by Google

« Effunde frameam, et conclude adversus eos qui « me persequuntur; dic animæ meæ : Salus tua ego « sum. » Per frameam Titum, et Vespasianum, et Romanum exercitum intelligimus, a quibus Judæorum populus multis modis interemptus et perditus est. « Effunde, inquit, frameam adversus eos qui me persequuntur, et conclude » eos in civitate Jerusalem (507). Sic enim legitur, quod in Paschali festivitate, cum secundum consuetudinem totus populus in unum convenisset, repente exercitus superveniens eos conclusit, ut nullus evadere potuisset; et justo judicio Dei factum est ut illis diebus obsiderentur, in quibus in Christum Dominum nostrum manus mittere non timuerunt. Sed mira Dei potentia, qui per quadraginta duos annos exspectaverat, ut eis parceret, si pœnitere voluissent (508). Quia vero in sua malitia perstiterunt, plurimis fame et siti, gladiis et incendiis interemptis, cæteri in opprobrium et servitutem cunctis gentibus traditi sunt. « Dic animæ meæ : Salus tua ego sum; » de qua ipsi mentientes dicebant : « Non est salus illi in Deo ejus (*Psal.* III, 3). »

« Confundantur, et revereantur inimici **364** mei, « qui quærunt animam meam. Avertantur retrorsum et erubescant, qui cogitant mihi mala. » Hæc si ad litteram intelligantur, plana sunt; tamen ut ad litteram intelligantur ipsa ratio cogit, quoniam secundum litteram completa esse videntur. Si enim in tempore passionis Christi Judæi pœnituissent, et de hoc quod facere volebant erubuissent, et ab illa sua prava intentione retro conversi fuissent, et Salvatorem nostrum non crucifixissent, isti duo versus in bonam partem exponi potuissent. Eorum autem, quæ in hoc Psalmo dicuntur, quædam ante passionem, quædam in ipsa passione, quædam vero post passionem dicta esse videntur. Quod quidem nulli inconveniens videri debet; quia ille, qui loquebatur, et ille cui loquebantur, præterita et futura præsentia habet, neque aliter videns ea quæ sunt, quam ea quæ futura sunt.

« Fiant tanquam pulvis ante faciem venti; et an« gelus Domini affligens eos. » Sicut enim pulvis vento resistere non potest, sed ubique spargitur, raptatur et ventilatur; sic et populus ille inimicorum impetum sustinere non valens, ubique gentium dispersus est. Possumus autem per angelum Domini, qui eos affligit, vel omnes eorum inimicos intelligere, qui in hoc Domino serviunt, vel aliquem angelum ad eorum afflictionem esse constitutum. De talibus enim angelis alibi dicitur : « Immisit in eos iram indignationis suæ, indignationem et iram, immissionem per angelos malos (*Psal.* LXXVII, 49). »

« Fiant viæ eorum tenebræ, et lubricum, et an« gelus Domini persequens eos. » Tales vias significabat eis Dominus, cum diceret : « Videte ne fuga vestra fiat in hieme, vel Sabbato (*Matth.* XXIV, 10). » Si autem allegorice interrogamus, quid aliud sunt Judæi, nisi pulvis, qui omnium pedibus conculcatur, et quem projicit ventus a facie terræ? Omnes autem illorum viæ tenebrosæ et lubricæ sunt, qui a sua malitia excæcati semper in errore sunt, et ad tenebras et perditionem festinant, semperque cadentes, et in omnibus delinquentes, ad bonum aliquod agendum surgere non valent. Sed quid mirum cum angelus Domini malus eos persequatur, qui nunquam nisi ad malum eos hortatur!

« Quoniam gratis absconderunt mihi interitum la« quei sui, vane exprobraverunt animam meam. » Gratis, inquit, et sine causa absconderunt mihi interitum laquei et deceptionis suæ, per quem videlicet laqueum Judam proditorem intelligere possumus, qui simulatæ pacis osculo eum illaqueavit et tenuit. Vane autem exprobraverunt illam sanctissimam animam (509), inter impios et peccatores eam reputantes; sicut de eo scriptum est : « Inter iniquos deputatus est (*Luc.* XXII, 37); » unde et ei exprobrando dicebant : « Reus est mortis, et nisi malefactor esset, non tibi tradidissemus eum : et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XVIII, 30). »

« Veniat illis laqueus, quem ignorant : et captio, « quam occultaverunt, apprehendat eos, et in la« queum suum incidant in idipsum. » Sicut scriptum est : « Qui fratri suo foveam parat, ipse prius cadet in eam (*Eccli.* XXVII, 29); » et : « Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* IV, 24). » Sic enim Judæis factum est, et laqueus, quem ignorabant, venit super eos. Sic enim in Evangelio legitur : « Quia cum appropinquaret Dominus Jerusalem, videns civitatem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses (subauditur, fleres); nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis (*Luc.* XXI, 1). » Abscondita quidem, quia, sicut hic dicitur : « Laqueus, quem ignorabant, venit super eos, et captio, quam occultaverunt, apprehendit eos. Et in laqueum suum inciderunt in idipsum. » Id est simul, et communiter omnes. His verbis satis manifeste ostenditur

(507) Jerusalem per Titum et Vespasianum funditus eversa, totusque Hebræorum populus ab ensibus Romanis aut cæsus, aut in captivitatem ductus est; quemadmodum etiam enarrat Josephus De bello Judaico l. VI et VII.

(508) Cum constet Jerosolymam captam, atque eversam anno vulg. ær. 70, hinc retrocedendo per annos 42, præveniemus ad annum 28, qui ex maxime recepta Chronologorum sententia præcessit annum Christi mortis, quando Dominum hæc pronuntiasse, constituere facile possumus, ut mira sit auctoris nostri in annorum computatione accuratio. Idem sensit clar. Lazzeri in not. ad Comment. S. Brunonis in Matth. pag. 386, et in Comment. in Luc. p. 265. Ejusdem sententiæ fuit sanctus Paulinus Nolanus, ut adnotat celebris Muratorius in diss. 21 ad Carmina ejusdem S. Patris, aliique plurimi.

(509) *Vane exprobraverunt animam meam.* « Significat *false accusaverunt*, quando Judaicus populus Domino Salvatori dicta veracia quasi crimen aliquod imputabant. Clamabant enim vesani mendaciter : *Hic est qui dicebat : Destruam templum Dei*, » etc. CASSIOD.

Digitized by Google

quia sola passio Christi causa fuit ruinæ et perditionis eorum.

« Anima autem mea exsultabit in Domino, et de-« lectabitur super salutare ejus. » Suæ resurrectionis lætitiam prænuntiat, quæ statim die tertia facta est; inferno ab ipsa Salvatoris anima exspoliato, et corpore de sepulcro resuscitato.

« Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis « tibi? Eripies inopem de manu fortioris ejus, ege-« num et pauperem a rapientibus eum. » Per ossa Christi apostolos intelligimus, omnesque alios qui in Ecclesia fortiores sunt, et a quibus totum corpus ecclesiasticum portatur et sustinetur. Isti autem omnes laudant et magnificant Deum, qui Salvatorem nostrum cum tanto triumpho de manibus inimicorum ejus liberavit, qui fortiores illo et potentiores esse videbantur. Qui ideo inops, egenus, et pauper dicitur, quia in tempore suæ passionis, quando amici et adjutores magis necessarii videbantur, nemo fuit qui eum adjuvaret.

« Exsurgentes testes iniqui quæ ignorabam inter-« rogabant me, et retribuebant mala pro bonis, et « sterilitatem animæ meæ. » **365** (510) Venerunt enim, sicut in Evangelio legitur, multi falsi testes ante ipsum, quorum testimonia convenientia non erant. Et novissime venerunt quidam, qui interrogantes eum, dicebant : Nonne tu dixisti, quia destrueres hoc templum manufactum, et in tribus diebus illud reædificares? Hoc enim evangelista in tertia persona narrat, quod etiam in tertia et in secunda dictum fuisse dubitare non debemus. Sed quoniam isti mentiebantur, mendacium autem Deus ignorat, bene hoc dicitur : « Quæ ignorabam interrogabant me. » Retribuebant autem illi mala pro bonis; sicut ipse Dominus ait : « Multa bona opera operatus sum vobis, propter quod horum vultis me occidere (*Joan.* x, 25). » Itemque : « Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cædis? » (*Joan.* xviii, 23.) Reddebant autem illi sterilitatem, quia sicut arbores malæ et infructuosæ nullum bonum fructum reddiderunt. Hæc est illa vinea electa, quæ pro vino dedit acetum, et cum debuisset facere uvas, fecit labruscas (*Isa.* v).

« Ego autem dum mihi molesti essent, induebam « me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam; « et oratio mea in sinu meo convertebatur. » De hoc cilicio dicit Apostolus, quia « apparuit in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne (*Rom.* viii, 3). » Carnem igitur Christi cilicium intelligamus (511); qua ipse indutus, peccator et cilicio dignus æstimabatur. Solum igitur cilicium in tempore suæ passionis ostendere voluit, quia divinitatis potentiam, quæ sub illo cilicio latebat, non manifestavit. Humiliavit autem in jejunio animam suam, quia, quamvis pro illis orasset, suoque corpori ingerere voluisset, paucos tamen illis diebus sibi conjunxit et incorporavit (512). Tale autem jejunium patiebatur beatus Petrus, quando ei a Domino dictum est : « Macta, et manduca (*Act.* x, 18). » Quod enim manducamus, sic in nostram substantiam transfertur, ut unum idemque nobiscum sit. Unde et Dominus ait : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in ipso (*Joan.* vi, 56). » Oremus igitur ut ipse nos comedat, et in sui corporis substantiam convertat, ut nunquam ab eo separari valeamus. Quod autem ait : « Et oratio mea in sinu meo convertebatur, » aperte insinuat, quia pro ipsis suis inimicis, ut non perirent, in corde suo orabat. Et certe hæc oratio omnes illos salvavit, quicunque de illo populo salvati sunt. Ego autem illam orationem, quæ in Christi pectore convertebatur, sic modificatam fuisse puto, ut illis omnibus ejus mors non imputaretur, quicunque ex illo populo converterentur; qui vero in sua malitia perseverarent, et in hac vita, et in alia punientur.

« Sicut proximum, et sicut fratrem nostrum ita « complacebam, tanquam lugens, et contristatus « ita humiliabar. » Sic, inquit, complacebam mihi, et delectabar in illo populo, sicut in proximo, et fratre meo. Ita enim grammatice resolvi potest, quæ aliter non procedit. E contra vero « tanquam lugens, et contristatus ab eo humiliabar. » Hoc est enim quod alibi dicitur : « Qui retribuebant mihi mala pro bonis, detrahebant mihi (*Psal.* xxxvii, 21). »

« Adversus me lætati sunt, et convenerunt, con-« gregaverunt in me flagella, et ignoraverunt. » Totum hoc ad litteram completum est. Quod autem ait : « et ignoraverunt; » Apostolus exponens ait : « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.*, ii, 2); » ignoraverunt præterea causam et rationem cur hoc facere debuissent.

« Dissoluti sunt, nec compuncti sunt; tentaverunt « me, et deriserunt me, striderunt in me dentibus « suis. » Dissoluti, inquit, sunt, nullo legis vinculo tenentur; quod volunt, hoc faciunt, et sui cordis desideria sequuntur; nec compuncti sunt de hoc tanto scelere, quod in mea morte commiserunt, me tentantes, me irridentes, super me dentibus striden-

(510) Vulgata hæc habet : « Quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent; et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud. » (*Matth.* xxvi, 60). Christus Dominus noster profecto dixit apud Joannem cap. ii, v. 19 : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » Hæc autem Jesus pronuntiavit non de templo materiali Jerosolymitano, sed de humano corpore suo, ut ipse S. Joannes in eodem secundo capite v. 21 declarat : « Ille autem dicebat de templo corporis sui. »

(511) « Dum Judæi per contumelias et insidias essent molesti, ille divinitatem suam carnis velamine tenebrosis mentibus occultabat, quia non merebantur agnoscere quem tali impietate tractabant. » Cassiod.

(512) « Jejunavit ergo Dominus, quia se ei incredula turba subtraxerat. » Cassiod.

Digitized by Google

es. Omnia enim hæc, et alia mala Judæos contra Christum fecisse non dubium est.

« Domine, quando respicies? restitues animam « meam a malefactis eorum, et a leonibus unicam « meam? » Domine, inquit, quando respicies? Quando me vindicare venies, quando a malefactis eorum restitues animam meam, et ab his leonibus, tam crudeliter sævientibus, unicam meam? Adhuc me, quasi dicat, persequi non cessant; adhuc me blasphemiis et injuriis persequuntur, adhuc quantum in ipsis est animam meam interficiunt, quoniam me resurrexisse negant. Nondum enim credunt Judæi Christo Domino nostro animam suam restitutam esse.

« Confitebor tibi, Domine, in Ecclesia magna; in « populo gravi laudabo te. » Ecce, inquit, reliqui « Synagogam, reliqui Judæorum stultitiam et levitatem; amodo confitebor tibi, et laudabo te per fideles meos in Ecclesia magna, in Ecclesia catholica, et per universum mundum diffusa. Et in populo gravi laudabo te, quem ventus superbiæ et vanitatis non extollit.

« Ut non exsultent in me qui adversantur mihi « inique, qui oderunt me gratis, et annuebant ocu« lis. » Quia enim jam totus mundus credit in Christum, ideo Judæi neque possunt, neque audent insultare Christo. Illi autem annuunt oculis, malitiam celant in corde, et in vultu, et in oculis **366** benevolentiam ostendunt. Hoc enim faciebant Judæi, qui Salvatoris nostri doctrinam multoties laudabant, et oculis, et tota facie ejus verbis annuebant, et quomodo in sermonibus ejus caperent, cogitabant. Et subditur:

« Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et « super iram dolose cogitabant. » Iram, quam in corde habebant, sed ostendere timebant. Nec tamen ira sufficiebat eis; sed super iram dolos quoque cogitabant, quibus eum interficerent (513).

« Dilataverunt in me os suum; dixerunt : Euge, « euge, viderunt oculi nostri. Vidisti, Domine, ne « sileas; Domine, ne discedas a me. » Dilataverunt enim Judæi os suum, nimiumque superbe contra Dominum locuti sunt, postquam eum spiritum emisisse cognoverunt; et ad Pilatum accedentes dixerunt : « Domine, scimus quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi quia surrexit, et erit novissimus error pejor priore (*Matth.* xxvii, 63). » Sic igitur dilataverunt Judæi os suum, seductorem eum vocantes, et quod nunquam resurgeret prædicantes. Et tunc quidem dixerunt : « Euge, euge, » quod unaquæque gens, secundum suæ linguæ proprietatem, post victoriam dicere solet. Quod autem ait : « viderunt oculi nostri; » tale fuit ac si diceret : Tandem vidimus, et cognovimus, qualis ille erat, qui suis illusionibus populum suum decipiebat, et Dei Filium se esse dicebat : ecce mortuus est, et seipsum a morte liberare non potuit (514). Hæc illi dixerunt. Tu vero, Domine, qui hanc illorum superbiam audisti, et vidisti, ne sileas, sed responde stultis secundum stultitiam suam. « Domine, ne discedas a me; » sed esto mihi in adjutorium, et disperge illos in virtute tua, et destrue eos, protector meus Domine.

« Exsurge, Domine, et intende judicium meum, « Deus meus, et Dominus meus in causam meam. » Intende, inquit, jam nunc, et intra in judicium meum, et in causam meam, et incipe judicare (515), quam injuste judicatus, et condemnatus sum, et præcipue a populo meo, quem ego tantum dilexi, cui tanta bona præstiti, quem de Ægyptiaca servitute liberavi, cui mare Rubrum aperui, quem per quadraginta annos manna pavi, in terram promissionis introduxi, et tandem pro eis in mundum veni, et carnem assumpsi. Sic enim ipse dixit : « Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* xv, 24). »

« Judica me secundum magnam misericordiam « tuam, Domine Deus meus, ut non insultent in me « inimici mei; nec dicant in cordibus suis : Euge, « euge, animæ nostræ; nec dicant : Absorbuimus eum. » Judica me, inquit, secundum magnam misericordiam tuam, quæ tantum dilatata est, ut mundum universum impleret, nullumque relinqueret misericordia dignum, cui de adversario suo justitiam faceret. Judica me, inquit, retractetur judicium, et in ipsa illorum destructione et perditione cognoscatur eos merito esse damnatos. Non insultent in me, neque dicant, quod dicere soliti sunt : Euge, euge beatæ animæ nostræ, cum gladios tuæ ultionis suis cervicibus imminere prospexerint.

« Erubescant, et revereantur simul qui gratulan« tur malis meis, induantur pudore et reverentia « qui maligna loquuntur adversus me. » Et hoc quidem jam totum completum est, totumque in judicio complendum est.

« Exsultent, et lætentur qui volunt justitiam meam, « et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui « volunt pacem servi ejus. » Egregie satis post iniquorum destructionem, et confusionem eos exsultare, et lætari præcipit, quos de sua justitia lætos esse cognoscit. Et illi semper magnificent Dominum, qui Christi pacem habere, et tenere desiderant, quia sine pace impossibile est placere Deo.

« Sed et lingua mea » (dicit humanitas Salvatoris nostri) « meditabitur justitiam tuam, tota die lau« dem tuam. » Meditari autem Dei justitiam, et

(513) « Prædicitur Judæorum nefanda dolositas, quæ non nostris, sed verbis evangelicis indicitur. Pacifice loqui videbantur, quando dicebant : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, licet tributum dare Cæsari, an non?* (*Matth.* xxii, 16.) » Cassiodor.

(514) « Numquid non valuit ad confundendos vivus descendere de crucis patibulo, qui mortuus die tertia resurgere potuit de sepulcro? Sed non conveniebat divinæ virtuti ad verba insultantium commoveri, ut amplius erubescerent, dum omnia prædicta constarent. » Cassiod.

(515) Cod. Ghis., *et cunctis gentibus revelare.*

Digitized by Google

laudem se dicit, quia semper in memoria eas habet, et nunquam obliviscitur.

PSALMUS XXXV.

IN FINEM PUERO DOMINI PSALMUS DAVID (515*).

Hic est ille puer, de quo scriptum est : « Puer natus est nobis, et filius datus est nobis » (*Isa.* IX, 6). Huic igitur puero Domini David dicit in hoc psalmo rex et propheta David : « Homines et jumenta salvabis, Domine. » Quid significet « in finem, » et quid significet « Psalmus David, » sæpe jam diximus.

367 « Dixit injustus, ut delinquat in semet- « ipso : Non est timor Dei ante oculos ejus. » Hoc, inquit, dixit injustus in semetipso, hoc cogitavit in corde suo, hoc disposuit in mente sua, ut delinquat. Quid est « ut delinquat? » Ut furetur, ut occidat, et fornicetur, ut perjurium et perditionem faciat; ut fratrem suum decipiat, et alia opera iniquitatis exerceat. Et hoc ideo, quia « non est timor Dei ante oculos ejus. » Si enim Deum timuisset, talia facere non desideraret.

« Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inve- « niret iniquitatem suam et odium. » Inde, inquit, cognoscetur, quod non est timor Dei ante oculos ejus, quoniam dolose egit in conspectu ejus, et non solum dixit in corde, verum etiam in opere. Et idcirco dignum est ut inveniat iniquitatem suam et odium. Eadem enim mensura, qua mensus est, remetietur sibi.

« Verba oris ejus iniquitas et dolus; noluit intel- « l.gere, ut bene ageret. Iniquitatem meditatus est « in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam « autem non odivit. » Vero nomine injustus vocatur, qui talia operatur. Plana sunt hæc, nec indigent expositione.

« Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas « tua usque ad nubes. » Miratur propheta de tam variis et diversis voluntatibus hominum; cum alii tanto desiderio sequantur vitia; alii vero tanto studio imitentur virtutes; et neminem nisi per superbiam perire; neminem, nisi per misericordiam salvari ostendit. Domine, inquit, non in terra ad plenum, sed in cœlo perfecte, et ex toto cognoscitur misericordia tua. Omnes enim, qui ibi sunt, sola misericordia Dei salvati sunt : « Cum enim, » ut Apostolus ait, « omnes peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est (*Rom.* V, III). » Et hoc quidem sola misericordia fecit. Unde et bene dicitur : « Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus (*Psal.* CXIV, 9). » Si enim unusquisque sanctorum, quia jam in cœlis est, vel post judicium futurus est, singulariter interrogetur, Quomodo huc venisti, vel Quomodo huc intrasti? quid respondere aliud poterit, nisi Misericordia me adduxit. Bene igitur hic dicitur : « Domine, in cœlo misericordia tua. » Sequitur, « et veritas tua usque ad nubes. » Si, inquit, misericordia in cœlo est, in cœlo invenitur, et cognoscitur, veritas ubi est? Vis audire ubi? In nubibus. Per nubes enim prophetæ et apostoli, episcopi et sacerdotes, omnesque Ecclesiæ doctores significantur. Isti enim sunt, qui super Ecclesiam pluunt, et pluviis doctrinæ spiritualis totam terram irrigant. Usque ad hoc igitur pervenit veritas Dei, quia isti sunt, qui sanctarum Scripturarum intelligentiam percipere meruerunt.

« Justitia tua sicut montes Dei (516), et judicia « tua abyssus multa. » Si dixisset : Justitia tua sicut montes tui, planius esset. Sed hic modus locutionis in divina pagina frequenter invenitur. In aliis vero scripturis aut raro, aut nunquam. Tale autem est et illud : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (*Psal.* LXXI, 2). » Debuerat enim dixisse : Filio tuo, quia ipse erat ille rex, cui loquebatur. Dixerat superius quia « veritas Dei usque ad nubes, » nunc autem reddit causam quare usque ad nubes, et non amplius venit. Ideo quasi dicat : Veritas Dei ad inferiora non descendit, quia justitia Dei, et judicia Dei, quæ veritate muniuntur, et consistunt, altissima sunt (516*), ad quæ accedere difficile est; et altissima quidem sunt, sicut montes Dei, profundissima vero, ut abyssus multa. Idem autem et per montes Dei, et per abyssum significatur. Isti sunt illi montes, de quibus dicitur : « Levavi « oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX, 1). »

« Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum « tuarum. » Per montes igitur, et per abyssum utriusque Testamenti volumina intelligimus. Quæ quidem tam alta et profunda sunt, ut ad eorum notitiam valde pauci valeant pervenire. In quibus videlicet voluminibus, quia justitia et judicia Dei continentur, ejusdem altitudinis et profunditatis esse dicuntur. Apparet igitur quia veritas Dei, et justitia, et judicia Dei, et utriusque Testamenti volumina inscrutabilia sunt, et humano ingenio investigari non possunt. Unde Apostolus ait : « O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* I, 33.) Gaudeamus, quod veritas Dei usque ad nubes descendit, quia de his, quæ in nubibus sunt, ad nos quoque aliquid distillabit. Miseri Judæi a quibus nubes istæ, ne super eos pluant, prohibitæ sunt : « Mandabo, inquit Dominus, nubibus meis, ne pluant super eos imbrem (*Isa.* V, 6). »

« Homines et jumenta salvos facies, Domine, « quemadmodum multiplicasti misericordias tuas

(515) De hoc titulo nihil habet S. Augustinus. In Vulg. autem est : *In finem : Servo Domini, ipsi David.* Apud Isidorium Clarium legitur titulus : *Vincenti servo Domini David.* Cur puerum pro servo dixerit, quod nomen aliquando pro eodem usurpatur, S. Bruno non reddit rationem. Cassiodorus juxta Vulgatam titulum inscripsit.

(516) « Quamvis usus habeat : *Justitia tua sicut montes Dei;* multo absolutior est Hieronymi fide translatio, quæ *Domini* magis quam *Dei* posuit. » CASSIOD.

(516*) Id. Cod. Ghis., *et profundissima.*

Digitized by Google

« Deus. » Quid enim per homines, nisi sapientes; rationabiles et viros justos intelligamus? Quid vero per jumenta, nisi stultos, fatuos, libidinosos, et carnis voluptatibus deditos? Quantum homines a jumentis, tantum isti inter se differre videntur. Tamen hos et illos salvat Dominus, qui non venit **368** vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Luc.* v, 12). Multos enim vidimus sanctam et religiosam vitam in monasteriis ducere, qui prius fuerunt sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus. De hac autem tanta Dei misericordia propheta admiratur, et dicit : Quemadmodum ad quam mensuram, ad quantam superabundantiam multiplicasti misericordias tuas, Deus?

« Filii autem hominum in protectione alarum « tuarum sperabunt. » Alæ Dei misericordia et veritas, fides, spes et charitas, cæteræque virtutes, sine quibus neque ipse venit ad nos, neque nos ad ipsum volare possumus. Quis enim eum adduxit ad nos, nisi charitas et misericordia? In istarum igitur protectione sperent Christiani, quibus nihil aliud est, quo se a vitiis et malignis spiritibus defendere valeant. Hos autem vocat filios hominum, ad illorum fortasse distinctionem, quos jumenta vocaverat. « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente « voluptatis tuæ potabis eos. » Et hic modo in Ecclesia, et postmodum in illa cœlesti Jerusalem inebriabuntur sancti ab ubertate tantarum deliciarum, quæ et hic et ibi abundant. Sic enim sancti apostoli ebrii erant, qui quia linguis omnibus loquebantur, non Spiritu sancto, sed vino potius a Judæis ebrii putabantur.

« Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo « videbimus lumen. » Non solum, inquit, inebriabuntur, verum etiam illuminabuntur, quia apud te est fons vitæ, et lumen vitæ. Lumen namque vitæ, et fons vitæ Christus est, qui fideles suos illuminat, et reficit. De hoc fonte, qui biberit, non sitiet ultra. Et hoc est illud lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i). Est autem et Pater lumen, non duo tamen, sed unum lumen. Unde et hic dicitur : « Et in lumine tuo videbimus lumen; » quia nisi per te ad illud lumen venire non possumus. Sic enim ipse Dominus ait : « Ego sum via, veritas, et vita : nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* xiv, 6). »

« Prætende misericordiam tuam scientibus te, et « justitiam tuam his qui recto sunt corde. » Hoc autem tale est ac si diceret : Ut ad illud lumen venire valeamus, mitte misericordiam tuam scientibus te, quæ nos regat, et ducat, et ad illius luminis claritatem introducat. Mitte etiam justitiam tuam his qui recto sunt corde, quia justum est ut a justitia ducantur, qui justitiæ mandata custodierunt.

« Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatorum non moveat me. » Misericordia, inquit, tua, et justitia tua ipsa me ducat, et pes superbiæ me portet, neque manus peccatorum me trahat. Non superbia sit mihi pes, quia in hoc pede ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Hoc pede portabatur diabolus, quando dicebat : « In cœlum ascendam super astra Dei, et ædificabo solium meum, sedebo in monte testamenti, et similis ero Altissimo (*Isa.* xiv, 13). » Merito igitur de illa cœlesti beatitudine expulsi sunt, nec potuerunt stare, quia tam iniquas manus habebant, et tali pede portabantur.

PSALMUS XXXVI.

PSALMUS IPSI DAVID.

Ipsi David, qui eum scripsit hic psalmus adscribatur, et ipse in eo loquatur (517).

« Noli æmulari inter malignantes, neque æmula« tus fueris facientes iniquitatem. » Non æmularis, inquit, non imiteris, non tibi placeat habitare inter malignantes, neque æmulatus fueris facientes iniquitates, ut similia doceas (517*), et similia concupiscas.

« Quoniam tanquam fenum velociter arescent, et « sicut olera herbarum cito cadent. » Videntur, quasi dicat, isti tales ad tempus florere, et in suis iniquitatibus prosperari. Sed tanquam fenum, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, velociter arescent, et sicut olera, et viriditas herbarum cito cadent, et ita cadent, ut ulterius surgere non valeant; quia non erit eis post hæc pœnitentiæ locus.

« Spera in Deo, et fac bonitatem, et inhabita ter« ram, et pasceris in divitiis ejus. »—« Spera, » inquit, « in Domino, » non in viribus tuis, non in incerto divitiarum, et « fac bonitatem, » fac eleemosynas, fac misericordiam et pietatem, ut ipse misericordiam invenias, « et inhabita terram : » dominare carni tuæ, Ecclesiam Dei non derelinquas; ibi mane, ibi disce, ibi mores tuos institue, ibi totam vitam tuam ad illius exemplum informa. « Et pasceris in divitiis ejus; » per quas utriusque Testamenti legem, sive etiam Christi corpus et sanguinem intelligimus. Et istæ quidem divitiæ omnibus mundi hujus divitiis præferendæ sunt.

« Delectare in Domino, et dabit tibi peti« tiones cordis tui. » Non delecteris, inquit, in mundo, neque in vanitatibus et concupiscentiis mundi; **369** quoniam mundus transit et concupiscentia ejus, sed potius delectare in Domino; ipse sit omne bonum tuum, omnisque delectatio tua, et dabit tibi quidquid desiderat anima tua. Qui enim in Domino delectatur, semper cum Domino esse, et habitare desiderat. Hoc autem dabitur sanctis, quia simul cum eo sine fine manebunt.

« Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et

(517) « Totus Psalmus ad mores pertinet corrigendos. Instruit quippe Ecclesia, quæ nunc introducitur ad loquendum; præceptis salutaribus genus humanum, ne mortiferis erroribus misceatur : malos pœna deterrens bonis præmia compromittens. » Cassiod.

(517*) Cod. Ghis., *similia facias*.

Digitized by Google

« ipse faciet. » Quomodo revelabo quod ipse scit, et melius me intelligit? Ipse enim scit cogitationes hominum, et scrutatur renes et corda. Revelamus igitur ei vias nostras, si non abscondimus peccata nostra; et tunc quidem non abscondimus, quando lacrymis et pœnitentia delemus. Sive etiam « revela Domino viam tuam : » Si est aliquid boni desiderii in corde tuo, noli tardare, et bonum quod desideras agere incipe; spera tantummodo in eo, et ipse faciet (518), ipse ad bonum effectum perducet quod tu incipere times et dubitas.

« Et educet tanquam lumen justitiam tuam, et « judicium tuum sicut meridiem. » Spera, inquit, in eo, sequere eum; ipse diriget viam tuam, et suo clarissimo lumine illuminabit, neque te errare permittet. Et justitiam, quam agere cupis, et judicium tuum, quo teipsum judicare disponis, et angelis, et hominibus revelabit, et tanquam lumen, et sicut meridiem splendescere faciet.

« Subditus esto Domino, et obsecra eum. » Hoc solum, quasi dicat : Tibi est necessarium ut soli Deo subditus sis, et si quid adversi tibi acciderit, eum orare non obliviscaris. Quam egregie et persuasorie exhortatur nos ad servitium Dei, et melioris vitæ conversationem. « Ne æmulatus fueris eum « qui prosperatur in via sua : » hoc autem exponit « in homine faciente iniquitatem. » Illum, inquit, qui prosperatur in via Dei, qui sedulus est in servitio Dei, non autem illum qui prosperatur in via sua, id est iniquitate sua. Siquidem iniquorum via ipsa iniquitas est. Et certe multos tales videmus qui, male agendo in hac vita, ad tempus multum crescunt, quos perituros esse non dubitamus.

« Desine ab ira, et derelinque furorem, ne æmu- « leris, ut nequiter facias. » Est autem ira brevis commotio animi, furor vero ira inveterata. Utraque autem fugienda sunt, quid frequenter irasci peccatum est, quia sine scandalo fratrum fieri non potest. De furore vero quid dicam, cum nihil vel parum ab odio differat? « Ne æmuleris, ut nequiter facias. » Æmulare, inquit, alios in bonum, in malum autem neminem æmuleris.

« Quoniam qui nequiter agunt exterminabuntur. » Exterminari autem quid aliud est, quam extra terminos fieri? Qui autem extra terminos erunt, in promissam sanctis hæreditatem non intrabunt. De qua hæreditate subditur :

« Qui vero exspectant Dominum, ipsi hæreditate « possidebunt terram. » Illam videlicet terram, de qua alibi dicitur : « Credo videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* xxxvii, 20). » Quomodo autem Dominum exspectare debeamus, ipse nos docet : « Vigilate, inquit, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus est (*Matth.* xxv, 13). » Vigilare igitur eum oportet, qui Dominum exspectat; vigilat autem qui in bonis operibus perseverat.

« Pusillum adhuc, et non erit peccator, et quæres « locum ejus, et non invenies. » Brevis est vita hominis, et cito de hac vita transeunt ipsi quoque qui eam diligunt, et transeundo simul cum ea cuncta amittunt. Postea vero si locus eorum quæratur, quia in hoc sæculo locum habent, inveniri non poterit.

« Mansueti autem possidebunt terram, et delecta- « buntur in multitudine pacis. » Hoc enim in Evangelio Dominus ait : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* v, 5). » Et tunc quidem delectabuntur in multitudine pacis, quam quidem in hoc mundo plenam et perfectam vix aliquis habere potest; cum spiritus concupiscat adversus carnem, et caro adversus spiritum (*Gal.* v).

« Observabit peccator justum, et fremet super « eum dentibus suis : Dominus autem irridebit eum, « quoniam prospicit quod veniet dies ejus. » Hoc autem de martyribus intelligitur, quos iniqui homines insidiando observabant, et rapientes ad supplicia trahebant, et super eos dentibus frementes, duris et exquisitis tormentis eos interficiebant. Sed Dominus irridebat eos, id est irrisione dignos judicabat; qui tempus, et diem sanctorum, et illorum perditionis prævidebat.

« Gladium evaginaverunt peccatores, tetenderunt « arcum suum, ut decipiant inopem, et trucident « rectos corde. » Et hæc quidem de tyrannis et martyribus manifestissima prophetia est; quamvis hoc etiam de hæreticis intelligi possit. Nam et illi materialibus armis, et isti suarum deceptionum gladiis multos sanctorum interfecerunt. Possumus autem per gladios manifestam persecutionem, et per arcus occultam deceptionem intelligere. Unde adhuc subditur :

« Gladius eorum intret in cor ipsorum, et arcus « eorum confringatur. » Intrant enim gladii tyrannorum in corda eorum, quia ipsi sui gladii, quibus sanctos interfecerunt, sunt eis causa mortis et perditionis. Arcus vero hæreticorum jam **370** contritus est, quia omnis eorum hæresis, et deceptio in multis conciliis damnata est.

« Melius est modicum justo super divitias peccato- « rum multas. » Hoc autem tale est ac si diceret : Pauperes sunt sancti, et suis divitiis et honoribus pro Christi nomine exspoliati; sed melius modicum, quod habent, super multas divitias, quas possident peccatores. Isti enim parva habent, et sufficit eis. Illi vero multa, et habendi cupiditate, et avaritia torquentur.

« Quoniam brachia peccatorum conterentur; con- « firmat autem justos Dominus. » Per brachia peccatorum omnium illorum fortitudinem intelligimus, quam quidem in divitiis maxime constare videmus, quas si aliquo casu amiserint, protinus eos omnem fortitudinem simul cum eis amisisse videmus. Confirmat autem justos Dominus, quoniam temporalium

(518) Cum quæ supra exposuit S. Bruno, ampliori modo dixerit Cassiodorus, hæc ab eo addi possunt : « Adjecit, *et ipse faciet;* ipse, qui omnipotens est, ipse qui manu fortis est : ipse revera cujus jussionibus omnia subsecundant. »

Digitized by Google

rerum amissione ditiores et fortiores fiunt; siquidem propter hoc centuplum accipiunt, et vitam æternam suscipiunt.

« Novit Dominus vias immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit. » Ideo, inquit, confirmat justos Dominus, quoniam ipse novit vias eorum. Ipsi enim sunt, de quibus dicitur : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* cxviii, 1). » Qui enim sic ambulant, digni sunt, quibus Dominus auxilietur. « Et hæreditas eorum in æternum erit. » Hic quasi dicat : Pauperes fuerunt, et suas hæreditates pro Christi nomine perdiderunt; sed hæreditas eorum et major et melior erit in æternum.

« Non confundentur in tempore malo. » Quid est enim in tempore malo? In tempore malis præparato, id est in die judicii, quando mali suscipient æterna mala.

« Et in diebus famis saturabuntur. » Et in diebus famis quid est? Id ipsum tempus, de quo modo diximus; quia sancti non esurient, sicut scriptum est, neque sitient ultra (*Apoc.* vii, 16); mali vero omnem famem, omnemque penuriam patientur. Unde et subditur : « Quoniam peccatores peribunt. » Peribunt quidem non solum famis afflictione, verum etiam omni genere tormentorum. Et hoc probat.

« Inimici autem Domini mox ut honorati et exaltati fuerint, deficientes, ut fumus deficient. » Quod autem dixit, mox, non dixit, ut statim fiat, sed quia cito, et postmodum fiet. Deficient autem ut fumus, quia se in superbiam exaltando, et elevando deficient. Hæc est enim natura fumi, ut se a terris elevando deficiat.

« Mutuatur peccator, et non solvit, justus autem « miseretur et commodat. » Et hæc quidem justa causa est, ut pereant mali; quia nolunt solvere quod mutuantur. Quid enim habemus, nisi quod mutuo accepimus? Sic et Apostolus dicit : « Quid enim habes, quod non accepisti; quid gloriaris, quasi non acceperis? » (*I Cor.* iv, 7.) Dicitur autem mutuum quasi meum tuum. Quod enim mutuo datur, non ex toto datur, quia aliquid inde exspectatur. Sed quid Dominus exspectat a nobis de his, quæ dedit nobis? Audi ipsum dicentem : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* xxv, 40). » Quod itaque minimis suis damus, sibi damus, imo non damus, sed reddimus. « Justus autem miseretur et « commodat. » Peccator, inquit, non vult solvere quæ mutuo accepit; justus econtra et aliena solvit, et propria largitur, et commodat.

« Quoniam benedicentes eum possidebunt terram, « maledicentes autem ei disperibunt. » Facile, inquit, aliquis in his omnibus, quæ superius dicta sunt, intelligere poterit, quia benedicentes eum possidebunt terram. Non solum autem homines, verum etiam omnis creatura benedicit Dominum. Nisi enim omnis creatura benediceret Dominum, non dicerent illi tres pueri in camino positi : « Benedicite, omnia opera Domini, Dominum (*Dan.* iii, 1). » Quod si omnis creatura benedicit Dominum, qui sunt illi, de quibus hic dicitur : « Maledicentes autem ei disperibunt. » Apostolus quibusdam male agentibus dicit : « Vos estis propter quos nomen Dei blasphematur inter gentes (*Rom.* ii, 24). » Isti igitur sunt, qui Dominum maledicunt. Hoc tamen et de Judæis specialiter intelligi potest, de quibus dicitur : « Maledicent illi, et tu benedices, qui insurgunt in me, confundantur (*Psal.* cxviii, 26). »

« A Domino gressus hominis diriguntur, et viam « ejus cupit nimis. » Qui a Domino dirigitur, securus incedere potest. A Domino autem illi diriguntur, qui de via mandatorum ejus non recedunt. Hanc autem viam diligit Dominus. Per hanc viam ille se cucurrisse alibi dicit : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum (*Psal.* cxviii, 32). »

« Cum ceciderit justus non conturbabitur, quia « Dominus firmat manum ejus. » Non potest fieri ut homo in longo itinere non offendat, et sine peccato in hac vita nemo vivere potest. Septies namque cadit justus (*Prov.* xxiv), et resurgit; et ideo « non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus. » Quid est firmat manum ejus? nisi cadentem sustinet, et iterum ad bonum opus præparat et accingit.

« Junior fui, et senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus egens pane. » Hoc autem Propheta mihi his verbis dicere videtur : Ab hoc tempore meæ juventutis, quo mihi hæc Deus revelare dignatus est, usque ad sæculi consummationem per singula sæcula, Spiritu sancto me docente, cuncta consideravi, et non vidi justum derelictum, nec semen, id est filios et imitatores ejus, fame perire. Illi namque pereunt fame, qui cibis spiritualibus non nutriuntur.

« Tota die miseretur et commodat, et semen ejus « in benedictione erit. » Si enim egeret, aliis subvenire non posset. In hoc autem abundare probatur, quod aliis **371** miseretur et commodat, et spiritualia et temporalia quæ habet cum aliis partitur. Et ideo semen ejus in benedictione erit, quia semper crescet, et in melius proficiet.

« Declina a malo, et fac bonum, et inhabita in « sæculum sæculi. » Hoc consilium sufficit omnibus ad salutem. Hæc est regula perfectionis, mala fugere, et bona agere, et ab Ecclesiæ et fidelium societate non recedere.

« Quoniam Dominus amat judicium, et non dere« linquet sanctos suos; in æternum conserva« buntur. » Declina, inquit, a malo, et fac bonum. Quare? Quia Dominus amat judicium, et reddet unicuique secundum opera sua, et non derelinquet eos qui a malo declinant, et bona agunt, sed in æternum eos conservabit. De malis autem quid fiet? Sequitur :

« Injusti autem punientur, et semen impiorum « peribit. Justi vero hæreditate possidebunt terram, « et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. » Hoc autem de præsenti Ecclesia, et de terra viventium intelligi potest. Sed quia dicit « in sæculum sæculi, »

Digitized by Google

convenientius de illa terra intelligitur, quæ nullo modo auferri potest, quam et in æternum possidebunt.

« Os justi meditabitur sapientiam et lingua ejus « loquetur judicium. » Justum enim est ut æternam possideat hæreditatem, qui in hoc sæculo positus soli sapientiæ operam dedit, et non recessit a veritate. Quid est enim judicium loqui, nisi veritatem dicere et tenere? Unde et subditur :

« Lex Dei ejus in corde ipsius. » Quomodo enim a veritate recedere potest, qui secundum legem Dei judicat, et aliam legem ignorat? « Et ideo non « supplantabuntur gressus ejus. » Illi supplantantur, qui ad errorem trahuntur, et a veritate separantur. Hoc autem illi non timent, qui legem Domini in memoria et in corde habent, et in ea assidue meditantur.

« Considerat peccator justum, et quærit perdere « eum. » Considerat, inquit, observat, et insidiatur ei, et quærit quomodo eum perdere et decipere possit. Dominus autem, qui nunquam deserit sperantes in se, non derelinquet eum in manibus suis. Iste peccator diabolus est, peccatorum omnium maximus, qui semper sanctis insidiatur, eosque accusare non cessat. Sequitur : « Nec damnabit « eum, cum judicabitur illi. » Non dixit, cum judicabit illum ; sed cum judicabitur illi, quoniam illud districtum judicium ad malorum damnationem, et ad bonorum vindictam et gloriam fecit.

« Exspecta Dominum, et custodi vias ejus, et exal- « tabit te, ut inhabites terram. » Exspecta, inquit, Dominum, securus esto et nihil timeas, qui non te, sed tibi judicaturus veniet, et custodi vias ejus, de quibus te inimicus trahere, et in vias suas inducere conatur. Et exaltabit te ad illam supernam beatitudinem, ut inhabites illam terram, in qua nec mortem nec inimicorum insidias timeas. « Cum perie- « rint peccatores, videbis. » Magna consolatio est inimicorum pœnas et perditionem videre.

« Vidi impium superexaltatum, et elevatum supra « cedros Libani. Transivi, et ecce non erat; quæsivi « eum, et non est inventus locus ejus. » Libanus, qui *candidatio* interpretatur, sanctam Ecclesiam significat, quæ baptismatis aqua mundata et lavata, et super nivem dealbata est. Per cedros autem illos intelligimus, qui sapientia, sanctitate et virtutibus altiores et fortiores in Ecclesia sunt. Super hos autem exaltatos et elevatos multoties impios videmus, et quasi humillima fruteta eos conculcant et despiciunt. Quod autem dicit : « Transivi, et ecce non « erat; » tale est ac si diceret : Postquam vidi impium sic exaltatum et elevatum ad ea quæ sibi post modicum tempus futura erant, mente et cogitatione transivi, et ecce non erat; ibi videlicet, ubi prius esse solebat ; quæsivi eum inter illa suarum domorum superstitiosa fastigia, et non est inventus locus ejus, quoniam alii omnia occupaverunt, qui nullas inde sibi gratias agebunt.

« Custodi veritatem, et vide æquitatem, quoniam « sunt reliquiæ homini pacifico (518*). » Vide locutionis elegantiam, quomodo alternatim justorum præmia, et iniquorum perditionem describit, quatenus hinc auditores provocet ad bonum, inde vero retrahat a malo. Custodi, inquit, veritatem, et vide æquitatem, et noli æmulari inter malignantes; neque imiteris illos, qui sic exaltati et elevati tam cito cadunt et deficiunt, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Illi, quasi dicat, et seipsos, et quæcunque habent subito amittunt; sancti vero de hoc sæculo exeuntes ditiores fiunt ; nihilque fuit, quod in hac vita habuisse visi sunt, ad comparationem reliquiarum, quæ illis in alia vita reservantur.

« Injusti autem disperibunt, simul reliquiæ impio- « rum peribunt. » Contrariis suo more contraria ponit, quia ea, quæ boni habebunt, mali habere non poterunt.

« Salus autem justorum a Domino est ; » quia nihil de suis viribus præsumpserunt, et protector eorum est in tempore tribulationis ; et ideo ab inimicis superari non potuerunt.

« Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit **372** « eos, et eripiet eos a peccatoribus, et salvos fa- « ciet eos, quoniam speraverunt in eum. » Talis autem ejusdem rei repetitio, et inculcatio firmiorem facere debet promissionem ; semperque notandum quanta sit virtus spei, quæ sic ubique commendatur.

PSALMUS XXXVII.

PSALMUS DAVID IN COMMEMORATIONE DE SABBATO.

Sabbatum *requies* interpretatur, per quam videlicet requiem, æternæ beatitudinis quietem intelligimus, unde Apostolus dicit : « Quia relinquit Sabbatismun populo Dei (*Hebr.* IV, 9). » Hujus igitur quietis Ecclesiæ filii memores duram de peccatis suis in hoc psalmo pœnitentiam agunt.

« Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in « ira tua corripias me. » Istæ affectiones, sicut jam in alio psalmo diximus, in Deo non sunt. In eo tamen esse videntur, quando ea facit quæ irati homines facere solent. Vox pœnitentis est, judicium Dei timentis, et misericordiam Dei implorantis. Et tale est ac si dicat : Multum peccavi ; et dum judicii diem et tormenta, malis præparata lego et considero, nimio terrore et timore conficior. Sed tu, Domine, in illo tremendi judicii die fac misericordiam cum servo tuo, et ne in furore arguas me, neque in ira corripias me : « Si » enim « iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? (*Psal.* CXXIX). » — Non » ergo « intres in judicium cum servo tuo (*Psal.* CXLII, 2). »

« Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confir- « masti super me manum tuam. » Sagittæ Dei illæ sententiæ sunt, quæ in utroque Testamento contra peccatores mittuntur. Tales autem in superiori

(518*) *Quomodo sunt reliquiæ homini pacifico.* « Intendamus quemadmodum hunc sermonem intelligere debeamus ; *Reliquiæ homini pacifico*, quando spes ejus Domini remuneratione peragitur. Reliquum est enim ut, post hanc vitam, æternæ beatitudinis præmia consequatur. » Cassiod.

Digitized by Google

p almo multas modo audivimus, et in Evangeliis cæterisque Scripturis divinis multas reperimus. Qualis est illa : « Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). » Et Apostolus : « Secundum duritiam tuam, inquit, et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. (*Rom.* II, 5). » Has autem sagittas sibi infixas esse dicit, quia his et similibus ejus animus vulneratus nimio terrore concutitur. Hoc est enim quod ait : « Et « confirmasti super me manum tuam. » Beati illi, qui hanc manum sentiunt, et his sagittis se vulneratos esse cognoscunt. Qui enim de peccatis non dolent, manum Dei super se imminentem, et ad feriendum præparatam non intelligunt. Unde adhuc subditur :

« Quoniam iniquitates meæ posuerunt se super caput « meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me. » Ecce causa totius afflictionis in hoc versu revelatur. Ideo, inquit, sic infirmatus sum, quoniam iniquitates meæ posuerunt se et quodanimodo sedem sibi fecerunt super caput meum, per quod mentem intelligimus, quo videlicet capite subjugato, nihil erit quod eis resistere valeat. « Et sicut onus grave « gravatæ sunt super me : » et jam ulterius earum pondus sustinere non valeo. Hoc nulli alii dicere possunt, nisi illi soli qui dignam pœnitentiam agunt, quoniam cæteris omnibus non gravia, sed valde levia, et delectabilia sua peccata videntur. Ad hoc enim Propheta hunc unum pœnitentem posuit, ut in ejus verbis omnes alii discant qualiter pœnitentiam agere debeant.

« Computruerunt, et deterioraverunt (519) omnes « cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. » Ubicunque sunt cicatrices, ibi vulnera, vel ulcera fuisse non dubium est. Quod igitur sua incuria, et insipientia cicatrices suas deteriorasse et computruisse dicit, se jampridem ab infirmitate sanatum, et iterum infirmatum se esse ostendit. Hoc autem illis contigit, qui, peracta pœnitentia, ad peccata iterum redeunt. Sanantur autem misericordia etiam isti, sed tales cicatrices difficilius ad salutem perveniunt (520).

« Miseriis afflictus sum usque in finem, tota die « contristatus ingrediebar. » Pro talibus, inquit, tantisque delictis usque in finem, id est penitus, et ex toto afflictus, turbatus et contristatus sum.

« Quoniam anima mea completa est illusionibus, « et non est sanitas in carne mea. » Multas illusiones patitur anima (521), cui peccata dominantur, quoniam post multas et iniquas cogitationes ad desperationem aliquando perducitur. Quod vero ait : « Et non est sanitas in carne mea, » vel jejuniorum, vel afflictionum causa infirmatam, vel luxuriis, et voluptatibus, aliisque corruptionibus violatam esse ostendit.

373 « Incurvatus sum, et humiliatus sum usque- « quaque. » Multi pœnitentes incurvantur et humiliantur, sed non usquequaque : quia, etsi duram pœnitentiam agant, in aliquibus tamen peccare non cessant. « Rugiebam a gemitu cordis mei. » Nihil est pœnitenti homini fructuosius, quam hic talis compunctionis gemitus atque rugitus. Unde et alibi dicitur : « Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies (*Psal.* L, 50). »—« Et ante te est omne desi- « derium meum, et gemitus meus a te non est « absconditus. » Qualiscunque, quasi dicat, aliquando fuerim, et in quibuscunque rebus desiderium meum occupatum fuerit, tu tamen vides quale nunc sit desiderium meum. Et hæc pœnitentia mea, istæ lacrymæ, et hic gemitus meus a te abscondi non potest.

« Cor meum conturbatum est in me, et descruit « me fortitudo mea. » Non potest dubitari valde interius esse conturbatum, qui tam dura pœnitentia exterius satisfacit. Talis autem conturbatio bona est, quia tali conturbatione omnes mali humores rejiciuntur, et anima infirma sanatur. « Et descruit « me virtus mea. » Si autem fortitudo, quæ proprie et naturaliter hominis est, eum non deseruisset, nequaquam a vitiis superatus fuisset. Tandiu igitur lacrymis et orationibus insistendem est, donec amissa fortitudo redeat, et mens a sui fervoris conturbatione quiescat. « Et lumen oculorum non est « mecum. » Lumen oculorum suorum Deum ipsum esse dicit, quem propter peccata, quæ commiserat, digne satis a se recessisse conqueritur et dolet. Hua usque clamorem pœnitentis audivimus ; hinc autem Salvatorem nostrum de sua passione loquentem audiamus. Et certe Salvator noster pro peccatoribus passus est, qui idcirco hoc in loco passionem suam narrare videtur, quatenus huic tam digne pœnitenti consolatio detur.

« Amici mei, et proximi mei adversum me appro- « pinquaverunt, et steterunt. » Nihil est, inquit, o homo, quod quereris ; nihil est quod de tuis miseriis lamenteris ; vide me afflictum, vide me crucifixum, vide me peccata tua portantem, vide me mundi miserias ferentem et auferentem. Consolare igitur, spem habeto, non frangaris adversis. Non tibi notum est quomodo « Amici mei, » Judæi (ironia est) (sic enim et Judam amicum vocavit : « Amice, ad quid venisti ? » [*Matth.* XXVI, 50] cum utique amicus non esset), « et proximi mei (secundum carnem)

(519) Est idem ac *deteriores factæ sunt*. Vulgata legit : *Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ*. Ex Hebræo Mazochius vertit : *Rubuerunt, et tabuerunt livores mei*. Spicil. in psal. XXXVII. Eadem lectio est in Augustino enarr. in hunc psal. XXXVII.

(520) Vide Ambros. enarr. psal. XXXVII, n. 30.

(521) Non sunt omittenda quæ in hunc locum affert Augustinus : « A facie ipsarum illusionum, aliquando vix orare permittimur. De corporibus cogitare non novimus nisi imagines, et sæpe irruunt quas non quærimus, et volumus ex hac in hanc ire, et ab illa in illam transire, et aliquando vis redire ad id quod cogitabas, et dimittere unde cogitas, et aliud ubi occurrit, vis recordari, quod oblitus eras, et non venit in mentem, et venit potius aliud quod nolebas. »

Digitized by Google

adversum me appropinquaverunt, et steterunt. » Non enim appropinquaverunt ut crederent, sed potius ut occiderent. « Et proximi mei a longe steterunt. » Hoc autem de discipulis intelligitur, qui, « eo relicto, » sicut in Evangelio legitur, « fugerunt omnes (*Matth.* XXVI, 56). »

« Et vim faciebant, qui quærebant animam meam. » Vim quidem faciebant, quia et ipsum violenter post se trahebant, et discipulos, ut modo diximus, fugere coegerunt. « Et qui inquirebant mala mihi, « locuti sunt vanitatem. » Et quid aliud, nisi vanitatem locuti sunt Judæi, contra eum frementes, insanientes, Crucifige clamantes, falsos testes producentes, et multis opprobriis et blasphemiis ei illudentes? « Et dolos tota die meditabantur. » Quia enim, sicut scriptum est, nullam causam mortis B inveniebant in eum, ideo tota die dolos meditabantur, quibus eum accusarent et interficerent.

« Ego autem velut surdus non audiebam. » Non audisse sese dicit, quia eorum blasphemiis et interrogationibus respondere noluit. Usitata locutio est, ut ea nos non audire dicamus, ad quæ respondere non curamus. Unde et quidam illorum dicebant : « Nonne audis, quanta isti adversus te testificantur? » (*Matth.* XXVI, 62.) « Et sicut mutus non aperiens os suum. » Ipse est enim de quo scriptum est : « Tanquam ovis ad victimam ductus est, et sicut mutus non aperuit os suum (*Isa.* LIII, 7), » Unde et subditur :

« Et factus sum ut homo non audiens, et non « habens in ore suo increpationes. » Tanta namque C patientia eorum verba sustinebat, ac si nihil haberet quod eis responderet, vel unde eos increpare potuisset, qui omnium secreta videbat, et unumquemque de omnibus, quæ male egerat, reprehendere poterat.

« Quoniam in te, Domine, speravi, dixi : Tu « exaudies me, Domine Deus meus. » Ideo, inquit, neque illos redarguere, neque me in aliquo defendere volui : quia non in me, sed in Domino speravi, cujus virtutem et potestatem super illos et super omnia esse sciebam, qui me sufficienter defendere poterat. « Dixi : Tu exaudies me, Domine Deus meus. » Et hoc, quasi dicat : Sufficiens mihi erat, qui secundum meam voluntatem exaudiendum me esse sciebam. Cur enim in loquendo, vel respondendo, vel aliquo alio modo se fatigaret, cui sola voluntas et cordis oratio sufficiebat?

« Quia dixi : Ne aliquando insultent in me inimici « mei. » Hæc igitur voluntas illius, hæc oratio versabatur in corde ejus, ne inimici ejus insultare potuissent. Quod autem ait, « Ne aliquando, » intelligendum est post passionem et resurrectionem, siquidem illis tribus diebus data est illis potestas facere in eum quod facere voluissent. Unde et ipse dixit : « Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum (*Luc.* XXII, 53). » Et alibi : « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ (*Matth.* XII, 40). »

(522) Cod Ghis., *et contra legem urgentem.*

A Id est in affectu et voluntate Judæorum, ut faciant in eum quod volucrint. Post passionem vero et resurrectionem nequaquam ei Judæi insultare potuerunt; cum et ipsi propter hoc peccatum ubique dispersi sunt, et Christi nomen et gloria ubique prædicetur. « Et dum commoverentur pedes mei, in « me magna locuti sunt. » Pedes Dei, apostoli sunt, **374** qui ejus Evangelium in omnem terram detulerunt. De quibus dicitur : « Quam pulchri pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Rom.* X, 15). » Isti autem pedes tunc moti sunt, quando Dominus ait : « Si me quæritis, sinite hos abire (*Joan.* XVIII, 8). » Deinde vero impii Judæi et magna, et mala, et stulta, et nefanda, sicut in ejus passione legitur, contra Dominum locuti sunt.

« Quoniam ego ad flagella paratus sum, et dolor « meus ante me est semper. » Non me, inquit, præparavi ad resistendum, sed ad flagella suscipiendum. Poterat enim resistere, facileque omnes suos perdere inimicos, si voluisset; sicut beato Petro pugnanti, et gladio eum defendere volenti ait : « Mitte gladium tuum in locum suum. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? » (*Matth.* XXVI, 52.) Et quasi dicat : Nisi hoc fiat, ego a dolore, quem habeo de diaboli potestate, et humani generis perditione liberari non possum. Et hoc est quod ait : « Et dolor meus ante me est semper. » Semper quidem, donec moriendo vincam, et eos, qui captivi tenentur, eripiam.

« Quoniam iniquitatem meam ego pronuntiabo, et « cogitabo pro peccato meo. » Hoc tale est ac si diceret : Quasi iniquum et peccatorem, et in Deum blasphemantem (522), me damnant et judicant; sed ego ipse pronuntio et notum facio quæ sit iniquitas mea, et quod sit peccatum meum. Volui mundum esse salvum, et genus humanum de diaboli eripere potestate, et hoc est peccatum meum, pro hoc, si necesse fuerit, ego ipse cogitabo.

« Inimici autem mei vivunt, et confortati sunt « super me, et multiplicati sunt qui oderunt me « inique. » Hæc autem sub interrogatione, cum quadam indignatione legenda sunt. « Inimici, inquit, mei vivunt? » Non vivent, sed morte morientur, D et temporali videlicet et æterna. « Et confortati sunt super me? » Non confortati, sed humiliati et dissipati. « Et multiplicati sunt, qui oderunt me inique? » Non multiplicati, sed, sicut digni sunt, modis omnibus minorati. Et certe, sicut videmus, gens illa modo non crescit; quæ ante Christi passionem quasi herba (523) crescebat et pullulabat.

« Qui retribuebant mihi mala pro bonis, detrahe- « bant mihi. » Quod enim Judæi mala pro bonis ei retribuerent, ipse Dominus ostendit, dicens : « Multa bona opera operatus sum vobis, propter quod horum me vultis occidere? » (*Joan.* X, 32.) Detractiones vero illorum, quia satis notæ sunt, nobis exponere non

(523) Id. cod., *terræ.*

Digitized by Google

est necesse, quoniam subsecuti sunt justitiam.

« Non derelinquas me, Domine Deus meus, ne « discesseris a me, intende in adjutorium meum, « Domine Deus salutis meæ. » Docet nos Salvator noster, quod illi qui justitiam habent, confidenter Dei adjutorium quærere possunt, in eo quod se ipsum in exemplum ponit, et quia justitiam subsecutus est, a Domino non relinquatur.

PSALMUS XXXVIII.

PRO IDITHUM CANTICUM DAVID.

Idithum (524) *transiliens eos* interpretatur. Hunc itaque psalmum cantat David in laudibus illorum qui eos transiliunt, et quasi non audientes prætereunt, qui contra eos vanitates loquuntur, et qualibet fatuitate ad indignationem provocare nituntur. Per hos autem perfectiores quosque intelligere possumus, qui silentium elegerunt, ne vel verbi levitate peccarent. De talibus enim Jeremias ait : « Bonum est homini, cum portaverit jugem ab adolescentia sua : sedebit solitarius, et tacebit (*Thren.* III, 27). »

« Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in « lingua mea. » Dixi, inquit, mente proposui, et corde stabilivi, firmiterque firmavi in tantum custodire vias meas et opera mea, ut non delinquam in lingua mea. Hoc enim valde difficile est ut lingua homo non peccet. « Qui enim in verbo non offendit, dicit Scriptura, hic perfectus est vir (*Jac.* III, 2). » Et : « Qui custodit linguam suam, custodit animam **375** suam (*Prov.* XIII, 3). » Et : « Mors et vita in manus linguæ (*Prov.* XVIII, 21). » — « Qui enim putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio (*Jac.* I, 26). »

« Posui ori meo custodiam, cum consisteret pec- « cator adversum me. » Hoc est enim quod alibi dicitur : « Sepi aures tuas spinis (525), et fac ori tuo ostium et spinas. » Et hoc quidem debent facere viri sancti, quando eorum verba magis generant scandalum quam utilitatem. Unde et Dominus ait : « Nolite sanctum dare canibus, neque spargere margaritas ante porcos (*Matth.* VII, 6). » Fugiamus igitur habere sermonem cum illis, qui verbis nostris non ædificantur; sed potius ad blasphemias et opprobria concitantur. Unde et subditur :

« Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis, et « dolor meus renovatus est. » Quia, inquit, peccator ad resistendum, et veritatem impugnandam stabat contra me, et ego intelligebam neque sibi tunc, neque aliis verba mea proficere posse, obmutui, et sic humilitatus sum, ac si illius insipientiæ respondere non possem. Et silui a bonis, quia ipsa verba sancta et catholica inter porcos seminare et spargere cessavi. Hoc enim fecit et Apostolus, cui, cum Judæi acquiescere noluissent, ait : « Vobis primum oportuerat prædicari verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos fecistis æternæ vitæ, sanguis vester super caput vestrum, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » — « Et dolor meus renovatus est. » Super illorum videlicet perditione, qui tam obstinati veritati resistebant, et suæ salutis medicinam recipere nolebant.

« Concaluit cor meum intra me, et in meditatione « mea exardescet ignis. » Concaluit, inquit, cor meum intra me, sancti Spiritus inflammatione, et in ipsa mea meditatione ignis charitatis et amoris ardere cœpit, et adhuc pro illis orarem, quatenus eorum corda Deus molliret, et ad sui notitiam et veritatis viam eos revocaret.

« Locutus sum in lingua mea; notum fac mihi, « Domine, finem meum, et numerum dierum meo- « rum, quis est, ut sciam quid desit mihi. » Non pro se, sed pro aliis viri sancti et perfecti, qui in hoc psalmo loquuntur, in hac vita esse cupiunt. Unde quia aliis proficere non possunt, pro seipsis orant, ut tandem in illam beatitudinem suscipiantur. « Locutus sum, inquit, in lingua mea : » in lingua interioris hominis te rogavi ut finem meum mihi notum faceres. Quanto tempore in hac vita sumus, ad quem finem perveniamus certi non sumus. Quicunque igitur, ut Apostolus, ait : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I, 23); » ille procul dubio suum finem videre desiderat. Cupit præterea videre et numerum dierum suorum, illum videlicet numerum, qui est, et semper est, et finem non habet. Isti enim dies non habent numerum, quia quando unus est, alter jam transiit, et alter nondum est. Quando autem non est, quomodo numerari potest? Potest enim dici, quia fuit vel futurum est; sed non potest dici, quoniam est. « Ut sciam quid desit mihi. » Quicunque ad illam beatitudinem pervenerit, pro certo cognoscet quantum in hac vita sibi defuerit. Erit enim Deus omnia in omnibus, et nullus aliquo indigebit.

« Ecce veteres posuisti dies meos, et substantia « mea tanquam nihil ante te est. » — « Quod enim inveterascit, dicit Apostolus, et senescit, prope interitum est (*Hebr.* VIII, 13). » Unde et dies suos jam ad finem venisse ostendit, dum eos inveteratos esse dicit. Substantia vero ista nostra temporalis,

(524) Per hujus Hebraici nominis, nempe Idithum, seu Idithun translatione in linguam latinam S. August. psalmum hunc exponens, ita inquit : « Sicut inquirentes reperire potuimus in eis nominibus, quæ nobis a studiosis divinarum litterarum ex Hebræo eloquio in Latinum interpretata sunt, Idithum interpretatur *transiliens eos*. Nunc vero hanc vocem alii aliter, nempe *lex ejus*, aut *laudem dans* interpretantur. » Quod videre licet in versione litterali nominum Hebraicorum, etc., ad calcem dictionarii Biblici a doctissimo Calmetio concinnati. Cæterum audiendus est sanctus Ambrosius in hunc psalmum ita scribens : « Quem psalmum David scripsit, et Idithum viro disciplinis leviticis et sacerdotalibus erudito canendum dedit, qui ante arcam Domini psalmorum seriem pangendi solertissimus præcinebat. Ergo quia non Idithum scripsit hunc psalmum, sed prophetæ David, et Idithum viro canendi perito psallendum dedit; ideo sic inscriptus est titulus. » Ambros. enarr. in psalm. XXXVIII. Vid. Calmet. Dict. v. *Idithum*.

(525) Vulgata, Eccli. cap. XXVIII, 28, ita habet : *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia et seras.*

Digitized by Google

tanquam nihil est ante Deum, quia non solum hoc, verum etiam sicut propheta ait : « Omnes gentes, « quasi non sint, sic sunt coram eo (*Isa.* XL, 17). » Quia enim Deus æternus est, et omnia ante eum æterna sunt, temporalia et transitoria ante eum pro nihilo computantur.

« Verumtamen universa vanitas omnis homo vi- « vens. Quanquam in imagine Dei ambulat homo, « tamen vane conturbabitur. » Quamvis, inquit, hæc nostra substantia nihil sit, homo tamen fatuus et vanus in ea laborat et conturbatur. Universa namque vanitas est homo quanto tempore vivit; quia nisi prius mundo, carnisque concupiscentiis moriatur, a vanitatibus non recedit. Bonum est homini sic mori, quoniam qui sic moritur, melius vivit. Et valde quidem inconveniens est, ut homo ad imaginem B Dei factus, circa hæc tam vana et inutilia occupetur et conturbetur. Debet (526-27) enim ad illum respicere, ad cujus imaginem factus est; quam quidem imaginem tenere et custodire si potuisset, nihil unquam sibi desset.

« Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. » Laborat, inquit, fatigatur (528), ut has cito secum peritura divitias congregare valeat, et ignorat cui congregat eas, quia quas filiis et nepotibus se relinquere sperat, suis potius adversariis et inimicis derelinquit.

« Et nunc quæ est exspectatio mea? Nonne Do- « minus? et substantia mea tanquam nihilum ante te « est. » Illi, inquit, faciant quod velint; habeant has divitias, quæ sibi placent : mihi vero non placent; C quoniam omnis substantia mea, omnes divitiæ et exspectatio mea Dominus est; quem si habuero, satis mihi est, omnemque **376** meam substantiam pro nihilo duco, quoniam substantia mea, ut modo diximus, tanquam nihilum ante te est. Quod autem tanquam nihilum ante te est, ante me quoque tanquam nihil est.

« Ab omnibus iniquitatibus eripe me, opprobrium « insipienti dedisti me. » Aliis, inquit, sicut tibi placet, has tales divitias tribue; mihi vero hoc solum præsta ut ab omnibus meis iniquitatibus me eripias, et ad fatuos et insipientes me ulterius non mittas. Et hoc est quod dicit : « Opprobrium insipienti dedisti me. » Unde et ego submutui, et non aperui os meum. Cur enim eis loquerer, qui me audire nolebant, qui te blasphemabant, et me verberabant, mihi illudebant, et te maledicebant.

« Obmutui, et non aperui os meum; quoniam tu « fecisti me; amove a me plagas tuas; a fortitudine « enim manus tuæ ego defeci in increpationibus. » Pulchre autem dixit : « Quoniam tu fecisti me, » ut hoc facilius in adjutorium moveatur, quod factor et Creator memoratur. Si enim homines et cuncta animalia inde filios suos in tantum diligunt, quia eos genuerunt; quanto magis eum, qui omnia creavit et A fecit, quod omnem suam diligat creaturam credere debemus? Et si omnem diligit, præcipue illam diligit, quæ cæteris melior esse videtur. « Amove a me, inquit, plagas tuas. » Istæ, quasi dicat, plagæ tuæ sunt; tu mihi eas facis, tu, inquam, qui facis immissiones per angelos malos : qui Job ad flagellandum Satanæ tradidisti, et malignos spiritus in porcos misisti : cui non immerito quotidie dicimus : « Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo (*Luc.* XI, 4). » A fortitudine manus tuæ, quæ me tam graviter affligi permittit, ego defeci in increpationibns et castigationibus tuis. Scio enim quia corrigis et castigas omnem filium quem recipis, et quia sine causa nihil facis. Et hoc est quod dicit :

« Propter iniquitatem corripuisti hominem, et ta- B « bescere fecisti sicut araneam animam meam. » Sic est humana natura in primo homine violata, ut nullus hominum sit, qui quantum in se est, flagellis dignus non sit. Qui igitur non flagellatur, non suis meritis, sed soli Dei misericordiæ imputare debet. Aranea vero in hoc loco bonam videtur habere significationem. Illa itaque anima sicut aranea tabescit, quæ in instantia operis divinitus sibi injuncti se quotidie affligere non cessat. Hoc autem de illis convenienter intelligere possumus, qui vigiliis, jejuniis et orationibus dediti in lege Domini meditantur die ac nocte.

« Verumtamen universa vanitas omnis homo vi- « vens. » Hoc autem in alia translatione non habetur; et tale videtur esse ac si diceret : Quamvis in Dei servitio boni quotidie laborantes seipsos macerent et affligant; mali autem nullum inde bonum exemplum capientes in sua nihilominus vanitate persistunt.

« Exaudi, Deus, orationem meam, et deprecatio- « nem meam, auribus percipe lacrymas meas, ne si- « leas a me. » Quatuor orationes in hoc uno verbo continentur, quibus pene unum et idem significatur, in quibus nimirum docemur quanta instantia Deum orare debeamus.

« Quoniam incola ego sum in terra, et peregrinus « sicut omnes patres mei. » Dignus est ut exaudiatur qui in terra incola est, et mente et spiritu apud Deum est. Incola autem dicitur, qui non proprium, sed alienam terram colit. Tales erant illi, qui dice- D bant : « Non habemus hic permanentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 14). » Est autem et peregrinus, quoniam a patria longe est, et ad patriam redire festinat. Hinc autem est quod patriarchæ et prophetæ peregrinos se esse dicebant, quoniam ad hæreditatem sibi promissam properabant, per quam nostram quoque hæreditatem significabant.

« Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, et « amplius non ero (529). » In illam hæreditatem sive civitatem, sicut scriptum est (*Apoc.* XXI), non intrabit

(526-27) Cod. Ghis., *Deberet.*
(528) Id. cod., *et conturbatur.*
(529) « Merito ergo David remitti sibi postulat, quod sciebat non esse iis, qui secundum Aaron erant, sacerdotibus attributum; sed Evangelio reservatum. » D. Ambros. in hunc locum.

Digitized by Google

aliquis coinquinatus et immundus. Unde priusquam illuc eat, omnia vitia et peccata, quibus anima uritur, sibi a Domino remitti exorat. Illa vero anima refrigerium sentit, quæ se a vitiorum æstu carnisque concupiscentiis liberatam esse cognoscit. Quod autem ait : « Et amplius non ero, » hoc est intelligere : Nisi priusquam eam, id est de corpore exeam, peccata mea mihi remiserit, amplius ibi cum electis tuis esse non potero. In hac igitur vita his qui salvandi sunt omne peccatum remittitur; sed non omnibus remittitur pœna peccati.

PSALMUS XXXIX.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Iste titulus superius expositus est.

« Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me, « et exaudivit deprecationem meam, et eduxit me « de lacu miseriæ, et de luto fæcis. » Ecclesia loquitur in hoc Psalmo, cujus membra sunt omnes qui ad vitam prædestinati sunt, a primo homine **377** usque ad finem sæculi. « Exspectans, inquit, exspectavi Dominum. » Omnes enim patriarchæ et prophetæ, aliique omnes, quos S. Spiritus illuminavit, Christi adventum cum magno desiderio exspectabant. Unde et ipse Dominus ait : « Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt (*Matth.* XIII, 17). » Sciebant enim quia, nisi ipse veniret, a peccato primi hominis liberari non poterant. De his erat vir ille justus Simeon, « qui responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini (*Luc.* II, 26). » Hunc autem illi exspectabant, et Dominus respexit eos, et exaudivit deprecationem illorum, mittens eis in tempore præfinito, quem tanto tempore exspectaverunt. Unde et Apostolus ait : « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum de muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (*Galat.* IV, 4). » Et eduxit eos de lacu miseriæ; per quem infernum intelligimus, in quo omnes sanctorum animæ usque ad id temporis captivæ tenebantur. Et de luto fæcis; per quod pravam et erroneam Judæorum doctrinam significat. Quid enim est lutum fæcis, nisi vini purgamentum? Non est igitur vinum hæc doctrina, quam Judæi habent; sed vini potius fæx et purgamentum vini, videlicet legis et prophetarum, quod quidem illi soli bibunt, qui non ad litteram, sed spiritualiter Scripturas intelligunt. De hoc igitur luto educti sunt, qui illorum intelligentiam et errorem non sequuntur.

« Et statuit supra petram pedes meos, et direxit « gressus meos, et immisit in os meum canticum « novum, hymnum Deo nostro. » Ecclesiæ pedes, oculi, manus, et lingua SS. apostoli sunt, eorumque successores. Hos autem statuit Dominus super illam petram, de qua Apostolus ait : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X, 4). » Unde et alibi dicitur : « Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » Ecce super petram pedes tuos posuit, et quid postea fecit? « Et direxit gressus meos; » fecit tibi aliud? « Et immisit in os meum canticum novum. » Ad quid? « Hymnum Deo nostro. » Pulcher ordo locutionis : pedes firmavit, gressus direxit, canticum docuit, et soli Deo cantare præcepit. Canticum novum, canticum prius inauditum, evangelica prædicatio est, in qua Christi nativitas, passio, resurrectio, et ascensio declaratur. De quo et alibi dicitur : « Dominus præcepit cantare canticum novum, » et Judæi infelices nolunt cantare nisi canticum vetus. Canticum vetus cantare est in vetustate litteræ, et non in novitate spiritus ambulare. Vetus igitur canticum cantant, qui juxta litteram legem intelligunt.

« Videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in « Domino. » Multi enim cæci erant, et in erroris tenebris sedebant, qui, audita prædicatione, et in nomine Domini baptizati, illuminati sunt. Et Deum timere et in ipso solo spem habere cœperunt, qui prius falsos deos offendere timebant, et in incerto divitiarum spem habebant. De talibus ad Timotheum Apostolus ait : « Præcipe divitibus hujus sæculi, non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* VI, 17). »

« Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, « et non respexit in vanitatem et insanias falsas. » Sit igitur nomen Domini spes nostra, et in cunctis nostris necessitatibus ipsum invocemus (530); quia, sicut Apostolus ait : « Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Act.* II, 21). » Illi autem respiciebant in vanitatem et insanias falsas, qui idola vana, muta et surda colebant, et falsos deos adorabant. Possumus autem per insanias falsas etiam arreptitias intelligere, a quibus miseri homines responsa poscebant. « Multa fecisti tu, Domine Deus « meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non « est qui similis sit tibi. » Quis mirabilia Dei enumerare valebit? Nihil fecit Deus quod mirabile non sit. Sed illud mirabilius, quod tantum se humiliavit, quod carnem nostram suscepit, quod miserias nostras sustinere voluit. Sed et illud valde mirabile est, quod taliter et per tales mundum convertit, et ab antiqua sua superstitione separavit. Quis talia unquam cogitare potuit? Quis tantam misericordiam mente concepit? Quis, non dicam pro malis servis, sed pro filiis charissimis, sic se humiliavit? Dicat ergo Ecclesia, dicant apostoli : « Multa fecisti, tu Domine Deus meus, mirabilia tua, » qui nobis ad evangelizandum tantam efficaciam virtutemque dedisti, et tam fragili ministerio tibi omnia subjugasti, et hoc est quod dicit :

« Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt « super numerum. » Annuntiantibus apostolis et fidem Christi prædicantibus, multiplicati sunt fideli qui se non suis meritis, sed ab eo per ejus gratiam credit esse salvandum. CASSIOD.

(530) « Nomen Domini inter cætera Salvator æternus est : et ille spem suam ponit in ejus nomine,

Digitized by Google

les, tantaque fuit credentium multitudo ut, sicut stellæ, numerari non possit. Sunt etiam in hoc multiplicati super numerum, quia valde major est numerus baptizatorum, quem sit numerus electorum; unde et Dominus in Evangelio ait : Quia « multi sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* xx, 16). » — « Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. » — « Finis autem legis, ut Apostolus ait, Christus est, ad justitiam omni credenti (*Rom.* x, 4). » In Evangelio quoque dicitur : **378** « Lex et prophetæ usque ad Joannem (*Luc.* xvi, 16). » Sacrificia itaque et oblationes usque ad Christum suum tempus habuerunt, quia Christi passionem significabant. Deinde vero necessaria non fuerunt, quia debuit cessare umbra, veniente veritate. Bene igitur hic dicitur : « Sacrificium et oblationem noluisti, » quia quod prius in significatione erat, in veritate agere cœpit. Et hoc est quod ait : « Corpus autem perfecisti mihi. » Quod tale est ac si diceret : Pro illis omnibus sacrificiis, quæ usque ad id temporis fiebant, corpus tuum et sanguinem tuum mihi dedisti.

« Holocausta etiam pro peccato non postulasti. » Ut quid enim postularet holocausta ulterius pro peccato, qui suo sanguine omnia peccata delevit? Dicit autem holocaustum totum incensum, quia hæc talis hostia tota Domino incendebatur. « Tunc dixi : « Ecce venio. » Huc usque Ecclesia locuta est; nunc autem loquitur Salvator noster, et ad primum hujus psalmi versum respondet; et tale est ac si dicat : Tu exspectans exspectasti me, et meum adventum desiderasti, et ego tunc dixi : Ecce venio, carnem suscipio, et ad te liberandum festino.

« In capite libri scriptum est de me, ut faciam « voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam « in medio cordis mei. » Dixit modo Salvator noster secundum divinitatem : Ecce venio (531); nunc autem humanitas divinitati conjuncta obsequium sibi, et obedientiam promittit dicens : « In capite libri hujus scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam; ego autem Deus meus, » summo quasi dicat desiderio : « Hoc volui, » et volo, et quod mihi præceperis per omnia et in omnibus facere parata sum. Quod autem in capite hujus libri dicitur : Sed in lege Domini fuit voluntas ejus; hoc est quod hic dicit, « ut faciam voluntatem tuam. » Et hoc quod dicitur : In lege ejus meditabitur die ac nocte; hoc est quod hic dicit : « legem tuam in medio cordis mei. » Et hæc quidem satis convenientia sunt. Hæc pauca verba ad nostram consolationem Salvatoris nostri divinitas et humanitas inter se dixerunt; et illa veniendo quod promiserat implevit; et hæc obediendo, ejus voluntatem faciendo, nos moriendo redemit. Nunc autem ad verba apostolorum redeamus, et quid amodo velint audiemus.

« Bene nuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna. Ecce labia mea non prohibebo. » Dixerat modo superius Ecclesia sive apostolorum cœtus; « Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum; » nunc autem non solum nuntiasse, sed bene nuntiasse dicit. « Bene, inquit, nuntiavi, » quia quæ verbo dixi, opere complevi : « bene nuntiavi, » quia personam hominis non accepi. Hoc autem in Ecclesia magna, in Ecclesia catholica, et per totum mundum diffusa. « Ecce labia mea non prohibebo. » Ego, quasi dicat, in prædicatione nihil habeo, nisi labia sola, cætera tua sunt; tu mihi dixisti : « Aperi os tuum, et ego adimplebo illud (*Psal.* lxxx, 11). » Tu mihi præcepisti ut quod dicerem non cogitarem; non enim nos sumus, qui loquimur, sed Spiritus tuus, qui loquitur in nobis (*Matth.* x, 20), Tu igitur loquere, quia ego ad loquendum labia mea non prohibebo, et quæcunque mihi inspiraveris, dicere non timebo.

« Domine, tu cognovisti; justitiam tuam non abs« condi in corde meo : veritatem tuam, et salutare « tuum dixi. Non celavi misericordiam tuam, et « veritatem tuam a Synagoga multa. » Ecce satis probatum est, quia bene nuntiavit justitiam Dei in Ecclesia magna; et inde Deum testem invocat, quia justitiam non abscondit, veritatis et salutis verba dixit, misericordiam et veritatem non celavit. Qui enim sic annuntiat, bene annuntiat, et melius annuntiare non potest.

« Tu autem, Domine, ne longe facias misericor« dias tuas a me. » Sed, sicut solitus es, semper in loquendo adjuva me, et ab insurgentibus adversariis protege me. Promiserat enim quod labia ad loquendum non prohiberet, et quia non dubitat post verba, verbera sibi esse parata, rogat ut misericordia præsto sit et non longius recedat. Quod autem ait : « Misericordia tua et veritas tua semper suscepe« runt me : » inde se hanc loquendi audaciam, sive potius fiduciam habuisse ostendit, quod Dei misericordia et veritas nunquam eum dereliquit. Sic enim ipse Dominus eis promiserat : « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan.* xiv, 18) : » — « Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xviii, 20). » — « Quoniam circumdederunt « me mala, quorum non est numerus. » Hoc est enim quod Apostolus ait : « Nolo vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia. Quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere (*II Cor.* i, 8). »

« Comprehenderunt me iniquitates meæ. » Justus in principio accusator est sui. Hoc sanctorum proprium est, ut mala quæ sibi accidunt, sibi, et non aliis imputent, et pro suis peccatis sibi accidisse dicant. « Et non potui, ut viderem. » Non potui, inquit, circumspicere, ut viderem aliquem adesse, nisi hostem et inimicum. Unde adhuc subditur :

« Multiplicati sunt super capillos capitis mei, et

(531) « Scriptum profecto de Christo est in principio Veteris Testamenti, quod venturus esset, ut in redemptione hominum Dei Patris faceret voluntatem. » D. Ambros. in hunc locum.

Digitized by Google

« cormeum dereliquit me. » Hic modus locutionis a grammaticis hyperbole dicitur, et non solum in paganorum libris, **379** sed in divina quoque pagina ferquenter invenitur. « Et cor meum dereliquit me. » Cor nostrum tunc nos dereliquisse dicimus, quando timoris immensitate extra nos sumus, et soliti vigoris diminutionem patimur. Possumus tamen per cor nostrum amicos et propinquos nostros intelligere. De talibus enim dicitur : Quia « in omnibus erat cor unum, et anima una (*Act.* IV, 32). » Quando isti tales ab invicem separantur, unusquisque dicere potest : « Cor meum dereliquit me. »

« Complaceat tibi, Domine, ut eripias me : Domine, in auxilium meum respice. » Complaceat, inquit, tibi, quia jam et mihi placuit, ut eripias me, quia sine tuo adjutorio liberari non valeo.

« Confundantur et revereantur inimici mei, qui « quærunt animam meam, ut auferant eam. » Hoc faciunt maligni spiritus, hoc faciunt hæretici et tyranni, qui magis animam quam corpus occidere et perimere (532) cupiunt. Potest autem hoc et ad bonam partem intelligi, ut de peccatis erubescant, et ad Dominum convertantur. Unde et subditur :

« Avertantur retrorsum, et erubescant, qui cogi- « tant mihi mala. » Avertantur a prava sua intentione, qua ad malum currere festinant ; sicut Apostolus ait : « Quem ergo fructum habuistis in his, in quibus modo erubescitis? » (*Rom.* VI, 21). Sic enim erubescero, laudabile est. « Ferant confestim confu- « sionem suam, qui dicunt mihi : Euge, euge. » Hæc vox insultantium est, et de victoria gloriantium. Sed hoc quoque, sicut et superiora, et ad bonam et ad malam partem accipi potest.

« Exsultent et lætentur, qui quærunt te, Domine, « et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui dili- « gunt salutare tuum. » Sicut enim mœror et tristitia exspectat malos, ita gaudium et æterna lætitia exspectat bonos, qui Christum Dominum nostrum diligunt, et quantum possunt extollunt et magnificant.

« Ego vero egenus, et pauper sum, Dominus cu- « ram habet mei. » Egeni et pauperes erant sancti, quia non solum rebus necessariis, sed omni quoque humano auxilio et fortitudine destituti sunt. Et hoc quidem propter Christum, quia cum ipse omnium « dives esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII, 9). » Sed Dominus eorum curam habet, qui « dives « est in omnibus, qui invocant eum. »

« Adjutor meus, et liberator meus esto, Domine, « ne tardaveris. » Orat Dominum, ne tardet venire, et ne moras faciat, sed cito ad judicium veniat, et sanctos suos adjuvet et liberet, ne tantas mundi hujus calamitates alterius patiantur.

PSALMUS XL.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

In finem psalmus iste referendus est, qui de Christo loquitur, qui initium et finis est.

« Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem. » Ego, inquit Propheta, psalmos compono, de me tamen intelligendi non sunt. Beatus autem ille est, qui super egenum et pauperem, et psalmos, et alias Scripturas intelligit. Sic enim ipse Dominus ait : « Oportet impleri omnia quæcunque scripta sunt in lege, et prophetis, et psalmis de me (*Luc.* XXIV, 44). » Saltem hoc Judæi attendere debuissent, quod psalmi in finem titulantur (533). Si enim de se Propheta intelligere voluisset, in finem nequaquam dixisset. Egenum et pauperem Salvatorem nostrum dicit, qui ideo pauper factus est, ut fideles suos divites faceret. Nam et discipulos suos ad exemplum sui pauperes esse voluit, quibus ipse ait : « Qui non renuntiat omnia quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XII, 44). » Ideoque « relictis omnibus, secuti sunt eum (*Matth.* IV, 24). » Sequitur : « In die mala liberabit eum Dominus. » Dies judicii dicitur dies malus, quia in ipso puniendi sunt mali. In illa die illi securi erunt, qui fidem Christi susceperunt, et prophetis, et apostolis crediderunt, et de Christo (534) Scripturas sanctas intellexerunt. De quo et subditur :

« Dominus conservet eum, et vivificet eum, et « beatum faciat eum, et emundet in terra animam « ejus, et non tradat eum in manus inimici ejus. » Videns Propheta per Spiritum sanctum Salvatorem nostrum passioni appropinquantem, et Judæos adversus eum undique confluentes, istam, quam nunc audimus, facit pro eo orationem : « Dominus, » inquit, « conservet eum » ab omnibus *periculis*, atque insidiis inimicorum suorum, « et vivificet eum » die tertia. Hoc autem non dixisset, nisi eum prævidisset et morituum, quia nihil vivificatur, nisi prius moriatur. « Et beatum faciat, » super sedem suam, ad dexteram suam collocando, sicut Apostolus ait : « Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, sedet ad dexteram majestatis in excelso (*Hebr.* I, 3). » — « Et emundet in terra animam ejus. » Hoc in alia translatione non habetur. Sed unde emundari potest anima Christi, nisi forte a falsa suspicione Judæorum qui eum **380** seductorem esse dicebant? « Et non tradat eum in manus inimici ejus. » Iste autem inimicus diabolus intelligitur, de quo ipse Dominus ait : « Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Matth.* XIV, 30). » In cujus manus si Dominus traditus fuisset, nequaquam eum alligare potuisset.

« Dominus opem ferat illi super lectum doloris « ejus, universum stratum ejus versasti in infirmi-

(532) Cod. Ghis., *et perdere.*

(533) Totus hic psalmus est vaticinium de passione Christi, ut relata evangelistarum testimonia ostendunt; unde Ambrosius dixit : « Aperi aures tuas, qui incipis sacramenta Dominicæ cognoscere passionis. Ideo tibi dicitur : *Qui habet aures audiendi, audiat.* »

(534) Id. cod., *super Christum.*

Digitized by Google

« tate ejus. » Iste lectus, et hoc stratum Salvatoris nostri carnem significat, in qua velut in lecto nobilissimo ejus sanctissima anima simul cum divinitate quiescebat. Hanc igitur modo dicit lectum doloris, quia pro nobis doluit, et omnes illas in sola carne sustinuit passiones. Quod autem universum stratum ejus in infirmitate versatum esse dicit, totum corpus ejus a planta pedis usque ad verticem afflictum et conturbatum esse ostendit. Unde et crucis passio inter alias passiones durissima esse monstratur.

« Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam « meam, quia peccavi tibi. » Tibi, inquit, sic afflicto, sic morte turpissima condemnato, dixi ego, et dico : Domine, miserere mei, sana animam meam, quæ nullo alio medicamine, nisi ista quam nunc pateris passione sanari potuit. Sana, inquam, quia peccavi tibi, hoc est enim quod alibi ait : « Tibi soli peccavi (*Psal.* L, 6). » Et hoc fuit illud peccatum quod commisit in Uria et Bersabee, pro quo videlicet scripsit illum psalmum, cujus initium est (535) : « Miserere mei, Deus (*ibid.*, 1), » unde et hic dicit : « Ego dixi : Domine, miserere mei. » Ego, inquit, dixi, et tunc dixi : Domine, miserere mei. Huc usque Propheta, nunc autem loquitur Dominus. « Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur « et peribit nomen ejus? » Similiter dicitur et in alio psalmo, ubi Salvatoris nostri persona introducitur : « Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt (*Psal.* XXXVII, 12). » Qui hic vero nomine vocantur inimici, ibi dicuntur amici, sed per contrarium : inimici, inquit, mei dixerunt mala mihi inter se tractantes quomodo me occiderent. Sic enim scriptum est : Quia « collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, quomodo Jesum dolo tenerent et occiderent (*Joan.* XI, 47). » Unde et unus illorum Caiphas nomine dicebat : « Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat (*ibid.*, 50). » Et hoc est quod hic dicitur : « Quando morietur, et peribit nomen ejus? » — « Ab illa namque die, dicit evangelista, cogitaverunt interficere eum (*ibid.*, 53). » Quod enim eum occidere cogitabant, hoc erat dicere : « Quando morietur et peribit nomen ejus. »

« Et ingrediebantur ut viderent; vana locutum « est cor eorum, congregaverunt iniquitatem sibi. » Describit Salvator noster qualiter facta fuerit proditio sua. Neque dubitandum est eo ordine factam fuisse, quo hic narratur. Et ingrediebantur, inquit, alii ut viderent quid principes sacerdotum et cæteri majores ordinassent, et constituissent, et qua morte eum occidere voluissent, et quid invenerunt? « Vana locutum est cor eorum; » vana quidem, quia et ipsum occidere, et ejus nomen penitus delere cogitabant. Unde « congregaverunt iniquitatem sibi, » quia iniquitas illorum in capita eorum conversa est. « Et egrediebantur foras, et loquebantur. » Sic, inquit, instructi, totoque malorum consilio cognito, egrediebantur foras, et cæteri, qui ejusdem proditionis et iniquitatis participes erant, et quæ intus cognoverant loquebantur. Et illi quid faciebant? Simul in unum susurrabant. Satis hic manifeste ostendit, quam concordes omnes fuerint in nece Salvatoris; unde et subditur : « Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi. » Nullus erat qui contradiceret, omnibus placebat, una voluntas erat omnium, ut salus mundi occideretur. Hoc igitur ordine Salvator noster captus, ligatus, flagellatus, judicatus, damnatus, spinis coronatus, ad crucis patibulum ductus est. « Verbum iniquum man« daverunt adversum me. » Verbum iniquum illud fuit, quo omnes una et consona voce crucifige clamaverunt.

« Sed nunquid qui dormit, non adjiciet, ut resur« gat? » Hoc est enim quod alibi ait (536) : « Ego dormivi, et somnum cepi, et resurrexi (*Psal.* III, 6). » Mors Christi dormitio fuit : dormivit quantum voluit, surrexit quando voluit; qui si noluisset, nunquam obdormisset (537). « Etenim homo pacis meæ, « in quo sperabam, qui edebat panes meos, amplia« vit adversum me supplantationem. » Væ tibi, Judas, contra quem ista dicuntur, qui Dominum et Magistrum pacis osculo tradidisti, qui de te bonam spem prius habebat, et te sicut alios diligebat, suis panibus et spiritualibus et corporalibus nutriebat, et per te quoque baptizabat et miracula faciebat. Tu miser ampliasti adversum eum supplantationem; tu sponte tua te obtulisti ad traditionem; tu dixisti : « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam (*Matth.* XXVI, 15)? » cum nemo ad tradendum nisi diabolus, et avaritia tua te sollicitaret.

« Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita « **381** me, et retribuam illis. » Hæc oratio Christi humanitatis intus fuit, in corde fuit, in sola voluntate fuit, cui ad precandum verba necessaria non erant, qui secundum voluntatem suam omnia habebat. Propter nos igitur hæc scripta sunt; quæ si scripta non fuissent, ad nostram notitiam non pervenissent. Valde autem necessarium fuit, ut hæc, et alia multa, et his similia a prophetis prædicerentur, ut cum facta et adimpleta essent, facilius crederentur, et Judæi, et hæretici inde vincerentur. Credant Judæi, vel ex hoc Christi resurrectionem,

(535) Cod. Ghis., *quando illum psalmum edidit, cujus initium est* Miserere mei.

(536) « Adjectionem accepit caro, quasi sumpta de homine, suscepta de Virgine : sed quasi Deus adiectionem ipsam operatus est; qui virtute propria resurrexit, ut esset suæ resurrectionis operator. » Ambros.

(537) S. August. autem egregie hunc locum illustrat : « Ut, inquit, quid dormivit? Quia Adam forma erat futuri : et Adam dormivit, quando de latere ejus Eva facta est. Adam in figura Christi, Eva in figura Ecclesiæ; unde est appellata mater vivorum. Quando fabricata est Eva? Dum dormiret Adam. Quando de latere Christi sacramenta Ecclesiæ profluxerunt? Cum dormiret in cruce. »

Digitized by Google

quod vident se jam suscepisse suam retributionem.

« In hoc cognovi quoniam voluisti me, quia non « gaudebit inimicus meus super me. » Quid est, in hoc cognovi, nisi in hoc eos qui hæc lecturi et audituri sunt, cognoscere feci? Tale est autem et illud quod dicitur Abrahæ : « Nunc cognovi, quod timeas Deum (*Genes.* XXII, 12). » Iste autem inimicus, vel diabolus, vel Judæorum populus intelligitur, qui de Christi morte gaudere non potuerunt, quia eam, quam habebant, virtutem et potestatem, ambo amiserunt.

« Propter innocentiam autem meam suscepisti me, et confirmasti me in conspectu tuo in « æternum. » Magna est virtus innocentiæ, quam ipse Dominus tantum commendat, ut ipsam suam humanitatem per innocentiam Deo placuisse ostendat. Talis enim illa humanitas facta est, in qua nullum locum habere potuisset macula peccati. Si enim talis non fuisset, cur præ cæteris Deo placuisset? His igitur verbis nos quoque ad innocentiam Dominus provocat, et illis aliis, quibus in Evangelio discipulis ait : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII, 3). »

« Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et « usque in sæculum : fiat, fiat. » Dignum fuit ut Salvator noster Deus benediceret propter suæ humanitatis resurrectionem, et in cœlis susceptionem, et ad Patris dexteram confirmationem. Israel autem, qui *vir videns* interpretatur (538), non Judæos, sed Christianos significat, quoniam illi excæcati, isti vero ad videndum et cognoscendum illuminati sunt. Unde et Dominus ait : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant (*Joan.* IX, 39). »

PSALMUS XLI.

IN FINEM INTELLECTUS FILIIS CORE (539).

Core *Calvariæ* interpretatur. In Calvariæ autem loco Dominus noster crucifixus est : ibique Ecclesiam sibi genuit et redemit. Hujus igitur psalmi intelligentia filiis Core attribuatur (540) ; id est populo Christiano, qui in hoc psalmo dicit : « Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. »

« Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum : ita « desiderat anima mea ad te, Deus. » Desiderant cervi ad fontes aquarum, sed non semper. Quando enim suo more serpentes devorant, et crassantis in se veneni æstuationem nimiam patiuntur, tunc ad fontes aquarum venire desiderant ; ut aquæ refrigerio sitim, caloremque exstinguant. Venenum autem animæ est omne vitium et peccatum. His autem carere non valemus, nisi ad Deum accedamus, et ad ipsum confugiamus, et ejus aquas bibamus, de quibus Dominus ait : « Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet unquam (*Joan.* IX, 14). »

« Sitivit anima mea ad Deum vivum. » Hanc sitim patiebatur ille qui dicebat : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I, 23). » Similiter autem et Isaias, qui ait : « Utinam disrumperes cœlos, et descenderes (*Isa.* LXIV, 1). » Hanc et multi alii, quibus hæc vita oneri erat, et ad illam totis viribus anhelabant. « Sitivit anima mea ad Deum vivum ; » et sitiendo dixit : « Quando veniam, et apparebo « ante faciem Dei? » Merito Deus vivens dicitur Dominus, quoniam in ipso est omnis vita, et in ipso vivunt omnia, et sine quo nihil vivere potest.

« Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte : « dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? » Solebant pagani insultando dicere Christianis : Ubi est Deus vester? Exsurgat nunc si potest, et adjuvet vos ; et si Deus est, liberet vos de manibus nostris. Sic et Nabuchodonosor tribus illis pueris dicebat : « Et quis est Deus, qui eripiat vos de manibus meis? » (*Dan.* III, 15.) Cui illi sapientissime respondentes dixerunt : « Potens est Deus, si vult, de manibus tuis nos liberare ; quod si noluerit, scias (541) quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti non adoramus (*ibid.*, 18). » Sed quid faciebant sancti, quando eis talia dicebantur? Flebant et orabant, et ipsis suis lacrymis pascebantur. **382** Non est omnium hujus talis refectionis declaratio ; perfectorum est quibus sola Dei contemplatio placet.

« Hæc recordatus sum, et effudi in me animam « meam. » Cum mihi, inquit, ab infidelibus talia dicerentur, recordatus sum « quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, et perveniam usque ad domum Dei ; » et tunc quidem videbo Deum meum Salvatorem meum, de quo isti mihi modo dicunt : « Ubi est Deus tuus? » Videbunt namque sancti, cum ad illam beatitudinem pervenerint, et corporeis oculis Christi humanitatem, et spiritualibus oculis ejus divinitatem ; ut uterque visus utilis sit, et non maneat otiosus. Unde et Joannes apostolus de Domino ait : « Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*Joan.* III, 2). » Hæc, inquit, recordatus sum, et effudi in me animam meam, et quasi fugientem retinui et ad pristini vigoris fortitudinem revocavi.

(538) *Vir videns* Israel juxta Hebræos, et litterarum fidem, teste S. Hieronymo in cap. XLIV Isaiæ, exponitur *rectus Dei* : quam interpretationem ipse S. doctor etiam in cap. II Malach. præfert ei juxta quam, secundum aliquos *Israel*, idem valet quod *vir videns Deum*. Præterea alii interpretantur *dominans*, vel *prævalens Deo*, id est angelo luctanti cum patriarcha Jacob : atque hæc sententia facile non est rejicienda, cum divinæ Scripturæ, (*Gen.* XXXII, 28), innitatur.

(539) Præclare disserit S. Aug. de titulo hujus expositione, in quam convenit S. Bruno ; at S. doctore multo brevior.

(540) Nimirum levitis cantoribus de progenie Core, de quo in libro I Paralipomenon pluries, et alibi mentio occurrit.

(541) Vulgata legit : *notum sit tibi, rex.*

Digitized by Google

« In voce exsultationis et confessionis sonus epulan- A « tis. » Ingrediar, inquit, in locum tabernaculi admirabilis. Sed quomodo ingrediar? « In voce exsultationis et confessionis. » Docet nos Propheta cum quanto gaudio et lætitia sanctorum animæ in illa beatitudine suscipiantur. Unde et subditur : « sonus epulantis. » Illa, inquit, vox exsultationis et confessionis sic erit, ut sonus epulantis, nihilo indigentis, plaudentis, et gaudentis, et deliciis ineffabilibus se reficientis. Non potuit invenire aptiorem similitudinem, qua suæ receptionis dulcedinem et jucunditatem ostenderet.

« Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas « me? Spera in Deo, quoniam confitebor illi. » In eo quod seipsum hortatur et consolatur, magnum suis auditoribus præstat exemplum, qualiter se ha- B bere debeant, quando magnis iniquorum opprobriis et injuriis fatigantur. « Quare tristis es, anima mea? » Sustine patienter, et non conturberis, quoniam hæc omnia cito transibunt; sed potius spera in Deo, qui nunquam deserit sperantes in se : sæviant adversarii quantum velint, minentur et inferant mortem, et supplicia quæ velint, quoniam ego confitebor illi et nunquam timore mortis negabo Deum meum. Dicunt illi : « Ubi est Deus tuus? » Dico ego quia præsto est, et statim exeuntem animam meam (542) ad se suscipiet. Nunc autem ad ipsum Dominum convertitur, sibique loquitur, et eas, quas in se ipso fluctuationes patitur, confitetur. O « sa- « lutare vultus mei, et Deus meus, ad meipsum C « anima mea conturbata est; propterea, » ut eam consoleris, « memor ero tui, Domine, de terra Jor- « danis et Hermonis a monte modico. » Salvatorem vultus sui eum esse dicit, quia vultum et imaginem Dei ad quam facti sumus, nemo est qui retinere valeat, nisi ipse eam custodiat et salvet. Unde et ipsam animam suam, in qua præcipue Dei similitudo et imago exprimitur, conturbatam et a sua pulchritudine deformatam esse fatetur. Perdit enim homo vultum et imaginem Dei, quando aliquo peccato separatur a Deo, atque ejus vultum et imaginem suscipit, cui se peccando conjungit. Tale est igitur ac si dicat : Conserva in me, Domine, imaginem tuam, quam mei tuique inimici auferre conantur. Quid significat terra Jordanis et Hermonis, ipse ex- D ponit dum dicit : « A monte modico. » Terra enim Jordanis plana est. Hermon quoque, sicut hic dicitur, mons modicus est. Per terram igitur Jordanis et Hermonis humiles et mansuetos intelligimus. In tali igitur terra et in tali monte est qui hic loquitur sedens, et habitans in humilitate et mansuetudine Deo se servire promittit. Tales enim diligit Deus, de quo scriptum est : quia deponit potentes de sede, et exaltat humiles (*Luc.* I, 52).

« Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum « tuarum. Omnia excelsa tua, et fluctus tui super « me transierunt. » Ecclesia loquitur in persona martyrum, et tale est ac si dicat : Omnia excelsa sapientiæ et scientiæ tuæ super me transierunt, quoniam abyssus invocat abyssum in voce cataractarum tuarum. Hæc est igitur causa, quod neque tormentis, neque ipsa morte ab amore Dei separari potest, quoniam utriusque Testamenti doctrina, quæ sibi per apostolos nuntiata est, et eam confirmat atque corroborat; abyssum enim vocat utrumque Testamentum propter sapientiæ et scientiæ profunditatem. Dei vero cataractæ, sive fenestræ, apostoli sunt, a quibus tota domus totaque Ecclesia illuminatur. In voce itaque cataractarum Dei abyssus invocat abyssum, quia voce et prædicatione apostolo- B rum utrumque sibi respondet et concordat Testamentum.

« In die mandavit Dominus misericordiam suam, « et nocte declarabit (543). » Non absconditur quod in die fit, neque quod in nocte sine lumine declaratur. Mandavit igitur Dominus in die misericordiam suam, quia cunctis gentibus eam revelavit; dum « proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32). » Declaravit autem et manifestam fecit eamdem suam misericordiam in nocte, et quotidie declarat et manifestat, dum de magnis periculis et tribulationibus fideles suos liberat et eripit. Tanti ergo beneficii memor vir sanctus dicit animæ suæ : « Spera in Deo, quoniam confitebor illi. » C

« Apud me oratio (544) vitæ meæ, dicam Deo. « Susceptor meus es. » Apud me, inquit, et in corde meo est oratio, quam dicere volo **383** Deo vitæ meæ. Deus vitæ meæ ille est, qui nobis vitam dedit et datam custodit, qui inspiravit in faciem primi hominis et dedit ei spiraculum vitæ. Sed quæ est illa oratio? Sequitur : « Dicam Deo : Susceptor meus es, « quare mei oblitus es, et quare me repulisti, et « quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? Dum « confringuntur ossa mea, exprobraverunt me qui « tribulant me, dum dicitur mihi per singulos dies : « Ubi est Deus tuus? » Huc usque illa oratio extenditur, quam apud se habere, et Deo se dicere promisit. In principio orationis hujus benevolentiam captat et susceptorem suum Deum esse dicit. Susceptor noster non sine causa dicitur Deus, qui nos suscipit nascentes, suscipit ad Ecclesiam et ad fidem venientes, suscipit ad se per pœnitentiam revertentes, suscipit de hac vita exeuntes, et tandem in promissam patriam redeuntes. « Quare mei oblitus es, et quare me repulisti? » Contraria his quæ modo dicta sunt, dicere videtur. Si enim suscepit, quomodo oblitus est, vel quomodo repulit? Ipsam audiamus. Et « quare, » inquit, si me non repulit, « tristis incedo, dum affligit me inimicus? » Si me, inquit, non repulisset, in afflictioni-

(542) Cod. Ghis., *de corpore.*

(543) Ita cod. Vatic. quemadmodum adnotavit card. Thomassius, et apud S. August. In Vulgata habetur : *Et nocte canticum ejus.*

(544) Id. cod., *Deo;* ita cum Vulgata versione alii quoque codices Psalterium juxta Italam præferentes.

Digitized by Google

bus meis gavisa fuissem et patienter cuncta sustinuissem. Multos sanctorum legimus, qui inter ipsa sua tormenta gaudebant et majora sibi inferri desiderabant. Dolet igitur mater Ecclesia pro illis, qui ad hanc tantam perfectionem pertingere non meruerunt. Sequitur de eadem oratione : « Et quare tristis incedo, dum confringuntur omnia ossa mea? » Non dolet de ossibus, quia confracta sunt, sed hoc potius dolet, quia tristis erat, cum frangerentur. Per hanc igitur ossium confractionem, quæ utique gravissima afflictio est, alias omnes sanctorum passiones intelligamus, quas quamvis sancti cum dolore sustinebant, se tamen pro Christi nomine sustinuisse gaudebant. Sequitur adhuc : « Et quare tristis incedo, quia exprobraverunt me, qui tribulant me, dum ab eis dicitur mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus? » Docet nos ut illatas nobis injurias in corde non habeamus, sed quidquid pro Christi fide sustinuimus, nos sustinuisse gaudeamus. Unde et subditur :

« Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas « me? » Cesset, inquit, omnis tristitia : cuncta cum gaudio perferamus, quia « non sunt condignæ passiones hujus vitæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). » — « Spera in Deo, quoniam confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus. » Spera, inquit, in Deo, dicit sibi ipsi et animæ suæ, et quia ea quæ egimus minus perfecte egimus, doleamus; spem tamen bonam in hoc habeamus, quia semper confitebimur illi, et « neque mors, neque vita poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*ibid.*, 39), » qui est Salutare vultus nostri et Deus noster.

PSALMUS XLII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Quid significet *in finem*, et *psalmus David*, sæpe jam diximus.

« Judica me, Deus, et discerne causam meam. » Vox alicujus fidelis est, Dei adjutorium implorantis. « Judica, inquit, me, Deus; » hoc autem exponit, « et discerne causam meam. » Non videtur hic aliud judicium quærere, nisi ut inter se et adversarios suos causa discernatur. Scit enim quia nihil contra eos fecit, ut sic eum affligere debuissent. Unde qui justitiam se habere confidit, ut causa sua discernatur exorat. Hoc autem etiam nunc multoties fieri videmus, ut ab ipsis qui Christiani esse putantur, viri catholici tantas injurias patiantur, ut contra eos Dei adjutorium implorent, et cum pro eis orare debuissent, adversus eos orare cogantur. Sic enim ipse Dominus ait : « Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos (*Matth.* III, 44). » Sequitur : « De « gente non sancta, ab homine iniquo et doloso eripe « me. » Et iste quidem non contra nos, sed pro se tantum orare videtur, sibique hoc solum sufficere ostendit, si ipse solummodo liberetur, etiam si de illis vindicta non capiatur. « Quia tu es Deus meus, « et fortitudo mea. » Tu, inquit, eripe me, qui solus es Deus et fortitudo mea, quia alia arma mihi non sunt, et alium adjutorem non habeo, et ideo si me reliqueris, nemo erit qui me subveniat. Sed « quare me repulisti? » Et quasi diceret : Non te repuli, subdidit, dicens : « Quare ergo tristis incedo dum affligit me inimicus? » In hoc enim sancti se esse repulsos et gratiam Dei amisisse timent, quod plenam patientiam in suis injuriis non habuerunt, et contristati se vindicari optaverunt. Unde et subditur :

« Emitte lucem tuam, et veritatem tuam : ipsa me « deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum « tuum et in tabernacula tua. » Ut tale aliquid, quasi dicat, ulterius non contingat, et de inimicis meis me vindicare non cupiam; et pro injuriis mihi illatis contristatus non incedam, emitte mihi lucem tuam (545). Quia enim eam quam debuit patientiam non habuit, et lucem et veritatem se amisisse pertimescit. Sic sibi ad invicem lex et veritas conjunctæ **384** sunt, ut sine se esse non possint. Nam et qui videt, non errat, et qui errat, non videt. « Emitte mihi, inquit, lucem tuam, et veritatem tuam, » et sic meæ mentis oculos illumina et me totum in tua veritate confirma, ut nihil quod tibi displiceat agere valeam. « Ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua. « Quid per montem sanctum Dei et per tabernacula Dei, nisi Ecclesiam Dei intelligamus, unam videlicet per fidem, multas vero secundum locorum diversitates? In hanc autem, sive in has omnes introducti sumus per lucem et veritatem, et qui nondum in sanctam Ecclesiam intraverunt, adhuc in tenebris, et in errore sunt et nondum ad lucem et veritatem pervenerunt.

« Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat « juventutem meam. » Hac, inquit, luce et veritate, qua in Ecclesiam introductus sum, eadem ipsa me regente et ducente, introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Hoc altare in cœlis est, hoc altare Salvatoris nostri humanitas est. Altare enim ab altitudine dicitur; Christi vero humanitas omni creatura sublimior et altior est. Unde et non immerito altare vocatur. Bene autem dixit : « ad Deum qui lætificat juventutem meam, » quia omnes homines in hac ætate resurgere habent. Unde et Apostolus ait : Quia « omnes occurremus Deo in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV, 13). » In hac enim ætate Christus Dominus a mortuis resurrexit.

« Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus. » Interim, inquit, et priusquam ad illud altare perveniam, confitebor tibi et laudabo te in hac Ecclesia tua et in monte sancto tuo. Quomodo? In cithara et in suavi modulatione, in evangelica prædicatione, qua et phrenetici placantur et dæmonia fugantur. Nam citharæ a furiis mentem placarunt Saulis. Hinc autem ad seipsum, et ad aurem suam convertitur, multumque animam suam reprehendit, quod

(545) Cod. Ghis., *et veritatem tuam*.

Digitized by Google

pro aliqua mundi hujus adversitate se contristavit, afflixit et conturbavit. Et hoc est quod dicit : « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? » Non est unde contristari debeat, qui tanta in cœlestibus bona exspectat. « Spera in Deo, quoniam confitebor illi, » qui est « salutare vultus mei, et Deus meus. »

PSALMUS XLIII.

IN FINEM FILII CORE AD INTELLECTUM.

Core, ut jam diximus, *Calvariæ* interpretatur. Calvariæ autem mons parvulus est, extra portus Jerusalem, ubi Judæi crucifixerunt Jesum. Et cæteri quidem Judæi vocantur filii Sion et filii Jerusalem, isti autem Calvariæ filii vocari elegerunt, majorisque honoris et dignitatis visus est illis Calvariæ monticulus, quam tota altitudo et fortitudo montis Sion et Jerusalem. Bene autem dictum est « ad intellectum, » quia quantum ad usum non magnum est, ut illius montis filius aliquis vocetur.

« Deus, auribus nostris audivimus, et patres nostri « annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in « diebus eorum, et in diebus antiquis. » In hoc psalmo loquuntur filii Core per quos sanctos martyres intelligimus, et non sua nobis narrant, sed ea quæ a patribus suis audierunt, et quæ Dominus operatus est in diebus antiquis (546). Loquitur Moyses in libris suis, quomodo Dominus Pharaonem et Ægyptum flagellavit, quomodo de ejus impia servitute Hebræos liberavit, quomodo mare Rubrum eis aperuit et per medium ejus siccis pedibus eos transire fecit, quomodo eos quadraginta annis in deserto manna pavit, et quomodo eis in monte Sina legem dedit et tabernaculum testimonii fieri præcepit. Deinde autem Josue et cæteri post ipsum mira et stupenda narrant, quæ pro illo populo Dominus operatus est. « Deus, » inquiunt filii Core, « auribus nostris audivimus; » a quibus « patres nostri annuntiaverunt nobis. » Quid annuntiaverunt nobis? « Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis. » Et quid fuit illud?

« Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos, « afflixisti populos et expulisti eos. » Evæi namque, Jebusæi, Ethæi, Jerezæi, et aliæ gentes, quæ fortissimæ memorantur, illam terram tenebant et possidebant, quando filii Israel ex præcepto Domini eam ingressi sunt. Sed quia manus Domini pugnabat pro istis contra eos, non potuerunt illis resistere, sed dispersi et deleti sunt omnes. Istæ autem gentes vitia sunt et maligni spiritus, quos nostris viribus sine Dei adjutorio superare non possumus. Superare autem necesse est, si terram et carnem nostram quietam habere et tenere volumus. Semper igitur pugnandum est, et nunquam pax cum eis habenda est, donec vincantur et expellantur.

« Non enim in gladio suo possederunt terram, et « brachium eorum non salvavit eos. » Manus, inquit, et fortitudo tua gentes disperdidit, et plantasti, et habitare fecisti 385 patres nostros in promissa sibi hæreditate. Afflixisti populos et expulisti eos » qui eam prius possidebant. Tu utique hoc fecisti, quia illi hoc facere non potuissent; non enim in gladio suo possederunt terram, et brachium, et fortitudo illorum non salvavit eos. Quis igitur?

« Sed dextera tua, et brachium tuum, et illumina- « tio vultus tui, quoniam complacuit tibi in illis. » De hac dextera scriptum est : « Dextera Domini fecit virtutem (*Psal.* cxvii, 16). » De hoc brachio dicitur : « Et brachium Domini cui revelatum est (*Joan.* xii, 38). » De hac Patris illuminatione Apostolus dicit : « Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus (*Hebr.* i, 12). » Christus igitur Dominus noster eos salvavit, et ab hostibus liberavit, quem si adhuc coluissent et in eum credidissent, nec terram nec gentem amisissent. Quid est autem quoniam complacuit tibi in illis, nisi quia illi placuerunt tibi?

« Tu es ipse rex meus, et Deus meus, qui mandas « salutem Jacob. » Tu, inquit, qui illos salvasti, ab hostibus liberasti et omnes eorum inimicos eis subjugasti : « Tu ipse es rex meus, et Deus meus, qui mandas salutem Jacob; » per quem Christianum populum intelligimus, qui de peccatis suis pœnitentiam agendo malignos spiritus quotidie supplantat; Jacob enim *supplantator* interpretatur.

« In te inimicos nostros ventilabimus cornu (547), « et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. » Quia te, inquit, coadjutorem habemus, cujus fortitudini nemo resistere valet, securi sumus; quia in te et in fortitudine tua ventilabimus, et quasi magno ventorum turbine pellemus et fugabimus inimicos nostros, in nomine tuo quod invocabimus, spernemus omnes insurgentes in nos. « Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Act.* ii, 21). »

« Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus « non salvabit me. » Omnis, inquit, spes mea et omnis fortitudo mea tu es, neque in arcu, neque in gladio confido, quia neque arcus, neque gladius sine tuo adjutorio me salvare potest. Per arcum et gladium omnem humanam fortitudinem et defensionem intelligimus.

« Liberasti enim nos ex affligentibus nos, et eos « qui nos oderunt confudisti. » Jam, inquit, experti sumus adjutorium tuum, nihil dubitamus de potentia tua, quia jam sæpe « liberasti nos ex affligentibus nos, et eos qui nos oderunt confudisti, » ut te auxiliante nobis resistere non valerent.

« In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo « confitebimur in sæcula. » Laus, inquit, nostra Dei est, non nostra, quia quod vincimus, quod hostes superamus, Deus hoc facit, qui per nos et in nobis pugnat et vincit, et in nomine tuo quo Christiani

(546) Cassiodorus etiam totum hunc psalmum ad sanctos martyres, qui gloriosa pro fide Christi sustinuerunt certamina, traducit.

(547) Vocabulum *cornu* legitur quidem in versione Vulgata, sed abest ab Italæ exemplaribus.

Digitized by Google

vocamur et summus, confitebimur (548) et laudabimus per omnia sæcula. Quæ enim tanta laus, tantaque gloria nobis esse potest, quanta ut Christiani vocemur et simus ? Huc usque illi filii Ecclesiæ locuti sunt, qui in prosperitate fuerant ; unde et Deo gratias egerunt, quia ad similitudinem antiquorum patrum, semper a Deo protecti, nullas inimicorum insidias timuerunt. Nunc autem sancti martyres loquuntur, et illi præcipue qui majora tormenta, majoresque passiones sustinuerunt, quales tempore Decii, et Diocletiani, et Maximiani fuisse legimus.

« Nunc autem repulisti et confudisti nos, et non « egredieris Deus in virtutibus nostris. » Superioribus respondet, ubi dicitur : « Liberasti enim nos ex affligentibus nos, et eos qui nos oderunt confudisti. » Nunc autem « repulisti et confudisti nos. » Ecclesia una est, quæ pro temporum diversitate nunc loquitur pro illis qui fuerunt in prosperis, et nunc loquitur pro illis qui fuerunt in adversis. « Nunc, » inquit, hoc tempore tantæ persecutionis « repulisti et confudisti nos. » Deus nunquam repellit sanctos suos, et nunquam eos confundit : repellere tantum et confundere videtur, quando eos orantes non exaudivit, et quando in magnis afflictionibus eis non subvenit. Sed ne aliquis ex impotentia hæc contingere arbitretur, legat superiora, et Dei omnipotentiam cognoscere poterit. Et fortasse ideo illa præmissa sunt, ut aliquis hæc audiens non conturbetur. Quod autem ait : « Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris, » non affirmative, sed suspensive legendum est. Egreditur autem Deus in virtutibus sanctorum suorum, quando eos adjuvat et inimicos vincere facit. Vincuntur enim, si eorum voluntatibus etiam moriendo non acquiescunt.

« Avertisti nos retrorsum propter inimicos nostros, « et eos qui nos oderunt diripiebant sibi. » Hoc autem in alia translatione ita legitur : « Avertisti nos retrorsum præ inimicis nostris, et qui oderunt nos diripiebant sibi. » Et hoc quidem planum est ad intelligendum ; « avertisti, inquit, nos retrorsum præ inimicis nostris ; » id est plus quam inimicos nostros, in quo se quidem fugisse, illos vero campum tenuisse ostendit. Hos autem inimicos malignos spiritus intelligamus, propter ea quæ sequuntur : « Et eos qui nos oderunt diripiebant sibi. » Isti autem sunt Judæi, hæretici et pagani. Tale est igitur ac si diceret : Cum inimici nostri maligni spiritus nos tenere, et sibi penitus subjugare non potuissent, eos qui nos oderunt, Judæos videlicet, hæreticos, paganos sibi diripere **386** cœperunt, ut, quia nos habere non poterant, saltem illos non amitterent.

« Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus perdidisti nos. » Sic enim erant aliquando martyres, ut oves escarum, et soli morti destinati, quia non ad hoc in carcere servabantur ut dimittebantur, sed ut majori et exquisito supplicio punirentur. In gentibus autem dispergebantur, quia longe a patria in exsilium mittebantur.

« Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit « multitudo in commutationibus eorum. » Vendidisti, improprie dictum est, quia emptio et venditio sine pretio esse non potest. Idem igitur est, vendidisti, ac si diceret tradidisti. Multoties sancti sine pretio dati sunt, et nulla pretii multitudo fuit in commutationibus eorum (549). Aliquando autem non sine pretio dabantur, quia multi videntes eorum constantiam, et miracula quæ per ipsos fiebant, ad Christi fidem convertebantur.

« Posuisti nos in opprobrium vicinis nostris, in de« risum et contemptum his qui in circuitu nostro « sunt. » Hoc autem, sicut dicitur, factum fuisse nemo dubitare potest, qui sanctorum passiones et vitas audivit.

« Posuisti nos in similitudinem gentibus, commo« tionem capitis in plebibus. » Fuit aliquando, ut qui inimico suo maledicere voluisset, de Christianis similitudinem traheret atque diceret : Utinam talem te videam, qualem illum vel illum Christianum vidi ! Erant autem et in commotionem capitis in plebibus, quia quando nudi, catenati, undique verberibus circumventi ad supplicia trahebantur, quicunque eos videbant, capita sua super eos agitantes, vanos et fatuos eos esse dicebant. Idipsum autem legimus et de Judæis, quia super Salvatorem nostrum moventes capita sua, illudentes dicebant : « Vah ! qui destruis templum Dei (*Matth.* XXVII, 40). »

« Tota die verecundia mea contra me est, et con« fusio vultus mei operuit me. » Unde ? « A voce « exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et per« sequentis. » Hæc plana sunt, ut expositione non egeant, et facile alienam quoque verecundiam unusquisque in seipso perpendere potest.

« Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti « sumus te, et inique non egimus in Testamento « tuo ; et non recessit retro cor nostrum. » Hæc talis sermocinatio, non ostentatio est, sed magis gratiarum actio esse videtur. Quamvis, inquit, hæc omnia quæ superius dicta sunt venissent super nos, tamen nos te obliti non sumus, sed potius nosipsos propter te obliti sumus. « Et inique non egimus in Testamento tuo, » quia omnia præcepta tua fideliter custodivimus. « Et non recessit retro cor nostrum ; » sed semper ad ea quæ sunt ante nos extendimus, ad promissum bravium festinantes.

« Et declinasti semitas nostras a via tua. » Hoc autem tale est ac si diceret : Quia semitæ nostræ prius bonæ non erant, a via tua eas separasti et nos per viam tuam solummodo incedere docuisti, et ideo errare non possumus, quia non per semitas nostras, sed per viam tuam ambulavimus et ambula-

(548) Cod. Ghis. « Passive autem dictum est *confitebimur*, quod raro quidem invenitur. »

(549) « Tunc autem quasi *sine pretio vendit* Deus, quando alienigenis affligendum tradit populum Christianum. Quod fit frequenter occulto judicio, aut ad probationis meritum, aut ad correctionis effectum. » CASSIOD.

Digitized by Google

mus. « Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, « et operuit nos umbra mortis.

« Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expan- « dimus manus nostras ad deum alienum, nonne « Deus requiret ista? » Non sumus, inquit, obliti nomen Dei nostri, neque extendimus manus nostras ad deum alienum, scientes quod Deus ipse requirit, neque nobis aliquid prodesset, quod humiliati fuimus in loco afflictionis, et operuit nos umbra mortis; « Nemo enim mittens manus suas ad aratrum, si respiciat retro, aptus erit regno Dei (*Luc.* IX, 62). » Umbræ mortis, et impii homines, et ipsa tormenta intelligi possunt. Sicut enim per umbram corpus adesse cognovimus, ita ubi ista sunt, mortem adesse intelligimus. Sequitur: « Ipse enim novit abscondita « cordis. » Ideo, inquit, ista requiret, quia nihil eum latet et omnia videt, quidquid in corde est, quidquid ubicunque est, ejus oculis occultari non potest.

« Quoniam propter te morte afficimur tota die, « æstimati sumus sicut oves occisionis (550). » Nondum mortuus est, qui morte afficitur; mortis affectio, ipsa passio est, et tandiu afficitur homo, quandiu tormentis exagitatur. Oves autem occisionis illæ sunt quæ ad nihil aliud, nisi ad mortem reservantur. Similiter autem et sancti longo tempore in carcere tenebantur, non ad remissionem, sed potius ad internecionem.

« Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, « et non repellas in finem. Non enim dormitabit, « neque dormiet, qui custodit Israel. » Dormire autem dicitur, quando sanctos suos quasi non sentiens affligi permittit. In finem ille repellitur, qui ex toto a Deo separatur.

« Quare faciem tuam avertis? » Qui faciem avertit, non vult videre illum, a quo faciem avertit. Faciem igitur Dominum avertere, est fideles suos in afflictionibus non videre. Unde subditur: « Obliviseris inopiam nostram et tribulationem no- « stram? » Neque dormitio, neque oblivio, neque ira, neque indignatio, neque aliquid tale potest esse in Deo; in eo **387** tamen esse dicuntur; et quare esse dicuntur, sæpe jam diximus.

« Quoniam humiliata est in pulvere anima no- « stra: adhæsit in terra venter noster. Exsurge, « Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen « tuum. » Exsurge, inquit, Domine, nobis in adjutorium, et libera nos ab his tantis tribulationibus, propter nomen tuum, quod invocamus et quo Christiani vocamur, quoniam « humiliata est in pulvere anima nostra. » Caro enim quæ corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 16). » Sive etiam in pulvere humiliata est, quia iniquorum hominum conversatione deterior facta est. Iste est ille pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Humiliatur quoque in pulvere anima, quando venter in orationibus adhæret terræ, et talis humiliatio bona est. Possumus autem per ventrem eos intelligere, qui in Ecclesia molliores et imperfectiores sunt, et qui magis terrenis, quam cœlestibus adhærent. Pro talibus autem orandum est, quia persecutionis tempore facile decipiuntur, quia terrena et transitoria amittere timent. « Exsurge igitur, Domine, in auxilium nostrum, quoniam humiliata est in pulvere anima nostra. »

PSALMUS XLIV.

IN FINEM: PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR. FILIIS CORE AD INTELLECTUM CANTICUM PRO DILECTO.

Hic, inquit, psalmus factus est pro filiis Core, non tamen pro omnibus, sed pro his tantum qui commutabuntur ad intellectum. Qua in re manifeste ostendit etiam inter filios Core fuisse aliquos qui ad spiritualem intelligentiam mutati sunt: Cantant hoc canticum pro dilecto, pro illo videlicet dilecto, de quo Dominus ait: « Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* III, 17); » cui etiam in hoc psalmo dicitur: « Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. »

« Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego « opera mea regi. » Dicit Propheta, dicit aliquis filiorum Core: « Eructavit cor meum verbum bonum. » Verbum bonum, hunc per psalmum dicit, quem non ore cantasse, sed de cordis secretario se eructasse fatetur. Ut per hoc intelligamus quam firmum et stabile, et quantæ auctoritatis sit totum hoc quod in hoc psalmo continetur. « Dico ego opera mea regi. » Iste est ille rex qui alibi dicit: « Ego autem constitutus sum rex ab eo (*Psal.* II, 6). » Huic autem regi dicit Propheta opera sua, quæ modo eructavit de arcano cordis sui.

« Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. » Sic est, inquit, lingua mea, sicut calamus scriptorius, qui velociter scribit; qua in re subito et sub brevissimo tempore multa se vidisse et prophetasse ostendit.

« Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa « est gratia in labiis tuis. » Ecce nunc incipit dicere opera sua regi, quem super omnes filios hominum forma speciosum esse dicit (551). Quis enim ita speciosus, sicut ille, « qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus? » (*Petr.* II, 22.) Ipse enim solus sine peccato natus est, et in ipso solo humana natura formam suam et pulchritudinem non amisit. Tanta autem gratia erat in labiis ejus, ut facile et sine ullo impedimento diceret, quæcunque voluisset. Unde in Evangelio dicitur: Quia « mirabantur omnes de his quæ procedebant de ore ejus

(550) Hoc psalmi loco usus est D. Paulus ad Rom. VII, 36, ut exprimeret in quantis tribulationibus propter Christum versaretur.

(551) « Non quia forma ejus decore lactei coloris eluxit, aut flavo crine lampavit, aut insigni statura præminuit: sed veraciter humano genere pulchrior fuit, quia peccata non habuit. Illud enim recte speciosum dicitur, quod gratia mundissimæ puritatis ornatur: quamvis Pater Augustinus speciem corporis ejus dicat fuisse laudabilem. » CASSIOD.

Digitized by Google

(*Luc.* IV, 22). » Et alibi dicitur : Quia « mirabantur omnes in doctrina ejus (*Matth.* XXII, 33). » Hæc labia loquentia erudierant Moysen, quando se impeditioris et tardioris linguæ esse dixerat.

« Propterea benedixit te Deus in æternum. » Propterea, inquit, quia præ cunctis speciosior et eloquentior es, benedixit te Deus in æternum. Omnes homines quando baptizantur benedicuntur : multi tamen postea peccando benedictiones amittunt, quorum quidem benedictio non manet in æternum.

« Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. » Tu, inquit, potentissime, qui talis es, accingere circa femur gladio tuo et præpara te ad præliandum, quia multa et durissima prælia acturus es, et de diabolo omnique exercitu ejus triumphaturus. Nos quoque gladio castitatis semper circa femur accincti esse debemus, quo et contra hostes pugnare, et carnales motus qui in lumbis et femore dominantur et superare valeamus. Unde et Dominus ait : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 35). » — « Specie tua, et pulchritudine tua intende, et prospere procede, et regna. » Quia, inquit, speciosissimus es, in specie tua et pulchritudine tua intende et ad hoc exemplar fideles tuos et Ecclesiam tuam reforma, ut ipsa quoque speciosa **388** sit, non habens maculam neque rugam, unde et Apostolus ait : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (*Galat.* IV, 19). » In illis enim formatur Christus, qui ad ejus pulchritudinem reformantur. Prospere autem procedit Dominus, et ubique regnat, quia sicut de eo alibi dicitur : « Omnia quæcunque faciet prosperabuntur (*Psal.* I, 3); » et : « Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur (*Dan.* VII, 14). »

« Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. » Tu, inquit, procede, et dextera tua, virtus et fortitudo tua, mirabiliter te deducet, quia nullo alieno eges auxilio, cujus fortitudini nemo resistere valet. Bene autem dixit, mirabiliter, quia miraculis mundum convertit, patientia vicit, et per simplices homines, et illitteratos omnem mundanam et philosophicam sapientiam destruxit. Et hoc quidem « propter veritatem, et mansuetudinem et justitiam. » Decet enim multumque convenit regem veracem esse, et mansuetum et justum, et qui hæc non habuerit, non rex, sed tyrannus vocari debet.

« Sagittæ tuæ acutæ, potentissime, populi sub te « cadent in corda inimicorum regis. » Quia enim populus collectivum nomen est, sic potest dici potentissimus populi, sicut potentissimus populorum. Sunt autem sagittæ Domini acutæ, quia sicut Apostolus ait : « Vivus est sermo Dei efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV, 12). » Sagittæ igitur Christi omnes illæ sententiæ sunt, quæcunque ad convincendos inimicos de utriusque Testamenti pharetra educuntur. Dicatur ergo : « Sagittæ tuæ acutæ, potentissime, populi sub te cadent? » Ubi? « in corde inimicorum regis (552). » Si dixisset in corde inimicorum tuorum, planius esset. Hic autem modus in Veteri Testamento, sicut jam alibi diximus, frequenter invenitur, in aliis autem scripturis, si inveniatur, nescio. Egregie autem dixit : « sub te cadent, » quia super eum nihil cadere potest, quia enim omnia sub ipso sunt, neminem nisi sub se ferire potest. Hæ autem sagittæ ubicunque cadant, modo quidem utiliter cadere possunt, quia eorum terrore fugantur inimici, et totus vitiorum exercitus dissipatur. In judicio vero in quoscunque ceciderint, miseri erunt, quia semel vulnerati jam ulterius sanari non poterunt, ex his satis intelligimus quæ erunt illæ sagittæ, quæ malos in judicio sagittabunt.

« Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga recta « est, virga regni tui. » Quem in titulo dilectum, et nunc in hoc psalmo regem dixit, modo apertius et manifestius Deum vocat, quatenus Judæi Scripturarum depravatores, neque de Salomone, neque de alio quolibet præter Christum exponere valent. Est autem sedes Christi in sæculum sæculi, quia regni ejus non erit finis. « Virga recta est, virga regni tui (553). » Virga, inquit, et sceptrum regni tui rectum est, et a justitia et æquitate non recedit. Neminem sine causa virga percutis, neminem qui flagellis dignus sit impunitum abire permittis. Unde et subditur :

« Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. » Inde enim virgæ correctionis illius rectæ esse probantur, quia justitiam diligit, et odit iniquitatem. « Propter« ea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ « consortibus tuis (554). » Hoc est enim, quod per Prophetam ipse Dominus ait : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (*Luc.* IV, 18). » Aliis ad mensuram datur Spiritus (*Ephes.* IV), in ipso vero requiescit omnis

(552) In templi Vaticani tabulario exstat clariss. Lucæ Holstenii lucubratio mss. titulo hoc prænotata : *Collationes quædam Psalterii Romani, quo sacrosancta basilica Vaticana utitur, cum duobus manuscriptis ejusdem basilicæ, et aliis duobus, altero Florentino, et altero Casinensi, ut etiam cum versione Græca LXX editionis Sixtinæ, et Complutensi ; item cum Breviario Ambrosiano, et Cajetano.* In hac lucubratione Holstenius disserens, qui juxta Breviarium Romanum in feriali officium matutinali recitari debent ad psalm. XLIV, 6, ita animadvertit. *In corde* ms. melior noster (id est Vaticanæ basilicæ), sed Cajetanus *in cœde*, sicut Vulgata, et S. Bruno. At LXX, *ἐν καρδίᾳ, in corde*, quod et Faber agnoscit, et Vatic., nempe celeberrimus bibliothecæ Vatic. codex Græcam versionem Septuaginta interpretum referens, et anno 1587 Romæ typis vulgatus.

(553) *Virga directionis* est in Vulgata, et in textu Augustini, super quam lectionem ait : « Directionis virga est, quæ dirigit homines. »

(554) « Unxit me. *Videte quod ad Deum loquens dicebat ei :* Unxit te Deus, Deus tuus, *id est, te Filium unxit Pater tuus illo unguento æternæ lætitiæ, æterni sacramenti, cœlestis mysterii,* » etc. S. MAX. TAURIN. tract. contra Judæos, p. 737.

Digitized by Google

plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II) Consortes ejus apostoli sunt, omnesque alii, qui non suis meritis, sed ejus adoptione ad hæreditatem participandam electi sunt. Bene autem hoc oleum, lætitiæ oleum dicitur, quia omnibus qui unguntur, si tamen unctionem non amittant, gaudium et lætitiam præstat. De hac unctione scriptum est : « Et unctio ejus docebit vos de omnibus (*I Joan.* II, 27). »

« Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis ejus. » Per has tres species omnes alias intelligimus, et myrrha quidem inter alias amarissima est : casia vero, quæ et fistula dicitur, dulcissima est. At vero gutta, quæ amomacum nominatur, multis et magnis infirmitatibus medetur. Fluebant igitur hæc et alia omnia remedia infirmitatum a vestimentis Christi, quia « quicunque, » sicut in Evangelio legitur, eum tangebant, sani fiebant a quacunque infirmitate detinebantur (*Matth.* XIV, 36). » Vestimentum Christi, ipsa ejus humanitas est; qua videlicet veste pretiosa divinitas induta ab hominibus videri non poterat. Nam et ipsæ fimbriæ vestimenti ejus multos infirmos 389 sanasse leguntur. Non erat igitur illis necessarium medicamina suscipere, qui ad Christi vestimenta accedere poterant, siquidem non solum species apta sanitati, sed ipsa quoque sanitas ab ejus vestibus defluebat. Sequitur : « A gradibus « eburneis. » Similiter, inquit, et a gradibus eburneis, myrrha, et gutta, et casia defluebant, per quos videlicet gradus illos intelligimus, de quibus Dominus dixerat : « Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet; quia ego ad Patrem vado (*Joan.* XIV, 2). » Non solum enim tactu vestium, sed ipsa corporis umbra multos apostoli sanasse leguntur. Unde scriptum est : quia « in plateis ponebantur infirmi, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum (*Act.* V, 15). » Sed quare eburnei isti dicuntur, nisi quia candidi, fortes et castissimi erant. Ebur namque os elephantis est : elephantes vero castissima animalia sunt, et non coeunt nisi semel. Merito autem gradus dicuntur apostoli, quia per ipsos ascenditur ad sedem Dei; unde et subditur : « Ex quibus te delectaverunt « filiæ regum in honore tuo. » Ex quibus, inquit, id est per quos filiæ regum ascendentes delectaverunt te, cantantes, subauditur, et psallentes in honore tuo. Filiæ regum, singulæ Ecclesiæ sunt, ubicunque sunt, quas sancti apostoli Domino genuerunt. Isti sunt illi reges de quibus dicitur : « A templo tuo in Jerusalem tibi offerent reges munera (*Psal.* LXVII, 30). »

« Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, « circumamicta varietate. » Multæ sunt filiæ regum, sed regina una est, per quam catholicam Ecclesiam, vel beatam Virginem Mariam intelligimus, quæ ipsius quoque Ecclesiæ et regina et domina est. Hæc autem stetit a dextris Dei, quia ipsa plus quam omne creatum honoratur a Deo (555). Sed quomodo stat? « In vestitu deaurato, circumdata varietate. » Hanc vestem amisit primus homo, quando peccavit, carnis videlicet immortalitatem. Unde se nudum intelligens, ait : « Audivi, Domine, vocem tuam, et abscondi me, eo quod nudus essem (*Gen.* III, 10). » Hæc autem vestis variata dicitur, quia omnibus est intexta virtutibus. Est autem et deaurata, quia sapienter composita est : aurum enim pro sapientia ponitur, quia sic est sapientia inter alias virtutes, sicut est aurum inter alia metalla. Omnis namque virtus fatua est, quæ auro sapientiæ non deauratur. Habent et alii homines virtutes, sed solæ virtutes Christianorum deauratæ sunt. Quid prodest Judæo castitas? quid prodest pagano humilitas? cum et ille pereat cum sua castitate, et iste pereat cum sua humilitate.

« Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam. » Quamvis hoc de tota catholica et universali Ecclesia convenienter intelligi possit, ego tamen de beata Virgine Maria singulariter exponam, quæ totius Ecclesiæ, sicut jam dixi, domina est. Videns igitur Propheta per Spiritum sanctum Gabrielem archangelum cum ea loquentem, et Christi incarnationem sibi annuntiantem, loquitur ei, et dicit : « Audi, filia, et vide : » audi, inquit, filia mea, de genere meo, de progenie mea, nobilitas et gloria generis mei, audi quæ angelus loquitur, quæ cœlestis nuntius tibi promittit : esto casta, esto sollicita, diligenter ausculta, quia magna valde sunt quæ tibi nuntiantur. Vide ergo et intellige, inclina aurem tuam, et suscipe verbum in corde et in utero tuo : virgo concipies, et virgo paries. Inclina aurem, quia per aurem ingredietur in te qui nascetur ex te. Verbum enim est, et via verbi auris est. Non aliter concepit beata Maria nisi audiendo et credendo, si non audivisset, non credidisset; audivit et credidit, et credendo concepit. « Et obliviscere populum tuum, et domum patris « tui. » Necesse habuit Maria illum populum oblivisci, qui filium suum interfecit, et eumdem ipsum valde et super omnia odio habet.

« Quoniam concupivit rex speciem tuam. » Valde enim pulchra erat, quæ una et sola ex omnibus mulieribus electa ad amorem sui Dominum ipsum provocare potuit. De qua pulchritudine quid intelligi debeat, jam superius audivimus, et adhuc in sequentibus dicturi sumus. « Quia ipse est Dominus Deus « tuus, » quem tibi de te nasciturum esse promittit.

« Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus. » Vide, inquit, quantus erit hic filius tuus, quem filiæ Tyri, inter alias mulieres nobilissimæ, cum muneribus adorabunt. Sed quia Tyrus *angustia* interpretatur, per filias Tyri, eas animas intelligimus quæ se in hoc mundo, in carcere et angustiis esse cognoscunt, et ad cœli amplitudinem totis desideriis transire desiderant. Munera vero, quæ sancti Deo offerunt, virtutes et bona opera intelligimus.

« Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. » Non solum, inquit, filium tuum adorabunt filiæ Tyri,

(555) Cod. Vallic., « quia ipsa est, quæ plus omni creatura honoratur a Deo. » Item cod. Ghis.

Digitized by Google

sed te quoque deprecabuntur, tibique vota persolvent, A Nam et si ejus vultum et imaginem intelligamus, non erit inconveniens, cum sit eam ubicunque depingitur, ab omnibus venerari videamus (556). Deprecantur autem et alio modo vultum et pulchritudinem beatæ Virginis Mariæ omnes divites plebis, quia nemo est qui ejus pulchritudinem et sanctitatem habere non **390** desiderat. Divites autem plebis illæ animæ sunt quæ non temporalibus, sed spiritualibus divitiis abundant. « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. » Nolite, inquit, ad exteriorem pulchritudinem attendere, illam quæ interius est considerate, quia omnis gloria ejus ab intus est. Nam et si virginitas carnis foris luceat, ea tamen quæ intus est simul cum aliis omnibus virtutibus magis commendatur. Sed vis audire ipsam Virginem beatam magis de B humilitate, quam de virginitate gloriantem. « Exsultavit, inquit, spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ (*Luc.* I, 48). »

« In fimbriis aureis circumamicta varietate. » Varietas ista non colorum, sed virtutum est, quæ in se omnium virtutum abundantiam habuisse significat. Fimbriæ vero, quæ terram contingunt, ejus in hoc mundo conversationem præclaram, sanctam et sapientiæ plenam ostendunt. Unde et merito aureæ dicuntur, quia aurum in divino eloquio sapientiam designat, secundum illud : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (*Prov.* XXI, 27). »

« Adducentur regi virgines post eam. » Ista, inquit, sicut regina et domina, anteibit et præcedet, aliæ C vero omnes eam sequentur, et post eam regi Christo Domino adducentur. « Proximæ ejus afferentur tibi « in lætitia et exsultatione. » Proximæ autem illæ dicuntur, quæ mente et spiritu eam imitantur, et bene vivendo ei similes sunt. Omnes autem istæ simul cum ea in lætitia et exsultatione Domino offerentur, et in templum regis adducentur.

« Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. » Duodecim filios quos patriarchas vocamus habuit Jacob, ex quibus omnis Judæorum multitudo originem duxit, qui ideo Salvatoris nostri patres dicuntur, quia secundum carnem de illorum progenie natus est (557). Similiter et Christus duodecim discipulos habuit, ex quibus omnis ecclesiastica multitudo genita est. Habuit igitur Dominus pro patribus filios D quos, secundum numerum prædictorum patrum, filios sibi, id est sanctos apostolos eligere voluit. De quibus subditur : « Constitues eos principes super omnem terram (*Psal.* XLIV, 17). » Isti enim sunt de quibus Dominus ait : « Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). »

« Memores erunt nominis tui, Domine, in omni « progenie et generatione. » Nam et ipsi in suis scripturis memores sunt, et per omnes quicunque illorum doctrina et prædicatione crediderunt, æternam Christi nominis memoriam faciunt. Unde et subditur :

« Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, « et in sæculum sæculi. » Hoc igitur fecit apostolica prædicatio, ut omnes populi omni tempore Domino confiteantur.

PSALMUS XLV.

IN FINEM FILIIS CORE : PRO ARCANIS, PSALMUS.

Psalmus iste, quem cantant filii Core, ideo pro arcanis titulatur, quia Christi incarnatio in eo continetur, quam Judæi credere nolunt; et usque hodie illis arcana et occulta est. De Christi namque incarnatione dicitur hic : « Dominus virtutum nobiscum; » ipse est enim Emmanuel, qui *nobiscum Deus* interpretatur.

« Deus noster refugium et virtus, adjutor in tri- « bulationibus, quæ invenerunt nos nimis. » Vox Prophetæ est, et aliorum ejusdem fidei ante Christi incarnationem. Deus noster, dicunt isti, refugium nostrum est, et virtus et adjutorium in tribulationibus multis, quas passi sumus, et nunquam deseruit nos, quamvis inimici nostri multo plures et fortiores nobis fuissent. Quare igitur timeamus tanti adjutoris munîti præsidio? Et hoc est quod dicit :

« Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, « et transferentur montes in cor maris. » Propterea, inquit, neque nos timebimus, neque illi qui tunc temporis erunt, dum tota terra contra Ecclesiam conturbabitur, et in sanctorum mortem omnes homines iniqui conspirabunt. Sed quid est, quod ait : « et transferentur montes in cor maris? » Montes apostoli sunt et doctores, at vero cor maris Romani principes sunt, et alii hujus sæculi potentiores, quorum consilium et voluntatem omnes alii sequebantur. Tunc igitur montes transferebantur in cor maris, quando apostoli et doctores ante reges et principes ducebantur. Sed quid postea?

« Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ ejus. » Sonuerunt quidem aquæ maris et turbatæ sunt, quia omnes populi et nationes, quæ per aquas significantur, nimia ira commoti, et contra sanctos ut interficerentur clamare cœperunt. Sancti vero quid fecerunt? « Conturbati sunt montes in fortitudine ejus. » Conturbati enim sunt, cum in carcere concludebantur, cum catenis ligati traherentur, cum flagellis et scorpionibus cæderentur, cum igne supposito urerentur (558). Sed quis omnia tormentorum **391** genera enumerare potest, quibus sancti Dei ab impiis affligebantur? Hanc enim conturbationem Salvator noster significabat, cum suæ passionis tempore, usque ad mortem se conturbatum

(556) Pictæ B. M. Virginis imagines in veneratione habendæ, earumque cultus valde antiquus est in Ecclesia.

(557) Ex Juda Jacobi filio Christus Dominus secundum carnem recta linea prognatus apud Matthæum. cap. I, v. 2, et Lucam cap. III, v. 33, narratur.

(558) Cod. Ghis., « cum ungulis raderentur, cum in catasta exardescerent. »

Digitized by Google

esse dicebat. Et illæ guttæ sanguinis, quæ de toto ejus corpore sudabant, has diversas sanctorum martyrum passiones significabant.

« Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. » Exterius, inquit, in corpore, et ad tempus conturbatur Ecclesia de sanctorum afflictione; interius vero consolatur et lætificatur de sancti Spiritus inundatione (559). Sic enim Spiritus sanctus, quasi quoddam magnum flumen, de quo septem gratiæ, quasi septem rivi procedentes totam civitatem Dei, quæ est Ecclesia, irrigant, satiant, lætificant et fecundant. « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. » Hujus, inquit, fluminis aquis sanctificavit Altissimus, mundavit et purificavit tabernaculum suum, ut, quia ipse sanctus est, sanctum sit et tabernaculum ejus. Sic enim ipse ait : « Sancti estote, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester (*Levit.* XI, 44). » — « Deus in medio ejus non commovebitur. » Secura est illa domus quæ talem habet habitatorem, qui, quoniam nunquam ab ea commovetur et separatur, ideo nunquam ab inimicis penitus superatur. De ipsa enim dictum est : Quia et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI, 18). » Unde et subditur :

« Adjuvabit eam Deus vultu suo. » Quid est autem, « adjuvabit eam vultu suo, » nisi illustratione et lætitia faciei suæ ? Hinc enim est quod alibi dicitur : « Illumlnet Dominus vultum suum super nos, et misereatur nostri (*Psal.* LXVI, 1). » Quando enim Dominus nos adjuvat, lætam faciem, et quando non adjuvat, iratam faciem habere describitur.

« Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna, « dedit vocem suam Altissimus, et mota est terra. » Ista conturbatio bona est ; ecce gentes, quæ superius contra sanctos et contra Ecclesiam conturbatæ erant, modo contra seipsas conturbatæ esse dicuntur. Item incipiunt abominari ea quæ diligebant, et ea diligere quæ odio habebant. « Et inclinata sunt regna. » Quia ipsi quoque imperatores sub jugo Christi se humiliaverunt, et fidem, quam impugnabant, cum gaudio susceperunt. Hoc autem sub tempore Constantini imperatoris convenienter intelligi potest, quando, sanctis omnibus a vinculis absolutis, ecclesiæ apertæ sunt, et nemo fuit qui contra Christianam fidem insurgere auderet. Et nunc quidem omnibus libere prædicantibus, totus mundus pene ad fidem conversus est. Unde et subditur : « Dedit vo- « cem suam Altissimus, et mota est terra. » Dedit enim Altissimus vocem suam per ora episcoporum et doctorum, et mota est terra ab infidelitate ad fidem, a tenebris ad lucem, a diabolo ad Deum. Sed quid dicebat terra in tanta illa sua commotione ? Sequitur :

« Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster « Deus Jacob. » Hoc tale est ac si diceret : Victi sunt dii nostri, quia falsi, miseri et sine viribus erant. A Nunc autem « Dominus virtutum nobiscum » est, Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio, cui nulla creatura resistere potest, qui tam subito, tamque mirabiliter totum ad se mundum convertit. « Susceptor noster Deus Jacob. » Quia expulsis Judæis, nos gentiles in hæreditatem suscepit.

« Venite, et videte opera Domini, quæ posuit pro- « digia super terram, auferens bella usque ad fines « terræ. » Lætantur sancti, et admirantur de tanta pace, tam subito sibi divinitus concessa. « Venite, inquiunt, et videte opera Domini. » Et revera, et specialiter opera Domini, et quæ nullus alius nisi ipse solus facere potuisset, ac per hoc ea quæ modo facta sunt prodigia et magna miracula esse dicantur. Sed quæ sunt illa ? « Auferens bella usque ad fines terræ. » B Cum enim paulo ante pacem Ecclesia nusquam habuisset, subito per Dei misericordiam factum est, ut usque ad fines terræ nemo contra eam loqui auderet. De qua videlicet pace adhuc subditur : « Arcum « conteret, et confringet arma, et scuta comburet « igni. » Hoc autem contra Arianos dicere videtur, quorum impia hæresis in Nicæno concilio simul cum principe suo eodem tempore damnata est. Et quamvis omnis illorum armatura dissipata sit, adhuc tamen et arma, et bellatores ignis perpetuus exspectat.

« Vacate et videte, quoniam ego sum Deus, ex- « altabor in gentibus, et exaltabor in terra. » Venite, inquit, et videte opera Domini, et agamus ei gratias, qui data pace nos hortatur, dicens : « Vacate, et C videte. » Vacate, inquit, lectioni, et orationi et omni spirituali operationi. Et videte, cognoscite et intelligite quoniam ego sum Deus, cujus virtutem et potentiam nunc tanto opere admiramini. Et exaltabor, quasi dicat, in cunctis gentibus et in omni terra, quæ usque ad hæc tempora mihi adversari videbatur.

« Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster « Deus Jacob. » Idipsum repetunt quod superius dixerat, et gratulabundi verum per omnia esse confirmant, quia Dominus virtutum nobiscum est, quoniam nisi fortis et potens esset ea quæ superius dicta sunt, nullatenus facere potuisset.

392 PSALMUS XLVI.

D IN FINEM, PRO FILIIS CORE. PSALMUS.

Psalmus iste factus est pro filiis Core, id est pro apostolis, qui in sola Christi passione et cruce gloriantur. Unde Apostolus ait : « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi ! » (*Galat.* VI, 14.) De his autem in hoc psalmo dicitur : « Principes populorum convenerunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ nimium elevati sunt. »

« Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in « voce exsultationis. » Hanc consuetudinem habuerunt antiqui, ut præ lætitia manibus plauderent. Unde est illud : « Plaudite, Romani, ego Caliopius recensui. »

(559) « Lætificatur enim civitas Christi, cum in ea doctrinæ evangelicæ cursu populus purificatur, invehitur, et quodam prædicationis impetu repletur. aula ejus commercio sanctitatis. » S. MAX. TAURIN., serm. 14, edit. Rom., p. 434.

Digitized by Google

Hortatur igitur Ecclesia omnes gentes ut ineffabiliter gaudeant et lætentur, quoniam Salvator noster cœlos ascendit : manibus namque plaudere, majorem lætitiam significat, quam verbis explicari valeat. Et illi quidem bene manibus plaudunt, qui eam lætitiam, quam de Domino habent, bene operando ostendunt, siquidem manibus opera fiunt. Jubilatio vero in voce exsultationis ineffabile gaudium est, quod magis in corde quam in ore modulatur.

« Quoniam Deus summus, terribilis, et rex ma- « gnus super omnes deos, subjecit populos nobis, « et gentes sub pedibus nostris : elegit nos in hære- « ditatem sibi, speciem Jacob, quam dilexit. » Duplicem causam reddit, quare manibus plaudere et jubilare debemus : alteram quidem nostram, et alteram Salvatoris nostri. Nostram autem, pro tanto beneficio, quia nobis populos subjecit, et nos sibi in hæreditatem elegit. Plaudite, inquit. Quare ? Quoniam Dominus, qui modo pauper et humilis apparuit, nunc summus et terribilis, et rex magnus super omnes deos esse probatur. Summus quidem, quia omnia ei subjecta sunt, quæcunque in cœlo vel in terra sunt. Terribilis vero, quia reddet unicuique secundum opera sua. Et ipse quidem est rex magnus super omnes deos, « Quoniam omnes dii gentium dæmonia : Dominus autem cœlos fecit (*Psal.* xcv, 5). » « Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris. » Nulla namque gens, vel populus est, de quibus aliqui sanctorum pedibus se non humiliassent. Quod autem ait : « Elegit nos in hæreditatem sibi, » hoc est quod Dominus alibi dicit : « Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi (*Psal.* xv, 6). » Vocat autem eamdem hæreditatem, id est sanctam Ecclesiam, speciem Jacob, quia ipsa est de qua Apostolus ait : « Elegit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam (*Ephes.* v, 17). » Quod vero sequitur, : « quam dilexit ; » hoc est quod alibi Dominus ait : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Rom.* ix, 13). »

« Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce « tubæ. » Iterum, inquit, plaudite, et amplius plaudite, quia « ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ. » In jubilatione ascendit Dominus, id est in maximo gaudio et lætitia apostolorum, qui eum in tanta gloria tantaque virtute ascendere videbant. Sive enim in jubilatione angelorum, quos omnes cum summa exsultatione obviam ei venisse dubitare non debemus, quorum voces et laudes, quæ excellentissimæ erant, quamvis nesciamus quales erant, per vocem tubæ intelligere possumus. Et quis unquam dicere vel cogitare valeat quanta tunc lætitia in cœlis fuerit, quando Christus Dominus cœlos ascendit? Videor videre omnes angelos et archangelos illam Salvatoris nostri gloriosissimam humanitatem humiliter adorantes, et pro tanta talique victoria de hoste superbissimo sic superato gratias agentes. Et hoc totum in his verbis significatum esse puto quod hic dicitur : « In jubilatione et in voce tubæ. »

« Psallite Deo nostro, psallite, psallite, regi no- « stro psallite. » Quanto jubilo cor istius hominis, plenum erat, qui toties et cum tanta frequentatione nos psallere præcipit; videtur mihi his verbis dicere psallite, psallite, et incessanter psallite, ne vos angeli psallendo vincant ; sed quod ipsi in cœlis faciunt, et vos in terra faciatis. Et ne fortasse aliquis sic admonitus et exhortatus præ nimia lætitia, ut quondam ad motus corporis et ad salutationes surgere voluisse putet, subdidit dicens : « Psallite sapienter. » Et hoc quare? « quoniam rex omnis terræ « Deus. » Non est iste qualiscunque rex, cui psallitis; magnus et potens est, et omnis terræ rex et dominus est. Et unde hoc probat, vis audire?

« Regnabit Dominus super omnes gentes. » Victi, inquit, sunt inimici, et regnum, et potestatem diabolus amisit, non Judæorum tantum, imo et gentium. Non regnet amplius peccatum in vestro mortali corpore, quia solus Christus rex est et ubique regnat. Et ubi est ? « Deus sedet super sedem sanctam « suam ; » sicut scriptum est : « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis (*Psal.* cix, 1). » Et alibi : « Dominus, in cœlo sedes ejus (*Psal.* x, 4). » Sed ne longe esse videamur, audi Apostolum dicentem : « Nescitis quia templum Dei estis vos, et Spiritus sanctus habitat in vobis (*I Cor.* iii, 16). » Anima namque justi sedes est sapientiæ, nam super asellum sedere non est Dominus dedignatus.

« Principes populorum convenerunt cum **393** Deo « Abraham, quoniam dii fortes terræ nimium « elevati sunt. » Interrogavit Moyses Dominum quod esset nomen ejus? cui Dominus respondens ait : « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* iii, 6). » Hic est itaque ille Deus et Dominus, cum quo in die Ascensionis convenerunt principes populi, sancti videlicet apostoli, atque in ipsa die mandatum acceperunt ut irent in universum mundum et prædicarent Evangelium omni creaturæ (*Marc.* xvi, 16); et tunc quidem tot dii fortes terræ a Domino constituti sunt, sicut et Moyses, cum ad Pharaonem mitteretur, dictum est ei a Domino : « Ecce posui te Deum Pharaonis (*Exod.* vii, 7). » Fortes autem dii fuerunt isti, et aliis omnibus fortiores, quoniam non solum in terra, sed in cœlo quoque potestatem acceperunt, et claudere et aperire quibuscunque voluerint; unde et beato Petro Dominus ait : « Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* xvi, 19). » Ideoque hic dicitur : « Nimium elevati sunt. » Nimium quidem quantum ad humanam opinionem. In alia autem translatione non dicitur *nimium*, sed *valde* elevati sunt, quod satis convenientius sonare videtur (560).

(560) S. Augustinus, et Psalterium quod supra laudavimus, a Josepho Blanchino editum habent *valde*, plura vero Italæ versionis exemplaria legunt *nimium*.

Digitized by Google

PSALMUS XLVII.

PSALMUS CANTICI : FILIIS CORE. SECUNDA SABBATI.

Filii Core illi sunt qui in Calvariæ loco Christum crucifixum, diabolum victum, originale peccatum deletum, et humanum genus Christi sanguine redemptum esse non dubitant. Quod vero ait : Secunda Sabbati, sic est intelligere. Prima namque Sabbati resurrexit Dominus, suisque discipulis se manifestavit. Secunda vero de ejus resurrectione certissimi facti, inter se tractare cœperunt, quod ejus resurrectionem manifestarent, et ejus gloriam prædicarent. At vero apostolorum prædicatio, quid aliud est quam Ecclesiæ constructio? De Ecclesiæ autem constructione totus hic psalmus compositus est.

« Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate « Dei nostri in monte sancto ejus. » Magnus quidem, quia omnia continet et ubique est. Est autem et laudabilis nimis, quia quantum laudari debet, laudari non potest. Sed ubi laudabilis est, nisi in civitate sua et monte sancto suo? Civitas ejus et mons sanctus ejus Ecclesia est, quæ per Sion et Jerusalem significatur. Alibi Dominus laudari non dignatur, nisi in civitate sua et in monte sancto suo, id est in monte Sion, de quo sequitur :

« Dilatans exsultationes universæ terræ mons « Sion, latera aquilonis civitas regis magni (561). » Quoniam ex Judæis et gentilibus facta est Ecclesia, ut per Sion Judæos, per latera vero aquilonis gentiles intelligamus. Hinc est enim quod Dominus dicitur lapis angularis, conjungens duos parietes, unum ex præputio, alterum ex circumcisione. Ex his duobus parietibus Ecclesia tota consistit. Unde et in Evangelio Dominus ait : « Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor (*Joan.* x, 16). » Latera autem aquilonis, omnes illi intelliguntur quos diabolus perflat et ventilat; ibi enim fuit sedes ejus, sicut ipse ait : « Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isa.* xiv, 14). » Unde et alibi dicitur : « Ab aquilone pandetur malum super omnes qui habitant terram (*Jer.* i, 14). » De talibus igitur sancta Ecclesia fabricata est, quia non venit Dominus vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Matth.* ix, 13). Quod autem ait, « dilatans exsultationes universæ terræ, » tale est ac si diceret : Mons Sion civitas est regis magni dilatans exsultationes universæ terræ. « De Sion » enim, sicut scriptum est, « exibit lex et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* ii, 3). » Inde enim venerunt apostoli, inde fides et doctrina Christi, inde isti psalmi; inde omnis lætitia et exsultatio, quibus Ecclesia gratulatur, et per universum mundum dilatata est.

« Deus in gradibus ejus dignoscetur, dum suscipiet « eam. » Venit, inquit, Dominus ad hanc civitatem suam, sed nondum suam, quia nondum suo sanguine redemptam, et neque cognitus, neque susceptus est : « In propria venit, et sui eum non resceperunt (*Joan.* i, 11). » Sed dum suscipiet eam, in gradibus ejus dignoscetur. Hoc autem erit in judicio, quando et boni et mali astabunt ante tribunal Christi (562). Isti autem sunt illi gradus, de quibus superius **394** dicitur : « a gradibus eburneis. » Gradus Ecclesiæ apostoli sunt, quia ipsi nos portant et sustinent, et per illos omnes ascendimus. In illis autem cognoscitur Dominus, qui in illis et per ipsos omnia judicabit. Et bene quidem in discipulis cognoscetur magister, quia si ipsi sapientes sunt, jam de magistro non dubitetur.

« Quia ecce reges terræ congregati sunt et conve- « nerunt in unum, » Hoc est autem quod in titulo dicitur : « Secunda Sabbati : » secunda namque Sabbati postquam Dominus a mortuis resurrexit, congregati sunt discipuli et convenerunt in unum, simulque, ut in Evangelio legitur, clausi manebant propter metum Judæorum, inter quos et semel et iterum Christus apparuit, et dixit eis. « Pax vobis: ego sum, nolite timere. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino (*Joan.* xx, 21). » Et hoc est quod ait :

« Ipsi videntes tunc admirati sunt. » Bene autem dixit, tunc, quia in ipso principio non mirum, si admirabuntur de tanti miraculi novitate. Non tamen mirari debuerant quod ille a mortuis resurrexit qui ipsis præsentibus et videntibus alios resuscitavit, et adhuc omnes resuscitare habet (563). Nunc autem Propheta ad ea visum attendit, quæ apostoli passi sunt, postquam ad invicem divisi ubique gentium prædicare cœperunt. Neque enim alia dicere poterat, nisi ea quæ sibi intus ostendebantur. Unde et ipse alibi ait : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* lxxxiv, 8). » Et inde fit ut prophetæ materiæ continuationem et ordinem non teneant, sed modo ad hæc, modo ad illa subito transferantur, et sæpissime prius ea dicunt, quæ postea facta sunt.

« Conturbati sunt montes, et commoti sunt, tremor

(561) In Vulgata legitur : *Fundatur exsultatione universæ terræ mons Sion*, etc. Textus autem Augustini ita se habet : *Dilatans exsultationes universæ terræ, montes Sion*, etc. Concordat lectio Brunonis usque ad verba, *universæ terræ*, sed in reliquo est cum Vulgata, *mons Sion, latera aquilonis*, etc. Exponit vero S. Aug. cur montes, et non mons legatur, quam illustrationem omittimus, hic non necessariam; tanto magis, quod in eam convenit commentator noster. Conformatur versio, qua usus est Cassiodorus, textui Brunonis in omnibus.

(562) « Tunc enim Deus dignoscetur, id est potentia ipsius virtusque declarabitur, quando Ecclesia illi beatos viros afferre ipso largiente monstrabitur : dum secundum gradus meritorum sancta plebs ad dexteram collocatur. » Cassiod.

(563) S. Bruno qui omnia Veteris Testamenti facta, figuras et prophetias ad Novi significationem Testamenti traducere conatus est, versus hujus ac superioris verba quæ plane de regibus terræ loquuntur ad Christi discipulos ab obvio sensu nimis alienos convertit, ut eorum stuporem et admirationem, audita Christi resurrectione, exponeret. Nil id officit Scripturæ veritati, neque a mystica interpretatione absonum habendum est.

Digitized by Google

« apprehendit eos; ibi dolores, ut parturientis, in « spiritu vehementi conteres navis Tharsis. » Postquam, inquit, apostoli prædicare cœperunt, et deorum cultum falsum esse certissima ratione ostenderunt, et terrorem futuri judicii nuntiaverunt, et signis multis atque miraculis suam doctrinam confirmaverunt, conturbati sunt omnes qui eos audiebant, et commoti sunt, tremor apprehendit eos. Conturbati quidem sunt, alii bene, alii non bene. Sed nos modo de his qui bene conturbati et commoti sunt, dicere volumus. Bene autem conturbatur qui contra scipsum, si male vixit, credidit et contra pristinam suam conversationem conturbatur. Commoti sunt autem ab infidelitate ad fidem, a tenebris ad lucem, a falsitate ad veritatem transeuntes. Et hoc ideo, quia tremor futuri judicii et pœnarum quæ incredulos exspectant, apprehendit eos. « Ibi dolores sicut parturientis. » Boni isti dolores sunt, quia cito in gaudium convertuntur; unde et Dominus ait : « Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit filium, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundo (*Joan.* xvi, 21). » Tales igitur dolores habebant illi qui ad fidem veniebant, et pro peccatis suis dolebant et flebant.

« In spiritu vehementi conteres naves Tharsis. » Nonne vides quam subito hic mutatur persona? Quære a principio psalmi huc usque, et non invenies prophetam, nisi hic ad secundam loqui personam. Hoc autem ideo dixi, ut non quæramus omnia in prophetis, quæ in aliis Scripturis quærere solemus. « In spiritu, » inquit, « vehementi, » o Domine, » conteres naves Tharsis. » Hic est ille spiritus de quo in Actibus apostolorum legitur : « Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes (*Act.* II, 2). » Hic igitur spiritus contrivit naves Tharsis, quia innumerabiles hujus mundi civitates, oppida, castella et villas quæ per naves significantur, secundum priorem statum contrivit, et in melius commutavit. Bene autem Tharsis mundum significat, quæ in mari posita, solis navigiis, negotiationibus et deceptionibus dedita fuit.

« Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Do- « mini virtutum, in civitate Dei nostri; Deus funda- « vit eam in æternum. » Ponit se Propheta cum omnibus aliis qui admirantur de tam subita omnium gentium conversione. Sicut audivimus, inquit, a patriarchis et prophetis; ita et vidimus in civitate Domini virtutum, per quam Ecclesia significatur. Dominus virtutum dicitur Salvator noster, quia ipse est, qui per se et per suos tantas ubique virtutes operatur. Pulchre autem dixit : « Deus fundavit eam in æternum; » quia fundamentum ejus moveri non potest; unde et Dominus ait : « Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* xvi, 18). »

(564) « Hoc est Verbum quod caro factum est, et habitavit in nobis. Sicut enim redemptio Christus, ita et misericordia. » S. Ambros.

« Suscepimus misericordiam tuam in medio templi « tui (564). » Quicunque misericordiam invenire et a peccatis liberari desiderat, veniat ad templum Dei, veniat ad Ecclesiam Dei, quia nusquam alibi est remissio peccatorum.

« Secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in « fines terræ. » Sicut, inquit, nomen tuum ubique auditum est, neque est aliqua gens, quæ nomen tuum ignoret; ita fac ut laus quoque tua ubique dilatetur, **395** et extendatur, et nulla gens sit usque ad fines terræ, quæ te non laudet atque magnificet. Et beati illi, qui te laudabunt, miseri vero, qui te non laudabunt. Unde hoc? Quia « justitia plena est dextera tua, » quæ « reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* xvi, 27). »

« Lætetur igitur mons Sion, » qui te quotidie laudare non cessat, « et exsultent filiæ Judæ, » id est animæ confessorum, quæ et ipsæ in tuis laudibus perseverant. Judas enim *confessor* interpretatur, seu *laudans Dominum*. « Propter judicia tua, « Domine. » Talia enim sunt judicia tua, quæ beatos facient, et lætificabuntur omnes fideles tuos. Nunc autem apostrophem ad ipsos apostolos facit, eosque hortatur ut hujus montis solliciti sint, et omni diligentia eum muniant et custodiant. Et hoc est quod dicit :

« Circumdate Sion, et complectimini eam, et nar- « rate in turribus ejus : ponite corda vestra in vir- « tute ejus, et distribuite gradus ejus, ut enarretis « in progenie altera. » Circumdate, inquit, Sion, vos qui custodes et speculatores estis, vestrisque eam undique munite præsidiis. Et complectimini eam ulnis amoris et charitatis, ne forte ab aliis amatoribus diripiatur. « Narrate, » et prædicate « in turribus ejus, » per quas singulas Ecclesias, non mente, sed locis a se diversis intelligimus. « Ponite corda vestra in virtute ejus ; » id est toto corde, totaque intentione intendite in virtute et fortitudine ejus. « Et distribuite gradus ejus : » ordinantes episcopos, presbyteros, aliosque gradus ecclesiasticos per singulas civitates; « ut enarretis in progenie altera. » Hoc est enim quod Apostolus ait : « Plures facti sunt sacerdotes secundum legem (565), eo quod morte prohiberentur permanere (*Hebr.* vii, 23). » Si enim semper viverent, ipsi soli sufficerent, et alii ordinandi non essent; nunc autem aliis obeuntibus, alios succedere necesse est, per quos doctrina apostolica enarretur in progenie altera. Sed quid narrabitur in progenie altera?

« Quoniam hic est Deus noster in æternum, et in « sæculum sæculi, et ipse regit nos in sæcula. » Sufficit igitur nobis hoc in Ecclesia prædicare ; quia Christus Deus, et rex noster est in æternum, et quia ipse nos regit et diligit, nunquam de ejus regimine recedamus, neque unquam ad aliam doctrinam transeamus, et quæcunque præcipit humiliter faciamus, et nullum

(565) Verba *secundum legem* non habet textus Græcus, habebat autem Vulgata Latina antequam recognosceretur.

Digitized by Google

alium rectorem suscipiamus, et sufficit nobis.

PSALMUS XLVIII.

IN FINEM : FILIIS CORE. PSALMUS.

Iste titulus satis jam expositus est.

« Audite hæc, omnes gentes, auribus percipite, « qui habitatis orbem, quique terrigenæ, et filii « hominum, simul in unum dives et pauper. » Magna se in hoc psalmo Propheta locuturum esse ostendit, cum tantam omnium gentium faciat vocationem, neminem dimittit, omnes vocat, et divites et paupe-res audire jubet.

« Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cor-« dis mei prudentiam. » Simul nos et attentos et benevoles facit, dum se sapientiam et prudentiam loculurum esse promittit. Et revera summa sapien-tia hæc est, ut homo in virtute sua non confidat, neque in divitiis suis glorietur, ut misericordiam diligat, seipsum cognoscat, et carnem suam luxuriis et voluptatibus non subjiciat.

«Inclinabo ad similitudinem aurem meam » In eo quod ad similitudinem aurem suam inclinare se dicit, et per similitudinem se loqui, et non sua, sed aliena se dicere ostendit. Et hoc est quod alibi ait: « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* LXXXIV, 9). » — « Aperiam in psalterio propositionem meam. Psalterium instrumentum est musicæ artis, quod decem chordas, et non amplius habet. Decem autem sunt verba legis, in quibus præcepta omnia continentur. Ille igitur in Psalterio cantat, qui legis mandata custodit et operatur.

« Ut quid timebo in die mala ? » Nunc in simili-tudine loqui incipit, et seipsum aliis in similitudi-nem ponit, ut quod ipse dicit de se, hoc unusquis-que intelligat in se. Dies autem mala, dies judicii est, quæ ad sola mala suscipienda malis hominibus præparata est. Ut quid timebo, inquit, in die mala ? «Iniquitas calcanei mei circumdabit me.» Iniquus est ille calcaneus, qui firmus non stat, et totum homi-nem ruere facit. Multos calcaneos habemus et plu-res intus, quam foris habemus. Omnia opera nostra calcanei nobis sunt ; boni quidem calcanei, si bona sunt ; mali vero, si mala sunt; in his enim aut ca-dimus aut stamus. Ille igitur non timebit in die mala, qui bonum, dum vixit, calcaneum habuit :

« Qui confidunt in virtute sua, quique in abun-« dantia divitiarum suarum gloriantur. » Illi, inquit, timeant in die malo, qui confidunt in virtute sua et qui gloriantur in multis divitiis suis. Et ideo ti-meant, qui calcaneos iniquos habent ; tales enim **396** calcanei iniqui sunt, quia cito deficient, et eos A quos portant sustinere non poterunt. Et unde hoc probat?

« Frater non redimit, redimet homo. » Quis est iste frater cujus redemptio tam necessaria est (566)? Hic est ille, qui alibi ait : « Narrabo nomen tuum fratribus meis (*Psal.* XXI, 23). » Ipse est igitur Salvator noster, qui eos utique non redimit, « qui confidunt in virtute sua, et qui gloriantur in divitiis suis » Et si ille eos non redimit, qui et Deus est, et homo nunquid aliquis eos redimet homo? Poteritne sacerdos vel levita sanare quos non sanavit Samaritanus ? « Non dabit Deo « petitionem suam (567), nec pretium redemptionis « animæ suæ. » Ideo, inquit, non redimetur, quia ejus petitiones Deus non audit, et quia pretium re-B demptionis animæ suæ non reddit. Illorum petitiones et orationes suscipit Deus, qui bonam intentionem habent et mundo corde eum deprecantur. Illi vero redimunt animas suas qui eleemosynis et aliis pie-tatis et misericordiæ operibus peccatis suis satisfa-ciunt. « Laborabit in æternum, et vivet in finem. » Quia, inquit, mali, tales et tales sunt, ideo in æter-num laborabunt, et ad quietem nunquam pervenient. Et vivent usque in finem, sed nunquam pervenient ad finem, vellent enim mori, et ad finem pervenire si possent.

« Quoniam non videbit interitum, cum viderit « sapientes morientes. » Ideo, inquit, homines ini-qui in tormentis et doloribus vivent usque in finem, quia non intelligunt neque considerant quam juste C et quam sancte sapientes moriuntur : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV, 5). » Isti vero cogitant, et in cordibus suis dicunt : una conditio est omnium, et boni et mali, et justi et peccatores, et sapientes et insipientes, et omnes pa-riter moriuntur et in pulverem resolvuntur, nulla differentia est ; gaudeamus in hac vita, quia nesci-mus quid futurum sit in alia vita. Talis autem cogitatio iniqua est et desperatione plena ; quapropter « simul insipiens et stultus peribunt. » Hic est ille insipiens, « qui dixit in cordo suo : Non est Deus (*Psal.* XIII, 1) ; » per quem infideles homines intel-ligimus. Stultus vero est, qui sola terrena et trans-itoria diligit, quæ tam cito et tam facile amittun-D tur. Uno igitur et simili modo isti peribunt, quia talis fidelis aut parum, aut nihil differt ab infideli. Talis autem stultus erat ille, cui Dominus ait : «Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te (568) : quæ autem parasti, cujus erunt?» (*Luc.* XII, 10.) Unde et subditur :

« Et relinquent alienis divitias suas. » Hoc est

(566) « Per hominem Dominum Jesum intelligamus qui suscepit hominis conditionem, ut in carne sua peccatum omnium crucifigeret, et chirographum universorum suo cruore deleret. » S. AMBROS.

(567) Tam in Vulgata versione, quam edidit et illustravit Isidorus Clarius juxta Venet. editionem, anno 1542, quam in Psalterio a Ven. cardin. Thommasio cum notis publicato Romæ an. 1741, legitur : Non dabit Deo placationem suam. » Ubi card. Thom. adnotat : « Nec quisquam illorum sive fortium, sive divitum dabit pro se quidquam, quo Deum sibi ipse placatum reddat. » Similia habet Clarius. Cassiodorus vero, qui pariter habet, *Non dabit Deo placationem suam, ita exponit : Non dabit*, nega-tivis est, quia nulla oblatio, nulla placatio potest compensare, quod nos Divinitas est dignata redi-mere.

(568) Cod. Chis., *anima tua rapietur*

Digitized by Google

quo l in alio psalmo dicitur : « Thesaurizant, et ignorant cui congregent ea (*Psal.* XXXVIII, 7). » — « Et « sepulcra eorum domus eorum in æternum. » Postquam in sepulcris habitare cœperunt, nunquam alias domos ulterius habebunt, nam et infernus sepulcrum est, et ipsa eorum corpora sepulcra sunt, fetida quidem et putredine plena.

« Tabernacula eorum in omni generatione, et pro« genie : invocabunt nomina eorum in terris ipso« rum (569). » Sicut enim in cœlesti Jerusalem mansiones multæ sunt ; ita et in inferno multa tabernacula, et pœnarum receptacula sunt. Et sicut ibi alii ab aliis differunt in gloria ; ita et ibi alii ab aliis differunt in tormentis. « Tabernacula » igitur « eorum, » id est maligni spiritus, qui simul cum eis in ipsis tabernaculis habitabunt, « in omni generatione et progenie, » per quod infinitum tempus designatur. Inter ipsa tormenta quibus eos cruciabunt, nomina eorum turpissima invocabunt, ut hoc ipsum sit eis ad majorem pœnam atque tristitiam, quod talibus nominibus vocabuntur. Intelligendum est itaque quod inter ipsa flagella, adulteros, fornicatores, sacrilegos, fures, latrones, perjuros, homicidas, sodomitas, prædatores, et aliis nominibus, quæ ipsi melius in memoria habent maligni spiritus, eos in perpetuum vocabunt. Et ille quidem terræ populus erunt terræ ipsorum, in quibus in æternum habitabunt.

« Et homo cum in honore esset, non intellexit, « comparatus est jumentis insipientibus, et similis « factus est illis. » Hæc est causa quare homines iniqui quæ superius dicta sunt patiantur, quia cum in honore essent et ad Dei imaginem et similitudinem facti essent, non intellexerunt ad cujus imaginem facti erant ; sed potius luxuriose turpiterque viventes, jumentis insipientibus similes esse voluerunt. Bruta igitur facti sunt ; qui si voluissent, dii esse poterant. Sic enim scriptum est : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI, 6). » « Hæc via illorum scandalum ipsis. » Quis dicere valeat quanta hæc via iniquorum, et in hac vita et in alia scandala illis et pericula pariat ? Hæc via facit, ut nunquam pacem habeant, et se **397** vicissim interficiant, et ut alter alterum iniquo odio prosequatur. « Et postea in ore suo benedi« cent. » Potest autem hoc intelligi, ut post scandala et contentiones, isti tales, se invicem, non in corde, sed in ore suo se benedicant ; quod ad fictam pacem pertinere videtur. Si autem post hanc vitam hoc intelligimus, quid erit aliud : « postea in ore suo benedicent, » nisi postea benedixisse desiderabunt ? Et hoc in ore suo, per quod cogitationem convenientius, quam verba intelligere possumus.

« Sicut oves in inferno positi sunt. » Ovibus modo assimilantur, non propter aliud, nisi quia nulla ratione se defendent, sed omni virtute et fortitudine privati, quasi vilissima animalia ad mortem trahentur. Et mors quid faciet ? « Et mors depascet eos : » non dixit devorabit, sed depascet eos, ut post hoc, mortem ipsam indeficientem semperque redivivam intelligamus.

« Et obtinebunt eos justi in matutino (570). » Unde obtinebunt eos, quia justi jacebant, et nihil poterunt contra eos. Hoc autem erit in matutino, quando hac nocte longissima transacta, orietur justis sol justitiæ. « Et auxilium eorum veterascet in in« ferno ; » ubi ipsi erunt, ibi erit auxilium eorum ; per quod videlicet omnes eorum amicos et propinquos, qui eis auxiliari solebant, intelligere debemus. Isti autem veterascent in inferno, quia non modico tempore ibi habitabunt, « et a gloria sua expulsi sunt. » Hoc si initio dixisset, convenientius videretur, quia quando mortui sunt, tunc quidem a gloria sua expulsi sunt. Sed hæc in prophetis quærenda non sunt, quia quocunque vadit spiritus, illuc et rotæ sequuntur.

« Verumtamen Deus liberabit animam meam de « manu inferi, dum acceperit me. » Quasi ei aliquis diceret : Sic loqueris tu de aliis, quasi tu quoque in infernum descendere et ibi habitare non debeas ? Ad quod ipse : Scio quia descendam, verumtamen Deus liberabit animam meam de manu inferi. Quando ? dum acceperit me. Felix illa dies, et nimium felix, qua Salvator noster illuc descendit, et sanctorum animas, quæ ibi captivæ tenebantur, eripuit. Hinc est quod hic ipse alibi ait : « Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exsultabunt ossa humiliata (*Psal.* L, 10). »

« Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et « multiplicata fuerit gloria domus ejus. » Non timueris, inquit, neque divitem, neque pauperem, quia et divites cito pauperes fiunt, et sanctorum paupertas cito in divitias commutatur. Timent multoties viri religiosi, quando viros impios et superbos, qui eos odio habent in potentia et divitiis crescere vident ; quos modo Propheta consolatur et hortatur ne timeant quoniam hi tales cito deficiunt.

« Quoniam cum morietur, non accipiet omnia, « neque simul cum eo descendet gloria domus ejus. » De talibus quidem dolendum est, quia pereunt, sed

(569) « Quia opera eorum corruptibilia atque terrena, et ideo scribuntur eorum nomina, ubi vivere maluerunt. Quia autem elevaverunt opera sua, iis dicitur : *Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subjecta sunt ; sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X, 20). » S. AMBROS.

(570) Lectio Vulgatæ est : « Et dominabuntur eorum justi in matutino, et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum. » Super quæ ita S. Ambrosius : « Qui noluerunt, ut pasceret eos Christus, depascet eos mors.... Quibus licet in hac vita studium potentiæ fuerit, et divitiarum, ut aliis dominarentur ; sed in resurrectione erit servitus, cum justis matutinus splendor illuxerit : quorum figura est, quod Jacob Dominus præponitur fratri. Miserabilis itaque servitus, ut eo tempore, quo alii vocantur in gloriam splendoris et luminis ; horum gloria veterascat, et consumatur in tenebris inferorum. » Lectionem Vulgatæ hic sequitur etiam Cassiodorus ; cujus interpretationi consentit S. Ambrosius.

Digitized by Google

gaudendum est, quia suæ iniquitates merita recipiunt.

« Quoniam anima ejus in vita ipsius benedicetur. » In vita sua tantum benedicetur impius, sed ab adulatoribus sibique similibus. Postquam autem mortuus fuerit, æternam exspectat maledictionem. « Et « confitebitur tibi cum bene feceris ei. » Videmus istos tales, quando eis secundum suam voluntatem prospera accidunt, dum multoties benedicere et laudare, nec tamen ab iniquitate discedunt, sed ipsis suis prosperitatibus deteriores fiunt.

« Et introibit usque in progeniem patrum suorum « (571). » Hoc enim ipsi quasi ludentes dicere solent, quia ibi esse et habitare volunt, ubi sunt parentes eorum. Parentes autem illorum illi sunt, quorum opera imitantur. Cum illis igitur erunt in pœnis, a quibus non differunt in operibus. Unde et subditur : « Et usque in æternum non videbit lu- « men ; » quia de tenebris cæcitatis et erroris ibunt in tenebras exteriores ; ibi erit fletus et stridor dentium.

« Et homo cum in honore esset, non intellexit, « comparatus est jumentis insipientibus, et similis « factus est illis. » Hoc autem jam superius dixerat, sed in eo, quod iterum repetit, eos in sua malitia perseverasse ostendit.

398 PSALMUS XLIX.

PSALMUS ASAPH (572).

Asaph *Synagoga*, id est congregatio, interpretatur, Ipsa igitur in hoc psalmo et dicit se a Domino hoc mandatum accepisse, ut cesset a sacrificiis quæ offerre consueverat, et offerat Deo sacrificium laudis et jubilationis.

« Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit « terram, a solis ortu et occasu ex Sion species de- « coris ejus. » Dicit Evangelista de his, qui Christum receperunt, quia « dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (*Joan.* I, 12). » Omnes igitur fideles et dii sunt, et filii Dei, de quibus et Dominus ait : « Ego dixi : Dii estis (573), et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI, 6). » Deus itaque, qui deorum, id est sanctorum omnium specialiter Dominus est (ipsi enim sunt, qui ei serviunt et obediunt) locutus est, et per se ipsum et per apostolos suos. « Et vocavit terram. » Quam terram ? « A solis ortu usque ad occasum ; » — « non enim Judæorum Deus tantum, imo et gentium ; quoniam unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem (*Rom.* III, 29). » Hinc est enim quod alibi dicitur : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4). » — « Ex Sion species decoris « ejus. » Omnes, inquit, ab oriente usque in occidentem vocati sunt ; Sion vero, et Jerusalem in medio est, secundum illud : « Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ (*Psal.* LXXIII, 12). » Egregie itaque dictum est quod illa civitas in medio sita est, ex qua omnia in circuitu, fidem et doctrinam, speciem et pulchritudinem suscipere debebant. In Sion namque sanguis ille fusus est, quo totus mundus purificatus antiquam pulchritudinem decoremque recepit. Et hæc quidem de primo Christi adventu dicta sunt : nunc de secundo audiamus.

« Deus manifestus veniet, Deus noster, et non si- « lebit. » Veniet enim in primo adventu suo occultus, et in forma servi, et ideo cognitus non est. « Si enim, » ut Apostolus ait, « cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). » Veniet autem manifestus, non judicandus ; sed judicaturus. Unde et ipse ait : « Cum venerit Filius hominis in majestate sua tunc congregabuntur ante eum omnes gentes (*Matth.* XXV, 32). » Unde hoc dicitur : « Con- « gregate illi sanctos ejus. » Et quidem non silebit, qui prius quidem « tanquam ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum (*Isai.* LIII, 7). » Tacuit enim, sicut scriptum est, sed non semper tacebit ; tacere et judicare inconvenientia sunt.

« Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu « ejus tempestas valida. » Ideo prophetiæ graves sunt, quia pluribus in locis, neque tempus, neque ordinem servant. Iste enim versus postea dicendus esset, quia ea quæ sequuntur prius fient quam ea quæ hoc versu narrantur. Prius enim vocabitur et cœlum, et terra sursum, et populus a populo discernetur, et omnes sancti ante judicem congregabuntur, et prius cœli sententiam dabunt, et justitiam annuntiabunt ; et sic tandem in conspectu ejus ardebit, « et in circuitu ejus tempestas valida. » Sic enim se habet ordo, et hoc est quod ait :

« Advocavit cœlum (574) sursum, ut terram dis- « cerneret populum suum. » Prophetarum est pro credidit, et venientem libentissime suscepit. Sciendum plane, quod hic psalmus utrumque Domini adventum prophetet. » BEDA.

(571) Ita cod. Ghis. et Vallic. *Introibit in progenies.* Plures sunt codices, qui habent *in progenies*, eademque lectio est in textu quo usi sunt Clarius et Thominasius supra citati. Sed *in progeniem*, ut tradit S. Bruno, legunt Cassiodorus, codd. Casin. et Flor., quemadmodum notat etiam in hunc locum Lucas Holstenius.

(572) « Asaph fuit filius Baruchiæ de familia Gerson filii Levi, qui in lib. I Paralip. c. VI, legitur electus inter quatuor cantorum magistros, ut instrumentis musicis Domino psalmos resonaret, qui non auctor psalmi hujus, sicut de aliis dictum est, sed musicus egregius existens, in hoc tamen titulo meruit ob significationem sui nominis adhiberi ; interpretatur enim *Synagoga*. Sed hic illa Synagoga fidelis loqui intelligenda est quæ et venturum Christum

(573) « Dii dicuntur homines qui bonis conversationibus gratiam supernæ majestatis accipiunt ; sicut in alio psalmo LXXXI, 6, ait *ego dixi*, etc. Ita ergo filii dicuntur, sicut et dii : quia utrumque gratia præstat, utique non natura. *Deus* autem *deorum* est Dominus Christus ; ipse enim cum Patre et Spiritu sancto vere dicitur Deus deorum ; quod nomen non omnino divinitatis est proprium ; sed humana lingua, sicut jam diximus, summitatem ejus ultra hoc non potest indicare. » CASSIOD.

(574) *Advocavit cœlum.* Quod hic ait S. Bruno, prophetas sæpe pro futuris præterita ponere verum quidem est. Sed hujusmodi ratio hic non videtur

Digitized by Google

futuris præterita ponere, quia sic vident ea quæ futura sunt, ac si jam facta fuissent. Per cœlum et terram omnis bonorum et malorum multitudo significatur. Et merito boni cœli vocantur, quia illuc ituri sunt, et quia semper cœlestia dilexerunt. Mali vero non immerito terra dicuntur, quia sola terrena et transitoria diligunt, et ad inferiora terræ trahendi sunt. Advocabit igitur Dominus et cœlum et terram sursum, quoniam et bonos et malos, ut Apostolus ait : « Omnes astare oportet ante tribunal Christi, ut reddat unusquisque rationem de peccatis suis (*II Cor.* v, 19). » Quod autem ait sursum aperte ostendit, non in terra, sed sursum in aere judicium esse futurum. Sed quare advocavit? « Ut discernere populum suum. » Sic enim in Evangelio scriptum est, quia « Separabit bonos a malis, sicut pastor separat agnos ab hædis, et statuet agnos quidem a dextris, hædos autem a sinistris (*Matth.* xxiv, 33). »

399 Satis autem in ipsa sua positione intelligere poterunt, quibus gloria, et quibus pœna sit præparata.

« Congregate illi sanctos ejus, qui ordinaverunt « Testamentum ejus super sacrificia. » Vos, inquit, angeli, quorum officium est, congregate illi sanctos ejus, per quos episcopos et sacerdotes, omnesque ecclesiastici ordinis. Et digne quidem non simul cum aliis, sed separatim per se isti congregantur. Post hos autem veniunt apostoli, de quibus subditur : « Annuntiabunt cœli justitiam ejus. » Deinde vero ponitur ipse Dominus et Salvator noster, de quo hic dicitur : « Quoniam Deus judex est. » Ordinaverunt autem episcopi et sacerdotes Testamentum Dei super sacrificia; quia in ipsis Judæorum sacrificiis exposuerunt et ostenderunt Novum Testamentum significatum esse. Cum enim utrumque Testamentum Dei sit, illud tantummodo ejus esse dicitur, quod spiritualiter intelligitur. Quod enim in utroque Testamento ad litteram intelligitur, Vetus est : et quod spiritualiter intelligitur, Novum est. Inter nos igitur et Judæos sola littera differentiam facit, quam si illi non sequerentur, hodie nobiscum omnes Christiani essent; sed littera occidit, sicut spiritualis intelligentia Ecclesiam vivificat. Novum itaque Testamentum expositio est Veteris Testamenti. Immolat Judæus agnum, et hædum, et taurum; et ego dico Christum in his esse significatum : hoc quid aliud est, nisi Testamentum super sacrificia ordinare?

« Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, quoniam « Deus judex est. » Annuntiabunt, inquit, non suam justitiam, sed judicium Dei, « quoniam Deus judex est, » cujus justitiam et judicium cæteri nuntiabunt. Non enim solummodo apostoli, sed regina quoque Austri, et Ninivitæ in illo judicio judicabunt; sed omnes isti judicabunt sicut discipuli, Christus autem sicut Dominus et magister. Data enim sententia, et judicio hoc ordine completo, tunc sequetur quod superius dixit : « Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida. » Hæc autem magis timenda quam exponenda, et magis cum timore cogitanda quam lingua proferenda sunt. Huc usque Asaph (per quem omnes patriarchas et prophetas intelligimus) de utroque Christi adventu locutus est. Nunc autem ad ea quæ locutus est respondere incipit.

« Audi, populus meus, et loquar Israel, et testificabor tibi, quoniam Deus Deus tuus ego sum. » Satis, quasi dicat, locutus es, audi nunc, et ego loquar, et sub testificatione dicam tibi, ut ea quæ dicam firmissime teneas, et nullatenus mutare præsumas : « Quoniam ego sum Deus Deus tuus, » qui te, nisi mihi obediens fueris, impunitum abire non patiar. Quem enim sic audire, et cui sic obedire debemus, sicut Deo nostro et Domino nostre? Longe hoc inferius positum est, quod attentissime audire jubet, et se locuturum esse promittit, ibi videlicet ubi dicitur : « Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. » Et in fine Psalmi : « Sacrificium « laudis honorificabit me, et illic iter est in quo « ostendam illi salutare Dei. » Et tale est ac si diceret : Tu ipse superius laudasti, et socios vocasti, qui ordinaverunt Testamentum Dei super sacrificia; vide ergo ut non secundum litteram, sed secundum spiritualem sensum Scripturas intelligas. Quod si feceris, tunc mihi placebunt sacrificia tua, quæ quidem aliter intellecta vanissima sunt. Et hoc est quod dicit :

« Non super sacrificia arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. » Non, inquit, super sacrificia tua arguam te, quia sic facta et sic intellecta non redarguenda, sed laudanda sunt. Talia enim holocausta placent Deo, semperque sunt in conspectu ejus. Sic enim legitur de sacrificio Abel : « Quia respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus; ad Cain vero, et ad munera ejus non respexit (*Gen.* iv, 4). » Unde manifestum est quia sancti patriarchæ et prophetæ, et alii omnes in quibus erat Spiritus sanctus, ipsa sacrificia quæ faciebant, spiritualiter intelligebant. Quod in hoc Psalmo manifestissime probatur, in quo David propheta taliter et talia de sacrificiis loquitur :

« Non accipiam de domo tua vitulos, neque de « gregibus tuis hircos. » Hæc verba superioribus contraria esse videntur; sed non sunt. Sunt hirci et vituli quos suscipit Dominus, et sunt hirci et vituli quos Dominus non suscipit. Hircus est homo luxuriosus, vitulus vir superbus; qui si ad pœnitentiam redeant, et carnem suam immolare et affligere incipiant, talis hircus et talis vitulus suscipiuntur a Domino. Hinc est enim quod Apostolus ait : « Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora

habere locum, cum versio Vulgata legat *advocabit*, et consonet textui Hebraico, nec non Græco LXX interpretum. S. Gregorius quemadmodum S. Bruno quinquies citat hunc locum, scilicet *advocavit cœlum*, et Clarius, qui his verbis notam apponit. « Tam cœlestes mentes, quam mortales in hoc sæculo servire fecit ad auferendam Satanæ tyrannidem. »

Digitized by Google

vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII, 1). » Alios autem vitulos et hircos Deus non curat. Suscipiebat tamen illos aliquando propter significationem, non propter sui sanguinis effusionem.

« Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, ju- « menta in montibus, et boves. » Ut quid enim vitulos et hircos repellit, qui boves suscipit et jumenta? Non animalia, sed sacrificia repellit, quia et hæc bona sunt, sicut illa; nam et illa sacrificia pro sua significatione aliquando Domino placuerunt, quæ si modo fierent, pro sacrilegio haberentur. Sed quid per feras silvarum, nisi feroces homines et rapinæ deditos intelligimus? Et isti quidem Domini sunt; quia multoties in melius commutati Domino serviunt. Jumenta vero, 400 et boves, quia in montibus sunt, B bonam significationem habere videntur. Sunt igitur jumenta, sed bona, quia aliena opera ferunt. De quibus Apostolus ait : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Galat.* VI, 2). » Boves vero episcopi sunt et sacerdotes, qui vomere linguæ agrum Dei assidue colunt; et isti quidem in montibus sunt, per quos Ecclesias intelligimus.

« Cognovi omnia volatilia cœli, et species agri « mecum est. » Per volatilia cœli omnes illos significat, qui sapientiores in Ecclesia sunt et altius volant. Talis fuit beatus Joannes, qui speciem aquilæ habere describitur. Talis et beatus Paulus, qui ad tertium cœlum raptum se esse dicit. Tales sunt et omnes alii, qui in Scripturis intelligendis et exponendis die ac nocte meditantur. Speciem vero agri virginum choros utriusque sexus intelligimus, quos secum se Dominus habere dicit, quia in talibus delectatur; unde et ipse in Canticis canticorum dicit : « Ego flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II, 1). »

« Si esuriero; non dicam tibi. » Hoc autem tale est ac si diceret : Si tale sacrificium ulterius mihi offerre volueris, et me tali cibo delectari arbitratus fueris, nolo te habere coquum, nolo te habere ministrum, nolo te habere meorum ciborum consiliarium et infertorem. Quare hoc? « Meus est enim or- « bis terræ, et plenitudo ejus. » Sufficiant isti mihi, si me Judæi audire nolunt, et litteram quæ eos occidit tenere volunt.

« Nunquid manducabo carnes taurorum, aut san- « guinem hircorum potabo? » Irridendo hæc dicit, et Judæorum sacrificia se per omnia abominari ostendit. In Christi namque passione omnia illa sacrificia completa sunt. Unum sacrificium habemus, et ipsum æternum secundum ordinem Melchisedech. « Finis legis Christus est ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, 4). » Habemus autem et alia sacrificia, laudis videlicet et jubilationis; unde et subditur :

« Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altis- « simo vota tua. » Hoc est illud sacrificium de quo dicitur : « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est vitulos labiorum confitentium nomini ejus (*Rom.* XIII, 15). » Talia sacrificia diu noctuque facit Ecclesia, quæ cantando, et psallendo, et prædicando totum tempus expendit. Debemus ergo Altissimo reddere vota nostra, ut bona desideria, quæ in corde habemus, reddere non differamus.

« Invoca me in die tribulationis, eripiam te, et « magnificabis me. » Dixit nobis quid facere debeamus, promittit et remunerationis præmium, si ea faciamus. Sed sicut in faciendo, ita etiam in petendo desides sumus.

« Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras « justitias meas? » Non est pretiosa laus in ore peccatoris. Sed quis est sine peccato? « Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8). » De quo ergo peccatore hoc intelligimus, nisi de illo qui in peccato perseverat et ad pœnitentiam redire contemnit? Quid enim pertinet ad illum justitias Dei prædicare, qui ipsi justitiæ contrarius est? De talibus enim Apostolus ait : « Qui prædicas non furandum, furaris, qui doces non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, sacrificium facis (*Rom.* II, 21). » — « Et assumis Testamentum meum per os tuum. » Repetitio est eorum quæ dicta sunt, quia Testamentum, quod sanctum est tam polluto ore prædicari non debet. Possumus autem et per Testamentum Christi corpus et sanguinem intelligere; unde et Dominus ait : « Hic est calix Novi Testamenti; qui C pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Marc.* XIV, 24). »

« Tu vero odisti disciplinam. » Et prædicas illam? « Et projecisti sermones meos post te; » et annuntias illos? Ille projicit sermones Dei post se, qui sua sponte contra eos facit, et ad eos respicere dedignatur.

« Si videbas furem, simul currebas cum eo. » Cum fure currit, qui faciendo vel consentiendo talia operatur. « Et cum adulteris portionem tuam ponebas. » Hoc est enim quod Apostolus ait : « Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur (*I Cor.* VI, 16).

« Os tuum abundavit nequitia, et lingua tua con- « cinnavit dolum. » In hoc versu hæretici, et prædicatores dolosi et fallaces, et omnes deceptores, et D adulatores notantur.

« Sedens adversum fratrem tuum detrahebas, et « adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. » Frater noster et filius matris nostræ omnis Christianus est. Sedere autem perseverare est : de illo loquitur, qui usque in finem in sua malitia perseverat. Tales autem quomodo prædicare non erubescunt? Hinc est quod Moyses hominem leprosum, os semper clausum et coopertum habere præcipit.

« Hæc autem fecisti, et tacui; existimasti inique, « quod ero tui similis. » Hæc, inquit, omnia quæ superius dicta sunt fecisti : vidi, cognovi et tacui. Non autem semper tacebo, sed dignis correctionibus tibi respondebo, alioquin tibi similis essem. Parum enim in scelere differunt et facientes et consentien-

Digitized by Google

tes. Si hoc existimasti, magnam fecisti iniquitatem, et magnum peccatum prioribus addidisti.

« Arguam te, et statuam illa contra faciem tuam. » Non, inquit, tacebo, sed sicut dignus es, arguam te, et omnia illa mala quæ commisisti, et quæ me putas esse oblitum, statuam contra faciem tuam, ut de singulis respondeas, et dignam pro unoquoque retributionem suscipias. « Intelligite hæc omnes qui « obliviscimini Dominum, ne quando rapiat et non sit « qui 401 eripiat. » Non unius hominis, sed communis et universalis comminatio est, et quod uni peccatori videtur esse dictum, et omnes, et singuli sibi dictum intelligere debent. Quare? « Ne quando rapiat, » ille videlicet qui rapere solet. « Et non sit qui eripiat. » Quis enim illum eripiat, cui ipse Deus iratus esse cognoscitur?

« Sacrificium laudis honorificabit me. » Hic versus, sicut jam diximus, superioribus continuatur, et ideo ad ista quæ modo dicuntur pertinere non videtur. « Et illic iter est, in quo ostendam illi salutare « Dei. » Illic, inquit, hoc est in sacrificio laudis est iter, in quo qui ambulaverit et in eo perseveraverit, ostendam illi salutare Dei. Salutare, sive salus quam Deus dabit, non temporalis, sed æterna erit, quam qui susceperit, neque infirmitatem neque mortem ulterius timebit.

PSALMUS L.

IN FINEM : PSALMUS DAVID. CUM VENIT AD EUM NATHAN PROPHETA QUANDO INTRAVIT AD BERSABEE.

Hunc psalmum scripsit David pro illo peccato quod commisit in Uriam et Bersabee, dans exemplum aliis peccatoribus qualiter pœnitere debeant, et ut peccata sua manifestare non erubescant. Satis digna pœnitentia fuit, quæ tam cito Dominum ad misericordiam commovit. Scriptum est enim, quia « venit ad eum Nathan propheta, et dixit ei : Dimissum est tibi peccatum tuum (*II Reg.* XII, 13). » Sed quare dixit, in finem, cum ad ipsum Psalmus iste pertineat, nisi quia Salvatori nostro loquitur, per quem se a peccato liberari sperat?

« Miserere mei, Deus, secundum magnam miseri- « cordiam tuam. » Multas misericordias fecit Deus semper, et faciet; sed illa misericordia super omnes alias magna fuit, qua mundum redemit, et proprio sanguine peccatum originale delevit. Hæc est illa misericordia, de qua et alibi dicit : « Quoniam confirmata est super me misericordia ejus (*Psal.* CXVI, 2). » Confirmata quidem, quia ibi probatum est quantam misericordiam habuerit. Hanc itaque misericordiam primum sibi fieri postulat, quia illud peccatum super omnia peccata esse cognoverat. Et magnam spem habet, quod minora peccata dimittat, qui tam spontaneus est ad tam magnum solvendum peccatum.

« Et secundum multitudinem miserationum tua- « rum dele iniquitatem meam. » Quam singulariter magnam misericordiam dixerat, nunc pluraliter miserationum multitudinem dicit, ut per hoc quoque intelligatur illa misericordia non solum magna, sed A immensa et inæstimabilis esse. Illud autem peccatum iniquitatem suam esse dicit, quia communis fuit omnium, unde et pariter interfecit et afflixit omnes. Nunc autem de proprio suo peccato loquitur, et super communem omnium remissionem hanc sibi amplius, et specialiter fieri postulat. Et hoc est quod dicit :

« Amplius lava me ab injustitia mea, et a delicto « meo munda me. » Multi enim ab originali peccato liberati sunt, quia, nisi amplius laventur, non sufficit eis. Et illud quidem non potuit dimitti, nisi per illam magnam misericordiam, de qua modo diximus, per quam videlicet Christi passionem intelligimus. Cætera vero omnia et antea et postea sine Christi sanguine dimitti non potuerunt. Tale est igitur ac si B diceret : Scio et certus sum quia.

« Asperges me hyssopo, et mundabor, lavabis « me, et super nivem dealbabor. » Sed et modo « amplius lava me ab hac injustitia mea, et ab hoc « delicto munda me. » Et illa quidem ablutio et remissio communis erit omnium, hanc autem amplius super illam mihi ex toto corde pœnitenti specialiter tribue. Et hoc est quod ait :

« Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et « delictum meum contra me est semper. » Dignam se pœnitentiam agere ostendit, dum se iniquitatem suam cognoscere, et delictum suum semper se ante oculos habere dicit. Et taliter quidem pœnitentibus multis in locis veniam se Dominus daturum esse promittit. Dat propterea nobis exemplum, qualiter nos C quoque pœnitere debeamus.

« Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. « Rex erat David, et in suo tempore potentissimus, et præter Deum neminem timebat, ideoque dicit : « Tibi soli peccavi; » tibi soli rationem redditurus, quia nemo alius est qui me de peccato modo reprehendere audeat. Neque me tibi abscondere possum, quia quod feci, coram te feci, qui omnia vides et quem nullum latet secretum. « Ut justificeris in « sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris. » Ecce cogitat Dominus dimittere peccatum, si sermones suos justos defendere velit. Sciebat David sermones Domini, utpote ille, sicut ipse dicit, in quo Dominus loquebatur, et tantam in Deo et in sermonibus D ejus constantiam et firmitatem esse cognoverat, ut quod promiserat penitus negare non posset. Dum igitur attenderet, et pœnitentiam cordis sui et 402 sermones Domini, quibus digne pœnitentibus venia promittitur nulla ratione de misericordia, et venia sibi concedenda dubitare poterat. Judicabat igitur et se ipsum in pœnitentia sua, et Deum in sermonibus ejus, et utraque sibi convenire videbat. Dicebat enim in corde suo : Dimitte mihi peccatum meum, « ut justificeris in sermonibus tuis, » id est, ut justi et sine reprehensione inveniantur sermones tui. « Et vincas cum judicaris. » Si enim sermones Dei veri non essent, non vinceret Deus, sed potius vinceretur. Vincitur enim in judicio, cujus sermones reprehensibiles inveniuntur. Vicit igitur Deus, di-

Digitized by Google

mittendo peccatum, quia sicut promiserat, ita factum est, et sermones illius veri facti sunt. His verbis instruuntur omnes qui digne pœnitentiam agunt, ut nullo modo diffidant de misericordia Dei : quia quod promisit, firmum et stabile est. Sequitur :

« Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in « delictis peperit me mater mea. » Reddit aliam causam, quare Dominus ad misericordiam faciendam sibi se inclinare deberet, quoniam in iniquitatibus conceptus et natus sit, et ab ipsa radice hoc habebat, ut carnis voluptatibus subjaceret.

« Ecce enim veritatem dilexisti. » Tu, inquit, veritatem diligis, et ea quæ dico vera esse cognoscis, et ideo confidenter talia loquor, quia me veritatem dicere scio. Unde et subditur :

« Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti « mihi. » Multa enim per Spiritum sanctum et de præsentibus et de futuris Propheta cognoverat, quæ aliis hominibus incerta et occulta erant, et quæ nisi per Spiritum sanctum sciri non poterant. Tale autem et illud quod subinfertur.

« Asperges me hyssopo, et mundabor, lavabis « me, et super nivem dealbabor. » Hyssopus modo pro sanguine ponitur, quoniam hyssopo sanguis agni qui immolatus fuerat aspergebatur. Quid est igitur : « Asperges me hyssopo, » nisi asperges me sanguine Filii tui ? Cum enim dicat : asperges me, et ponat hyssopum, cum quo aspersio fiat, nec tamen dicat quid sit illud quod aspergatur, quid aliud intelligere possumus, nisi quod cum hyssopo ex præcepto Domini olim aspergebatur ? Hoc autem erat sanguis illius agni, qui illum agnum significabat, qui tollit peccata mundi, cujus sanguine aspersi a peccato originali mundati sumus. « Qui dilexit nos, » ut Apostolus ait, « et lavit nos a peccatis nostris in « sanguine suo (*Apoc.* I, 5). » Nihil nive candidius invenitur, nive tamen candidiorem se futurum esse dicit, per quod videlicet sanctorum clarificationem inæstimabilem significat.

« Auditui meo dabis gaudium et lætitiam. » Hoc autem gaudium tunc completum est, quando Salvator noster in infernum descendit, et istum cum omnibus aliis sanctis, de locis illis tenebrosis eripuit. Unde scriptum est : « O mors, ero mors tua, morsus tuus ero, inferne (*Ose.* XIII, 14). » — « Et exsultabunt « ossa humiliata. » Creditur enim quod David unus de illis fuerit qui simul cum Domino surrexerunt; unde et ossa sua non immerito exsultare dicit, quæ tanto tempore in pulvere humiliata fuerunt.

« Averte faciem tuam a peccatis meis, et om- « nes iniquitates meas dele. » Averte, inquit, jam nunc faciem tuam a peccatis meis, et obliviscere eorum, et ulterius ea non aspicias, et miserere mei, quem in tanta gloria susceperus, et ante alios vocaturus es. Neque enim decet ut maculatum hic esse permittas, cui tantam in alia vita gloriam paras.

« Cor mundum crea in me, Deus, » et expelle omnem vanitatem, omnem stultitiam, et malam cogitationem de corde meo ; ibi est enim fons, et origo boni et mali, ibi vitia oriuntur, ibi radices figunt, quæ nisi cito evulsa fuerint, supra modum in immensum crescunt. « Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, furta, adulteria, perjuria, homicidia, falsa testimonia, et similia, quæ coinquinant hominem (*Matth.* XV, 19). » Unde scriptum est : « Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit (*Prov.* IV, 23). »

« Et spiritum rectum innova in visceribus meis. » Spiritus sanctus, qui rectus est, et rectos facit, innovari non potest : innovari tamen dicitur, quando domum, quam pro suis offensis reliquerat, noviter iterum habitare incipit.

« Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum « tuum ne auferas a me. » His enim verbis, antequam pœnitentiam egisset, Deum sibi fuisse indignatum, et Spiritum sanctum a se recessisse ostendit. Orat igitur ut Spiritus sanctus sibi reddatur, cujus sicut prius illustratione consolatur.

« Redde mihi lætitiam salutaris tui, et Spiritu « principali confirma me. » Spiritus rectus, et Spiritus sanctus, et Spiritus principalis, unus idemque est, et nulla differentia in eo est. Vocatur autem et aliis nominibus Spiritus sanctus secundum differentiam gratiarum. Quando igitur rectos facit Spiritus rectus, et quando sanctos facit Spiritus sanctus, et quando ad principatum, aut honorem suum aliquem revocat, Spiritus principalis ab hominibus dici potest. Sicut dicitur Spiritus sapientiæ, Spiritus intellectus, Spiritus consilii, et Spiritus fortitudinis. Quod autem dicit :

« Redde mihi lætitiam salutaris tui, » videtur mihi quod illud magnum gaudium, quod de incarnatione Salvatoris nostri habere solebat, tunc amiserat, et sicut prius videre non poterat.

« Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te conver- « tentur. » Fac, inquit, quod te facere rogo, ut doceam iniquos vias tuas, 403 ut in eo exemplo instruantur, et per illas vias, per quas me ad te venire, et gratiæ tuæ reconciliatum esse cognoscunt, ipsi quoque per easdem vias veniant ad te, et gratiæ tuæ reconcilientur. Et non solum iniqui, sed impii quoque meo exemplo ad te convertantur.

« Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis « meæ, et exsultabit lingua mea justitiam tuam. » « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (*Matth.* XVI, 17). » Quamvis enim in sanguinibus omnia peccata intelligi possunt, de carnis tamen voluptatibus, et ejus concupiscentiis specialiter dicere videtur. De quibus et Apostolus ait : « Non in cubiculis et impudicitiis, sed induimini Dominum Jesum Christum (*Rom.* XIII, 13) ; » totius videlicet pudicitiæ amatorem, « et carnis curam ne feceritis in desideriis vestris (*ibid.*, 14). » — « Et exsultabit lingua mea justitiam tuam. » Lingua interioris hominis, lingua quæ loquitur tibi in corde meo de justitia tua, quia valde justus es, ut tibi vindices creaturam tuam, et inimicum tuum ei dominari non permittas

Digitized by Google

« Domine, labia mea aperies, et os meum annun- A
« tiabit laudem tuam. » Domine, inquit, labia mea aperies, quæ usque hodie clausa fuerunt, et conscientia peccati in tuis laudibus aperire timui. Sed quia peccatum meum per gratiam et misericordiam tuam mihi dimissum est, amodo non tacebo, sed os meum annuntiabit laudem tuam.

« Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem « utique. » Neque erubescerem hircum offerre pro peccato, sicut famulus tuus Moyses, et mihi, et mei similibus offerre præcepit. Utique « holocaustis « non delectaberis. » Satis, inquit, mihi notum est quia hujusmodi sacrificia tibi non placent, nisi pro sola significatione ea recipias. Et quasi aliquis dicat: Si hoc sacrificium Deus non suscipit, quod aliud sacrificium suscipere habet? Ad quod ipse : B

« Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor con- « tritum et humiliatum Deus non spernit. » Et hoc quidem sacrificium illorum est, qui de peccatis suis pœnitentiam agunt. Quod quidem omnibus illis sacrificiis significabatur, quæ Moyses pro peccato offerri præcepit. Valde namque convenientius est, ut homo seipsum immolet, et affligat, et offerat Deo, quam ut vice sua hircum, vel capram, vel animalia interficiat; illa enim interfectio hanc contritionem, afflictionem, et humiliationem significabat.

« Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua, « Sion, ut ædificentur muri Jerusalem. » Sion *speculatio* interpretatur, cujus fortitudine Jerusalem C custodiebatur et defendebatur, per quam nimirum Ecclesiæ custodes et speculatores, id est apostolos, et episcopos, et sacerdotes intelligimus. Propheta itaque qui usque nunc oravit, nunc exauditus, more solito de Ecclesia loqui, et pro ea orare incipit. Orat igitur pro illis qui muros ejus construunt et ædificant, per quos, sicut diximus, episcopi et sacerdotes significantur, sine quibus neque muri ædificari, neque lapides dolari possunt. Quot sunt Christiani, tot sunt lapides hujus civitatis, qui bitumine charitatis conjuncti, firmi et stabiles perseverant.

« Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblatio- « nes et holocausta, tunc imponent super altare « tuum vitulos. » Tunc, inquit, quando Jerusalem, id D est sancta Ecclesia ædificabitur, et muri ejus construentur, acceptabis, id est gratum et acceptabile habebis sacrificium justitiæ, non taurorum, aut hircorum, ut quondam ; sed oblationes et holocausta, subauditur ejusdem justitiæ. Inde enim omnes sancti justi dicuntur, quia justitiam faciunt, prædicant et custodiunt. Ideo enim usque hodie persecutiones patiuntur sancti, quia justitiam prædicant et defendunt, quorum videlicet afflictio et persecutio, quid aliud est quam sacrificium gratum Deo et acceptabile? De tali enim sacrificio veraciter dicitur, quia odoratus est Dominus odorem suavitatis (*Genes.* VIII, 21). « Tunc imponent super altare tuum vitulos. » Vitulos utique labiorum confitentium nomini ejus. Sed qui sunt vituli labiorum, nisi sacrificium laudis et jubilationis? Tales vitulos offerunt episcopi et sacerdotes, quando laudes Dei in Ecclesia prædicant, quando utriusque Testamenti sententias exponunt, et super altare cordium nostrorum offerunt et ponunt ; nam et corda nostra altaria sunt, in quibus laudis et jubilationis vera quotidie sacrificia fiunt.

PSALMUS LI

404 IN FINEM, INTELLECTUS DAVID, CUM VENIT DOEG IDUMÆUS, ET ANNUNTIAVIT SAULI, ET DIXIT EI: VENIT DAVID IN DOMUM ABIMELECH (575).

In finem, inquit, hujus sæculi psalmus iste referendus est, secundum intellectum David, qui in eo conqueritur de his quæ tunc temporis facta sunt, cum Doech Idumæus venit ad Saul, eique nuntiavit quod David venisset in domum Abimelech. Tunc enim, sicut scriptum est, idem Doech ex præcepto Saulis interfecit Abimelech sacerdotem, omnesque alios sacerdotes de familia ejus. Bene autem Doech Idumæus *motus sanguineus* interpretatur, qui tam facile moveri potuit ad Domini sacerdotes interficiendum, tantumque sanguinem effundendum. Significat autem Antichristum (576), qui et ipse ad sanctorum sanguinem effundendum paratissimus erit. Abimelech autem *patris mei regnum* interpretatur, per quod Ecclesiam intelligimus, quæ gens sancta, et regula sacerdotum vocatur, cujus sacerdotes ideo Antichristus interficiet, quia Christum Dominum nostrum susceperunt.

« Quid gloriaris in malitia, qui potens es in ini- « quitate? » Tanta erit malitia et potentia Antichristi, quod nisi, ut in Evangelio legitur (*Matth.* XXIV, 22), Dominus abbreviasset dies ejus, non esset salva omnis caro ; sed propter electos breviabuntur dies illi. « Regnabit enim, sicut scriptum est, per tempus, et tempora, et dimidium temporis (*Apoc.* XII, 13), » id est per tres annos, et dimidium, et non amplius, in quibus mundum pene totum, et per se et per discipulos suos ad se convertet. Unde scriptum est quia omnes homines ad se trahet, et

(575) Juxta LXX Interpretes ita hoc nomen usurpatur quibus consonant multa Latina Psalteria, Cassiodorius et editio Romana. Verum textus Hebraicus legit Achimelech, quem sequitur Vulgata tum in hujus psalmi titulo, tum lib. I Reg. cap. XXI et XXII, ubi narratur historia occisionis Abimelech. Idem sacerdos erga Davidem benignus, apud S. Marcum cap. II, 26, Abiathar appellatur, non Achimelech, seu Abimelech, fortassis quia tam Achimelech pater, quam hujus filius Abiathar erant binomii, vel quia David profugus ab utroque sanctos panes accepit. Idem titulus in hunc psalmum est apud S. Aug. qui putat propter similitudinem nominis, et unius syllabæ differentiam variatos esse titulos ; unde in aliquibus mss. legitur Achimelech, in aliis Abimelech.

(576) Hujusmodi interpretationem prosecutus est cardinalis Thommasius, et ante ipsum Cassiodorius.

Digitized by Google

ante se innumerabiles. Hic igitur in sola malitia gloriabitur, qui dixit in corde suo : « Non movebor a generatione in generationem sine malo (*Psal.* x, 6), » — « cujus os maledictione et amaritudine plenum est, et dolo (*Psal.* xiii, 3). » Cui nunc Propheta non absque indignatione dicit : « Quid gloriaris in malitia ? » Quæ est ista, o omnium hominum turpissime et nequissime, gloria tua ? Quæ est ista potentia tua, quæ nihil aliud nisi malitiam et iniquitatem operatur ? Non sufficit tibi male agere, sed insuper in scelere gloriaris, qui lætaris cum mala feceris, et exsultas in rebus pessimis (*Prov.* ii, 14).

« Tota die injustitiam cogitavit lingua tua. » Tota, inquit, die, toto tempore vitæ suæ hoc cogitabit et mente tractabit, quomodo injustitiam et iniquitatem operetur, quomodo sanctos interficiat et decipiat, quomodo miseros homines ad se convertat et secum ad perditionem trahat.

« Sicut novacula acuta fecisti dolum. » Sæpe enim novacula acuta, dum pilos radere debet, carnem vulnerat ; sic ille nequissimus, dum se justitiam defendere, et malos homines perdere simulabit, contra sanctos arma convertet, et eos digne satis interficiendos esse prædicabit. « Et tunc quidem erit tribulatio talis, qualis non fuit ab initio sæculi, usque nunc, neque fiet (*Matth.* xxiv, 21). » Et pauci quidem erunt, qui ejus dolis et deceptionibus non seducentur, cum eum potentissimum, sapientissimum, et miraculis coruscare viderint.

« Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem. » De ejus malitia et iniquitate Apostolus loquitur, dicens : « Quia nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo iniquus, filius perditionis, qui elevabitur et extollet se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, et ostendat se tanquam sit Deus (*II Thes.* ii, 3) : « Unde et subditur :

« Dilexisti omnia verba præcipitationis in lingua « dolosa (577). » Et quis est cui hæc verba quæ modo dicta sunt præcipitationis et dolosa non videantur ? Et quis unquam tanta præcipitatione tantaque barathri submersione dignus est, quanta ille cujus lingua dolosa tantas blasphemias loqui non pertimescit ? De eo namque dicit Apostolus, quod « Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui, et auferet illustratione adventus sui (*ibid.*, 8). » Nec tamen dubium est quin major eum adhuc in judicio præcipitatio exspectet ; unde subditur :

« Propterea destruet te Deus in finem, evellet te, « et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem « tuam de terra viventium. » **405** Propterea, inquit, quia tam nequam es, tam superbus, tam iniquus et dolosus, destruet te Deus in finem. Quid est in finem ? penitus et ex toto, non sic tantum, ut non sit, sed ut in honore nullo sit, et in miseriis, et in angustiis omnibus sit. Et evellet te de hujus mundi habitatione, in quo tantam hominum multitudinem decepisti et perdidisti. Et emigrare te faciet de tabernaculo tuo, id est de corpore illo nefandissimo, in quo omnis plenitudo iniquitatis, plusquam in aliquo alio homine habitavit. « Et radicem tuam de terra viventium ; » ut omnis vita tua semper sit in terra morientium, et nunquam in malo deficientium.

« Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt, et dicent. » Videbunt, inquit, justi. Sed quid videbunt ? Interitum, et perditionem, et illam terribilem præcipitationem hominis hujus nefandissimi. Et quid timebunt ? Dominum et Creatorem suum, cujus omnipotentiam et super hunc in hoc sæculo potentissimum, et super omnes alios esse videbunt. Et super hunc ridebunt. Ridere enim gaudere est, quia risus gaudium est.

« Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem « suum, sed speravit in multitudine divitiarum « suarum, et prævaluit in vanitate sua. » Apparet quam iniquus erit homo ille, de cujus interitu omnes justi videbunt, et gaudebunt, et contra quem tale testimonium perhibebunt. Ecce, inquit, homo, omnium hominum perditissimus qui Dei adjutorium nunquam quæsivit, qui totum se ad serviendum diabolo tradidit, et a sua iniquitate nomen accepit, ut quia Christo Domino per omnia contrarius futurus erat, Antichristus diceretur. « Qui speravit in multitudine divitiarum suarum, » quia cum omnibus mundi hujus divitiis superabundaret, et omnibus, quæ ad lætitiam et jucunditatem pertinent, affluentissime frueretur, Deum se esse dixit, et sicut Deum se adorari præcepit. « Et prævaluit in vanitate sua. » Quia sicut voluit, ita factum est. Hæc est enim illa bestia, de qua in Apocalypsi legitur : « Quia data est ei potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem, et adoraverunt eam omnes qui habitant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ, et agni (*Apoc.* xiii, 8). » Sic igitur homo iste prævaluit in vanitate sua, faciens omnia secundum desideria iniqua cordis sui.

« Ego autem sicut oliva fructifera in domo Do« mini speravi in misericordia Dei mei in æternum, « et in sæculum sæculi. » Ille, inquit, de quo usque nunc locuti sumus speravit in multitudine divitiarum suarum ; ego autem speravi in sola misericordia Dei mei, et sperabo in æternum et in sæculum sæculi. Fuit autem David sicut oliva fructifera in domo Domini, quia Spiritus sancti oleo inunctus, et plenus multos alios illuminavit, et sanavit, et misericordiæ pinguedine lætificavit. Hæc est illa oliva de radice Jesse, de qua illa virga egressa est, in cujus flore « requiescit Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus

(577) Apud S. Aug. legitur : « Dilexisti omnia verba submersionis, linguam dolosam. » Super quæ hæc ait. « Quid est lingua dolosa ? Ministra fallaciæ est lingua dolosa, aliud in corde gestantium, aliud ore promentium. Sed in his subversio, in his submersio. »

Digitized by Google

scientiæ et pietatis, et Spiritus timoris Domini (*Isa.* XI, 2), » de quo alibi dicitur : « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV, 8). »

« Confitebor tibi, Domine, in sæcula, quia fecisti. » Dixit quia fecisti, et non dixit quid fecerit, ut per hoc eum omnia fecisse intelligamus. Et quis alius laudandus est, nisi ille qui omnia fecit ? « Et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est, ante conspectum sanctorum tuorum. » Hoc est illud nomen, de quo propheta ait : « Ecce nomen Domini « venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum (*Isai.* XXX, 27). » Nomen Domini, verbum Domini, sermo Domini, et sapientia Domini Christus est, qui in adventu suo, et jucundus bonis, et iratus malis apparebit. Unde et bene dicitur :

« Ante conspectum sanctorum tuorum. » Bonum, B inquit, suave et ad videndum delectabile est nomen tuum. Sed ubi ? ante conspectum sanctorum tuorum. Illis quidem quale est, tale apparebit, cæteris vero quale modo superius dictum est, ardens furor ejus, et gravis ad portandum.

PSALMUS LII.

IN FINEM PRO AMELECH INTELLIGENTIA DAVID (578).

Amelech *populus brutus* interpretatur, de quo initio hujus psalmi dicitur : « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. » Et revera stultus, brutus, et insipiens est, qui hoc dicit. Et hæc quidem est intelligentia David, et aliorum omnium qui Deum esse credunt.

« **406** Dixit insipiens in corde suo : Non est C « Deus » Quamvis generaliter de cunctis gentibus quæ Deum ignorant hoc intelligi possit, specialiter tamen de Judæis intelligitur, qui videntes Salvatorem nostrum humana carne vestitum, hominem tantum, et non Deum esse crediderunt, unde etiam dicebant : « Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). » E contra vero Apostolus : « Non rapinam, inquit, arbitratus est esse se æqualem Deo (*Philip.* II, 6). » Similiter autem et ipse Dominus : « Si mihi, inquit, non creditis, operibus credite (*Joan.* X, 38). » Et alibi : « Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo (*Joan.* XV, 22). »

« Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in D « voluntatibus suis. » Corrupti, inquit, sunt a fide patriarcharum et prophetarum, quia quem ipsi Deum esse negant, hunc patriarchæ et prophetæ adoraverunt et coluerunt, et ideo digne satis, et Deo et hominibus abominabiles facti sunt in pravis voluntatibus. « Non est qui faciat bonum, non A « est usque ad unum. » Quia, inquit, tales sunt, et a sanctorum Patrum fide recesserunt, non est inter eos aliquis qui faciat bonum, quia quod ex fide non est, malum est. Nam ipse quoque orationes eorum, sicut scriptum est (*Psal.* CVIII, 7), fiunt eis in peccatum. Non est igitur in eis qui faciat bonum, at vero nec in aliis omnibus usque ad unum. Unus igitur populus, et ipse solus, qui faciat bonum, per quem populus Christianus significatur. Nulla enim alia fides est quæ salvare possit, nisi sola fides Christianorum. Et hoc quidem sequentia manifestant.

« Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens « Deum. » Ecce quales eos venit. Sequitur :

« Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, « non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Probatum est igitur a divina auctoritate quia non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ad illum videlicet unum, per quem, ut modo diximus, populus Christianus significatur. Ipse enim solus est, qui eam intelligentiam habet, de quo in titulo hujus psalmi dicitur : Intelligentia David ; ipse solus requirit Deum, quia ipse solus habet eam fidem quæ ducit ad Deum. Cæteri vero omnes declinaverunt. Unde, et quo ? a veritate ad errorem, a luce ad tenebras, a bono ad malum. Et hoc fecerunt simul et æqualiter omnes, ideoque inutiles et vani facti sunt omnes. Inutiles quidem, quia neque sibi ipsi, neque aliis prodesse possunt.

« Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, sicut « escam panis ? Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Quoniam « Deus dissipat ossa hominum sibi placentium. Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. » Nonne, inquit, aliquando cognoscent et intelligent omnes qui hæc et illa operantur quoniam Deus dissipat ossa eorum, qui sibi ipsis, et non Deo placere contendunt ? Quid enim per ossa, nisi omnem illorum virtutem et fortitudinem intelligamus ? Hæc autem maxima ex parte jam dissipata sunt, et tandem omnino dissipabuntur. Per hoc autem non solum Judæos, sed tyrannos quoque et hæreticos intelligere debemus. Omnes enim isti et iniquitatem pariter operantur, et plebem Dei devorant, sicut escam panis. De talibus namque dicitur : « Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt (*Psal.* LXXVIII, 7). » Per quod nimirum apertissime significatur, cum quanta aviditate sanctos Dei homines isti flagitiosi interfecerunt. Isti autem sunt, de qui-

(578) In editione Psalterii card. Thommasii titulus psalmi hujus ita inscribitur : *In finem, pro Maeleth, intelligentia David.* In edit. Rom. *Pro Amalech, intellectus David.* Aliter habet editio Isidori, Clarii. *Vincenti in Machalach, intelligentia David.* Historia Amalech refertur 1 Reg. cap. XXX, de qua scribit Beda in hoc titulo. Varia etiam est nominis Amalech interpretatio. Amalech interpretatur *populus lambens*, quia qui terrena nimium desiderant, ea jam ambiendo quasi *lambere* videntur; pro horum ergo conversione vel punitione psalmus iste formatur. Ita Beda : ubi vero pro Amelech habetur *Maelech*, ut in S. Augustino et Vulgata, nomen illud interpretatur *parturiens*, sive *dolens*. Secundum S. Hieronymum hic psalmus vocem continet Prophetæ, peccatores atque impios increpantis ; eumque secutus est S. Bruno in ejus expositione, Judæorum perfidiam depingens.

Digitized by Google

bus Apostolus ait : « Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum adoraverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis : et dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, volucrum et serpentium (*Rom.* I, 21). » Unde et subditur ; « illic trepidaverunt ubi non erat timor ; » neque enim hæc talia timenda erant, quæ ipsi sua malitia excæcati, quasi Deum timebant et venerabantur, qui Christum non interfecissent, nisi et locum, et gentem amittere timuissent; dicentes : « Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent nobis et locum, et gentem. Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos (*Joan.* XI, 48). » Et merito quidem sprevit illos Deus, et in eorum locum gentes elegit, quoniam et ipsi spreverunt Deum, dicentes ; « Non habemus regem, nisi Cæsarem : et nolumus hunc regnare super nos (*Joan.* XIX, 15) ; » et Christo Domino latronem prætulerunt.

« Quis dabit ex Sion salutare Israel, dum avertet « Dominus captivitatem plebis suæ ? » Legitur in Prophetarum libris, quia « de Sion veniet, qui auferet, et avertet captivitatem a Jacob (*Sophon.* II, 7). » Ipse est Salvator noster, qui in medio terræ, id est in civitate Jerusalem salutem operatus, omnes suos fideles de diaboli captivitate liberavit. Frustra igitur Judæi alium exspectant, qui eos de captivitate eripiat. « Exsultabit Jacob, et lætabitur « Israel. » In hoc, inquit, et non in alio exsultabit Jacob, ille videlicet qui malignos spiritus et vitia supplantat. Et lætabitur Israel, quando facie ad faciem Deum videbit. Cum enim idem sit Jacob et Israel, secundum aliud tamen dicitur Jacob, et secundum aliud dicitur Israel ; et Jacob **407** quidem dicitur in hac vita, Israel vero in alia vita, quia in hac vita supplantator est, in alia vero Deum videbit, sicut Joannes apostolus ait : « Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus ; scimus enim quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). »

PSALMUS LIII.

IN FINEM IN CARMINIBUS INTELLECTUS DAVID, CUM VENISSENT ZIPHÆI, ET DIXISSENT AD SAUL : NONNE DAVID ABSCONDITUS EST APUD NOS (579)?

Ubicunque David intellectum suum ponit, non ad litteram, sed spiritualiter intelligenda esse ostendit quæ dicit. Quis enim hæc ad litteram intelligere non poterat, quæ in hoc titulo narrantur? Sed aliter ipse, et aliter alii intelligebant. Neque simplex hic narratur historia, quod Ziphæi, qui *germinantes* interpretantur, venisse dicuntur ad Saul, quatenus ei traderent David. Per Ziphæos itaque Judæi intelligantur, qui divitiarum et filiorum germine abundabant. Et isti quidem sunt, qui terræ principibus Salvatorem nostrum ad mortem tradiderunt.

« Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in vir- « tute tua libera me. » Deus, inquit, in nomine tuo, id est per invocationem nominis tui, salvum me fac. Invocavit enim Filius Patrem ex nomine, quando ait : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII, 46). » Hoc enim nomen proprium illius est, qui omnium rerum pater est; sed Filii quidem naturaliter Pater est; aliorum vero vel adoptione, vel creatione Et in virtute tua libera me, » quæ tanta est, ut ei nemo (580) resistere possit. Hæc sola virtus retinet malignos spiritus, ut suam ubique voluntatem facere non valeant ; quæ si eis opposita non fuisset, nihil aliud est, quod eis resistere potuisset. Unde et de principe eorum scriptum est : « quia non est potestas super terram (581) quæ ei comparari possit, qui factus est ut neminem timeat. » Verumtamen sic Dei virtute ligantur, ut nec in porcos habeant potestatem.

« Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe « verba oris mei. » Non ei orare necessarium erat, cui voluntas sola sufficiebat. Orat igitur, non pro se, sed pro nobis, ut ejus exemplo, et magisterio doceamur, quid in tali eventu agere debeamus.

« Quoniam alieni insurrexerunt in me, et fortes « quæsierunt animam meam, et non proposuerunt « Deum ante conspectum suum. » Ut superius quidem Ziphæi, modo autem alieni dicuntur Judæi, quoniam et si carne propinqui erant, mente tamen et mala voluntate alienos se faciebant, dum tanto odio in eum insurgebant. Isti sunt, de quibus alibi dicitur : « Filii alieni mentiti sunt mihi (*Psal.* XVII, 46). » Fortes autem erant, non viribus, sed iniquitatis et malitiæ superabundantia. Talem fortitudinem illi habent. « Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum. » Si enim ante mentis oculos Deum habuissent, tam impie et tam crudeliter agere nequaquam potuissent; sed excæcavit illos malitia eorum, et quid facerent, non consideraverunt.

« Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus sus- « ceptor est animæ meæ. » Tantum adjuvit Pater Filium, quantum ipse Filius voluit, ad hoc enim venerat ut moreretur; qui si mori noluisset, nullatenus occidi potuisset. Sed quid nasci profuisset, si mortuus non fuisset? In hoc igitur cum Pater adjuvit, in quo omne ejus desiderium adimplevit, mortem destruendo, diabolum vincendo et hominem liberando. Unde et illud dicitur : « Desiderium animæ « ejus tribuisti ei. Et Dominus susceptor est animæ « suæ (582). » Quis enim alius eam suscipere debuit, nisi divinitas ipsa, quæ ei ineffabiliter conjuncta erat? Statim enim ut Salvator noster spiritum emisit, simul cum divinitate illa sanctissima anima inferni

(579) Psalmi hujus titulus apud omnes Psalterii expositores eodem modo describitur. Complectitur autem historiam proditionis Davidis a Ziphæis actæ, ut habetur I Reg. cap. XXVI. Canit ergo per totum psalmum suam Propheta liberationem, atque pro ea gratias Deo agit. Apud Bedam Ziphæi interpretantur *florentes*, apud Brunonem nostrum *germinantes*. Ipse autem a sensu litterali mysticum sensum eruit et explanat.

(580) Cod. Ghis., *nihil*.

(581) Id. cod. Ghis., *sub cœlo*.

(582) Cod. Ghis., *meæ*.

Digitized by Google

claustra penetravit, et inferno exspoliato, sanctorum animas, quæ ibi captivæ tenebantur secum eduxit. Fortior igitur illo fuit, qui suscepit animam Christi, quam illi, qui malitiose quærebant animam Christi. De quibus subditur :

« Averte mala inimicis meis. » Illa, inquit, mala averte inimicis meis, quæ ipsi mihi facere voluerunt. Voluerunt enim si potuissent auferre memoriam ejus de terra, quorum nomina merito deleta sunt de libro vitæ.

« Et in veritate tua disperde illos. » Tale est hoc quod modo dicitur : « in veritate tua disperde illos ; » quale illud, quod alibi ait : « ut justificeris in sermonibus tuis (*Psal.* L, 6). » Multis enim in locis minatur Dominus mortem, et perditionem populo Judæorum, **408** si ab ejus fide et cultura recedat. Necesse est igitur ut disperdantur et confundantur, quatenus Deus verax sit, et ejus sermones adimpleantur.

« Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini « tuo, Domine, quoniam bonum est. » Ipsi, inquit, insurgunt adversum me, et quærunt perdere animam meam, et quod ego mea sponte facturus sum, ad hoc quasi invitum me cogere volunt. Ego tamen voluntarie sacrificabo tibi, et meipsum offeram, ut eos qui in me crediturі sunt hac mea morte ab æterna morte eripiam. « Et confitebor nomini tuo. » Et per discipulos, fidelesque meos, ubique gentium laudabo nomen tuum. Quoniam hoc bonum est, hoc sanctum et justum est, ut nomen tuum ubique laudetur et prædicetur.

« Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me. » In potestate illius erat, et inimicos compescere, et tribulationes mitigare, et quidquid erat in voluntate, totum erat et in potestate. Unde et ipse ait : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X, 18). » — « Et super inimicos « meos respexit oculus tuus. » Respexit utique, vidit, et cognovit, et pœnitentes misericorditer suscepit, in malitia vero perseverantes perdidit, et nunquam eorum amplius miserebitur.

PSALMUS LIV.

IN FINEM IN CARMINIBUS INTELLECTUS DAVID.

Ubi intellectus ponitur, littera excluditur, et major Intelligentia quæritur.

« Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris « deprecationem meam, intende in me, et exaudi me. » Docet nos Salvator noster quanta instantia orare debeamus, dum unum atque idem toties repetit. Sæpe jam diximus, quia istæ orationes illi necessariæ non sunt, in cujus voluntate et potestate universa posita sunt. Sed si Christi humanitas hoc in corde dicebat, præsto erat divinitas quæ exaudiebat.

« Contristatus sum in exercitatione mea, et con- « turbatus sum a voce inimici, et a tribulatione « peccatoris. » Istæ afflictiones omnium hominum communes et naturales sunt, quas nisi Salvator noster habuisset, verus homo fuisse non crederetur. Necesse igitur fuit, ut eas se habuisse ostenderet, et hæreticos aliter credentes et prædicantes convinceret. Habuit igitur Dominus has affectiones, sed sicut voluit, ita eas habuit, quantum voluit contristatus est, et quantum voluit conturbatus est. Sic in Evangelio legitur (*Joan.* XI, 33) : quia morte Lazari infremuit spiritu, et conturbavit seipsum. Sed quid est quod ait ; « in exercitatione mea? » Quæ est ista exercitatio Christi? Non erat otiosus Salvator noster ; quotidie prædicationi instabat, et miraculis, et sermonibus suis auditores ad viam veritatis provocabat. Sed in hac sua exercitatione nonnunquam contristatus est, magis quidem de illorum infidelitate, quam de illatis sibi injuriis ab illorum perversitate.

« Quoniam declinaverunt in me iniquitates. » Ideo, inquit, « conturbatus sum a voce inimici, et a « tribulatione peccatoris, quoniam declinaverunt in « me iniquitates ; » id est quas iniqui et impii in mea passione ostenderunt, easque in me convertentes et declinantes manifestarunt (583). Dicendo autem inimicum et peccatorem, singularem numerum pro plurali posuit, quod quidem et in divinis, et in sæcularibus litteris usitatissimum est. « Et in ira « molesti erant mihi. » Valet (584) dicere, quantas molestias homines illi super omnes scelestissimi flagellando, conspuendo, alapis cædendo, et similia faciendo Salvatori nostro intulerunt.

« Cor meum conturbatum est in me, et formido « mortis cecidit super me. » Cito transiit illa conturbatio ; et illa formido super eum cadere quidem potuit, manere non potuit. Si enim in illa tanta tempestate aliquo modo non conturbaretur, nostræ naturæ particeps fuisse non putaretur (585). Unde et subditur :

« Timor et tremor venerunt super me, et con- « texerunt me tenebræ. » Venerunt quidem timor et tremor super eum, sed nihil potuerunt in eum. Cum enim Judæis ad se capiendum venientibus, obviam perrexisset, omnesque uno verbo in terram stravisset, satis manifeste ostendit, et se non timere, et quidquid volebat in potestate habere. Ubi enim tanta potentia est, ibi timor locum habere non potest. Per tenebras autem, quæ eum contexerunt, illam iniquorum sævientium multitudinem intelligimus, de qua Joannes apostolus ait : quia « lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* I, 5). » Quod enim peccatores tenebræ dicantur, audi Apostolum dicentem : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V, 10). »

« Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut colombæ, et « volabo et requiescam? » Hoc autem tale est ac si diceret : Jam tædet me horum conversatio, jam tædet me **409** hujus loci habitatio, alias transeundum est, et alius populus, qui me obediat, quærendus est. Hoc est

(583) Cod. Ghis., *omnesque suas iniquitates.*
(584) Id. cod., *pudet.*
(585) Ex cod. Ghis. editio emendatur.

Digitized by Google

enim quod alibi ait « relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII, 38). » Et angelorum voces, ut Josephus refert, in templo auditæ sunt. « Relinquamus has ædes. » Assumpsit igitur Dominus pennas, sicut columbæ, et relicta Judæorum terra volavit ad gentes, ibique requievit, qui in Judæa requiem non invenit. Unde ipse ait : « Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos? » (*Isa.* LXVI, 2.) Bene autem columbæ pennas Dominus assumpsit; illius videlicet columbæ, quæ super eum descendisse legitur, quando vox Patris audita est: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* XVII, 5). »

« Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. » Quæsivit pennas, et invenit; ipse enim eas habebat, volavit et in solitudine quievit. Solitudo dicitur ubi hominum habitatio non est. Talis autem prius erat populus gentium, quia quasi bruta animalia voluptati deditus erat, et Dei cognitionem non habebat. Et quasi aliquis diceret : Utinam hoc a principio fecisset, neque tanto tempore cum illa gente impia et ingrata permansisset! Ait : « Exspectabam « eum, qui me salvum faceret a pusillo animo, et « tempestate. » Sic, inquit, docebat, ut omnia suo ordine fierent, et ego divinitatis dispositionem exspectarem, quæ (586) in omnibus regebat, et a pusillo animo, et tempestate salvum faciebat. Naturaliter Judæos pusillos animo esse facile intelligere poterit, quicunque eorum historias legerit. Unde et rebelles et increduli sæpe dicuntur.

« Præcipita, Domine, et divide linguas eorum, « quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in « civitate die ac nocte. » Præcipitati sunt Judæi, quia ubique gentium violenter tracti et servituti subjugati sunt. Divisæ autem sunt linguæ eorum quia non una lingua loquuntur, ut prius, sed alii Græce, alii Latine, alii vero barbarice loquuntur, secundum provincias, et loca in quibus habitant. Qua in re eos dividendos et in omnes mundi partes dispergendos jam ex tunc significabat. Et merito quidem sic dividuntur et ab invicem separantur, ut vel ipsa paucitate deficiant et quiescant, qui die ac nocte ad litigandum et ad contradicendum parati sunt. Usque hodie namque Judæi, ubicunque sunt, contra veritatem loqui et pugnare non cessant. Hanc autem illorum iniquitatem et contradictionem per singulas civitates, et præcipue in civitate Jerusalem se vidisse Dominus hoc in loco testatur, dicens : « Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate die ac nocte. »

« Circumdabit eam super muros ejus iniquitas, « et labor in medio ejus, et injustitia. » Iniquitas, inquit, et labor, et injustitia, radicata et fundata in medio ejus, circumdabit eam super muros ejus. Sic enim se habet ordo : misera illa civitas, quæ in circuitu et medio ejus talibus munitur præsidiis. Quid autem per muros ejus, nisi Scribas et sacerdotes cæterosque alios qui munimentum populi esse videbantur, intelligere debeamus? Qui quanto sapientiores erant, tanto amplius omni iniquitate et malitia abundabant.

« Et non defecit de plateis ejus usura et dolus. » Si in plateis erat usura et dolus, quid in locis abditis et occultis fuisse putamus? Si palam talia fiebant, multo deteriora in abscondito fieri non dubitamus.

« Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, « supportassem utique, et si is qui oderat me super « me magna locutus fuisset, abscondissem me uti- « que ab eo : tu vero homo unanimis, dux meus, et « notus meus, qui simul mecum dulces capiebas « cibos, in domo Domini ambulavimus cum con- « sensu, » illorum subauditur, malis consiliis acquiescens, me ad mortem tradidisti. « Veniat mors super illos, » qui te in hoc facinus induxerunt. Nunc autem significationem videamus. Vulgare est ut inimicus inimicum maledicat et persequatur, et de eo mala loquatur. Sed ut amicus dominum et magistrum aliquis tradat, persequatur et maledicat, omnino absurdum, inconveniens, extraneum et importabile est. Quis enim a tali homine se abscondere, talisque hominis insidias effugere valeat? Erat autem Judas usque ad id temporis unanimis cum Domino, sibique familiaris, ejusque secretorum et consilii particeps, quem sicut cæteros Dominus diligebat, quamvis talem aliquando futurum esse sciebat. Sola præsentia judicat Dominus, nec præterita, nec futura intuetur; qualiscunque fueris, si bonus es, securus esto : « Peccator quacunque hora conversus fuerit, dicit Dominus, omnium iniquitatum ejus non recordabor (*Ezech.* XXXIII, 13); » sed vigilandum est semper, quia nescimus diem, neque horam. « Tu vero, inquit, homo unanimis, dux meus, » id est dux et apostolus, sicut cæteri omnium aliorum a me constituti. « Et notus meus, » quem inter primos magisque familiares discipulos habebam.

« Qui simul mecum dulces capiebas cibos, » et spirituales videlicet et corporales, secundum illud : « Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet (*Matth.* XXVI, 23). » Nam et ipse de illis unus erat, quibus Dominus dixerat : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis (*Marc.* IV, 11). » Et isti quidem erant illi cibi dulcissimi, quos simul cum Domino capiebat; « in domo Domini ambulavimus cum consensu. » Sæpe enim in templum Salomonis **410** cum consensu et reverentia Dominum secutus, se ei coram omni populo et amicum, et discipulum esse ostendit. Unde si Deum non timebat, vel faciem hominum erubescere debuerat.

« Veniet mors super illos. » Super illos qui tui consilii participes fuerunt, qui tibi pecuniam dederunt, et tanti sceleris conscii fuerunt. « Et descen- « dent in infernum viventes. » Ecce isti jam judi-

(586) Cod. Ghis., *quæ me ubique*, etc.

Digitized by Google

cati et damnati sunt, et sententia mortis jam veniet super eos : nihil aliud restat, nisi ut facta resurrectione, descendant in infernum viventes, qui modo in anima ibi sunt tormenta patientes.

« Quoniam nequitia in hospitiis eorum, in medio « eorum. » Nisi enim nequitia in cordibus eorum esset, quæ per hospitia intelligimus, nunquam tantum scelus agere potuissent.

« Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus exau- « divit me. » Iste clamor non oris, sed solius voluntatis fuit. Magnus est clamor voluntatis ejus, et clarissime resonat in auribus divinitatis, et nulla moræ distantia est inter orationem et exauditionem. Nam et Moyses longe Christo inferior in corde clamabat, et tamen dictum est a Domino (587) : « Quid clamas ad me? » (*Exod.* XIV, 15.)

« Vespere, et mane et meridie narrabo, et annun- « tiabo, et exaudiet vocem meam. » Notandum quia ordine commutato, prius vespere, deinde mane, postmodum vero meridie posuit. Promittit igitur Salvator noster se narrare et annuntiare per discipulos et fideles suos ea quæ vespere, ea quæ mane et ea quæ meridie sibi facta sunt; quoniam memoria dignissima sunt, et eo quo ponuntur ordine facta sunt. Vespere namque in cruce positus spiritum emisit. Unde est illud : « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum (*Psal.* CXL, 2). » Mane vero die tertia resurrexit : meridie cœlos ascendit. Narrat igitur Ecclesia ea quæ facta sunt vespere et mane, et meridie, quia Christi passionem, et resurrectionem, et ascensionem quotidie cantare et prædicare non cessat Et hanc quidem vocem exaudit Deus, quia nulla laus et jubilatio est in qua magis delectetur.

« Liberabit in pace animam meam ab his qui « appropiant (588) mihi, quoniam inter multos erant « mecum. » Qui sunt isti qui appropinquant Domino, et quos inter multos alios secum fuisse dicit, a quibus, ut tamen pacem habeat animam suam liberari petiit? Quomodo enim secum erant, si ab eis animam suam liberari desiderat? Ego puto aliquos fuisse, qui ipso tempore passionis ei ad custodiam dati fuerant, ne effugere potuisset. Unde et alibi dicit : « Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam (*Psal.* CXLI, 6). » Ut enim exemplo facilius hoc intelligamus, mihi quoque hoc accidisse scio, qui cum aliquando captus fuissem, mihi quidam ad custodiam dati sunt, qui præ cæteris me odio habebant, et ipsi quidem semper erant mecum, juxta me sedebant, sine quibus nihil agere poteram. Erant igitur mecum, sed non pro bono, neque meæ voluntatis mecum erant. Puto quod exemplo facile intelliguntur, qualiter cum Domino illi fuerint, quos secum inter multos fuisse dicit. Hucusque Salvator noster locutus est, cætera quæ sequuntur Propheta loquitur (589).

(587) Id. cod., *et labia non movebat.*

(588) In Vulgata legitur *appropinquant* : ita in Cassiodoro.

« Exaudiet Deus, et humiliabit eos qui est ante « sæcula et manet in æternum. » Exaudiet, inquit, Deus, et absque dubio audiet ea quæ Judæi contra eum male et indecenter loquuntur, et humiliabit eos, ut, sicut aliquando excelsiores fuerunt cunctis gentibus, ita econtra pro suis iniquitatibus subjiciantur omnibus gentibus.

« Qui est ante sæcula, et manet in æternum. » Cui illi insultando dicebant (*Joan.* VIII, 57) : « Nunc cognovimus quia dæmonium habes; quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? » Quibus ipse : « Ante, inquit, quam Abraham fieret, ego sum. »

« Non est illis commutatio, et non timuerunt « Deum. » Non est, inquit, illis commutatio, utpote illis qui Deum non timent, ut a malitia sua per pœnitentiam commutentur et sanentur. Unde et per prophetam Dominus ait : « Excæca cor populi hujus, ne forte convertantur, et sanem eos (*Isa.* VI, 10). » Et ideo non immerito « extendit Dominus ma- « num suam in retribuendo illis. »

« Contaminaverunt testamentum ejus. » Testamentum Dei Judæi commaculant, quia perverse et contra fidem illud exponunt, et ea quæ de Christo dicta sunt, illi de Antichristo dicta esse prædicant. Quo circa digne satis divisi et dispersi sunt per universum mundum. « Ab ira vultus ejus. » Egregie autem dixit : « ab ira vultus ejus, » quia citissime in vultu ira cognoscitur. Et appropiavit cor ejus. » Longe erat prius a Judæis cor et voluntas Dei; quia ejus voluntatem cognoscere non poterant, nunc autem de patria ejecti, et tanto tempore exsiliati cognoscere (590), et Deum sibi iratum esse intelligere possunt. Appropinquavit autem et aliter Judæis cor et sapientia Dei, quando inter eos Salvator noster prædicare cœpit.

« Mollierunt sermones suos super oleum, et ipsi « sunt jacula. » Hoc autem faciebant Judæi, cum dicerent : « Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate 411 doces, et non est tibi cura de aliquo : non enim respicis personam hominis (*Marc.* XII, 14). » Nonne tibi isti sermones satis molles et dulces esse videntur? Ipsi tamen sunt jacula quibus eum ferire et vulnerare nitebantur. Hoc enim ideo dicebant, sicut in Evangelio legitur, ut caperent eum in sermonibus. Sed Jesus cognita nequitia eorum ait : « Quid me tentatis, hypocritæ? » (*Matth.* XXIV, 18).

« Jacta in Deum cogitatum tuum, et ipse te enu- « triet. » Tu, inquit, vir Christiane et fidelis, fuge Judæorum consortium, quia sicut Apostolus ait : « Sermo illorum ut cancer serpit (*II Tim.* II, 17), » et facile suos decipiunt auditores. « Jacta in Dominum cogitatum tuum, » et ipse te docebit. Ipse te enutriet doctrina catholica et spiritualis. Hoc est enim quod Jacobus apostolus ait : « Si quis indiget

(589) Cod. Ghis., suppletur editio.

(590) Cod. Ghis., *aliisque calamitatibus oppressi facile Dei voluntatem cognoscere.*

Digitized by Google

sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et dabitur ei (*Jac.* I, 5). »

« Non dabit in æternum fluctuationem justo. » Ille dat fluctuationem, quando ponit hominem in his contra tentationem; « Deus autem neminem tentat (*ibid.*, 12). » Quando igitur homo tentatur in his quæ contra fidem esse videntur, cito ad se redeat, et hanc talem cogitationem, sive potius tentationem a Deo non esse cognoscat. « Tu vero, Deus, deduces « eos in puteum interitus. » Illi, inquit, fideles tuos in puteum erroris præcipitare nituntur, sed quod illis infelicius erit, in puteum interitus et perditionis eos deducet.

« Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies « suos. » Universalis comminatio est contra homicidas, Judæos, hæreticos, omnesque dolosos, et deceptores, et animarum interfectores. Isti autem non dimidiabunt dies suos, quia non tantum vivent quantum se vivere sperant. Unde et bene subditur :

« Ego vero in te sperabo, Domine, » neque mihi longos hujus vitæ dies constituam, sed quacunque hora tibi placuerit, et me vocare volueris, paratus ero. Bene autem dixit dies suos, quia aliter Deus, aliter ipsi dies suos ordinant atque disponunt, neque attendunt quod alibi dicitur : « Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt (*Job* XIV, 5). »

PSALMUS LV.

IN FINEM PRO POPULO, QUI A SANCTIS LONGE FACTUS EST, DAVID IN TITULI INSCRIPTIONEM, CUM TENUERUNT EUM ALLOPHYLI IN GETH.

Populus ille, qui a sanctis et fidelibus David longe factus est, Judæi sunt. Sed quando factum est hoc? In tituli inscriptione, quando Christum suum regem esse negaverunt, dicentes Pilato : « Noli scribere regem Judæorum, sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum (*Joan.* XIX, 21), » Et tunc quidem tenuerunt eum allophyli in Geth (591). Allophyli *sine capite* interpretantur; per quos eosdem ipsos Judæos intelligimus, qui decollati sunt, et sine capite, nullum de gente sua regem habentes, nec sacerdotem. Geth vero *torcular* dicitur. Significat autem civitatem Jerusalem, in qua velut uvæ in torculari, sic totus populus ille compressus, totam terram illam proprio sanguine perfudit, et cruentavit. Sic itaque Jerusalem non solum sanctorum, qui in ea interfecti sunt, sed suæ quoque gentis torcular facta est.

« Miserere mihi, Domine, quoniam conculcavit « me homo, tota die bellans contribulavit me. » Ecclesia loquitur contra illos qui a sanctis longe facti sunt. Multis modis mali homines, Judæi videlicet, hæretici et tyranni sanctam Ecclesiam olim conculcaverunt et afflixerunt, et adhuc etiam falsi Christiani eam affligere et conculcare non cessant. Unde et valde convenienter dixit, tota die; quia hæc afflictio et conculcatio non cessabit, nisi cum die.

« Conculcaverunt me inimici mei tota die. » Non solum, inquit, homo, non solum ille populus, qui cum prope esset, longe a sanctis factus est in tituli inscriptione, verum etiam omnes alii inimici mei conculcaverunt me, et adhuc quidem conculcare non cessant, quia nondum conculcationis finitus est dies. Sed die mihi quando ista tua conculcatio cœpit : « ab altitudine diei. » Dies iste Christus est, qui de se ipso ait : « Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris (*Joan.* VIII, 12). » Ex quo autem dies iste super cœlos exaltatus et elevatus est, ex tunc sancta Ecclesia et affligi et conculcari cœpit. Hoc enim ipse Dominus discipulis suis prædixerat. « Veniet, inquit, hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* XVI, 2). »

« Quoniam multi, qui debellant me, timebunt, « ego vero in te sperabo, Domine. » Seipsam consolatur Ecclesia, considerans quæ pœna sit præparata adversariis suis, et quæ gloria sit præparata pro afflictionibus suis. Illi, inquit, qui me debellant, in judicio timebunt, ego vero, quia in te sperabo, nihil timebo. Mea igitur tristitia vertetur in gaudium; horum vero gaudium in tristitiam convertetur.

« In Deo laudabo sermones meos, tota die in Deo « sperabo, non timebo quid faciat mihi homo. » Laudet igitur unusquisque sermones suos, sed non ideo quia sui sunt, sed potius quia de Deo loquuntur, **412** et de Deo sunt. Laudabiles sunt sermones nostri, si a veritate non recedant, si tempori locoque conveniant. Tales enim conscientia nostra laudare potest, aliter vero laudare non potest, « Tota die, » omni tempore vitæ meæ, quidquid mihi contingat, sive prospera sint sive adversa, « in Domino sperabo, » et ideo « non timebo quid faciat mihi homo. »

« Tota die verba mea exsecrabantur adversum me. » Ego, inquit, in Deo laudabam sermones meos, et fideles, et catholicos esse dicebam; illi e contra adversum me disputantes exercebantur, et blasphemabant omnia verba mea, et suis rationibus ea infirmare et destruere conabantur. Unde et subditur : « Omnia consilia eorum in malum. » In malum eamque sunt omnia Judæorum et hæreticorum consilia, quæ et animas interficiunt, et simplices quosque a via veritatis deviare faciunt.

« Inhabitabunt et abscondent, ipsi calcaneum « meum observabunt. » Tales erant illi de quibus in Evangelio dicitur : quia « cum intrasset Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum (*Luc.* XIV, 1). » Unde et Apostolus conqueritur de quibusdam falsis fratribus qui subintroierunt, ut explorarent conscientias eorum, de quibus ipse quoque Dominus ait : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. » Unde et Apostolus conqueritur de quibusdam falsis fratribus qui subintroierunt, ut explorarent conscientias eorum, de quibus ipse quoque Dominus ait : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus au-

(591) Allophyli est græca vox ex ἀλλόφυλος quæ significat virum alterius tribus vel generis, vel nationis, quamobrem ex eo nomine extraneos intelligimus; ac propterea sese sustinere potest interpretatio S. Brunonis, ut paululum attendenti perspicuum fiet.

Digitized by Google

tem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII, 15). » Et isti quidem inter sanctos dolose habitantes, et cordis malitiam abscondentes Christianos se esse fingebant, et quoscunque poterant vel accusabant, vel decipiebant; observabant autem calcaneos eorum, qui si in aliquo eos offendere, vel cadere, vel contra legem facere cognovissent, hoc memoriæ commendabant, et opportuno tempore eos accusando objiciebant. Calcaneus enim pro casu ponitur, quia qui cadit, calcaneo cadit. Sequitur :

« Exspectavit anima mea, pro nihilo salvos facies « eos. » Desiderium sanctorum est, et hoc exspectant ut, sicut digni sunt, impii puniantur, nisi ab impietate sua ad Deum convertantur. Quod autem ait : « pro nihilo salvos facies eos, » tale est ac si diceret : Nihil in eis est, pro quo salvari debeant. Unde et subditur : « in ira populos confringes. » Hoc erit in judicio, quando Deum iratum sibi esse intelligentes in ignem mittentur æternum.

« Deus vitam meam nuntiavi tibi, posui lacrymas « meas in conspectu tuo. » Felix illius hominis conscientia qui de vita sua tantum confidit, et lacrymas suas ante Deum ponit. Omnia videt Deus, et ipsa corda nostra illi loquuntur, et quidquid in eis est sibi annuntiant.

« Sicut in repromissione tua convertentur inimici « mei retrorsum, in quacunque die invocavero te. » Sicut, inquit, tu promisisti, in quacunque die te invocavero, convertantur retrorsum, ut mihi resistere non valeant inimici mei. Promissio namque illius hæc est : « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan.* XIV, 18). » Et : « Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXIV, 20). » Itemque : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). » — « Ecce « cognovi quoniam Deus meus es tu. » Ecce, inquit, cognovi quoniam Deus meus es tu, qui nunquam deseris sperantes in te, et ecce quæ mihi futura sunt, mihi tam subito intus revelare dignaris. Subito enim dum loquerentur sancti, plerumque spiritu prophetiæ de his quæ illis futura erant instruebantur.

« In Deo laudabo verbum, et in Domino laudabo « sermonem, in Deo sperabo, non timebo quid fa- « ciat mihi homo (592). » Quoniam, inquit, Deus meus tu es, in te laudabo verbum, et in te laudabo sermonem, et fidem tuam quam prædicavi, et doctrinam tuam quam annuntiavi; nullo modo negabo, sed usque ad mortem confirmabo. Et quoniam in te sperabo, non timebo quid faciat mihi homo. Nihil enim potest humana fortitudo contra Dei potentiam et voluntatem.

« In me sunt, Deus, vota, quæ reddam. laudationes « tibi. » Nemo se excusare potest, sive dives sive pauper sit, unusquisque in se ipso et in corde suo habet quod Deo vovere et reddere potest. Non habes aurum, non habes argentum, non habes pecuniam quam Deo offeras· neque ipse hoc exigit a te: audi ipsum dicentem : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* XXII, 21). » Hoc sit semper in voto tuo et in desiderio tuo, et eum semper laudes et benedicas, et ab omni iniquitate quiescas; et sufficit tibi. Hinc est enim quod toties in his psalmis dicitur : *Laudate Dominum, benedicite Dominum, confitemini Domino, psallite Domino*, etc. Hæc etiam tacendo solvere potes, si cor mundum habeas, et in eo qui te fecit delecteris et gaudeas. Unde et alibi dicitur : « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (*Psal.* XXXVI, 4). » Et Apostolus : « Gaudete, inquit, in Domino semper, iterum dico gaudete (*Philip.* IV, 4). » Et hoc quidem est illud sacrificium laudis, quod Deo quotidie immolare debemus.

« Quoniam eripuisti animam meam de morte; » non qualicunque pretio, sed proprio sanguine tuo. Unde Apostolus ait : « Empti enim estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI, 20). » — « Oculos meos a lacrymis, » quas vel fumus, vel dolo, vel aliqua molestia excutere solet. Qui enim in igne erunt, sine fumo et molestia esse non poterunt. Hanc autem molestiam illi non sentient de quibus dicitur : « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors non erit ultra, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quia prima abierunt, et facta sunt omnia nova (*Apoc.* XXI, 4). » — « Pedes meos a lapsu. » Quid igitur illis profuit de quibus superius dicitur : « Ipsi calceamentum observabunt (*Psal.* LV, 7). » « Væ soli, quia cum ceciderit, non est qui sublevet eum (*Eccle.* IV, 10). » Sancti vero soli non sunt, quia semper cum Domino sunt, et dicunt : « Tenuisti « manum dexteram meam, ut placeam coram Domino « in lumine viventium. » Ideo, inquit : « Eripuisti animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu, ut placeam Domino in lumine viventium, » quia aliter ibi neque esse, neque placere Domino potuissem. Et bene quidem dixit « in lumine viventium, » quia illi soli in lumine erunt, illi soli vitam habebunt. Illa enim vita quæ semper in tormentis est potius mors quam vita dicenda est

PSALMUS LVI.

IN FINEM : NE DISPERDAS DAVID, IN TITULI INSCRIPTIONE, CUM FUGERET A FACIE SAUL IN SPELUNCAM.

Quando dictum est, « ne disperdas? » In tituli inscriptione. Quando fuit illa inscriptio? Cum David fugeret a facie Saul in speluncam. Hoc autem secundum litteram nunquam factum est, et ideo in finem referendum est. In tituli namque inscriptione, de

(592) Ab Ecclesia orthodoxa hæc dicta intelligit Cassiodorus : « In Patre enim se promittit Filium laudaturam; ut quidquid de illo dicitur, de isto pariliter sentiatur. Nam cum prædicamus æternum atque omnipotentem Patrem, æternum atque omnipotentem Filium sine dubio confitemur. Unum est in utroque præconium; quoniam una virtus amborum, individua gloria, quando indivisibilis est natura, » etc.

Digitized by Google

qua jam superius diximus, cum Judæi dixissent Pilato : « Noli scribere regem Judæorum; » respondit illis : « Quod scripsi scripsi (*Joan.* XIX, 22). » Hoc autem tantum valuit quantum si dixisset : ne disperdas. Servata est itaque Scriptura, et, velint nolint Judæi, rex Judæorum est Christus. Et tunc quidem fugit David, id est Salvator noster, in speluncam sepulcri, a facie Saul, per quem Judæorum principes intelligimus. Bene autem dixit, fugit, quia quasi furtive et sub celeritate ejus corpus sepulturæ traditum est (593).

« Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in « te confidit anima mea. » Confidenter hoc Ecclesia dicere potest, quia adhuc mortuus est, ut ejus misereretur. In te, inquit, confidit anima mea, qui tantum me dilexisti, ut animam tuam poneres pro anima mea. « Majorem enim hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV, 13). »

« Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec « transeat iniquitas. » Vidi te, inquit, quasi dicat, in cruce modo pendentem, manus, et brachia, velut alas extendentem; sub umbra istarum alarum protege me, quia ego in umbra alarum tuarum spero. Omnis enim spes Christianorum, crux et passio Domini est. Hanc autem spem habet Ecclesia, donec mundus transeat cum iniquitatibus suis; deinde vero jam spes non erit, susceptis omnibus quæ sperari possunt. Unde Apostolus ait : « Nunc autem manent fides, spes, charitas, major autem horum est charitas (*I Cor* XIII, 13) ; » quia semper erit.

« Clamabo ad Deum altissimum, et ad Dominum « qui benefecit mihi. » Clamabo, inquit, donec transeat iniquitas, postea vero clamare necesse non erit. Sed ad quem clamabo? ad Dominum altissimum, et ad summum bonum; ad illum clamabo, a quo bona cuncta procedunt; ad Dominum, qui benefecit mihi. Computa nunc, si vales, quanta bona fecerit tibi Deus. Cum non esses te creavit et fecit, et non solum fecit, sed ad imaginem et similitudinem suam te fecit, vitam et misericordiam tribuit tibi : « Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32). » Sed audiamus adhuc quomodo Dominus nobis benefecerit.

« Misit de cœlo, et liberavit me, dedit in oppro- « brium conculcantes me. » Misit, inquit, de cœlo, de seipso, de sinu suo, et de corde suo, et liberavit me. « Dedit in opprobrium conculcantes me. » Malignos nempe spiritus, Judæos, hæreticos et tyrannos. Omnes isti in opprobrium dati sunt, quia statim de hac vita exeunt, in tenebras demerguntur. Misit igitur de cœlo, sed quid misit?

« Misit Deus misericordiam suam et veritatem « suam; » id est Jesum Christum, Filium suum. Egregie, cum non misericordem neque veracem, sed potius propter excellentiæ magnitudinem, misericordiam et veritatem eum vocavit.

« Animam meam eripuit de medio catulorum leo- « num, » per quos inimicos homines et malignos spiritus intelligimus : quia jam ad devorandum parati erant; inter quos dormivi longo tempore, sed conturbatus dormivi; non erat ille somnus quietis et pacis, sed conturbationis et oblivionis. Sic phrenetici dormire solent, et qui horribilia in somnis vident. Sæpe enim somniis perterriti et conturbati iterum dormire timent, ne his similia videre contingat.

414 « Filii hominum, dentes eorum arma, et sa- « gittæ, et lingua eorum machæra acuta est. » Non mirum, inquit, si inter tales conturbatus dormivi, meique oblitus pacem inter eos, et quietem habere non potui, quorum dentes arma et sagittæ sunt, quorum linguæ machæræ acutæ semper ad disputandum, ad litigandum, ad blasphemandum, ad maledicendum, ad decipiendum et contradicendum paratæ sunt.

« Exaltare super cœlos Deus, et super omnem « terram gloria tua. » Dixit modo superius, misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam, id est Salvatorem nostrum, de quo in titulo dicitur quod in spelunca sepulcri latuerit; nunc autem eum rogat ut super cœlos ascendat, et cunctis gentibus suam gloriam manifestet. Quo expleto ad narrationem reddit, et ea quæ cœpit ex ordine narrat.

« Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurva- « verunt animam meam. » Multi sunt laquei, et multæ sunt deceptiones, quas homines iniqui sanctis opponunt, quibus eos capiunt, et cadere faciunt. Anima autem, quæ erecta stat, cœlestia contemplatur; quæ vero incurvata est, sola terrena et transitoria intuetur. Qui igitur sola terrena et transitoria quærit, animam suam incurvatam esse dubitare non debet.

« Foderunt ante faciem meam foveam, et ipsi « inciderunt in eam. » Sic enim alibi scriptum est : « Qui fratri suo foveam parat, ipse prius cadit in eam (*Eccle.* X, 8). » Fovea itaque dolus et deceptio est, quam quicunque facit, sibi ipsi foveam parat, non tantum deceptionis, sed mortis quoque et perditionis. De qua videlicet fovea Dominus ait : « Si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadunt (*Matth.* XV, 14). »

« Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; « cantabo, et psallam Domino (594). » Faciant illi quidquid velint, dicant quod velint, laudent dogmata sua, vituperent nostra, cor meum tamen semper paratum est ad cantandum, ad jubilandum, ad laudandum et prædicandum verbum vitæ et salutis, cunctis gentibus nuntiandum. Et hoc est quod dicit : « Cantabo, et psalmum dicam Domino. » Sed

(593) Aliter exponit Cassiodorius illa tituli verba : *Cum fugeret a facie Saul in speluncam.* « Actus iste, inquit, et Davidi, et Domino multum videtur esse consimilis. Nam sicut David Saulem fugiens in speluncam se abscondit, ita et Domini Salvatoris deitas intra templum corporis sui Judæis perfidis fuisse probatur abscondita. Sic singula, quæ de David et Christo provenerunt facta, illi sunt sub hac allusione communia, » etc.

(594) Cod. Ghis., *et psalmum dicam Domino.*

Digitized by Google

ubi? In psalterio et cithara. Hoc est enim quod sequitur :

« Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara, exsurgam diluculo. » Quid per psalterium et citharam, nisi Vetus et Novum Testamentum intelligamus? Decem chordas habet psalterium, quia decem sunt verba legis. In cithara vero tres, vel quatuor sufficiunt. Et tres quidem mysterium Trinitatis, quatuor vero totidem Evangeliorum libros designant. Cantant igitur sancti, vel in psalterio, vel in cithara, quia alium cantum et citharam non habent, nisi Vetus et Novum Testamentum. Si igitur psalterium et cithara ab Ecclesia tollantur, quid dicat, quid cantet, et quid prædicet non habebit. Est igitur omnis gloria ejus in psalterio et cithara, quia sine cantu, sine doctrina et scientia nullam gloriam habere potest. Et quamvis omnis modulatio psalterii et citharæ suavis sit et dulcis ad audiendum, illa tamen dulcissima est, quæ tribus chordis in cithara modulatur. Et talis quidem est ille cantus quem, sicut Isaias propheta, et Joannes evangelista dicit : « Seraphim et quatuor animalia cantare non cessant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, plena est omnis terra gloria ejus (*Apoc.* IV, 8). » Merito igitur dicit Ecclesia : « Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara; » et ego quidem exsurgam diluculo. Tu, inquit, psalterium et cithara semper esto perfecta (595), ut nullum mihi impedimentum vel moras faciatis, quia ego quidem ad cantandum exsurgam valde diluculo. In hoc autem se per totum diem a mane usque ad vesperam, id est omni tempore vitæ suæ, se cantare et jubilare promittit, quod se diluculo exsurgere dicit.

« Confitebor tibi in populis, Domine, et psalmum « dicam tibi inter gentes. » Paratus, inquit, sum, psalterium habeo, citharam habeo, et in psalterio et in cithara confitebor tibi, et laudabo te in populis, Domine, et psalmum dicam tibi inter gentes. Quia enim Judæi nolunt, psalmos se inter gentes cantare promittit. Psalmos cantare est verbis et actione legis mandata adimplere

« Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua. » Misericordia Dei et veritas Dei Salvator noster est, quia omni misericordia et veritate plenus est, et in ipso et per ipsum Patris misericordia et veritas cunctis gentibus revelata est. Hoc, inquit, confitebor, hoc prædicabo, hoc in omnibus gentibus nuntiabo; quoniam usque ad cœlos et usque ad nubes, imo super omnes cœlos et super omnes nubes misericordia tua et veritas tua magnificata et exaltata est. Sed ut vera sit hæc prædicatio mea, jam nunc exi de spelunca, egredere de sepulcro; et exaltare Deus super cœlos et super omnem terram gloria tua manifestetur. « Exaltare super cœlos Deus et super « omnem terram gloria tua. »

(595) Cod. Ghis., *parata*.

PSALMUS LVII.

415 IN FINEM : NE DISPERDAS DAVID : IN TITULI INSCRIPTIONE.

Hoc præcipit David, ut neque Pilatus, neque Judæi disperdere audeant, quæ posita sunt in tituli inscriptione. Erat enim ibi positum Hebraice, Græce, et Latine : « Hic est Jesus Nazarenus Rex Judæorum (596), » Ergo et Hebræi, et Græci, et Latini testes sunt quod infelices Judæi regem suum et dominum suum crucifixerunt.

« Si vere utique justitiam loquimini, juste judi- « cate filii hominum. » Ipse Propheta loquitur, et Judæos redarguit de iniquitate sua. Si vere, inquit, quod utique facitis, justitiam loquimini, quare non juste judicatis, nisi quia filii hominum estis? « Est enim omnis homo mendax, Deus autem verax (*Rom.* III, 4). » Sicut legitur, filii hominum mendaces sunt; ita et filii Dei veraces sunt. « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (*Joan.* I, 12). » Soli namque Christiani veraces sunt; siquidem soli Christiani filii Dei sunt. Vocatis, inquit, Christum magistrum bonum : dicitis quia viam Dei in veritate docet : dicitis quia sibi non est cura de aliquo, et quia non respicit personam hominis; verum dicitis, Justitiam loquimini, quia ita est ut dicitis. Quare ergo non juste judicatis? Quare eum morte condemnatis? Quare adversus eum crucifige clamatis? Et quasi malefactorem accusatis?

« Etenim in corde iniquitates operamini in terra, « iniquitates manus vestræ concinnant. »—« Ex corde, dicit Dominus, exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, perjuria, falsa testimonia, et similia (*Matth.* VII, 21). » Hæc sunt igitur, quæ mali et iniqui homines operantur in corde suo, id est in terra, quia tale cor terra est, fatuum est, grave et ad inferiora trahens. Illorum autem manus iniquitates concinnant, quorum opera in malitia et iniquitate concordant.

« Alienati sunt peccatores ab utero, erraverunt a « ventre, locuti sunt falsa. » Isti sunt illi peccatores, de quibus alibi dicitur : « Filii alieni mentiti sunt mihi (*Psal.* XVII, 46). » Itemque « quoniam alieni insurrexerunt in me (*Psal.* LIII, 5). » Alieni facti sunt qui proximi erant, et econtra proximi facti sunt qui alieni erant. Unde et scriptum est : « Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam (*Rom.* IX, 25). » Illis autem dicitur : non populus meus vos. Isti autem erraverunt ab utero, quia ex quo nati sunt, veritatem recipere noluerunt, et ideo a ventre locuti sunt falsa. Quid enim ille qui errat, nisi falsitatem dicere potest?

« Ira illis secundum similitudinem serpentis. » Sed cujus serpentis? « Sicut aspidis surdæ et obtu-

(596) Matth. c. XXVII, v. 37, habet : *Hic est Jesus, rex Judæorum.* Joannes autem c. XIX, 19 : *Erat autem scriptum : Jesus Nazarenus rex Judæorum.*

Digitized by Google

« rantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et veneficia quæ incantantur a sapiente (597). » Crudelissimum genus serpentis est aspis, de qua scriptum est quia « venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII, 33), » contra quam nulla incantatio potest, nisi suas ipsa audiat incantationes; obturat enim aures cauda quando incantatur, et sic omnes incantationes pro nihilo ducit. Tales sunt Judæi, qui indurato corde Christianæ religioni semper adversantur, evangelicam prædicationem neque audire, neque recipere volunt. Incantotores sancti prædicatores sunt, qui, quamvis sapienter eos incantent, ipsi tamen eorum sermones et incantationes audire despiciunt, magisque se præparant ad contradicendum et maledicendum, quam ad audiendum et credendum. Sed eorum disputationes et argumentationes facile vincuntur et dissipantur. Unde et subditur :

« Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, « molas leonum confringet Dominus. » Quid enim per dentes et molas eorum intelligamus, nisi eorum argumenta, syllogismos, et Scripturarum difficultates, quibus nos vulnerare et decipere conantur? Sæpe enim dum loquimur cum illis, ita subito omnes illorum rationes contritas et confractas esse videmus, ut penitus nihil habeant quod respondere valeant. Unde et subditur :

« Ad nihilum devenient, velut aqua decurrens. » Fit enim multoties ut ille qui quasi torrens inundans paulo ante exemplis et rationibus abundare videbatur, mox desiccatus et rationibus destitutus, omnino quid dicat invenire non valeat. Quod qui non intelligit, illam disputationem legat, quam simul cum Judæis beatus Silvester habuisse narratur (598). Et hoc quidem ideo fit, quia Dominus « intendit arcum « suum donec infirmentur. » Arcus Dei, apostoli sunt et doctores, per quos sagittas suas et Scripturarum certissimas rationes contra eos Dominus immittit, donec infirmati et victi conquiescant. Hinc est enim quod suis discipulis **416** Dominus ait : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). »

« Sicut cera liquefacta auferentur. » Hoc autem erit in judicio, et post judicium, quando simul cum principe suo mittentur in ignem. Unde et subditur : « Super eos cecidit ignis, et non viderunt solem. » Præteritum pro futuro suo more posuit. In judicio, inquit, mox ut illa sententia terribilis data fuerit, quasi cera liquefacta auferentur, quia tantæ violentiæ resistere non valebunt. Et tunc quidem ignis ille quo totus mundus succendetur cadet super illos, atque ita de igne transibit in ignem. « Et non videbunt solem; » quia sicut scriptum est : Tollentur impii, ne videant gloriam Dei (*Isa.* XXVI, 10). Nam et si ad momentum eum videbunt, propter illud quod scriptum est, quia « videbit eum omnis oculus (*Apoc.* I) : » subito tamen inde auferentur, et hoc ipsum erit eis ad tormentum, quod eum videre desiderabunt, et videre non poterunt. « Priusquam producat spinas vester rhamnus (599), sicut viventes, sic « in ira absorbet eos. » Rhamnus quidem genus spinarum est, quod et florem gratissimum et spinas acutissimas habet. Significat autem Salvatorem nostrum, florem pulcherrimum de radice Jesse, qui de seipso loquitur, dicens : « Ego flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II, 1). » Hic autem rhamnus modo quidem flores dat, quorum odore et suavitate mentes nostræ reficiuntur et delectantur. Per quos videlicet flores, ejus verba odorifera et suavissima intelligimus. Spinas autem nondum ostendit, sed cum magna patientia peccatores exspectat : « Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat (*Ezech.* XXXIII, 11). » Spinosus et terribilis in judicio apparebit, sed peccatoribus, qui ejus vulnera et aculeos sustinere non poterunt. Sed priusquam rhamnus iste vester, o sancti et fideles Dei, spinas producat, et suæ severitatis aculeos ostendat, sicut viventes, sic in ira absorbebit eos ignis. Nondum enim ad judicium Dominus venit, jam tamen omnium iniquorum et damnatorum animæ igne sorbentur et cruciantur. Ante judicium igitur solæ animæ, post judicium vero et corpora simul cruciabuntur et animæ. Et tunc quidem « lætabitur « justus, cum viderit vindictam impiorum. » Interim autem « lavabit manus suas in sanguine peccatorum. » Et peccata quidem sanguinem non habent, sed per sanguinem mortem intelligimus, quia in sanguinis effusione mortem esse cognoscimus. Nunquam melius manus suas et opera sua (quæ per manus significantur) sancti Dei lavare possunt, quam peccata interficiendo, quorum contagione fuerunt maculatæ.

« Et dicet homo : Si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra. » Contraria contrariis conveniunt, et tale est ac si diceret : Dicat, sciat et intelligat omnis homo, quia si boni habebunt fructum et retributionem de bonitate sua : mali quoque sustinebunt judicium, et pœnam de malitia sua. Sed ubi est Deus? Ubique. Est igitur in terra, videt itaque et judicat omnia quæ sunt in terra.

PSALMUS LVIII.

IN FINEM : NE DISPERDAS, DAVID IN TITULI INSCRIPTIONE, QUANDO MISIT SAUL, ET CUSTODIVIT DOMUM EJUS, UT EUM INTERFICERET.

Nemo disperdere poterit quæ Spiritus sanctus disperdere interdixit. Hoc autem principes sacerdotum, cæterique Judæi, qui per Saul significantur,

(597) Vulgata legit : *et venifici incantantes sapienter.*

(598) Ex actis S. Silvestri, quæ vulgo ferebantur, hæc desumpsit S. Bruno; apocrypha autem demonstrat Natalis Alexander Histor. Eccl. sæc. IV, diss. 25. De baptismo Constantini imperatoris.

(599) Alia lectio Vulgatæ : *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum.*

Digitized by Google

facere voluerunt; sed quia hoc non potuerunt, miserunt custodes ut ejus sepulcrum custodirent et eum interficerent. Sed quomodo eum iterum interficere poterant, qui adhuc in sepulcro mortuus quiescebat? In hoc enim eum interficere volebant, in quo ejus resurrectionem impedire conabantur. Sunt enim usque hodie qui, quantum in eis est, eum interficiunt, dum ejus resurrectioni contradicunt.

« Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab « insurgentibus in me libera me. » Sæpe jam diximus quia, quoties Christus aliquid petit, aliquid orat, et aliqua re se indigere ostendit, quod non ad divinitatem, sed ad solam humanitatem omnia spectant. Ipsa quoque humanitas nec locutione, nec deprecatione indigebat, quæ in sola voluntate omnia habebat et possidebat. Omnia autem completa sunt, quæ in Christi voluntate erant, quæ et Propheta ideo scribit, ut nos quoque ea sciamus quæ quidem, nisi scripta fuissent, ad nostram notitiam non pervenissent. Hoc igitur sola voluntate impetrabat humanitas Christi, quod precibus et orationibus alii homines impetrare solent. Orat autem etiam (600) voce Salvator noster non pro se, sed pro nobis, ut nos orando doceat, instruat et suam voluntatem et nostram utilitatem cognoscere faciat. Quod igitur hic **417** dicitur : Eripe me, et libera me, et salva me; tale est ac si diceret Volo ut eripias me : « de ope« rantibus iniquitatem et de viris sanguinum » salves me. Sic enim loquitur, et sic orat voluntas Christi, non rogando, sed volendo loquitur. Sic et nos dicere solemus de omnibus rebus quas in nostra voluntate et potestate certissime constare cognoscimus.

« Quia ecce occupaverunt animam meam, ir« ruerunt in me fortes; neque iniquitas mea, neque « peccatum meum, Domine. » Salvator noster non habuit necesse ista dicere; sed nos habuimus necesse ista audire; attamen si dixit, intus dixit, et in corde dixit : hoc Propheta, Spiritu sancto eum docente, audivit et scripsit. Occupaverunt autem Judæi animam Christi non tantum in re, sed desiderio et spe. Usitatissimus est iste locutionis modus, ut id nos habere dicamus quod certissime nos habituros esse speramus. « Irruerunt in me fortes. » Fortes enim ideo dicuntur, quia id quod de Christi morte voluerunt ad affectum usque perduxerunt. Unusquisque enim in ea re fortis est, in qua suam intentionem adimplere valet. « Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine. »

« Sine iniquitate cucurri, et dirigebar (601). » Et quis ignorat? Quæ est ista excusatio? Quæ est ista defensio? Nunquid hoc divinitas ignorabat? Quæ humanitati ineffabiliter conjuncta, omnino eam mundissimam et irreprehensibilem esse sciebat. Non est tamen inconveniens, si hoc quod dixit de conscientia Christi, ad iniquos homines convincendos scribere voluit propheta Christi. Multa enim intus dicit Deo conscientia nostra quæ foris non loquitur lingua nostra. « Exsurge in occursum mihi, et vide. » Volo, inquit, ut in occursum mihi et in adjutorium venias et istorum voluntatibus resistas, ut contra permissionem meæ voluntatis nullam in me habeant potestatem. Hoc est enim quod Pilato Dominus dixerat : « Non haberes in me potestatem ullam, nisi desuper tibi datum fuisset (*Joan.* XIX, 11). » — « Et vide. » Quid? illorum impiam voluntatem et pravam intentionem, quod non solum me interficere volunt (quod et mihi placet et tibi), verum etiam nomen meum et memoriam nominis mei omnino de terra auferre conantur.

« Et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel, in« tende ad visitandas omnes gentes. » Ille est Deus virtutum, in cujus manu et potestate sunt omnes virtutes, qui eas tribuit cui vult et ad se trahit quoscunque vult (602). Ipse est Deus Israel, per quem eos omnes intelligamus, qui in eum credunt, eum diligunt et cognoscunt. « Tu, inquit, Domine Deus virtutum, Deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes, » quia illi ad quos missus sum me recipere noluerunt. Hoc autem jam completum est, quia omnes gentes per discipulos suos Dominus visitavit, et ad fidem vocavit, dicens eis : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XV, 11). » — « Non miserearis omnibus qui « operantur iniquitatem. » Omnes quidem vocati sunt, non omnes autem electi sunt. Qui enim iniquitatem operantur, et indurato corde in malitia usque in finem perseverant, etiam si baptizati sunt et fidem Christi susceperunt, non tamen illorum miserebitur Deus.

« Convertentur ad vesperam, et famem patientur « ut canes, et circuibunt civitatem. » Isti, inquit, Judæi, qui modo sunt, inconvertibiles sunt; illi vero qui futuri sunt, ad te tandem convertentur (603), sicut scriptum est : « In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter (*Jerem.* XXIII, 6). » Et alibi : « Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, convertentur (*Isa.* X, 21). » — « Et famem patientur ut canes. » Modo, inquit, stomachati, et sui erroris et malitiæ pleni, verbum vitæ credere fastidiunt, sed tunc quidem quasi canes valde famelici, ad cibos ecclesiasticos et spirituales suscipiendos importune se ingerent, et longam famem se sustinuisse ostendent (604). Unde et subditur :

(600) Id cod., *aliquando*.
(601) Vulgata habet *direxi*.
(602) Id. cod. Ghis., *dispensat quomodo vult, repellit a se quos vult*. Hæc S. Bruno juxta mentem Apostoli, docentis liberam absolutamque Dei electionem ad gloriam, et qui indurationem in peccato permittit : « Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. » *Rom.* IX, 15.
(603) Id. cod. : « Sed quando? ad vesperum. Finita hæc vitia erunt. Tunc mundus iste veniet ad vesperum, et nunc quidem Judæi convertentur. »
(604) Eamdem loci hujus interpretationem reddit Cassiodorus, qui postquam attulerit Apostolum dicentem ad Romanos c. XI, 25 : *Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sa-*

Digitized by Google

« Et circuibunt civitatem, » sanctæ videlicet Ecclesiæ, ut ejus cibis spiritualibus alantur, quos prius attingere nolebant, et canum sollicitudine fideliter eam custodiunt.

« Ecce ipsi loquuntur in ore suo, et gladius est in « labiis eorum. » Ecce, inquit, ipsi Judæi, qui modo sunt et qui fidem recipere nolunt, loquentur contra apostolos Ecclesiæque doctores. « In ore suo, » in ore perverso, et ad litigandum et contradicendum parato. Hoc est enim quod dicit : « Et gladius in labiis eorum. » Sicut enim gladius spiritus est verbum Dei, ita gladius mortis et perditionis sunt verba Judæorum.

« Quoniam quis audivit ? » Hoc dicebant Judæi contra apostolos, et hoc usque hodie dicunt contra Ecclesiæ doctores. **418** « Quoniam quis audivit ? » Quis prophetarum hanc novam, quam vos prædicatis, doctrinam annuntiavit? Et hoc quidem dicunt, quia littera eos occidit, et ad spiritualem intelligentiam accedere nequeunt ; quoniam excæcavit eos malitia eorum. Et non solum ipsi, sed aliæ quoque gentes similia sentiebant. Unde et subditur : « Et tu, Do- « mine, deridebis eos, et Dominus subsannabit eos. » Pro nihilo vero habet Dominus omnes gentes, quia, sicut propheta ait: « Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputati sunt ei (*Isa.* XL, 17). »

« Fortitudinem meam ad te custodiam, quia tu, « Deus, susceptor meus es. » Tu, inquit, pro nihilo habes omnes gentes quas et ego similiter haberem, si voluissem; sed fortitudinem meam ostendere nolo, quam videlicet fortitudinem totam ad te referam, et ad te custodiam, et quasi propriis viribus destitutus, a te semper defensionem et auxilium exspectabo. « Quia tu, Deus, susceptor meus es, » qui juxta meæ voluntatis arbitrium mihi omnia subministras.

« Deus meus, misericordia ejus præveniet me. » Secundum hominem loquitur, et ideo Deum se habere dicit, et misericordiam aliunde exspectat, quæ misericordia tam præsto est, ut eum semper præveniat si vocanda est.

« Deus meus, ostende mihi bona inter inimicos « meos. » Quæ bona ? « Ne occidas eos. » Quare? « Ne quando obliviscantur legis tuæ. » Hoc enim non de Judæis, sed de Christianis dicit, ne obliviscantur legis suæ. Unde et in alia translatione, non « legis tuæ, » sed « populi mei » habetur. Hæc igitur misericordia, ideo Judæis facta est, ne penitus occiderentur, ne forte simul cum eis lex quoque periret et oblivioni traderetur, cum nemo esset qui eam doceret (605).

« Disperge illos in virtute tua, et destrue eos, pro- « tector meus. » Domine, ne, inquit, occidas eos in hac arctissima qua simul clauduntur obsidione; sed disperge illos in omnes gentes, et populos, et nationes in virtute tua, cui nemo resistere valet. Et destrue eos, non ut occidantur, sed potius ut a pristina dignitate, honore et gloria deponantur (606). Ecce dispersi sunt judices, et nos legem habemus, et ipsi mortui non sunt; sine lege tamen, et sacerdotio, et sine honore sunt ubique.

« Delicta oris eorum sermo labiorum ipsorum, « et comprehendantur in superbia sua. » Delicta, inquit, oris eorum est sermo labiorum ipsorum, quibus nimium superbe contra Deum locuti sunt. Fecerunt illi omnia hæc mala quæ superius enuntiata sunt, et ideo dignum est ut comprehendantur in superbia sua, ut tandem aliquando cognoscant et intelligant stultitiam suam. Hæc autem de illis Judæis intelliguntur qui usque hodie sunt ; cætera quæ sequuntur de illis intelliguntur qui in fine sæculi futuri sunt. De quibus nunc subditur : « Et de « exsecratione et mendacio compellantur in ira « consummationis, et non erunt. » Illi, inquit, dispersi et destructi sunt, et in superbia sua et phrenesi sunt. Illi vero qui in ira consummationis futuri sunt compellantur et cogantur a sanctis de exsecratione et mendacio respondere et pœnitentiam habere. « Et non erunt, » subauditur, in ira consummationis ; sed erunt simul cum sanctis in domo cœlestis habitationis. Ira consummationis a morte Antichristi incipit, quoniam certissima signa futuri judicii apparebunt, et Judæi cognita veritate ad Ecclesiam confugientes de blasphemiis et de mendaciis pœnitentiam agent.

« Et scient quia Deus dominabitur Jacob et finium « terræ. » Isti, inquit, hoc ignorant, sed illi scient et intelligent ; quia ille Deus et Dominus, quem parentes illorum crucifixerunt, dominabitur Jacob, id est populi Judæorum, qui inde originem ducit. « Et finium terræ ; » hoc est omnium gentium.

« Convertentur ad vesperam, et famem patientur, « ut canes. » Iste versus jam superius expositus est.

« Ecce ipsi dispergentur ad manducandum, et si « non fuerint saturati murmurabunt. » Dispergentur quidem per singulas Ecclesias, et ubicunque Christianæ religionis suscipientem aliquem esse cognoverint, tantus erit amor discendi et divini spiritualisque cibi percipiendi; « et si non fuerint sa-

pientes : quia cæcitas ex parte in Israel contigit, donec plenitudo gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret, etc. « Vides, inquit, et ibi promissum esse, ut, quamvis sera, tamen aliquando salutifera conversione salventur; et ideo ad similitudinem dici, finis mundi vespera competenter edicitur, » etc. Reliqua etiam commentationi ejusdem Cassiodori sunt consentanea.

(605) « Dispersi ergo sunt Judæi, sive ut ad conversationis provocarentur studia (seu, sicut quidam volunt), ut inter contentiones hæreticorum ab inimicis suis, veteris legis paratum haberet Ecclesia testimonium, dum illud indubitanter creditur, quod adversario suffragante firmatur. » Cassiod.

(606) Sequentia psalmi hujus in editione Marchesii desunt et supplentur ex codice Vallicellano supra adnotato. Etiam in codice Ghisiano ea fere desiderantur

Digitized by Google

turati, murmurabunt. » Proprium est illius gentis murmurare, et vix aliquando sine murmuratione fuit. Murmurabunt itaque, si saturati non fuerint, et si episcopi, et sacerdotes, cæterique Christianæ legis prædicatores, qui tunc temporis erunt, ad omnia unde interrogati sunt eis non satisfecerint. Utinam hæc scripta nostra inveniantur, quatenus velut sic erubescant, et a sua murmuratione quiescant! Quis enim de omnibus ad plenum sensum valeat reddere quod in sacris voluminibus continetur?

« Ego autem cantabo virtutem tuam, et exaltabo « mane misericordiam tuam. » Illis igitur interrogantibus, et omnia scire volentibus, et omnibus quæstionem facientibus, per fideles meos, per episcopos et sacerdotes meos, cantabo et prædicabo **419** virtutem tuam, et exaltabo mane misericordiam tuam. Quando quibus erit vespera, sed ad fidem venientibus erit mane; quia tunc de nocte exibunt, et aquis baptismatis renovati ad verum lucis et claritatis diem pervenient; et tunc tandem Dei virtutem et misericordiam recognoscent.

« Quia factus es susceptor meus et refugium meum « in die tribulationis meæ. Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus « misericordia mea. » Quanto affectu Christi humanitas ejus divinitati se humiliat, eique se psallere et obedire promittit, quia tam præsto illi fuit, omnesque ejus voluntates tam efficaciter adimplevit. Et merito nunc susceptorem suum et semel et iterum refugium suum, et misericordiam suam esse dicit, quoniam simul cum membris suis ab ea suscipitur, et ad æternæ beatitudinis gloriam sublevatur. Tunc igitur complebuntur omnia quæ in hoc psalmo continentur, quando, peracto judicio, Salvator noster simul cum sanctis omnibus cœlos ascendet.

PSALMUS LIX.

(607) IN FINEM, PRO HIS QUI IMMUTABUNTUR, IN TITULI INSCRIPTIONEM IPSI DAVID IN DOCTRINAM, CUM SUCCENDIT MESOPOTAMIAM SYRIÆ, ET SOBAL, ET CONVERTIT JOAB, ET PERCUSSIT EDOM IN VALLE SALINARUM DUODECIM MILLIA (608).

In finem, inquit, ista referuntur, et secundum litteram non intelligantur; sed potius intelligantur de his qui audita tituli inscriptione in novum hominem immutabuntur, et suum regem, et dominum Christum esse cognoscent. Hanc immutationem fecit David, id est Salvator noster, veniens manu fortis in doctrina sua; quoniam per milites, seu discipulos suos, omnem elevationem, et sublimitatem, et vanam hujus sæculi vetustatem succendit et destruxit. Sic enim ipse ait: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? » (*Luc.* XII, 49.) Interpretatur enim Mesopotamia *elevatio*, Syria *sublimitas*, Sobal *vana vetustas*; scilicet convertit se Joab dux, et princeps exercitus David super eos qui sibi adversabantur; et percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia. Joab interpretatur *inimicus*. Ipse est de quo Dominus in Evangelio ait: « Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo (*Matth.* v, 23). » Adversarius noster est sermo divinus, et ipse quidem est maximus princeps, majorque hostium debellator in toto exercitu David, cui quicunque non consenserit peribit. Iste igitur percussit de Edom, qui *strenuus* interpretatur, duodecim millia. Omnes homines terra sunt, quia de terra facti, sed illi soli beati qui gladio Joab interficiuntur. Bonus gladius, et bona mors, quæ interficiendo vivificat. Sed quid per vallem Salinarum, nisi sanctam Ecclesiam intelligimus? Ibi est ille sal de quo suis discipulis Dominus ait: « Vos estis sal terræ (*Matth.* v, 13). » In hac igitur valle gladius Joab principatum tenet; quia nemo est, qui ei contradicere audeat. Sic itaque in prœliis et victoriis David Salvatoris nostri prœlia et victoriæ significatæ sunt.

« Deus, repulisti nos, et destruxisti nos, et misertus es nostri. » Repulit Dominus, et a se separavit omne humanum genus, quando primos parentes nostros de paradiso ejecit. Destruxisti autem, quoniam de tanta gloria, de tanta sublimitate, de tanta fortitudine et incolumitate et de ipsa qua prædili erant immortalitate mortis legibus subjecit. Iratus nobis est, quando dixit: « Maledicta terra in opere tuo; cum operatus fueris eam, non dabit fructum suum, sed spinas et tribulos germinabit tibi (*Genes.* III, 17). » Sed misertus est nobis, quia non penitus nos abjecit et interfecit. Sic enim judices illorum misereri solent, quos, postquam ad mortem damnati sunt, graviter verberantes, vel aliquo membro diminutos vitæ reservant, et abire permittunt.

« Commovisti terram, et conturbasti eam, sana « contritiones ejus, quia commota est. » Tempus enim stabilitum erat, et conturbari non poterat terra nostra, quia nullas molestias, nullas infirmitates, vel incommoditates timebat, et illam terram habitabat quæ omnibus aliis melior et suavior erat. Nunc autem omnibus modis commota et conturbata, infirmata et dissipata multa indiget consolatione, quia innumerabiles patitur afflictiones. Et hoc est quod ait: « Sana contritiones ejus, quia commota est. »

420 « Ostendisti populo tua dura, potasti nos « vino compunctionis. » Hic est ille populus de quo alibi dicitur. « Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus (*Psal.* XCIV, 7). » Quamvis enim omnes populi ipsius sint, ille tamen specialiter proprius ejus

(607) Deest in Marchesio, et in cod. Ghisiano hic psalmus cum quinque sequentibus, quos ex cod. Vallicel. supplevimus.

(608) Hujusmodi titulus idem est in Romana editione; in Psalterio a cardinali Thommasio edito differunt aliqua. Inquit enim, « succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum, duodecim millia. » Apud Clarium ita se habet titulus psalmi: « Vincenti pro iis qui immutabuntur insignia David in doctrinam, cum succendit Syriam Mesopotamiæ, et Syriam Soba, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia. » *II Reg* VIII et X; I Paralip. XVIII. Etiam Ven. Beda in persona David Christum hic cognoscendum esse docuit; totumque psalmum de eo loqui.

Digitized by Google

dicitur, qui in utroque Testamento in eum credidit, et ejus voluntatem facit et fecit. Et hic est cui Dominus duriora semper ostendit, et gravioribus periculis affligi permittit. Et ideo fortasse ne mundi blanditiis et voluptatibus decipi potuissent, et magis terrena quam cœlestia quærerent et diligerent, vinum compunctionis, cujuscunque doloris et afflictionis calix et potio intelligi potest. Est autem et alia compunctio bona, qua suis lacrymis reficiuntur sancti, de qua scriptum est : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI, 4). » Et alibi : « Cibabis eos pane lacrymarum, et panem dabis nobis lacrymarum in mensura (*Psal.* LV, 9). »

« Dedisti metuentibus te significationem, ut fu- « giant a facie arcus et liberentur electi tui. » Hic est ille arcus de quo alibi dicitur : « Quoniam ecce peccatores tetenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra (*Psal.* XX, 2), » etc. Dedit autem Dominus metuentibus se significationem, quomodo arcum, et hos sagittarios effugere et evitare valeant? Per hos enim sagittarios omnes Ecclesiæ adversarios, et præcipue Judæos et hæreticos intelligere debemus. Habemus autem significationem contra istos, et sanctorum omnium auctoritates. Sed vis audire manifestam significationem? Audi ipsum Dominum dicentem : « Attendite a falsis prophetis, quoniam veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces : a fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* VII, 17). »

« Salvum me fac dextera tua, et exaudi me; » dicit Ecclesia, « ut liberentur electi tui. » Salvum me fac dextera et fortitudine tua, et exaudi me. Salus hujus piissimæ matris omnium filiorum liberatio est.

« Deus locutus est in sancto suo, lætabor, et divi- « dam spolia (609), et convallem tabernaculo- « rum metibor. » Propheta loquitur modo, et Ecclesia consolatur, quæ de humani generis calamitatibus ab ipsa origine incipiens lamentabatur, quæ tamen de significatione gaudebat, quod fugere poterat a facie arcus. « Deus locutus est in sancto suo, » id est in dilecto Filio suo, et ea locutus est quæ lætitiam tibi dabunt et exsultationem (610); quoniam usque ad finem terræ te dilatabit, et totam terram, quam dimensus est et per suas partes divisit, tibi dabit. « Lætabor, inquit, et dividam spolia. » Egregie Dominus a lætitia incipit, quia ejus lætitia omnibus fidelibus suis gaudium portat. Unde et in ejus nativitate gaudium annuntians pastoribus, angelus ait : « Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Jesus, in Bethlehem civitate David (*Luc.* II, 10). » Sichimam *humeri* interpretatur, et significat super humerale, quod in Exodo pontifex ferre jubetur. Ipsi autem sunt sancti apostoli, episcopi et sacerdotes, qui illo humeros

(609) Lectio Vaticana habet *dividam Sichimam*.

(610) « Deus Pater locutus est in sancto suo, id est in Christo quando Verbum caro factum est, et mundi Salvator apparuit. Locutus est autem, significat evangelicam veritatem, per quam venit redemptio fidelium et beatitudo sanctorum. » CASSIOD.

A suos ornatos habent, ut alios omnes sapienter et fortiter portent. Ipsi enim sunt, quibus Dominus ait : « Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI, 29). » Hos igitur dimisit Dominus, et totam vallem tabernaculorum inter eos partitus est. Convallis tabernaculorum totus iste mundus intelligitur, in quo tabernacula Dei posita sunt, per quæ omnes Ecclesiæ significantur, de quibus subditur :

« Meus est Galaad, et meus est Manasses, et Ephra- « im fortitudo capitis mei. Juda rex meus, Moab olla « spei meæ; in Idumæam extendam calceamentum « meum : mihi alienigenæ subditi facti sunt. » Ecce omnia sua sunt. Omnia hæc ad Ecclesiam pertinent, et ita sancta mater Ecclesia ubique gentium magnifica et dilatata est. Sed quid per Galaad, quod per *acervum testimonii* interpretatur, nisi Ecclesiæ doctores et magistros intelligamus? Ipsi enim sunt, in quibus utriusque Testamenti testimonia coacervata sunt, quibus et seipsos, et omnes alios defendere debent. Et merito primi ponuntur, qui inter omnes alios obtinent principatum. Manasses vero interpretatur *oblivio*, per quam nimirum illi significantur, qui sancti Spiritus calice inebriati terrenorum omnium obliviscuntur, et sola cœlestia concupiscunt. Tales erant illi de quibus in Actibus apostolorum dicitur, quia « omnibus erat cor unum, et anima una, et nemo dicebat aliquid esse suum, sed erant illis omnia communia (*Act.* IV, 32). » Inter hos autem monachi quoque et eremitæ conveniant. At vero per Ephraim, qui *frugifer* dicitur, omnes illos intelligere debemus, qui boni operis fructum Domino reddunt. In his autem et clerici, et laici, et masculi, et feminæ, et divites, et pauperes, et liberi, et servi, et omnes alii, qui otiosi non sunt, sed in vinea Dei fideliter laborant, intelliguntur. Quod autem ait, « fortitudo capitis mei, » tale est ac si diceret fortitudo mea. Ad hanc autem significationem boves nostros et operarios fortitudinem nostram dicere solemus. « Juda rex meus. » Juda *confessio* interpretatur. Isti autem sunt, qui pro aliis pugnant, et Deum assidue laudant, **421** et benedicunt, inter ipsa tormenta sua Dominum, et Creatorem suum Christum esse confitentur. Et tales quidem digni sunt, ut reges a Domino confiteantur. « Moab olla « spei meæ. » Bene post confessionem ollam posuit, quia sola confessio sanctorum carnibus ollam implebat, et ad ignem et ad alia tormenta ducebat. Per ollam enim hoc in loco tormentorum omnium genera significantur. Interpretatur autem Moab *ex patre*, per quem illos intelligimus, quibus Dominus in Evangelio ait : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). » Demum vero fidelibus suis ollam se Dominus habere sperabat. Sperabat quidem quia libenter et sua sponte sustinuit passionem. « In Idumæam extendam calceamentum meum, » id est calcaneos

Digitized by Google

meos, per quos apostolos significat, qui sicut scriptum est, calceati erant in præparationem Evangelii pacis (*Ephes.* VI, 18). Hos autem extendit Dominus, et misit in Idumæam, quæ *sanguinea* interpretatur; quidem significat manifestissimam esse. « Mihi Allo- « phyli subditi sunt. » Per Allophylos, qui *sine capite* interpretantur, universales omnes infideles, et qui cogitationem non habent, intelligere debemus. Quomodo enim caput habebant, qui cæci et surdi; et aures et oculos non habebant? Si enim oculos habuissent, nequaquam ligna et lapides deos esse dixissent. Isti enim apostolica prædicatione Salvatori nostro subditi sunt, quia de talibus Ecclesiæ muri fabricati sunt. Isti enim sunt illi lapides impoliti et incircumcisi, quos ferrum non tetigit, quia de talibus altare sibi Dominus instituit. Huc usque Dominus locutus est, nunc autem Ecclesia suæ narrationis ordinem servat.

« Quis deducet me in civitatem munitam? quis « deducet me usque in Idumæam? » Quis igitur deducet me in civitatem munitam, id est cœlestem Jerusalem, ubi neque ollas Moab, de quibus modo locutus est, neque sanctorum sanguine cruentatos Idumæorum gladios timeam? Aut si in Idumæam extendere vis, quis est qui me deducat, et itineris viam ostendat, et eumtem et redeuntem custodiat?

« Nonne tu, Deus, qui repulisti nos et destruxisti « nos, iratus es et misertus es nobis, et non egre- « dieris, Deus, in virtutibus nostris? » Egredieris utique, quia sic promisisti nobis, et sic te facturum speramus. Hoc est enim quod Dominus in Evangelio ait : « Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado (*Joan.* XIV, 12). » Itemque : « Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, super ægros manus imponent, et bene habebunt (*Marc.* XVI, 17). » Da nobis auxilium de tribulatione, quia nos aliunde non speramus; et vana est salus hominis; siquidem « universa vanitas est ipse omnis homo (*Psal.* XXXVIII, 6). »

« In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum « deducet tribulantes nos. » In Deo, inquit, faciemus virtutem, et ipse ingredietur in virtutibus nostris; quia, sicut ipse dixit, nihil sine eo facere possumus. « Et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. » Tale est illud quod alibi dicitur : « Ad nihilum deveniet, sicut aqua decurrens (*Psal.* LVII, 8). » Ad nihilum deducitur, cujus intentio non adimpletur. Est enim usitatissimus modus iste locutionis, ut nihil eum fecisse dicamus, qui id quod cœpit facere non potuit. Sic igitur ad nihilum devenerunt qui voluntates tuas ad effectum perducere non potuerunt (611).

(611) Suam expositionem, a qua non longe distat Bruno noster, ita concludit Cassiodorius. « Quid tibi, fidelissime, opus sunt arma, qui habere talia probaris auxilia? Ipse enim pro te pugnat, cui nullus resistit; ipse insequitur, quem nullus declinat. Ad nihilum quippe perducit inimicos fidelium suorum : quoniam delet eos de libro viventium, ubi scripti videbantur elati. »

PSALMUS LX.

IN FINEM, IN HYMNIS DAVID.

Præcipit David in hymnis et laudibus hæc cantare, ubi læta et prospera nuntiantur.

« Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende « orationi meæ. A finibus terræ ad te clamavi. » Catholicæ et universalis Ecclesiæ vox est, quæ a finibus terræ, id est ex omnibus mundi partibus se clamare dicit. Clamat autem et ille a finibus terræ, qui carnis voluptatibus et concupiscentiis in se finitis et superatis, lætus ad Dominum clamat, et gratias agit.

« Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti « me. » Cor Ecclesiæ apostoli sunt, episcopi et doctores, quoniam in illis et sapientia, et voluntas, et consilium Ecclesiæ continetur. Quando isti anxiabantur, affligebantur, et duris suppliciis torquebantur et occidebantur, attamen a Christi fide separari non poterant; tunc tota Ecclesia, omnisque fidelium multitudo in petra exaltabatur et altis fidei radicibus firmabatur. « Petra autem, » ut dicit Apostolus, « erat Christus (*I Cor.* X, 4), » in cujus fide qui firmiter fundati sunt, ventorum impetus vincunt. Et multum quidem S. Ecclesia 422 in Christi fide firmabatur, quoniam suorum prædicatorum tantam constantiam intuebatur.

« Deduxisti me, quia factus es spes mea : turris « fortitudinis a facie inimici. » Quotidie Ecclesia deducitur; quotidie enim justi, qui de hac vita exeunt, ad cœlestia transferuntur. Sic sunt populi in Ecclesia, quasi in flumine; unde alii præcedunt, alii sequuntur, nullique diutius in ea permanere possunt, et meliorem suæ habitationis locum inveniunt; quoniam Dominus ipse sit fons unde procedunt. Habent ibi turrem munitam et fortem, ad quam nulli hostes accedere possunt (612); unde et subditur :

« Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula : protege « gar in velamento alarum tuarum. » Hic quasi dicat: Longo tempore esse non possum; et super hoc, quoniam hic secura non sum, ibi habitabo per omnia sæcula, et alarum tuarum protectione nihil erit quod me timere oporteat. Deus alas non habet, sed per ejus alas omnis illius protectio metaphorice significatur.

« Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem « meam : dedisti hæreditatem timentibus nomen « tuum. » Hoc erat, inquit, quod ego orabam, hoc erat unde exaudiri desiderabam, ut ad illa tabernacula pervenirem, et illam hæreditatem susciperem. Ecce, Deo gratias, exaudita sum, quia dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum. Idem igitur et per tabernacula et per hæreditatem significatur.

« Dies super dies regis adjicies : annos ejus usque « in diem generationis et generationis. » Rex noster Christus est, qui secundum divinitatem æternus

(612) « Ipse enim Christus est turris, inquit Augustinus; ipse nobis factus est turris a facie inimici, qui est ex petra, super quam ædificata est Ecclesia. » S. Aug. Enar. in Ps. LX, v. 5.

Digitized by Google

est; secundum humanitatem vero temporalis, et paucorum annorum. Sed quia humanitas quando suos dies et suos annos habet, dies sibi super dies, et anni super annos additi sunt, id est temporales additi sunt super æternos, ut simul sint temporales et æterni. Sed secundum aliud temporales, et secundum aliud æterni. Æterni quidem neque initium, neque finem habent; temporales vero initium quidem habent, sed non finem. Hæc, ut opinor, ad evincendos hæreticos Propheta dicere voluit, qui Christi divinitatem et humanitatem male distinguere noverunt: quales Nestorius et Eutyches fuisse dicuntur. Dies igitur super dies regis, et annos super annos ejus adjicies, usque in diem sæculi, et usque in æterna sæcula.

« Et ipse permanebit in conspectu ejus, et sedebit « a dextris ejus. » Non Deus tantum, nec homo tantum, sed simul Deus et homo, et æternus, et temporalis, per omnia sæcula.

« Misericordiam et veritatem quis requiret eo- « rum (613)? » Dixit modo superius quia dedit hæreditatem timentibus nomen suum. Modo ostendit, quia cum hæreditate dedit eis felicitatem. Et hoc est quod dicitur, « misericordiam et veritatem quis requiret eorum? » Nemo est in hac vita qui his duabus non indigeat, et has semper non requirat. Cui enim misericordia necessaria non est, ut quis de omnibus veritatem cognoscere possit? cum Apostolus dicat: « Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12). »

« Sic psallam nomini tuo, ut reddam vota mea de « die in diem. » In hymnis titulatur psalmus iste, in hymnis finitur. Sic psallam, inquit, nomini tuo, Deus, omni tempore; sic cantabo, et sic te laudabo, ut per singulos dies reddam vota mea, et quotidie in hymnis, et psalmis et canticis spiritualibus compleam desideria cordis mei.

PSALMUS LXI.

IN FINEM PRO IDITHUM PSALMUS DAVID.

Quid per Idithum, quod *transiliens eos* interpretatur, nisi perfectiores quosque in Ecclesia intelligere debeamus, qui sapientia, constantia, et fortitudine et religione alios transcendunt? Isti sunt, qui se Deo subjectos affirmant, qui non sunt parietes inclinati, sed quasi turris fortissima contra omnes adversitates.

« Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso « enim salutare meum. » Contra Judæos, hæreticos et tyrannos loquitur Ecclesia in persona perfectorum, qui eam blanditiis et persuasionibus, syllogismis et argumentationibus, minis et terroribus a Deo separare nituntur. Ipsa vero seipsam consolatur, et in secreto cordis loquitur, dicens: « Nonne Deo subjecta erit anima mea? » quia isti malitiosi suis eam erroribus subdere volunt. Ab ipso enim est omnis salus mea, qui me suo sanguine salvavit, et a morte perpetua liberavit. Illi soli me obedire oportet, qui nobis quotidie in Evangelio dicit: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem **423** non possunt occidere; sed potius eum timete qui potest corpus et animam perdere in gehennam (*Matth.* x, 28). » Hunc igitur timebo, huic per omnia subdita ero, et amplius ab eo non movebor cui fide et charitatis vinculis incessabiliter devincta sum. Et hoc est quod dicit:

« Etenim ipse est Deus meus, et salutaris meus, « adjutor meus, non movebor amplius. » Semel, inquit, mota sum et bene mota, quia de tenebris transivi ad lucem, et de erroribus ad veritatem. Diabolum dereliqui, veni ad Christum: ipse enim est Deus meus, qui suo sanguine me salvavit. « Adjutor meus » in tempore tribulationis, « non movebor amplius. » Cessate igitur, quoniam in vanum laboratis, qui me ab illo divellere et separare putatis.

« Quousque irruitis in homines? » Homines, inquit, sunt in quos irruitis, rationem habent, veritatem agnoscunt. Vos autem cæci estis, qui ligna et lapides pro Deo adoratis. Quousque irruitis in eos « tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ? » Non sunt isti quales esse putatis; firmi sunt, stabiles sunt; occidi quidem possunt, sed moveri non possunt, et ideo interficitis universos; quia neminem illorum a Christi fide et dilectione separare valetis. De istis erat ille qui dicebat: « Certus sum autem, quia neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* VIII, 39). »

« Verumtamen honorem meum cogitaverunt re- « pellere; cucurri in siti. » Quamvis, inquit, tales essent, illi tamen eos tentare non cessabant, et eos se posse decipere stultissime cogitabant. Honor sanctorum martyrum erat ipsa victoria, quia, si victi fuissent, omnem honorem amisissent. Sed illi tunc tanto desiderio currebant ad mortem, quanto aliquis valde sitiens currit ad aquarum fontem. Et hoc est quod dicitur « cucurri in siti. » Mori sitiebant, quia se per mortem ad æternam vitam venire sciebant. « Ore suo benedicebant, et corde suo ma- « ledicebant. » Adulatorum et deceptorum hominum proprium est aliud in re, et aliud in corde habere. Unde et quidam ait: aliud in corde, aliud in lingua promptum habebant.

« Verumtamen Deo subjecta erit anima mea, quo- « niam ab ipso patientia mea. » Dicant quidquid velint, cogitent et faciant quod velint; maledicant et benedicant; quia eorum maledictiones et benedictiones pro nihilo duco; quoniam nullo ingenio, nulla calliditate animam meam a Deo separare va-

(613) Alia lectio est apud Augustinum loc. cit. *Misericordiam*, ait, *et veritatem ejus, quis requiret ei?* ubi hæc habet: « Quid est *ei?* sufficere quis requiret: quare addidit *ei*, nisi quia multi quærunt misericordiam ejus et veritatem discere in libris ejus, et cum didicerint, sibi vivunt, et non illi, sua quærunt, et non quæ Jesu Christi. » In Vulgata deest tam *ei* quam *eorum*.

Digitized by Google

lebunt. Et hoc ideo, quoniam « ab ipso est patientia mea. » Neque enim aliter sancti tot tantaque tormenta pati potuissent, nisi eis tolerandi fortitudinem et patientiam Deus dedisset.

« Etenim ipse est Deus meus, et salutaris meus, « adjutor meus, non emigrabo. » Hoc autem jam superius expositum est, quod ideo quoque repetitur, ut firmissime credatur.

« In Deo salutare meum et gloria mea : Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. » Ideo, inquit, salus mea, quia ipse me liberat, et salvat de omnibus angustiis meis. Unde et alibi ait : « In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros (*Psal.* LIX, 13). » — « Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. » Ipse, inquit, et Dominus, et auctor est auxilii mei, quia ego aliunde auxilium non exspecto. « Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram (*Psal.* CXX, 2), et omnis spes mea in Deo est. » — « Spes autem non confundit (*Rom.* V, 5). » — « Beati omnes qui sperant in eo (*Psal.* XXXIII, 9). » — « Sperate itaque in eo, « omnis conventus plebis ; effundite coram illo « corda vestra : Deus adjutor noster in æternum. » Omnis fidelium multitudo, et quicunque in centro divitiarum spem non habetis, effundite coram illo corda vestra id est quidquid in corde habetis, illi revelate et manifestate. Et sicut scriptum est : « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini (*Jac.* V, 16). » Deo enim confiteris, quod ejus vicariis, id est episcopis et sacerdotibus, confiteris. Celat autem Deo peccatum suum ille qui nullum pœnitentiæ signum ostendit. Maximum autem signum pœnitentiæ dolor et lacrymæ sunt, et cordis compunctio, quia cor contritum et humiliatum Deus non spernit. Effundamus igitur coram eo corda nostra, quia Deus adjutor noster est. Quia jacentes criguntur; vulnera ligat et sanat, et ovem perditam et inventam super humeros ipse ponit et reducit ad pascua.

« Verumtamen vani filii hominum mendaces filii « hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate « sua in idipsum. » Quamvis itaque Deus sua pietate et bonitate omnium in se sperantium adjutor sit; tamen filii hominum hoc non considerant, et de tanti adjutoris misericordia diffidunt; qui nunquam deserit sperantes in se, et in sua vanitate persistunt, mendaciis et deceptionibus furtim, et per latrocinia sola terrena et transitoria quærunt. Et hoc est quod ait : « Mendaces filii hominum in stateris. » Et mensura, pondus et statera eorum dolosa dicitur a Scriptura. Abominabilis est dolus. Illi quoque in stateris mendaces sunt qui injuste judicantes personam attendunt. Sive etiam in deceptionibus idem sunt, et ipsi qui in deceptionis magisterio non differunt. Unde et subditur, « de vanitate sua in idipsum. »

« Nolite sperare in iniquitate. Et rapinas nolite « concupiscere. » Hoc autem exponit : « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. » Nam et Apostolus hoc dicit : « Præcipe divitibus hujus sæculi non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* VI, 17). » Unde et Dominus ait : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis (*Luc.* XVI, 9); » ostende tales divitias iniquas esse, præsertim si de rapinis **424** et deceptionibus coinquinentur.

« Semel locutus est Deus. Duo hæc audivi : quia « potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, « quia tu reddes unicuique secundum opera sua (614). » Semel locutus est Deus, et secundo id ipsum non repetit. Ille semel loquitur, cujus verbum firmum, stabile et immutabile est. Scilicet contra fallaces homines est qui semper suos variant sermones, ut quod potissimum quis dixerit, non facile interpretari valeat. Semel igitur locutus est Deus, quia sic ut ipse ait : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Luc.* XXI, 33). » Illo igitur loquente, dicit Propheta, sive Ecclesia : ego quidem duo hæc audivi quia potestas et misericordia Dei est. Quæ potestas ? dicat ipse. « Potestatem, inquit, habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X, 18). » Hanc potestatem nullus alius habuit, ut poneret animam suam quando vellet, et susciperet quando vellet. De misericordia vero quod attinet dicere ? Si nimirum misericordiam non habuisset, pro nobis mortuus non fuisset. Cum enim aliquando dixisset discipulis suis quia oporteret eum tradi et crucifigi ; et beatus Petrus responderet : « Absit a te, Domine, non fiet istud ! » ut hanc misericordiam se habere ostenderet respondit, dicens : « Vade post me, Satanas, quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominis (*Matth.* XVI, 23). » Hæc sunt illa duo excellentissima quæ, Domino loquente, Propheta se audivisse dicit. Quod autem sequitur, quia tu reddes singulis secundum opera eorum, ad potestatem refertur, ut qui bene tantam misericordiam habuit, potestatem illam quoque habuisse dubitari non possit. Nullus enim alius est qui reddere possit unicuique secundum opera sua, nisi solus Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Habuit igitur potestatem sicut voluit et ponendi et sumendi animam suam, qui habet potestatem reddere singulis secundum opera sua.

PSALMUS LXII.

PSALMUS DAVID, CUM ESSET IN DESERTO IDUMÆÆ (*I Reg.* XXII, 25).

Idumæa *terrena* et *sanguinea* interpretatur. Significat autem mundum istum, qui maxima ex parte a terrenis et sanguineis habitatur. Ex eo igitur tem-

(614) Lectio Vaticana : « Quia tu reddes singulis secundum opera eorum. » Hunc locum D. Augustinus de generatione Verbi interpretatur. « Et vidit quia semel locutus est Deus, vidit Verbum, per quod facta sunt omnia, et in quo simul sunt omnia, » etc. Prolixior est Cassiodorus de æterna generatione Verbi hic disserens.

Digitized by Google

pore psalmus iste cantatur, et clare resonat in Ecclesia, ex quo Salvator noster cœpit esse in deserto Idumææ, id est in hoc mundo, vel in Judæa. De hoc deserto dicit Joannes Baptista : « Ego sum vox clamantis in deserto (*Joan.* I, 23). »

« Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo (615). » « Nox, inquit, præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* VIII, 12). » — « Venit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 8). » — « Surge itaque, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est (*Isa.* LX, 1). » — « Populus enim, qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam (*Isa.* IX, 2). » A tempore itaque hujus lucis et hujus diei vigilat Ecclesia, secundum hoc quod Apostolus vigilare præcepit. « Vigilate, inquit, et orate, state in fide, viriliter agite, confortamini in Domino ; omnia vestra in charitate fiant (*I Cor.* XVI, 13). » Hic est modus vigiliarum. Sic et Dominus nos vigilare jubet, quia nescimus diem neque horam.

« Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi « caro mea. » — « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V, 6). » Sitivit in te anima mea, id est amore et desiderio tui, te videre, ad te venire, tecum esse desiderans. Et hanc sitim patitur anima mea, caro vero multo majorem, utpote quæ majoribus angustiis et tribulationibus premitur. Et hoc est quod ait : « Quam multipliciter tibi caro mea. » Hinc est enim quod Apostolus ait : « Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe; quia ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII, 10). »

« In deserto, et invio, et inaquoso, sic in sancto « apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam « tuam. » Hæc est igitur causa tantæ sitis tantique desiderii. Quia sicut Apostolus ait : « Cum adhuc peccatores essemus, Christus pro impiis mortuus est (*Rom.* V, 8). » Si enim pro impiis mortuus est, per eum item justificati esse putamus. Sic igitur apparui tibi in deserto, et tale me tibi manifestavi inter impios et peccatores, ut virtutem tuam et gloriam tuam videre merear. Hanc virtutem et hanc gloriam soli Christiani adhuc in hoc **425** mundo positi in speculo, id est per speculum et videre et cognoscere possunt. Cæteri vero non possunt. Istum speculum, imo speculum speculorum Salvator noster est, qui tales nos fecit, et sic mentis nostræ oculos illuminavit et purificavit, ut ejus virtutem et gloriam intelligere valeamus. Hanc autem virtutem et gloriam Petrus, Jacobus et Joannes præ cæteris videre meruerant, qui eum in monte transfiguratum viderunt (*Matth.* XVII). Erat autem mundus A iste, priusquam Dominus veniret, desertus et adeo derelictus, et sine via quæ ad patriam duceret, et sine aqua sapientiæ, quæ nos lavaret et sanaret. Omnia autem hæc, ut non ex suis meritis, sed ex sola Dei misericordia se habuisse ostenderet, subdidit, dicens :

« Quia melior est misericordia tua super vitas, « labia mea laudabunt te. » Melior est misericordia Dei quam vita, quia et vitam dat, et multa alia super ipsam vitam, sine quibus misera est omnis humana vita. Unde et merito ab omnibus fidelibus suis laudandus est semper et glorificandus.

« Sic benedicam te in vita mea, et in nomine meo « lavabo manus meas; sicut adipe et pinguedine re- « pleatur anima mea. » Bonus adeps et bona pinguedo quibus anima impinguatur, per quæ videlicet B fides, spes, et charitas, et cæteræ virtutes significantur, sine quibus omnis anima tenuis et debilis misera est, et a suis adversariis se defendere non potest. Ut igitur tali adipe et tali pinguedine repleatur anima nostra, benedicamus et glorificemus Deum in tota vita nostra, et ad bonum opus faciendum levemus manus nostras, et quidquid facimus, in nomine Domini faciamus. « Et labia exsultationis laudabunt nomen tuum. » Sola labia sanctorum sunt labia exsultationis; quia quidquid dicunt, quidquid cantant et prædicant, et sibi ipsis, et credentibus et obedientibus gaudium pariunt, et exsultationem. Cætera vero labia non sunt exsultationis, sed potius tristitiæ et mœroris, quæ non docent nisi vanitatem, immunditiam et iniquitatem. C

« Sic memor fui tui super stratum meum, in ma- « tutinis meditabor in te. » Sic itaque memor fui tui usque nunc super stratum in matutinis, in omni tempore meditabor in te, ut adipe et pinguedine repleatur anima mea. Impii homines et peccatores in nocte et in tenebris sunt. Sancti vero in matutinis, utpote qui veritatis lumen vident et soli justitiæ appropinquant. « Quia factus es adjutor meus (615*). » Merito itaque tui semper memor fui, et memor ero, quia ubique et in omnibus necessitatibus meis factus es semper adjutor meus.

« Et in velamento alarum tuarum exsultabo, ad- « hæsit anima mea post te : me suscepit dextera « tua. » Quid per alas Dei, nisi perfectiones intelligamus? Tot sunt alæ, quot sunt angeli et virtutes, D sacrarum Scripturarum testimonia, quibus fideles suos protegit atque defendit. Inter has autem alas, charitas, pietas et misericordia mihi præcipue esse videntur. « Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. » Non despexisti quid dicat anima mea, quæ per fidem et dilectionem tibi adhærebat, et post te tui amoris desiderio capta currebat; sed extendisti dexteram tuam, et suscepisti me, et de luto profundi extraxisti me.

(615) « Bonus somnus corporis, inquit Augustinus, quo reparatur valetudo corporis. Somnus autem animæ est oblivisci Deum suum. Quæcunque anima oblita fuerit Deum suum, dormit, » etc. Enar. in psal. LXII.

(615*) « Nisi Deus adjuvet bona opera nostra, impleri a nobis non possunt : et digne debemus operari, id est tanquam in luce, quando Christo demonstrante operamur. » Idem August. Enar. eadem.

Digitized by Google

« Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, « introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus « gladii, partes vulpium erunt. » In vanum quidem, quia tu eam dextera tenebas, et defendebas et sub velamento alarum tuarum protegebas. Ipsi, inquit, quos melius tu nosti, inimici mei « in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ : tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. » Inferiora terræ loca pœnarum sunt, ubi impii cruciantur. Sed per manus gladii quid, nisi omnia tormentorum genera significantur? Vulpes vero maligni spiritus sunt, fraudulenti semper, et deceptores, qui istos quidem in partes suscipient; quoniam agni ab hædis, et justi a peccatoribus dividentur.

« Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes « qui jurant in eo, quia obstructum est os loquen- « tium iniqua. » Judicatus est Christus, et damnatus, et crucifixus, sed secundum humanitatem. Judicabit igitur Christus, sed secundum humanitatem judicabit. « Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v, 22). » Ille judicabit, quibus potitur, quia « in nomine Jesu omne genu flectetur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philipp.* II, 10). » Ille judicabit de quo dicitur : « Et videbit eum omnis oculus, et qui eum confixerunt (*Zac.* XII, 10; *Joan.* XIX, 37). » Neque enim divinitatem ipsam impii videre poterunt, qui vix ipsam humanitatem super solis radio glorificatam videbunt; quibus et dicetur : « Tollantur impii, ne videant gloriam Dei (*Isa.* XXVI, 10). » Sedebit igitur Christus in judicio cum senatoribus terræ, et cum principibus populi sui, et tunc quidem lætabitur in Domino de tanta gloria divinitatis sibi concessa; quia, sicut alibi dicitur : « Magna est gloria ejus in sæculum sæculi, » tecum quoque laudabuntur omnes, qui jurant in eo. Quomodo laudabuntur? « Esurivi, inquit Dominus, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes fui, et collegistis me; infirmus, et visitastis me (*Matth.* XXV, 35). » Et istæ quidem sanctorum laudes in Evangelio scriptæ sunt; sed alias **426** futuras non dubitamus. Omnes autem Christiani in Domino jurant, et sine juramento ad fidem nemo suscipitur. Quomodo autem jurent, et quid jurent, notissimum est, et expositione non eget. « Quia obstructum est os loquentium iniqua. » Boni, inquit, laudabuntur a Domino; mali vero a nullo laudabuntur; quia nemo erit, qui ad laudandum, vel excusandum vel defendendum os aperire audeat.

PSALMUS LXIII.

IN FINEM, PSALMUS DAVID.

Hic, inquit, psalmus referatur in finem, id est ad Christum, in quo ipsius passionis mysterium continetur.

« Exaudi, Deus, orationem meam, cum tribulor, a « timore inimici eripe animam meam. » Sæpe jam diximus quia, quando Salvator noster aliquid orat, aliquid petit et aliqua re indigere videtur, totum ad humanitatem referendum esse. Ipsa quoque humanitas non pro se orat, sed pro nobis; quia quidquid est in ejus voluntate, hoc est et in ejus potestate. Ipsum igitur orasse, voluisse fuit. Sed nos ejus voluntatem scire non possumus, nisi per orationem, quia neque nostras vicissim cognoscere possumus, nisi per allocutionem. Necesse itaque habuimus ut ejus voluntas diceretur nobis, quia aliter eam intelligere non poteramus. Est igitur Propheta internuntius inter nos et voluntatem Christi, quia quod ibi videt nobis annuntiat, atque ipsam voluntatem orantem introducit. Clamet igitur, et iterum clamet voluntas Christi, et Propheta nobis annuntiet hoc, quod vidit et audierit in voluntate Christi. « Exaudi, inquit, Deus, orationem meam, » et modo exaudi, quia modo tribulor, et a timore inimici eripe animam meam. Inimicus iste diabolus, et populus Judaicus intelligitur, qui Christi animam auferre conabatur

« Protexisti me a conventu malignantium, et a « multitudine operantium iniquitatem. » Non habebat necesse diu orare, cujus voluntas tam subito exaudiebatur. Similiter enim in ipso erant et voluntas et voluntatis effectus; neque prius velle aliquid poterat, quam habere quod vellet. Quid enim est inter petitionem et exauditionem, nisi quia utrumque simul dici non potest? Statim enim, ut dixit, « a timore inimici eripe animam meam; » illico se exauditum esse ostendens, subdidit, dicens : « Protexisti me a conventu malignantium. » Poterat itaque Christi voluntas præcedere orationem, sed non præcedere exauditionem. Ille igitur qui antequam peteret exauditus erat, quid ei petere vel orare necesse erat? « Protexisti me, inquit, a conventu malignantium, et a multitudine operantium iniquitatem; » quia nisi ego voluissem, nullam in me potestatem habere potuissent. Et ego quidem nihil passus sum, nisi quod volebam; quamvis illi multa fecerunt in me, quæ facere non debuissent. Quæ sint autem illa, Propheta narrante, audiamus.

« Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intendérunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occul- « tis immaculatum. » Propheta loquitur, et Christi passionem per ordinem narrat. « Exacuerunt, inquit, Judæi, ut gladium linguas suas, » quoniam communicato consilio ad Salvatoris nostri accusationem pariter se præparaverunt. Intenderunt vero arcum, ut sagittent in occultis immaculatum; quoniam inter se constituerunt, ut simul omnes una voce clamarent. De doloso arcu dolosæ et iniquæ sagittæ jaculantur. De corde impio et iniquo, impia et amara sententia procedit. Maledictæ linguæ, maledicta manus, maledictæ sagittæ, quæ tantum scelus facere non timuerunt. Quare quidem tentus est, quia consilium illud iniquum perditionis et depravationis in secreto inventum est. Sagittæ vero in manifesto missæ sunt, quia palam, et cunctis audientibus et semel et iterum *Crucifige* acclamatum est. Quot fuerint voces clamantium, tot fuerunt et sagittarii sagittas illas mortiferas jaculantes. Sed melius sequentia manifestabunt.

« Subito sagittabunt eum, et non timebunt : fir-

Digitized by Google

« maverunt sibi sermonem nequam. » Subito sagittabunt eum, et quidem subito. Cum enim Pilatus dixisset, « quem vultis vobis de duobus dimitti, Barabbam an Jesum, qui dicitur Christus? » responderunt Judæi dicentes, « Barabbam. » Cumque ille dixisset : « Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? » illi subito sine consilio, sine ratione, sine criminatione, sine judicio, et legis sententia, et voluntate, quasi phrenetici et insani clamaverunt, dicentes, « Crucifigatur (*Matth.* xxvii). » Hoc est igitur quod ait, subito sagittabunt eum, quia non solum sagittaverunt; sed sicut modo diximus, subito et ante audientiam sagittaverunt eum. « Et non timebunt. » Miratur Propheta, non tantum quia hoc fecerunt, verum etiam quia facere non timuerunt. Et pejus quidem est peccare cum audacia, quam cum timore. Et mirum valde, quod isti non timebant qui talem tantumque hominem morti condemnabant, quem immaculatum, sanctum et justum non dubitabant. Quem illis ipsis diebus viderant Lazarum jam quatriduanum a morte resurrexisse. Qui, ipsis videntibus, cæcos illuminavit, leprosos **427** mundavit, paralyticos curavit, dæmonia fugavit, et alia multa et stupenda inter eos operatus est quæ sicut ipse nemo alius fecit. Quomodo ergo non timuerunt; « quia firmaverunt sibi verbum malum. » Multa viderat Propheta de Christi passione, et de Judæorum impia machinatione, quæ ipsi quoque evangelistæ non narrant. Ostendit enim in iis verbis quia Judæi hoc verbum malum inter se firmaverant et juraverant, quod Dominum et Salvatorem nostrum sine ulla retractatione interfecissent. Et ideo fortasse non timebant, quia si vicissim hoc perficere hortabantur, unde et simul consiliati erant.

« Disputaverunt ut absconderent laqueos : dixe- « runt : Quis videbit eos? » Disputaverunt, inquit, et inter se diutius tractaverunt quo eum dolo et falsis asertionibus convincere possent. Conjurati omnibus modis prævalere nitebantur contra quem injustam causam se habere sciebant. Quid enim nisi laquei erant omnes illæ deceptiones, quas contra Salvatorem nostrum in abscondito machinabantur? Quas quidem tam sapienter, tam callide et astute facere arbitrabantur, ut nemo præter se cognoscere et intelligere posset. Et hoc est quod sequitur : « Dixerunt : Quis videbit eos? » Et ego e contra dico : quis ibi erat tam insipiens qui eos non cognosceret, et non videret quod omnia quæcunque faciebant dolose fraudulenterque agebant?

« Scrutati sunt iniquitatem, et defecerunt scru- « tantes scrutinio. » Scrutati, inquit, sunt, multumque in hoc laboraverunt, ut aliquam iniquitatem invenire potuissent quæ deceptioni et accusationi apta esse videretur. Et scrutantes defecerunt, quia nihil tale in illo suo scrutinio invenire potuerunt.

(616) Locus ita se habet in Vulgata : « Cuncta tentavi in sapientia. Dixi : Sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me. »

A Sic enim dicit evangelista, quia cum multi falsi testes accessissent adversus eum, novissime venerunt duo falsi testes, dicentes : Hic dixit : Possum destruere hoc templum manufactum, et in triduo excitabo aliud non manufactum (*Matth.* xxvi, 61). « Et non erat, inquit, conveniens testimonium illo- « rum; » et sic quidem deficiebant omnes scrutantes scrutinio. Prævaluerunt tamen, et fallendo, mentiendo, decipiendo, damnando, *Crucifige* clamando, tandem ad mortem et ad crucem eum traxerunt. Et hoc est quod dicitur : « Accedet, inquit, « homo ad cor altum, et exaltabitur Deus. » Accedit, inquit, homo ad crucem, et optime diximus : accedet homo, quia, cum simul Deus esset et homo, solus tamen homo crucifixus est. Accessit igitur B homo, sed non qualiscunque homo, sed cor altum, sublime et profundum, omnisque sapientiæ et scientiæ plenum, de quo Apostolus ait, quia in ipso requiescit omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* ii, 9). Hic est ille flos de quo Isaias ait; quia « in ipso requiescet spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* xi, 2). » — « Et exalta- « bitur Deus. » Hoc est enim quod ipse Dominus ait : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filius hominis (*Joan.* iii, 14). » Quod Judæi intelligentes, dixerunt : « Quis est iste Filius hominis? nos audivimus ex lege, quia Christus C manet in æternum. Quomodo ergo tu dicis quia oportet exaltari Filium hominis? » (*Joan.* xii, 34.) Exaltatus est igitur in cruce Dominus, ut, sicut ipse ait, omnia traheret ad seipsum. Quidam codices habent : « Accessit homo ad cor altum, » per quod intelligimus quia post Christi passionem liber apertus est qui septem sigillis signatus erat (*Apoc.* v, 3). Accessit homo ad cor altum, id est ad majorem et spiritualem intelligentiam. Et Deus exaltatus est in cordibus illorum, qui ad cor accedere meruerunt. In illorum corde exaltatur Deus qui, ejus altitudinem et magnificentiam bene et catholice intelligentes, eum sicut dignum magnificant et exaltant. Exaltatur autem et aliter Deus, quia tanto sublimius mentis nostræ intuitum fugit, quanto de eo D subtilius cogitamus, et interioribus oculis eum videre desideramus. Unde et in Canticis canticorum Ecclesiæ dicitur : « Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare facerunt (*Cant.* vi, 4). » Et Salomon dicit : « Tentavi sapientiam (616), et ipsa longius recedet a me (*Eccle.* vii, 24). » Moysique cum Dei faciem et majestatem videre optaret, dictum est : « Non videbit me homo, et vivet (*Exod.* xxxiii, 20). »

« Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, « et pro nihilo habuerunt. » Sagittæ parvulorum, quia levi impetu feriunt, aut nullas, aut parvissimas plagas facere possunt (617). Talia autem com-

(617) Cassiodorus, qui per totum hunc psalmum de passione Christi Domini a Propheta prænuntiata disseruit, ut S. Bruno, hæc de inanibus Judæorum

Digitized by Google

putantur a Domino omnia illa verba et insidiæ Judæorum, quia quantum ipse voluit et ipse permisit, tantum et non amplius adversus eum potuerunt. Pro nihilo igitur inutiliter et sine causa tales sagittas Judæi habuerunt, quibus contra Dei voluntatem nihil facere valuernnt; sed potius semetipsos suis sagittis vulnerarunt. Et hoc est quod ait : « Contra eos « linguæ ipsorum. »

« Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, et « timuit omnis homo. » Isti sunt de **428** quibus in Evangelio dicitur quia « Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant ea quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur (*Luc.* XXIII, 48). » Inter quos et centurio glorificabat Deum, dicens : « Vere justus erat homo iste (*Ibid.*, 47). » — « Stabant autem justi et noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ erant eum a Galilæa hæc videntes (*ibid.*, 49). » — « Omnes igitur conturbati sunt, » videntes eos tam crudeliter et impie agere. « Et timuit omnis homo; » et qui non timuit et de tanta crudelitate non doluit, diabolus fuit, et non homo. Et hæc quidem de Salvatoris nostri passione dicta sint. Hic autem quid apostoli demum fecerint audiamus.

« Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt. » Hoc est enim quod in Evangelio dicitur : quia « profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20). » Ipsi, inquit, annuntiaverunt opera Dei et mirabilia ejus, quæ per seipsum et fideles suos operatus est. Et omnes populi, tribus et linguæ ea audientes facta ejus intellexerunt, et a sua infidelitate ad fidem conversi in Christum Dominum crediderunt.

« Lætabitur justus in Domino et sperabit in eo, « et gloriabuntur omnes recti corde. » Amodo ergo lætabitur justus in Domino, qui prius in mundi hujus vanitatibus et voluptatibus lætabatur. Et sperabit in eo, qui antea sperabat in incerto divitiarum. « Et laudabuntur omnes recti corde. » Sicut omnes recti corde laudandi sunt; ita subdoli et fallaces reprobandi. Rectum cor ille habet qui a veritate et rectitudine non recedit; sicut e contra illi pravum cor habent, qui illum sequuntur, de quo scriptum est : « Quia ab initio mendax fuit, et in veritate non stetit (*Joan.* VIII, 44). »

PSALMUS LXIV.

(618) IN FINEM, PSALMUS DAVID. CANTICUM JEREMIÆ ET EZECHIEL DE VERBO PEREGRINATIONIS QUANDO INCIPIEBANT PROFICISCI (*IV Reg.* XXIV, 14).

Hunc psalmum scripsit David de Babylonis captivitate, et dicit hunc esse canticum Jeremiæ et Ezechiel, quoniam et ipsi de eadem captivitate scripserunt, et in ea fuerunt. Quod autem David prophetavit et scripsit, hoc Jeremias simul cum Ezechiele, sustinuit et vidit. Isti enim duo prophetæ simul cum aliis in captivitatem ducti sunt, eosque consolabantur, et æquo animo esse admonebant, et dicebant, post annos septuaginta duos in patriam eos redituros esse, et interim civitatem restaurandam, et templum reædificandum, et hymnos et psalmos ibi canendos esse prædicabant. Hoc autem faciunt quotide episcopi et sacerdotes in Ecclesia, qui per duos illos prophetas significantur, et post annos septuaginta, omnes sanctos, qui in hujusmodi captivitate tenentur, ad patriam cœlestis Jerusalem redituros esse confirmant. Quid enim per annos septuaginta, nisi totam hanc vitam præsentem intelligamus? Septies namque decem, vel decies septem, septuaginta faciunt. Sed uterque ille numerus universitatem significat; quoniam et in decem omnes numeri, et id septem omnes dies continentur.

« Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur « votum in Jerusalem. » Uterque populus loquitur de captivitate liberatus : alter Babyloniorum, alter dæmoniorum. Quanto tempore (quasi dicat populus ille) in captivitate fui, non potui te laudare, quia et dura captivitate comprimebar, neque conveniens mihi videbatur ut cantarem canticum Domini in terra aliena. Nunc autem quia liberati sumus, multum decet ut laudes tuas et hymnos tuos cantemus, et clarissime resonemus tibi in Sion, et vota nostra, quæ tibi vovimus in captivitate, nunc reversi, reddamus tibi in Jerusalem. Hoc ipsum dicere possunt illi quoque

conatibus perdendi Christum habet : « Parvulorum sagittæ inania tela sunt, qui ludendi studio fragiles cannas in sagittarum consuetudinem jacere consueverunt. Sic Judæorum vota inefficaci malignitate sævissima non intulerunt flendam mortem, sed potius gloriosissimam passionem, talesque plagas dederunt quibus mors ipsa moreretur, et promissa mundi sospitas velociter impleretur. »

(618) In paucis differt hic titulus, ut legitur in Psalterio a cardinali Thomasio exposito. Ita est : « In finem psalmus David : Canticum Jeremiæ et Ezechielis, populo transmigrationis, cum inciperent exire. » Ven. Bedæ illustrationem in hunc titulum subjiciam : « Quia principia tituli jam nota sunt, sequentia paucis exponemus verbis. Transmigrato in Chaldæam populo Israel, prophetæ memorati prædixerunt eos post septuaginta annos ad patriam redituros, eversamque ab hostibus Jerusalem meliori statu reparaturos. Non ergo Jeremias et Ezechiel psalmum fecerunt : sed quorum tempori juxta historiam congruit, eorum nomine prætitulatur, quod ab Esdra factum plures auctores asseverant; dicentes eum Psalmis omnibus titulos indidisse; eosque eatenus incompositos, et pro auctoritate ac temporis diversitate dispersos, in volumen unum collegisse. Spiritualiter autem populus, qui Babyloniam deserens, post captivitatem, ad Jerusalem festinabat, illos respicit qui post peccata priora mundi hujus confusione damnata, ad Ecclesiam Christi venire contendunt, quibus auctoritate Patrum totus iste psalmus aptandus est. » Aliter pridem concinnavit hunc titulum Cassiodorius animadvertens quod Jeremias et Ezechiel ante reditum Judæorum in Jerusalem obierant. Eum ergo ita disponit : « In finem, psalmus David, canticum de populo transmigrationis, per prophetiam Jeremiæ et Ezechiel, cum inciperent proficisci. » Sic recte intelligitur, ut verba magis ad populum, quam ad Jeremiam et Ezechiel pertinere videantur.

Digitized by Google

qui per pœnitentiam **429** sunt liberati, et sacramentis Ecclesiæ reconciliati.

« Exaudi orationem meam, ad te omnis caro ve- « niet. » Exaudi, inquit, orationem meam, ut totus mundus et purificatus veniam ad te, qui ex hoc multis modis me maculatum esse confiteor, et cognosco, quod tanto tempore inter homines iniquos, et inter vitia et peccata conversatus sum. Scio enim et certus sum quia omnis caro ad te veniet. Hoc est enim quod per prophetam Dominus ait : « Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu et confitebitur omnis lingua (*Isa.* XLV, 23). » Unde et Apostolus ait : « Omnes enim sive boni, sive mali astabimus ante tribunal Christi (*Rom.* XIV, 10). »

« Verba iniquorum prævaluerunt super nos, et « impietatibus nostris tu propitiaberis. » Ideo enim multa indiget purificatione multaque misericordia, quia verba iniquorum prævaluerunt super eum, et maculaverunt eum. Sed bonam spem habe, quia Dominus miserebitur ejus.

« Beatus quem elegisti et assumpsisti (619), inha- « bitabit in atriis tuis. » — « Multi sunt vocati, pauci vero electi (*Joan.* XIV, 2). » Sed beatus ille, quem Dominus sua pietate elegit, et de tanta hominum multitudine sibi assumpsit : iste enim perire non poterit, sed absque ulla dubitatione bona sibi prædestinata percipiet. Et iste quidem habitabit in tabernaculis ejus, et de quibus ipse Dominus ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2). »

« Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est « templum tuum, mirabile in æquitate. » Prius, inquit, quam veniamus ad illa tabernacula tua, ad quæ utinam aliquando pervenire valeamus! replebimur hic in bonis domus tuæ, per quam S. Ecclesia significatur. Sed quis enumerare valeat quæ et quanta bona sunt in Ecclesia Dei, quibus quotidie fideles satiantur et implentur? Hic habemus omnes libros utriusque Testamenti : hic habemus, et multos alios, quos SS. Patres ediderunt nobis : hic habemus Christi corporis et sanguinis divitias et delicias inenarrabiles. Hæc sunt igitur illa bona de quibus hic dicit : « Replebimur in bonis domus tuæ, » de qua videlicet domo subditur : « Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. » Non solum, inquit, illa superna tabernacula sancta sunt, quibus utique nulla alia tabernacula comparari possunt. Sed etiam hoc templum Dei, quod in terris est sanctum et venerabile est. « Et mirabile in æquitate. » Vides, quia de æquitate laudatur Ecclesia ; sed pauci sunt illi, ad quos laus ista pervenire videtur. Sic enim de ea dicitur, quia « non habet maculam neque rugam (*Ephes.* V, 27), » quod quidem si ad universitatem referatur, stare non potest.

« Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium « finium terræ, et in mari longe. » Exaudi, inquit, nos, A Deus salutaris noster, cujus sanguine salvati et redempti sumus, in quo sperant, et per quem se ab omni malo liberari confidunt omnes fines terræ, per quos tota universalis et catholica Ecclesia significatur. Per eos vero, qui sunt in mari longe Scotos et Britannos, et alias maris insulas intelligere possumus.

« Præparans montes in virtute tua, accinctus po- « tentia, qui conturbas fundum maris, sonum autem « fluctuum ejus quis sustinebit? » Tu, inquit, exaudi nos, qui præparas montes in virtute tua, per quos apostolos et doctores intelligimus, qui sapientiæ sermone et religione omnibus aliis sublimiores sunt (620). Hos autem præparavit Dominus ad pugnandum et ad prædicandum, ad hæreticos convincendum et totum populum gubernandum et regendum. Est autem Dominus accinctus potentia, et tanta talique potentia, ut nemo sibi resistere valeat. Unde et alibi dicitur : « Accingere gladio tuo super femur tuum (*Psal.* XLIV, 4). » De talibus autem gladiis scriptum est : « Et gladii ancipites in manibus eorum (*Psal.* CXLIX, 6). » Unde et Apostolus ait : « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV, 12). » Ille igitur est accinctus potentia, qui tali gladio armatus est. Conturbat quoque Dominus fundum maris, sicut ipse per Isaiam dicit : « Ego Dominus qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus (*Isa.* LI, 15). » Quid per mare nisi mundus iste significatur? De quo alibi dicitur : « Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus (*Psal.* CIII, 25). » Audiamus ergo quomodo hoc mare conturbatur a Domino : « Veni, inquit, ignem mittere in terram ; et quid volo, nisi ut accendatur? » (*Luc.* XII, 49.) « Non veni pacem mittere, sed gladium (*Matth.* X, 34). » — « Ex hoc erunt quinque in domo una, duo in tres, et tres dividentur in duos (*Luc.* XII, 52). » Sic igitur conturbat Dominus fundum maris, quando bonos separat a malis, et alios contra alios insurgere facit ; dum alii justitiam impugnant, et alii usque ad mortem pro justitia pugnant. « Sonitum fluctuum ejus quis sustinebit? » Habet hoc mare et bonos et malos fluctus. Boni fluctus boni homines sunt, mali autem fluctus mali homines. Clamant isti et illi, et tantum sonum multoties reddunt, ut se vicissim sustinere non valeant, nec isti, nec illi. Nam neque boni audire volunt fatuitates malorum, neque mali sustinere et recipere volunt salutiferas voces bonorum. **430** Fit autem multoties, ut illi qui sanctorum voces audire dedignantur, visis signis et miraculis, convertantur. Unde et subditur :

« Turbabuntur gentes, et timebunt omnes qui « habitant fines terræ a signis tuis. » Videntes enim signa quæ sancti apostoli faciebant, fidem ipsi qui prius eorum prædicationem deriserunt, mox contur-

(619) De humanitate a Verbo Dei assumpta interpretatur hunc psalmi locum S. Augustinus, Enarrat. in Psal.

(620) « Præparatos montes, apostolos per allegoriam decenter accepimus, qui ad verum prædicationis electi sunt, fortitudinem habentes fidei et altitudinem sanctitatis, humiles conversatione, sed merito celsiores. » CASSIODORUS.

Digitized by Google

bati et in admirationem conversi, Christum timere incipiebant; in cujus nomine tam mira et stupenda fieri videbant.

« Exitus matutini, et vespere delectabis. » Bonus exitus, in quo Dominus delectatur. Et alius quidem fuit exitus Israel de Ægypto, et domus Jacob de populo barbaro. Delectatur itaque Dominus exitus illorum qui exeunt et fugiunt de cœtu malorum. Matutinus est ille exitus qui cito vel in primæva ætate fit : vespere autem qui sero vel ultima ætate fit. Omnes tamen recipit Deus, et primis et novissimis denarium tribuit. Recordare illius Evangelii, in quo paterfamilias conducit operarios in vineam suam (*Matth.* xx, 1). »

« Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti « locupletare eam. » Miratur Propheta de tam subita omnium gentium conversione, et de tanto populo undique ad Ecclesiam confluente. Atque in hoc non immerito terram a Deo visitatam esse dicit. Unde est etiam illud : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ (*Luc.* i, 68). » Inebriavit autem Deus terram ab ubertate domus suæ, et torrente voluptatis suæ potavit eam, per quod nimirum S. Spiritus gratias intelligimus, quibus Ecclesia inebriata omnibus linguis loquitur, et omnes Scripturas exponit, et terrenorum omnium oblita a stultis hominibus, non ebria tantum, sed etiam insana esse putatur. Bona ebrietas quæ sic homines convertere potest. Sed quid est : « Multiplicasti locupletare eam », nisi multipliciter locupletasti eam? Multipliciter quidem; quia sapientia et scientia, fortitudine et pietate, virtutibus et honestate, gloria et honore, et omnibus bonis quæ a viro justo desiderari possunt.

« Flumen Dei repletum est aqua; parasti cibum « illorum, quia ita est præparatio ejus. » Quid mirum, inquit, si terra inebriata est, quæ tanto flumine irrigatur? Hoc est illud flumen de quo alibi dicitur : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* xlv, 4). » Et hoc quidem flumen repletum est aqua, quia septem sunt gratiæ Spiritus sancti, de hoc uno flumine procedentes, quibus omnes habitantes in terra reficiuntur et satiantur. Unde et subditur : « Parasti cibum illorum, quia ita est præparatio ejus. » Hæc aqua, et cibus, et tota refectio est. Et hunc præparavit Dominus cibum sanctorum suorum, quia sine hoc cibo ad tantum laborem tolerandum præparari non possent.

« Rivos ejus inebrians, multiplicans generationes « ejus, in stillicidiis suis lætabitur, dum exori« tur (621). » Habet et hæc aqua suos rivos per quos assidue currit, et fluit. Isti autem sunt episcopi et sacerdotes qui omnibus aliis necessaria subministrant, et ad quos, quasi ad rivos, sua vascula deferentes, alii plus, alii minus, pro sensus capacitate, inde suscipiunt. Dicatur ergo : Tu, Domine, parasti hanc aquam cibum illorum, rivos ejus inebrians, et multiplicans generationes ejus, quod utique non fecisses, nisi ejus rivos inebriasses, et ejus generationes multiplicasses. Si enim in rivis non inveniretur, ubi hæc aqua quæreretur? Sed quia rivi ebrii sunt, quicunque eam quærunt, paratam inveniunt. Multiplicat autem Dominus hujus aquæ generationes, quia multi et innumerabiles sunt, qui quotidie ex ea renascuntur, nullus enim in Ecclesia est qui inter ejus generationes non computetur. Et divites, et pauperes, et quicunque in Ecclesia sunt, omnes ejus filii sunt. « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei (*Joan.* iii, 5). » Aqua igitur est quæ foris, et aqua quæ intus homines lavat : sed altera videri potest, altera vero videri non potest. « In stillicidiis suis lætabitur, dum exoritur. » Statim, inquit, ut hæc aqua a flumine suboritur et derivatur, in stillicidiis suis lætatur. Eos quos rivos superius dixerat, nunc stillicidia vocat. Quamvis per stillicidia illi qui rivis inferiores et minoris meriti sunt convenienter intelligi possunt. Quicunque igitur ille est in quem defluit aqua Spiritus sancti, statim in ipso exortu spirituali lætitia lætificatur.

« Benedicens coronæ anni benignitatis tuæ, et « campi tui replebuntur ubertate. » Et hoc quidem superioribus jungitur, et tale est ac si diceret : Tu quidem rivos ejus inebrians, et generationes multiplicans, et coronam benedicens, facis ea quæ superius dicta sunt. Annus autem benignitatis Dei ex eo tempore cœpit, ex quo Salvator noster in hunc mundum venit. De quo anno ipse Dominus ait : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, cæcis visum, et annum acceptabilem Domino (*Luc.* iv, 18). » De quo et Apostolus dicit : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*I Cor.* vi, 2). » Totus autem hic annus coronatus est, quia quotidie fideles contra vitia et malignos spiritus præliantur, vincunt et coronan-
431 tur. « Nemo autem, dicit Apostolus, coronabitur, nisi legitime certaverit (*II Tim.* ii, 5). » Omnes autem anni usque ad hunc annum sub maledictione fuerunt; sed iste annus, et corona hujus anni Christi benedictionem suscipere meruit. Notandum tamen quod non annum, sed anni coronam Dominus hic benedicere dicitur, per hoc solos pugnatores et victores hanc benedictionem habere intelligamus. « Et campi tui replebuntur ubertate. » Campi Dei, singulæ Ecclesiæ sunt utriusque Testamenti fecunditate, et sancti Spiritus ubertate omniumque virtutum abundantia repletæ. Sterilis erat omnis terra quæ in primo homine maledicta fuerat; sed in Salvatore nostro benedictionem simul et fecunditatem accepit.

« Pinguescent fines deserti, et exsultatione colles

(621) Textus Vulgatæ : « Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : in stillicidiis suis lætabitur germinans. » Aliter apud Clarium : « Sulcos ejus inebrias, comprimis glebas ejus, stillicidiis liquefactis eam et germini ejus benedicis. »

Digitized by Google

« accingentur. » Per fines deserti illos intelligimus qui, quamvis deserto propinqui sint, in deserto tamen non sunt; quoniam et si inter alios conversantur, malos tamen non imitantur. Isti autem pinguescent, illa videlicet pinguedine de qua in alio psalmo dicitur: « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII, 6). » Et illi quidem fines, qui sic pingues sunt, omnis boni operis fructificatione uberes sunt. « Et exsultatione colles accingentur, » per quos omnes illos intelligere debemus, quos religione, virtute et sanctitate excellentiores in Ecclesia esse videmus. Isti autem accincti sunt exsultatione, quia optimos gladios habent, quibus suos jugulant inimicos. Beati qui talibus gladiis sunt accincti, taliterque ad præliandum parati.

« Induti sunt arietes ovium (622), et convalles B « abundabunt frumento; etenim hymnum dicent. » Videtur hoc in loco illos arietes excludere, qui steriles sunt, et ovibus ad filiorum progeniem utiles non sunt. Illi igitur arietes, illi totius gregis doctores, et principes gloria et honore, veste nuptiali et stola immortalitatis induti sunt, qui verbo prædicationis insistunt, multosque filios Domino generant.

« Et convalles abundabunt frumento. » Quid enim per convalles, nisi humiles, mites, simplices, mansuetos et totam fidelium multitudinem intelligamus? Qui aliunde, id est ab Ecclesiæ cultoribus, episcopis videlicet et sacerdotibus, verbi Dei sementem suscipientes, frumentum boni operis, laudis et jubilationis abundanter Domino reddunt. Unde et subditur: « Etenim clamabunt, et hymnum dicent. » Hoc est C ergo frumentum quod convalles Domino reddunt, et hic est fructus labiorum confitentium nomini ejus. Nihil enim est in quo Deus amplius delectetur, quam in sacrificio laudis et jubilationis.

PSALMUS LXV.

IN FINEM : PSALMUS DAVID. CANTICUM RESURRECTIONIS.

De illa resurrectione loquitur de qua Apostolus dicit : « Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (*Coloss.* III, 1). » Qui vult resurgere, ut prius moriatur, necesse est. Unde et Apostolus ait : « Mortuus sum mundo (*Rom.* VII, 10). » Ipse autem seipsum resurrexisse, ait : « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus (*Galat.* II, 20). » Et alibi : « Insipiens, inquit, tu quod seminas non vivificatur, nisi D prius moriatur (*I Cor.* XV, 36). » Bene igitur resurgit, qui vivus moritur, et Deo vivit, quales isti sunt qui in hoc psalmo jubilant et psallunt.

« Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. » Ecclesia loquitur, et hortatur omnem terram ad laudem Dei et jubilationem. Jubilatio ineffabile gaudium est quod de amore Dei in mente habetur. Psalmum dicere est in psalterio cantare. In psalterio vero ille cantat, qui decem cordas sonat et tangit, id est, decem legis mandata custodit : « Jubilate, inquit, Deo, omnis terra; » ipse sit gaudium vestrum, et vita vestra : « Psalmum dicite nomini ejus, » ut quæcunque facitis, in ejus nomine faciatis. Date gloriam nomini ejus, ut jubilatio vestra, et cantatio vestra gloriosa et laudabilis fiat. Deum laudare quilibet potest, sed laudi gloriam dare perfectorum est, qui ea quæ cantant opere compleant. Et tales quidem bene psalmos dicunt, et bene in psalterio cantant, dulcemque et bene convenientem omnium chordarum sonitum reddunt.

« Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua : in « multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici « tui. » Hoc est enim quod Apostolus ait : « Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, cur me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti aliud facere vas in honorem, et aliud in contumeliam? » (*Rom.* IX, 20.) « O altitudo divitiarum sapientiæ **432** et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* XI, 33.) Hoc nobis sufficiat, admiremur opera et judicia Dei, non ea discutiamus quæ supra nos sunt nostramque scientiam excedunt. « In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. » Hoc autem tale ac si diceret : Propter multitudinem virtutis et fortitudinis tuæ, non dimittent, quin tibi mentiantur inimici tui.

« Omnis terra adoret te, et psallat tibi, psalmum « dicat nomini tuo, Altissime. » Dignum est ut omnis creatura eum adoret a quo facta est. « Scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (*Matth.* IV, 9). » Quid sit autem psallere, et psalmum dicere, superius diximus.

« Venite, et videte opera Domini, quam terribilis « in consiliis supra filios hominum. » Venite, inquit, et videte opera Domini, quæ inferius in hoc psalmo continentur, et considerate quam terribilis et quam metuendus est in consiliis et in voluntatibus suis, de omnibus quæ agit supra filios hominum. Et quia ea comprehendere non valemus, sint tantum nobis in admiratione et gratiarum actione.

« Qui convertit mare in aridam, et flumina pede « pertransibunt, ibi lætabimur in idipsum (623). » Per mare mundum, per aridam vero Ecclesiam intelligamus. Illud procellis et tempestatibus erigitur; hæc firma semper et stabilis manet. Convertit autem mare in aridam, quando gentiles et idololatræ ad Ecclesiam transeunt et Christianorum fidem suscipiunt. Per flumina vero, quia aquæ multæ, populi multi, diversæ hujus mundi gentes et nationes significantur. Quæ autem flumina pede transire possumus, ea ingredi non timemus. Quando igitur sancti prædicagens Judæa per maria transivit, sequens Christi baptisma nuntiabat. Quod flumina sine altitudinis periculo siccis pedibus transmeavit, mundi hujus significabat fluenta secure posse transire, et ad pœnitentiæ tutissima pervenire, » etc. CASSIOD.

(622) « Subaudiendum, *exsultatione*. Qua enim exsultatione colles accingentur, hac inducuntur arietes ovium. » AUGUST.

(623) « Hic jam sacramenta illorum operum festinat ostendere; quia in eorum præfiguratione veraciter post lætatus est populus Christianus. Nam quod

Digitized by Google

tores, episcopi et sacerdotes secure et sine timore A in populis prædicant, tunc dicere possumus quia per flumina pede transeunt. « Ibi lætabimur in idipsum. » Ubi prius erat timor, ibi lætitia nuntiatur. Ibi ergo, id est in populis qui per flumina significantur, lætantur modo sancti in idipsum, id est simul et communiter omnes. Omnium communis lætitia est, quia una fides omnium est, nullus nulli contradicit, sed omnes pariter Christum laudant et benedicunt. De quo subditur.

« Quia dominatur in virtute sua in æternum; oculi « ejus super gentes respiciunt : qui in ira provocant, « non exaltentur in semetipsis. » Solus Deus propria virtute dominatur, quia omnipotens est et nullius eget auxilio. Unde et alibi dicitur : « Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum B non eges (*Psal.* xxv, 2). » Dominatur autem in æternum, quia « regni ejus non erit finis (*Luc.* i, 34). » « Oculi ejus super gentes respiciunt, » ut eas custodiat, et ab omnium inimicorum defendat insidiis. De Judæis autem quid dicis? « Qui in ira provocant, non exaltentur in semetipsis. » Hæc est illa domus exasperans, pro qua Propheta orare prohibetur. Videant igitur isti furibundi provocatores et prævaricatores, ut non exaltentur in semetipsis, id est in virtute et fortitudine sua, quia sublata est illis omnis fortitudo eorum et gloria. Videmus itaque quia Judæi abjiciuntur, et gentes eliguntur, ut adimpleatur quod scriptum est : « Vocabo non plebem meam plebem meam, et non dilectam dilectam, et non misericordiam consecutam misericordiam consecutam C (*Rom.* ix, 25); » et quibus dictum fuerat, « non populus meus vos, » illi vocantur filii Dei vivi. Et hoc est quod superius dixerat : « Venite, et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum. »

« Benedicite, gentes, Deum nostrum, et obaudite « vocem laudis ejus. » Vos, inquit, gentes, quæ a Domino electæ et in hæreditatem vocatæ estis, « benedicite Dominum Deum nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus. » Sic enim in alia translatione habetur. Quid est autem auditam facite vocem laudis ejus, nisi ea prædicare, et annuntiare ea quæ pertinent ad gloriam ejus? Quod autem hic dicitur : « obaudite vocem laudis ejus, » sic videtur esse dictum, D ac si dixisset : Quando laus ejus annuntiatur, vos e contra ad audiendum et obediendum estote parati. Unde obedire, quasi obaudire dicitur.

« Qui posuit animam meam ad vitam, et non de- « dit commoveri pedes meos (624). » Ecclesia una est, et ipsa pro omnibus loquitur. Vivunt igitur omnium fidelium animæ, si Ecclesiæ anima vitam habet. Pedes quoque omnium fidelium firmi stant, si Ecclesiæ pedes non moventur. Pedes autem ejus sunt fides, constantia, et bona intentio.

« Quoniam probasti nos, Deus, igne nos exami- « nasti, sicut igne examinatur argentum. » Et in hac quidem examinatione quales isti pedes fuerint, satis probatum est; nisi enim firmi fuissent, in tanto discrimine stare non potuissent. In igne igitur quasi argentum examinati sunt sancti, per quem videlicet ignem omnia tormentorum genere significantur.

« Induxisti nos in laqueum, posuisti tribula- « tiones 433 in dorso nostro, imposuisti ho- « mines super capita nostra. » Hoc facere dicitur Dominus, quod cum prohibere possit, fieri permittit. Unde, et quotidie dicimus : « Et ne nos inducas in tentationem (*Matth.* vi, 13) : » non quod ipse inducat, sed quia induci non prohibet. Laqueus iniquorum, omnis illorum fraudulenta deceptio et violentia est quibus viros justos capiunt et tenent sæque subjiciunt potestati. Imposuit autem tribulationes super dorsa illorum, quia et verberibus eos et multis modis affligi permittit. Unde et Apostolus de seipso dicit : « Ter virgis cæsus sum, et a Judæis quinquies quadragenas una minus accepi (*II Cor.* ii, 25). » Super capita vero eorum homines imposuit, vel spiculatores ad decollandum, vel qui quolibet alio modo eorum capitum haberent potestatem.

« Transivimus per ignem et aquam, et induxisti « nos in refrigerium. » Omnia, sicut diximus, tormentorum genera per ignem et aquam significantur. Sed inducti sunt in refrigerium, quia statim ut eorum animæ, quæ de corpore exibant, in supernæ beatitudinis gloriam introducebantur.

« Introibo in domum tuam, in holocaustis; reddam « tibi vota, quæ distinxerunt labia mea. » Holocausta, inquit, offeram, atque per ipsa in domum tuam introibo. Holocaustum autem *totum incensum* interpretatur. Ille igitur offert holocaustum qui seipsum totum Domino immolat, paratus per omnia ejus facere voluntatem.

« Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia « mea. » Quæcunque, inquit, in corde meo facere disposui de tuo servitio, omnia reddam, et nihil prætermittam.

« Hæc locutum est os meum in tribulatione mea. « Holocausta medullata offeram tibi cum incenso et « arietibus, offeram tibi boves cum hircis. » Solent homines in angustiis et tribulationibus positi et plura et majora vota vovere. Hæc, inquit, vota tibi persolvam, quæ locutus est os meum. Os interioris hominis, illud os est quod tibi soli loquitur, et a te solo sub silentio auditur. Holocausta medullata, inquit, holocausta plena, integra, læta et pinguia, et in nullo diminuta offeram tibi. Talis est illa hostia de qua Apostolus ait : « Obsecro vos per misericordiam Dei ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* xii, 1. » Offertur autem holocaustum cum incenso in odorem suavitatis, ut Domino pla-

(624) « Ipse (Dominus) posuit animam in vitam, ipse regit pedes, ne mutent, ne moveantur et deatur in motum; ipse nos facit vivere, ipse perseverare usque in finem, ut in æternum vivamus. » August. Enarr. in hunc psalm.

Digitized by Google

ceat. Sicut illa de quibus legitur : « Odoratusque est Dominus odorem suavitatis (*Gen.* VIII, 21). » Hoc incensum offerebat Zacharias pater Joannis Baptistæ, de quo legitur : « Qui sorte exiit, ut incensum poneret in ordine vicis suæ (*Luc.* I, 9). » Unde et in Apocalypsi dicitur : « Quia stetit angelus juxta aram templi, et data sunt ei incensa multa, ut adoleret ea ante altare aureum, quod est ante conspectum Domini (*Apoc.* VIII, 3). » Offeruntur autem et arietes in hoc holocausto, per quos apostolos intelligimus totius ecclesiastici gregis patres, et ductores et principes (625). Offeruntur autem et boves, episcopi videlicet et sacerdotes, a quibus ager Dei colitur, et aratur et ad verbum vitæ suscipiendum præparatur. Hirci quoque in hoc holocausto Domino offeruntur, per quos peccatores significantur, dura pœnitentia mundati et sanctificati. Valde medullatum est illud holocaustum, in quo talia et tanta offeruntur. Cum tali itaque holocausto mater nostra sancta Ecclesia in domum Dei se intraturam esse promittit, quoniam omnes istos in gaudio et exsultatione Domino præsentabit. Hoc significavit sacrificium Noe, in quo de omnibus animalibus mundis aliquod immolatum est.

« Venite, et audite me, et narrabo vobis, omnes « qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ (626). » Omnes ad audiendum invitat, ut exemplo sui ad Dei amorem provocet et incendat, qui tanta bona fecit diligentibus se.

« Ad meipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub « lingua mea. » Ore, inquit, meo, ore cordis, ore interioris hominis clamavi ad Dominum; et exsultavi sub lingua mea; id est in silentio cordis mei, cujus exsultatio intus est, neque voce manifestatur. Quæ enim exsultatio sub lingua est, in corde latet, quæ vero in lingua est, foris auditur.

« Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exau- « diet Deus. » Hoc autem tale est ac si diceret : Si vis exaudiri, sit munda et pura oratio tua, et de his et pro his ora quæ spectant ad salutem animæ tuæ Hoc est enim quod in Evangelio Dominus ait : « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XIV, 13). » Qui autem aliter petunt, etsi multoties accipiant quod petunt, non tamen exaudiuntur a Domino, quia Dominus nescit dare, nisi bona data filiis hominum.

« Propterea exaudivit me Deus, et intendit voci « deprecationis meæ. » Propterea, inquit, quia non aspexi iniquitatem in corde meo, ut ea mihi concedi peterem et desiderarem quæ ad iniquitatem pertinent, exaudivit me Deus, et fecit **434** mihi secundum desideria cordis mei.

« Benedictus Dominus, qui non amovit deprecationem meam (ubauditur a se) et misericordiam a « me. » Si amovisset, non exaudivisset (627).

PSALMUS LXVI.

IN FINEM IN HYMNIS PSALMUS CANTICI DAVID.

In finem hic psalmus referatur, in hymnis et laudibus cantetur. Psalmus cum cantico operationem cum laude significat. Multi habent canticum, qui psalmum non habent, quia laudem habent sine operatione.

« Deus misereatur nobis, et benedicat nos, illumi- « net vultum suum super nos, et misereatur nostri » Ecce, inquit, sicut in sequentibus legitur, « terra « nostra dedit fructum suum. » Et Virgo mater peperit Salvatorem. Et ideo « benedicat nos Deus, « Deus noster, benedicat nos Deus. » Ter in loco dicitur Deus, quia Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus, et ideo non pluraliter, sed singulariter dicitur, « benedicat nos Deus. » Totus mundus sub maledicto erat, sed veniente Christo benedictionem accipere meruit. Ipse est enim, de quo ad Abraham Dominus ait : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Act.* III, 25). » Et Apostolus : « Christus, inquit, Jesus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (*Gal.* III, 13). » Hinc est itaque quod modo Ecclesia dicit : « benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. » Bene autem dixit Deus noster, quia non Judæorum Deus tantum, sed omnium gentium, et Deus, et Dominus et Salvator est. Unde et convenienter subditur : « Et metuant eum omnes fines terræ. » Hic igitur Deus noster misereatur nobis et benedicat nos, qui ad hoc venit, ut misericordiam faciat, et tantam misericordiam, quantam nec dicere, nec cogitare valemus. Unde et alibi dicitur : « Misericordia Domini plena est terra (*Psal.* XXXII, 5). » — « Illuminet vultum suum super nos, et misereatur « nobis. » Vultum, inquit, suum super nos illuminet, hilarem et lætam faciem nobis ostendat, ut per hoc omnem iram et indignationem fugatam esse intelligamus, et ejus gratiam, et bonam voluntatem nos habere sciamus. Sive etiam, « illuminet vultum suum super nos; » ut qui ad ejus imaginem et similitudinem reformemur. Huc usque in tertia persona locutus, nunc ad ipsum Patrem apostrophem facit, et cætera quæ sequuntur ad secundam personam loquitur.

« Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus « gentibus salutare tuum. » Ipse, inquit, quem terra

(625) Ex Augustino, ut plurimas alias, S. Bruno hanc expositionem usurpavit. Inquit enim sanctus Doctor : « Arietes duces Ecclesiæ : totum corpus Christi loquitur : hoc est quod offert Deo. Incensum quid est? oratio. Maxime enim arietes orant pro gregibus. Offeram tibi boves cum hircis. Boves invenimus triturantes, et ipsi offeruntur Deo. Apostolus de annuntiantibus Evangelium dixit intelligendum quod scriptum est; bovi trituranti os non infrenabis, » etc.

(626) Intelligit Augustinus locum hunc de conversione nostra ex gentilitate ad cognitionem veri Dei, et Domini nostri Jesu Christi; et de tantis donis nobis collatis.

(627) Addit August. « Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus. »

Digitized by Google

nostra dedit et quem virgo Maria genuit, ipse misereatur nobis et benedicat nos, ut eumdem ipsum cognoscere valeamus, qui vita nostra est et salutare nostrum. Hunc enim soli Christiani cognoscunt, et quantæ bonitatis et misericordiæ sit, soli Christiani intelligunt. Est autem Christus via Patris, quia per ipsum venitur ad Patrem. Unde ipse ait : « Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me (*Joan.* XIV, 6). » Est autem et salutare, quia per ipsum ubique gentium salutem operatur. Hoc est enim salutare de quo alibi dicitur : « Notum fecit Dominus salutare suum (*Psal.* XCVII, 2). » Et Jacob patriarcha : « Salutare, inquit, tuum exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX, 18). » De quo modo hic dicitur : « In omnibus gentibus cognoscatur, et manifestetur nomen tuum (627*). » Sed quare dicitur « in terra, » nisi quia in terra et in carne cognitus est, qui in suæ divinitatis potentia videri non poterat? Et Judæi quidem eum videntes non cognoverunt, quia solam terram viderunt.

« Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi « populi omnes. » Quia, inquit, in omnibus populis et in cunctis gentibus apostolica prædicatione et miraculorum admiratione salutare tuum, Domine, manifestatum est; amodo confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes, quem soli Judæi usque nunc confiteri et laudare solebant; siquidem « notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus (*Psal.* LXXV, 2). » Nunc autem illis solis a laude et confessione cessantibus, omnes gentes et omnes populi te confitentur.

« Lætentur et exsultent gentes, quoniam judicas « populos in æquitate, et gentes in terra dirigis. » Lætentur, inquit, et exsultent gentes, quia bonum judicem habent, qui non quærit occasiones, ut eas damnet et perdat (hoc enim judex illorum humani generis inimicus facere solebat), sed potius hoc quærit ut eis misereatur et ut eas dirigat in via veritatis.

« Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi « populi omnes. » Pauci sunt, inquit, quos amisisti, et innumerabiles sunt quos filii tui sanguine acquisisti et redemisti. Pauci sunt Judæi ad omnium gentium comparationem; multi sunt qui ubique se præparant ad laudes tuas et ad gratiarum actionem. Taceant igitur Judæi, quia et pauci et indigni sunt qui laudes tibi dicere debeant, et « confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes (628). »

(*Reliqua psalmi hujus desunt tum in editione cum in mss.*)

PSALMUS LXVII.

IN FINEM PSALMUS CANTICI DAVID.

In hoc psalmo cantat ipse propheta David; sed quoniam de Christo et de Ecclesia loquitur, ideo « in finem » præposuit.

« Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus et « fugiant a facie ejus qui oderunt eum. » Exsurgat, inquit, Deus, in adjutorium fidelibus suis, exsurgat et Christus a mortuis, quem Judæi stulti et vani, quasi eum retinere valeant, clausum in sepulcro custodiunt (629). Et dissipentur inimici ejus, per quos Judæos et malignos spiritus intelligimus. Isti sunt de quibus alibi dicitur : « Dissipati sunt, nec compuncti (*Psal.* XXXIV, 16). »—« Et fugiant a facie ejus, qui oderunt eum. » Quis dubitat malignos spiritus tunc fugisse (si tamen fugere potuerunt) quando Christus Dominus ad inferos descendit, et sanctorum animas, quæ ibi captivæ detinebantur, eripuit? Fugiunt Judæi usque hodie a facie ejus, quia a sua malitia excæcati, neque videre eum, neque cognoscere volunt. Sed hæc in judicio plenius fient, quando a facie ejus cum dedecore expulsi, mittentur in ignem æternum.

« Sicut deficit fumus, deficiant : sicut fluit cera « a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. » Deficit fumus, dum a terra exaltatur et altius elevatur; sic Judæi et omnes superbi in sua exaltatione deficiunt et pereunt. « Sicut fluit cera a facie ignis, » etc. Sic pereant, ut semper ardeant, et suiipsius illi æterno et inexstinguibili igni nutrimentum præbeant.

« Et justi epulentur, et exsultent in conspectu « Dei, et delectentur in lætitia. » Epulentur, inquit, justi nunc quidem in azymis sinceritatis et veritatis; postea vero deliciis ineffabilis satietatis et felicitatis. Ipsa contemplatio divinæ majestatis, et refectio illis est inæstimabilis, et lætitia inenarrabilis.

« Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus, iter « facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus « nomen est ei. » Cantare ad vocem, psalmum vero dicere ad operationem spectat. Et cantare *igitur*, et psalmum dicere debemus ut ea quæ cantamus opere compleamus. Hoc enim est psalmum dicere nomini ejus, quia Dominus nomen est ei. Qui illum Dominum, et se servum esse intelligit, et ea diligentia et reverentia ei servit, qua bonum servum suo Domino servire oportet, iste bene cantat, et bene psallit et bene ejus nomini psalmum dicit, quia sic eum dicit, sicut bonus servus suo domino dicere debet. Iter vero illi faciunt, qui ad se veniendi viam sibi parant, secundum quod scriptum est: « Parate viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri (*Marc.* II, 3). » Si habes humilitatem, viam præparasti per quam ad te veniat. Si habes patientiam et charitatem, et hæ viæ sunt per quas ambulare delectatur. Quot virtutes habes et quot opera bona fecisti, tot vias quibus ad te veniat Dominus præparasti. Et ipse quidem est qui ascendit super occasum, quia mortem ipsam moriendo calcavit, dejecit et superavit. Ascendit autem etiam in hoc super occa-

(627*) Cod. Ghis. *Salutare tuum.*

(628) Vide quanta proferat S. August. Enarrat in hunc psalmum.

(629) « Jam factum est, exsurrexit Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula : et dispersi sunt inimici ejus per omnes gentes, Judæi, in eo ipso loco, ubi inimicitias exercuerunt, atque inde per cuncta dispersi, » etc. August. Enarr. in hunc psalmum.

Digitized by Google

sum, quia unde cecidisse putabatur, inde excelsus et maximus triumphator apparuit.

« Gaudete in conspectu ejus. » Vos, inquit, qui et cantatis et in conspectu ejus adstatis gaudete et exsultate, quia digna vos vestri servitii retributio exspectat. « Quoniam oculi ejus super justos, et « aures ejus ad preces eorum. » De aliis autem quid dicis? « Turbabuntur a facie ejus; » qui enim modo ei non cantant, non psallunt, non obediunt et ejus nomen non cognoscunt, illi quidem turbabuntur a facie ejus, quia in judicio tollentur et in ignem mittentur ut non videant gloriam ejus. Sed vis audire cujus ejus? « Patris orphanorum et ju- « dicis viduarum. » Isti illi orphani, quorum pater aliquando diabolus fuit: isti sunt illæ viduæ, quæ aliquando turpi matrimonio conjunctæ fuerunt; modo autem quia maritus mortuus est et invitus ab eis separatus, Salvatoris nostri tutelam et defensionem se habere gaudent. Sicut enim boni gaudebunt in conspectu ejus, ita et mali turbabuntur ante faciem ejus, qui pater orphanorum et judex viduarum est.

« Deus in loco sancto suo, Deus, qui inhabitare « facit unanimes in domo (630). » Hic, inquit, est ille Deus qui unanimes in una domo habitare facit, id est in loco sancto. Per quem videlicet locum sancta Ecclesia significatur. Isti sunt de quibus in Actibus apostolorum scribitur: quia « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, et nemo dicebat aliquid **436** esse suum, sed erant illis omnia communia (*Act.* IV, 32). » Tales sunt usque hodie, qui in locis religiosis et regularibus habitant, de quibus non immerito dicitur: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! » (*Psal.* CXXXI, 1.)

« Qui educit vinctos in fortitudine, similiter et « eos qui in ira provocant, qui habitant in sepul- « cris. » Per hos autem patriarchas, et prophetas omnesque sanctorum animas, quæ captivæ in inferno tenebantur, intelligere possumus (631). De quibus alibi dicitur: « Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit (*Psal.* CVI, 14). » Hos autem in quanta fortitudine Dominus eduxerit, quid attinet dicere, cum tantum pro eis educendis et liberandis laborem susceperit? Quæ enim alia causa fuit, quod in mundum venit, quod carnem assumpsit, quod crucis passionem sustinere voluit, nisi ut omne genus humanum de diaboli laqueis et vinculis liberaret? « Similiter et eos qui in ira provocant, qui habitant in sepulcris. » Non fuit potentius illas animas de inferno eripere, quam istas, quæ in hoc mundo sunt, de sepulcris, in quibus mortuæ jacent, resuscitare. Et illæ quidem subito et in una hora liberatæ sunt; istæ autem quotidie liberantur et resuscitantur. Sepulcra dicuntur peccatores, foris dealbata, intus fetore et putredine plena. Sed qui sunt illi qui in ira provocant, nisi illi qui quotidie peccant et ad pœnitentiam redire contemnunt? Isti autem « secundum duritiam cordis sui, sicut Apostolus ait, thesaurizant sibi iram in die iræ (*Rom.* II, 5); » quibus si hoc modo de vita exierint, nunquam eis amplius placabitur Deus.

« Deus dum egredieris coram populo tuo, cum « pertransieris in deserto, terra mota est. » Hæc autem non secundum litteram de monte Sina, sed spiritualiter de sancta Ecclesia intelligenda sunt. Quando enim SS. apostoli per totum mundum ad prædicandum missi sunt, tunc quidem coram populo suo Dominus egrediebatur, et per terras invias et desertas transgrediebatur. Et tunc nimirum terra mota est, quia infinita omnium gentium multitudo ad fidem conversa est. In hoc deserto clamabat beatus Joannes Baptista, quando dicebat: « Ego vox clamantis in deserto (*Joan.* I, 23). »

« Etenim cœli distillaverunt a facie Dei, a facie « Dei Israel. » Cœli apostoli sunt, de quibus dicitur: « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 1). » Isti autem distillaverunt a facie Dei, quia illa pluvia et illa doctrina, quam prædicabant et effundebant, non illorum sed Dei erat. Unde et Dominus ait: « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis (*Matth.* X, 20). » Distillaverunt igitur a facie Dei. Sed cujus Dei? « A facie Dei Israel. » Unus est igitur Deus utriusque Testamenti, et una doctrina est, quam et Moyses et apostoli prædicaverunt. In hoc autem Manichæi reprobantur qui alium Deum Veteris Testamenti, et alium Novi dicebant. Similiter autem et mons Sina distillavit a facie Dei; non solum enim cœli, id est apostoli, verum etiam tota Ecclesia, quæ per montem Sina significatur, hanc eamdem pluviam effundit et hanc eamdem doctrinam annuntiat. In monte Sina data est lex, et in monte Sion Evangelium datum est. « Ego, inquit Dominus, constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus prædicans præceptum Domini (*Psal.* II, 6). »

« Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati « tuæ, etenim infirmata est, tu vero perfecisti « eam (632). » Non, inquit, cœli, non Ecclesia, sed

(630) Secundum aliam lectionem: « Qui habitare facis unius moris in domo, » Augustinus ait: « Quis est locus iste? Ipse Deus eum sibi facit. Deus enim habitare facit unius moris in domo: hic est locus sanctus ejus. » Cassiodorius etiam legit, « qui habitare facit unanimes in domo. »

(631) Eadem de triumphante Christo per mortem suam expressit clarius apostolus Paulus ad Coloss. II, 15. *Exspolians*, ait, *principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

(632) Non pigeat audire Augustinum. « *Pluviam voluntariam segregans Deus hæreditati suæ*; quia non fecit ulli genti, et judicia sua non manifestavit eis. Segregavit itaque pluviam hanc voluntariam Deus hæreditati suæ, quod legem dedit. *Et infirmata est* vel ipsa lex, vel ipsa hæreditas. Lex infirmata sic accipi potest, eo quod non impleretur, non quod ipsa infirma sit, sed quod infirmos facit, minando pœnam, non adjuvando per gratiam, etc. *Tu vero perfecisti eam*, quia plenitudo legis est charitas; et charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nosipsos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. »

Digitized by Google

tu Deus fecisti omnia hæc, segregans pluviam voluntariam tuæ hæreditati. Non est hæc pluvia coacta, sed voluntaria, quia et sponte datur et sponte suscipitur. Hanc autem quia Judæi suscipere noluerunt, segregavit Dominus hæreditati suæ. Unde et de illa vinea, quæ in amaritudinem conversa est, a Domino dicitur : « Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem (*Isa.* v, 6). » Et alibi : « Pluam super unam civitatem, et super alteram non pluam (*Amos*, iv, 7). » — « (633) Hæc pluvia segregata est hæreditati Dei, quæ eam integraret, fecundaret et sanaret. Etenim infirmata est, sed statim ut hanc pluviam suscepit, sanata est ; et hoc est quod dicit : « tu vero perfecisti eam : » qui igitur infirmus est, perfectus non est. Sanatus itaque, continuo perfectus est. »

« Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dul- « cedine tua pauperi, Deus. » Animalia Dei omnes fideles intelliguntur, cujuscunque sexus, cujuscunque ætatis, ordinis et conditionis. Multa et diversa sunt hæc animalia, quæ in hac Domini hæreditate nutriuntur et manent. Hæc autem significata sunt in arca Noe, quæ omnia animalia munda et immunda suscepit. Sed qui sunt isti pauperes quos in dulcedine sua Dominus paravit. Isti sunt de quibus in Evangelio ait : « Beati pauperes **437** spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v, 4). » De quibus et Apostolus dicit : « Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* vi, 10). » Hos autem præparavit Dominus in dulcedine sua, quando ait : « Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est (*Luc.* vi, 36) : » — « Nolite judicare, et non judicabimini, nolite condemnare, et non condemnabimini (*Matth.* vii, 1). » Ad suam dulcedinem eos informavit, ut omnes diligerent et sanarent, et ad beatitudinem invitarent. Pauper Dominus pauperes discipulos elegit, quia « cum omnium dives esset pro nobis pauper factus est (*II Cor.* viii, 7). »

« Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute « multa. » Dominus, inquit, dabit verbum pauperibus suis evangelizantibus virtute multa. Sic enim ipse in Evangelio ait : « Ponite in cordibus vestris, non præmeditari qualiter respondeatis ; ego enim dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* xxi, 15). » Quod igitur hic « verbum, » ibi « os et sapientia » dicitur. Evangelizabant autem apostoli virtute multa, sicut scriptum est : « Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis (*Marc.* xvi, 20). » Et in Actibus apostolorum dicitur : « Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, et gratia magna erat in omnibus illis (*Act.* iv, 33). » Si autem legamus virtutem multam, sicut quidam codices habent ; hoc erit intelligere, qui prædicabant Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam. Potest autem per conversionem sic intelligi. Dominus dabit virtutem multam evangelizantibus et prædicantibus verbum.

« Rex virtutum dilecti (634) et speciei domus « dividere spolia. » Supplendæ sunt Scripturæ, ubi ad intelligendum aliquid deest. Rex virtutum Deus Pater est qui, volens apostolos dividere spolia dilecti filii sui, et domus speciei, occulta inspiratione eis præcepit ut inter medios cleros dormirent et quiescerent. Et hoc quidem secundum litteram hæc verba significant. Nunc autem significationem videamus. Per virtutes hoc in loco non solum virtutes, sed et angelos quoque, archangelos, principatus, et potestates et cæteros ordines intelligere debemus, quia nullus ordo sine virtute esse potest. Spolia dilecti et domus speciei idem significat. Significat autem omnes Ecclesias per totum mundum constitutas, quæ tamen unius, et universalis et catholicæ Ecclesiæ membra sunt. Et hæc quidem sunt spolia dilecti, illius videlicet de quo Dominus ait : « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui : ipsum audite (*Matth.* xvii, 5). » Hæc autem sunt illa spolia, de quibus per prophetam dicitur : « Sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia (*Isa.* ix, 3). » De quibus spoliis ipse quoque Salvator noster ait : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet ; si autem fortior illo supervenerit (635), vincit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat et spolia ejus distribuet (*Luc.* xi, 21). » Hæc autem spolia, et has domos speciei et pulchritudinis tunc Dominus divisit, quando per singulas provincias, per singulas gentes et nationes apostolos ad prædicandum ire disposuit. De quibus dicitur : « Quia in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* xviii, 4). »

« Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ « deargentatæ (636). » Et hæc quidem oratio imperfecta est, nisi ei aliquid addatur. Si dormiatis, inquit, inter medios cleros, eritis pennæ columbæ deargentatæ. Et posteriora dorsi ejus sequentur vos in specie auri. His autem sic positis, facilis est intelligentia. Per duos cleros, duo Testamenta, sive activa et contemplativa vita significantur. Clerus autem *sors* vel *hæreditas* interpretatur. Dormiant igitur inter duos cleros sancti apostoli, ibi dormiant omnes Ecclesiæ doctores, ibi dormiant episcopi et sacerdotes, ibi quiescant, ibi delectentur, ibi die ac nocte meditentur, sicut de viro justo in primo psalmo dicitur : quia « in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Psal.* i, 2) ; » sic dormire delectabile est ; qui ita quiescit, non est otiosus. Dormiant itaque inter duos cleros, hinc Novum, inde Vetus habeant

(633) Additio ex cod. Ghis.

(634) « Pater ergo est rex virtutum filii. Dilectus enim, quando non ponitur quis dilectus, per antonomasiam Filius unicus intelligitur. » August.

(635) Cod. Ghis., *superveniens vicerit.*

(636) Vide Augustinum, quam copiosus est in hac interpretatione, de qua certe Bruno suam hausisse videtur expositionem.

Digitized by Google

Testamentum, inde suscipiant quod aliis prædicent; inde cibum sumant quo alios nutriant. Non sit eorum prædicatio nova et peregrina, sed firma sit et auctoritate plena. Audiant Apostolum dicentem: « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci (*Hebr.* XIII, 9). » Si autem hoc fecerint, erunt pennæ columbæ deargentatæ, quibus elevatæ, levi ac celeri, facilique cursu ad cœlestia transvolabunt. Hæc est illa columba, de qua in Canticis canticorum Dominus dicit : « Una est columba mea, perfecta mea, immaculata mea (*Cantic.* VI, 8). » Tota sancta Ecclesia columba vocatur, quia simplex et innocens est. Unde in Evangelio Dominus ait : « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* X, 10). » Sed quare deargentatæ dicitur? nisi quia ejus eloquia vera sunt, et pura, et quasi argentum igne examinata, et nulla erroris falsitate corrupta ? Talia sunt ejus eloquia, quia talia sunt eloquia Domini, sicut scriptum est : « Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum terræ, probatum septulum (*Psal.* XI, 7). » — « Et « posteriora dorsi ejus in pallore auri. » Si non haberet **438** ista columba anteriora, non haberet posteriora. Sed quia anteriora habet, posteriora quoque habere necesse est. Caput Ecclesiæ Christus est; primi vero, post caput, apostoli sunt, episcopi et sacerdotes; isti præcedunt, isti in tota Ecclesia principes a Domino constituti sunt, omnes vero alii istos sequuntur et imitantur. Et isti quidem sunt illi posteriores qui eos sequuntur in specie auri. Sed quare in specie auri ? Nisi quia omnes splendidi, omnes mundi et puri, omnes baptizati et super nivem dealbati, omnes spiritualis sapientiæ luce fulgentes, et in vestitu deaurato Domino placentes. Sequitur :

« Dum discernit cœlestis reges super eam (637), « nive dealbabuntur in Selmon. » Tunc, inquit, rex virtutum, rex cœlestis præcepit apostolis Ecclesiæque doctoribus, ut dormirent inter medios cleros, quando eos super Ecclesiam reges constituit et ordinavit ; « nive dealbabuntur in Selmon » omnes isti reges, et quicunque eos imitati fuerint, nive dealbabuntur in Selmon. Selmon *umbra* interpretatur ; significat autem illam cœlestem Jerusalem, ad quam quicunque pervenerit, in umbra et refrigerio erit. Hanc autem umbram desiderabat qui dicebat : « Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum, qui me afflixerunt (*Psal.* XVI, 8). » Et nive quidem dealbabuntur sancti in Selmon, quia ibi suscipient vestes candidas, vestes splendidas et nuptiales, et tales vestes ibi omnes habebunt, quales Dominus tribus discipulis manifestavit, quando se coram eis in monte transfiguravit. Sic enim scriptum est : « Apparuit facies ejus splendida sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix (*Matth.* XVII, 2). » Et quasi aliquis interrogaret Prophetam, quid diceret esse Selmon ? Respondit :

« Montes Dei, montes uberes (638). » Selmon iste, de quo interrogas, « mons coagulatus, mons pinguis « est. » Vere montes Dei, et montes uberes, quia et solus Deus ibi regnat, et tanta bonorum omnium est ibi ubertas, quantam neque cogitare, neque dicere lingua sufficiat ; sicut Apostolus ait : « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II, 6). » Est autem mons ille coagulatus, quia nemo ibi indiget lacte, nullus ibi habet imperfectam scientiam quæ in lacte significatur. Unde et quibusdam Apostolus ait : « Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo (*Hebr.* V, 12). » Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, parvulus enim est. Ibi vero perfecti sunt omnes, et non lacte, sed solido cibo utuntur omnes, quoniam non per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem omnia vident omnes. Pinguis quoque est ille mons, imo pinguissimus, quia totus in Spiritus sancti oleo natat, et nemo ibi est qui omnes Spiritus sancti gratias non habeat.

« Utquid suspicamini montes uberes (639) ? Mons « in quo beneplacitum est Deo habitare, in eo enim « Dominus habitabit usque in finem. » Huc usque de illo monte cœlesti locutus est. Nunc autem de aliis montibus dicere incipit, de Christo videlicet et de Joanne Baptista. Sicut enim in Evangelio legitur : « Omnes putabant Joannem esse Christum ; erat enim lucerna lucens et ardens, sed non erat ipse lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine (*Joan.* V, 33). » Cum enim venissent ad eum sacerdotes et levitæ, et interrogarent eum, si ipse esset Christus respondit : « Non sum ego Christus (*Joan.* I, 21) : » — « fortior me ille est, cujus ego non sum dignus solvere corrigiam calceamenti (*Marc.* I, 7). » Magnus igitur mons, et valde uber et plenus erat beatus Joannes, sed major et altior erat ille cui ipse testimonium perhibebat. Utquid, inquit, suspicitis montes uberes ? Quare Joannem admiramini ? Quare Christum esse putatis ? Contra eos loquitur, eosque redarguit, qui ad Joannem veniebant et Christum eum esse putabant. Unde et subditur : An putatis quod Joannes sit ille mons in quo beneplacitum est Deo habitare ? Magnus quidem mons Joannes, cui ipse Dominus testimonium perhibet, dicens : « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* XI, 11). » Sed altioris dignitatis est ille in quo beneplacitum est Deo habitare. Ipsum Joannem interrogate, et ipse dicet vobis quanta sit differentia inter se et illum. Sed dicat ipse Christus quomodo beneplacitum sit

(637) Lectio Brunonis est juxta Vulgatam ; differt autem Cassiodorius, qui habet *super terram* ; convenit tamen in expositione.

(638) Lectio Vatic., *montem Dei montem uberem* ; ita Cassiodorius. Vulgata habet *mons Dei, mons pinguis.*

(639) Id. cod. *suspicitis* ; ita lectio Vatic. quæ etiam habet *montem uberem.* S. Brunonis contextus hic cum Vulgata concordat ; Cassiodorius habet, *ut quid suscepisti montes uberes?*

Digitized by Google

Deo habitare in eo. « Ego, inquit, sum in Patre, et Pater in me est, qui videt me, videt et Patrem. Et ego et Pater unum sumus (*Joan.* XIV, 9). » Hoc neque Joannes, neque ullus alius dicere potest. Habitat enim Deus in Joanne, sed ut in alio : habitat Pater in Filio, ut idem in eodem. Quamvis enim alius sit Pater, et alius Filius, non est tamen aliud Pater, et aliud Filius. « Etenim Dominus habitabit in eo usque in finem. » Quid est usque in finem, nisi penitus et ex tote ? Sic enim dicitur et illud : « Patientia pauperum non peribit in finem (*Psal.* IX, 19). » Habitabit igitur Pater in Filio usque in finem, et quia neque Pater, neque Filius habebit finem, ideo neque ista habitatio habebit finem. Semper igitur **439** in Filio Pater, et semper in Patre Filius, et in utroque Spiritus sanctus.

« Currus Dei decem millium multiplex, millia lætantium. » Ecce, dicet aliquis, audivimus de Christo quis sit et quomodo Pater habitet in eo; de aliis autem quid dicit ? quid sunt? et quomodo Deus est in eis? Currus, inquit, Dei sunt, et sicut in curru suo sedet in eis, quando vult ascendit, quando vult descendit, quando vult currere facit, et quando vult quiescere facit. Sed non quæras de numero, quia infinitus est, et quia decem millium multiplex est, et quia infinita millia lætantium sunt in hoc curru. Tantum significat decem millia, quantum si dixisset infinita millia, quoniam omnis numerus in eo numero continetur. Sic enim et in Apocalypsi dicitur de sanctis quia habebunt tribulationem diebus decem (*Apoc.* II, 10), quod tale est ac si dixisset diebus omnibus. In hoc quoque manifestum est eum finitum numerum pro infinito posuisse, quia cum prius dixisset « decem millia, » postea simpliciter et inde terminate posuit « millia. » Sunt igitur currus isti infiniti, et omnes lætantes et in Domino gloriantes.

« Dominus in illis in Sina in sancto. » Et hoc quidem ad ipsius gloriam spectat, quod cum currus isti innumerabiles sint, omnesque per se divisi, simul tamen et in singulis et in omnibus Dominus est. Et hoc ideo, quia ubique est, quod sibi proprium esse videtur. Dominus, inquit, est in illis, sed in Sina, hoc est, per Sina in illis. Sed quid est in Sina, nisi in sancto, id est per sanctum ? Sina enim *mandatum* interpretatur. De mandato vero dicit Apostolus : « Scimus quia lex quidem sancta est, et mandatum sanctum, et justum, et bonum (*Rom.* VII, 12). » In nullo igitur alio habitat Deus, nisi in his qui suscipiunt et custodiunt mandatum ejus. Est itaque Dominus in illis, in Sina sancto, id est per mandatum sanctum (640).

« Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (641). » Hic, inquit, Deus et Dominus noster ascendens in altum, prius quidem in crucem, deinde in cœlum, captivam duxit captivitatem, sicut scriptum est : « Cum exaltatus fuero a terris, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII, 32). » Captivi diaboli erant omnes, sed captivi Christi facti sunt plures, non omnes; multi enim adhuc in captivitate detinentur qui, si voluissent, in captivitate non essent. Dedit autem dona hominibus et maxima dona, quando Spiritum sanctum apostolis misit, et tantam gratiam illis dedit, ut linguis omnium loquerentur, et omnes languores et infirmitates sanarent.

« Etenim qui non credunt inhabitare (641*), Dominus Deus benedictus : benedictus Dominus de die in diem. » Alia vero translatio habet. « Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum, benedictus Dominus de die in diem. » Hoc autem tale est ac si diceret : Illi qui prius non credebant Dominum Deum carnem suscepisse, et cum hominibus habitasse et conversatum fuisse, modo per Spiritum sanctum ad fidem conversi, clamant et dicunt : Benedictus sit Dominus per singulos dies. In hac autem translatione sic ipsa grammatica confusa esse videtur, ut vix eam intelligere valeamus; tamen, quia utraque translatio idem significare debet, per eam quæ manifestior est obscuriorem exponere debemus. Sic igitur distinguamus. Etenim qui prius non credunt inhabitare; postea per Spiritum sanctum illuminati dicunt, Dominus Deus sit benedictus, benedictus sit Dominus Deus; et hoc de die in diem, id est per omnes et singulos dies.

« Prosperum iter faciet nobis Deus Salutaris noster, Deus noster, Deus salvos faciendi, et Domini exitus mortis. » Hoc dixerunt apostoli suscepto Spiritu sancto, quando per universum mundum ad prædicandum ire cœperunt. Et revera prosperum iter habuerunt, quia et omnes gentes ad finem converterunt, et coronas victoriæ susciperet meruerunt. « Prosperum, inquit, iter faciet nobis Deus Salutaris noster, » per quem specialiter Dei Filium intelligere possumus, qui nos sua morte salvavit. Et ipse est Deus noster, quia quamvis sit Deus omnium, proprie tamen Christianorum Deus est. Ipse

(640) Opportune hunc locum illustrat Augustinus. « Sed quid prodesset, ait, mandatum? nisi Dominus ibi esset, de quo dicitur : Deus enim est qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate? Nam mandatum sine Dei ajutorio littera est occidens. »

(641) Alia lectio in Psalterio a card. Thomasio illustrato. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus;* quæ ita exponit : « Tu, Domine, ascendisti in excelsum; captivam tibi duxisti captivitatem, hostesque tuos tibi subjecisti et captivasti : accepisti dona tua ut ea dares hominibus. »

(641*) Hunc locum ita illustrat Cassiodorius. « Etenim qui non credunt inhabitare, Dominus Deus. Hic subaudiendum est, eos convertit, ut nobis possit verbis integris constare sententia. Nam *qui non credunt inhabitare*, id est, qui ad Domini penetralia negligunt pervenire, ut in domo ejus cum fidelibus habitare prævaleant, Dominus Deus eos convertit, qui fidem suam humano generi miseratus indulget. » Et ad majorem intelligentiam possumus addere cum Augustino. « Nam fides eos inde liberavit, ut jam credentes inhabitent in domo Dei, facti et ipsi domus Dei, et currus Dei millium lætantium. »

Digitized by Google

quoque est « Deus salvos faciendi, » quia ad hoc venit ut mundum redimeret et salvaret. Et ipse est « Deus Domini exitus mortis. » Per quod intelligitur quia est Deus etiam suiipsius. Quia enim simul est Deus et homo; secundum humanitatem quidem servus est, et creatura est, et suiipsius creatura, et servus est. Sed iste servus Dominus noster **440** est. Et ipse quidem est exitus mortis, quia sicut in Adam omnes mortui sunt, ita et in Christo omnes vivificati sunt, ipse est introitus vitæ, ipse est et exitus mortis, quia per ipsum mors recessit, et per ipsum vita accessit (642).

« Verumtamen Deus conquassabit capita inimi- « corum suorum verticem capilli perambulantium « in delictis suis. » Quamvis, inquit, ipse sit exitus mortis, multos tamen interficiet, qui digni sunt morte. Inimici autem ejus, et in delictis suis perambulantes, Judæi sunt, qui in sua malitia perseverantes, a via iniquitatis non recedunt. Horum autem capita, et verticem capilli, horum superbiam, altitudinem et sublimitatem Dominus conquassabit, quando eos in ignem æternum præcipitabit. De ista autem conquassatione in alio psalmo dicitur : « Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita multa in terra copiosa (*Psal.* CIX, 6). »

« Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in « profundum maris (643). » Quando Dominus hoc dixerit, Propheta sciebat quod eum in seipso loquentem audiebat, sicut ipse dicit : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* LXXXIV, 8). » Basan *confusio* interpretatur; significat autem Judæorum terram, quæ propter peccata eorum in confusionem venit et dispersionem. Mare vero mundus iste est, cujus profundum, majores potestates et nequiores homines intelliguntur. Ex Basan igitur in profundum maris conversus est Dominus, quia ex Judæa transivit ad gentes, et ubi erat maris profunditas, ibi constitutum est Ecclesiæ caput atque sublimitas. Hinc est enim quod alibi ait : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV, 8). » Et Apostolus : « Vobis, inquit, primum oportuerat prædicare verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » — « Donec intingatur pes « tuus in sanguine; » ac si dicat : Dominus dixit quod ex Basan se converteret in profundum maris, et ego respondi : exspecta paulisper, donec intingatur pes tuus in sanguine. Neque enim conveniebat ut ante passionem Judæam relinqueret qui a Judæis crucifigendus erat. In sanguine autem pedes Christi tincti sunt, quia cruci clavis affixi, proprio sanguine cruentati sunt.

« Lingua canum tuorum ex inimicis. » Boni sunt isti canes qui Dei esse dicuntur, qui ex inimicis amici facti sunt. Ex illis videlicet inimicis de quibus modo superius dixerat : « Verumtamen conquassabit capita inimicorum suorum (*Psal.* CIX, 6). » Istorum autem canum sola lingua nobis necessaria fuit, quæ nos doceret, et prædicaret, atque lingendo vulnera nostra sanaret. Boni canes qui oves Dei custodiunt et a luporum insidiis et rapacitate custodiunt. « Ab ipso visi sunt gressus tui Deus; ingressus Dei mei, qui est in sancto ipsius. » Ab ipso, inquit, pede, qui in sanguine tinctus est, ab ipso visi et cogniti sunt gressus tui, Deus, quia ipse pes docuit nos per vias tuas incedere et a via pietatis et misericordiæ non declinare. « Ingressus Dei mei, et regis mei, qui est in sancto ipsius; » id est qui habitat in humanitate, quam ipse suscepit et fecit, visi sunt in illo sanctissimo pede.

« Prævenerunt principes conjuncti psallentibus « in medio juvenum tympanistriarum (644). » Eosdem ipsos, quos canes dixerat, nunc principes vocat. Et isti quidem conjuncti psallentibus, toti videlicet Ecclesiæ multitudini, sicut principes et magistri in psallendo, in cantando, in prædicando, in miracula operando, omnes alios prævenerunt. Cantantes et prædicantes in medio juvenum tympanistriarum. Istæ juvenes tympanistriæ Ecclesiæ primitivæ fuerunt, quas sancti apostoli per seipsos docuerunt et prædicaverunt. Bene autem tympanistriæ dicuntur, quia omnes sancti tunc temporis tympana ferebant et ad verbera suscipienda parati erant. Tympana enim ex corio sicco et extenso fiunt, quæ verberibus percussa longius resonant. Tympana tunc ferebant apostoli, quando, ut in Actibus apostolorum legitur, gravissime verberati, « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V, 41). »

« In Ecclesiis benedicite Dominum, Deum de fon- « tibus Israel. Ibi Benjamin adolescentior in pavore. « Principes Judæ duces eorum, principes Zabulon, « principes Nephthalim. » Præcipit Propheta prædi-

(642) Non prætereunda est Cassiodorii expositio. « Exitus mortis est Domini, hoc est resurrectio votiva fidelium. Revera exitus ille singularis ac mirabilis fuit; quia et ipse ab inferis egressus est, et nos inde præstitit suo munere exire. » Hac in expositione tum sacræ doctrinæ profunditas, cum mentis interpretantis perspicacitas elucet.

(643) Sensum litteralem ita exponit Clarius. « *Ex Basan convertam*, etc. Hoc est liberabo populum meum, sicut olim liberavi de manu Og regis Basan, atque de manu regis Ægypti in mari Rubro, quos sic contrivi cum populis suis, ut pedes Israelis potuerint tingi in sanguine eorum, et lingua canum sanguinem inimicorum lamberet a Domino interfectorum. Secundum aliam translationem pro convertam legitur convertar in profundum maris, sive de profundis, ubi ait Augustinus hoc dixisse Dominum nostrum, quod sua misericordia converteretur etiam in profundum maris, ad eos quoque liberandos qui essent etiam desperatissimi peccatores. » Ead. enarr. in ps. LXVII.

(644) « Juvenum typanistriarum, id est juvenculorum prima ætate florentium, quæ tympana sua, hoc est corporis tensionem ad Domini laudes gloriamque verterunt, macerantes se jejuniis, carnisque magis macerationi gaudentes; quod hodieque in multis virginibus divina virtus operatur. » CASSIODORIUS.

Digitized by Google

etis principibus, qui venerunt de fontibus Israel, ut benedicant Salvatorem nostrum qui et ipse secundum carnem de eisdem fontibus originem ducit. Ibi, inquit, inter illos principes excellentissime et sapientissime cantat Benjamin adolescentior, id est beatus 441 Paulus apostolus, qui de seipso ait : « Nam et ego Israelita sum de semine Abraham, et de tribu Benjamin (*Rom.* xi, 1). » De quo et in Actibus apostolorum dicitur; quod « testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis (645), qui vocabatur Saulus (*Act.* vii, 38). » Quod autem hic dicitur in pavore, in alia versione dicitur, « in mentis excessu ; » atque utrumque idem significat; raro enim mentis excessus sine pavore fieri solet. Unde et Daniel post mentis excessum, multis diebus se ægrotasse dicit (*Dan.* viii, 27). Sed parvus non fuit hic mentis excessus, qui longe antea fuerat prophetatus; audivit enim verba, quæ non licet homini loqui. Per « principes autem Judæ, Zabulon, et Nephthalim, » qui aliorum duces memorantur, Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes specialiter intelliguntur. Unde scriptum est : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthalim (*Isa.* ix, 1), » inde enim apostoli vocati sunt, unde et viri Galilæi dicuntur.

« Manda Deus virtutem tuam. » Rogat Propheta Dominum, ut virtutem suam mandet principibus suis, qua corroborati neminem timeant, ut opus sibi injunctum fideliter sapienterque perficiant. Unde et subditur : « Confirma hoc, Deus, quod operatus es in « nobis. » Merito se inter illos enumerat, qui eodem spiritu simul cum illis instructus et plenus erat. Et hoc illis confirmatis orat, sine quo nihil eos posse non dubitat. « A templo sancto tuo, quod est in Je- « rusalem, tibi offerent reges munera. » Non dicit quod in templo offerent munera; sed potius hoc dicere videtur, quod de templo suscipient munera quæ offerent. Jerusalem igitur Ecclesia est. Templum vero sanctum, quod in ea est, Salvatoris humanitas intelligitur, in quo videlicet templo requiescit omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Reges vero apostoli sunt, et omnes alii qui seipsos et alios sapienter regunt. Isti vero reges de hoc templo suscipiunt omnia munera, quæ Domino offerunt, et ea munera quæ de hoc templo non suscipiuntur, Domino offerri non possunt. Quod autem hoc templum sit Ecclesia, ipse Dominus ostendit, dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii, 20). »

« Increpa feras sylvarum, concilium taurorum in- « ter vaccas populorum, ut excludantur hi qui pro- « bati sunt argento. » Feræ silvarum hæretici sunt; feræ quidem, quia crudeles, immites, et animas hominum occidere et devorare cupientes. Silvarum vero, quia ecclesiasticam fugiunt conversationem, et solitario extrancoque cibo delectantur. Tales autem increpet Dominus et a sua feritate compescat, ne simplices animas decipiant et perdant. « Concilium taurorum inter vaccas populorum. » Mali tauri, malæ vaccæ, malum concilium faciunt, qui ad hoc conveniunt, ut sancti ab Ecclesia excludantur (646). Tale fuit concilium Ariminense; tale concilium Arianorum, tale et Ephesinum, in quibus omnes catholici episcopi damnati sunt et exsilio destinati. Miseræ illæ vaccæ, miseræ illæ animæ, quæ de talibus tauris impregnantur et de talibus filios pariunt. Quod autem ait : « qui probati sunt argento, » hoc est intelligere quod ad similitudinem argenti multarum afflictionum igne examinati sunt.

« Dissipa gentes quæ bella volunt. Venient legati « ex Ægypto, Æthiopia prævenient manus ejus Deo. » Hoc autem quamvis de omnibus gentibus, quæ contra sanctam Ecclesiam pugnant, intelligatur de supradictis hæreticis, quos tauros vocaverat, specialiter intelligi debet. Ægyptus *tenebræ* interpretatur, Æthiopes vero naturaliter nigri sunt. Per hos ergo

(645) Eadem interpretatio est apud Cassiodorium, qui ad illa verba *adolescentior in pavore* ait : *Adolescentior exstitit in pavore, quando ad vocem Domini corruit, qui ei miseratus intonuit. Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* ix, 5.)

(646) Longa est concilii Ariminensis historia, in quo omnia per fraudem et vim Arianorum acta sunt, ut plures episcopi catholici a fide Nicæna defecisse viderentur. Tres fuere eo in concilio exhibitæ formulæ fidei; quarum prima et tertia nullum errorem continebant, et in hoc solum peccabant, quod vox consubstantialis ὁμούσιος a Nicænis Patribus de Filio Dei stabilita, ut identitas naturæ cum Patre declararetur, deerat, et pro ea Filius Patri per omnia similis dicebatur, hoc est ὁμοούσιος. His formulis subscripsere episcopi catholici, pacis amore; sed ab Arianis decepti, qui iisdem vocibus abutebantur, alium sensum intendentes, omnimodam scilicet similitudinem inter Patrem et Filium admittebant, consubstantialitatem tamen negabant. Omni exceptione majus est testimonium S. Hieronymi in Dialog. adversus Lucifer. n. 18 edit. Vallars. « Non erat, inquit, curæ episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto... In hoc vero cuncti episcopi, et tota simul Ecclesia plausu quodam, et tripudio Valentis vocem exceperunt. Quod si quis a nobis dictum putat, scrinia publica scrutetur. Plenæ sunt certe Ecclesiarum arcæ, et recens adhuc rei memoria est. Supersunt homines, qui illi synodo interfuerunt : et quod veritatem firmet, ipsi Ariani hæc ita, ut diximus, gesta non denegant. » Hic est idem Hieronymus, qui hyperbolice dixit, loquens de deceptione Arianorum eadem in synodo, ingemuisse totum orbem, et se Arianum factum miratum esse. Hac cum declaratione accipienda sunt, quæ S. Bruno protulit de concilio Ariminensi. At jure meritoque alterum concilium Arianorum vocavit, quod fuit Seleuciæ congregatum anno 359, cujus episcopi juxta S. Athanasium fere omnes Ariani fuere. In majorem adhuc pravitatem lapsum est concilium Ephesinum, vel potius Latrocinium, in quo a Dioscoro patriarcha Alexandrino, et episcopis ejus asseclis asserta et propugnata est Nestoriana hæresis, damnatusque S. Flavianus archiep. Constantinopolitanus, catholicæ veritatis acerrimus vindex. De concil. Arimin. vid. Theodor. lib. II, cap. 17, qui refert Epistolam Rom. synod. habitæ sub Damaso Rom. pontifice. De eodem copiosissime egit eruditissimus Jo. Vincentius Bolgenius in dissert. de factis dogmaticis Brixiæ, pag. 109 edit. anno proxime elapso 1788. Vid. etiam vol. I, observ. in Histor. Fleury, pag. 229 et seqq.

Digitized by Google

omnes illos intelligere possumus, qui a catholicæ Ecclesiæ fide et unitate se dividentes, in erroris tenebras et caliginem demersi sunt; sed postea cognita veritate, de fide et unitate legatos miserunt, veniam **442** quæsierunt et obedientiam promiserunt. Lege concilia, et hoc modo reconciliatos invenies et Arianos, et Nestorianos et Donatistas, quorum episcopi et presbyteri, præter hæresiarchas propriis ordinibus reservatis, misericorditer ab Ecclesia suscepti sunt. Nam et juxta litteram, et de Ægypto et de Æthiopia multos venisse non dubium est. Spiritualiter autem, undecunque venerunt, de Ægypto et de Æthiopia venisse Propheta significat. Sic enim satis convenienter dicere possumus, quando aliquem hominem Ecclesiæ reconciliari videmus; de Ægypto vel de Æthiopia venit iste. Veniunt igitur legati de Ægypto, quando peccatores pacem quærunt et obedientiam promittunt. Quod autem ait Æthiopia præveniet, reconciliationis celeritatem et desiderium ostendit. *Manus ejus Deo*, subauditur, ad obediendum, ad subscribendum, ad jurandum et ad serviendum præparata est.

« Regna terræ cantate Deo, psallite Domino. » Quia, inquit, tota Ecclesia unita est, et de tot et tantis, tamque diversis sententiis in unam fidem catholicam et apostolicam convenerunt omnes. Cantate, jubilate et psallite de tanta lætitia concessa. « Psallite Deo, qui ascendit super cœlos cœlorum ad « orientem. » Hoc autem de Salvatore nostro dicitur, qui videntibus discipulis et admirantibus, super omnes cœlos ascendit, et omnes angelorum ordines transcendit, et pervenit ad orientem, per quem Pater significatur, ex quo omnia oriuntur.

« Ecce dabit vocem suam, vocem virtutis suæ, date « honorem Deo. » Dat quotidie Dominus vocem suam, vocem virtutis suæ, per Evangelia, per legem, per prophetas, per clericos, per laicos et per totam simul Ecclesiam, qui eum die ac nocte laudare, honorare, benedicere non cessant. Et non dubito hanc jubilationem et laudationem, quæ nunc ubique gentium in tota Ecclesia fit, tunc temporis Prophetam prævidisse, quando ista scribebat et cantare jubebat.

« Super Israel magnificentia ejus, et virtus ejus « in nubibus. » Quid per Israel nisi Ecclesiam et populum Christianum intelligamus? Iste enim solus ex cunctis gentibus Deum videre et cognoscere meruit. Interpretatur Israel *vir videns Deum*. Est igitur super hunc magnificentia ejus, quia iste solus est qui ab eo magnificatur, glorificatur et honoratur. « Et virtus ejus in nubibus. » Nubes apostoli sunt Ecclesiæque doctores, in quibus nisi virtus Dei esset, nequaquam ea quæ faciebant facere potuissent. De his nubibus scriptum est: « Qui sunt isti qui ut nubes volant? » (*Isa.* LX, 8.) His nubibus tota terra irrigata et fecundata est, quæ prius sicca et arida erat.

« Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse « dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, bene- « dictus Deus. » Mirabilis, inquit, Deus in sanctis suis, per quos talia et tam magnifica operatur Deus Israel. Illius videlicet Israel, de quo modo superius dixi. « Super Israel magnificentia ejus. » Ipse dabit virtutem quam in nubibus nunc esse dicit. Et fortitudinem plebi suæ quæ omnes suos superet inimicos (647); unde et nos omnes gratias agentes dicamus: Benedictus Deus.

PSALMUS LXVIII.

IN FINEM : PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR : PSALMUS DAVID.

Pro his enim qui commutabuntur, et qui ab infidelitate ad fidem transient, orat Dominus in hoc psalmo, dicens: « Non erubescant in me, qui te exspectant, Domine Deus virtutum (648). »

« Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt « aquæ usque ad animam meam. » Sæpe jam diximus, et sæpe dicendum est quia, quoties Salvator noster aliquid postulat et aliqua re indigere videtur, nihil ad divinitatem, sed omnia ad humanitatem referenda sunt. Sed neque ipsa humanitas oratione indigebat, cui omnia quæ volebat in potestate erant. Quæ autem Christi humanitas vel voluit, vel noluit, ita Propheta ea scribit, ac si ea locuta fuisset, atque eamdem ipsam loquentem introducit. Valde pauca suæ passionis tempore locutus est Dominus, quæ nobis evangelistæ diligenter narrant. Multa autem et in hoc psalmo et in aliis dicit Propheta Dominum locutum fuisse, quæ in Evangeliis non inveniuntur (649). Unde manifestum est quia similiter scribit Propheta ea quæ Dominus locutus est corde, sicut ea locutus est ore. Utraque enim simili modo et audiebat, et videbat, **443** et quæ Dominus loquebatur, et quæ Dominus volebat vel cogitabat. Sed dicet aliquis: Si Dominus ea voluit quæ in hoc psalmo et in aliis quibusdam continentur, et quæ ipse petere videtur, quare secundum ejus voluntatem factum non est, cum omnia in ejus voluntate posita essent? Lege in Evangelio, et invenies eum idem voluisse et noluisse. Cum enim dixisset: « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI, 39); » illico subjunxit: « verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat (*ibid.*). » Volebat enim procul dubio, quod petebat; sed sic volebat, si Pater quoque idipsum voluisset. Si igitur aliquid petat, et quod petit non accipiat, nemo proista commutatio facta est, nisi ex passione Christi? »

(647) « Ne quis de humana fragilitate diffideret, nec se crederet ad tanta præmia pervenire, veraci promissione firmatur, quia Dominus dabit fidelibus suis virtutem patientiæ et fidei fortitudinem, ut possint ad æterna præmia pervenire. » CASSIOD.

(648) Apposite hic S. Augustinus. « Unde autem

(649) Optime animadvertit S. Bruno Christum Dominum in sua passione pauca locutum fuisse ore suo, quæ diligenter ab evangelistis scripta tradita sunt; sed multa in corde David posuisse, per quem verba ipsius Domini accipere debemus.

Digitized by Google

pter hoc ejus voluntatem non esse completam dicere audeat. Neque est inconveniens, si natura mutabilis mutabilem habeat voluntatem. Omnia enim quæ nostra sunt, præter peccatum, eum suscepisse dubitare non debemus. Quod autem ait : « Salvum me fac, « Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam « meam, » et multa alia quæ sequuntur, non ore, sed cordis intentione locutus est Dominus : « Aquæ multæ, dicit Scriptura, populi multi (*Apoc.* XVII, 15). » Istæ aquæ undique inundantes, et super eum impetuose influentes, Judæi sunt, qui usque ad ejus animam intrasse dicuntur, quia usque ad mortem eum persequi non cessarunt.

« Infixus sum in limo profundi, et non est sub- « stantia. » In prædictas profundissimas aquas cadens, ad limum usque pervenit, per quem videlicet limum, Judæorum nequissimam voluntatem intelligimus. Dedit enim eis potestatem ut illis tribus diebus suam adversus eum complerent voluntatem. Unde et ipse in Evangelio ait : « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; ita erit Filius hominis in corde terræ (*Matth.* XII, 40). » Non erat igitur substantia quæ de illo limo eam extrahere voluisset, quoniam hoc erat in voluntate ipsius, ut sic teneri potuisset; unde et Pilato dicebat : « Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper (*Joan.* XIX, 11). »

« Veni in altitudinem maris, et tempestas demer- « sit me. » Hoc significatur per altitudinem maris, quod significatur per limum profundi. Tempestas autem quæ eum demersit, Judæorum sæviens multitudo fuit, quæ eum cepit, ligavit, tenuit.

« Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, « defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. » Hoc autem tale est ac si diceret : Nil profuit quod tantum in eis laboravi, quod tantum prædicando clamavi; unde sic raucæ factæ sunt fauces meæ, ut quasi mutus et loqui non valens, non responderem eis. Hinc est enim quod dicitur : « Sicut agnus ad victimam ductus est, non aperiens os suum (*Isa.* LIII, 7). » Oculi autem ejus, qui defecerunt, apostoli mihi esse videntur, qui tunc quidem defecerunt, quando eo relicto fugerunt. Et hoc ideo, quia non in eorum, sed in solo Dei adjutorio spem habebant. Unde et Petro pugnare volenti ait : « Mitte gladium tuum in locum suum. An putas quia non possum rogare Patrem, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri (*Matth.* XXVI, 52). » Oculi autem ejus, ideo apostoli dicuntur, quia per illos alios illuminat, et per illos omnes alios recto itinere ad patriam ducit.

« Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui « oderunt me gratis. » Gratis enim, et sine causa oderunt Judæi Dominum, sicut ipse quoque in Evangelio ait : « Quia odio habuerunt me gratis (*Joan.* XV, 25). » Quod autem super capillos capitis sui multiplicatos eos esse dicit, infinitos eos et innumerabiles esse ostendit. Non solum enim illi qui tunc temporis erant, sed isti quoque qui nunc sunt, et cæteri qui futuri sunt, in eodem odio sunt. Et hoc fortasse fecit illa maledictio eorum, quam super seipsos et super filios suos imprecati sunt, dicentes : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). »

« Confortati sunt super me qui me persequuntur « inimici mei injuste. » Confortati quidem, quia tantum fortiores apparuerunt, ut in eum facerent quod facere optaverunt. « Quæ non rapui, tunc exsolve- « bam. » Hæc enim, ut ipsi ostendebant, maxima causa fuit interfectionis illius, quia filium Dei se esse dixit. Unde et clamantes dicebant : « Secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). » Quæ quidem magna rapina fuisset, si Salvator veritatem non dixisset. Sed audi quid Apostolus dicat : « Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo (*Philip.* II, 6). » Exsolvit igitur quæ non rapuit, quia inde pœnas persolvit, quod illud quod erat se esse dixit. Exsolvit et aliter quod non rapuit, quia rapina primi hominis fecit ut ipse pro nobis moreretur.

« Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea « a te non sunt abscondita. » Magna insipientia stultis et infidelibus hæc esse videtur, ut Deus tantum se humiliaret et pro hominibus moreretur. Judæi quoque magnum hoc peccatum ei imputabant, quod in Sabbato curaret et Dei Filium se esse testabatur. Sed hoc peccatum et hanc insipientiam ille sciebat, in cujus obedientiam Salvator noster hæc omnia sustinuit.

« Non erubescant in me qui te exspectant, Do- « mine Deus virtutum, non revereantur super me « qui requirunt te, Deus Israel. » Erubescerent enim si non resurrexisset, et si hoc quod se facturum esse promiserat non fecisset. Et sancti quidem exspectant et requirunt Dominum, quia in ejus adventu se beatos fore non dubitant.

444 « Quoniam propter te sustinui improperium. » Magnum improperium fuit quod filius Patris obediendo sustinuit. Unde et subditur. « Operuit reve- « rentia faciem meam. »

« Extraneus factus sum fratribus meis et hospes « filiis matris meæ. » Per hos autem Judæos intelligimus, qui ejusdem Synagogæ cujus et ipse filius erat. Ilis autem extraneus Dominus, et peregrinus factus est, quia eum spernentes dixerunt : « Nolumus hunc regnare super nos. Et nolumus hunc, sed Barrabam. Et non habemus regem nisi Cæsarem (*Luc.* XIX, 14). »

« Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et op- « probria exprobrantium tibi ceciderunt super me. » Domus Dei Ecclesia est, cujus amor Christum comedit, et inseparabiliter sibi conjunxit. Quæ enim comedimus sic secundum aliquam partem sui in nostram substantiam transferuntur, ut ab ea separari non valeant. Ceciderunt autem super filium opprobria exprobrantium Patrem, quia Pater op-

Digitized by Google

probria tantum, Filius vero et opprobria sustinuit et passionem.

« Et operui in jejunio animam meam, et factum « est mihi in opprobrium. » Volebam, inquit, Judæos mihi conjungere, et meo corpori, quod est Ecclesia, incarnare et sociare, sed jejunus sum, neque hunc cibum suscipere valui. Talis erat ille cibus, qui beato Petro in linteo ostensus est, quando ei a Domino dictum est : « Macta, et manduca (*Act.* x, 13). » Operuit autem Dominus in hoc jejunio animam suam, quia et desiderium suum eis celavit, et virtutem, quæ intus erat, non manifestavit. Et hoc quidem ei in opprobrium factum est, quia inde majorem audaciam habuerunt, unde eum humiliatum, et quasi sine viribus esse viderunt.

« Et posui vestimentum meum cilicium, et factus « sum illis in parabolam. » Animam quidem, id est virtutem et fortitudinem, quæ in anima est, operuit Dominus atque celavit. Cilicium vero eorum oculis anteposuit, per quod caro significatur; talem se illis ostendit, qualem eum esse putabant. Unde et Propheta in eorum persona dicit : « Et nos putavimus eum quasi leprosum, percussum a Deo, et humiliatum (*Isa.* LI, 4). » Cilicium ergo viderunt, hominem scilicet humiliatum in similitudinem carnis peccati, nullam virtutem et fortitudinem ostendentem. Unde et Pilato dicebant : « Nisi esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan.* XVIII, 30). » Si enim animæ et divinitatis similitudinem Dominus ostendisset, quis ei resistere potuisset? Quia igitur posuit et ostendit vestimentum suum cilicium, ideo factus est illis in parabolam, ut derisorie et parabolice de eo loquerentur.

« Adversum me exercebantur qui sedebant in « porta, et in me psallebant qui bibebant vinum. » Tota illa nox, qua Salvator noster captus est, ludentium exercitium, saltatio et ebrietas fuit. Sedebant autem in porta templi, sive potius in porta mortis, ubi talia conventicula fieri solent.

« Ego vero orationem meam ad te, Domine. » Illi, inquit, hoc faciebant; ego vero orabam in corde meo, et orationem meam ad te, Domine, dirigebam. Sed quid orabat Dominus? Audi quid sequitur : « Tempus beneplaciti Deus; » subauditur : « ecce « advenit. » Et quis est iste beneplacitus? dicat ipse Pater : « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* XII, 18). » Tempus autem Christi, quamvis omne tempus suæ incarnationis intelligi possit, illud tamen præcipue intelligitur, in quo majorem misericordiam operatus est, tempus videlicet suæ passionis. Unde et subditur :

« In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me in « veritate salutis meæ. » Multa, quasi dicat, sit ista misericordia tua, et vera sit ista salus tua, quam per me modo operaris, quatenus et multi salvi fiant, et vera salute salvi fiant. Vera enim salus illa est cui neque infirmitas neque mors succedere potest; maxima medicina est qua mortis aculeus fractus est.

« Eripe me de luto, ut non inhærcam, libera me « ex odientibus me et de profundo aquarum, non me « demergat tempestas aquæ. » Dictum est superius quid per lutum sive limum, et quid per profundum maris et aquarum tempestatem intelligere debeamus. Et superius quidem in limo profundi infixum et tempestate submersum se esse dicit. Hic autem ut eripiatur exorat; quia, ut diximus, usque in tertium diem potestatem in eo habuerunt; postea vero de eorum potestate ereptus, nihil ulterius adversus eum facere potuerunt. Sed quare hic dicit : « Non me « demergat tempestas aquæ; » cum superius dicat : « et tempestas demersit me? » nisi ut intelligamus eum pro sola anima orare, ut nullam in eam habeant potestatem. Sic enim et de beato Job, cum Satan ei detraheret, a Domino dictum esse legitur : « Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serva (*Job* II, 6). »

« Neque absorbeat me profundum, neque urgeat « super me puteus os suum. » Hic autem manifeste ostenditur quia hæc oratio, non ad corpus, sed ad animam pertinet : sola enim Salvatoris nostri anima in infernum descendit, qui per hunc puteum profundum significatur. Et ipse quidem ibi teneri non potuit, sed ligato diabolo et inferno exspoliato, cum magna victoria inde ascendit.

« Exaudi me, Domine, quoniam benigna est mise« ricordia tua : secundum multitudinem miseratio« num tuarum respice me; ne avertas faciem tuam « a puero tuo; quoniam tribulor, velociter exaudi « me. » Satis velociter exauditus est, quia ipsa hora qua voluit, et sicut ipse cum Patre disposuit, a mortuis resurrexit.

445 « Intende animæ meæ in adjutorium, et li« bera eam propter inimicos meos, eripe me ut non « gaudeant de me inimici mei » Hæc autem plana sunt, et expositionem non indigent. Diximus superius qualiter has Salvatoris nostri orationes intelligere debeamus.

« Tu enim scis improperium meum, confusionem « et verecundiam meam. » Omnia hæc idem significant : quæ ideo Patrem scire dicit, quia inde eum magnam ultionem accepturum esse non dubitat. « In conspectu tuo sunt semper qui tribulant me. » Tu eos vides, tu eos cognoscis, te fugere non poterunt; tibi de his omnibus rationem eos reddere oportet. Miseri, et per omnia infelices, quibus tam dura accusatio et tam terribile judicium imminet!

« Improperium exspectavit cor meum et miseriam. » Sciebat Salvator noster, quando Judæis prædicabat, et eorum infirmos sanabat et mortuos resuscitabat, omnia hæc sibi esse ventura, et de tali vinea aliam vindemiam exspectare non debuit.

« Sustinui, qui simul mecum contristaretur, et « non fuit, consolantem me quæsivi, et non inveni. » Et mirum certe cum tot millia ibi essent, qui eum cognoverant, prædicantem audiverant, et tam multa ejus miracula viderant, quod nemo ad eum accessit ut compateretur, et qui eum consolaretur; tantus terror invaserat omnes bonos, et sic diabolus adver-

Digitized by Google

sus eum concitaverat; et inflammaverat omnes malos, ut et illi essent extra se, et quod facerent, ignorarent. Nam et ipsi discipuli, relicto eo, fugerunt omnes; et ipse, qui inter eos maximus erat, et qui alios, sicut et mandatum fuerat, confirmare debebat, timore perterritus, ter eum negavit. Et hinc est quod Dominus dixerat : « Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum (*Luc.* XXII, 53). »

« Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea « potaverunt me aceto. » Hoc autem et Evangelista similiter narrat : « Quia dederunt ei acetum cum felle mistum (*Matth.* XXVII, 34). »

« Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in « retributionem et in scandalum. » Hanc autem maledictionem et alias omnes quæ sequuntur quotidie Judæi legentes et non intelligentes seipsos excommunicant et maledicunt; quod utique non fecissent, nisi eas Propheta scripsisset. Eamdem escam spiritualem habent Judæi, quam et nos habemus, legem videlicet, et prophetas et alias Scripturas quibus animæ nutriuntur, sed non est inter eos qui panem frangat et Scripturas eis exponat; sicut scriptum est : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (*Thren.* IV, 4) ». Sequuntur igitur litteram, et, sicut Apostolus ait, ipsa littera eos occidit, atque eo modo fit eis in laqueum quo decipiantur et occidantur. Et hanc retributionem et hoc scandalum inde habebunt, quod solam litteram sequuntur et spiritualem intelligentiam non quærunt. Unde et subditur :

« Obscurentur oculi eorum ne videant. » Hoc est enim quod per prophetam dicitur : « Excæca cor populi hujus, ut videntes non videant, et audientes non intelligant (*Isa.* VI, 10). »

« Et dorsum eorum semper incurva. » Incurvatum est dorsum Judæorum, et non ad ea respiciunt quæ sursum sunt, sed ad ea quæ inferius latent; temporalia quærunt, et non æterna; non homines, sed bestiæ facti sunt.

« Effunde super eos iram tuam, et indignatio iræ « tuæ apprehendat eos. » Hoc jam ex parte factum est; sed abundantius in judicio exspectatur.

« Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis « eorum non sit qui inhabitet. » Habitatur quidem usque hodie Judæa, sed non a Judæis, quoniam ab eis derelicta et deserta est, et nullus est ex eis qui quasi in hæreditate sua habitet in ea. Sed quare hoc?

« Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti « sunt me, et dolorem vulnerum meorum addide« runt. » Hoc est enim quod alibi scriptum est : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. (*Zach.* XIII, 7). » Addiderunt autem et alium dolorem vulnerum ejus, quia non fuit ei sufficiens, quod Dominum occiderent, nisi et servos interficerent. Hæc quidem adhuc futura erant; sic de eis loquitur, ac si jam transacta fuissent.

« Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum. » Dominus iniquitatem facere non potest, sed pro iniquitate, meritum iniquitatis intelligere debemus. Ponit igitur Dominus iniquitatem super iniquitatem, quia omnes illorum enumerat iniquitates, ut nulla prætermittatur, pro qua pœnam non suscipiant.

« Et non intrent in tuam justitiam. » Quid est enim in tuam justitiam, nisi in locum in quo justi et justitia habitat? per quem utique illa habitatio supernæ felicitatis significatur.

« Deleantur de libro viventium. » Hoc autem exponit : « et cum justis non scribantur. » Mali autem in illo libro scripti non sunt; sed ideo ex eo delentur, quod in eo scribi non permittuntur. Liber autem ille, quid aliud est, nisi memoria omnipotentis Dei, in qua simul omnia, et prima et novissima continentur?

« Pauper et dolens ego sum, et salus vultus tui « Deus suscepit me. » Hæ sunt, quasi dicat illæ gratiæ quas ab illo populo suscipio, quia cum omnium dives essem, pauper et dolens pro eo factus sum. Unde et alibi dicitur : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isa.* LIII, 4). » — « Et salus bonæ voluntatis tuæ Deus suscepit me, » qui, ut alios sanarem, infirmari volui. Vultus pro voluntate ponitur, quia in vultu voluntas cognoscitur.

« Laudabo nomen Dei mei cum cantico, et ma« gnificabo eum in laude. » Hoc est enim illud nomen, de quo ipse Dominus per **446** Prophetam dicit : « Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo (*Isa.* XLII, 8). » Hoc autem nomen ille laudat, et cum cantico laudat, qui et se servum, et ipsum Dominum esse cognoscens, sic ei servit, et sic ei obedit, sicut bonum servum bono Domino servire oportet.

« Et placebit Deo super vitulum novellum cornua « producentem et ungulas. » Hic est ille vitulus saginatus, de quo in Evangelio dicitur : « Occidite mihi vitulum saginatum, ut epulemur et satiemur (Luc. XV, 23). » Novellus est ipse vitulus, quia nunquam amplius talis vitulus immolatus fuit. Ac per hoc bene placuit Deo super vitulum istum, neque in aliquo alio sic aliquando delectatus est, ut merito de eo dicatur : Quia « odoratus est Dominus odorem suavitatis (*Genes.* VIII, 21). » Produxit autem iste vitulus et sibi et nobis cornua et ungulas quibus inimicos superare et sub pedibus conculcare valemus. Unde Apostolus ait : « Dominus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter (*Rom.* XVI, 20). » Omnia mandata utriusque Testamenti et arma nobis et cornua sunt ad superandos inimicos.

« Videant pauperes et lætentur, quærite Dominum, « et vivet anima vestra. » Isti sunt illi pauperes, qui magistri exempla secuti, sua sponte pauperes facti sunt. Et de Judæis quidem dicitur superius, « obscurentur oculi eorum ne videant : » de his autem dicitur, « videant pauperes, et lætentur. » Ut adimpleatur illud quod in Evangelio Dominus ait : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant; et videntes cæci fiant (*Matth.* XIII, 13). » Lætentur itaque pauperes, quorum oculi aperti

Digitized by Google

sunt, et ad videnda et intelligenda omnia divina mysteria illuminati. « Quærite Dominum, » quia ad hoc illuminati estis, ut eum quæratis et inveniatis; quem ideo Judæi invenire non possunt, quia cæci sunt et in tenebris ambulant. Vivunt autem qui Dominum quærunt, quia in ipso vitam invenerunt.

« Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos « suos non sprevit. » Dignum, inquit, est, ut Dominum pauperes quærant, qui eorum justa desideria semper exaudit. Vincti autem Domini illi sunt qui quasi vinculis colligati seipsos compescunt, ut ad illicita non accedant. Omnia divina mandata vincula quædam sunt, quibus retineri debemus.

« Laudent illum cœli et terra, mare et omnia quæ « in eis sunt. » Si hæc omnia Dominum laudant, nihil relinquitur quod ejus laudibus idoneum sit. Quoniam, sicut scriptum est : « In inferno autem quis confitebitur tibi? » (*Psal.* VI, 6.) — « Quoniam Deus « salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Juda. » Sion S. Ecclesia est, cujus speculatores prædicti pauperes sunt, quibus ideo dictum est ut videant, quoniam ad hoc super speculum positi sunt, ut civitatem custodiant, et a longe videant. Tanta est autem lætitia de salute Sion, ut ex hoc omnis creatura Deum laudare et benedicere debeat. Civitates vero Juda, singulæ Ecclesiæ sunt quæ, per totum mundum ab apostolis ædificatæ, non Judæos, sed Christianos habitatores habent.

« Et hæreditate acquirent eam, et semen servo« rum ejus possidebit eam, et qui diligunt nomen « ejus habitabunt in ea. » Hanc, inquit, hæreditatem semen, et filii apostolorum possidebunt. Et omnes qui diligunt nomen ejus, et qui se gerunt ut servos ejus, habitabunt in ea.

PSALMUS LXIX.

IN FINEM PSALMUS DAVID : IN REMEMORATIONEM ; IDEO QUIA SALVUM EUM FECIT DOMINUS.

In finem, inquit, hæc referantur, et ad Christum dirigantur, et ab ipso adjutorium quæratur et exspectetur, quæ ego quasi dicat in rememorationem scripsi, ideo quod Dominus salvum me fecit. Hæc autem in cunctis nostris necessitatibus dicamus et omnibus nostris actionibus præponamus, quæ ad sui exemplum Propheta nos dicere voluit.

« Domine Deus, in adjutorium meum intende, Do« mine, ad adjuvandum me festina. » Hæc oratio sufficit nobis in omnibus quæ postulamus, præsertim si ab inimicis et adversariis affligimur. Ubique et in omnibus Dei adjutorium quærendum est, quia ubique et in omnibus necessarium est; quoniam sine ejus adjutorio nihil facere possumus. Si bona agere volumus, bene et utiliter oremus; et si quod non debemus, male agere volumus, bene et utiliter oramus; magnum Dei adjutorium est, si malis desideriis resistat et fieri non permittat. Qui igitur malum aliquod facere cupit, dicat prius : « Deus in adjutorium meum intende, » et non poterit facere quod facere cupit. Festinet igitur Dominus in adjutorium bonis, ut faciant quod volunt; festinet et malis in adjutorium, ne faciant quod volunt.

« Confundantur et revereantur inimici mei, qui « quærunt animam meam. » Hæc oratio et contra inimicos fit et pro inimicis. Pro inimicis quidem si resipiscunt : contra eos autem, si in malitia perseverant. Bene autem confunditur et erubescit qui peccata sua recognoscens, ab iniquitate quiescit et eum diligere incipit, quem occidere desiderabat. Unde et sequitur :

447 « Avertantur retrorsum et erubescant qui « cogitant mihi mala. » Avertantur, inquit, retrorsum ab iniqua sua intentione, et ad pœnitentiam redeant cum satisfactione. Et erubescant ea erubescentia, de qua Apostolus loquitur, dicens : « Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus modo erubescitis? » (*Rom.* VI, 21.)

« Avertantur statim et erubescant qui dicunt « mihi euge, euge. » Cito, inquit, avertantur, et non tardent converti ad Dominum, neque differant de die in diem : et erubescentes convertantur, ne et ipsi audiant quod per propheram dicitur : « Facies meretricis facta est tibi : nescis erubescere (*Jer.* III, 3). » Quod autem ait *euge, euge*, insultatio est, quam iniqui homines contra sanctos, quasi jam ab eis superatos, facere solebant.

« Exsultent et lætentur qui quærunt te, Domine. » Qualescunque fuerint, dicunt martyres, et quomodocunque nos afflixerint, si te quæsierint et ad te conversi fuerint, rogamus ut eamdem nobiscum lætitiam et exsultationem habeant. Boni discipuli qui, magistri exempla secuti, pro persequentibus et calumniantibus orant. Sic enim ipse Dominus pro suis crucifixoribus oravit, dicens : « Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » — « Et « dicant semper, magnificetur Dominus, qui dili« gunt salutare tuum. » Qui Filium diligunt, diligunt et Patrem, et simul cum Filio glorificant Patrem.

« Ego vero egenus et pauper sum, Deus, adjuva « me. » Egeni et pauperes erant sancti et humano auxilio destituti, quia præter Deum, nemo erat qui eis auxilium præstare auderet. Unde et unusquisque illorum Domino dicit : « Deus, adjuva me, » et illud quod sequitur : « adjutor meus et liberator meus « es tu. » In magna afflictione se esse significant, dum tanta instantia adjutorium postulant : Unde et subditur : « ne tardaveris ; » cito, inquiunt, succurre : jam vires deficiunt et resistere non valemus.

PSALMUS LXX.

PSALMUS DAVID FILIORUM JONADAB (650), ET PRIORUM CAPTIVORUM (*Jerem.* XXXV, 6)

Iste est ille Jonadab qui præcepit filiis suis ut vi-

(650) « Jeremias propheta refert Jonadab fuisse Dei sacerdotem : qui filiis suis præceperat non bibere vinum, neque in domibus, sed in tentoriis habitare, eosque magnam obedientiæ hujus apud Dominum gratiam comperisse; qui nunc pro fidelibus ac devotis ponuntur ; unde et Jonadab interpretatur

Digitized by Google

num non biberent et in hoc mundo hæreditatem non habuerunt, quibus Jeremias vinum ante posuit et bibere præcepit. Illi vero bibere noluerunt, dicentes sibi hoc a patre suo interdictum fuisse. Unde et per eumdem prophetam Dominus ait : « Prævaluit sermo Jonadab sermonibus meis, et magis filii Jonadab obediunt patri, quam filii Israel obediunt mihi (*Jerem.* xxxv, 18). » Isti itaque et omnes alii qui in illa captivitate majores melioresque fuerunt, et cæteri omnes qui per illos significati sunt, in hoc psalmo modo loquuntur et Dei adjutorium implorant. Non est igitur iste Psalmus totius captivitatis, sed illorum solummodo qui meliores sunt et in ista et in illa captivitate.

« Deus in te speravi, Domine, non confundar in « æternum, in tua justitia libera me, et eripe me. » Dicunt se in Domino sperasse. Dicit Apostolus : quia « spes non confundit (*Rom.* v, 5). » Deus autem justus est, ideoque liberantur et eripiuntur de omnibus angustiis suis.

« Inclina ad me aurem tuam, et libera me. » Aurem ad aliquem Dominum inclinare, quid aliud est, quam exaudire? Sicut e converso a voce alicujus aurem avertere, nihil aliud est quam audire nolle.

« Esto mihi in Deum protectorem, et in locum « munitum ut salvum me facias. » Et protector et locus munitissimus est Deus fidelibus suis, quia contra eum quem ipse vult defendere nullæ inimicorum valebunt insidiæ. Unde et subditur :

« Quoniam firmamentum et refugium meum es tu. » Firmamentum quidem, quia sine te nulla est fortitudo; refugium vero, quia ad te confugientibus præsidium es et beatitudo.

« Deus meus eripe me de manu peccatoris, et de « manu contra legem agentis et iniqui. » Peccatores iniqui, et contra legem agentes, judæi, hæretici et tyranni sunt, a quibus omnes sancti, ut eripiantur, Dominum orant.

« Quoniam tu es patientia mea, Domine, spes « mea a juventute mea. » Tu scis, inquit, quia tantas eorum injurias sustineo, quod nisi patientiam dedisses, jam penitus succubuissem. Sed tu es patientia mea et spes mea a juventute mea; ab illa videlicet ætate, qua contra diabolum arma suscepi. In hac autem ætate sunt et pueri, et adolescentes, et senes et quicunque **448** ad pugnandum idonei sunt : est autem juventus flos ætatis, in qua nimirum ætate omnes mortui resurgent, in qua et Salvator noster resurrexit. Quicunque igitur viriliter se habet et viriliter pugnat, cujuscunque ætatis sit, inter juvenes computari debet.

« In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus : in te cantatio mea « semper. Dixi, inquit, quia tu es patientia mea, et « spes mea a juventute mea; » qui utique ad ipsam juventutem pervenire non potuissem, nisi tu me confirmasses, educasses, docuisses et provexisses. Totum igitur quod sum, gratia tua sum. Et in te erit decantatio mea semper, quia omni tempore tibi cantabo et jubilabo.

« Tanquam prodigium factus sum multis : et tu « adjutor fortis. » Est autem prodigium novum aliquod et inusitatum. Et dicitur prodigium, quasi pro digito; eo quod longe ostendatur digito (651). Erant igitur sancti prodigium multis, qui cernentes durissima tormenta quæ pro fide Christi patiebantur, digito eos ostendentes, stupebant et admirabantur. Et tunc quidem Dominus aderat adjutor fortis in opportunitatibus, in tribulatione.

« Repleatur os meum laude tua, ut possim cantare « laudem tuam, tota die magnificentiam tuam. » Quia, inquit, factus es mihi adjutor fortis, dignum est ut os meum impleatur laude tua, et abundanter impleatur, ut tota die omni tempore possim cantare gloriam tuam et magnificentiam tuam, qui tam mirabilis es in sanctis tuis, et tam fortes et potentes eos facis ad pugnandum contra inimicos tuos.

« Ne projicias me in tempore senectutis. » Quid est in tempore senectutis? « Cum defecerit virtus « mea, Deus, ne derelinquas me. » Cujuscunque ætatis sit homo, virtute et constantia in eo deficiente, inter senes reputatur; sicut econtra superius de juventute diximus, quæ magis pugnandi robore, quam ætatis tempore consideratur. Rogat itaque ut, si quando virtus in eo defecerit, more solito Deus adsit et nunquam ab eo derelinquatur (652).

« Quia dixerunt inimici mei mihi mala, et qui « custodiebant animam meam consilium fecerunt « in unum, dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum : quia non est qui « eripiat eum. » Non mirum si adjutorium postulat, contra quem tam pravum et tam iniquum consilium inimici iniverunt. Hæc autem et alia quædam quæ in hoc psalmo dicuntur etiam de Salvatore nostro convenienter intelligi possunt. Multoties enim homines iniqui inde sanctos Dei gravius affligebant, et a Deo derelictos esse putabant, et quasi impios et sacrilegos judicabant, quia Deus auxilium differebat et eis tam cito non subveniebat. Unde subditur :

« Deus ne elongeris a me, Deus meus in auxilium « meum respice. » Ut eorum consilium vanum et

Domini spontaneus; qui dicere potest, *voluntarie sacrificabo tibi.* Cum quibus et priores captivi simul lacrymas fundunt; id est, qui prius captivari, postea redimi meruerunt : qui peccando captivi, sed pœnitendo redempti, aiunt : *et de abyssis terræ iterum reduxisti me.* » Beda.

(651) Vossius in Etymolog. ait *prodigere* esse a *pro* seu *porro agere;* est enim, addit, *prodigere* præter modum erogare. Quamobrem dici etiam potest *prodigere* esse præter modum communem agere, in quo miraculi natura indicatur.

(652) Egregie Augustinus in hunc locum. « Respondet hic tibi Deus : imo vero deficiat virtus tua, ut in te maneat mea; ut dicas cum Apostolo : quando infirmor, tunc potens sum. »

Digitized by Google

inutile inveniatur; cum te et præsentialiter adesse et adjutorem esse cognoverint.

« Confundantur et deficiant detrahentes animæ « meæ, operiantur confusione et pudore qui quæ- « runt mala mihi. » Constat enim quia si confunderentur et erubescerent, et ab iniquitate sua deficerent et quiescerent, quia sanctorum orationibus, quos interficiunt, adhuc veniam impetrare possent. Quod si in malitia perseveraverint, æterna confusione confundentur, deficient et peribunt. Facilius ad misericordiam flectitur judex, si ille qui injuriam passus est pro reo orare incipiat.

« Ego autem semper in te sperabo, Domine, et « adjiciam super omnem laudem tuam. » Faciant illi, inquit, quod volunt, et quod homines iniqui facere solent, quia spem meam nunquam mihi auferre poterunt, sed semper et in prosperis et in adversis in te sperabo, Domine, et super omnem laudem adjiciam laudem tuam. Quid est enim super omnem laudem adjicere laudem, nisi semper laudare, et a laudibus nunquam cessare? Unde et subditur :

« Os meum pronuntiabit justitiam tuam, tota die « salutare tuum. » Et certe ad maximam laudem Dei pertinet ejus justitiam nuntiare. Salutare Dei Christus est, quem tota die et omni tempore laudare et prædicare debemus.

« Quia non cognovi negotiationes, introibo in « potentias Domini (653). » Non est conveniens ut negotiatores nuntient justitiam Domini et salutare Domini, neque conveniens est ut intrent in potentias Domini. Et hoc quidem de Simoniacis specialiter intelligi debet qui, quoniam de templo ab ipso Domino ejecti sunt, utique et prædicare et in potentias Domini intare 449 prohibiti sunt (654). Quid autem per potentias Domini, nisi ecclesiasticas dignitates intelligere debemus? Illi igitur intrent in potentias Domini, illi dignitates Ecclesiæ suscipiant, qui tales negotiationes non cognoverunt. Omnes autem negotiationes malæ sunt, quæ cum fraude et deceptione fiunt.

« Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. » Nullam, inquit, aliam justitiam pronuntiabo, nullam aliam justitiam prædicabo, nisi justitiam tuam; illam videlicet justitiam, quam tu Deus docuisti me a juventute mea. Hæc est domestica illa justitia, quæ in utroque Testamento invenitur, qua homines justificantur, et misericorditer judicantur. Juvenum et perfectorum justitia est, secundum legem judicare, et a mandatis Domini non declinare. « Et usque « nunc pronuntiabo mirabilia tua. » Non videtur sufficiens usque nunc, si simpliciter intelligatur nunc, sed quia nunc præsens tempus significat, ille quidem videtur pronuntiare justitiam Dei usque nunc, qui omni tempore eam pronuntiat. « Et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me (655). » Quid per senectam et senium, nisi ultimam senectutem et vitæ terminum intelligimus? Tale est igitur ac si dicat : Ego quidem omni tempore pronuntiabo mirabilia tua ; et tu omni tempore mihi adesto adversus eos qui audire nolunt mirabilia tua.

« Donec annuntiem brachium tuum generationi « omni, quæ ventura est. Potentiam tuam, et justi- « tiam tuam Deus usque in altissima quæ fecisti « magnalia. » Hoc est illud brachium de quo dicitur : « Et brachium Domini cui revelatum est (*Isa.* LIII, 1). » Per quod Salvator noster intelligitur, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Hoc autem brachium nuntiant sancti, qui Patrem omnia per Filium dicunt esse operatum. Et hæc quidem illorum prædicatio extenditur in omnem generationem quæ ventura est. Nuntiant autem et potentiam et justitiam Dei, et eum omnipotentem et justissimum esse annuntiant. Nuntiant præterea et altissima magnalia quæ Dominus fecit, per quæ, non mundi creationem, non diluvii inundationem, non maris Rubri divisiones, non Pharaonis interitum, non multa alia quæ altissima esse videntur intelligimus ; sed illa quæ super omnia altissima sunt, Christi videlicet incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem. Unde nimia admiratione commotus exclamat : « Deus, quis similis tibi? »

« Quantas ostendisti mihi tribulationes? » Vis audire quantas? « multas; » et quales? « malas. » Quis enim enumerare valeat quantas et quam malas tribulationes pro Christi nomine sancti sustinuerunt? Vix enim beati Pauli tribulationes enumerare sufficimus.

« Et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ « iterum reduxisti me. » Nisi prius aversus fuisset, non diceretur quia conversus, vivificasti me. Aversus nobis et iratus, et nos mortui eramus, quia mortis princeps nobis dominabatur. Conversus est ad nos, et ipse, qui vita est, vivificavit nos et de abyssis terræ iterum reduxit nos. Reduxit, quando infernum exspoliavit ; reduxit, quando de mundi hujus conversatione et vana superstitione eripuit. Reducet in judicio, quando omnes fideles suos ad se vocabit; quod, quia sine dubio futurum est, non inconvenienter factum esse dicit.

(653) In Vulgata habetur : Quoniam non cognovi litteraturam, quod explicat Augustinus. « Quæramus ergo litteraturam, quam non cognovit iste, in cujus ore tota die laus Dei est. Est quædam litteratura Judæorum : ad illos enim et hoc referamus, ibi inveniemus quod dictum est; quomodo eum de negotiatoribus quæreremus, propter actus et opera, invenimus illam dici negotiationem, detestandam, quam notavit Apostolus Rom. x, 3, dicens : *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Contra quam dicit Apostolus : *non ex operibus, ne forte quis extollatur.* Quomodo ergo? nunquid non operabimur? Operabimur, sed ipso in nobis operante. *Ipsius enim figmentum sumus creati in operibus bonis*, etc. Eph. II, 9. »

(654) Vide quæ supra in ps. LXVII dixit de episcopis hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, etc.

(655) Ad Ecclesiam cum hæc accommodet Cassiodorius non injucundum erit eum audire. « Invenius

« Multiplicasti justitiam tuam. » Multiplicavit quidem justitiam suam Dominus, quoniam, quibus multas et malas tribulationes ostendit, eos et vivificavit, et de abyssis terræ iterum iterumque reduxit. « Et conversus exhortatus es me. » Exhortatus est Dominus fideles suos per leges, per prophetas, per evangelistas, per apostolos, et quotidie hortatur nos et docet quid agere debeamus. « Et ego confitebor tibi in vasis psalmorum. » Vasa psalmorum instrumenta sunt musicæ artis, quæ decem chordas et non amplius habent, in quibus ille bene et suaviter Domino cantat, qui legis decem mandata observat.

« Veritatem tuam psallam tibi in cithara, Deus « sanctus Israel. » Cithara, ut jam alibi diximus, ad Novum pertinet Testamentum; cui vel tres vel quatuor cordæ sufficiunt, quoniam Novum Testamentum in quatuor evangeliis continetur, in quibus clarissime et suaviter resonat mysterium Trinitatis. Maxime autem veritas Dei in cithara canitur, per quam Christum intelligimus, qui de seipso loquitur, dicens: « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). »

« Gaudebunt labia mea, dum cantavero tibi, et « anima mea quam redemisti. » Gaudebunt, inquit, labia mea, labia interioris hominis, labia quæ tibi in silentio loquuntur, et a te solo audiuntur: illa labia gaudebunt, dum cantavero tibi, quia non modicum de cantatione sua mercedem exspectabunt. Et anima mea, quam redemisti, similiter faciet.

« Sed et lingua mea meditabitur justitiam tuam. » Idipsum per linguam et per labia significatur, quia meditatio non oris, **450** sed cordis est; unde totus ille cantus, non oris tantum, sed cordis potius esse monstratur.

« Dum confusi, et reveriti fuerint qui quærunt « mala mihi. » Meditantur sancti justitiam Dei, et tunc præcipue meditantur, et laudant, quando inimicos suos confusos esse vident: sive bona confusione, ut de peccatis erubescant, sive ut in sua malitia perseverantes in æternum confundantur et pereant. Et tunc quidem magnam sibi justitiam factam esse gaudent, quando eos erubescentes, et de his quæ contra justitiam fecerunt, pœnitentes esse intelligunt.

PSALMUS LXXI.

PSALMUS: IN SALOMONEM.

Salomon interpretatur *pacificus*. Significat autem Salvatorem nostrum, de quo Apostolus ait: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Hic est ille rex pacificus, cujus vultum desiderat universa terra (*III Reg.* X, 24). Et ipse quidem dominatur a mari usque ad mare: et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei: Quod quidem si de primo Salomone intelligatur, non est verum (656).

« Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam « filio regis. » Hoc autem de Salvatore nostro dicit Propheta qui de seipso loquitur, dicens: « Pater non judicat quemquam; sed omne judicium dedit filio (*Joan.* V, 22). » Ipse enim et rex est, et filius regis, qui judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in justitia. Ipse igitur judicium teneat, ipse justitiam faciat, qui non respicit personam hominis, et potens est unicuique reddere secundum opera sua.

« Judicare populum tuum in justitia, et pauperes « tuos in judicio. » Da, inquit, Domine, judicium tuum filio regis, id est filio tuo. Hic enim locutionis modus in libris Veteris Testamenti frequentissimus est. Judicare, hoc est ad judicandum populum tuum in tua justitia, et pauperes tuos in tuo judicio. Iste, quasi dicat, a tua justitia et a tuo judicio nunquam recedet, quia non differt a te in justitia, qui a te non differt in substantia. Pauperes Dei illi sunt, qui sua sponte pauperes sunt, et non terrena, sed cœlestia quærunt.

« Suscipiant montes pacem populo, et colles ju« stitiam. » Suscipiant, inquit, et montes et colles hanc pacem et hanc justitiam, quam tu modo das populo tuo, quod nihil aliud est dicere vel intelligere, nisi susci, iant filium tuum: « Ipse enim est pax nostra (*Ephes.* II, 14), » sicut Apostolus ait, ipse est justitia, sine qua nemo justificatur. Sed quid per montes et colles, nisi apostolos et doctores, vel Ecclesias et civitates intelligamus (657)? Isti enim inter alios altiores sunt, et quasi montes aliis præeminent.

« In sua justitia judicabit pauperes hujus populi, « et salvos faciet filios pauperum. » Hic inquit, filius regis in sua justitia, quam naturaliter et substantialiter habet, et quam aliunde non recepit, judicabit populos hujus sæculi (658); de quo modo dixit: « judicare populum tuum. » Pauperes quidem ipse judicabit, quia divites a diabolo judicantur. « Et salvos faciet filios pauperum. » Pauperes et filii pauperum apostoli sunt, et eorum imitatores. Isti sunt illi pauperes qui « relictis omnibus secuti

fuit Ecclesiæ, quando Dominus crucifixus est Christus, quando martyrum turba dimicavit, et morientibus fidelibus Ecclesiæ virtus apparuit. Senectam vero dicimus ætatem, quæ nunc agitur proxima fini, quando proficit fides, et per universas Ecclesias populus augetur, cum mundi istius tempora fugitiva decrescant. Senium autem tempus illud occiduum intelligendum puto, quando et sævus ille tyrannus adveniet, et turba martyrum hanc vitam optato fine concludet. »

(656) « In Salomonem quidem psalmi hujus titulus prænotatur; sed hæc in eo dicuntur, quæ non possunt illi Salomoni regi Israel secundum carnem, juxta ea quæ de illo S. Scriptura loquitur, convenire: Domino autem Christo aptissime tribui possunt. Unde intelligitur etiam ipsum vocabulum Salomonis ad figuratam significationem adhibitum, ut in eo Christus accipiatur. » D. August. in hunc titulum.

(657) « Per montes significari frequenter diximus apostolos et prophetas, qui ad superna firmiter elevati cœlesti gratiæ proximantur. » Cassiod.

(658) Cod. Ghis. *pauperes hujus populi.*

Digitized by Google

sunt Dominum (*Luc.* v, 11) » Hos autem salvabit Dominus, et in sua justitia judicabit.

« Et humiliabit calumniatorem. » Per quem diabolus significatur, qui populum Dei calumniari et accusare non cessat. Hic autem, quia supra modum se exaltavit, omni pœna comprimetur et humiliabitur. « Et permanebit cum sole, et ante lunam in sæcu- « lum sæculi. » Permanebit, inquit, in sæculum sæculi cum sole, qui ante lunam fuit et ante solem; siquidem ipse fecit solem et lunam. Ante lunam fuisse, aliquid est, sed cum sole manere, quid est? Dicitur autem de eo alio in loco : « Et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum (*Psal.* LXXXVIII, 18). » Possumus igitur per solem claritatem intelligere, ut sicut dicitur lumen de lumine, sic etiam dicatur sol de sole, et claritas de claritate. Permanet itaque cum sole in sæculum sæculi, quia nunquam recedit a Patre, semperque in eadem gloria et claritate manet cum Patre. Manet autem et ante lunam, quia sicut suo Domino tota sibi servit Ecclesia (659). In eo autem, **451** quod ante eam manet, dilectionis affectio designatur.

« Et descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stil- « licidia stillantia super terram. » Nota est historia Gedeonis, qui aliquando ad prælium iturus, et cum hostibus pugnaturus, hoc signum victoriæ a Domino accepit, ut vellus in area poneret. Posuit itaque et semel et iterum, et prius quidem vellus madidum, terra vero sicca apparuit; deinde autem vellus siccum, terra vero madida apparuit (*Judic.* VI, 36). Hæc similitudo in Christi incarnatione servata est. Vellus in medio areæ, Judæa est in medio terræ. Sicut pluvia prius in vellus; ita et Christus prius in Judæam descendit. Sed postea siccato vellere, stillicidia super terram stillarunt; quia, relicta Judæa, Dominus, et doctrina Domini in omnes terras et in omnes gentes pertransiit. Hoc autem tunc factum est, quando « in omnem terram exivit sonus apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4). » Isti fuerunt illæ nubes, quibus totus irrigatus est mundus.

« Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pa- « cis, donec extollatur luna (660). » Hæc pax, et hæc justitia inter sanctos, et in Ecclesia a diebus Salvatoris nostri orta est, quia ipsi sunt, qui justitiam pacemque custodiunt. Nam et secundum litteram, quando Dominus natus est, maxima pax ubique erat; toto mundo sub Romano imperio constituto. Unde et digne satis in ejus nativitate angelorum voces auditæ sunt, clamantium et dicentium : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Et hæc quidem pax, et justitia non auferetur a sanctis et ab Ecclesia Christi, donec ipsa elevetur et super cœlos extollatur; quæ modo hoc in loco per lunam significatur. Et luna a sole, et Ecclesia a Christo, suæ claritatis lumen suscipiunt.

« Et dominabitur a mari usque ad mare, et a « flumine usque ad terminos orbis terræ. » Ubique dominatur Christus; nulla gens est, quæ ejus non sit subdita potestati. Ipse enim est, « qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* v, 45). » Quod autem significat a mari usque ad mare, hoc significat a flumine magno Euphratis usque ad terminos orbis terræ.

« Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus « terram lingent. » Per Æthiopes, qui naturaliter nigri sunt, omnes peccatores significantur. Procidunt igitur Æthiopes coram illo, quia peccatores homines, qui antiquitus suam pulchritudinem amiserunt, ad fidem conversi, eum colunt, adorant et venerantur. Inimici vero ejus Judæi sunt, qui usque ad mortem iniquo eum odio persecuti sunt (661). Isti autem terram lingunt, qui sola terrena et transitoria quærunt. Et quanto amore terram diligunt, in eo ostenditur, quod eam lingere dicuntur. Possumus autem per istos inimicos etiam prædictos Æthiopes intelligere, qui quamvis prius inimici fuissent, nunc autem cognita veritate, eum suppliciter colunt, venerantur, et cum magna humilitate pro ejus amore ipsam terram osculantur.

« Reges Tharsis, et insulæ munera offerent, reges « Arabum, et Saba dona adducent. » Tharsis, *exploratio lætitiæ;* Arabia, *insidiæ;* Saba vero *captivitas* interpretatur. Et illi igitur, qui solam lætitiam explorantes voluptati dediti erant, et illi qui aliis insidiabantur, et perdere et decipere conabantur, et illi qui quasi servi captivi a diabolo tenebantur; postea baptizati, et Christi fidem suscipientes, et munera sua, et seipsos Domino offerunt (662). Hoc ipsum faciunt et insulæ, quæ in mari positæ singulas quas-

(659) De Ecclesiæ duratione exponit hunc locum S. Augustinus. « Quid autem magnum est permanere cum sole ei *per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil,* nisi quia hæc prophetia propter eos præmissa est, qui putant religionem Christiani nominis usque ad certum tempus in hoc sæculo victuram, et postea non futuram? Permanebit ergo cum sole, quandiu sol oritur, et occidit; hoc est, quandiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Dei, id est corpus Christi in terris. »

(660) In aliquibus exemplaribus legitur *tollatur,* in aliis *auferatur.* Cuilibet verbo occurrit Augustini expositio. Sed Bruno eam qua de Ecclesia loquitur, prælegit : « *Donec extollatur luna,* id est inquit sanctus Doctor, elevetur Ecclesia per gloriam resurrectionis cum illo regnatura, qui eam in hac gloria primogenitus a mortuis antecessit, ut sederet ad dexteram Patris : ita cum sole permanens ante lunam, qui postea extolleretur ut luna. »

(661) Eadem est Cassiodorii expositio.

(662) Non omittenda videtur S. Augustini super illa verba, *dona adducent,* expositio. « Nunquid nam de immolandis victimis dici potuit? Absit, ut talis oriatur in diebus ejus justitia. Sed ista dona, quæ adducenda prædicta sunt, homines mihi videntur significare, quos in societatem Ecclesiæ regum adducit auctoritas : quamvis etiam reges persecutores dona adduxerint, non scientes quid facerent, SS. martyres immolando. »

Digitized by Google

que Ecclesias significant, quæ in hujus mundi procellosa amplitudine continentur.

« Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes « gentes servient ei. » Hoc est enim quod Apostolus ait : « In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Phil.* II, 10). » Unde et alibi : « Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua (*Isa.* XLV, 23). »

« Quia liberabit pauperem a potente, et inopem « cui non erat adjutor. » Quotidie Dominus liberat pauperem a potente, quotidie deponit potentes de sede, et exaltat humiles. Quamvis per potentes diabolus intelligi possit; per pauperem vero et inopem, quilibet peccator ad pœnitentiam conversus. Valde namque pauper est, qui diabolo servit : sicut econtra illi soli divites sunt, qui Domino serviunt

« Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum « salvas faciet. » Hoc est enim, quod alibi dicitur : « Peccator quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vivet, et non morietur (*Ezech.* CCXXXIII, 11). » Diximus enim per pauperem peccatorem significari; qui ideo quidem pauper erat, qui veras divitias non habebat.

« Ex usuris et iniquitate liberabit animas eorum. » Non poterant divites esse, qui quotidie usuras persolvebant; sed cui, nisi diabolo, usuras dabant? crudeli videlicet, **452** et avarissimo feneratori. Dat enim et ipse pecuniam suam ad mensam, ut veniens cum usuris eam recipiat. Pecunia diaboli omne malum est : pecunia ejus peccatum est, cujus usura ipsa anima est. Quicunque hanc pecuniam suscipit et tenet, animam sibi pro usura reddere oportet. Reddatur igitur sibi pecunia sua, ut ab ejus usuris anima liberari valeat. Hoc autem, quia sine Dei adjutorio fieri non potest; ideo hic dicitur : « Ex usu- « ris, et iniquitate liberabit animas eorum. Et præ- « clarum nomen coram ipso. » Præclarum nomen est, quod Dominus ait : « Jam non dicam vos servos, sed amicos : et vos estis lux mundi; vos estis sal terræ (*Joan.* XV, 14). » Vocantur autem et aliis nominibus præclaris valde, sibique convenientibus.

« Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ. » Vivet, inquit, non ad tempus, ut cæteri reges, sed in æternum et in sæculum sæculi. « Et dabitur ei de auro Arabiæ. » Hoc in magis completum est, qui inde venientes aurum, thus et myrrham Domino attulerunt. Aurum Arabiæ optimum est, quod illi quidem dare videntur, qui pure et sapienter Deo serviunt; siquidem aurum pro sapientia ponitur. « Et orabunt « de ipso semper (663). » Ipse docuit nos orare; ab ipso habemus illam optimam et plenissimam orationem, quam quotidie facimus : « Pater noster, qui es in cœlis (*Matth.* VI, 9), » etc. Quando Salvator noster hanc orationem discipulos suos docebat, credo quia jam extunc in spiritu ibi erat Propheta, et in hac tam pulchra et compendiosa oratione delectabatur. « Tota die benedicent eum. » Sicut enim tota die oramus; ita etiam tota die Dominum benedicimus. Hoc enim Apostolus dicit : « Sine intermissione orate (*Thess.* V, 17). » Quod si ore facere non possumus, desiderio tamen, et bona intentione facere possumus. Si enim desiderium non orat, nequaquam diceretur : « Desideria cordis eorum audivit auris tua (*Psal.* XX, 3). »

« Et erit firmamentum in terra. » Quid est enim firmamentum erit in terra, nisi cœlum erit in terra? Hoc enim dicit Moyses : quia « vocavit Dominus firmamentum cœlum (*Gen.* I, 8). » Bene autem firmamentum vocatur Dominus, quia in ipso est et sol, et luna, et stellarum omnium pulchritudo. Et ipse quidem est firmamentum in terra, quia in ipso firmata et fundata est Ecclesia; sicut Apostolus ait : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » — « In summis montium superextolletur. » Nullus mons tam altus, nulla potestas tam excelsa, quæ ei non subjiciatur, et inferior non sit. Unde et in alio psalmo dicit : « Ut quid suspicitis montes uberes? mons in quo beneplacitum est Deo habitare (*Psal.* LXVII, 17). » — « Super Libanum fluctus ejus. » Per Libanum, qui *candidatio* interpretatur, Jerusalem intelligitur, quæ inter alias civitates pulcherrima et nobilissima fuit. De qua Zacharias propheta ait : « Aperi, Libane, portas tuas, et devoret ignis cedros tuas (*Zach.* XI, 1). » Quia igitur iste mons in superbia sua stetit, et sicut cæteri montes Salvatori nostro humiliare se noluit, ideo super Libanum fluctus, tempestates, inundationes, ira et indignatio Dei descendit, et descendet. « Et florebunt de civi- « tate sicut fenum terræ. » Ipse Propheta sua verba exponit; et quem montem dixerat, civitatem vocat. Et florebunt, inquit, de civitate turpiter expulsi et violenter extracti, sicut fenum terræ, quod hodie est, et cras mittitur in clibanum.

« Et erit nomen ejus benedictum in sæcula. » Legamus in Evangelio, et audiamus benedictionem matris et Filii, « Benedicta tu, inquit, inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui (*Luc.* II, 42). » Hæc benedictio non habebit finem, sed permanebit in æterna sæcula. « Et ante solem permanebit no- « men ejus, et ante lunam sedes ejus (664). » Si ante hoc in loco tempus significat, non magnum est, quod dicitur; cum arbores et herbas ante solem fuisse legamus. Sic igitur intelligatur, ut superius dicitur. « Et permanebit cum sole, et ante lunam in sæculum sæculi. » Ubi Christus, ibi et nomen Christi. Est igitur nomen ejus cum sole, et ante solem, id est cum Patre et ante Patrem, hoc est in conspectu Patris; quia Pater et Filius relativa sunt, et sine

(663) S. Augustinus hunc locum habet, *et adorabunt de ipso semper*, ut in Vulgata legitur, *et orabunt de ipso semper*. Quod habet Græcus περὶ αὐτοῦ, aliqui interpretati sunt de ipso, aliqui pro ipso, vel pro eo. Quid est autem de ipso, nisi forte quod oramus, dicentes, *adveniat regnum tuum*, etc.

(664) Lectio Vatic. « Ante solem permanebit nomen ejus et ante lunam sedes ejus. »

Digitized by Google

se esse non possunt. Est autem et ante lunam sedes ejus, per quam Christi humanitas significatur, quem omnes sancti semper videre, et ante oculos habere desiderant. De hac autem sede dicitur : « Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum (*Isa.* LXVI, 1). »

« Et benedicentur in eo omnes tribus terræ. » Ipse enim est de quo ad Abraham Dominus ait : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXVI, 4). » Quod Apostolus exponit. « Non in seminibus dixit, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus (*Galat.* III, 16). » — « Omnes « gentes magnificabunt eum; » secundum illud : « Laudate Dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi (*Psal.* CXVI, 1). » Sed quomodo magnificabunt?

« Benedictus Dominus Deus, qui facit mirabilia « magna solus. » Ab omnibus igitur magnificatur Christus, a quibus psalmus iste cantatur; ipse solus facit mirabilia, quia et Pater, et ipse, et Spiritus sanctus, unus et solus Deus est, qui omnia operatur : « Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, « et in sæculum sæculi. » Quid est enim nomen majestatis ejus, nisi laus et fama, gloria et potentia ejus? per quam videlicet laudem evangelica prædicatio intelligi potest. « Et replebitur **453** majestate ejus omnis terra. » Hic est ille lapis abscissus de monte sine manibus, quem Daniel tantum crevisse dicit (*Dan.* II, 35), ut impleret universam terram. Hoc autem quia Propheta futurum adhuc esse videbat, rogat ut cito fiat, et præ nimia lætitia bis dicit, « fiat, fiat. »

PSALMUS LXXII.

DEFECERUNT LAUDES DAVID FILII JESSE. PSALMUS ASAPH (665).

Hoc quod dicit : « Defecerunt laudes David filii Jesse, » ad superiorem psalmum pertinet. Quod autem sequitur; « Psalmus Asaph, » sequentis psalmi titulus est. Sufficiat vobis (quasi dicat), usque nunc laudasse David filium Jesse; amodo autem laudate David filium Dei. Ecce natus est; nativitatem ejus secundum carnem, et laudes ejus magnas et præclaras in superiori psalmo prophetavimus, et prædicavimus. Restat nunc, ut omni tempore dicamus : « Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, et benedictum nomen majestatis in æternum, et in sæculum sæculi. Psalmus Asaph. » Asaph *congregatio* interpretatur, per quem Ecclesia intelligitur, de omnibus mundi hujus gentibus congregata (666), de qua hoc in psalmo dicitur : « Domine, in civitate tua imagines eorum ad nihilum rediges. »

« Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt « corde. » Vox Prophetæ est, vel Ecclesiæ Dei bonitatem et potentiam admirantis. Quam bonus, inquit, est Deus Israel; sed illis præcipue, qui recta et catholica cogitant, et ad falsas cogitationes et periculosas disputationes non transeunt. Torquentur namque corda hominum, quando aliter quam debent, vel de ipso Deo, vel de ejus dispositione, vel de rerum veritate sentiunt. Unde et subditur :

« Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi « sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus, « pacem peccatorum videns. » De cordis, et animæ pedibus, et gressibus loquitur, qui tunc quidem moventur et cadunt, quando homo contra Deum pro aliqua re murmurat, vel scandalizatur. Vidit iste, qui hæc loquitur, homines iniquos et peccatores, pacem et prosperitatem habere, et mundi hujus gloria et divitiis abundare; seipsum autem et alios Domino servientes penuriam pati, multisque adversitatibus terqueri; et cœpit illis invidere et similia desiderare. Neque hoc sibi justum esse videbatur, malis prospera, bonis vero adversa contingerent, atque ex hoc in eam, quam hic narrat, corruit tentationem (667). Sed in se reversus, considerans quæ bonis præmia sint præparata, et quæ pœna sit præparata malis, seipsum consolatus est, et pedes suos jam motos, et cadentes firmavit et stabilivit. Unde et subditur :

« Quia non est declinatio morti eorum, nec firma« mentum in plaga eorum. » Inde ergo pacem et prosperitatem, quasi dicat, abominatus est, et suæ sibi indigentiæ placuit, quia nulla via illis est, qua mortem æternam declinare et effugere valeant, et sic plagati et vulnerati sunt, ut nulla eis medicina subveniat. Firmamentum pro medicamine posuit, quia qui infirmi sunt, inde firmantur et sanantur.

« In laboribus hominum non sunt, et cum homi« nibus non flagellabuntur. » Ideo, inquit, non est declinatio morti eorum, quia in laboribus hominum non sunt. Boni labores, qui immortales homines faciunt; et boni homines, qui sic laborant ut immortales fiant. Hoc ipsum et de flagellis intelligamus, quibus apostoli « flagellati ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V, 41). » Nam et illa flagella bona sunt, quibus Dominus flagellat omnem filium, quem recipit.

« Ideo tenuit eos superbia eorum. » Simul enim cum divitiis, pace et prosperitate crescit superbia. « Operti sunt iniquitate et impietate sua. » Miseri, qui tales vestes et talia ornamenta habent; isti in convivio Dei esse non possunt, et quales sunt, tales in judicio apparebunt, et ipsa sua vestimenta eos abominabiles facient.

« Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. » — « Ex abundantia cordis os loquitur (*Luc.* VI, 45); » non est vacuum cor illud, unde tanta iniquitas procedit : diabolus ibi habitat, fons, et origo totius ini-

(665) Hic erat levita ex tribus primariis cantoribus constitutis a Davide in domo Domini.

(666) Haud aliter interpretatus est Cassiodorus hunc titulum, cujus mentem etiam in expositione psalmi secutus est Bruno.

(667) Querimonias refert eorum, qui de Dei providentia lamentantur.

Digitized by Google

quitatis. Unde et subditur : « Transierunt in dispo- « sitionem cordis. » Ad ea, inquit, facere transierunt, quæ in corde a diabolo disposita **454** fuerunt. Et hoc exponit.

« Cogitaverunt, et locuti sunt nequitias. » Illud peccatum majus est, quod meditatione et consilio fit. « Iniquitatem in excelso locuti sunt. » Isti sunt de quibus dicitur : « Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt (*Isa.* III, 9). » In excelso autem illi præcipue loquuntur, qui Deum blasphemant, eique detrahere non timent. Sicut ille insipiens, « qui dixit in corde suo : Non est Deus (*Psal.* XIII, 1); » et ut omnes illi, qui idola colebant, falsosque deos adorabant, de quibus adhuc subditur :

« Posuerunt in cœlum os suum. » Os suum ponere in cœlum, est contra ipsam divinitatem loqui. Quod gentiles quidem faciebant, qui non in cœlo, sed in statuis aureis et argenteis divinitatem quærebant. Hæretici quoque et Ariani in cœlum os suum posuerunt, qui de ipsa divinitate male disputantes, Filium a Patre dividere conati sunt. « Et lingua eorum transi- « vit super terram. » Si super terram transiit, quo ivit, nisi quia in cœlos ascendit? Unum igitur idemque significat : « Et posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transiit super terram (668). »

« Ideo revertetur huc populus meus. » Iverant isti quo non debuerant, et cogitaverunt quæ cogitanda non erant, quando zelantes in peccatoribus, eorum pedes moti sunt; sed quia non est declinatio morti eorum, ideo revertetur populus meus huc. Quid est huc? Ad sanam intelligentiam de qua modo loquimur. Magis eligemus nobis labores et indigentiam bonorum, quam pacem et affluentiam malorum. « Et « dies pleni invenientur in eis. » Dies pleni illi sunt, qui bonis omnibus abundant. Et tales post hanc vitam habebunt sancti, quando bonis omnibus in illa beatitudine superabundabunt.

« Et dixerunt : Quomodo scit Deus, et si est scien- « tia in excelso? Ecce ipsi peccatores, et abundantes « in sæculo obtinuerunt divitias. » Hoc est enim, quod modo dicebat : « Ideo revertetur populus meus « huc. » Multum enim alienati erant, quando hæc cogitabant et dicebant. Nonne audis, quia hoc dicebant : « Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, » quomodo obtinuerunt tantas divitias? Si Deus hoc scivit, et si hujus rei scientia apud Deum est? Hoc enim tale erat ac si dicerent : Nescit Deus quæ in hoc mundo fiunt : quoniam si sciret, hoc tam magnum malum fieri non permitteret. Talis autem disputatio, et cogitatio mala est, et Christianæ religioni multum contraria. Unde et subditur :

« Et dixi : ergo sine causa justificavi cor meum, « et lavi inter innocentes manus meas, et sine causa « fui flagellatus tota die, et judex meus in matutino. » Dolet mater Ecclesia de illis qui ea in cogitatione et disputatione fuerunt. Si, inquit, illa disputatio vera esset, et si in excelso scientia non fuisset, quid mihi prodesset tot et tanta pro Domino sustinuisse? Ergo sine causa justificavi cor meum, quod non solum opere, sed ipsa quoque cogitatione offendere timebam; et sine causa peccatorum consortia fugi, et inter innocentes manus meas et opera mea purificare studui, et sine causa ab impiis hominibus tot et tanta flagella sustinui, et sine causa judex meus, et durissimus atque nequissimus magister meus in matutino incipiens tota die quasi malum discipulum me verberabat, et ad suum errorem me trahere conabatur.

« Si dicebam, narrabo sic. » Ordo est : Dicebam : si narrabo sic, sicut isti, de quibus superius dictum est : ecce, subauditur, periit natio filiorum tuorum, quibus ista dicere disposui.

« Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante « me. » Ecce populus ejus, qui deviaverat, ad Ecclesiam reversus est, de quo modo superius dixerat. « Ideo convertetur populus meus huc. » Nunc autem contra eos loquitur, a quibus revertitur, et quorum persuasionibus in illam disputationem populus ille inductus fuerat. Et certe hæc talis disputatio non modicum ipsos quoque philosophos sollicitavit : Unde et quidam inter eos sapiens ait : Si Deus non est, unde bona? Si vero est, unde mala (669)? « Existimabam, inquit, ut cognoscerem. » Quid? « Quia non « est declinatio morti eorum, nec firmamentum in « plaga eorum. » Hoc autem ipsum cognoscere, labor est ante me, et nisi ad novissima eorum mentis oculum intenderem, nullatenus hoc cognoscere valerem. Et hoc est, quod dicit : « Donec intrem in sanctua- « rium Dei, et intelligam novissima eorum. » De hoc sanctuario Dominus ait : « Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum (*Matth.* VI); » per quod videlicet cordis secretum intelligimus. Quis enim videat potentes hujus sæculi bonis omnibus abundare, eosque non judicet esse felices? Solent enim homines dicere, **455** quod tales a Domino diligantur, et alio modo illa tanta bona habere et possidere non possent. Ac per hoc sola eorum novissima consideranda sunt. Unde et sequitur :

« Verumtamen propter dolos disposuisti eis mala : »

(668) Videnda est Augustini interpretatio, quam bene homines de se jactantes et superbe minantes contundat. « Non se cogitat, inquit, hominem subito mori posse, cum loquitur : quasi semper victurus, minatur; transcendit cogitatio illius terrenam fragilitatem : nescit quali vase coopertus est, » etc.

(669) Deum esse creaturæ omnes, quæ secundum dispositionem universi ordinis bonæ sunt, conclamant. Nulla autem ex sua natura mala est; nam Deus, inquit Moyses, *vidit cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona.* Neque officit, quod aliqua creata patiantur defectum, hoc est privationem boni; ex ipsa enim natura procedit, quæ non est summe bona, ut essentia divina per se indefectibilis et immutabilis. Sed infinita Dei sapientia per suam omnipotentiam malum convertit in bonum. « Neque enim, inquit Augustinus, Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut bene faceret et de malo. » Enchir. d. cap. 4. Vid. etiam De Civitat. Dei lib. XII, cap. 3 et 4.

Digitized by Google

quæ mala ? « dejecisti eos dum allevarentur. » Subito enim dum in majoribus prosperitatibus isti tales esse videntur, cadunt et moriuntur, et sine ullo misericordiæ respectu ad pœnas trahuntur. « Mortuus est dives, et sepultus est in inferno (*Luc.* XVI, 22). » Nemo igitur ante finem hæc talia cognoscere potest. Sed ipse finis omnia manifestat.

« Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt ; perierunt propter iniquitates suas, velut « somnium exsurgentis. » Cito transeunt omnia, quæ in hoc sæculo sunt, etsi longe esse videantur ; et sic sunt quasi somnium exsurgentis, qui antequam a somno evigilaret, magnas divitias se in somno habere videbat ; exsurgens autem nihil invenit. Sic autem et divites, mortis somno dormientes, quando evigilaverint, et resurrexerint, de illis suis tantis divitiis nihil reperient.

« Domine, in civitate tua imagines eorum ad nihilum rediges. » Civitas Dei Ecclesia est, in qua hæ divitiæ imaginariæ pro nihilo reputantur, quoniam ad veras divitias festinat. « Quia delectatum est cor « meum. » Delectatum quidem, non in divitiis supradictis, sed in te, in amore tuo, in divitiis spiritualibus. « Et renes mei resoluti sunt. » Renes, inquit, mei igne tuo, quasi cera resoluti sunt, et nullam in eis inimicus virtutem habet et potestatem. De quo alibi dicitur : « Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo illius in umbilico ventris ejus (*Job* XL, 11). »

« Et ego ad nihilum redactus sum, » secundum malorum hominum opinionem, qui me quasi mortuum et huic mundo inutilem per omnia esse judicant. « Et nescivi. » Quid est nescivi ? stultum et insipientem me ostendi, secundum hoc quod Apostolus ait : « Si quis videtur sapiens inter vos, stultus fiat, ut sit sapiens (*I Cor.* III, 18). » Pro stulto ab insipientibus habetur, qui mundi honores et divitias spernit, et carnis voluptatibus non obedit.

« Ut jumentum factus sum apud te. » Qui me ad hoc officium constituisti, ut aliis servirem, et aliorum onera ferrem. Unde Apostolus ait : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Galat.* VI, 2) : » Nam et Salvator noster, ut jumentum fieri dignatus est, qui ovem perditam super humeros posuit, et ad pascua reportavit. « Et ego semper tecum. » Semper cum Deo est, etsi in hoc mundo sit, qui ab ejus fide et dilectione non recedit.

« Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti « me. » Quæ est ista dextera, qua Ecclesia tenetur, et ducitur, et cum gloria assumitur ? Dextera nostra bona intentio est ; sinistra vero intentio mala. Unde et in Evangelio Dominus ait : « Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua (*Matth.* VI, 3). » Qui eleemosynam facit, et dextera, et sinistra eam facere potest, vel dare : dextera ille dat, qui bona intentione et in abscondito dat, ut a Deo videatur ; sinistra dat, qui mala intentione et pro vana gloria dat, ut videatur ab hominibus ; de quibus Dominus ait : quia « receperunt mercedem suam (*ibid.*, 16). » Dextera igitur, et non sinistra operatur Ecclesia, et ideo non immerito per dexteram a Domino tenetur, deducitur et cum gloria assumitur. Prophetarum est sic de futuris loqui, ac si jam facta sint, quia quæcunque vident, sine dubio ventura esse cognoscunt.

« Quid enim mihi restat in cœlo, et a te quid vo« lui super terram ? » Seipsum reprehendit, quia aliquid in terra habere voluit, cui tanta in cœlo gloria parabatur. Nulla sunt quæ in terra habentur, ad comparationem illorum quæ in cœlo possidentur.

« Defecit cor meum, et caro mea. » Eorum, quasi dicat, desiderio, quæ mihi in cœlo parantur. Jam cor meum et caro mea secundum priorem statum defecerunt, et non terrena, sed cœlestia quærunt. Unde et subditur : « Deus cordis mei, et pars mea Deus in sæcula. » Nullam, inquit, aliam partem volo, nullam aliam de omnibus quæcunque sunt, partem requiro ; Deus sit pars mea, et pars cordis, et totius desiderii mei per omnia sæcula.

« Quia ecce qui elongant se a te, peribunt. » Soli, inquit, illi vivent, qui te partem habent et tibi adhærent ; qui vero te fugiunt, sine dubio peribunt. « Perdes omnes, qui fornicantur abs te. » Qui sunt enim, qui fornicantur abs te, nisi illi qui se elongant a te ? Isti enim alios amatores quærunt, quibus se illicite conjungunt. Unde scriptum est : « Fornicatus est Israel post deos gentium (*Judic.* VIII, 27). » Magna fornicatio est, diabolo consentire, et de ipso filios habere. Omnia vitia et omnia peccata, diaboli progenies et semina sunt.

« Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere « in Deo meo spem meam. » Ego, quasi dicat, non me elongabo a Deo, non eum fugiam, non alium amatorem suscipiam, ei soli adhærebo, eique serviam, et omnem spem, et amorem meum in Domino ponam.

« Ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ « Sion. » Ecclesia est quæ loquitur (670), et sic de ipsa Ecclesia, quasi de alio loquitur. Ipsa est enim filia Sion, de qua 456 alibi dicitur : « Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem (*Zach.* IX, 9). » Si enim dixisset ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis meis, planius esset. Sed, sicut jam sæpe diximus, iste modus locutionis apud veteres frequentissimus est. Tale est enim et illud : « Deus, judicium tuum regi da (*Psal.* LXXI, 1), » ubi cum dicere debuisset ; « et justitiam tuam filio tuo ; » non tamen filio tuo dixit, sed « filio regis. » Sed quid per portas, nisi aures intelligamus ? Ipsæ enim sunt,

(670) Mire Augustinus, ejusque commentatio hisce diebus opportuna. In atriis filiæ Sion ; « quia prædicatio Dei, inquit, præter Ecclesiam inanis est. Parum est laudare Deum, et annuntiare omnes laudes ejus. In atriis filiæ Sion annuntia. Ad unitatem tende, noli dividere populum ; sed rape ad unum, et fac unum. »

Digitized by Google

quæ laudes Dei suscipiunt et audiunt, et quibus laudes Dei annuntiantur.

PSALMUS LXXIII.

INTELLECTUS ASAPH.

Asaph (671), ut supra dictum est, *Synagoga* interpretatur, et ipsa quidem est, quæ loquitur in hoc psalmo, et conqueritur, et plangit destructionem Jerusalem, quæ tempore Nabuchodonosor regis facta est (672).

« Ut quid repulisti nos Deus in finem. » Multoties quasi dicant, repulisti et afflixisti nos propter peccata nostra; sed nunquam sicut modo repulisti nos. Quid est enim repellere in finem, nisi ex toto repellere, et usque in finem? « Iratus est furor tuus « super oves gregis tui. » Quibus irasceris? Quibus tantam iram et indignationem ostendis? De grege tuo sumus oves et simplices, et imbelles, et sine fortitudine sumus, et sine tuo adjutorio tantæ potentiæ resistere non valemus.

« Memento congregationis tuæ, quam creasti ab « initio. » Ab initio enim simul cum aliis hominibus etiam hos creavit Dominus. Quamvis ab initio, a temporibus Abrahæ convenienter intelligi possit. Ab eo enim Judæorum populus et fidem, et circumcisionem accepit, ut Dei populus specialiter vocaretur.

« Liberasti virgam hæreditatis tuæ. » Quid per virgam, nisi sceptrum et correctionem? Quid vero per hæreditatem, nisi eumdem Judæorum populum intelligamus? Inde est quod per prophetam dicitur: « Ne læteris Philisthæa omnis tu, quia comminata est virga percussoris tui (*Isa.* XIV, 29). » Et alibi: « Væ Assur virga furoris mei (*Joan.* X, 5). » Fuit aliquando ille populus quasi virga in manu Dei, quia per ipsum omnes gentes in circuitu flagellavit et castigavit. Hunc autem multoties liberavit Dominus, prius quidem de Ægyptia servitute, postea vero de multis angustiis. « Mons Sion, in quo habitas. » Hæc inquiunt, hæreditas tua est, mons Sion, in quo te habitare promisisti, secundum illud. « Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion (*Psal.* LXXV, 3). » Quod autem ait: « in idipsum, » sic potest intelligi, ut simul et communiter in eo habitet cum aliis omnibus, qui cum eo sunt, ut per hoc et locum, et gentem quadam ratione defendere cogatur.

« Eleva manum tuam in superbiam eorum in finem. » Sic in hoc intelligitur in finem, sicut et superius, « ut quid repulisti nos Deus in finem. »

« Quanta malignatus est inimicus in Sanctis « tuis (673), et gloriati sunt, qui te oderunt in medio atrio tuo. » Multi sancti et boni tunc temporis ducti sunt in captivitatem, quamvis valde pauci essent ad malorum comparationem. Quomodo autem contra sanctos malignati sunt, et quomodo in mediis atriis gloriati, sequentia manifestant.

« Posuerunt signa sua, signa: et non cognove- « runt sicut in via super summum. » Quod autem bis dicunt signa sua signa, magni doloris indicium est. Posuerunt, inquiunt, signa sua, signa. Sed ubi posuerunt? supra summum. Hoc enim et hodie victores faciunt, et captis urbibus, supra summum, id est in turribus et locis sublimioribus signa sua ponere videmus. Qua in re et illorum gloria, et loci calamitas apertissime demonstratur.

« Et non cognoverunt, sicut in via (674). » Hæc est illa via quam Dominus fecit in mari Rubro, in qua periit Pharao cum omni exercitu suo, qui populum Dei per talem viam stultissime persequebatur. Et ipsi quidem cognoverunt. Quid cognoverunt? Dei omnipotentiam, et suam fatuitatem. Sed Chaldæi nihil tale cognoverunt, nullum signum viderunt; sed audacter et secure fecerunt quæcunque facere voluerunt.

« Quasi in silva lignorum securibus exciderunt ja- « nuas ejus in idipsum, bipenni, et ascia dejecerunt « eas. » In hoc ostendit secure eos sine reverentia circa sanctuarium se habuisse, dum ipsius templi valvas, quasi alia ligna securibus et aliis ferramentis exciderunt. Quod autem dicit, in idipsum, unam eamdemque voluntatem in 457 hoc opere tam nefario habuisse ostendit.

« Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra « polluerunt tabernaculum nominis tui. » Omnia hæc secundum litteram facta sunt, quæ tamen et spiritualiter intelligi possunt.

« Dixerunt in corde suo cognatio eorum inter se: « Venite, comprimamus omnes dies festos Domini a « terra. » Hæc una cogitatio, et voluntas omnium fuit, ut sic omnia destruerentur (675), ut nunquam solemnitates ibi amplius fierent, nec dies festi colerentur.

« Signa nostra non vidimus. » Sicut ab antiquis temporibus in tali eventu videre soliti sumus. « Jam « non est propheta » inter nos, qui veritatem dicere audeat. Ibi enim erat Jeremias, qui ideo in lacum missus est, quia veritatem eis nuntiabat. « Et nos « non cognoscet amplius. » Sic miseri homines dicere solent, quando in magnas veniunt calamitates, et quasi desperantes, penitus derelictos se a Domino esse dicunt.

« Usquequo Deus improperabit inimicus? irritat

(671) « Asaph Latine *congregatio*, Græce *Synagoga* dicitur. » Aug. in hunc titulum.

(672) Varia est, ut admonet Ven. Beda super hunc psalmum interpretum opinio. « Hieronymus contra Chaldæos cantatum putat; Cassiodorius contra Romanos, Arnobius contra Philisthiim, quando Ophni et Phinees sacerdotibus interfectis, arca Dei capta est. » Alii putant psalmum vaticinium esse eversionis Jerusalem in pœnam necis Christi Domini.

(673) Etiam contextus apud S. Aug. habet, *in sanctis tuis*. Vulgata autem, *in sancto*. Conformes vero sunt in his: « Et gloriati sunt, qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ. »

(674) Cod. Ghis. « Hæc via semper, et memorabilis est. »

(675) Id cod. *Et ad nihilum deducerentur.*

Digitized by Google

« adversarius nomen tuum in finem? » Quando in finem dicunt, magnas et multas blasphemias eos contra Dominum locutos fuisse ostendunt. Neque credendum est verbis pepercisse, qui manibus talia operabantur.

« Ut quid avertis faciem tuam. » Et tantas populi afflictiones non respicis? « Et dexteram tuam de « medio sinu tuo in finem? » Sinus Dei illa civitas fuit, in qua priusquam Deum offenderet, totius sapientiæ et scientiæ thesauri reconditi in lege et Prophetis continebantur. Ibi erant, et dextera Dei, tantaque ejus virtus et fortitudo, ut omnes in circuitu vinceret inimicos.

« Deus autem rex noster ante sæcula operatus est « salutem in medio terræ. » Huc usque Synagoga et populus Judæorum locutus est, suas deflens miserias et calamitates. Hinc Ecclesia loquitur, et de sua exsultat felicitate. Deus, inquit, rex noster modo quidem noster, et specialiter noster, sed Deus omnium ante sæcula operatus est salutem in diebus nostris in medio terræ. Quid est in medio terræ? In civitate Jerusalem, quæ in medio gentium sita est, sive in medio terræ, in utero virginis; sive in medio terræ, in assumpta humanitate; sive in medio terræ salutem operatus est, quia non unius gentis, sed omnium gentium hanc salutem voluit esse communem. Nunc ad ipsum Salvatorem convertitur, eique loquitur cætera quæ sequuntur.

« Tu confirmasti in virtute tua mare. » Hoc est illud mare de quo dicitur : « Hoc mare magnum, et spatiosum (*Psal.* CIII, 25), » per quod mundus iste significatur. Hoc autem confirmavit Dominus in virtute sua, ut jam non fluctuet, sicut prius, et quietum maneat, et super se Domino gaudenti, Domino gradienti se palpabile et calcabile præbeat. Mare ab amaritudine dicitur; sed Spiritus sancti gratia confirmatum et inunctum est, omnem amaritudinem in dulcedinem convertit.

« Tu contribulasti capita draconum super aquas. » Capita draconum vitia sunt et peccata, quæ, si succisa fuerint, maligni spiritus, qui per dracones significantur, quasi mortui et decollati nihil possunt. Hæc autem capita contribulavit Dominus super aquas, quia omnia vitia et peccata in baptismate delevit.

« Tu confregisti capita draconis magni. » Hic est ille magnus draco, qui in paradiso cum muliere locutus, eam seduxit, et de ligno vetito comedere fecit, ac per hoc peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, quia « invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24). » Sed hujus magni draconis caput, per quod originale peccatum significatur, Christi morte confractum est, ejusque sanguine deletum. Magnus draco, magnum habuit caput, quod magno malleo conterendum fuit. « Dedisti eum in escam populo Æthiopum, » ut vice versa ab illis devoretur, quos ipse prius devorare solebat. Devorare autem superare est. Per Æthiopes naturaliter nigros, peccatores significantur, qui aquis baptismatis regenerati et super nivem dealbati sunt (676).

« Tu dirupisti fontes, et torrentes. » Fontes et torrentes, legis et prophetarum, et utriusque Testamenti volumina intelliguntur; qui videlicet fontes prius clausi et obturati erant. Sed eorum venas Dominus aperuit, et arctissima vincula quibus claudebantur dirupit et aquarum ex eis affluentiam emanare jussit. Hinc est enim, quod Joannes apostolus, cum videret librum septem sigillis signatum, multumque fleret, eo quod nullus dignus ad librum aperiendum inveniretur, dictum est ei : « Ne fleveris, quia ecce venit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, et solvere septem signacula ejus (*Apoc.* V, 5). » Aperire igitur librum, quid aliud fuit, nisi id quod hic dicitur. « Tu dirupisti fontes et torrentes. Tu siccasti fluvios Ethan. » Ethan *fortis* interpretatur, per quem diabolus intelligitur, de quo in Evangelio Dominus ait : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt 458 ea, quæ possidet (*Luc.* XI, 21). » Sed quid per fluvios ejus, nisi omnes hæreticorum libros, et omnia dogmata impietatis intelliguntur? Hos autem desiccavit Dominus, qui in multis conciliis, per Ecclesiæ doctores, omnes hæreses destruxit. Et bene quidem conveniens fuit, ut fluvios Ethan desiccaret, qui Ecclesiæ fontes et torrentes aperuit.

« Tuus est dies, et tua est nox. » Legitur in Genesi, quia « divisit Deus lucem a tenebris, vocavitque lucem diem, et tenebras noctem (*Gen.* I, 5). » —« Et fecit tunc duo magna luminaria, solem scilicet et lunam; luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti (*ibid.*, 16). » Dies igitur Christianos, et nox Judæos significat. Et quidem diei præest luminare majus, nocti vero minus. Luminare autem majus Novum Testamentum est, cujus claritas et doctrina, ad solis similitudinem, totum mundum illuminavit. Minus vero luminare, Vetus Testamentum est, quod quasi in nocte sic super Judæos pallescit et tenebrescit. Unde et Apostolus ait : « Nam neque clarificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam (*II Cor.* III, 10). » Tanta est enim claritas Novi Testamenti, ut Veteris Testamenti claritas pro tenebris habeatur. Utrumque tamen Testamentum unum est, et utrumque clarum et splendidum est, si spiritualiter intelligatur : Quod igitur ait : « tuus est dies, et tua est nox; » tale est, ac si diceret, et Christiani et Judæi, et illuminati et cæci, et boni et

(676) Post hanc expositionem, quæ eadem est apud sanctum Augustinum hæc opportune admonet S. Doctor. « Fratres, obsecro, intendite : cum magna voluptate audiuntur, quæ auditæ etiam in orbe ternarum cognoscuntur. Hæc quando dicebantur, non fuerunt; quia tunc promittebantur, non reddebantur : nunc vero qua voluptate afficimur, cum ea, quæ prædicta legimus in libro, compleri videmus in mundo? »

Digitized by Google

mali tui sunt, quia tu fecisti omnes; et uno rectoque judicio judicabis omnes.

« Tu fecisti solem et lunam. » Dictum est modo quid per solem et quid per lunam significetur. Miseri Manichæi, qui alium Deum Novi Testamenti, et alium Veteris esse dicebant. Ecce enim Salvator noster utrumque Testamentum hoc in loco fecisse dicitur.

« Tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem et « ver, tu fecisti ea. » Nihil est enim quod Christus non fecerit, quia ipse est per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Placuit tamen Ecclesiæ sive Prophetæ hæc singulariter enumerare, ut in his ita expositis, ejus omnipotentiam exaltaret. Possumus tamen per æstatem et ver perfectos et imperfectos intelligere, quorum alteri ferventissimo Spiritus sancti igne succensi sunt; alteri vero eidem igni appropinquant, et jam proximi sunt.

« Memor esto hujus creaturæ tuæ. » Divinitati loqui videtur, et eam quam assumpsit humanitatem ei commendat, quam ideo creaturam vocat, ut verus Deus et verus homo Salvator noster esse credatur. Et valde conveniens erat, ut qui tanta de potentia divinitatis ejus usque nunc locutus fuerat, de humanitate quoque aliquid diceret, atque illis hæreticis occasionem tolleret, qui eum non hominem, sed Deum tantum esse credebant (677). « Inimicus improperavit Domino, et populus insipiens « exacerbavit nomen tuum. » Ideo, inquit, hujus creaturæ tuæ memor esto, quia humani generis inimicus diabolus, et simul cum eo Judæorum populus insipiens multum ei adversabitur. Prophetarum autem est, pro futuris præterita ponere, multa enim impropria Domino isti in Evangelium intulisse opponunt. Nam et ipse diabolus ad hoc usque tentando pervenit, ut ad se adorandum eum invitaret.

« Ne tradas bestiis animas confitentes tibi; et « animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. » Nunc autem pro illis omnibus orat, contra quos post Christi passionem omnes bestias insurgere conspicit. Per bestias autem malignos spiritus, hæreticos, et tyrannos intelligere debemus. De quibus Apostolus ait : « Quid mihi prodest quod ad bestias pugnavi Ephesi, si mortui non resurgunt? » (*I Cor.* xv, 32). Et revera crudelissimæ bestiæ omnes isti sunt, qui non solum corpora, sed animas quoque perdere nituntur. Quid significet « in finem » sæpe jam diximus.

« Respice in Testamento tuo, quia repleti sunt, « qui obscurati sunt terræ domorum iniquitatum. » Respice, inquit, in Testamento tuo, per quod Ecclesiam intelligimus, quæ ipsum Testamentum suscipere meruit, et propter ipsum multas patitur tribulationes. Et valde quidem necessarium est ut eam respicias. Quare? « Quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domorum iniquitatum. » Non fuit eis sufficiens, ut iniquitatum pleni essent, nisi ipsas iniquitatum domos in se suscepissent. Domus iniquitatum maligni spiritus sunt, quia omni malitia et iniquitate pleni sunt. Repleti sunt igitur domorum iniquitatum illi, qui obscurati sunt caligine terræ, per quos Judæi et hæretici, omnes homines iniqui significantur, qui terreni erroris caligine obscurati et excæcati sunt, ut veritatis lumen videre non valeant. Respice itaque in Testamento tuo, quia omnes isti ad hoc intendunt, ut illud deleant, et destruant.

« Ne avertatur humilis factus confusus. » Iste humilis unusquisque fidelis est, qui tunc quidem fugaretur et averteretur, si Testamentum sibi datum defendere non valeret; quod nimirum, quod absit, ad magnam confusionem sibi contingeret. « Pauper « et inops laudabunt nomen tuum. » Per pauperem et inopem, eumdem ipsum humilem significat. Et pauper quidem est, 459 qui nihil habet; inops vero qui quamvis sine opibus sit, pro naturæ tamen necessitate aliquid habet.

« Exsurge Deus, judica causam tuam. » Exsurge, inquit, Deus in adjutorium servis tuis, et tu ipse defende, et judica causam tuam, quam isti malitiosi suis argumentationibus destruere conantur. « Memor esto improperiorum tuorum, eorum dico, « quæ ab insipiente sunt tota die. » Quanta mala, et quam nefanda Judæi et hæretici dicunt contra Christum, si tamen est locus, ubi dicere audeant.

« Ne obliviscaris vocem quærentium te. » Ne obliviscaris, inquit, voces eorum qui te quærunt, sed exaudi et libera eos de omnibus angustiis suis, sicut digni sunt. Similiter autem et superbia eorum ascendat semper ad te, ut eam semper videas, semper de eis vindictam suscipias, et nunquam talis mali obliviscaris.

PSALMUS LXXIV.

IN FINEM NE CORRUMPAS. PSALMUS CANTICI ASAPH (678).

Ad finem referatur iste psalmus, id est ad Christum; quod autem dicitur ne corrumpas, multis modis intelligi potest. Veluti ne corrumpas tituli inscriptionem; vel ne corrumpas aliquam Scripturam, quod Judæi facere solent. Vel ne corrumpas teipsum, sive ne facias aliquam illicitam corruptionem. Asaph autem *Synagoga* interpretatur. Bona Synagoga est ista quæ Deum laudat, ejusque mirabilia narrat.

« Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi, et

677) Hæretici asserentes Verbum divinum specie tenus assumpsisse naturam humanam fuerunt Marcionitæ, Manichæi, Priscillianistæ, et ante eos Simon Magus, et ejus discipuli, quos perstringit S. Jo. I, Ep. c. 4, eosque solventes Christum, id est separantes naturam humanam a divina, antichristos vocat.

(678) « Asaph, ut sæpe diximus, interpretatur *Synagoga* : illa, quæ utique credidit, non quæ obstinata permansit : nam post resurrectionem Domini confessa legimus multa millia Judæorum, quos Asaph iste nunc admonet, ne fidem suam corrumpant in finem, id est in Dominum Salvatorem. » Beda. Haud aliter sensit de tituli hujus interpretatione Cassiodorius, cujus etiam verba usurpavit Beda.

Digitized by Google

« invocabimus nomen tuum. » Promittit Synagoga et universaliter in omnibus, et singulariter in unoquoque Salvatorem nostrum se laudare, ejusque nomen invocare, ac omnia ejus mirabilia percensere. Sic enim et Moysi quondam populum dixisse legitur : « Omnia quæcunque præcepit nobis Dominus, faciemus (*Exod.* XIX, 8); » et tamen non fecerunt. Sed non videntur offendere, qui ista promittunt, quoniam secundum suam intentionem alios judicant, et hoc est in eorum voluntate, ut omnes alii similiter faciant. Bonam enim voluntatem habebant illi, qui dicebant : « Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel, hosanna in excelsis (*Matth.* XXI, 9). » Et hoc erat in desiderio illorum, ut alii quoque eum laudarent et benedicerent. Nunc autem sequentia videamus.

« Cum accepero tempus, ego justitiam judicabo. » Hæc autem loquitur Salvator noster, et ad superiora respondet. Ego, inquit, cum accepero tempus justitiam judicabo, et unicuique secundum merita dabo, et eos qui me confitentur, et meum nomen invocant, et mirabilia mea prædicant, dignis muneribus remunerabo. Hoc autem erit in judicio, quando et boni, et mali omnes astabunt ante tribunal Christi. Et ibi quidem erit Asaph, ibi erit tota Synagoga, ibique a se dividentur, et qui Christum confessi sunt et laudaverunt, et qui eum negaverunt.

« Liquefacta est terra, et omnes inhabitantes in « ea. » In eo quod terra, ejusque habitatores liquefacti esse dicuntur, sine viribus, sine fortitudine, sine propria figura et pulchritudine esse monstrantur. « Ego confirmavi columnas ejus. » Columnæ totius terræ apostoli sunt et doctores : Has autem columnas confirmabat Dominus quando dicebat : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 28). » Et : « Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente (*II Reg.* X, 12). » Et : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). » Bene confirmatæ sunt istæ columnæ, totam terram portare, et sustinere valent; multi tamen sunt qui super eas ascendere nolunt.

« Dixi iniquis : Nolite inique agere, et delinquen- « tibus : Nolite exaltare cornu. » Hoc enim dixit Dominus per legem, per prophetas, Isaiam nempe, Jeremiam et Ezechielem, per ipsos psalmos, et per utriusque Testamenti Scripturas. Hoc et per apostolos dixit, et per episcopos, et sacerdotes quotidie dicit; attamen impii inique agere non cessant, et delinquentes suæ potestatis et iniquitatis cornua exaltant. Per cornua iniquorum omnis eorum virtus et fortitudo figuratur.

« Nolite extollere in altum cornu vestrum. » Hoc autem exponit : « Et nolite loqui adversus Deum « iniquitatem. » Adversus Deum iniquitatem illi loquuntur, qui de ipsa divinitate disputantes perversa dogmata introducunt. Hoc fecit Arius, hoc Manichæi, multique alii perditionis filii. Nam et Judæi adversus Deum iniquitatem locuti sunt, quando contra Salvatorem « Crucifige » clamarunt.

460 « Quia neque ab oriente, neque ab occi- « dente, neque a desertis montibus, » est vobis, subauditur, via evadendi. Omnes mundi terminos posuit, quia per montes desertos et inhabitabiles, australis et septentrionalis plaga designatur; nemo enim effugere poterit judicium Dei. De quo et subditur : « Quoniam Deus judex est. » Sed quomodo judicat. « Hunc humiliat, et hunc exaltat. » Deponit potentes de sede et exaltat humiles : eos humiliat, qui juste humiliandi sunt; eos exaltat, qui merito exaltandi sunt. In potestate illius est, et humiliare et exaltare quos vult; hanc autem potestatem nullus alius habet. Et hoc ideo, quia :

« Calix in manu Domini vini meri plenus est mi- « sto, et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fæx « ejus non est exinanita. » Calix iste in manu Domini mensura retributionis est. Et bene in manu Domini esse dicitur, quia in manu et potestate illius est, reddere unicuique secundum opera sua. In hoc autem calice merum et purum vinum, et mistum vinum simul cum fæce continetur. Et alii quidem merum vinum, alii mistum, alii vero fæcem de hoc calice bibunt. Dicendum est igitur, qui sunt illi qui merum, et qui mistum, et qui fæcem bibunt. Merum autem illi bibunt, qui de hac vita exeuntes, nihil in se habent quod puniatur. Mistum vero illi peccatores, qui pœnitentiam ex corde suscipiunt. Unde scriptum est : « Peccator quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 11). » Isti enim, ut Apostolus ait, salvabuntur quidem, sic tamen « quasi per ignem. » Salvati autem per ignem, quid est, nisi bibere vinum mistum? Fæcem autem illi peccatores bibunt, qui usque in finem in sua malitia perseverant. De quibus Apostolus ait : « Secundum duritiam autem tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 5). » Quod autem ait : « Et inclinavit ex hoc in hoc; » ad magnam Dei misericordiam spectat, qui de vino mero in mistum vinum tantum inclinat, ut bibentes non pereant, et pœnitentiæ remedium et pœnam tolerare valeant. Fæx autem non minuitur, quia valde plures sunt illi qui fæcem bibunt, quam sint omnes illi, qui merum vinum bibunt et mistum. Unde et subditur :

« Bibent omnes peccatores terræ. » Fæcem videlicet, quæ semper sic abundat, ut non minuatur, per quod intelligitur quia pœna malorum nullum finem habebit. Sic enim in alia translatione legitur. Quod vero in ista dicitur, « ex eo, » de calice intelligitur. De calice vero peccatores in sua malitia perseverantes, sicut superius diximus, nihil aliud, nisi fæcem bibent.

« Ego autem in sæcula gaudebo, cantabo Deo Ja- « cob. » Illi, quasi dicat, neque gaudere, neque cantare poterunt, qui omnium tormentorum fæcem indeficienter, quotidie et sine fine bibent. Ego au-

Digitized by Google

tem et fideles mei in sæcula gaudebo, et cantabo Deo Jacob, et ineffabilis suavitatis dulcedine eos inebriabo. Hinc est enim, quod alibi dicitur : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* xxxv, 7). »

« Et omnia cornua peccatorum confringam, et « exsultabuntur cornua justi. » Dicimus per cornua potentiam et fortitudinem significari ; quoniam boni tunc fortes erunt atque potentes, mali vero miseri erunt, et per omnia infelices.

PSALMUS LXXV.

IN FINEM IN LAUDIBUS PSALMUS ASAPH, CANTICUM AD ASSYRIOS (*IV Reg.* XIX).

Legitur de Sennacherib rege Assyriorum, cum venisset ad obsidendam Jerusalem, quod angelus Domini una nocte percussit de Assyriis centum octoginta quinque millia. In laudibus igitur tantæ victoriæ cantat Asaph canticum istud ad Assyrios, id est contra Assyrios. Sed quia dixit in finem, ea quæ secundum litteram facta sunt, ad Ecclesiam spiritualiter referenda esse ostendit.

« Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen « ejus. » Totus enim mundus erat in errore, et idolis serviebat, quando sola Judæa veri Dei cognitionem habebat. Unde et merito hic dicitur : « Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. » Sed quia Judæa *confessio*, Israel vero *vir videns Deum* interpretatur ; per Judæam Ecclesia significatur, quæ sola ex cunctis gentibus Deum confitetur et laudat. Per Israel vero, populus Christianus, qui solum verum Deum cognoscit et adorat.

« Et factus est in pace locus ejus, et habitatio « ejus in Sion. » Jerusalem *visio pacis* interpretatur, et est ille locus de quo modo dicitur : « Factus est in pace locus ejus, » quoniam ibi a Salomone ædificatum est templum. Differunt autem Sion et Jerusalem, quod Jerusalem tota civitas, Sion vero sola arx et fortitudo vocata est. De qua dicitur : « Cepit David arcem Sion (*I Par.* xi, 5). » Utraque autem sanctam Ecclesiam significat, in qua Salvator noster rex et pontifex a Domino constitutus ait : **461** « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini (*Psal.* xi, 6). »

« Ibi confregit cornu, arcum (679), scutum, gla- « dium, et bellum. » Hoc autem secundum litteram illud est quod modo diximus, quia percussit angelus Domini de Sennacherib centum octoginta quinque millia. Et tunc quidem totum illorum bellum confractum et dissipatum est. Hoc quoque in Ecclesia quotidie fit, et omnia arma diabolicæ artis, totumque ejus bellum quotidie a pluribus franguntur et dissipantur. Cornua diaboli illa sunt quæ alios vocant, et ad prælia concitant. Arcus autem, hæretici et fraudulenti, qui bonos in occultis sagittant et vulnerant. Scuta vero omnes illorum argumentationes, vel quæcunque alia sunt, quibus se contra veritatem defendunt. Per gladium autem illos intelligimus, qui manifesta persecutione contra Ecclesiam sæviunt.

« Illuminans tu mirabiliter. » Tu, inquit, mirabiliter illuminans Ecclesiam tuam, confregisti in ea omnia illa quæ superius dicta sunt. Mirabilis illuminatio est, quam Spiritus sanctus operatur. Hoc autem apostoli probaverunt, qui tam subito tales facti sunt, quibus ipsi philosophi resistere non valerent. Unde ipse Dominus ait : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* xxi, 15). » — « A montibus æternis turbati sunt omnes insipientes corde. » Æterni montes apostoli sunt et doctores. Ab his autem conturbati sunt philosophi, hæretici, omnesque alii ore et garrulitate sapientes ; corde vero insipientes, cum eorum sapientiæ et rationibus respondere non possent.

« Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt « omnes viri divitiarum in manibus suis. » Sed unde iste tam validus somnus ? « Ab increpatione « tua, Deus Jacob, dormitaverunt, qui ascenderunt « equos. » Si de Assyriis intelligatur, manifestum est quia et seipsos et omnia sua subito amiserunt, gravissimo somno dormientes, et nunquam postea evigilantes. Illi quoque qui per eos significati sunt, et qui similiter populum Dei et sanctam Ecclesiam persequuntur, quotidie dormientes et morientes, et seipsos et sua omnia perdunt, et nihil suarum divitiarum invenient. Hoc autem fit ab increpatione Dei, qui unicuique illorum assidue in Evangelio dicit : « Stulte, hac nocte anima tua rapietur a te, quæ autem parasti cujus erunt ? » (*Luc.* xii, 10). Per equos autem omnia illa significantur, quibus potentiores et fortiores homines fiunt. Sic dicere solemus, super bonum equum aliquem sedere, quem vel divitiis, vel honore, vel aliqua magna re præditum videmus.

« Tu terribilis es, et quis resistet tibi, extunc ab « ira tua ? » Ideo, inquit, ab increpatione tua dormierunt, qui ascenderunt equos, quia tu terribilis es, et nemo tuæ voluntati resistere valet extunc ab ira tua. Quod ipse dixit extunc, hoc exposuit dicendo ab ira tua. Statim enim ut irascitur, necesse est, ut omnes illi superentur et cadant, contra quos ipse irascitur. Unde et subditur : »

« De cœlo judicium jaculatum est, et confestim « terra tremuit, et quievit (680). » Statim, inquit, ut judicium de cœlo jaculatum est, et sententia a sede tua processit, statim factum est quod fieri jussisti. Securi, inquit, Assyrii erant, et nihil timebant, et subito in cœlis data est sententia, et statim omnes ab angelo interfecti sunt. Et hoc est quod dicit : « Terra tremuit et quievit. » Terram vero eos vocat, qui sub una hora et tremuerunt et quieverunt. Qua in re tam repentinam cladem illam fuisse ostendit, ut vix eis timere et dolere licuisset. Sic factum est

(679) In Vulgata legitur « potentias arcuum, » apud Augustinum « fortitudines arcuum. »

(680) Lectio Vulgatæ : « De cœlo auditum fecist judicium : terra tremuit, et quievit. » Alia est apud Augustinum, « De cœlo jaculatus est judicium : terra tremuit, » etc

Digitized by Google

et in Pharaone, qui cum secure per medium maris Rubri Dei populum persequeretur, judicium de cœlo jaculatum est, et statim cum omni exercitu suo in profundum demersus est. Et multa alia in divinis Scripturis reperire poterit, qui ea quærere voluerit. « Dum exsurgeret in judicium Deus, ut salvos face- « ret omnes quietos terræ (681). » Tunc, inquit, contra Assyrios fecit ea Deus quæ modo dicta sunt, dum exsurgeret in judicium adversus eos, qui longo tempore superbiam eorum sustinuerat. Surrexit tandem, ut salvos faceret omnes quietos terræ, per quos omnes illos intelligimus, qui in Jerusalem clausi tenebantur. Ibi enim tunc erat Isaias propheta, et rex Ezechias, et multi alii viri religiosi. Audiamus itaque Apostolum dicentem : « Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correctionem nostram (*I Cor.* x, 11). » Redeant peccatores ad pœnitentiam, et ne tardent converti ad Dominum, ne judicium de cœlo jaculetur, quia jam securis ad radicem arborum posita est. Gaudeant et quieti terræ, quia ad hoc surgit Dominus quotidie in Judicio, ut salvos faciat omnes quietos terræ. De quibus subditur : « Quia cogitatio hominis confite- « bitur tibi. » Ideo, inquit, salvat Dominus quietos terræ, quia cogitatio quieti hominis eum laudat et confitetur. Unde ipse ait : « Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos (*Isa.* LXVI, 2). » — « Et « reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi. » Reliquiæ cogitationum, **462** bonæ cogitationes intelligi possunt, quæ aliis bonis cogitationibus sine intermissione succedunt. Et hæ quidem agunt Domino diem festum, quia sine his nulla festivitas Deo acceptabilis est. De bonis namque cogitationibus bona opera originem habent; sicut econtra de malis mala opera oriuntur.

« Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes « qui in circuitu ejus affertis munera. » Vos, inquit, qui in civitate clausi estis, et circa templum habitatis; in quo eum esse non dubitatis, et qui quotidie ei sacrificia et munera offertis, ut vobis eum propitium et placabilem faciatis, vovete vota vestra, et reddite ea Domino Deo vestro. Qui in aliquo peccato est, dimittat illud, et voveat esse bene facturum. Vobiscum est prophetarum maximus Isaias, audite eum dicentem : « Quiescite agere perverse, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, et defendite viduam (*Isa.* I, 17). »

« Terribili et ei, qui aufert spiritum principum, « terribili apud reges terræ. » Vovete, inquit, Domino Deo vestro, Domino forti, atque terribili, qui tam subito aufert spiritum principum, et qui tam terribilis est apud reges terræ. Neque dubium est in illo exercitu multos reges, ac principes fuisse, simulque cum aliis periisse. Hæc autem omnia secundum litteram vera sunt, quæ ad spiritualem intelligentiam facillime et convenienter trahi possunt. Sed nos titulum secuti sumus, qui ad Assyrios scriptus est.

PSALMUS LXXVI.

IN FINEM : PRO IDITHUN PSALMUS ASAPH (682).

Perfectorum sunt illi psalmi, quorum titulus ponitur Idithun, qui *transiliens cæteros* interpretatur. Et hoc quidem jam in aliis psalmis expositum est.

« Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad « Deum, et intendit mihi. » Voce, inquit, mea, per meipsum voce interioris hominis, tota mentis intentione clamavi ad Dominum, vox mea ad Dominum ivit, et in aures ejus introivit, sicut alibi dicitur : « Et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures « ejus (*Psal.* XVII, 7). » Et Dominus intendit mihi. Quid est autem et intendit mihi, nisi exaudivit me? Sic igitur oret, qui exaudiri desiderat.

« In die tribulationis meæ, Deum exquisivi mani- « bus meis. » In die, inquit, tribulationis meæ, exquisivi Dominum, qui adjutor est in opportunitatibus, in tribulatione. Sed quomodo quæsivi? « manibus meis. » Plus est manibus Dominum quærere, quam ore. Illi manibus Dominum quærunt, qui bene operando ad eum venire contendunt.

« Nocte coram eo, et non sum deceptus. » Non decipiuntur qui nocte Dominum quærunt, et in tribulationibus quærunt : « Quia juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde (*Psal.* XXXIII, 19) » — « Multæ tribulationes justorum, et de his omnibus liberabit eos Dominus (*Psal.* VII, 20). » Nam et Propheta nocte se Deum quæsivisse ostendit : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi (*Psal.* CXVIII, 62). » Itemque : « In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum (*Psal.* CXXXIII, 1). »

« Noluit consolari anima mea. » Cum, inquit, in tribulationibus essem, multos habui consolatores, quorum consolationes noluit recipere anima mea. Sic beatus Job suis consolatoribus ait : « Consolatores onerosi omnes vos (*Job.* XII, 2). » Sic et « Rachel plorans filios suos noluit consolari, quia non sunt (*Matth.* II, 18). » Carnalis igitur erat ista consolatio, quam vir iste sanctus recipere noluit : « Memor fui Dei, et delectatus sum (*Psal.* LXXVI, 1). » Memor, inquit, fui Dei, qui « seipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philip.* II, 7), » et tantas pro nobis omnibus sustinuit tribulationes; et delectatus sum in tribulationibus meis : « Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). »

« Exercitatus sum, et defecit paulisper spiritus « meus. » In tali exercitio fuerat Apostolus, qui ait : « Nolo vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia, quia supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam

(681) Alia lectio in Vulgata *omnes mansuetos terræ;* alia apud Augustinum *omnes mites corde.*

(682) « Asaph interpretatur *congregatio.* Loquitur hic ergo congregatio transiliens, ut perveniat ad finem, qui est Christus Jesus. Quæ sint igitur transilienda, ut ad illum finem pervenire possimus, psalmi textus ipse demonstrat. » S. Aug.

Digitized by Google

vivere (*I Cor.* I, 8). » Defecerat utique paulisper spiritus ejus, quem tædebat etiam vivere. Sic igitur sancti martyres in agone suo multoties exercitabantur, ut spiritu paulisper deficiente, de hac vita exire optarent.

« Anticipaverunt vigilias oculi mei. » Mirum non erat, si dormire non poterat, qui in tali exercitio erat, præsertim cum Dominus dicat : « Vigilate, quia nescitis diem, neque horam (*Matth.* XXV, 13). » Vigilabat utique et mortem potius quam vitam optabat, quia satis ipsa morte duriora erant tormenta, quæ sustinebat. Unde et subditur : **463** « Turbatus sum, et non sum locutus. » Quomodo enim turbari non poterat, tot tantisque angustiis undique circumseptus? Sed in hoc ejus perfectio comprobatur, quia locutus non est, et patienter omnia sustinuit, Salvatoris nostri exempla secutus, qui « sicut agnus ad victimam ductus non operuit os suum (*Isa.* LIII, 7). »

« Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in « mente habui. » — « Cogitavi, inquit, dies antiquos, » et inveni quod omnes, qui pie volunt vivere in Christo, necesse est ut persecutionem patiantur (*II Tim.* III, 12) ab impiis et his similibus. Sic Abel, sic Abraham, sic Moyses, sic David et sic alii sancti sustinuerunt. « Et annos æternos in mente habui (683). » Et cognovi, et vidi quia sanctorum gloria erit in æternum, et malorum tormenta finem non habebunt. Hanc considerationem debent habere omnes boni, et hanc in suis angustiis suscipere consolationem. Unde adhuc subditur :

« Et meditatus sum nocte cum corde meo, exer- « citabar, et ventilabam in me spiritum meum. » Hæc, inquit, in nocte cogitabam, hæc in corde meo tractabam, hoc erat exercitium, et studium meum, et in hac tam nobili meditatione ventilabam spiritum meum. Egregie dictum est, ventilabam, ut spiritus ejus, qui ex indignatione succensus fuerat, ex hac meditatione tam delectabili refrigerium caperet.

Et dixi : « Nunquid in æternum projiciet Deus? aut « non apponet, ut beneplacitum sit ei adhuc? aut in « finem misericordiam suam abscindet a sæculo et ge- « neratione? Nunquid obliviscetur misereri Deus, aut « continebit in ira misericordiam suam? » Ecce qui ab aliis noluit consolari, modo seipsum ipse consolatur, et sub interrogatione ea confirmat quæ quasi negative dicere videtur. Et tale est ac si diceret : Putant stulti quod nos Dominus projecerit, et quod nimirum iratus ulterius nobis non miserebitur. Sed non est ita. Cito se placabilem ostendet, qui nunc implacabilis esse videtur; neque ut ipsi putant, abscindet misericordiam suam usque in finem, et ab hoc sæculo, usque ad futuram generationem. Unde et subditur :

« Et dixi : Nunc cœpi. » Quid est nunc cœpi? Nunc cognovi et intellexi, quia nunquam Deus deseret sanctos suos. In præteritis, quasi dicat, cognoscitur, quid in his quæ futura sunt facturus est Dominus. Et hoc est quod ait : « Hæc est mutatio dexteræ « excelsi. » Quæ? « Quia memor fui operum Domini, « et quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, « et quia meditatus sum in omnibus operibus tuis, « et quia in observationibus tuis me exercebo. » Totum hoc, inquit, est immutatio dexteræ excelsi; et totum hoc operatur dextera Domini, ut homo sic mutetur de primis in novissima, et de novissimis in prima, et sic memor fiat et recordetur operum Domini et mirabilium ejus. In hac enim tali commutatione et meditatione cognoscunt sancti et bonorum præmia et malorum supplicia; et hoc quidem tribuit eis non modicam consolationem. Nota hic, quomodo inter se commutat præterita et futura. Memor fui, inquit, et memor ero : et meditatus sum et meditabor. Semper mirabilia Dei in memoria habenda sunt, semper ejus opera meditanda sunt et semper in ejus mandatis et observationibus nos exercere debemus.

« Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut « Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia solus. » Nunc Dei mirabilia narrare incipit, sicut modo superius se facturum esse promisit, dicens : « Quia me- « mor ero ab initio mirabilium tuorum. » Omnis via Dei est in sancto, quia nunquam a sanctitate et justitia recedit. Possumus autem per sanctum ipsum Dei Filium intelligere, qui de seipso ait : « Ego sum via, veritas, et vita (*Joan.* XIV, 6). » Et in ipso quidem est via Dei, quia « omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). »

« Quis Deus magnus sicut Deus noster? omnes « dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. » Et ipse solus facit mirabilia, quia quæcunque omnes alii faciunt, si tamen bona sunt, quæ faciunt, non a se, sed ab ipso faciunt.

« Notam fecisti in populis virtutem tuam. » Quam virtutem? « Liberasti in brachio tuo populum « tuum filios Israel, et Joseph. » Hæc est virtus qua de Ægyptia servitute populum suum Dominus liberavit; cunctis populis et nationibus nota facta est, quia valde gloriosa et sine fine memorabilis est. Sed non minus illa quoque laudabilis est, qua in brachio suo, id est per filium suum omne hominum genus de diaboli servitute Dominus liberavit; hæc enim in illa significata est, et uno eodemque brachio hæc et illa facta est. Quod autem dicit « filios Israel, et filios Joseph, » sic videtur esse dictum, sicut illud in Evangelio : « Ite, dicite discipulis ejus, et Petro (*Marc.* XVI, 7). » Nam et Petrus unus de discipulis erat, sicut et Joseph unus fuit de filiis Israel. De Petro quidem manifesta ratio est, quare nomine vocatus fuerit. De Joseph vero quid aliud intelligere debemus, nisi quia omnes alii gratia Patris liberati sunt, Joseph vero quia sua

(683) « Qui sunt anni æterni? inquit Augustinus, magna cogitatio. Videte, si vult ista cogitatio nisi magnum silentium! Ab omni forinsecus strepitu, ab omni humanarum rerum tumultu intus requiescat, qui cogitare vult annos istos æternos. »

Digitized by Google

ipsius merito liberatus est? Per hos autem, omnes Christianos intelligere debemus, unum Deum videntes et cognoscentes, et in fide et in bonitate 464 cordis crescentes. Interpretatur enim Israel *vir videns Deum;* Joseph vero *augmentum*, sive *accrescens.*

« Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, et « timuerunt, turbatæ sunt abyssi. » Potest hoc intelligi juxta litteram, quando filii Israel per mare Rubrum siccis pedibus transierunt, aquis utrinque recedentibus, quod quidem inter maxima et præclara Dei miracula connumerandum erat. Secundum spiritualem intelligentiam, « aquæ multæ, populi multi, » qui postquam Dominus populum suum liberavit in brachio suo, ab infidelitate ad fidem conversi, in eum crediderunt, eum viderunt, et timuerunt. Abyssi vero turbatæ sunt; per quas hujus sæculi potentiores intelligimus, qui sic sunt in hoc mundo, sicut abyssi in medio maris. Unde Apostolus ait : « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi potentes inter vos, non multi nobiles, non multi sapientes, sed quæ sunt stulta mundi elegit Deus, ut perdat sapientiam, et quæ infirma sunt elegit Deus, ut confundat fortia, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I, 26). » Isti autem conturbati sunt, et cum magno furore contra sanctos insurrexerunt. Hos autem secuta est infinita iniquorum hominum, et procellosa multitudo. De qua et subditur : « Multitudo sonitus aquarum. » Quid mirum si de abyssi perturbatione multarum aquarum sonitus exiit? Quid mirum, si de sævitia divitum et potentum populi stulti, et indisciplinati contra sanctos clamor erupit? Quis enim contra Salvatorem nostrum omnem illam multitudinem concitavit, ut omnes una voce « crucifige » clamarent, nisi principes et sacerdotes? Sic igitur ex abyssi conturbatione factus est sonitus aquarum multarum. Sed non idcirco apostoli et doctores tacuerunt, et a Christi prædicatione cessarunt. Unde et subditur :

« Vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuæ « transierunt, vox tonitrui tui in rota. » Valde majores et terribiliores sunt voces nubium, quam voces aquarum et valde magnum timorem et terrorem faciunt illæ sagittæ, quæ de nubibus exeunt; præsertim cum vox tanti tonitrui sit in rota, et apostolica prædicatio non unam partem teneat, sed universum mundum (684). Nubes enim, et apostoli et doctores sunt, quorum doctrina tota Ecclesia irrigatur et fecundatur. Sagittæ vero, eorum sententiæ intelliguntur, quibus vitiorum et spirituum iniquorum fugatur exercitus.

« Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, et « commota est terra. » Coruscationes istæ, quæ de nubibus et tonitruis exeunt, signa et miracula sunt, quæ per apostolos ubique fiebant. Hæc autem vidit terra et commota est, quia maxime propter signa et miracula, quæ fiebant, omnes infideles et increduli ad fidem convertebantur. Unde et in Evangelio de apostolis dicitur : quia « profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20). »

« In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, « et vestigia tua non cognoscentur. » Hoc de Salvatore nostro ad litteram intelligi potest, qui super aquas maris siccis pedibus ambulavit, ubi humana vestigia inveniri non possunt. Spiritualiter autem, mare mundum significat, sicut jam sæpe in aliis psalmis dictum est. « Aquæ vero multæ, populi multi » sunt, et hoc quidem jam sæpe diximus. Fecit igitur Dominus viam sibi in mari, et semitas in aquis multis, quoniam ex quo mundus iste ad fidem ejus conversus est, per eum invisibiliter ambulare, et Ecclesias suas ubique visitare non cessat. Sicut ipse suis discipulis ait : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Vestigia vero ejus non cognoscuntur, vel quia hoc invisibiliter agit, vel quia pauci sunt, ad malorum comparationem, qui ejus vestigia imitantur. Sic enim et de Spiritu sancto, qui similiter invisibilis est, ipse Dominus ait : « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat (*Joan.* III, 8). » Unde ejus quoque vestigia invisibilia esse monstrantur. Si autem et secundum litteram de filiis Israel hæc intelligantur, non erit inconveniens, qui et in mari Rubro, et in Jordane vias et semitas habuerunt, sicut sacra narrat historia. Unde et subditur :

« Deduxisti sicut oves populum tuum in manu « Moysi et Aaron. » Intelliguntur aut per Moysen et Aaron episcopi et sacerdotes, qui populum Christianum (ipse est enim populus Dei) regunt, et ducunt, et in terram viventium, quæ per terram promissionis significatur, recto itinere introducunt.

465 PSALMUS LXXVII.

INTELLECTUS ASAPH.

Vult Asaph ut iste psalmus secundum suam intelligentiam exponatur, et ideo ait : « Aperiam in parabolis os meum, » ut non secundum litteram, sed parabolice intelligatur (685).

« Attendite, populo meus, legem meam, inclinate « aurem vestram in verba oris mei. » In hoc psalmo loquitur Propheta, et apostoli, Ecclesiæque doctores, quibus totus populus a Domino commissus est. Dicat igitur cœtus apostolicus : Attendite populo meus, mihi ad regendum commissus, legem meam, legem quam ego prædico et custodio, legem qua vivo et pro qua, si necesse fuerit, mori non timeo. « Inclinate aurem vestram, » aurem videlicet cordis vestri, ut qui habet aures audiendi audiat; « in

(684) Cod. Ghis., *in circuitu compleat.*

(685) « Verba ista intellectus sunt; id est intelligentiæ sunt, quæ data est ipsi Asaph : quod non uni homini, sed melius accepimus congregationi populi Dei, unde nequaquam nos alienare debemus, » etc. S. Augustinus. Hæc ostendunt Brunonem nostrum, S. doctoris mentem, sicut in aliis interpretationibus, secutum fuisse.

Digitized by Google

verba oris mei, » quoniam ea quæ dicturus sum, altioris quam putantur intelligentiæ sunt. Unde et subditur :

« Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio sæculi. » Est autem parabola alicujus rei similitudo, cum aliud dicitur et aliud intelligitur. Quales sunt, quæ dicuntur parabolæ Salomonis, quales et illæ, quibus frequentissime in Evangeliis Dominus loquitur. Idem autem hoc in loco et parabolæ et propositiones significant.

« Quanta audivimus, et cognovimus ea, et patres « nostri narraverunt nobis. » Multa sunt, quasi dicat, quæ audivimus et audiendo cognovimus, et quæ patres nostri narraverunt nobis, quæ nos quoque modo vobis in parabolis nuntiamus.

« Non sunt occultata a filiis eorum in generatio- B « ne altera. » Nos, inquit, eorum filii non occultamus, quæ a patribus audivimus, sed in altera generatione ea prædicamus, per quam videlicet gentilem populum intelligimus, quoniam « qui abscondit frumentum maledicetur in populis (*Prov.* xi, 26). »

« Narrantes laudes Domini, et virtutes Domini, « et mirabilia ejus quæ fecit. » Patres, inquit, nostri omnia narraverunt nobis, et laudes Domini, et virtutes, et mirabilia Domini. Lege in libris Moysi, et in aliis libris Veteris Testamenti, et omnia hæc invenire poteris.

« Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem « posuit in Israel. » Israel, et Jacob, et testimonium, idem significant. Hæc est illa lex quæ per Moysen in monte Sinai filiis Israel a Domino data est. De qua C et subditur :

« Quanta mandavit patribus nostris? » Ad quid? ut nota facerent ea filiis suis. Et hoc quare? « Ut « cognoscat generatio altera. » Non debet itaque neque lex, neque aliqua scientia occultari, quæ ad hoc data est, ut ab aliis in alios transiret, et transeundo pluribus proficiat. Sic enim lex, quæ Judæis data fuerat, ad gentiles usque pervenit, et magis in hoc populo, quam in illo operata est, et quotidie operatur.

« Filii qui nascentur, exsurgent, et narrabunt eam « filiis suis. » Filii, inquit, qui nascentur, et nova generatione, per aquam et spiritum renascentur, non erunt otiosi, non erunt pigri, vel fastidiosi, sed exsurgent, et ad prædicandum se viriliter præparabunt, et narrabunt eam filiis suis. Hoc autem adimpletum est in apostolis apostolorumque successoribus.

« Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscan- « tur operum Dei sui, et mandata ejus exquirant. » Hoc, inquit, filii, qui nascentur, hortabuntur filios suos ut ponant in Deo spem suam, et non in incerto divitiarum, non in cultura, vel responsis falsorum deorum, neque in aliqua alia superstitione. « Et non obliviscantur operum Dei sui, » qui tam mirabiliter de tantis periculis eos liberavit, « et mandata ejus exquirant, » et die ac nocte meditentur in eis.

« Ne fiant sicut patres eorum. » Et quales fuerunt patres eorum? Audi quod sequitur. Genus pravum et peramarum, de quibus ipse Dominus ait : « Generatio prava atque perversa signum quærit (*Matth.* xii, 39). » — « Genus, quod non direxit cor suum. » Non direxit ad bonum, non direxit ad justitiam vel sanam intelligentiam, sed potius retorsit et reflexit ad omnem iniquitatem. « Et non est creditus cum Deo « spiritus ejus. » Si Deo se non credidit, et cum Deo esse noluit, cui se credidit, et cum quo fuit? Cum illis utique quibus filios et filias immolavit, sicut scriptum est : « Et immolaverunt filios, et filias suas dæmoniis (*Psal.* cv, 31). » Et hoc quidem probat per filios Ephraim, quia spiritus et voluntas eorum non fuit cum Deo.

« Filii Ephrem intendentes arcum, et mittentes B « sagittas suas, conversi sunt in die belli. » Hoc autem, sicut in Isaia legitur, 466 factum est in diebus Achaz regis Juda, quando Ephraim, qui fratres suos adjuvare debuerat, se conjunxit gentibus ad expugnandam Jerusalem (*Isa.* ix, 9). Sed quia in parabolis ista dicuntur, hæc ad Christianorum tempora referenda sunt. Sæpe enim hoc in Ecclesia fieri videmus, ut illi, de quibus maxima spes habetur; et qui paratiores ad præliandum esse videntur, tempore necessitatis arma deponant, et turpiter se in deditionem hostibus tradant. De quibus bene subditur :

« Non custodierunt Testamentum Dei sui, et in « lege ejus noluerunt ambulare. » Hoc autem de filiis Ephraim manifestum est, quia in diebus Jeroboam legem Domini abjicientes, vitulos aureos adoraverunt, et penitus se ad idololatriam transtulerunt. Similiter autem et Christiani multoties hæretici fiunt, et legem Dei violare non timent.

« Et obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium « ejus, qui ostendit eis. » Ingrati filii sunt et merito exhæredandi, qui patris benefactorum obliti, ejus inimicis ad ipsum patrem suum expugnandum se sociare non metuunt; præsertim illius patris, cujus fidem et doctrinam signis, et miraculis probatam esse cognoscunt. Sed nos, dicet aliquis, mirabilia non vidimus. Ad quod ipse : « Coram patribus eo- « rum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Ta- « neos. » Si tu, inquit, non vidisti, at patres tui D viderunt, quibus non minus, quam tibi ipsi credere debes. Et testes tibi dedit, qui mirabilia viderunt, et regnum, in quo facta sunt, et ipsum locum, ubi facta sunt, ut nullatenus inde dubitare debeas. Nec vero minora miracula postea per apostolos aliosque sanctos per totum mundum facta sunt, quæ fuerunt illa quæ tunc temporis per Moysen in Ægypto facta leguntur. Et illa quidem miracula nihil Ægyptiis profuerunt : hæc autem mundum pene totum ad fidem converterunt. Hæc autem contra illos dicta sunt, qui Testamentum Dei non custodierunt, et in lege ejus ambulare noluerunt.

« Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas « quasi in utre. » Et hæc parabola est, et allegoricam quærit expositionem. Sæpe jam diximus, quia

Digitized by Google

mare mundum significat : aquæ vero multæ, populi multi sunt. Quæ vero aquæ in utre clauduntur, nisi permissione erumpere non valent. Modo igitur omnes aquæ in utre clausæ sunt, et quocunque volunt, secure vadunt Christiani, neque timent ullas maris inundationes et tyrannorum persecutiones.

« Et eduxit eos in nube diei, et tota nocte in il- « luminatione ignis. » Hoc est enim quod apostolus ait : « Quia omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari (*I Cor.* x, 2). » Nubes autem, quæ eos præibat, duplex beneficium præstabat; in die obumbrando, et in nocte illuminando. Hæc igitur nubes Spiritus sanctus est : hæc nubes obumbrat populum Dei, ne carnis concupiscentias, et vitiorum æstum sentiat. Unde et B. Mariæ ab angelo dicitur : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* i, 35). » Hæc eum illuminat, et in via mandatorum Dei errare non sinit.

« Interrupit in eremo petram, et adaquavit eos vel- « ut abyssus multa. » Hæc est illa petra de qua Apostolus ait : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* x, 4). » Hæc petra prius arundine, deinde lancea percussa et vulnerata est, « et continuo exivit sanguis, et aqua (*Joan.* xix, 34). » Nam et de illa alia dicitur, quod percussa bis fuerit. Tanta autem aquarum affluentia ex hac petra profluxit, ut mundum totum lavaret, et satiaret, et peccatorum contagione mundaret. Unde et subditur :

« Et eduxit aquam de petra, et eduxit tanquam « flumina aquas. » Quatuor magna flumina de hac C petra exierant, quibus sancta Ecclesia irrigatur.

« Et apposuerunt adhuc peccare ei, in ira conci- « taverunt excelsum in siccitate. » Non fuit eis sufficiens in aqua peccasse, nisi in esca quoque similiter deliquissent. Apposuerunt itaque peccatum supra peccatum; utpote qui omni bonitate sicci erant, et in terra sicca tunc temporis morabantur.

« Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent « escas animabus suis. » Valde amplius peccabant, in cordibus diffidendo, quam ore clamando, et escas petendo. Nam ipsi quoque eorum duces Moyses, et Aaron ad aquas contradictionis similiter peccasse leguntur. Unde etiam prohibiti sunt, ne in terram promissionis intrarent. Magnum igitur peccatum D est diffidentia, et in his quæ petuntur a Domino, spem non habere.

« Et male locuti sunt de Deo, et dixerunt : Num- « quid poterit Deus parare mensam in deserto? » Hæc sunt illa verba, quæ intus dicebant, et quibus in cordibus suis Deum tentabant, et ore quidem quærebant escas, in cordibus vero dicebant : nunquid in deserto dare nobis poterit escas? Et hoc est, quod ait :

« Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, « et torrentes inundaverunt. Nunquid et panem po- « terit dare, aut parare mensam populo suo? » Stultissimi et insipientes, nonne convenientius erat dicere; quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, A et torrentes inundaverunt, certi sumus et nullatenus dubitamus quia ille, qui aquas tam affluenter dedit, etiam panes nobis abundantissime ministrabit? Neque enim difficilius est Deo, de cœlo dare panes, quam de petra producere aquas. In his autem et similibus admonendi sumus, ne similia faciamus. Et talis expositio sufficiat nobis.

« Ideo audivit Dominus, et distulit, et **467** su- « perposuit. » Quid distulit Dominus, et quid facere superposuit? Hoc videlicet, quod in sequentibus legitur. « Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, « et ira Dei ascendit super eos. » Distulit iram, et complevit petitionem, ut prius Dei omnipotentiam, deinde suam infidelitatem et malitiam agnoscerent. Unde et subditur : « Et ignis accensus est in Jacob, B « et ira ascendit in Israel. »

« Qui non crediderunt in Deum suum, nec spera- « verunt in salutare ejus. » Ideo, inquit, ignis iræ et indignationis Dei accensus est contra Jacob, et ascendit super filios Israel, quia neque crediderunt neque speraverunt, sicut credere et sperare debuerunt. Cum enim tot tantaque signa et mirabilia vidissent, nullatenus de Dei omnipotentia dubitare debuissent. Hæc autem per anticipationem dicta sunt, quia ea quæ sequuntur priusquam ista facta sunt.

« Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli « aperuit, et pluit illis manna manducare. » Habuerunt illi suas nubes, suos cœlos et suum manna; habemus et nos nostras nubes, nostros cœlos et nostrum manna; valde quidem majoris dignioris que naturæ. Nostræ nubes et nostri cœli, apostoli sunt et doctores; nostrum manna, utriusque Testamenti doctrina et spiritualis intelligentia est. Et talis quidem cibus descendit a nubibus nostris, talemque panem pluunt nobis cœli nostri. Possumus et per hunc panem Christi corpus intelligere, de quo nimirum quotidie dicimus : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Matth.* vi, 11). » De quo pane subditur adhuc :

« Panem cœli dedit eis, panem angelorum man- « ducavit homo, frumentationem misit eis in abun- « dantia. » Panis cœlestis est corpus Christi; panis cœlestis est intelligentia et scientia spiritualis. Tali cibo reficiuntur angeli, et tali pane omnia supercœlestia vivunt. Talem et modo homines manducant, et talem frumentationem in Ecclesia suscipiunt. Hæc autem frumentatio de illo frumento fit, de quo in Evangelio Dominus ait : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum affert; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* xii, 24). »

« Et excitavit Austrum de cœlo, et induxit in vir- « tute sua Africum. » Auster et Africus idem sunt. De quo videlicet Austro alibi dicitur : « Deus ab Austro veniet (*Habac.* iii, 3). » Hunc autem commovit Dominus, et secundum suæ virtutis potentiam excitavit. Et ille quid fecit?

« Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et

Digitized by Google

« sicut arenam maris volatilia pennata. » Prius aquas, deinde panes, postea vero carnes quæsierunt, nihil est negatum eis; sed omnia abundanter eis concessit, « qui dives est in omnibus, qui invocant eum (*Rom.* x, 12). » Super nos quoque excitatur Auster, qui Aquilonis frigus, et desidiam pellat, et corda nostra calefaciat, et nimii frigoris immensitate jam pene emortua reviviscere faciat. Sed quid per carnes, nisi carnalis intelligentia? Et quid per volatilia pennata, nisi spiritualis intelligentia designatur? Utramque Dominus nobis abundanter dedit, quia utroque modo Scripturas intelligimus et exponimus. Unde et subditur:

« Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa « tabernacula eorum. » Cadunt autem hæc et in medio et circa castra Christianorum, quia sapientes et insipientes hic quotidie satiantur. Et hoc est, quod dicit :

« Et manducaverunt, et saturati sunt nimis, et « desiderium eorum attulit eis, et non sunt fraudati « a desiderio suo. » Non majori appetitu quæsierunt illi tunc temporis illas escas carnales, quam Christiani modo quærunt escas spirituales; sed aliter illi quæsierunt, et aliter isti modo quærunt, et ideo non eadem, neque æqualia merita recipiunt. Et de illis propter infidelitatem dictum est, quod sequitur :

« Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira « Dei ascendit super eos, et occidit plurimos eorum, « et electos Israel impedivit. » Non qualescunque, sed majores et fortiores murmurasse ostendit, dum electos Israel impeditos dicit.

« In omnibus his peccaverunt adhuc, et non cre- « diderunt in mirabilibus ejus. » Quam stulti, quam increduli et iniqui fuerint, in eo ostenditur, quod neque miracula, neque flagella eos corrigere et dirigere potuerunt. Unde et subditur :

« Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni « eorum cum festinatione. » Quid sit autem cum festinatione deficere, sequentia manifestant.

« Cum occideret eos, tunc iuquirebant eum, et « convertebantur ante lucem, et veniebant ad eum. » Qui enim sic occiduntur, utique cum festinatione deficiunt et moriuntur. Quia vero ante lucem stabant, et sui cordis malitiam abscondere non poterant, ideo convertebantur, sed non ex corde convertebantur. Et veniebant ad eum, non corde tamen, sed facie et simulatione veniebant.

« Et memorati sunt, quia Deus adjutor eorum est, « et Deus excelsus liberator eorum est. » Si obliti non fuissent, non diceretur, « et memorati sunt. » Tale est illud quod alibi dicitur : « Confitebitur tibi, cum benefeceris ei (*Psal.* xlix, 19). »

« Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua « mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat re- « ctum cum eo, nec fides habita est illis in Testa- « mento ejus. » Hoc est enim quod in Evangelio et per Prophetam Dominus ait : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Marc.* vii, 6). » Quid est autem, « nec fides habita est illis in testamento ejus? » Nisi quia non crediderunt, nec fidem habuerunt in Testamento ejus. Omnia autem hæc in parabolis 466 dicuntur, ut nemo eos imitetur, qui similia pati formidat. Qui enim similia agunt, dignum est ut similia patiantur. In his autem Dei quoque misericordia considerari debet, qui, sicut difficilis est in peccatis perseverantibus, ita facilis et misericors est conversis et pœnitentibus. Unde et subditur :

« Ipse autem est misericors, et propitius fiet pec- « catis eorum, et non disperdet eos. » Peccator enim quacunque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet, et non morietur.

« Et multiplicavit, ut averteret iram suam ab eis. » Quid multiplicavit Dominus, nisi misericordiam, indulgentiam et pietatem? Quia enim his abundabat, et plenus erat, ideo « non accendit omnem iram suam, » ut eos confestim occideret pro tantis offensis et necessitatibus suis.

« Et memoratus est quia caro sunt; » quæ semper spiritui resistit, et sicut Apostolus ait, adversus spiritum concupiscit : « Spiritus vadens, et non rediens (*Psal.* lxxvii, 34). » Quasi aliquis diceret : Et si caro interficeretur, spiritus quid faceret? Ad quod ipse : Vadens, inquit, vaderet, neque rediens, rediret. Postquam enim a corpore separatur anima, nisi divino oracuio, usque ad tempus omnibus constitutum, nunquam ad illud revertetur amplius.

« Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram « concitaverunt eum in terra sine aqua. » Usque hodie qui in deserto sunt, et ab Ecclesia longe sunt, et aquis spiritualibus non irrigantur, eum exacerbare et concitare non cessant.

« Et conversi sunt. » Unde, et quo? A bono ad malum. « Et tentaverunt Deum, et sanctum Israel « exacerbaverunt. » Decies tunc Judæi Dominum tentasse leguntur. Prima tentatio fuit in mari Rubro, de qua scriptum est : « Et irritaverunt ascendentes in mare, mare Rubrum (*Psal.* cv, 7). » Secunda, de vituli creatione. Tertia, quando murmurantes dixerunt : « Quare eduxisti nos de terra Ægypti? anima nostra nauseat super cibo isto levissimo (*Num.* xxi, 5); » et misit in eos ignitos serpentes. Quarta, et quinta, ad aquas contradictionis; una ante mortem Mariæ, altera post mortem ejus. Sexta, quando manna computruit. Septima et octava de coturnicibus. Nona de Core. Decima de exploratoribus (686).

« Non sunt recordati manus ejus, qua die libera- « vit eos de manu tribulationis. » Hæc omnia in parabolis dicuntur nobis, qui multoties tantæ Dei omnipotentiæ obliti, eam fidem non habemus, quam habere debemus.

(686) Quæ desunt de hoc psalmo in editione Marchesii supplentur ex cod. C. XII. Vallicell. : desunt etiam in cod. Ghis.

Digitized by Google

« Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia « sua in campo Taneos. » Hic autem enarrare incipit. « Convertit in sanguinem flumina eorum, et plu- « viales aquas, ne biberent. » Istæ plagæ, quibus tunc Ægyptii percussi sunt, illas plagas significabant, quibus ubique gentium omnes illi flagellantur, qui Ægyptios imitantur. Bibebant Ægyptii non aquas, sed sanguinem, quas tamen non sanguinem, sed aquas esse putabant. Sed Moyses aperuit eis oculos, et quod bibebant intelligere fecit. Ægyptus enim, quæ *tenebræ* interpretatur, mundum significat, qui ante adventum Salvatoris nostri, qui per Moysen signatus est, in tenebris sedebat et umbra mortis. Unde scriptum est : « Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam (*Isa.* IX, 2). » Aquæ vero Ægypti omnem scientiam et doctrinam philosophorum, poetarum, et hæreticorum significabant, quæ videlicet aquæ in sanguinem versæ sunt, quia « stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi (*I Cor.* I, 10), » et quasi sanguis, et peccatum a Christi fidelibus abhorreatur, quæ prius sana et utilis esse putabatur.

« Immisit in eos muscam caninam, et comedit « eos. » Per muscam caninam, quæ Ægyptios comedit, luxuriam et carnis voluptates intelligimus, quæ adultos et fornicatores persequitur, qui per Ægyptios significantur. « Ranam, et exterminavit « eos (687). » Quid per ranam, nisi hæreticos sola voce, et garrulitate fortes (688). Isti sunt, qui omnes illos exterminant, et ab unitate Ecclesiæ separant, quicunque eorum cantu, et doctrina delectantur.

« Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eo- « rum locustæ. » De ærugine in Evangelio Dominus ait : « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur (*Matth.* VI, 20). » Per æruginem itaque, quæ totum illud cui inhæserit corrumpit et dissipat, odium, invidiam et vanam gloriam intelligimus, quæ omnes fructus animæ dissipant et perdunt. Tales igitur ærugines a se excutiat, qui animæ fructus diligit, ac bonas operationes amittere timet. At vero per locustam superbia significatur, quæ quoniam vitiorum mater et domina est, semper cum exercitu et multitudine graditur, quod proprium locustarum esse videtur. Altius tamen locusta se elevare non valet ; quia desuper est Dominus, qui superbos humiliat, et diu regnare non patitur. Hanc igitur locustam a nobis repellamus, ne labores nostros amittamus.

« Et occidit in grandine vineas eorum, et moros « eorum in pruina. » — « Qui timent pruinam, » sicut scriptum est, « veniet super eos nix (*Job* VI, 16). » Per grandinem igitur et pruinam **469** omnium tormentorum genera significantur, quibus illi occidendi et flagellandi sunt, qui Dei voluntati resistunt, et populum ejus affligunt. Unde et subditur :

« Et tradidit grandini jumenta eorum, et posses- « sionem eorum igni. » Per jumenta et possessiones, corpora eorum intelligere possumus, qui quasi jumenta habuerunt, et in stercore suo se computruerunt, quia iniquos possessores habuerunt. Hæc autem grandini tradentur et igni, quia tormentis cruciabuntur æternis. Unde et convenienter subditur

« Immisit in eos iram indignationis suæ, in- « dignationem, iram, et tribulationem, immissiones « per angelos malos (689). » Totus iste versus magis ad judicii diem quam ad tempora Ægyptiorum pertinere videtur, quia tunc majores erunt indignationes, majores iræ, et tribulationes, pluresque immissiones per angelos malos.

« Viam fecit semitæ suæ. » Hoc autem exponit. « Et non pepercit a morte animabus eorum. » Quantum hæc est ampla via, et aperta semita, tantum ista est novissima. Janua Dei, quæ prius parva erat, et quasi per semitam gradiebatur, postea in immensum crevit, et per amplam viam currere cœpit. Unde et subditur :

« Et non pepercit a morte animabus eorum, et « jumenta eorum in morte conclusit. Et percussit « omne primogenitum in terra Ægypti : primitias « omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. » Primogenita nostra originalia peccata fuerunt. Hæc autem in passione sua percussit Dominus non solum in Ægypto, sed per totum mundum, et ubicunque erant tabernacula Cham, per quem diabolum intelligimus ; quia per Cham *calliditas* interpretatur (690).

« Et abstulit sicut oves populum suum, et per- « duxit eos tanquam gregem in deserto. » Mortuis primogenitis, et destructo originali peccato, abstulit Dominus populum de diaboli potestate, et elongavit a civitatibus Pharaonis, et in loco pascuæ eum collocavit. In terra enim, quæ prius deserta fuerat, ibi oves Dei nunc præcipue nutriuntur.

« Deduxit eos in spe, et non timuerunt. » Non enim in mare introissent, nisi maximam spem in Deo habuissent ; cum aquas maris murum ex utraque parte stare conspexissent. « Et inimicos eorum « operuit mare. » Hos autem non spes, sed diabolus ducebat, qui eorum oculos excæcaverat, ut quid facerent ignorarent. Similiter autem et nunc Pharao, per quem diabolus significatur, cum omni exercitu suo, usque ad baptismatis aquas, persequitur populum Dei, ibique in abyssum præcipitat et perdit.

« Et induxit eos in montem sanctificationis suæ,

(687) Nimirum S. Bruno hic loquitur juxta hæbraicam phrasim, qua dicitur Deus illud facere, quod ipse ex Providentiæ legibus permittit. Sic in oratione Dominica ita orare Christus nos docuit : *Et ne nos inducas in tentationem.*

(688) Ita et S. Vincentius Lirinensis in Commonitorio § 14, *ranas et cyniphes, et muscas morituras* appellat hæreticos.

(689) « Utitur ergo Deus angelis malis, non solum ad puniendos malos, sicut in istis omnibus, de quibus loquitur psalmus, sicut in rege Achab, quem fallaciæ spiritus ex Dei voluntate seduxit, ut caderet in bello, verum etiam ad probandos et manifestandos bonos, sicut fecit in Job. » August.

(690) Διάβολος enim *calumniatorem, criminosum* significat.

Digitized by Google

« montem hunc, quem acquisivit dextera ejus. » Hic est mons Sion, et civitas Jerusalem, per quem S. Ecclesia intelligitur. Unde et alibi dicitur : « Venite, ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Israel (*Isa.* II, 3). » Hujus autem montis rex, et Dominus ait : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini (*Psal.* II, 6). »

« Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit « eis terram in funiculo distributionis. » Similiter autem a facie hæreticorum, schismaticorum, et vitiorum gentes Dominus ejecit, et totam terram per partes divisit.

« Et habitavit in tabernaculis eorum tribus Israel. » Ubique habitant modo filii Israel, non carnalis tantum, sed spiritualis Israel, quia facta est omnis terra possessio ejus.

« Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excel- « sum, et testimonia ejus non custodierunt. » Debuerant jam tunc cessare a tentatione, postquam ingressi sunt terram repromissionis. Sed hæc ideo narrantur nobis, ne et nos similia faciamus, et legem Domini custodiamus.

« Et averterunt se, et non observaverunt pactum. » Et averterunt se, inquit, a Deo, et non observaverunt mandata et testimonia ejus. Sed « quemadmodum « patres eorum, » illi videlicet patres, quorum ipsi sunt imitatores, « conversi sunt in arcum perver- « sum. » Perversus arcus ille est, qui contra amicos sagittas dirigit, et ea impugnat quæ defendere debuisset.

« In iram concitaverunt eum in collibus suis. » In collibus videlicet, ubi dæmoniis immolabant. Unde alibi dicitur : « Immolaverunt dæmoniis, et non Deo, dum quærebant illum (*Psal.* CIII, 37). » Hoc est autem quod ait : « Et in sculptilibus æmulati sunt eum. » Quid est autem « æmulati sunt eum, » nisi quia ad indignationem provocaverunt eum ?

« Audivit Dominus et sprevit, et ad nihilum re- « duxit nimis Israel. » Nihil se Deo occultare potuerunt, cum ipsæ cogitationes loquantur, et valde eos ad nihilum redigit, quia ad ipsius injuriam suo serviunt inimico.

« Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum « suum, in quo habitavit inter homines. » Lege in libris Regum, et invenies arcam Dei captam fuisse propter insolentiam filiorum Heli, qui suo sacerdotio abutebantur, et quia ipse Heli eos, sicut debuit, corrigere neglexit (*I Reg.* IV). Non parvum peccatum fuit, pro quo ipsum tabernaculum suum Dominus repulisse narratur. **470** Hoc audiant Domini sacerdotes, et viriliter se habeant, neque populum sibi commissum corrigere negligant.

« Et tradidit eos in captivitatem, virtutem eorum « et pulchritudinem eorum in manus inimici. » Similiter cum arca Dei capti sunt qui fortiores, pulchriores et nobiliores in illo populo esse videbantur. Nam et filii Heli, Ophni, et Phynees sacerdotes in illo prælio cecidisse leguntur. Quamvis per fortitudines et pulchritudines eorum ipsam arcam convenienter intelligere possumus; in qua omnis virtus eorum et pulchritudo continebatur.

« Et conclusit in gladio populum suum, et hære- « ditatem suam sprevit. » Patiens quidem est Dominus, et misericors, et diu peccatores, ut convertantur, exspectat. Sed postquam irascitur, sicut Apostolus ait : « Horribile est incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* X, 31). » Unde adhuc subditur :

« Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ. » Tanta erat hostium crudelitas, tantus erat timor miserorum, ut juvenum suorum mortem durissimam flere et lamentari non auderent.

« Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduæ « eorum non plorabantur. » Hoc autem non solum de filiis Heli, qui in prælio ceciderunt; sed de aliis quoque ejusdem populi sacerdotibus intelligi potest. Hinc est autem quod per similitudinem Apostolus ait : Quia non parcet oleastro, qui olivæ non pepercit (*Rom.* XI).

« Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, « quasi potens crapulatus a vino. » Quasi dormire videtur Dominus, cum suos non adjuvat, et affligi permittit. Unde et alibi dicitur : « Exsurge, quare obdormis, Domine, et ne repellas in finem (*Psal.* XLIII, 23). » Lege librum Judicum, et videbis Judæos, nunc propter peccata sua miserabiliter hostibus traditos; nunc ad pœnitentiam conversos, mirabiliter a Domino liberatos. Sic enim quando arca capta est, qui prius dormire videbatur, quin nullum eis præstaret auxilium, protinus quasi ebrius, et vinolentus a somno excitatus contra Philisthæos sævire, et durissime eos affligere cœpit. Unde et subditur :

« Et percussit inimicos suos in posteriora, oppro- « brium sempiternum dedit eis. » Nota est historia, qua dicitur quia percussit eos Dominus in secretiore parte natium, et computruerunt proeminentes extales eorum (691). Possunt autem hæc spiritualia significare, quia eo tempore, quo Salvator noster repulit tabernaculum suum, et Synagogam reprobavit, quasi potens a vino crapulatus, a somno mortis excitatus exsurgens inimicos suos Judæos percusserit, et in opprobrium sempiternum eos tradiderit. Nam et ipsi in posteriora percussi sunt, non tamen corporis, sed ætatis. In ultima namque ætate tam valide eos percussit, ut toto subsequenti tempore usque in finem sanari non possint.

« Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum « Ephraim non elegit. » Undecim tribus secutæ Je-

(691) « Circumduxerunt arcam Dei Israel. Illis autem circumducentibus eam, flebat manus Domini super singulas civitates interfectionis magnæ nimis, et percutiebat viros uniuscujusque urbis a parvo usque ad majorem, et computrescebant proeminentes extales eorum. » I Reg. 9.

Digitized by Google

roboam, qui fuit de tribu Joseph et Ephraim, qui omnes idololatriæ dediti vitulos aureos adoraverunt. Illos igitur repulit Dominus, et a suis fidelibus separavit.

« Sed elegit tribum Juda montem Sion, quem dilexit. » Judas *confessio* interpretatur, et significat illos, qui inter ipsa tormenta Deum confitentes, potius occidi possunt, quam vinci. De quibus in Evangelio Dominus ait : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* x, 32). » Id ipsum significat et mons Sion, qui *speculatio* interpretatur. Boni speculatores, qui assidue vigilant, ne quasi incauti ab hostibus capiantur.

« Et ædificavit sicut unicornium sanctificationem « in terra, fundavit eam in sæcula (692). » Sanctificatio Dei Ecclesia est de solis unicornibus ædificata. Sed ubi ædificata est, nisi in terra, quæ firma semper et immobilis manet? Firmum habet Ecclesia fundamentum; ideoque nec pluvias timet, nec flumina, nec ventum. Omnes Christiani sunt unicornes, quia os unum et unam fidem habent, cui non possunt resistere et contradicere omnes adversarii eorum. Unde et subditur : « Fundavit eam in sæcula. » In omnia sæcula fundata est Ecclesia, quia ejus fundamentum Christus est; de quo Apostolus ait : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). »

« Et elegit David servum suum, et sustulit eum « de gregibus ovium, et de post fetantes accepit « eum, pascere Jacob servum suum, et Israel hæ« reditatem suam. » Ædificavit, inquit, sanctificationem, ad quam regendam et gubernandam non qualemcunque hominem elegit, sed ipsum David servum suum. Et sustulit eum non de palatiis regum, non de schola philosophorum, sed de gregibus ovium, et de post fetantes accepit eum. Bonas oves habebat David, non steriles et inanes, sed fetantes erant. Tales sunt illæ de **471** quibus dicitur : « Dentes tui sicut greges tonsarum ovium, quæ ascenderant de lavacro omnes gemellis fetibus, et sterilis non erat in eis (*Cant.* IV, 2). » Tales et illæ de quibus Dominus ait : « Oves meæ vocem meam audiunt, et sequuntur me; et ego Dominus agnosco eas (*Joan.* X, 27). »

« Et pavit eos in innocentia cordis sui. » Cujus sui? Populi supradicti, de quo modo dixit : « Pascere Jacob populum suum. » Populum quidem pavit, et cibis spiritualibus educavit, malitiam cordis illius non nutrivit, sed viriliter sapienterque exstirpavit. Unde Apostolus ad Timotheum : « Testificor, inquit, coram Deo, et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, prædica verbum, insta opportune, importune, increpa in omni patientia, et doctrina (*II Tim.* IV, 1). » — « Et in sensu manuum « suarum deduxit eos (693). » Sensus manuum optimus est, quem non cogitando, vel loquendo, sed operando perficiunt. Nec est ullus sensus, quo facilius ad illam supernam beatitudinem homines ducantur atque trahantur, quam sensus manuum, qui de quinque sensibus unus est.

(694) PSALMUS LXXVIII.

PSALMUS ASAPH.

Quid significat psalmus Asaph, sæpe jam dictum est. In hoc autem Psalmo Synagoga fidelium, quæ per Asaph significatur, suas deflet calamitates, in quibus Ecclesiæ quoque persecutiones multæ et innumerabiles significantur (695).

« Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, « coinquinaverunt templum sanctum tuum (696). » Multas persecutiones passa est Synagoga, et multoties captivata est : prius quidem ab Assyriis et Chaldæis, deinde a Græcis et Romanis. Sed illæ tantæ persecutiones multo majores Ecclesiæ afflictiones significabant. Hæreditas namque Dei, templum Dei, et civitas Dei S. Ecclesia est, cujus persecutiones, qui scire desiderant, SS. martyrum passiones legant. Possumus autem et per Græcos vitia et malignos spiritus intelligere, a quibus hæreditas et populus Dei multis modis polluitur et violatur.

« Posuerunt Jerusalem velut pomorum custodia« rium (697), » in quo illi manere solebant qui poma custodiebant. Sic et muri et ruinæ Jerusalem, habitatoribus omnibus in captivitatem deductis. Nam et in Ecclesia multoties, in quibusdam locis, tanta Christianorum strages facta fuisse legitur, ut vix aliqui inveniri potuissent.

(692) Apud S. August. legitur : « *Et ædificavit sicut unicornuorum sanctificationem suam* ; vel sicut aliqui interpretes verbum novum fecerunt, *sanctificium suum.* » Quæ concinne exponit card. Thommasius : « Et in eo monte ædificavit sanctuarium suum, excelsum, forte, ac unicum, in similitudine unici cornu unicornium. »

(693) *In intellectibus* habet Vulgata. In versione autem qua usus est S. Augustinus hic legitur : *in intellectu manuum suarum.* Expositio tamen eadem est.

(694) Triplicem interpretationem suscipere posse hunc psalmum docet S. Augustinus. Prima scilicet si referatur vaticinium ad Assyrios, qui Hebræos, Dei populum captivum Babylonem duxerunt, et sanctum templum profanarunt et everterunt; secunda plene inspicitur in ultima Romanorum obsidione, quando Titus vi urbem et templum Jerusalem cepit, populo omni partim ensibus cæso, partim captivo facto, sacrisque ædibus dirutis penitus, soloque æquatis; tertiam reperire licebit in Ecclesia sub tot tantisque hostibus a primis usque temporibus vastata, et afflicta. In hac præcipue versatur S. Bruno, et quæ de Jerusalem et Synagogæ perditione prædicta sunt, ad Ecclesiæ labores et persecutiones traducit.

(695) Sequuntur Psalmi ex eodem Cod. Vallicel. c. XII.

(696) De rege Antiocho habetur lib. I Machab. I : *Jussit coinquinari sancta, et sanctum populum Israel, jussit ædificari aras et templa, et idola, et immolaverunt carnes suillas.*

(697) Tam Vulgata, quam textus apud S. Augustinum, habent, *custodiam.*

Digitized by Google

« Posuerunt mortalia (698) servorum tuorum escas « bestiis terræ. » Hoc autem et in Synagoga, et in Ecclesia juxta litteram accidisse non ignoramus; quoniam sanctorum corpora, quæ sola in eis mortalia erant, multoties bestiis et volucribus cœli tradita sunt, pro quibus maligni spiritus intelligi possunt, quibus ad devorandum tradebantur, qui duris tormentis Christi fidem negare cogebantur.

« Effuderunt sanguinem eorum in circuitu Je- « rusalem, et non erat qui sepeliret. » Et hoc quidem in circuitu Jerusalem, et in circuitu Ecclesiæ secundum litteram factum fuisse non dubium est. Nam etsi erant, qui eos sepelire voluissent, sepelire tamen eos non audebant.

« Facti sumus in opprobrium vicinis nostris, de- « risio et contumelia iis qui in circuitu nostro « sunt. » Hinc est enim quod in Evangelio dicitur; quia « insurgent parentes in filios, et filii in parentes, et eritis odio omnibus propter nomen meum (*Matth.* x, 22). » Itemque : « Veniet hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* xvi, 2). » In utroque itaque Testamento opprobrio et derisioni boni a malis habiti sunt.

« Usquequo, Domine, irasceris in finem? » Hoc autem exponit : « Accenditur velut ignis zelus tuus. » In finem enim ex toto servis suis Dominus iratus esse videbatur, quando eos sic affligi permittebat, et nullatenus eis subveniebat.

« Effunde iram tuam in gentes, quæ te non no- « verunt, et in regna, quæ nomen tuum non invo- « caverunt. » Ne effundas, inquit, iram tuam et indignationem tuam contra servos tuos, sed potius, sicut dignum **472** est, contra gentes, quæ te non noverunt, et nomen tuum non invocaverunt; sed sicut fatui et stulti falsa numina venerati sunt. « Quia comederunt Jacob. » Quomodo autem comederunt? subsequenter exponit dicens : « Et locum « ejus desolaverunt. » Usitata locutio est, ut vastatores, devoratores dicamus.

« Ne memineris iniquitates nostras antiquas. » Quæ sunt iniquitates nostræ antiquæ, nisi illæ quas patres nostri fecerunt, vel quas nos ipsi a pueritia fecimus? Vindicat enim Dominus, sicut scriptum est, peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem. Si tamen filii tales sunt, qui patres imitentur, et ab eorum malitia non recedant: alioquin « filius non portabit iniquitatem patris, et anima quæ peccaverit ipsa morietur (*Ezech.* xviii, 20). »

« Cito anticipet nos misericordia tua, quia paupe- « res facti sumus nimis. » Pauperes erant isti, non tantum penuria rerum, sed humano auxilio destituti, in sola Dei misericordia spem habentes. Quæ videlicet misericordia tunc eos anticipat, quando non solum a periculis eripit, verum etiam ipsa pericula sentire non permittit.

« Adjuva nos, Deus salutaris noster; » quia alium præter te adjutorem non habemus. « Et propter « honorem nominis tui, Domine, libera nos. » Magnus honor est nomini ejus, quando dicitur : Isti homines servi sunt illius Dei, qui nunquam deserit sperantes in se, sed in omnibus suis necessitatibus potenter et mirabiliter eos exaudit.

« Et propitius esto peccatis nostris propter no- « men tuum; » ut omnes intelligant non esse sine causa, quod Jesus dicaris, et salutaris. Nam et Apostolus hoc dicit, quia « omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit (*Rom.* x, 13). »

« Ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum? » Hoc enim et contra Judæos, et contra Christianos gentiles aliquando dicere solebant, cum eos sine Dei adjutorio miserabiliter perire videbant, quos prius a cunctis adversitatibus Dominus tam mirabiliter defendere consueverat.

« Et innotescat in nationibus coram oculis no- « stris; » subauditur, quod mox dicturi sumus. Quædam nobis consolatio est, si eos miseros videamus, qui miseros nos esse fecerunt (699).

« Vindica sanguinem servorum tuorum, qui effu- « sus est. Intret in conspectu tuo gemitus compedi- « torum, » et cætera, quæ sequuntur. Vindica, inquit, Domine, nobis videntibus et præsentibus, sanguinem servorum tuorum, qui pro tuo nomine effusus est. Hanc autem vindictam sanguinis sui, etsi non modo, in judicio tamen omnes sancti visuri sunt. Intret in conspectu tuo gemitus illorum, qui propter te durissimis vinculis compediti et ligati in obscuris carceribus concludentur.

« Secundum magnitudinem brachii tui posside « filios mortificatorum. » Hoc autem tale est ac si diceret : Rogamus ne filios interficiant, qui dura et crudeli morte parentes occiderunt. Posside vel filios in magnitudine brachii tui, qui inimicorum manibus eorum parentes tradi permisisti. Neque possideant filios, qui parentes possederunt, et tanto tempore captivos tenuerunt.

« Redde vicinis nostris septuplum. » Non solum Judæi, sed vicini quoque eorum, qui in circuitu ita habitabant in captivitatem ducti sunt; qui quidem majori pœna digni fuerunt, quia de Judæorum perditione gavisi sunt; de quibus sicuti sociis et amicis dolere debuissent. Septuplum autem plenam et integram pœnam significat; quia hic numerus perfectus est, omnesque in se numeros continet. Unde et illud : « Septuplum ultio dabitur de Cain : de Lamech vero, septuagies septies (*Genes.* iv, 24). »

« Improperium ipsorum, quod exprobraverunt

(698) Vulgata habet *morticina*. Ubi hæc docet S. Augustinus : « Melius sane interpretati sunt, qui morticina posuerunt, quam sicut quidam, *mortalia*. Morticina enim non dicuntur nisi mortuorum, mortalia vero etiam vivorum corporum nomen est. »

(699) Quod quidem malum est, si de hoc consoletur homo tantum ex proprio amore; virtus vero, si ex amore divinæ justitiæ. Ex hoc in Apocalypsi animæ interfectorum clamabant : *Vindica, Domine, sanguinem nostrum*, c. xvi, 10.

Digitized by Google

« tibi, Domine. » His autem verbis manifeste ostenditur eos non solum gavisos fuisse, verum etiam in Deum blasphemasse, quasi qui populum suum defendere non potuisset. Hoc autem improperium sit in sinu et in corde ipsorum, quatenus in illius memoria vel affligantur vel corrigantur, ut ipsi quoque dicere possint : « Et peccatum meum contra me est semper (*Psal.* L, 5). »

« Nos autem populus tuus, et oves gregis tui, confitebimur tibi, Deus, in sæcula, et in sæculum sæculi narrabimus laudem tuam. » Hoc dicit Asaph, hoc dicit Synagoga, quia quocunque modo res se habeat, sive adversa sive prospera eis contingant, nunquam tamen a Deo recedent. Semper populus ejus, et oves gregis ejus erunt, semper eum confitebuntur et laudabunt, semper ejus mirabilia laudesque narrabunt. Omnia autem non solum de Judæis, sed de martyribus quoque intelligi debent, qui non minora et leviora, imo vero majora et graviora tormenta passi sunt a persecutoribus suis, quam illi sustinuerunt ab Assyriis.

PSALMUS LXXIX.

473 IN FINEM : PRO HIS QUI COMMUTABUNTUR TESTIMONIUM ASAPH. PSALMUS.

Quando ponitur in finem, ea quæ dicuntur, etsi intra litteram ad Synagogam pertinere videantur, de Christo tamen et de Ecclesia spiritualiter intelligenda sunt. Dat autem Asaph in Synagoga fidelium hoc testimonium pro iis qui ab infidelitate mutabuntur ad fidem, et a littera ad spiritualem intelligentiam transibunt. Isti enim sunt illa vinea, quæ hoc in psalmo de Ægypto in terram promissionis translata et commutata refertur.

« Qui regis Israel, intende (700), qui deducis velut « ovem Joseph. » Dominus et Salvator noster ipse est qui regit Israel, per quem omnes illos intelligimus, qui eum cognoscunt et in eum credunt. Ipse quoque deducit velut ovem Joseph, per quem illi significantur qui humilitate et patientia prædíti bonorum operum fetu fructificant. Joseph namque *augmentum* sive *accrescens* interpretatur. Et cæteri quidem fratres patris nomine vocantur Israel; Joseph vero proprio nomine designatur, quoniam non suo, sed patris nomine a Domino reguntur et ducuntur. Iste vero sua propria bonitate regitur, ducitur et dilígitur.

« Qui sedes super Cherubim, appare coram Ephraim, « Benjamin et Manasse. » Quia Dominus et Salvator noster fons et origo est totius sapientiæ; siquidem « omnis sapientia ab ipso est, et cum eo fuit semper, et est ante ævum (*Eccli.* I, 1); » ideo super Cherubim sedere describitur, quod *scientiæ plenitudo* interpretatur. Sibi ergo loquitur Propheta, et Christum rogat ut de illa suæ majestatis excellentissima sede descendat, et humanitate assumpta huic mundo visibilis appareat coram Ephraim, Benjamin et Manasse. Isti tres pertinent ad Joseph, et in medio filiorum ponitur, qui ejus frater exstitit. De tribu Ephraim fuit Jeroboam, qui peccare fecit Israel; et de tribu Benjamin fuit Saulus, qui vehementer Ecclesiam in suo principio persecutus est. Per hos igitur quoscunque nequissimos homines intelligamus; ipsum Dominum dicentem audiamus : « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Matth.* IX, 13). » — « Non enim indigent qui sani sunt medico, sed male habentes (*Luc.* V, 31). » Saulum suscipio persecutorem, neque abjicio Ephraim, qui ad meam injuriam vitulos aureos fabricatus est, de quo per Isaiam dicitur : « Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim (*Isa.* XXVIII, 1). » Apparet in hoc psalmo, quia de bonis parentibus mali filii oriuntur. Valde bonus fuit Jacob sive Israel, valde bonus fuit et Joseph; sed valde mali fuerunt, qui de illo orti sunt. Notandum quia de malis filiis locuturus, bonos parentes Propheta præmisit, ut eorum gratia facilius Dominus ad misericordiam flecteretur.

« Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos nos « facias. » Videtur Dominus in primo adventu non excitasse, sed posuisse potentiam suam, quia humiliter venit, et in forma servi. In secundo vero potentiam suam excitabit, quia in majestate divinitatis veniens, qualis est, talis apparebit. Salvavit nos in primo, quia de diaboli potestate eripuit. Salvabit et in secundo, quia de omnibus miseriis liberabit, ac æterna beatitudine lætificabit.

« Domine, Deus virtutum, converte nos. » Orat Propheta pro Judæis, ut quia in primo adventu inconvertibiles exstiterunt, saltem in secundo ad fidem convertantur : « Convertentur ad vesperam (*Psal.* LVIII, 7); » et : « In diebus illis salvabitur Juda (*Jer.* XXIII, 6); » et : « Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ convertentur (*Rom.* IX, 27). » Et : « Ostende faciem tuam, et salvi « erimus. » Et prius quidem ostendit, sed non omnibus, quia « in propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I, 11). » Unde et ipse dicebat : « Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt (*Matth.* XIII, 17). » Unde et Apostolus dicit quia « si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). » Soli autem illi vident faciem et gloriam Dei, qui in eum catholice credunt.

« Domine, Deus virtutum, quousque irasceris in « orationem servi tui (701)? » Irasci quidem videtur Dominus contra orationes nostras, quando post multas preces et supplicationes nos non exaudit. Bene autem sibi convenit hoc nomen, ut dicatur Dominus Deus virtutum, quia non solum terrestrium

(700) Apud S. August. legitur : « Qui pascis Israel, intende. » Et continuo ait: « Quid est: « Qui pascis Israel, intende, qui deducis velut oves Joseph? » Invocatur ut veniat, exspectatur ut veniat, desideratur ut veniat. »

(701) « Ita plane irasceris, ut pater corrigens, non ut judex damnans. » AUGUST.

Digitized by Google

omnium ipse solus fortis et potens est, cunctisque virtutibus præclarus et admirabilis est.

« Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis « nobis in lacrymis in mensura? » Panis et potus lacrymarum omnis carnalis afflictio et tribulatio intelligitur. Tali autem **474** cibo et potu longo tempore satiati sunt omnes fideles utriusque Testamenti in mensura; secundum hoc quod Apostolus ait : « Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere (*I Cor.* x, 13). » Unde et alibi in pondere, et numero, et mensura Deus omnia fecisse narratur. Et ipse quidem hoc facere dicit, quia fieri permittit quod si noluisset fieri non posset.

« Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, B « et inimici nostri deriserunt nos. » Quantum, quibusque modis inimici et vicini eorum eis contradixerint, eosque opprobrio et derisioni habuerint, quid attinet dicere? Unde, sicut scriptum est, in judicio dolentes et pœnitentes dicturi sunt : « Isti sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii (*Sap.* v, 3). »

« Domine, Deus virtutum, converte nos. » Bene iterum repetit, quod valde difficile esse videbat, Judæorum scilicet conversionem. Ad hoc enim venerat Dominus, ut eos converteret, si ei obedire voluissent. Unde ipse ait : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierant domus Israel (*Matth.* xv, 11). » Et alibi ad Jerusalem : « Quotiescunque volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos C sub alas, et noluisti? » (*Matth.* xxiii, 37.) Et Apostolus : Vobis itaque primum oportuerat prædicari verbum et regnum Domini sancti; sed quia repulistis illud, indignos vos fecistis ejus verbi et agnitionis gratiæ (*Act.* xiii, 46). « Ostende faciem tuam, et salvi « erimus. » Hoc autem jam superius expositum est.

« Vineam ex Ægypto transtulisti. » Hæc itaque est illa vinea quam tu de Ægypto transtulisti, de qua et propheta loquitur, dicens : « Vinea facta est dilecto meo in capite filiorum olei (*Isa.* v, 1). » Vinea enim domus Dei Sabaoth dicitur.

« Ejecisti gentes, et projecisti eas. » Ejecit enim Dominus gentes de terra promissionis quam prius habitabant, et in earum civitatibus filios Israel habitare fecit. D

« Viam fecisti in conspectu ejus; » quia mare Rubrum et aquam Jordanis eis aperuit, et per medium eorum siccis pedibus transvexit. Talem autem viam nullus alius facere potuisset; et ideo non immerito semper memorabile est.

« Et plantasti radices ejus, et repleta est terra. » Sic de populo, quasi de vinea loquitur, quia metaphoram vineæ sequitur. Hac autem vinea sancta Ecclesia significabatur; quæ tunc quidem in montibus Israel, postea vero nobiliorem habuit plantationem. Unde et subditur :

« Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus ce- « dros Dei. » Quid per montes et cedros Dei, nisi A apostolos et prophetas intelligamus? Hos autem operuit vinea et arbusta ejus, quia super eos tota Ecclesia fundata est. Sicut Apostolus ait : « Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso angulari lapide Christo Jesu (*Ephes.* II, 20). » — « Fundamenta ejus in montibus sanctis. (*Psal.* LXXXVI, 1.) » Cedri enim dicuntur apostoli propter vitæ excellentiam et puritatem. Siquidem cedrus procera arbor est et imputribilis, redolentisque naturæ.

« Extendisti palmites ejus usque ad mare, et usque « ad flumen propagines ejus. » Isti sunt illi palmites et illæ propagines, de quibus in Evangelio Dominus ait : « Ego sum vitis, et vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fructum multum facit, quia sine me nihil potestis facere : sicut palmes non potest facere fructum a semetipso nisi manserit in vite, ita et vos, nisi in me manseritis (*Joan.* xv, 1, 4, 5). » Hos autem extendit Dominus usque ad mare : quia « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5). » De Synagoga vero non dicitur, quia usque ad mare occidentale, et usque ad flumen magnum Euphratem erunt termini ejus.

« Ut quid deposuisti maceriam ejus, et vindemiant « eam omnes qui transeunt viam? » Maceria Ecclesiæ apostoli sunt et doctores, omnesque episcopi et sacerdotes. His autem depositis et interfectis, nemo est qui eam defendat, et latronum et hæreticorum insidias ab ea repellat. Vindemiatur itaque et conculcatur ab iis qui viam transeunt, et per viam rectitudinis non ambulant; unde et subditur :

« Exterminavit eam aper de silva, et singularis « ferus depastus est eam. » Iste aper, et ferus singularis quilibet hæreticus est, veluti Arius et Simon Magus, per quem et tyrannos nihilominus intelligere possumus. Qui bene de silva venire dicuntur; quoniam silvestres et extranei sunt, neque domesticam ferunt doctrinam. Domestici vero illi sunt, de quibus dicitur : « Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei (*Ephes.* II, 19). » Et isti quidem depascunt vineam Dei, quia et corporaliter et spiritualiter Ecclesiam Dei dissipare non cessant.

« Domine, Deus virtutum, convertere » nunc; quoniam vinea tua vindemiatur, exterminatur et conculcatur. Nunc convertere; quia « ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI, 2). » Et quia Judæi inconvertibiles sunt, vel gentiles convertantur ad fidem.

« Respice de cœlo; » de illo tuæ divinitatis excellentissimo clarissimoque secreto, « et vide » misericorditer, « et visita » potentialiter « vineam istam; » et dirige eam ad te, neque errare permittas post greges hæreticorum. « Quam plantavit dextera tua. » Et ubi plantavit? « Super filium hominis, quem con- « firmasti tibi. » Salvator noster est, qui de se ipso ait : « Videbitis angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis (*Joan.* I, 51). » **475** Super hunc autem plantata est Ecclesia, quia sicut Apostolus ait : « Fundamentum aliud nemo

Digitized by Google

« potest ponere, præter id quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » Quod autem ait : « quem confirmasti tibi, » hoc est quod alibi dicitur : « Ponam in « salutari, fiducialiter agam in eo (*Psal.* XI, 6). » Ipsum enim digne satis confirmavit Dominus principem militiæ suæ ad laudem et gloriam nominis sui.

« Incensa igni, et effossa manu, ab increpatione « vultus tui peribunt. » Vide, inquit, et visita vineam istam, ne forte ab impiis incendatur, et effodiatur ; quia omnia quæ incensa fuerint igni, et effossa manu, ab increpatione vultus tui peribunt. Hæc increpatio erit in judicio, quando dicetur, tollantur impii, ne videant gloriam Dei, et convertantur peccatores in infernum (*Isa.* XXVI). Et : « Ite maledicti in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Ignis est omne peccatum quo anima incenditur, effoditur, et a suæ stabilitatis fundamento avulsa separatur.

« Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et « super filium hominis, quem confirmasti tibi, et « non discedimus a te. » Rogat Propheta in persona omnium fidelium, ut hunc virum dexteræ suæ, hunc Filium Virginis, Salvatorem nostrum, manu potentiæ suæ Dominus protegat et defendat, qui nos regat et post se trahat, et, eo duce et prævio, non discedamus ab eo. Bene autem eum vocat virum dexteræ suæ, quia in spiritu elevatum sedere videt ad dexteram suam.

« Vivificasti nos, et nomen tuum invocabimus. » Mortui, inquit, sumus, quia in primo homine immortalitatem et vitam amisimus ; sed tu, o Christe, tua morte vivificasti nos, et nomen tuum semper et ubique in omnibus nostris necessitatibus invocabimus : « Omnis enim, dicit Apostolus, quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit (*Rom.* X, 13). »

« Domine, Deus virtutum, converte nos, et ostende « faciem tuam, et salvi erimus. » Videt Propheta quia nemo potest salvari nisi per Christum ; nemo salvari potest, nisi qui credat in Christum, et ideo toties repetit ut veniat, et faciem ostendat, et mundum ad se convertat, et salvi erimus.

PSALMUS LXXX.

IN FINEM, PRO TORCULARIBUS ASAPH, QUINTA SABBATI (702).

Psalmus iste pro torcularibus referatur in finem. Finis autem fuit in quinta Sabbati; quando vetera transierunt, et facta sunt omnia nova. Ille namque dies finis fuit Veteris, et initium Novi Testamenti, qua die reprobatum est sacrificium Aaron, et confirmatum est sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Torcularia vero tot sunt, quot sunt Ecclesiæ, in quibus vinum novum suscipitur, omnesque utriusque Testamenti racemi exprimuntur et exponuntur, quibus architriclinus et apostoli inebriantur, et nova et vetera mirabiliter interpretantur.

« Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. » Vos, inquit Propheta, qui in torcularibus estis, et novum et admirabile vinum novo magisterio conficitis et propinatis, exsultate Deo adjutori nostro, quia hæc sola exsultatio utilis est, laudabilis, et æterna est. « Jubilate Deo Jacob. » Iste, quasi dicat, qui modo venit in adjutorium nostrum, et de diaboli potestate nos liberavit, ipse Deus Jacob, ipse est Deus utriusque Testamenti. Illi igitur jubilate et cantate ; illum solum colite et adorate. Quomodo?

« Sumite psalmum, et date tympanum, psalterium « jucundum cum cithara. » Qui sunt illi, qui psalmum sumunt, nisi illi qui corde et voce Deum laudant et benedicunt? Tales autem persecutionis tempore tympana dabant, quia statim post prædicationem verbera sustinebant. Tympana enim nisi verberata non sonant (703). Pretiosum tympanum beatus Paulus, qui a Judæis quinquies quadragenas, una minus accepit (*II Cor.* XI). Datum autem est illis tympanum, qui cum vitiis et concupiscentiis carnem affligunt. « Psalterium jucundum cum cithara. » Sumite, inquit, psalmum, cantate, et prædicate. Hoc autem in psalterio et cithara. Psalterium ad Vetus, cithara ad Novum pertinet Testamentum. Quia psalterium decem chordas habet, et Vetus Testamentum in decem mandatis continetur. Citharæ vero quatuor, vel tres chordæ sufficiunt, et Novum Testamentum in quatuor Evangeliis concluditur, in quibus mysterium Trinitatis clarissime prædicatur. **476** Hoc autem mysterium Judæi ignorant, et ideo in cithara cantare nesciunt. Christiani vero et in cithara, et in psalterio cantant, quia utrumque Testamentum suscipiunt et prædicant. Est autem psalterium jucundum cum cithara, quoniam in sermonibus nostris alterum Testamentum altero confirmatur.

« Canite in initio mensis tuba, in die insignis « solemnitatis vestræ. » Hoc autem initium mensis, et hic dies insignis solemnitatis cœpit a quinta Sabbati, de qua in titulo locuti sumus, et perseverabit usque ad primam Sabbati, quando ad judicandum Dominus veniet. Et Judæi quidem per singulos menses hoc faciebant; item, quoties luna nova apparebat. Unde et in alia translatione non initium mensis, sed neomenia habetur, per quod nova luna significatur. Tunc igitur cantare et prædicare instantissime oportebat, quando luna adhuc nova erat. Quod autem luna Ecclesiam significet, manifestissi-

(702) Ad clariorem tituli hujus intelligentiam, quomodo exponatur a Venerabili Beda, ejus verba subjiciam: « *Quinta Sabbati* est quinta dies a *Sabbato*, quæ a gentilibus *dies Jovis*, a nobis *quinta feria* vocatur, in qua Deus dixit : *Producant aquæ reptilia animarum vivarum, et volantia super firmamentum cœli;* mystice significans diversæ virtutis ex aquis baptismatis esse nascituros. Tituli ergo hujus intentio talis est, ut in finem designet Dominum Christum; pro torcularibus, Ecclesiam persecutionibus examinatam; Asaph, congregationem; Quinta Sabbati, baptismum : unde colligitur Psalmum in Ecclesia Domini de regenerata congregatione esse locuturum. Hinc enim et Asaph juxta historiam quidem loquitur Judæis, sed melius intelligitur a populo Christiano. »

(703) Ex Cassiodoro videtur Bruno hanc interpretationem hausisse, quem etiam in reliquis secutus est.

Digitized by Google

mum est. Tuba autem cantare, est clara et alta voce Deum laudare et prædicare.

« Quia præceptum in Israel est, et judicium Deo « Jacob. » Hoc igitur præceptum in Israel est, et hoc judicium datum est Deo Jacob; ut sic in nova luna, et in hac prima festivitate cantare debeatis, in qua vetera transierunt, et facta sunt omnia nova.

« Testimonium in Joseph posuit illud, dum exiret « de terra Ægypti. » Et hoc testimonium non solum in Israel, sed et in Joseph quoque posuit Dominus. Quare autem per se Israel, et per se ponatur Joseph, jam in aliis psalmis dictum est.

Qui dum exiret de terra Ægypti, « linguam, « quam non noverat, audivit. » Quod autem in hac translatione dicitur, « posuit eum, » nihil est cui hoc pronomen referre valeamus, nisi forte ad diem insignis solemnitatis. Posuit igitur Dominus illum diem testimonium Joseph; quia ille dies dat eis testimonium, quanta diligentia et sollicitudine Domino serviat, et ejus celebret festivitates. Joseph enim hoc in loco omnes illos significat, qui ad similitudinem novæ lunæ, usque ad perfectionis plenitudinem quotidie crescunt, et in melius proficiunt. Siquidem Joseph *accrescens* interpretatur. Isti autem dum exirent de terra Ægypti, et de ignorantiæ tenebris ad fidem transirent, linguam, quam prius non noverant, audierunt, et utriusque Testamenti scientiam didicerunt, atque in neomenia, hoc est in principio nascentis Ecclesiæ, constantissime prædicaverunt. Hoc autem testatur ipse dies, hoc confirmat ipsa insignis solemnitas, quoniam ipsi interfecti sunt propter Christi fidem, et nomen quod annuntiabant. Primus autem Joseph, non quando exivit, sed quando intravit in terram Ægypti, linguam quam non noverat audivit.

« Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus « in cophino servierunt. » Quia de Joseph loqui cœperat, ejus metaphoram sequitur, qui cum prius suis humeris onera ferret, postea princeps populi a Pharaone constitutus in cophinis servivit, quibus granum mensuratur et fertur. Similiter autem et sanctorum dorsum ab oneribus Dominus divertit; quando ait : « Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI, 28). » In cophinis vero servierunt, postquam annonam verbi Dei populis ministrare, et prædicare cœperunt. Hoc autem significaverunt illi cophini, quos de reliquiis panum apostoli repleverunt (*Matth.* XIV). In cophino igitur serviunt qui panem evangelicæ doctrinæ aliis ministrant.

« In tribulatione invocasti me, et liberavi te. » Hoc autem et de Joseph, et de sanctis qui per eum significantur, convenienter intelligitur; quia et ille et illi in suis tribulationibus invocantes Dominum, exaudiri et liberati sunt. Unde et subditur :

« Et exaudivi te in abscondito tempestatis : » id est in repentina et improvisa superveniente calamitate. Talis autem tempestas venit super beatum Job, qui quare afflingeretur, omnino ignorabat. Talem et SS. martyres passi sunt, et moriendo exaudiri sunt; quia hoc erat in desiderio eorum, ut inter ipsa tormenta deficerent; unde et contra ipsos duris verbis tyrannos provocabant, neque eos propitios habere volebant.

« Probavi te apud aquam contradictionis. » Quid per aquam contradictionis, nisi evangelicam prædicationem intelligamus? Illis enim aquis et Judæi, et hæretici omnesque infideles constantissime contradicunt. Et hic quidem probantur sancti : quia occidi quidem possunt, sed a prædicatione comprimi non possunt.

« Audi et tu, populus meus, et loquar Israel, et « testificabor tibi. » Nunc Salvator noster specialiter Judæis loquitur, qui eum præcipue persequebantur, quod se Filium Dei esse dicebat. Docet itaque illos et sub testificatione præcipit, ut eum audiant, et intelligant, et ejus doctrinæ acquiescant. Et hoc est quod ait :

« Israel, si me audieris, non erit in te deus recens, « neque adorabis deum alienum. Ego enim sum « Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. » Ego itaque sum Dominus Deus tuus. Non sum ego alius, et alius ille, qui eduxit te de terra Ægypti; sed « ego ipse, qui loquebar, ecce adsum (*Isa.* LII, 6) : » et propter te homo factus sum, ad te docendum, liberandum et salvandum veni. Si me audieris, si in me credideris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum : « Ego sum in Patre, et Pater in me est; et ego, et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). »

« Dilata os tuum, et ego adimplebo illud. » Voluit Dominus Judæos docere, fovere, **477** et cibis spiritualibus adimplere; sed noluerunt. Et hoc est quod ait :

« Et non audivit populus meus vocem meam, et « Israel non intendit mihi. » Unde ipse quoque Dominus ait : « Loquebar et non credidistis (*Joan.* X); » itemque : « Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan.* VI, 47). » Et alibi : « Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo (*Joan.* XV, 22). »

« Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum. » Miser ille qui a Domino dimittitur, ut cordis sui desideria faciat. Sic enim Pharaonem dimiserat Dominus, ut usque ad mortem cordis sui desideria sequeretur.

« Et ibunt in voluntatibus suis (704). » Qui enim ibunt in voluntatibus suis, nisi quia eos nunquam pœnitebit, sed usque in finem suis in malitiis perseverabunt?

« Si plebs mea audiisset me, Israel si in viis meis « ambulasset, ad nihilum inimicos eorum humiliassem, « et super tribulantes eos extendissem manum meam. » Magnam consolationem dant hæc verba omnibus illis, qui verba Dei audiunt et custodiunt, ac per vias

(704) Lectio Vulgatæ, *in adinventionibus suis.*

Digitized by Google

mandatorum incedunt; sicuti enim sunt, et nullatenus dubitare possunt, quin de suis inimicis aliquando vindictam suscipiant (705). Hanc autem ultionem perdiderunt Judæi, quia verba Dei audire noluerunt; de quibus subditur :

« Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus « eorum in æternum. » Nunc Propheta loquitur, et æternam pœnam Judæis minatur; dum tempus eorum, tempus videlicet mortis et perditionis, in æternum esse dicit. Ipsi sunt inimici Domini, ipsi sunt, de quibus ipse Dominus dicit : Quia « odio habuerunt me gratis (*Joan.* xv, 25). » Et ipsi quidem mentiti sunt ei, quia « in propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* i, 10); » cum olim Moysi promisissent : « Quidquid præcepit nobis Dominus faciemus (*Exod.* xix, 8). »

« Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle « saturavit eos. » Improperatio est adversus eos, qui mala pro bonis reddere non erubuerunt. « Cibavit, inquit, eos Dominus ex adipe frumenti » et temporalibus, et spiritualibus epulis eos satiavit. De hoc autem adipe alibi dicitur : « Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* lxii, 6). » Divina Scriptura frumentum est, quod videlicet frumentum aliis asperum, aliis delicatum panem ministrat. Mel vero de petra susceperunt, qui de pectore Salvatoris verba vitæ audire meruerunt. De quibus dicitur : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo! » (*Psal.* cxviii, 103.)

PSALMUS LXXXI.

PSALMUS ASAPH.

Sæpe jam diximus quid significet psalmus Asaph. Ecce Asaph, qui *synagoga* interpretatur, per quem bonorum omnium congregatio intelligitur. De synagoga loquitur malignantium, eamque reprehendit, quia Salvatori nostro per se ipsam sibi loquenti credere noluit.

« Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem « deos discernit. » Ubicunque sunt viri fortes, viri sapientes, et vitæ merito cæteris præeminentes, ibi est synagoga deorum. Sic autem de futuris quidem et præsentibus loquitur Propheta; et id, quod post multum temporis futurum erat, id factum esse ostendit. Stetit enim Dominus et Salvator noster in synagoga deorum, seu potius Judæorum et impiorum, et non solum de factis, verum etiam de perversis cogitationibus suis ea qua decebat auctoritate eos reprehendit et judicavit. Unde et in Evangelio dicitur, quia non loquebatur sicut Pharisæi, sed quasi potestatem habens. Hoc enim ipsi quoque testantur, dicentes : « Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et tibi non est cura de aliquo; non enim respicis personam hominis (*Matth.* xxii, 6). » Sed quomodo discernit et judicat eos? Sequitur :

« Quousque judicatis iniquitatem, et facies pecca- « torum sumitis? » Dicebant illi : « Hic homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* ix, 5). » Dicebat autem illis : « Cujus vestrum asinus, aut bos, in puteum cadet, et non continuo extrahet eum in die Sabbati? » (*Luc.* xiv, 5.) « Quousque judicatis iniquitatem? » « Quare transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Nam dixit : Honora patrem, et matrem; et vos dicitis : Munus quodcunque ex me est, tibi proderit (*Matth.* xv, 3-5). » Hoc autem iniquitas est, et contra mandatum Dei est. Facies autem peccantium sumunt, qui in judicio personam respiciunt, sive etiam qui judicando peccatores similes fiunt. Facies enim a faciendo dicitur. Eamdem igitur faciem habet cum peccatoribus, qui idem facit quod peccatores faciunt.

« Judicate pupillo et egeno, humilem et pauperem « justificate. » Si, inquit, pupillus et egenus, humilis et pauper justam causam habuerit, illos judicate; illis justitiam et victoriam date, neque ad personam, sed ad causam respiciatis; unde et subditur :

478 « Eripite pauperem, et egenum de manu « peccatoris liberate. » Non terreamini divitis et peccatoris potentia; sed constanter causam pauperis, si justa fuerit, justam esse ostendatis.

« Nescierunt, neque intellexerunt. » Nescierunt; inquit, Propheta, et verba tam salutaria, quæ eis Dominus loquebatur, neque intelligere voluerunt, ideoque « in tenebris ambulant. » In tenebris utique cæcitatis et erroris, quia cæci sunt et duces cæcorum. « Movebuntur omnia fundamenta terræ. » Contra hos, inquit, judices iniquos movebuntur omnia fundamenta terræ, per quæ apostolos intelligimus, ut eos juste judicent et damnent, qui alios injuste judicare et damnare non timuerunt. Hoc autem erit in judicio; quoniam, sicut scriptum est, apostoli « sedebunt super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* xx, 28). » Hunc autem versum interposuit Propheta. Hinc vero suæ orationis Salvator noster ordinem tenet.

Ego dixi : « Dii estis, et filii Excelsi omnes. » Hoc est enim quod in Evangelio dicitur : « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (*Joan.* i, 12). » Sunt siquidem dii, sunt filii Dei. Hoc Dominus dixit, hoc constituit. Hanc potestatem hominibus dedit; sed illis hominibus, qui receperunt eum, qui crediderunt in eum, et qui mandata ejus custodierunt. Cæteris autem quid? « Vos autem sicut homines « moriemini, et sicut unus de principibus cadetis. » Noluistis, inquit, esse dii, noluistis immortales fieri, noluistis rursum ad cœlestia conscendere; ideoque sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis. Moriuntur ut homines, qui et corpore et anima moriuntur; cadent vero sicut unus de principibus, per quem diabolus significatur. Similiter cadent et isti, et ille, qui uno modo et una hora simul mittentur in ignem. Huc usque Dominus, cætera vero loquitur Propheta

(705) Videntur in codice aliqua deesse, unde sensus imperfectus est.

Digitized by Google

(706) « Exsurge, Deus, judica terram. » Exsurge, inquit, Deus, quem ad Patris dexteram sedere conspicio; veni ad judicium, et judica terram : damna impios et peccatores, et sicut unus de principibus cadant qui non sursum aspiciunt, sed sola terrena et transitoria quærunt. Sufficiant tibi tui, illos honora, et glorifica; « quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. » Nulla enim gens est in qua Dominus non hæreditaverit, et in sortem sibi aliquos elegerit; quia, sicut scriptum est, « omnes gentes servient ei (*Psal.* LI, 11). »

PSALMUS LXXXII.

CANTICUM PSALMI ASAPH.

Vult Asaph ut iste psalmus cum cantico, et laudibus dicatur, in quo Dei virtus et magnificentia, et iniquorum exterminium et perditio prædicatur.

« Deus, quis similis erit tibi? (707) Ne taceas, « neque compescaris, Deus. » Cum veneris, inquit, o Deus, judicare terram, sicut in fine superioris psalmi legitur, quis erit similis tibi? Venisti quondam, sed humilis, et in forma servi; vidimus te non habentem speciem, neque decorem; venies autem clarissimus, et potentissimus in sede majestatis tuæ, et quis similis tibi? Quis te non timebit, Domine? Quis similis Deo inter filios Dei? « Ne taceas, neque compescaris, Deus. » Tacuisti, et sicut agnus sine voce ad victimam ductus, os non aperuisti; redde eis vicem, Domine. Locuti sunt illi, et nimis superbe locuti sunt in tempore suo, loquere et tu tempore tuo; cognoscant te excelsum, qui humilem agnoscere noluerunt.

« Quoniam ecce inimici tui sonuerunt. » Sonuerunt quidem, et stulte, crudeliter, et sine tentatione, *Crucifige* clamaverunt (*Luc.* XXIII). « Et qui oderunt te « extulerunt caput. » Sic enim in Evangelio dicitur: quia « illudebant ei moventes capita sua (*Matth.* XXVII, 39). » Caput autem levare contra Dominum, superbire est.

« In plebem tuam astute cogitaverunt consilium, « (708), et cogitaverunt adversus sanctos tuos. » Non solum, inquit, contra te, sed et contra plebem tuam, et contra Ecclesiam tuam, et Judæi, et omnes alii, de quibus modo dicturi sumus, cogitaverunt malum consilium. Et hoc astute, dolose et fraudulenter. « Et cogitaverunt adversus sanctos tuos; » et quid cogitaverunt, audiamus :

« Dixerunt : Venite, et disperdamus eos de gente, et non memorabitur nomen Israel amplius. » Notandum quia ubicunque loquitur Asaph, semper de veteri historia parabolas ponit, ut ea quæ antiquis patribus A acciderunt, parabolice ad Ecclesiam transferamus. Sicut in hoc loco, ubi Israel pro Ecclesiæ persecutoribus accipiuntur. Hoc enim Ecclesiæ adversarii non solum **479** cogitaverunt et dixerunt; verum etiam facere conati sunt, ut Christianorum nomen omnino de memoria hominum tolleretur. Unde et subditur :

« Quoniam cogitaverunt consensum in unum. » Cogitaverunt, inquit, et convenerunt in unum consensum; malum utique atque perversum, ut Ecclesiam destruerent, et sanctos Dei interficerent, et fidem catholicam omnino delerent.

« Adversum te testamentum disposuerunt. » Qui? « Tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ, Moab et « Agareni, Gebal et Ammon, et Amalech, et alieni- « genæ cum habitantibus Tyrum, » et cætera quæ sequuntur. Per hos autem qui Judæorum populum quondam graviter persecuti sunt, eos intelligimus qui Ecclesiam Dei usque hodie persequuntur. Nam et Judæi male legem interpretantes, et hæretici, et pagani adversus Dominum suum testamentum disposuerunt, omnesque alii qui novam doctrinam introducunt, adversus Dominum aliud testamentum facere disponunt. Sed videamus modo qui sunt isti qui sanctam Ecclesiam persequuntur. Primum quidem « tabernacula Idumæorum, » qui *terreni* interpretantur (709); per quos omnes illos intelligimus, qui non animæ, sed corpori serviunt, et sola terrena ac transitoria diligunt; a quibus non differunt « Ismaelitæ, » qui *sibi obedientes* interpretantur. Sibi autem obedientes sunt, qui cordis sui desideria sequuntur, et quocunque voluntas eos duxerit ire non erubescunt. « Moab » vero, qui *ex parte* interpretatur, furtiva et illicita conjunctione in ebrietate conceptus, eos significat qui Ecclesiæ sacramentis ab hæreticis generantur; tales enim bonos parentes habere videntur, sed ex patre diabolo esse probantur (710). Sed quid per « Agarenos, » qui *extranei* dicuntur, nisi eos intelligamus qui ab Ecclesia longe sunt, et sanctorum fidem et doctrinam recipere nolunt? « Gebal » vero *vallis vana* dicitur, per quam steriles et infructuosi, falsamque humilitatem simulantes, significantur. At vero « Ammon, » qui *populus turbidus* interpretatur, hæreticos designat, sicut et frater ejus « Moab, » de quo superius diximus. Sunt autem et ebrietatis et fornicationis filii, utpote insani et in errore generati. Per « Amalech » autem, qui *populus brutus* dicitur, homines stultos et indisciplinatos intelligimus, qui voluptatem summum bonum putantes, simul animam cum corpore mori arbitrantur. « Alie-

(706) Omnes superiores psalmi desunt in cod. Chisiano, et in Marchesio : hic autem prosequitur editio, et codex Ghisianus.

(707) De Christo Domino hic loqui Prophetam etiam Augustinus exponit : « Quid enim magnum dicitur, cum Deo dicitur : *Quis similis erit tibi?* nisi illi dicatur, qui similis esse hominibus voluit, *formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo,* » etc. *Philipp.* II, 7.

(708) Hæc altera lectio apud Augustinum et Cassiodorum invenitur.

(709) Perfecte convenit cum Augustino hujusmodi interpretatio.

(710) Hic innuere videtur S. Bruno quod supra in expositione psalm. LXVII, pag. 442, dixerat, nempe ordinatos ab Arianis, Nestorianis et Donatistis episcopis ad Ecclesiam catholicam revertentes, servatis propriis ordinibus misericorditer fuisse receptos, quod factum referens, validas admittit eorum ordinationes non tamen licitas, quibus benigne indulsit Ecclesia. Quoties vero suis erroribus non renuntient, etsi vere sacramenta receperint, diabolum tamen parentem habent. Quid vero sentiat S. Bruno de Simoniacis suo loco dicemus.

Digitized by Google

nigenæ » vero illi sunt qui idola colentes nullam Dei cognitionem habent. « Tyri » autem habitatores navigiis et negotiationibus dediti fuerunt, quos Propheta, quam divites fuisse describit, ut aliarum civitatum principes esse potuissent. Scribit etiam de rege Tyri, quem omni lapide pretioso decoratum esse dicit; sed ideo cecidit, quia in magnam superbiam se erexit. « Tyrus » igitur mundum significat; ejus vero habitatores, divites et potentes hujus mundi intelliguntur. Quod itaque adversus Testamentum Dei supradictas gentes, simul « cum habitantibus Tyrum, » venisse dicit, hoc est intelligere, quia non solum multæ provinciæ et nationes, sed totus mundus generaliter contra Ecclesiam conjuravit. Sed quid mirum? cum ipse diabolus eorum princeps eos regeret, et secundum suam voluntatem dirigeret. Hoc est enim quod sequitur :

« Etenim Assur simul venit cum illis. » Assur quippe *dirigens* interpretatur. Nullos autem alios diabolus ad se dirigit, nisi eos quos a via veritatis retorquet et aberrare facit. « Facti sunt in susceptionem filiis Loth. » Omnes, inquit, isti, de quibus superius locuti sumus, facti sunt in susceptionem et in adjutorium filiis Loth, per quos hæreticos significari diximus. Ecclesiæ inimici maximi et principales hæretici sunt, et idcirco quicunque Ecclesiam persequuntur, hæreticorum adjutores sunt; nunc autem eos excommunicat, et magnis imprecationibus eis maledicit.

« Fac illis sicut Madian et Sisaræ, et sicut Jabin « in torrente Cisson. Omnes isti disperierunt in En« dor, facti sunt sicut stercus terræ. »—« Madian » interpretatur *de judicio* ; « Sisara » *gaudii exclusio* ; « Jabin » *sapiens*, sed iste *mundanus* ; « Cisson, » *duritia eorum* ; « Endor » vero *generationis* (711). « Madian » itaque eos significat qui de judicio miseri exibunt. « Sisara » vero eos significat quibus omne gaudium excludetur, et semper in doloribus erunt. At vero « Jabin » sapientes hujus sæculi ostendit, qui apud Deum stulti esse dicuntur. Omnes isti peribunt in « Cisson et in Endor, » id est in duritia sua. Et in ipso fonte suæ generationis, per quod peccatum originale intelligimus, a quo qui Christi sanguine liberatus non fuerit, procul dubio in æternum peribit. Hoc bellum sub Barach et Debbora uxore ejus factum est.

« Pone principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et « Zebee, et Salmana : omnes principes eorum, qui « dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. » Hi quatuor reges sub Gedeone mirabili prælio superati sunt. **480** Interpretatur autem « Oreb, » *foramen* ; « Zeb, » *lupus* ; « Zebee, » *victima* ; « Salmana, » *umbra prohibendi*. Per « Oreb » eos intelligimus qui undique perforati, nullum vitiis et malignis spiritibus ingrediendi obstaculum opponunt. « Zeb » autem rapaces et prædatores significat. « Zebee » vero diaboli martyres sunt, qui se vicissim interficiendo, quotidie ei ubique immolantur. At vero « Salmana » hypocritas designat, qui nihil aliud sunt nisi umbra, et simulatio, et multoties ea quæ prohibere videntur vehementer fieri optant. Ad horum igitur similitudinem omnes illos perituros esse dubium non est, quicunque sanctuarium Dei, Dei hæreditatem aggredi non timent, et id quod divini juris est sibi vindicare non formidant. Et merito horum talium principes hoc in loco specialiter maledicuntur; sive quia suo malo exemplo ad hoc scelus cæteros impellunt, sive quia in eos per potentiam non repellunt.

« Deus meus, pone illos ut rotam; » ut celerrimo et præcipiti cursu subito ad inferiora terræ devolvantur.

« Et sicut stipulam ante faciem venti ; » quatenus violento malignorum spirituum turbine, ad perditionem mortemque trahantur. « Et sicut ignis qui « comburit silvas, velut si flamma incendat montes : « ita persequeris eos in tempestate tua, et in ira « tua conturbabis eos. » Bene autem silvis comparantur quia multi sunt, et montibus, quia superbiæ spiritu tumidi sunt, quibus, ut in Evangelio legitur, ignis æternus, et flamma inexstinguibilis præparata est.

« Imple faciem eorum ignominia. » Et revera ignominia et talibus maledictionibus digni sunt, qui sanctuarium Dei ejusque ministros ita conculcant, sibique subjiciunt, et tantis contumeliis afficiunt. Lege omnes divinas Scripturas, et nullos alios invenies ita excommunicatos et maledictos, sicut illos qui Ecclesias affligunt, et qui cogitare et dicere non metuunt : « Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. » Omnes enim isti sacrilegi sunt; et nos scimus quia omnes sacrilegi excommunicati, et maledicti, et damnati sunt. Hoc est enim quod hic dicitur : « Imple facies eorum ignominia; » et quando isti quærent nomen tuum, dicentes : Domine, Domine, tunc confundantur æterna confusione, et conturbentur, non ad horam, sed in sæculum sæculi. « Et re« vereantur, et pereant; et » tunc tandem « cognoscant, quoniam nomen tibi Dominus, » quem sub tantis interdictis, tantis prohibitionibus, tantis excommunicationibus et maledictionibus offendere non timuerunt.

« Tu solus Altissimus super omnem terram. » Tunc, inquit, quando ad judicium venies Dominus, omnes amici et inimici « cognoscant, quoniam tibi nomen Dominus, » et quoniam « tu solus Altissimus super omnem terram. » Et tunc, o Deus, « quis similis erit tibi? Ne taceas, neque compescaris, Deus, quoniam ecce inimici tui sonuerunt, et qui te oderunt extulerunt caput. » Tu quidem Altissimus es, ipsi tamen malo suo caput extollere non timuerunt.

(711) In hisce interpretationibus S. Bruno ducem habuit Cassiodorum.

Digitized by Google

PSALMUS LXXXIII.

IN FINEM PRO TORCULARIBUS FILIIS CORE (712).

In finem referatur iste psalmus, ad Christum videlicet, de quo hic dicitur : « Et respice in faciem Christi tui. » Est autem pro torcularibus, quorum suavi novoque vino sancti inebriati omnium terrenorum obliviscuntur, solaque Dei tabernacula videre et intrare concupiscunt. Datur autem ad cantandum filiis Core, id est populo Christiano, qui magis gloriatur de Calvariæ loco, quam de tota Jerusalem. Core nempe *Calvaria* interpretatur. Alii autem dicantur filii Sion : nos autem filii Calvariæ nominamur et sumus.

« Quam amabilia sunt tabernacula tua, Domine « virtutum (713): concupiscit et deficit anima mea in « atria Domini. » Hæc sunt illa tabernacula, de quibus Dominus ait : « In domo Patris mei mansiones sunt multæ (*Joan.* XIV, 2). » Unde Apostolus dicit : « Christus assistens pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, » etc. (*Hebr.* IX, 11.) Sunt igitur tabernacula ei multa, et unum, quia et multæ mansiones in una domo continentur. Ad hæc autem tabernacula, et horum tabernaculorum atria sancti Dei venire cupientes, nimio desiderio deficiunt. Sed quibus deficiunt ? **481** Omnibus mundi hujus voluptatibus, et quæcunque in hoc mundo haberi et desiderari possunt.

« Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum « vivum. » Optima spes resurrectionis, quod animam suam, quæ per cor significatur, et carnem suam in Deum vivum exsultasse dicit ; quoniam ad ipsum, et ad ejus tabernacula se venire confidunt. Sed quid mirum si viri sancti, et Deo amabiles ad illa tabernacula festinant, cum passer et turtur, parva animalia, domos et nidos sibi quærant et inveniant ? Hoc est enim, quod dicit :

« Etenim passer invenit sibi domum, et turtur « nidum, ubi reponat pullos suos (714). Altaria tua, « Domine virtutum, rex meus, et Deus meus, » non invenient sibi, subauditur domum et tabernaculum, ubi ponantur et stabiliantur ? Altaria Dei dicuntur sancti, quia Deo consecrati sunt, et in eis habitat Deus, in eis quotidie fiunt holocausta et sacrificia Dei. Unde Apostolus ait : « Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (*Rom.* XII, 1). »

« Beati qui habitant in domo tua, Domine. » Ideo, inquit, tanto desiderio in domum tuam sancti venire et habitare cupiunt, quia sciunt eos esse beatos, qui habitant in domo tua. Unde et hic idem Propheta alibi dicit : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI, 6). » Unde autem sit illa beatitudo, audiamus : « in sæculum sæculi laudabunt te. » Ab omnibus itaque occupationibus, et fatigationibus expediti, solis Dei laudibus et jubilationibus vacabunt. Et hoc est quod ipsi desiderant, ut Deum omni tempore et sine intermissione laudare et benedicere valeant. Qui autem habet quod desiderat, beatus est. Et hoc quidem in hac vita nullus hominum habere potest.

« Beatus vir cujus est auxilium abs te, Domine ; » beatus, inquit, est ille vir, cui in hac vita sic auxiliaris, ut ad illam domum tuo adjutorio conscendere possit. Nemo enim venit ad te, nisi tu traxeris eum. « Ascensus in corde ejus deposuit. » Ubi ? « In valle « lacrymarum, et in loco quem disposuisti ei (715). » Convallis lacrimarum, et locus laboris et certaminis a Deo nobis dispositus, hic mundus est. Hic igitur pro peccatis plorandum est, quia « beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v. 5). » Hic in vinea Dei laborandum est ; quia qui laboraverit, mercedem recipiet. Hic contra vitia et malignos spiritus totis viribus certandum est ; quia « nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Disponamus et ordinemus ascensiones in corde nostro, et quosdam gradus nobis faciamus, per quos de hac valle in illum montem ubi est illa domus ascendere valeamus. Si disposuisti jejunare, unum gradum fecisti ; si disposuisti eleemosynam dare, alterum fecisti ; si disposuisti debitoribus tuis debita dimittere, et omnibus in te peccantibus indulgere, et hic gradus est. Isto igitur modo illa scala conficitur, qua de hac valle profundissima in cœlum ascenditur. Qui autem hoc fecerit, beatus erit Unde hoc ? Sequitur :

« Ecce enim benedictionem dabit, qui legem dedit ; ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur « Deus deorum in Sion. » Qui, inquit, hanc legem dedit, et hunc ad sibi serviendum locum disposuit, ipse dabit et benedictionem, qua ad beatitudinem perducamur. « Venite, inquit, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34). » Et tunc quidem « videbitur Deus deorum in Sion ; » in illa videlicet Sion, quæ digne satis *speculatio* interpretatur. Sed a quibus videbitur ? Ab illis qui ambulabunt de virtute in virtutem, et qui per illam scalam ascendent, de qua modo superius diximus. Pulchra via est, de virtute

(712) « Filios Core interpretatos habemus *filios Calvi*, sive aliquid aliud quod nos forsitan latet : interim quod occurrit, videte, quia plenum est sacramento. Filii Core, filii Christi. Nam et filios suos dicit sponsus, cum ait, Matth. IX, 15 : *Non possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus.* Christianorum ergo sunt illa torcularia. » S. AUGUST. in hunc titulum.

(713) Alia lectio apud August. : *Quam dilectissima sunt tabernacula tua, Domine virtutum.* In tractatu S. Maxim. Taurin. contra Judæos, p. 745, edit. Rom., lectio conformis est textui Brunonis : *Quam amabilia sunt tabernacula*, etc.

(714) Hujusce similitudinis docta et copiosa habetur apud Augustinum expositio.

(715) Eadem versione usus est Augustinus, qui ait : « Unde ploramus ? Nisi inde se miserum exclamabat Apostolus, Rom. VII, 23, quia videbat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Et unde hoc nobis ? Ex pœna peccati. »

Digitized by Google

in virtutem ambulare, de fide in spem, de spe in charitatem, de charitate in humilitatem, de humilitate in patientiam, de patientia in obedientiam, de obedientia in continentiam, et sic transire de virtute in virtutem, donec veniatur ad summam virtutem, id est ad Salvatorem nostrum, qui est Dei virtus et Dei sapientia.

« Domine, Deus virtutum, exaudi precem meam, « auribus percipe, Deus Jacob. » Hoc autem tale est ac si diceret : Ut quolibet modo ad te conscendere valeam, exaudi orationem meam, quia aliter ad te venire non possum. Per Jacob illi intelliguntur qui vitia superant, malignos spiritus supplantant, et tales quidem in Dei militia non immerito computantur.

« Protector noster aspice, Deus, » et porrige manum ad te venientibus ; quia nisi tu traxeris nos in hoc itinere tam arduo, sine dubio deficiemus. « Et « respice in faciem Christi tui ; » qui ideo homo factus est, ideo nostræ humanitatis formam suscepit, ut ubi ipse est, et nos simus, et regem nostrum, nostræque humanitatis participem semper videamus, et videndo gaudeamus.

« Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. » Ideo, inquit, in illam domum, vel in arcam illius domus tanto desiderio intrare festino, quia melior est **482** dies una, una quidem, qui finem non habet : « Nox enim, » sicut scriptum est, « non erit illic (*Apoc.* XXI, 25). » Melior, inquit, est dies una, non dicam in domo tua, sed foris in atriis domus tuæ, super millia, ubicunque fuerint. Nihil igitur sunt omnia, quæcunque sunt, et ubicunque sunt, ad illius beatitudinis comparationem.

« Elegi abjectus esse in domo Domini magis quam « habitare in tabernaculis peccatorum. » Quamvis stella ibi differat a stella in claritate, nemo tamen ibi abjectus erit ; sed magis iste ibi desiderat minimus esse, quam in hoc mundo potentissimus esse, ubi non sunt nisi tabernacula peccatorum ; siquidem sanctorum conversatio in cœlis est (*Philipp.* III).

« Quoniam misericordiam et veritatem diligit Do- « minus, gratiam et gloriam dabit Deus. » Et gratiam quidem peccatoribus dabit, quia misericors est, gloriam vero pœnitentibus sibique servientibus, quia verax est. Illi sola misericordia salvantur, isti pro victoria coronantur ; aliter autem neque misericors, neque verax dici potuisset.

« Dominus non privabit bonis ambulantes in inno- « centia. » Illi ambulantes sunt in innocentia, quibus Apostolus dicit : « Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ (*Rom.* XII, 19). » Et quidem Dominus ait : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* X, 23). » Et : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Matth.* V, 44). » Cui enim nocebit, qui ipsos suos diligit inimicos ? « Non privabit bonis ambu- « lantes in innocentia. Domine, Deus virtutum, « beatus homo, qui sperat in te. » Tales autem non privabuntur bonis, sed æternis cum Domino deliciis perfruentur. Et ideo beatus, qui in domo tua habitabit. Ipse est enim, cui dicitur : « Spera in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (*Psal.* XXXVI, 4). »

PSALMUS LXXXIV.

IN FINEM FILIIS CORE, PSALMUS.

Multa bona in hoc psalmo promittuntur et dantur filiis Core, quia ipsi soli sunt quibus Christi incarnatio et passio fructuosa fuit. Ipse David loquitur in hoc psalmo, et sic de futuris, quasi de præteritis loquitur, et dicit Dominum in adventu Filii sui terram suam benedixisse, et de diaboli potestate liberasse.

« Ben dixisti, Domine, terram tuam. » In adventu, inquit, Filii tui benedixisti, Domine, terram tuam, quæ adhuc sub maledictione illa jacebat, qua primo homini dictum fuerat : « Maledicta terra in opere tuo (*Genes.* III, 17). » Tuam, inquit, terram benedixisti, illam videlicet quæ in te credit, tibique servit ; alia vero adhuc sub antiqua maledictione manet.

« Avertisti captivitatem Jacob. » Illius utique Jacob, qui patris benedictionem accipere meruit, per quem populus Christianus significatur, qui Christi sanguine et aqua baptismatis de diaboli potestate liberatus est.

« Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti om- « nia peccata eorum. » De populo Christiano loquitur, cui simul cum originali peccato omnia peccata in baptismo remittuntur (716). Unde et alibi dicitur : « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). »

« Mitigasti omnem iram tuam. » Tanta erat ira et indignatio Dei, usque ad id temporis, ut ipsi quoque patriarchæ et prophetæ necessario in infernum descenderent.

« Avertisti ab ira indignationis tuæ. » Avertisti, inquit, te ab ira indignationis tuæ, et quos prius videre nolebas, nunc quasi filios charissimos amplexaris.

« Converte nos, Deus salutaris noster. » Quoniam quidem, inquit, tu gratuita bonitate tua conversus es ad nos et eos, qui multum te offenderunt, respicere dignaris, converte nos quoque ad te, quia viæ nostræ pravæ sunt, per quas incedere soliti sumus. Tu enim es Deus Salvator noster, et in te solo consistit tota salus nostra. « Et averte iram tuam a nobis, ut non « in æternum irascaris nobis. » Sic, inquit, converte nos ad te, et sic avertas iram tuam a nobis, ut nunquam amplius irascaris nobis. Nunquam enim fit quod in æternum non fit. Unde et subditur :

« Neque extendas iram tuam a progenie in pro- « genies. » Fuisti, quasi dicat, iratus primis, rogamus te ne irascaris novissimis. Satis tibi sit quod præcedens progenies sensit iram tuam, amodo ea

(716) « Remittere, est debitum relaxare non causæ alicujus interventu, sed pietatis intuitu. Sic Dominus remisit culpam, dum reos pervenire fecit ad veniam, » etc. CASSIOD.

Digitized by Google

progenies, quæ secutura est, inveniat misericordiam tuam (717).

483 « Deus, tu conversus vivificabis nos, » qui nequaquam, nisi converteres, vivificares nos. Nemo enim vivificabitur, nisi qui a prima conversatione conversus fuerit. « Et plebs tua lætabitur in te, » tota penitus a via mala conversa ad te. Et quia hæc tanta conversio, et immutatio nisi per adventum Filii tui fieri non potest, veniat jam diu desideratus, tantoque tempore exspectatus. Et hoc est quod ait :

« Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, « et salutare tuum da nobis (718). » In eo enim ostendit Dominus misericordiam suam, quia dedit nobis salutare suum. Hæc misericordia omnes alias superavit, quia « proprio Filio non pepercit, et pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32). » Ostendit quam misericors esset, dum modum misericordiæ superascendit. Cum autem hæc Propheta tractaret, subito sensit Dominum in se loquentem, suæque petitioni respondentem, et ait :

« Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. » Dominus ergo est qui loquitur in prophetis, et ea quæ prophetæ dicunt, non sunt prophetarum, sed Dei (719). Unde et discipulis Dominus ait : « Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis (*Matth.* x, 20). »

« Quoniam loquetur pacem in plebem suam, et « super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad « ipsum. » Quid est autem, « loquetur pacem in plebem suam, » nisi, quia dabit pacem populo suo, et sanctis suis? Inde enim in Christi nativitate voces angelorum auditæ sunt, dicentium : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Quod enim dicitur « hominibus bonæ voluntatis, » hoc est quod dicitur, « et in eos, qui convertuntur ad ipsum. » Aliis enim non datur hæc pax, nisi his qui bonam voluntatem habent, et qui ad ipsum convertuntur, per quos videlicet soli Christiani significantur. Quid ergo de Judæis fiet, qui ad ipsum converti noluerunt? Audi Apostolum dicentem : « Cæcitas ex parte contigit in Israel (*Rom.* XI, 25). » — « Non enim repulit Deus plebem suam, quam præscivit (*ibid.* 2,). » Ex parte populus ille inconvertibilis fuit; multi tamen ex eis in Christum crediderunt, quorum gratia et inter eos nasci, et prius ad eos venire, et prius eis prædicare Dominus voluit. De quibus subditur :

« Verumtamen prope est timentibus eum salutare « ipsius. » Quamvis, inquit, maxima pars illius populi Dei Filium recipere noluit; « verumtamen prope est timentibus eum salutare ipsius. » Neque enim justum esset, ut propter malos bonos abjecerit, et propter inimicos, amici et timentes eum perirent. Propter igitur istos paucos eum timentes et in eum credentes factum est, « ut inhabitet gloria in terra « nostra. » Inde enim beatissima Virgo Maria, inde et apostoli fuerunt, de quorum maxima et principali gloria tota lætatur Ecclesia. Hinc est enim quod per prophetam dicitur. « Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, velut Sodoma essemus, et velut Gomorrha similes fuissemus (*Isa.* I, 9). »

« Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia « et pax complexæ sunt se. » In Christi namque nativitate, et in ejus gloriosissima humanitate evenerunt, seseque vicissim complectentes, quia nihil fuit bonitatis, nihil fuit virtutis et honestatis, quod in ipso non fuerit. Quoniam, sicut Apostolus ait : « In ipso requievit omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II, 9). » Ipse denique est misericordia, ipse est veritas et justitia, ipse est pax nostra, quæ fecit utraque unum (*Ephes.* II). Et hæc quidem :

« Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo « prospexit. » Beata Virgo Maria et terra vocatur et cœlum : terra per naturam, cœlum per gratiam; terra, quia de terra facta est, cœlum, quia Dei habitatio est. « Veritas igitur de terra orta est, » quia Salvator noster de Virgine natus est; ipse enim et via est, et veritas, et vita (*Joan.* XIV). « Et justitia de cœlo prospexit, » quia idem Dominus Salvator noster, qui de ea natus est, quæ et cœlum vocatur et terra, mundum istum misericorditer respicere, et impios, et peccatores justificare dignatus est. Bene autem cœlum dixit, quam terram vocaverat, ne tantæ personæ injuriam tali nomine fecisse videretur.

« Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra « nostra dabit fructum suum. » Certissime, inquit, credite, et nullatenus dubitare velitis, quia revera Dominus dabit benignitatem, et sicut per me ipsum, et per alios prophetas promisit, in tempore præfinito mittet nobis Filium suum, et terra nostra, sicut modo dixi, dabit fructum suum. Felix terra, quæ talem fructum dedit! felicissima Virgo, quæ talem Filium genuit!

« Justitia ante eum ambulabit. » Justitia, inquit, ante eum ambulabit : quia in omnibus justitiam sequetur, et in nullo a justitia deviabit. « Et ponet « in via gressus suos. » In via namque justitiæ gressus suos ponunt, qui per viam justitiæ incedunt. De

(717) Quæ compendiose dixit Bruno, per ampliorem Cassiodori expositionem declarantur : « Perscrutandum est autem quod duas progenies posuit : prima est enim (ut quibusdam placet) ab Adam usque ad Christum : secunda, quæ per gratiam baptismatis usque ad finem sæculi perducta concluditur. Petiit ergo ut, quia priori generationi pro pertinaciæ suæ qualitate juste iratus est Dominus, ne secundæ generationi velit irasci : quæ et si a peccato immunis esse non potest, tamen per gratiam baptismatis, et satisfactionem culparum suarum sordibus desiderat expiari. »

(718) « Da nobis, » id est concede « salutare tuum, » quasi amplectendum, quasi possidendum, quasi munere æternæ gloriæ perfruendum. Perfidis tantum apparuit, non etiam datus. » CASSIOD.

(719) Ex quo ipse Spiritus sanctus, qui loquitur in prophetis, de se dicit esse Deum, hinc arguit Cassiodorus, ejus cum Patre, et Filio, a quibus procedit, æqualitatem, eamdemque naturam, atque substantiam.

Digitized by Google

quibus Dominus ait : « Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* v, 6). »

484 PSALMUS LXXXV.

ORATIO IPSI DAVID (720).

David propheta in persona totius Ecclesiæ loquitur ipsi David, qui veraciter David vocatur, id est manu fortis. De quo alibi dicitur : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII, 8). »

Inclina, Domine, aurem tuam ad me, et exaudi « me, quoniam egenus et pauper sum ego. » Iste psalmus planus est, et totus deprecationibus plenus, neque eget multa expositione. Sed « beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v, 3). » Divitibus autem quid dicitur? « Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram (*Luc.* VI, 24). » Ecce enim iste, qui hic loquitur, quoniam egenus et pauper est, inde præcipue se exaudiri sperat. Hinc est enim quod Apostolus ait : « Præcipe divitibus hujus sæculi, non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* VI, 17). » Quam enim spem in Deo habere possunt, qui in incerto divitiarum spem suam ponunt? Pauperes sunt, qui nihil habent. De quibus Apostolus ait : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). » Egeni vero illi dicuntur, qui et multis egent, et paucis et minimis contenti sunt. De illis itaque hæc intelligamus, qui sua sponte egeni et pauperes sunt.

« Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. » Qui sanctus est, dignus est, qui a Domino custodiatur. Sed ego omnes illos sanctos intelligo, qui sacramentis Ecclesiæ sanctificati fidem tenent, et ab Ecclesia non recedunt, quamvis peccatores esse videantur. Sic enim et in legibus habetur, de locis Domino dedicatis, si destruantur, sacer tamen permanet locus. « Salvum fac servum tuum, Deus meus, « sperantem in te. » Et hic similiter ratio redditur, cur eum Dominus salvare debeat, dum dicit : « sperantem in te. » Certum est enim, quia « spes non confundit (*Rom.* v, 5). » et quia nunquam deserit Dominus sperantes in se.

« Miserere mihi, Domine, quoniam ad te clamavi « tota die. » Longo tempore se clamasse ostendit, in eo quod tota die se clamasse dicit. Hinc est enim quod Apostolus ait : « Sine intermissione orate (*I Thess.* v, 17) » Et Dominus in Evangelio : « Petite, inquit, et dabitur vobis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis; omnis qui petit, accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur (*Matth.* VII, 7, 8). » Et alibi dicitur, quia « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud (*Matth.* XI, 12). » Apparet igitur in his verbis quantum potest violenta et diuturna oratio.

« Lætifica animam servi tui, quia ad te, Domine, « levavi animam meam. » Digna est illa anima lætificari, quæ Domino offertur et præsentatur. Bonis actionibus levatur anima ad Deum, sicut malis mergitur in infernum.

« Quoniam tu, Domine, suavis et mitis es, et « copiosus in misericordia omnibus invocantibus te. « Auribus percipe, Domine, orationem meam, et « intende voci deprecationis meæ. » Jam non quærit ut ex suis factis, sed ex sola Dei bonitate exaudiatur, Exaudi, inquit, orationem meam, et deprecationem meam. Quare? Quia suavis es, quia mitis es, et peccatoribus ad te conversis benignus es; insuper et copiosus es in misericordia omnibus invocantibus te. Multi sunt invocantes et misericordiam postulantes, sed misericordia tua copiosior est, quam dici et cogitari possit.

« In die tribulationis meæ clamavi ad te, quoniam « exaudisti me. » In multis, inquit, tribulationibus meis expertus sum benignitatem tuam, quia in die tribulationis meæ semper clamavi ad te, et confidenter clamavi, quoniam semper exaudisti me. Hoc autem dii gentium facere non possunt, neque in suis tribulationibus ad se clamantes exaudire valent. Et hoc est quod ait :

« Non est similis tibi in diis, Domine, et non est « qui facere possit secundum opera tua. Quoniam « dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. » Ideoque « omnes gentes, quascunque fecisti, » relictis diis suis, et qui eos adjuvare, et de tribulationibus liberare non possunt, « venient ad te, et « adorabunt coram te, Domine, et honorificabunt « nomen tuum. » Hoc autem maxima ex parte jam factum est, et adhuc circa finem sæculi futurum est, quando plenitudo gentium intrabit, et quando Israel salvus fiet (*Rom.* XI). Et hoc merito.

« Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia, tu « es Deus solus. » Si illi, inquit, dii essent, adorandi et honorandi essent; sed quia tu solus Deus es, tu solus honorandus et adorandus es.

« Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo « in veritate tua. » In via Dei sunt omnes fideles, sicut in via diaboli sunt omnes infideles. Indigent tamen ut a Domino 485 deducantur, et ejus auxilio sustineantur, quatenus in veritate ambulare valeant, et nullatenus in errorem trahantur.

« Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. » — « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 10). » Unde et alibi dicitur : « Time Deum, et observa mandata ejus, hoc est enim omnis homo (*Eccle.* XII, 13). » Illa corda timent Deum, quæ spirituali sunt lætitia perfusa : quæ vero spirituali lætitia perfusa sunt, jam non terrena, sed cœlestia diligunt, et sperant. Quid est igitur, « lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum? » nisi da mihi cor perfectum,

(720) Oratio David. « Quia Dominus noster secundum carnem filius David, secundum vero divinitatem Dominus David et creator David; et non solum ante David, sed et ante Abraham ex quo David, sed et ante Adam ex quo omnes homines, sed et ante cœlum, et terram in quo omnis creatura est. » S. AUGUST.

Digitized by Google

et tui amoris lætitia plenum? Hoc autem si feceris, A et tale cor si mihi dederis, « confitebor tibi, Domine Deus, in toto corde meo, et honorificabo nomen tuum in æternum. » Et hoc merito. Unde hoc?

« Quia misericordia tua magna est super me, et « eripuisti animam meam ex inferno inferiori (721). » Magna quidem est misericordia, quæ ex inferno inferiori animam liberat. Sicut in illa superna beatitudine alii ab aliis differunt in gloria; ita in inferno alii ab aliis differunt in tormentis. Illæ igitur animæ liberantur ex inferno inferiori, quæ ex majoribus et gravioribus tormentis liberantur, non quod ibi aliquando fuerint, sed quia ibi futuræ essent, nisi gratia Dei liberatæ fuissent.

« Deus, injusti insurrexerunt in me, et synagoga « potentium quæsierunt animam meam, et non B « posuerunt te ante conspectum suum. » Sive David, sive Ecclesia conqueritur hic de adversariis suis. Verum est quod dicunt, quia et injusti insurrexerunt adversus eos, et sine Dei respectu et timore animas eorum perdere quæsierunt. Nam et David a Saule, et aliis iniquis, qui cum eo erant, et Ecclesia a tyrannis et hæreticis multas persecutiones passa est.

« Et tu, Domine Deus meus, miserator et mise- « ricors, patiens et multum misericors, et verax, « respice in me, et miserere mei; da potestatem « puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ. » Hæc tanta verborum inculcatio magnæ subjectionis, magnique amoris significatio est; multumque ei placere desiderat, quem tam laudabili, ut ita dixerim, alloquitur adulatione. Dedit autem potestatem puero suo David, etiam in hac vita, quia regem valde potentem eum constituit, et ab omnibus inimicis suis eum salvavit. Similiter etiam et Ecclesiæ filiis, quæ in hoc loco ejus ancillæ vocantur, magnam super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem in imici, potestatem Dominus tribuit.

« Fac mecum, Domine, signum in bonum, ut « videant qui me oderunt, et confundantur. » Multa signa fecit Dominus cum sanctis suis, et omnia in bonum, quia maxime propter signa quæ fiebant, ad fidem gentiles convertebantur. Quæ quidem maligni spiritus, et alii eorum inimici videntes, confundebantur, magnoque dolore et invidia torquebantur. D Facit autem Dominus cum peccatoribus signum in bonum, quando eos divina inspiratione ad se convertit, et duram pœnitentiam agere facit. Et fit multoties alicujus impii et scelerati hominis tam subita commutatio in bonum, ut pro signo et miraculo habeatur. Unde bene per prophetam dicitur : « Convertetur Libanus in Carmel (*Isa.* XXIX, 17). » Dicat itaque quilibet peccator: Fac mecum, Domine, signum in bonum, quatenus omnes boni admirentur, et gratias tibi agant de mea conversione; et videant qui me oderunt et confundantur, et inde confundantur, « quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me. »

PSALMUS LXXXVI.

FILIIS CORE PSALMUS CANTICI

Hunc psalmum cantant filii Core, læti, quia prius in Calvariæ loco Ecclesia ædificatur, de qua hic dicitur : « Fundamenta ejus in montibus sanctis. » Quia vero hic Psalmus Cantici est, non legendus, sed cantandus est, ut in eo majori lætitia plenum esse intelligamus, quia non legi, sed cantari jubetur.

« Fundamenta ejus in montibus sanctis. » Fundamenta, inquit, ejus in montibus sanctis; « diligit « Dominus portas Sion super omnia tabernacula « Jacob. » Jam superius de fundamentis dictum est. « Fundamentum aliud, ait Apostolus, nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » De quo et beato Petro Dominus ait : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI, 18). » Fundamentum igitur fundamentorum Christus est; siquidem et apostoli et prophetæ fundamenta sunt. Quæ igitur civitas super tales montes fundata est, merito 486 de ea dicitur : « Fundamenta ejus in montibus sanctis. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. » Si solas portas tantum diligit, dic mihi, quæso, quantum totam diligit civitatem? Tabernacula Jacob, isti Judæi intelliguntur, qui a Domino recedentes ubique gentium dispersi C sunt.

« Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » Sed quæ gloriosa dicta sunt? Forsitan illa, quod tota ex auro, et margaritis, et lapidibus pretiosis ædificari dicitur? Hæc utique gloriosa sunt. Alia tamen illa quæ de ea dicta sunt. Sed vis audire quæ? « Memor ero Raab « et Babylonis scientium me. » Et revera gloriosa, et plusquam gloriosa sunt hæc. Considera modo quid viri justi de Dei misericordia sperare et præsumere valeant, si etiam Raab et Babylonis Dominus memor erit? Altera meretrix fuit; altera Dei populum captivatum sustinuit. Et illa quidem exploratores, ne occiderentur? abscondit; hæc vero populum prævaricantem aliquanto tempore ex Dei præcepto in servitute detinuit. Talium igitur Dominus memor erit, qui memor est omnium scientium eum; neque enim aliter istarum memor esset, nisi quia eum scirent, et quamvis post multa flagitia, in eum tandem credere meruerunt? Valde enim notandum est quod ait : « scientium me. » Qualiscunque igitur prius fuerit, sive meretrix, sive sanctorum persecutor, si tandem conversus fuerit, et Dominum cognoverit, salvus erit. Unde et ipse Dominus ait : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum (*Joan.* XVII,

(721) De duplici inferno, superiore et inferiore, multis disserit hac in enarratione Augustinus. Probat autem dari superius infernum pro animabus justis, in quo impius dives Abraham et Lazarum suspexit, et alterum in quo ille infelix cruciabatur. « Eruisse Deum animam suam ab inferiore dixit, (David), quia liberavit se a talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris. »

Digitized by Google

3). » Audiamus nunc et alia gloriosa, quæ dicuntur de civitate Dei.

« Ecce, inquit, alienigenæ, et Tyrus, et populus « Æthiopum, hi fuerunt in ea. » Hoc est enim quod Apostolus ait : « Nunquid Judæorum Deus tantum? Imo et gentium (*Rom.* III, 19). » Similiter autem et apostolus Petrus : « In veritate, inquit, comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* X, 34). » Quicunque igitur Deum timet, et justitiam operatur, undecunque veniat, ab hac piissima civitate suscipitur, et non quasi alienigena, sed quasi civis et indigena habetur. Ita Cornelius centurio susceptus est, qui primus de gentibus Ecclesiæ filius factus est. Hoc et illud vas significabat, quod immundis animalibus plenum erat, quando Apostolo dictum est, « macta et manduca (*Act.* X, 13). » Hoc et illæ simiæ significantur, quæ simul cum pavonibus Salomoni afferuntur. Quid simia turpius? Quid pavone pulchrius? In tabernaculo Domini erant et cilicia, et pili caprarum; neque hircum in holocaustum Dominus respuit, cui tauri et agni offerebantur, aurum, et lapides, et ligna, cæteraque, quibus templum Domini constructum est, non ibi nata, sed aliunde allata sunt. Sic igitur et Ecclesia Dei ex omnibus gentibus ædificata omnes gentes recipit, neminem ad se venientem repellit. « Et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt in ea. » Gloriosa sunt hæc quæ et justis et peccatoribus spem magnam dare possunt, et immensam afferre lætitiam. Vis in Ecclesiam suscipi? Tyrios imitare, quorum opera et auxilio templum Domini ædificatum est. Imitare et centurionem, qui Synagogam Judæis ædificavit. Moyses, sicut legitur, Æthiopissam duxit uxorem, pro qua Maria soror ejus, quia murmuravit, lepra a Domino percussa extra castra ejecta est. Hujus Æthiopissæ filii sunt Æthiopes isti, de quibus nunc dicitur : « Et populus Æthiopum, hi fuerunt in ea. » Hæc est illa Æthiopissa, quæ in Canticis canticorum loquitur, dicens : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem (*Cant.* I, 4). » Hanc autem, quia Synagoga odio habet, ideo lepra percussa est, et usque ad sæculi consummationem intra Ecclesiæ castra non suscipietur. Hæc igitur gloriosa, imo gloriosissima sunt, quæ dicuntur de civitate Dei, in qua servi liberi fiunt, ignobiles gloriosi; et ibi, non alibi est illa aqua, quæ Æthiopum possit immutare colorem. Et hæc quidem tantam omnium hominum curam et diligentiam habet, ut non immerito omnium mater esse dicatur. Unde et subditur :

« Mater Sion dicet homo. » Ac si dicat : Hæc est mater et revera mater, quæ pietatis sinum omnibus aperit, nullis materna viscera claudit, omnes suscipit, omnes ex affectu fovet et nutrit. Sequitur : « Et « homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altis- « simus. » Multa superius gloriosa dicta sunt de civitate ista; sed hoc quod modo dicitur, omni gloria gloriosius est, nulla gloria huic gloriæ comparari potest. Ipse Altissimus, qui fundavit et fecit eam, ipse homo factus est, et natus est in ea. Et unde hoc probas? Vis audire unde?

« Dominus narravit in scripturis populorum suorum, et principum eorum, qui fuerunt in ea. » Interroga patres tuos, et annuntiabunt tibi, majores tuos, et dicent tibi (*Deut.* XXXII, 7; *Psal.* XLIII, 2). Lege scripturas omnium populorum, prophetarum scilicet et apostolorum, quæ omnes communes sunt, quæ ad nostram et omnium doctrinam scripta sunt, et docebunt te. Lege Moysen, Isaiam et Jeremiam, et invenies. Lege Evangelia, quæ non sunt minoris auctoritatis, quam illa. Lege Paulum servum Jesu Christi « qui vocatus est apostolus, et segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 1). Probatum est igitur quia homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Restat unum gloriosum adhuc, quod de **487** hac civitate dictum est, et ipsum audiamus :

« Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est « in te. » Nam et hoc valde gloriosum est, quod hujus civitatis habitatores perpetuam lætitiam habebunt, et miseriam nullam sentient : ubi enim miseria est, ibi lætitia locum non habet. Hæc autem lætitia spiritualis est, hoc gaudium, non festum temporaneum, sed æternæ felicitatis est. De qua Apostolus ait : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). » — « Lætamini ergo in Domino, et exsultate justi, et gloriamini omnes recti corde (*Psal.* XXXI, 11). » — « Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete (*Philip.* IV, 4). »

PSALMUS LXXXVII.

CANTICUM PSALMI FILIIS CORE IN FINEM PRO MACHELETH AD RESPONDENDUM, INTELLECTUS EMAN EZRAHITÆ (722).

Si canticum psalmi est, et cantandum pariter, et legendum est. In hoc enim psalmo Christi passio prædicatur, quæ nobis et lætitiam simul et tristitiam facit. Quis enim de salute sua non lætetur? Quis de passione Christi non contristetur? Cantemus igitur hunc psalmum de redemptione nostra gaudendo : nos enim sumus filii Core, a quibus cantari jubetur. Et eumdem psalmum legamus, Christi passioni compatiendo. Referatur autem in finem, id est ad Christum, quia « finis legis Christus est (*Rom.* X, 4). » — « Ipse est alpha et omega, initium et finis (*Apoc.* I, 17). » Iste autem intellectus Eman Ezrahitæ est, quia Eman Ezrahites isto modo hunc titulum intellexit. Interpretatur autem Eman *fortitudo eorum* : Ezrahites vero, *semen Dei*. Per hunc igitur apostolos intelligamus; qui Judæorum forchorum respondisse solemniter : mystice innuens Domini passionem, quæ hoc psalmo cantatur. » BEDA.

(722) « Macheleth, vel Amalech, interpretatur *chorus divina verba decantans*, et quod additur ad respondendum, significat organa musica prævenisse, et

Digitized by Google

nido sunt, quoniam ipsi eos judicabunt et damnabunt. Qui et ipsi sunt semen Dei, de quibus per prophetam dicitur : « Omnes, qui vident eos, dicent quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus (*Isa.* LXI, 9). » De hoc autem parvo semine per universum mundum a Domino seminato, tota Ecclesiæ multitudo pullulavit. Cui enim duodecim grana frumenti parvum semen non videatur?

« Domine Deus salutis meæ. » Filius secundum humanitatem loquitur ad Patrem, et de Judæorum perfidia conqueritur, qui tam inhoneste et tam crudeliter eum tractaverunt. Mentiuntur Judæi, qui dicunt : « Non est salus ipsi in Deo ejus (*Psal.* III, 3), » quem ipse suæ salutis Deum et Dominum esse dicit. « In die clamavi et nocte coram te. » In die namque et in nocte, in prosperis et in adversis clamavit Dominus, et palam prædicavit in Synagogis Judæorum, ut eos ab errore converteret, et veritatem cognoscere faceret. Unde et Patrem suum testem invocat, dum hoc coram eo se fecisse dicit. Hinc est enim quod ipse in Evangelio dicit : « Ego palam locutus sum mundo, et in abscondito locutus sum nihil, et semper docui in Synagogis Judæorum, ubi omnes Judæi convenerant (*Joan.* XVIII, 20). » Qui « si non venissem e. locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo (*Joan.* XV, 22). »

« Intret oratio in conspectu tuo, inclina aurem « tuam ad precem meam, Domine. » Usque nunc, quasi dicat, clamavi et prædicavi, sed parum me clamasse et prædicasse profuit; quia meis verbis deteriores facti sunt, qui mihi credere et obedire debuissent. Nunc itaque non illos prædico, sed te potius oro, ut ab eorum impietate me defendas. Quare hoc?

« Quia repleta est malis anima mea. » Si enim sponte sua passus est Dominus, utique et sponte sua repleta est malis anima sua, neque potuit contra voluntatem suam aliquid mali accidere animæ suæ, unde et alibi dicitur : « Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum (*Isa.* LIII, 7). » — « Et « vita mea inferno appropinquavit. » Bene dicit animam suam inferno appropinquasse, quia, quamvis ibi fuisset, nullas tamen ejus incommoditates sustinuit, quando eum exspoliavit. Sic igitur et longe fuit a tormentis, et tormentis appropinquavit. Secundum Judæorum æstimationem loquitur, qui nihil enim in perferendis tormentis ab aliis hominibus differre putabant. Unde et subditur :

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum,

(723) « Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. » Ita Vulgata, eademque lectio est apud S. Augustinum; quem locum sic illustrat : « In his verbis maxime persona Domini apparet. Quis enim alius inter mortuos liber, nisi in similitudine carnis peccati inter peccatores solus sine peccato? Hic ergo inter mortuos liber, qui in potestate habebat ponere animam suam, et iterum sumere eam : a quo eam nemo tollebat, sed eam ipse voluntate ponebat. » Consentiunt Origenes, Ambrosius, Hieronymus, aliique Patres; ut mirum sit aliquem esse

A « factus sum sicut homo sine adjutorio (723). » Ego autem liber inter mortuos fui, 488 neque aliquod ibi impedimentum inveni. Factus est igitur Dominus homo sine adjutorio, et sicut alii homines, qui in infernum descenderunt, non autem secundum rei veritatem, sed secundum stultam Judæorum opinionem. Secundum eamdem æstimationem, ea, quæ superius dicta sunt, intelligi possunt.

« Sicut vulnerati dormientes projecti in monumen- « tis, quorum non meministi amplius; et quidem « ipsi de manu tua repulsi sunt; posuerunt me in « lacu inferiori, in tenebris et in umbra mortis. » Sic, inquit, secundum æstimationem et judicium suum posuerunt me Judæi in tenebris et in umbra mortis, sicut ibi ponuntur vulnerati dormientes, B projecti in monumentis. Per hos autem homines iniqui significantur, diabolicis sagittis vulnerati et interfecti, et infernalibus monumentis demersi et projecti. Qui longe a memoria Dei facti sunt, in pœnis dormientes, semperque et sine fine morientes. Et hoc ideo quia propter scelera sua in loca illa pœnalia de manu Dei expulsi sunt. Inter hos autem stultissima Judæorum æstimatio, et opinio Salvatorem nostrum ponere non timuit.

« In me confirmata est ira tua, et omnes elationes « tuas super me induxisti. » Ubique subaudiendum est, secundum eorum judicium, et æstimationem. Putabant enim Deum sibi iratum fuisse, et omnia illa mala, quæ sibi inferebant, merito accidisse. Bene autem pœnæ illæ elationes vocantur, et sævientis C maris tempestatibus comparantur (724).

« Longe fecisti notos meos a me. » Notos suos apostolos dicit, qui timore perterriti eo relicto fugerunt omnes; de quibus in Evangelio legitur quia « stabant noti ejus a longe, ut viderent finem (*Luc.* XXIII, 49). » — « Posuerunt me in abominationem « sibi. » Illi qui in lacu inferiori, ut supra diximus, eum posuerunt, etiam abominabilem habere non timuerunt.

« Traditus sum, et non egrediebar. » Quid necesse fuit ut proditione caperetur, qui inter eos conversabatur, et nusquam egrediebatur? Non fugit Dominus, sed econtra illis venientibus sua sponte obviam ivit, et in se irruentibus ait : « Quem quæritis? » Illis D autem respondentibus, « Jesum Nazarenum, » dicit : « Si me quæritis, sinite hos abire (*Joan.* XVIII, 7, 8), » de discipulis suis loquens, de quibus subditur :

« Oculi mei infirmati sunt præ inopia. » Oculos suos apostolos vocat (725), ob nimiam dilectionem, qua eos diligebat. Unde et ipse ait : « Sicut dilexit

negantem hanc eos docuisse sententiam.

(724) « Et omnes elationes tuas super me induxisti. » Hoc adhuc dicitur quantum ad deliberationem pertinuit nefariam Judæorum. Credebatur Deus induxisse super Christum elationes, id est amplissimas indignationes, quando eum pertulit crucifigi; mortem illam putantes pœnalem, cum dispensationis ejus gloriam non viderent. » Cassiod.

(725) Pro oculis, apostolos intelligit etiam Cassiodorus, qui ait infirmatos præ inopia; « quia necdum acceperant Spiritum sanctum, quo confortati postea

Digitized by Google

me Pater, et ego dilexi vos (*Joan.* xv, 9). » Hac autem significatione idem ipse alibi ait : « Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te (*Matth.* xviii, 9). » Per oculum eos videlicet significans quos charissimos habemus, et quasi oculos amamus. Isti autem passionis tempore, mortis timore adeo infirmati sunt, ut ipse qui inter eos fortior habebatur, ter eum negaret. Et hoc quidem præ inopia ; copia et inopia contraria sunt. Copia apostolorum Christus erat, quia virtutem, constantiam et fortitudinem, et quæcunque eis necessaria erant in ipso habebant et possidebant. Quia igitur copiam fugerunt omnium bonorum inopiam habuerunt.

« Clamavi ad te, Domine, tota die expandi manus « meas ad te. » Clamavit autem, sicut in Evangelio legitur, voce magna, dicens : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, et inclinato capite emisit spiritum (*Joan.* xviii, 30). » Expandit vero in cruce positus manus suas tota die, sicut per prophetam dicitur : « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem mihi (*Rom.* x, 21 ; *Isa.* lxv, 2). » Hac benigna manuum suarum extensione totum mundum Dominus complexatus est, omnesque credentes ad se traxit.

« Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici « resuscitabunt, et confitebuntur tibi ? » Clamavit Dominus in cruce, et quid clamaverit Propheta manifestat. Sed hæc verba solus Pater audivit, cui soli Filius loquebatur. Cætera vero, quæ non corde tantum, sed ore locutus est, omnes qui aderant audire potuerunt. Veluti quando dixit : « Pater, ignosce illis, qui nesciunt quid faciunt (*Luc.* xxiii, 34). » Clamavit igitur Salvator noster, et pro illis qui tunc temporis in eum credebant, et pro omnibus aliis, qui in toto mundo crediturі erant. Alios vero omnes mortuos et tenebras vocat, quos neque verbis, neque miraculis credituros esse cognoverat. Et hoc est quod dicit : « Nunquid mortuis facies mirabilia ? » Multa mirabilia fecit Dominus per sanctos suos coram impiis et peccatoribus, quos mortuos dicit, quæ ipsi non divina virtute, sed magicis artibus facta esse dicebant : « Aut medici resuscitabunt, et confitebuntur tibi, » et laudabunt te ? Sic, inquit, mortui sunt, et insensibiles facti, ut neque verbis, neque miraculis, neque medicinis resuscitari valeant. Medici Dei, apostoli et doctores sunt, qui et mortuos resuscitabant, et omnes languores et infirmitates sanabant.

« Nunquid enarrabit aliquis in sepulcro misericor- « diam tuam, aut veritatem tuam in perditione ? » Tales, quasi dicat, non solum 489 mortui sunt, verum etiam jam fetidi et perditioni traditi in sepulcris dealbatis putrescunt : qui igitur eis Dei misericordiam et veritatem prædicare valeat ? (726)

« Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, « et justitia tua in terra oblivionis ? » Isti, inquit, tenebræ sunt, terra oblivionis, in quorum memoria nihil boni est, cum omnino sint erroris tenebris obvoluti. Talibus itaque mirabilia Dei facere, et ejus justitiam prædicare superfluum et inutile est.

« Et ego, ad te, Domine, clamavi. » Sed non pro his clamavi ad te : « Ego enim scio quos elegerim (*Joan.* xiii, 18). » Pro quibus igitur clamavit Dominus ? Utique pro discipulis suis, et pro omnibus aliis, qui per verba illorum crediturі erant in eum. Lege in Evangelio, et sic eum fecisse invenies. Et pro talibus quidem illico a Patre exauditus est. Hoc est enim quod ait : « Et mane oratio mea præveniet te. » Mane autem fieri dicitur, quod subito fit et sine ulla dilatione ; sicuti econtra quod tarde fit sero fieri dicitur.

« Ut quid, Domine, repellis orationem meam, « avertis faciem tuam a me ? » Hæc sententia superiori videtur esse contraria ; dum dicit se exauditum, et statim dicit orationem suam esse repulsam. Quomodo enim exauditus est, si ejus oratio repulsa est ? Determinandum est itaque, ut secundum diversa tempora, vel secundum diversas personas hoc intelligatur. Nunquam enim Pater ejus repulit orationem, nunquam faciem suam ab eo avertit ; repulisse tamen et avertisse dicitur, quod sanctos in magnis afflictionibus positos non tam subito liberat et exaudit, sed aliquandiu affligi permittit (727). Non repellitur igitur oratio Christi, quamvis in aliis mane, et in aliis sero exaudiatur ; ostendit autem quantam compassionem in servis suis habeat, eum eos diutius affligi non patiatur.

« Egenus sum ego, et in laboribus a juventute « mea. » Pro istis, inquit, de quorum intolerandis dolco passionibus, cum omnium dives essem, egenus et pauper factus sum, pro his quoque in laboribus et fatigationibus sum a juventute mea. Ex quo in Judæa prædicare cœpi, pro his exaltatus sum in cruce, humiliatus in sepulcro, et confusus sum, ignominia crucis et morte turpissima ab impiis condemnatus.

« In me pertransierunt iræ tuæ, et terrores tui « conturbaverunt me. » Hoc est enim quod alibi dicitur : « Quod non rapui, tunc exsolvebam (*Psal.* lxviii, 5). » Omnes iræ Dei, quæ peccatoribus debebantur, in Christum transierunt, quia pro omnibus moriens, omnes Dei iras et indignationes mitigavit. Terrores quoque Dei conturbaverunt eum, quia, sicut ipse ait, nullam in eum potestatem haberent, nisi desuper datum eis fuisset.

« Circumdederunt me sicut aqua tota die, circum- « dederunt me simul. » His autem verbis et a multis, et cum magna instantia et diligentia ne evadere potuisset, se a Judæis circumventum et custoditum fuisse ostendit.

nullatenus humana tormenta timuerunt. »

(726) « Illos vult intelligi, qui non sunt Domino crediturі : quia nullus eis misericordiam Domini videtur narrasse, quem non voluerunt devota mente percipere. » Cassiod.

(727) Eamdem expositionem affert D. Augustinus.

Digitized by Google

Elongasti a me amicum et proximum, et notos « meos a miseria. » Per hos autem apostolos intelligimus, qui eo relicto omnes fugerunt, et ipso volente et jubente teneri non potuerunt; sic enim ipse ait : « Si me quæritis, sinite hos abire (*Joan.* XVIII, 8), » ut adimpleatur sermo qui dixerat : « Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam (*Joan.* XIII, 9). »

PSALMUS LXXXVIII.

INTELLECTUS ETHAN EZRAHITÆ (728).

(729) Ethan *robustus*, et Ezrahites *semen Dei* interpretatur. Robustorum igitur et filiorum Dei intelligentiam, per quos apostoli et martyres significantur in hoc psalmo sequi et tenere debemus. Est autem hic psalmus Ecclesiæ Testamentum, ut firmissime credat, et nullatenus dubitet de omnibus, quæ per hanc chartulam donationis sibi promittuntur.

« Misericordias (730) tuas, Domine, in æternum « cantabo, in generationem et generationem pro« nuntiabo veritatem tuam in ore meo. » Promittit Propheta se in æternum cantare misericordias Dei, et in omnes generationes se pronuntiare veritatem ejus. Et reddit rationem, quare hoc faciat.

« Quoniam dixisti : In æternum misericordia ædi« ficabitur in cœlo, quoniam dixisti 490 quia in « æternum præparabitur veritas tua in eis (731). » Cœli dicuntur omnes sancti, sicut econtra terra omnes peccatores vocantur. Unde et primo homini dictum est; « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » Quoniam autem sancti æterni sunt, æterna misericordia est, et veritas, qua salvati sunt (732). Si vero æterna est, et ut Deum laudent in æternum, necesse est, quoniam omne optimum opus semper suum laudat factorem. Semper igitur laudabunt misericordias Domini, quicunque salvati sunt per misericordias Domini.

« Disposui Testamentum electis meis. » Alia causa, quare in æternum cantet misericordias Domini : « quia dixisti, inquit, disposui Testamentum electis meis, » et cætera quæ sequuntur, fidelibus tuis dare promisisti ideo et per meipsum, et per eos, qui hæc verba mea suscipient, misericordias tuas in æternum cantabo.

« Juravi David servo meo : Usque in æternum « præparabo semen tuum, et ædificabo in sæculum « sæculi sedem tuam. » Hoc est itaque illud Testamentum, quod se Dominus electis suis dare disposuit. Quod autem se Dominus jurasse dicit, sui sermonis firmitatem ostendit, quia omne quod promittit, quasi juramentum et plus quam juramentum est; si-

A quidem nullo modo immutari potest. « Usque in æternum, inquit, præparabo semen tuum, » quæ nunquam deficient verba tua, nunquam filii tui deficient. Et in sæculum sæculi ædificabitur sedes tua, quia de te nascetur, cujus sedes et cujus regnum in æternum manebit. Cantat igitur David, sicut jam diximus, misericordias Domini in æternum; siquidem semen ejus et doctrina ejus manet in æternum.

« Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine, et « veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. » Illi, inquit, cœli, in quibus misericordia tua et veritas tua in æternum præparata est, confitebuntur et laudabunt mirabilia tua, et veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Rationabiles sunt isti cœli, qui Deum laudant B et prædicare didicerunt. Quicunque autem evangelium prædicant, multa quidem mirabilia, et veritatem sine dubio prædicant.

« Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? « Aut quis similis erit Deo inter filios Dei? » Et hoc quidem prædicant cœli, et quod prædicant verum est, quoniam nulla creatura, quamvis magni meriti sit, Filio Dei comparari potest. Et ipse quidem solus Dei Filius est per naturam, alii vero omnes per gratiam et adoptionem. Quando autem homines videntes mirabilia, quæ per apostolos fiebant, eos quasi deos adorare volebant, tunc nimirum hæc apostoli dicere cogebantur : « Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? Aut quis similis erit Deo C inter filios Dei? » Nos, quasi dicant, homines sumus, et illius servi sumus quem vos insipienter non esse putatis. Isti sunt illæ nubes de quibus dicitur : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant? » (*Isa.* LX, 8.) Dabant autem pluvias istæ nubes, non tamen a se, sed quas de illo fonte clarissimo suscipiebant.

« Deus, qui gloriatur in consilio sanctorum. » Hic est, inquit, ille Deus qui ab omnibus sanctis glorificatur et magnificatur. « Magnus, et metuen« dus super omnes, qui in circuitu ejus sunt. » Illi sunt in circuitu ejus et appropinquant sedi ejus, qui magis familiares sibi sunt et amplius ab eo diliguntur. Unde in Apocalypsi Joannes apostolus dicit se vidisse sedentem in sede, et in circuitu sedis viginti quatuor seniores (*Apoc.* V, 8). Omnes isti et magni D et metuendi sunt, sed ille major est et magis metuendus est. Unde et subditur :

« Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Potens « es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo. » Modo nos docet Propheta, qui sunt illi qui in circuitu ejus sunt, et quibus omnibus ipse fortior et potentior est, utpote Deus virtutum, et cui nemo similis

(728) Hic titulus est juxta Vulgatam. Apud Augustinum legitur : *Intellectus Æthan Israelitæ*. Æthan, et Æman filii Zaræ ut Paralip. II, 6. Ex quo forsan Zaritæ, vel Ezrahitæ.

(729) Tituli hujus interpretatio, quam S. Bruno tradidit ex Beda desumpta est, quemadmodum fere omnes aliæ, ut legentibus animadversiones cardinalis Thommasii constabit, eumdemque Bedam, secutus est in sensus mystici expositione.

(730) Ita etiam apud S. August. legitur. « Misericordias tuas, Domine. » In Vulgata *tuas* omittitur.

(731) Lectio Vatic. : « Quoniam dixisti : In æternum misericordia ædificabitur, in cœlis præparabitur veritas tua. »

(732) Super quæ egregie S. Aug. : « Neque enim exhiberetur veritas in impletione promissorum, nisi præcederet misericordia in remissione peccatorum. »

Digitized by Google

est. « Veritas enim tua in circuitu tuo. » Illi, quasi dicat, sunt in circuitu tuo et familiarius tibi adhærent, qui prædicaverunt et docuerunt veritatem tuam, per quos patriarchas, apostolos et doctores intelligimus. Merito autem vocantur isti veritas Dei, quia in verbis istorum multis assertionibus probatum est, quam verax est Deus.

« Tu dominaris potestati maris. » Hoc est illud mare de quo dicitur : « Hoc mare magnum et spatiosum (*Psal.* CIII, 25), » per quod mundus iste significatur, cujus princeps et potestas diabolus exstitit, le quo Dominus ait : « Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XVI, 11). » Unde et Apostolus : « Non est, inquit, nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI, 12). » Huic autem potestati, sive potius potestatibus (multi enim sunt) dominatur Dominus, et secundum suam voluntatem eos coercet, ut non quantum volunt, mare istud perturbare valeant. Et hoc est quod dicit : « motum « autem fluctuum ejus tu mitigas. » Tanta est enim diaboli sufflatio, ejusque malignitatis inspiratio, nisi iras hominum qui ejus veneno assidue inficiuntur Dominus mitigasset; omnes se vicissim homines interficerent.

« Tu humiliasti sicut vulneratum superbum. » Ipse enim non solum superbus est, sed rex super omnes superbiæ filios alibi dicitur. **491** Hunc autem quasi vulneratum humiliavit Dominus, quia potenter eum ligavit, et domum ejus exspoliavit. Qui autem post mille annos solvendus esse narratur. « Et in « virtute brachii tui dispersisti inimicos tuos. » Per hos inimicos, Judæos intelligere possumus, qui de patria ejecti in universum mundum dispersi sunt in Salvatoris nostri virtute atque potentia.

« Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terrarum « et plenitudinem ejus tu fundasti. » Tu, inquit, quem Judæi crucifixerunt, et cœli et terræ Dominus es, tu ipse fundasti orbem terrarum, et omnia quæ in eo sunt, tu fecisti, cujus fundamentum, quale sit, nisi tua revelatione, nullus hominum scire potest.

« Aquilonem et mare tu creasti. » Magna laus, et magna gloria est Salvatoris nostri, dum omnium rerum creator esse describitur. Possumus autem per aquilonem, illum intelligere de quo dicitur : « Ab aquilone pandentur mala super omnes habitatores terræ (*Jer.* I, 14). » Per mare vero ejus ministros sibique obedientes, siquidem soli venti mari dominantur. Dei igitur creatura est diabolus, quamvis nimia superbia elevatus dicere ausus fuerit, quod Altissimo similis fieret. Unde et beato Job Dominus ait : « Ecce Behemoth, quem feci tecum (*Job.* XL, 10), » ostendens quia sicut fecit Job, sic fecit et Behemoth.

« Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt. » Interpretatur autem « Thabor » *lumen veniens;* « Hermon » vero *anathema ejus.* Isti duo montes apostolos et Ecclesiam significant, qui et ipsi multis in locis montes vocantur. Sunt enim apostoli lumen veniens, qui non otio dediti, sed sollicite ubique discurrentes totum mundum sua doctrina illuminaverunt. Ecclesia vero anathema ejus, quem nominare fastidiosum et turpe est, semper in ore habet, quia eum excommunicare, exsufflare et maledicere non cessat. Hoc autem probare poteris, si sacerdotes audieris, quando scrutinia faciunt (733). Et isti quidem in nomine ejus semper exsultant, quia et dici et esse Christiani vehementissime gaudent. « Tuum « brachium cum potentia. » Brachium patris filius est, et brachium filii apostoli sunt. Tanta autem in apostolis potentia fuit, ut dæmonia fugarent, omnes suos inimicos superarent, omnesque languores et infirmitates sanarent.

« Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua. » Et brachium, et manus, et dextera idem significant. Hæc autem manus, et hæc dextera tam firmata et exaltata est, quando Spiritum sanctum apostoli susceperunt, quoniam tunc et sacerdotes, et excellentiores omnibus hominibus facti sunt; unde et eisdem ipse Dominus ait : « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). » « Firmetur, inquit, manus tua, et exaltetur dextera tua. » Ad quid? ad construendam et præparandam sedem tuam. Quibus instrumentis? « Justitia et ju- « dicium præparatio sedis tuæ. » Sedes Dei Ecclesia est, in qua Salvator noster maximus Pontifex ordinatus est. Hinc est enim quod omnes episcopi Ecclesias, in quibus ordinati sunt, sedes suas vocent. Præparatur autem in justitia et judicio sedes Dei, quia nulla pulchritudo ibi est, ubi justitia et judicium non est. Quid igitur misericordia? Nunquid et ipsa huic præparationi necessaria non est? Ad quod ipse :

« Misericordia et veritas præibunt ante faciem « tuam. » Hoc est enim quod alibi dicit : « Misericordia et veritas complexæ sunt se (*Psal.* LXXXIV, 11); » junctæ sibi in Christo sunt misericordia, et veritas, quæ et justitia vocatur, et naturaliter junctæ, quia et justitia m faciendo misericors est, et misericordiam faciendo justus est. Præcedunt igitur hæ duæ virtutes ante faciem Christi, quia in omnibus suis actionibus eas sequitur, et a misericordia et justitia nunquam recedit. Unde et merito alibi di-

(733) Hoc ex loco testimonium habemus adhuc sæculo XI, in quo sanctus Bruno floruit servari in Ecclesia vetustissimam consuetudinem faciendi scrutinia de his, qui in Sabbato sancto solemniter baptizandi erant, quæ scrutinia, probationes scilicet, an symbolum, orationem Dominicalem etc., memoriter tenerent in Dominicis 4 et 5 Quadragesimæ ab episcopis, vel pastoribus habebantur; quo tempore fiebant etiam super *baptizandos* exorcismi ad expellendos dæmones; et novi fideles ad Baptismi sacramentum præparabantur. Vid. Chardon De sacram. lib. I, cap. 7. Trombellium De sacram. Baptismi, etc.

Digitized by Google

citur : « Universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10). » — « Beatus populus » Christianorum, « qui solus scit jubilationem. » Jubilatio gaudium ineffabile est, quod intus in secreto cordis de Deo habetur, quod quidem neque verbis, neque litteris exponi potest. Hoc autem ideo dixit Propheta, quia hæc verba, quæ modo loquitur, gaudium et jubilationem in omnibus fidelibus excitare debent (734).

« Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. » Domine, inquit, in lumine vultus tui ambulabunt Christiani tui, quia eris oculus illorum, et ad tuorum luminum similitudinem eorum oculos illuminabis. Soli igitur Christiani illuminati sunt, alii vero omnes cæci sunt, et in tenebris ambulant. « Et in nomine tuo exsultabunt tota die; » de tanto videlicet patronimico gloriantur, quia a Christo Christiani vocantur. « Et in tua justitia exaltabuntur. » Si Salvator noster tantam justitiam non haberet, non exaltarentur, qui pro eo moriuntur, sed potius illi qui de eo male loquuntur.

492 « Quoniam gloria virtutis eorum tu es. » Tu, inquit, es gloria, tu es præmium et corona virtutis eorum. Unde non tantum tota die, sed omni tempore et gaudere, et exsultare possunt. Magnam gloriam suscipit de virtute sua, qui Deum ipsum habere meretur pro victoria virtutis suæ. « Et in « beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. » Si quæratur a te de cornu Christianorum, quomodo scilicet virtus et potestas eorum tantum exaltata sit? Responde, quia sic placuit Deo, et in beneplacito ejus, nullis præcedentibus meritis sic exaltati et sublimati sunt.

« Quoniam Domini est assumptio (735) et sancti « Israel regis nostri. » De assumptione carnis nostræ loquitur, quam non angelus, non archangelus, sed ipse per seipsum Filius Dei, ut nos redimeret et exaltaret assumere dignatus est. In hac igitur assumptione est omnis virtus et fortitudo, gloria et potestas, et omnis beatitudo nostra. Apostrophe ad Patrem.

« Tunc locutus es in aspectu filiis tuis, et dixisti « (736) : Posui adjutorem super potentem, et exal- « tavi electum de plebe mea. » Sic de futuris, quasi de præteritis loquitur, secundum prophetarum consuetudinem. Tunc, inquit, quando Salvator noster carnem assumpsit, locutus est Dominus filiis suis, per quos omnes mundi nationes intelligimus, omnesque suos fideles intelligere fecit ea quæ de Christi passione, resurrectione et ascensione

(734) Cod. Ghis., *omnibus fidelibus facere debent.*

(735) Quia in textu Augustini lectio est : « Quoniam Domini est susceptio; » ideo hæc apposite subjicit. « Ipse susceptio, ipse te illuminat: in ejus lumine tutus es, in ejus lumine ambulas, justitia ejus exaltaris. Ipse te suscepit, infirmitatem tuam ipse custodit, ipse facit robustum de se, non de te. »

(736) Eadem lectio est apud Augustinum. *Tunc locutus es in aspectu filiis tuis, et dixisti.* « Locutus es in aspectu tuo, revelasti hoc prophetis tuis, ideo

A scripta sunt, sive in his psalmis, sive in lege et prophetis, sive in aliis scripturis. Unde et in aspectu locutum esse dicit, hoc est palam et manifeste, quæ prius in occulto et obscure loqui consueverat. Nunc igitur ea audiamus quæ de unigenito Filio suo locutus est Dominus filiis suis sive per prophetas sive per apostolos, sive per alios quoscunque prædicatores. « Posui, inquit, adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea. » Quando ista dicuntur, non ad divinitatem, sed ad solam humanitatem respicere debemus. Posuit enim Dominus adjutorium redemptionis et salutis nostræ super potentem, imo vero super omnipotentem, de quo alibi ait : « Ponam in salutare, fiducialiter agam in eo (*Psal.* 11, 6). » — « Ego autem constitutus sum rex B ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini (*Psal.* II, 6). »

« Inveni David servum meum. » Inveni, inquit, David servum meum, hominem fortem, sapientem, sine peccato, et sine carnis concupiscentia natum. Servus autem pro parte carnis, Christus vocatur.

« Oleo sancto meo unxi eum; » de quo videlicet alibi dicitur : « Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis (*Psal.* XLIV, 8). » — « In ipso enim, sicut scriptum est, requiescit omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II, 9). » Qui de seipso alibi dicit : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (*Luc.* IV, 18). »

« Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium C « meum confortabit eum. » Manus, et brachium Patris virtus, et fortitudo est, quæ, quantum Christus voluit, auxiliata est.

« Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquita- « tis non nocebit ei. » Hic est ille inimicus, filius iniquitatis, de quo ipse Dominus in Evangelio ait. « Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XVI, 11). » Nullus alius in hoc mundo præter Christum, natus est, in quo aliquid de suo diabolus non invenerit, ipse enim solus sine peccato natus est; ipse est, « qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II, 22). » Non quærit itaque diabolus in homine, nisi ea quæ sua sunt, et in quo aliquid de suo non invenerit, nihil D ei suis accusationibus nocere poterit. Quomodo igitur Salvatori nostro nocere potuit, ad quem, si voluisset, nunquam accedere valuisset. Unde et subditur :

« Et concidam inimicos ejus a facie ipsius, et « odientes eum in fugam convertam. » Hoc autem

locutus es eis in aspectu, id est in revelatione, unde prophetæ videntes dicebantur. » Hæc subjicit S. doctor. Etiam Cassiodorus habet *in aspectu*; in Vulgata autem legitur : *in visione.* Ejusdem Cassiodori hujus loci egregiam expositionem subjiciam. « Per hoc verbum, ait, illud ostenditur; quia quidquid prophetæ dixerunt, non ignoranter locuti sunt: sed in contemplatione certissima constituti, viderunt quod ore prædicaverunt. »

Digitized by Google

de malignis spiritibus et de omnibus aliis inimicis intelligi potest. Quod tamen si ad judicium referatur, non erit inconveniens.

« Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso. » Per veritatem et misericordiam Patris, quæ cum ipso et in ipso erat, ipsam ejus divinitatem intelligere possumus quæ semper eum in omnibus et regebat, et fovebat. Unde et subditur : « Et in nomine « meo exaltabitur cornu ejus. » Unum nomen est et Patris et Filii, quia sicut Pater, et Filius Deus vocatur. Exaltatus est igitur Salvator in nomine Patris, quia humanitas neque in nomine suo, neque in virtute sua exaltata est, sed in nomine divinitatis.

« Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus « dexteram ejus. » Per mare et flumina mundus iste significatur; siquidem « aquæ multæ populi multi. » Est igitur manus 493 Domini in mari, et in fluminibus, quia ejus virtus et potentia ubique gentium narratur (737).

« Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus « meus, et susceptor salutis meæ. » Pater meus es tu, ad divinitatem spectat, cætera vero ad humanitatem. Lege in Evangelio, et invenies eum multis in locis Patrem suum Deum vocasse. Unde et Judæi Pilato dicebant : « Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). »

« Et ego primogenitum ponam illum, excelsum « præ regibus terræ. » Ipse enim secundum divinitatem et primogenitus et unigenitus est Patris, et secundum humanitatem et primogenitus et unigenitus est matris. Posuit tamen eum Pater secundum humanitatem, quomodo primogenitum omnium, quia constituit eum habere primogeniti honorem et dignitatem inter omnes. Hunc honorem perdidit Esau, qui pro lentis edulio vendidit primogenita sua. Et non solum primogenitum, sed etiam præ cunctis regibus excelsum fecit eum.

« In æternum servabo illi misericordiam meam. » Fuit ei aliquando, secundum humanitatem, necessaria misericordia Patris, quia et ipse, sicut cæteri homines indigentiam patiebatur. Hoc autem probatur; cum fatigatus sitiret, a muliere Samaritana bibere petiit. Sed modo ei necessaria non est; nobis vero semper necessaria est. Propter nos igitur dicitur « in æternum, » quia sola Dei misericordia salvati sumus. « Et Testamentum meum fidele « ipsi. » Fidele utique Testamentum est, quia firmum et stabile est, et nihil ex his quæ promittit evacuari potest.

« Et ponam in sæculum sæculi sedem ejus. » Hoc est quod beatissimæ Mariæ ab angelo dicitur : « Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum (*Luc.* I, 32). » Et alibi : « Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur (*Dan.* VII, 14); » unde et subditur : « et thronus « ejus sicut dies cœli. » Dies terræ corporales sunt, et aliquando finem habebunt; dies vero cœli æterni sunt, et nunquam finem habebunt. Erit igitur thronus ejus sicut dies cœli, quia æternus erit, et finem non habebit. Cætera quæ sequuntur ad Ecclesiam pertinent, et ineffabilem Dei misericordiam super eam ostendunt.

« Si, inquit, dereliquerint filii mei legem meam, « et in judiciis meis non ambulaverint, si justifi- « cationes meas profanaverint, et mandata mea « non custodierint. » Quid faciam illis? Vis audire quid?

« Visitabo in virga iniquitates eorum, et in ver- « beribus peccata eorum. » Et quid amplius? « Mi- « sericordiam autem meam non dispergam ab eo, « neque nocebo ei in veritate mea, neque profanabo « Testamentum meum, et quæ procedunt de labiis « meis non faciam irrita. » Quid majus, vel quid æquale Dominus servis suis promittere potuit? Nullus locus desperationi relinquitur, quoniam omnibus misericordiam facit, omnibus quidem, qui ad pœnitentiam convertuntur; aliis autem non fit ista promissio; sicut enim ipse Dominus ait : « Peccator, quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor (*Ezech.* XXXIII). » Quid est omnium iniquitatum? Hoc videlicet quod hic dicitur.

« Si dereliquerint filii mei legem meam, si in viis « meis non ambulaverint, si justificationes meas « profanaverint, et mandata mea non custodierint. » Per justificationes Dei, omnia ecclesiastica sacramenta intelligere debemus. « Visitabo in virga ini- « quitates eorum, et in verberibus peccata eo- « rum (738). » Visitat autem Dominus in virga iniquitates nostras, et in verberibus peccata nostra, quando pro peccatis nostris, quæ gravissimis pœnis, vel etiam ipsa morte multanda essent, facili nos correctione castigat, sive in hac vita, sive in alia nos misericorditer affligere et castigare dignatur.

« Misericordiam autem meam non dispergam ab « eo, neque nocebo ei in veritate mea, neque profa- « nabo Testamentum meum, et quæ procedunt de la- « biis meis non faciam irrita (739). » Et hoc quidem promittit Dominus in veritate sua, ut firmissime ei credatur, in quo semper veritas est, et qui mentiri nunquam potest. Profanaret autem Dominus Testamentum suum et irrita faceret verba sua, si ea quæ dicit non adimpleret, et contra ea aliquid faceret. Quod autem singulariter ait : « Non dispergam ab eo, neque nocebo ei; » tantumdem valet, ac si pluraliter dixisset eis, quoniam ipse caput nostrum est, et nos membra ejus sumus; de quibus ipse ad Patrem ait : « Pater, volo, ut sicut tu, et ego unum sumus, ita et ipsi in nobis unum sint (*Joan.* XVII, 24). »

« Semel juravi in sancto meo, si David mentiar. »

(737) Cod. Ghis., *dominatur*.
(738) Hic versus deest in edit.
(739) Hæc iterum desunt, et textus mutilatus reperitur.

Digitized by Google

hic enim et alibi dicitur, quia semel loquitur Dominus, et secundo idipsum non repetit (740), quoniam omne quod dicit, firmum et stabile est, nullaque indiget reiteratione. Firmiter igitur juravit Dominus in sancto suo, id est in dilecto filio suo, quod nunquam ei mentiatur. Per ipsum Filium sibiipsi juravit, quia non habuit majus, per quod jurare potuisset.

Sed quid juravit? « Semen ejus in æternum manebit, et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et « sicut luna perfecta in 494 æternum, et testis in « cœlo fidelis (741). » Semen igitur ejus, doctrina ejus, et filii ejus manebunt in æternum. Sedes autem ejus Ecclesia est, sive unaquæque anima fidelis, quoniam anima justi sedes est sapientiæ. Hæc autem erit sicut sol in conspectu ejus, quia, sicut ipse Dominus ait : « Fulgebunt sancti sicut sol in regno Dei, et sicut luna perfecta in æternum (*Matth.* XIII, 43); » quia nunquam amplius decrescet, sed in sua perfectione et plenitudine manebit in æternum. Et ex omnibus his quæ juravi et promisi, testis est vobis in cœlo fidelis Salvator noster, qui pro nobis loquitur, qui causam nostram agit, et pro nobis quotidie interpellat. Huc usque Dominus locutus est, nunc Propheta loquitur et conqueritur de Testamento suo a Domino reprobato. Et hoc est quod ait.

« Tu vero repulisti, et sprevisti, et distulisti « Christum tuum, avertisti testamentum servi tui, « profanasti in terra sanctuarium ejus (742). » Tu vero, inquit, testamentum filii tui David in æternum confirmasti, et testamentum servi tui David repulisti, sprevisti et avertisti. Et hoc ideo quia distulisti Christum tuum. Si enim nobis eum misisses, non diceretur de nobis, quod de illis dicitur, ad quos missus est : « In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I, 11). » In hoc enim dierum spatio, quod fuit a David usque ad Christum, multas et magnas persecutiones passa est Synagoga. Primum quidem ab Assyriis tempore Isaiæ; deinde a Chaldæis tempore Jeremiæ; postea vero a Græcis tempore Machabæorum. Nam et templum destructum est, et civitas desolata, multique Judæorum ad gentilem ritum a patriis legibus translati sunt. Hoc igitur est quod Propheta plangit, et testamentum sibi datum profanatum esse sibi conqueritur. Quod vero sanctitatem in terra profanatam esse dicit, porcinas carnes super altare immolatas esse significat.

(743) « Destruxisti omnes macerias ejus, posuisti « munitiones ejus in formidinem. » Nulla, quasi dicat, fuit fortitudo, quæ eos defendere potuisset : muri fortissimi quasi maceriæ destructi sunt. Vicini quoque illorum, et qui prius eos timere solebant, nunc hostibus juncti, in opprobrium eos habebunt.

« Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus « est in opprobrium vicinis suis. » Quidquid contra illum populum fit, sibi David dicit, esse factum. Et illi quidem diripiunt populum Dei, qui viam transeunt, et per viam rectitudinis incedere nesciunt. (744). Vicini quoque illorum, et qui prius eos timere solebant, nunc hostibus juncti, in opprobrium eos habebunt.

« Exaltasti dexteram inimicorum ejus, lætificasti « omnes inimicos ejus. Avertisti adjutorium gladii « ejus, et non es auxiliatus ei in bello. » Hæc ad litteram vera sunt, si ad Chaldæorum tempora referantur. Nam et cætera quæ sequuntur secundum litteram intelligenda sunt.

« Dissolvisti eum ab emundatione, et sedem ejus « in terram collisisti. » Hæc autem completa sunt, quando sacrificia perdiderunt, quibus secundum legem emundari solebant. Non enim licet Judæis extra patriam sacrificare.

« Minorasti dies temporum ejus, perfudisti eum « confusione. » Minorati sunt dies illi, quibus ille populus se regnare, et terram illam possidere sperabat. Unde etiam dicere solebant, « templum Domini, templum Domini est. » In illo videlicet templo spem habentes, et illam civitatem insuperabilem esse credentes. Huc usque Propheta. Amodo vero Ecclesia loquitur, cujus immensas afflictiones et tribulationes istæ persecutiones significabant, quas nunc usque Judæorum populum sustinuisse Propheta narravit. Bene itaque post illas, istas ponere voluit, quia et in pluribus consimiles sunt, et sicut diximus, in istis significatæ sunt. Dicat igitur Ecclesia, et inter ipsa tormenta, quæ patitur, misericordias sibi promissas, ad memoriam Domini reducat. Promiserat enim Dominus, quod in virga quidem eam visitaret, misericordiam vero suam ab ea non separaret. Sed fortasse apud Deum virga est, quod ipsa putat esse tormenta.

(740) « Unam jurationem pro vita nostra habuit, qui pro nobis ad mortem unicum Filium suum misit. » AUGUSTINUS.

(741) Hoc testimonio S. August. invicte probat, et confirmat dogma catholicum de carnis resurrectione, cui apertissime contradicebant etiam illi philosophi gentiles, qui animæ immortalitatem admittebant; dicentes, « fieri non posse, ut caro ista terrena possit in cœlum ascendere. »

(742) Ne quæ hic loquitur Propheta, superioribus laudibus contraria videantur, juxta S. Augustinum et Cassiodorum, distinguendæ sunt personæ. « Celebratur ante Christi regnum, cujus gloria et stabilitas in æternum duratura promittitur : hic autem de Davide sermo est, qui multis calamitatibus probatur afflictus. Ipse etiam Christus appellatur, quod unctus fuit; repulsus vero David apparet a dignitate regia ex sententia Dei per Nathan prophetam propter peccatum cum Bersabea commissum. »

(743) Vulg. legit. *Destruxisti omnes sepes ejus : posuisti firmamentum ejus formidinem.*

(744) « Status ille, inquit Cassiodorus, regni Judaici et fide noscitur direptus, et opibus. Nam per eum *transeuntes* sublatis facultatibus ejus religionis copias ad se violentissime transtulerunt; illis magis credentes ad quos Dominus corporaliter non venerat commonendos; sicut ipse dixit ps. XVII, 45. *Populus quem non cognovi serviit mihi : in auditu auris obedivit mihi.* »

Digitized by Google

« Usquequo, inquit, Domine, irasceris? » An in finem? Cesset jam nunc indignatio tua, et miserere populo tuo. « Usquequo exardescet sicut ignis ira « tua? » Quæ sic loquitur, non virgam, sed scorpiones se sentire significat.

« Memorare, Domine, quæ mea est substantia. » « Non enim fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea ænea est (*Job.* VI, 12) : » terra sum, fragilis sum, et hæc tam dura tormenta, **495** quæ tu pro virga habes, sustinere non possum. « Non enim « vane constituisti filios hominum; » quos utique in vanum constituisses, si supra id, quod possunt, eos tentari permisisses, et de tantis afflictionibus non eripuisses.

« Quis est homo, qui vivit, et non videbit mortem, « aut eruet manum suam de manu inferi? » Hoc autem tale est ac si diceret : Quia nisi sanctis suis in tormentis positis Dominus subvenisset, omnes timore mortis eum negarent, et mortem fugientes temporalem, mortem æternam viderent, et sustinerent, et animas suas ab inferi cruciatibus eripere non valerent.

« Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, « sicut jurasti David in veritate tua? » Tu, inquit, promisisti David, non prophetæ David, sed filio tuo David, quod misericordias tuas non auferres ab eo, et non solum promisisti, verum etiam in veritate tua jurasti, quia omnis promissio tua juramentum est. Ubi igitur modo sunt illæ tantæ misericordiæ tuæ?

« Memor esto opprobrii servorum tuorum, quod « continui in sinu meo, multarum gentium. » Memor esto, inquit, illius opprobrii, quod non solum a Judæis, sed ab aliis quoque multis gentibus servi tui lacerati sunt, cujus ego, dicit Ecclesia, oblita non sum, et quod in sinu meo, et in corde meo firmiter continui, et memoriæ commendavi. Et quid est illud? Sequitur :

« Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod « exprobraverunt commutationem Christi tui. » Hoc est enim quod Judæi et alii infideles contra nos ad magnam injuriam nostram dicere solent : quia hominem crucifixum et morte turpissima condemnatum adoramus. Ecclesia tamen honeste commutationem dicere voluit, quam ipsi mortem turpissimam dixerunt. Et revera magis commutatio, quam mors dici debet, per quam a tenebris transitur ad lucem, et a miseriis ad gloriam summamque felicitatem.

« Benedictus Dominus in æternum : fiat, fiat. » Puto quod Dei misericordias subito Ecclesia advenisse sensit, quando inter suas querelas hanc benedictionem et gratiarum actionem tam celeriter inseruit. Nam et Job gravissime afflictus simile quid dixisse videtur. « Dominus, inquit, dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit, factum est, sit nomen Domini benedictum (*Job.* I, 21). »

PSALMUS LXXXIX.

ORATIO MOYSI HOMINIS DEI (745).

In libris Moysi iste psalmus non invenitur : quod tamen Moyses dicit esse principium, in quo Deus creavit cœlum et terram, ipse est, de quo hic dicitur : « Priusquam fierent montes, aut formaretur orbis terræ, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus. » Hominis quoque defectio in hoc psalmo narratur, cujus creatio in illis libris continetur. Et conveniens fuit ut idem ipse, qui scripsit creationem, scriberet quoque hominis defectionem.

« Domine, refugium factus es nobis a generatione « et progenie. » Ecclesia loquitur de adventu Salvatoris nostri, quia optimum se cognoscit nunc habere refugium, quæ ante hoc tempus nullum habuit adjutorem; Domine, inquit, refugium factus es nobis ab hac generatione et progenie tuæ incarnationis. Ad te fugientes securi sumus, qui nullum refugium prius habuimus. Neque dicant tibi Judæi : « Quinquaginta annos nondum habes (*Joan.* VIII, 57), » quia non solum ante Abraham, verum etiam ante cœlum et terram tu es. Et hoc est quod dicit :

« Priusquam fierent montes, et formaretur orbis « terræ, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus. » Et Deus, inquit, es et æternus es, et neque initium, neque finem habes, qui modo propter nos, et ad refugium nostrum, homo factus es.

« Ne avertas hominem in humilitatem. » Quid est in humilitatem? Est enim humilitas bona, quam utinam omnes habeamus, et humilitas mala, qua vitiis et malignis spiritibus homo subjugatur. Hanc igitur humilitatem timet iste, et hanc venire formidat. « Et dixisti : Convertimini, filii hominum. » Et refugium, inquit, nobis factus es, et per prophetas, et per apostolos tuos, aliosque prædicatores nobis dixisti : « Convertimini, filii hominum. » Et hoc quidem consilium tuum bonum est, et cum magno desiderio facere debemus. Quare?

« Quoniam mille anni ante oculos tuos sicut dies « hesterna, quæ præteriit, et sicut custodia in no« cte, quæ pro nihilo habetur. » Sic, suba uditur, sunt anni eorum: **496** « Mane sicut herba, transeat, mane floreat, et pertranseat, vespere decidat, « induret, et arescat. » Tota, quasi dicat, hæc præsens vita nihil est, etiamsi mille annis viveret homo; quoniam mille anni ante oculos tuos sic sunt, sicut dies præterita, quæ fuit, et non est. « Et sicut custodia in nocte, » quæ sua brevitate pro nihilo habetur, sic sunt anni omnium hominum, cum homo infelix « mane sicut herba transeat. » Mane et sero oppo-

(745) Ad psalmi hujus dilucidationem docet Ven. Beda titulum hunc illi appositum fuisse; quippe vel cecinit David quæ de universa rerum creatione scripsit Moyses, vel eum apud Deum pro suo populo deprecantem imitari voluit, eique orationem hanc tribuit. Moyses non tam Veteris Testamenti minister fuit, quam Novi propheta Testamenti? Quod etiam asserit S. August. referens illud Apostoli : *Omnia in figura contingebant illlis; scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum obvenit.*

Digitized by Google

sita sunt, et sicut sero tarde, ita et mane cito significat. Mane itaque sicut herba transit homo, quia cito suæ pulchritudinis florem amittit et hoc est quod ait: « Mane floreat et pertranseat. » Mane est hominis, quando in juventute est; unde et flos ætatis dicitur esse juventus. « Vespere decidat. » Quid est vespere decidat, nisi in senectute moriatur, et cadat? est enim senectus occasus vitæ; « induret et arescat, » quod est intelligere, pulvis in pulverem revertatur, et sola ossa arida et sicca de illo flore, et illa pulchritudine remaneant. Apparet his in verbis, quod Moyses in hac sua oratione, non diligentius creationem, quam defectionem hominis descripsit. Sequitur:

« Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo con- « turbati sumus. » Et quia? « Posuisti iniquitates « nostras in conspectu tuo, et sæculum nostrum in « illuminatione vultus tui. Et quoniam omnes dies « nostri defecerunt, et nos in ira tua defecimus. » Ideo « anni nostri sicut aranea meditabuntur. » Ideo, inquit, anni nostri mutabiles, fragiles, breves et vani, sicut aranea meditabuntur et computabuntur, quia sicut superius dictum est, defecimus in ira tua, et in furore tuo conturbati sumus. Et hoc quidem propter peccatum primi parentis. Posuit autem Dominus iniquitates nostras in conspectu suo, quia non est oblitus earum, neque sine vindicta eas abire permittit; et hoc est quod dicit « sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. » Sæculum nostrum, vitam nostram, et pravam conversationem significat. Ecce audivimus causam, cur anni nostri sicut aranea meditabuntur. Sequitur:

« Dies annorum nostrorum pauci sunt, in ipsis « aliquando septuaginta anni » cum bona valetudine sunt; et hoc in pluribus contingit; pauci vero etiam usque ad octoginta aliquando perveniunt; sed hoc est in potentatibus. Est autem homo in bona valetudine quando omnibus membris sua officia sana et integra reservantur. Sicuti illi qui sanativi dicuntur, et rarissime infirmantur; et isti quidem in potentatibus sunt, quia sani et incolumes potenter se habent. Videmus autem alios in minori ætate visum, et auditum, et aliorum membrorum officia maxima ex parte amisisse; et in hac ætate, quæ pene ultima est, quosdam potenter se habere, sed plurimorum labor est, et dolor (746). Usque ad hanc, inquit, ætatem bene valentes aliqui pervenire possunt, ulterius vero transire labor et dolor est; tussis, et anxietas, angustiæ et miseriæ; præsertim cum ipsa senectus infirmitas sit. Quæ autem suavitas, vel vitæ hujus delectatio illi esse potest, qui neque videt, neque audit, qui amissis dentibus cibum molere non valet, et quasi lapis toto die quasi uno in loco fixus, parum quid a mortuo differre videtur? Possumus autem per annos septuaginta et octoginta, activam et contemplativam vitam intelligere, ut per septem activam intelligamus, quia hæc tota præsens vita in septem diebus continetur; per octo vero, contemplativam, quia octava dies alterius hebdomadæ initium est, per quam videlicet hebdomadam illa altera vita significatur. Illi autem ad bonam senectutem perveniunt, qui vel activæ vel contemplativæ vitæ deserviunt. Unde et alibi dicitur: « Da partem « septem, necnon et octo (*Eccle.* XI, 2). » Id est, da partem activæ, et partem contemplativæ; quatenus sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Quod autem ultra est, et ab hac utraque vita recedit, et labor et dolor est.

« Quoniam supervenit super nos mansuetudo, et « corripiemur. » Illis, inquit, senibus, qui ad bonam senectutem perveniunt, supervenit mansuetudo, omni superbia et pravitate fugata et superata. Et corripiuntur, quia tota eorum vita in melius commutata, jam in ultima hora in vinea Dei laborare incipiunt.

« Quis novit potestatem iræ tuæ. » Ille utique, qui eum offendere timet. Ille vero, qui cum offendere non timet, nondum cognovit quam horribile sit incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* X, 31). « Aut « præ timore iram tuam dinumerare? » Subauditur, quis novit? Ille præ timore iram Dei dinumerat, qui digna pœnitentia conversus secum in corde reputat, quoties, et quibus modis offenderit Deum.

« Dexteram tuam, Domine, notam fac mihi. » Potest autem hoc intelligi, ut suæ correctionis dexteram nos in hac vita sentire faciat, ne in altera vita nos durius affligat. Possumus autem per dexteram Dei, Salvatorem nostrum intelligere, pro eo quod subditur:

« Et eruditos corde in sapientia. » Et tale est ac si diceret: Ut iram tuam cognoscere valeamus, notifica nobis Filium tuum, et prophetas, et apostolos tuos, qui sapienter eruditi sunt, et quorum verba obscura valde et difficilia sunt. Qui enim istos cognoscit, nihil ei deest ad veræ scientiæ plenitudinem. Et iste quidem cognoscit dexteram viam, quæ ducit ad vitam, ut sinistram respuit, quæ ducit ad mortem.

497 « Convertere, Domine, aliquantulum. » Convertere, inquit, aliquantulum ab indignatione tua; « et deprecabilis et exorabilis esto super servos « tuos, » quos tantum dilexisti, ut eis mitteres Filium tuum.

« Repleti sumus mane misericordia tua, et exsul- « tavimus, et delectati sumus omnibus diebus no- « stris. » Nato Domino, nox præcessit et finita est, et factum est mane hujus ultimæ ætatis. Ab hac igitur mane repleti sumus misericordia tua, Domine, et exsultavimus et delectati sumus omnibus diebus nostris. Quid ergo de illis dicitis, in quibus tantis tormentis afflicti et humiliati estis? Sequitur:

« Delectati sumus pro diebus, in quibus nos hu- « miliasti, et pro annis, in quibus vidimus mala. » Magis, quasi dicat, in illis delectati sumus et delectamur, quia majorem pro illis honorem et gloriam exspectamus.

(746) A Cod. Vallicel. errata editionis emendantur.

Digitized by Google

« Respice in servos tuos, et in opera tua, Domine, « et dirige filios eorum. » Servi ejus opera ejus sunt, quia ipse eos creavit et fecit, super quos tunc quidem respicit, quando eos errare et peccare non permittit. Filii vero eorum sunt, qui in fide, opere et doctrina eos imitantur. « Et sit splendor Domini « Dei super nos; » ut ad cujus imaginem facti sumus, ad ejusdem imaginem reformemur. Fulgebunt enim sancti sicut sol in regno Dei. Unde et Joannes apostolus ait: « Charissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus. Scimus enim quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est (*Joan.* III, 2). » — « Et opera « manuum nostrarum dirige super nos, » ut nihil in operibus nostris pravum, et perversum, et distortum inveniatur, sicut in operibus illorum de quibus dicitur: « Non enim cogitationes vestræ cogitationes meæ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus; quia sicut exaltati sunt cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris (*Isa.* LV, 8). »

PSALMUS XC.

LAUS CANTICI DAVID.

Laus cantici David continetur in hoc psalmo; illius videlicet David, de quo dicitur: « Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, tibi autem non appropinquabunt. Et super aspidem, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. »

« Qui habitat in adjutorio Altissimi in protectione « Dei cœli commorabitur. » Contra Judæos et malignos spiritus loquitur Propheta, adversum Salvatorem nostrum insidias ponentes, et nefaria de eo cogitantes. Qui habitat, inquit, ubicunque habitat, etiamsi inter inimicos suos, et adversarios, habitat in adjutorio Altissimi, « non timebit a timore no- « cturno, neque a sagitta volante per diem, neque « a negotio perambulante in tenebris, neque a « ruina, et dæmonio meridiano. » Et ideo non timebit, quia in protectione Dei cœli commorabitur. Quid enim timeret, quem omnipotens Pater, et ipsa divinitas, quæ in eo est, semper et ubique protegit et defendit?

« Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refu- « gium meum, Deus meus. » Hoc dixit Salvator noster secundum humanitatem, quia nihil horum habet secundum divinitatem. Ipse, inquit, si quando ei necesse fuerit, hoc dicet. Et hoc ipso dicente, sive potius cogitante et volente, statim voluntas ejus adimplebitur. Quid igitur facient contra eum, qui insipienter insurgunt in eum? Et ego quidem, dicit Propheta, « sperabo in eum. » Si seipsum Christus Dominus defendere non potuisset, sperare in eum, vanum et inutile fuisset. Probatum est utique eum neminem timuisse, qui aliorum omnium unica spes et defensio est.

« Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, « et a verbo aspero. » Ideo, inquit, sperabo in eum, quia ipse me liberabit de omnibus angustiis meis.

A Venatores isti maligni spiritus sunt, in quorum retibus peccatores capiuntur. Quot sunt vitia, tot sunt et laquei quibus miseros homines ligant et tenent. Verbum asperum illud est quod Dominus in judicio dicturus est: « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Nunc ad ipsum Christum verba sua Propheta convertit.

« Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis « ejus sperabis. » Deus enim neque scapulas, neque pennas habet; sed metaphorice loquitur, ut per scapulas et pennas omnem ejus protectionem et defensionem intelligamus.

« Scuto circumdabit te veritas ejus. » Magnum et insuperabile scutum est veritas, ad fallaces et iniquos homines convincendos. Hoc scuto superati sunt B Judæi, quia nihil in verbis Christi digne reprehendere potuerunt: « Non timebis a timore nocturno. » Timorem nocturnum illum dicit, quando ipsa nocte, qua traditus est, Judæi simul cum Juda traditore, cum gladiis et fustibus irruerunt in eum; qui si timuisset, potius fugisset, quam eis obviam esset: « A sagitta volante per diem. » In nocte comprehensus est Dominus, et in die sagittatus. Tunc enim Judæi eum sagittarunt, quando *Crucifige* clamaverunt. Sed sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. « A negotio perambulante in tenebris (*Psal.* LXXII, 9). » **498** Negotium illud, quod in tenebris ambulabat, illud consilium intelligitur, quod de morte Salvatoris in cordibus Scribarum et Pharisæorum C versabatur. Ipsi enim digne satis hoc in loco tenebræ vocantur, quia cæci sunt et duces cæcorum.

« A ruina et dæmonio meridiano. » Postquam Pilatus eum defendere non potuit, et lotis manibus in Judæorum potestatem crucifigendum eum tradidit; tunc ista ruina facta est, tunc bestiarum sævitia, et crudelitate in eum irruentes ad crucem eum traxerunt: « Erat autem hora sexta, et crucifixerunt eum (*Marc.* XIX, 33; *Joan.* XIX, 18). » Unde et hic dicitur: « a dæmonio meridiano: » nisi enim ille populus iniquissimus a dæmonio duceretur et vexaretur, hoc malum tam magnum facere non potuisset. « Cadent « a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis. » Per mille et decem millia omnia malignorum spirituum millia intelligere debemus, quæ quidem in D Christi passione omnia ceciderunt, omnemque potestatem et fortitudinem amiserunt. Tunc enim diabolus ligatus est, et qui post mille annos solvendus esse dicitur. Poterat hoc intelligi de futuro judicio, nisi a dextris posuisset; tunc nullus ex eis a dextris erit, sed a sinistris ferientur et cadent. « Tibi autem « non appropinquabunt. » Cadent quidem, et potestatem amittent, et quamvis ad nocendum omnes in unum consilium et pravam voluntatem conveniant; tamen ad Salvatorem nostrum appropinquare non audent.

« Verumtamen oculis tuis considerabis, et retri- « butionem peccatorum videbis. » Omnia, quasi dicat, patienter sustinebis, et cum te statim vindicare possis, non tamen te protinus vindicabis. Verumta-

Digitized by Google

men qualiter puniendi sint, considerabis, et retributionem peccatorum videbis, ut suo tempore de eis vindictam suscipias, et facias ultionem.

« Quoniam tu es, Domine, spes mea, altissimum « posuisti refugium tuum. Non accedent ad te mala, « et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. » Singula singulis respondent, quod enim hic dicitur: « Quoniam tu es, Domine, spes mea; » hoc est, quod superius ait: « Sperabo in eum. » Et quod hic dicitur: « Altissimum posuisti refugium tuum; » hoc est, quod superius dixit: « Qui habitat in adjutorio Altissimi. » Dicatur ergo, quoniam tu es, Domine, spes mea, ideo certus sum quia flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, id est mihi, quoniam ego sum tabernaculum tuum. Unde alibi dicitur: « Tu autem in sanctis habitas, rex Israel (*Psal.* xxi, 4); » et quoniam altissimum posuisti refugium tuum, ideo non accedent ad te mala; non enim possibile est in tantam altitudinem malum ascendere.

« Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custo- « diant te in omnibus viis tuis. In manibus porta- « bunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem « tuum. » Ideo, inquit, ab angelis portaberis, ne in lapidem pedem offendas, quia sic eis a Domino mandatum est. Non enim dubitandum est angelos ei ad serviendum et obediendum semper præsto fuisse, cum de aliis quoque dicatur: quia « angeli eorum semper vident faciem Patris (*Matth.* xviii, 10). » Unde et alibi dicitur quia « angeli accesserunt, et ministrabant ei (*Matth.* iv, 11). » Angeli itaque eum custodiebant, ne forte lapides lædere potuissent, per quos Judæos et alios iniquos intelligere possumus. Omnia autem hæc ad humanitatem referenda sunt.

« Super aspidem et basiliscum ambulabis, et con- « culcabis leonem et draconem. » Per aspidem et basiliscum, leonem et draconem, diabolum intelligimus. Et aspis quidem est, quia ejus venenum insanabile est; basiliscus autem, quia rex est totius iniquitatis; leo vero, quia semper circuit quærens quem devoret; draco, quia tortuosus, et nunquam recta incedens via. Super hunc autem ambulat Dominus, pedibusque conculcat, quia omnes ejus versutias destruit et superat. Huc usque Propheta. Nunc autem ipse Pater de Filio loquitur, et hoc quidem secundum humanitatem.

« Quoniam in me sperabit, liberabo eum. » Hinc est quod ipse ait: « Conserva me, Domine, quoniam in te speravi (*Psal.* xv, 1). » — « Protegam eum, « quoniam cognovit nomen meum. » Et hoc est quod ibi dicitur: « Dixi Domino: Deus meus es tu (*ibid.*, 2). » Ubique Filius secundum humanitatem, et Deum suum, et Dominum et regem suum Patrem vocat: « Invocabit me, et ego exaudiam eum. » Hoc enim ipse Dominus ait: « Pater, gratias ago tibi, quoniam exaudisti me; ego enim sciebam, quia semper me audis (*Joan.* xi, 41). » — « Cum ipso « sum in tribulatione. » Non enim Pater Filium dereliquit. Unde et cum alibi dixisset: « Quare me « dereliquisti? » Subdidit mox dicens: « Longe a salute mea (*Psal.* xxi, 2). »

« Eripiam eum, et glorificabo eum; longitudine « dierum adimplebo eum, et ostendam illi salutare « meum. » Ego, inquit, eripiam eum de omnibus angustiis et necessitatibus suis; « et glorificabo eum, » collocando ad dexteram meam. « Longitudine dierum adimplebo eum, » quia regnabit in æternum, et in sæculum sæculi, et regni ejus non erit finis. « Et ostendam illi salutare meum, » per quod salutem æternam et incommutabilem intelligimus.

PSALMUS XCI.

499 PSALMUS CANTICI IN DIE SABBATI.

Hic psalmus in die Sabbati cantari debet. Prima festivitas Sabbatum est, quæ colitur divino præcepto. Unde et bene *requies* interpretatur. Hanc diem benedixit Deus, et omne opus servile in ea fieri interdixit. Est autem opus servile, non quod servi faciunt, sed quod etiam homines liberos servos facit. Omne igitur peccatum est opus servile, quia quicunque facit peccatum, servus est peccati. Bene itaque celebrant Sabbatum, qui mala fugiunt, et bona agunt. Tales igitur in psalterio decachordo cum cantico, et cithara hunc psalmum cantent.

« Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini « tuo, Altissime. Ad annuntiandum mane misericor- « diam tuam, et veritatem tuam per noctem. In deca- « chordo psalterio cum cantico, et cithara: quia delec- « tasti me, Domine, in factura tua (747), » ideo bonum mihi est confiteri Domino. Ecclesia loquitur, in factura Domini, et in cunctis suis operibus nimium delectata, quæ per dies sex usque ad Sabbatum Deus operatus est. Vult itaque in ipso Sabbato Dominum laudare, benedicere et prædicare, quatenus nec ipsum Sabbatum sine gloria sit, cum omnes alii de suis actionibus sint gloriosi. Magna laus est, et in immensum crescit, si singula, quæ illis diebus facta sunt enarrare velimus. Neque in tantis laudibus Sabbatum nobis sufficere potest, nisi aliter, quam Judæi Sabbatum intelligamus. « Bonum est, inquit, confiteri Domino, » et psallere, et laudare nomen tuum, Altissime, ut ab omnibus audiatur. Unde et alibi dicitur: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam (*Isa.* lviii, 1). » Itemque: « Exalta in altitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem (*Isa.* xl, 9). » Et non solum de his, sed de misericordia quoque et veritate tua, te omni tempore et laudare et prædicare debemus. Et hoc est quod dicit: « Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. » Hoc est enim mane et nocte, quod est omni tempore, ut per mane, quod initium diei est, totum diem intelligamus. Non enim majus fuit mundum facere quam redimere, neque magis Deum laudare debemus de creatione, quam de redemptione, quæ sola Dei misericordia et veritate nobis facta est. Bonum est itaque laudare, prædicare et annuntiare. Sed quomodo?

« In decachordo psalterio, cum cantico et cithara. »

(747) Hæc in editione desunt.

Digitized by Google

Decem chordas habet psalterium, per quas decem verba legis significantur. In cithara vero vel tres vel quatuor chordæ sufficiunt, et hoc quidem jam sæpe diximus. Per psalterium igitur Vetus Testamentum, Novum vero per citharam intelligamus. Hæc autem duo instrumenta nobis sufficiunt ad Dei magnalia prædicanda. Sed, quia cum cantico fieri debet, lætitiam in tali sermone adesse significat. « Quia delectasti me, Domine, in factura tua. » Hoc jam superius expositum est, et huc usque sermonis continuatio descendit : « Et in operibus manuum « tuarum exsultabo. » Et hoc merito; « non enim qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x, 22). »

« Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! » Digna exclamatio, et non modici miraculi nobilis admiratio ! Hinc est enim, quod alibi dicitur. « Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est et non potero ad eam (*Psal.* CXXXVIII, 6). » — « Nimis profundæ sunt cogitationes tuæ. » Cur aliud vas in honorem fiat, et aliud in contumeliam ; cur, antequam nascantur, Jacob eligatur, et Esau reprobetur, solvat, qui potest. Unde et digne satis Apostolus exclamans ait : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! » (*Rom.* XI, 33.) Investigabiles quidem, quia nimis profundæ.

« Vir insipiens non cognoscit, et stultus non in- « telligit ea. » Vir, inquit, insipiens, et stultus neque cognoscit, neque intelligit opera Dei, illa videlicet opera quæ modo magnificata esse dixit. Sed quæ sunt illa ? ut peccatores intereant in sæculum sæculi. Et hoc est, quod dicit.

« Cum exorientur peccatores sicut fenum, et « apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, ut « intereant in sæculum sæculi. » Exoriuntur peccatores sicut fenum, quod hodie est, sicut Dominus ait, et cras mittitur in clibanum. Apparent autem et clariores inter alios incedunt, nec tamen ab iniquitate recedunt, non ad aliud nisi ut moriantur et pereant. Hoc autem si vir insipiens et stultus intellexisset, ab illa sua iniquitate fortasse quievisset.

« Tu autem altissimus in æternum, Domine, » subauditur, eos punies, et ipsas eorum iniquitates cognoscere facies, unde et viro stulto alibi dicitur : « Arguam te, et statuam contra faciem tuam (*Psal.* XLIX, 21). » Et hoc est quod ait :

« Quoniam ecce inimici tui, Domine, peribunt, « et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem. « Et exaltabitur sicut unicornis 500 cornu meum : » Cornu Ecclesiæ, virtus, et potestas, et fides, et doctrina sic exaltata est, ut nullus ei resistere valeat. Unde et ipse Dominus ait : « Ego dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* XXI, 15). » Sic enim dicitur de unicornu, quod nullum animal ejus impetum sustinere valeat.

« Et senectus mea in misericordia uberi. » Hinc est enim quod dicitur : « Et ingredieris in abundantia sepulcrum (*Job* V, 26). » Senectus Ecclesiæ, hujus sæculi consummatio est, in qua tam uberem misericordiam suscipiet, ut nulla ulterius misericordia indigeat. Satis magna misericordia, quæ omnes misericordias excludit : « Et respexit oculus tuus « inimicos meos, et insurgentes in me malignantes « audivit auris tua. » Non est, quasi dicat, mihi necesse ostendere tibi, nec accusare inimicos meos ; tu eos vidisti et audisti, tu eos optime agnoscis, quam vindictam de eis suscipere debeas.

« Justus ut palma florebit. » Egregie vir justus palmæ comparatur, quoniam in divina Scriptura palma victoriam significat. Unde Moyses ait : « Si fuerit causa inter aliquos, et judices interpellaverint, quem justum esse prospexerint, illius justitiæ palmam dabunt : quem impium condemnabunt impietatis (*Deut.* XXV, 1). » Et nota quod ipsi victoriæ justum comparavit, ut ejus laudem amplius extolleret. Floret igitur, clarescit, et gloriatur quasi palma justus, quia de omnibus suis triumphat inimicis. « Nemo enim coronatur, nisi qui legitime certaverit « (*II Tim.* II, 3). » — « Et sicut cedrus Libani multiplicabitur, » quæ super alias arbores pulchrior, major et excellentior est. Quales igitur sunt cedri inter alias arbores, tales sunt viri justi inter alios homines. Sed quibus rebus hi tales multiplicantur, nisi scientia, misericordia, pietate, omnibusque divitiis spiritualibus ? De quibus adhuc subditur :

« Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei « nostri florebunt. » Domus Dei Ecclesia est, in cujus atriis viri justi plantati, et fundati sunt, ut semper ab omnibus videantur ibi doctrina et justitia florent, et sui odoris suavitate alios satiant. Unde Apostolus ait : « Christi bonus odor sumus in omni loco (*II Cor.* II, 15). » Nam et cedrus odoriferæ naturæ esse perhibetur.

« Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi. » Adhuc, inquit, et quanto tempore mundus iste erit, multiplicabuntur multorum propagine filiorum et virtutum omnium abundantia. In senectute uberi senes sunt sancti, cujuscunque ætatis esse videantur ; matura est eorum vita, et ab omni levitate et vanitate aliena. « Et bene patientes erunt. » Nam et latrones, et adulteri, et multi alii multoties patientes sunt, et multis et variis tormentis præ suis iniquitatibus cruciantur, sed non bene patientes sunt, quia nullam de hac sua patientia mercedem recipiunt. Sancti vere patientes erunt, ut annuntient. Quid ?

« Quoniam justus Dominus Deus noster, et non « est iniquitas in eo. » Hæc fuit maxima et principalis causa ut sancti interficerentur, quoniam omnes Deos gentium dæmonia esse dicebant, et solum Dominum nostrum justum, et verum Deum esse fatebantur, qui redderet unicuique secundum opera sua.

Digitized by Google

PSALMUS XCII.

LAUS CANTICI IPSI DAVID IN DIE ANTE SABBATUM, QUANDO FUNDATA EST TERRA (748).

Laus, inquit, hujus cantici cantetur, et jubiletur ipsi David. Cui ipsi, nisi Salvatori nostro, qui revera est ipse David, id est manu fortis? cantetur autem in die ante Sabbatum, quia de his quæ in illa die operatus est, a cunctis gentibus laudandus et glorificandus est. In illa enim die, quæ ante Sabbatum est, Salvator noster crucifixus est, et diabolus superatus est, et de ejus impia potestate humanum genus liberatum est, et originale peccatum deletum est, et ipsa die fundata est terra. De qua dicitur : « Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. » Ipsa enim die fundata est Ecclesia, qua ipse nos lavit a peccatis nostris in sanguine suo.

« Dominus regnavit, decorem induit. » Lætatur Propheta de his, quæ in die ante Sabbatum facta sunt. Quia ipsa die princeps hujus mundi judicatus et damnatus est, et Salvator noster victor et triumphator regnum suscepit, atque **501** de ejus violenta dominatione genus humanum liberavit. Sed qualem decorem in sua resurrectione induisse putamus, cum in faciem ipsius transfigurati, præ nimio splendore, discipuli intendere non potuissent?

« Induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se « virtute. » Tantam virtutem et fortitudinem habebunt sancti post resurrectionem, ut nulla creatura eos in aliquo lædere possit. Quid igitur de Salvatoris nostri fortitudine et virtute dicere attinet?

« Etenim firmavit orbem terræ, qui non commo- « vebitur. » Ibi continuatur, ubi in titulo dicitur, quando terra fundata est. Per terram enim Ecclesia significatur, quæ tunc quidem fundata est et firmata, quando pro ejus redemptione Salvator noster crucem subire et mori dignatus est; et ipsa quidem non commovebitur, tantique beneficii memor nunquam ab ejus fide et dilectione separabitur. De qua et subditur :

« Parata sedes tua, Deus, extunc : a sæculo tu « es. » Eadem ipsa est sedes Dei, quia in ipsa sedet, et judicat Deus, et sicut scriptum est, anima justi sedes est sapientiæ. Sed extunc ista sedes parata est, et tanti sessoris digna facta est, ex quo ejus sanguine lota et mundata est. Et sedes quidem ejus extunc parata est; ipse autem non extunc, sed a sæculo est, idem autem significat a sæculo est ac si diceretur, semper est.

« Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flu- « mina vocem suam a vocibus aquarum multarum. »

A Postquam hæc sedes parata fuit, et prædicatores quos Christus suos vicarios et episcopos super eam ordinavit, prædicare cœperunt, tunc elevaverunt flumina voces suas Domino, eum laudantes, et benedicentes, de sua conversione et justificatione gratias agentes. Per flumina enim populi figurantur, quia, ut scriptum est, « aquæ multæ, populi multi. » Et bene flumina populos significant, quia sicut in fluminibus undæ sibi succedunt ad inferiora labentes, ita et in populis alii aliis succedunt ad mortem festinantes.

« Mirabiles elationes maris, mirabilis in excelsis « Dominus. » A vocibus, inquit, aquarum multarum, mirabiles elationes maris factæ sunt, quia contra voces sanctorum prædicantium et fidelium populo-
B rum Deum laudantium totus mundus conturbatus et commotus est. Ecce mare contra flumina pugnat, contra pauperes divites, contra humiles superbi, et potentes hujus mundi contra eos qui se defendere nolunt. Nemo igitur tanti maris elationes et impetus ferre potuisset, nisi virtus Dei adesset, qui tanti furoris iras mitigasset. Sed audiamus quod sequitur. « Mirabilis in excelsis Dominus. » Et certe conveniens erat, ut contra mirabiles mirabilis poneretur : et mirabilior est ille, qui contra mirabiles pugnat, quam sint maris elationes, quæ sanctos impugnant. Et vere mirabilis in excelsis est, tam stupenda, cunctisque admiranda mirabilia faciens. Unde et subditur :

« Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt
C « nimis. » Testimonia hoc in loco omnes ejus promissiones dicit. Promiserat enim Dominus discipulis suis, quod eos non desereret, neque derelinqueret, et quia opera, quæ ipse faciebat, ipsi similiter facerent. Quia igitur sicut promiserat, ita factum est, ejus testimonia nimis credibilia facta testatur.

« Domum tuam decent sancta, Domine, in *longi-* « tudinem dierum. » Hoc est enim quod Dominus ait : « Sancti estote, quoniam sanctus sum Dominus Deus vester (*Levit.* XI, 44). » Omnia igitur sancta et bona omnia religione et veneratione præclara decent Ecclesiam Dei, quæ per domum significatur. Et hoc quidem non ad tempus, sed in longitudinem dierum, per quod intelligitur in æternum, et in sæcu-
D lum sæculi.

PSALMUS XCIII.

PSALMUS IPSI DAVID QUARTA SABBATI (749).

Dictum est quid significet ipsi David. Quarta Sabbati illuminatus est mundus; illa namque die fecit Deus solem, lunam et stellas, quibus totus mundus illuminatur. Hujus diei immemores sunt, qui Deum

(748) Non inopportunum erit hic etiam Bedæ interpretationem addere. « Canticum ad laudem divinitatis : ipsi David ad Christum convenienter aptatur. Quæritur autem, quomodo in die ante Sabbatum, id est sexta feria *terram* dicat fundatam; cum legatur in Genesi tertio die aridam apparuisse? Sed hic terram, hominem debemus accipere, cui dicitur *terra es, et in terram ibis.* Qui sicut a Creatore Deo sexta die factus est, ita et sexta ætate sæculi ab eodem Deo ex semine David a Creatore formatus est : tunc enim terra fundata est, quando in eo humani generis firmata est credulitas; et ideo laus sanctæ incarnationis ejus, psalmi istius contextione cantatur. »

(749) Quarta Sabbati est a Sabbato quarta feria : « Qua die Deus luminaria cœli creavit. Hoc aptandum est sanctis viris, cœlesti in terra conversatione lucentibus, de quibus est psalmus iste dicturus. » Beda.

Digitized by Google

cœli nescire, et omnia non videre, dicere audent; sicut illi, qui in hoc psalmo dicunt : « Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob. » Et qui hujus mundi clarissima lumina exstinguere conantur, quæ in illis significata sunt, quæ quarta Sabbati Dominus fecit : quibus ipse Dominus ait : « Vos estis lux mundi (*Matth.* v, 14). » Fit igitur iste psalmus contra Ecclesiæ persecutores, qui, quoniam in tenebris sunt, lucem videre non possunt. « Omnis enim qui male agit, fugit lucem (*Joan.* III, 20). »

« Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere « egit. » Ecclesia loquitur, et tyrannos, hæreticos, aliosque homines iniquos redarguit, qui tantopere veritatem 502 impugnant, et errorem defendere nituntur. Et quasi dicat : Deus, qui ultionum Dominus est, et qui nihil inultum relinquit, sed omnibus injuriam patientibus justitiam facit, libere egit, libertatem fecit, de diaboli servitute mundum redemit; et vos econtra populum Dei in errorem, et diaboli servitutem trahere conamini? Cessate jam nunc, cessate, et ad ultorem et liberatorem oculos erigite. Si non cessaveritis, ultor est : si cessaveritis, liberator est.

« Exaltare, qui judicas terram, redde retributio- « nem superbis. » Inconvertibiles eos esse cognoscit, ideoque ad Dominum conversus eum rogat, ut in sua superbia persistentibus retributionem reddat, quatenus ultorem cognoscant, quia liberatorem habere noluerunt. Exaltatur autem Dominus, et contra superbos elevatur, quando se eis iratum ostendit.

« Usquequo peccatores, Domine, usquequo pecca- « tores gloriabuntur? » Exspectat Dominus peccatores, et non statim punit, si forte convertantur et sanentur. Illi autem non solum peccare non cessant, sed, quod nequius est, in ipsis iniquitatibus gloriantur.

« Usquequo pronuntiabunt, et loquentur iniquita- « tem? Loquentur omnes, qui operantur iniquitatem? » Non sufficit eis malum agere, nisi et alios agere doceant. Tales enim sunt, qui in cathedra pestilentiæ sedent, quia pronuntiare et loqui ad doctrinam pertinet.

« Populum tuum, Domine, humiliaverunt. » Humiliaverunt enim alios quidem tormentis, alios blanditiis et promissionibus, alios vero falsæ doctrinæ persuasionibus. Quid est enim humiliaverunt, nisi suæ voluntati subdiderunt? « Et hæreditatem tuam « vexaverunt. » Tales homines dæmonia sunt, et ideo quos invadunt, vexare dicuntur. Magna vexatio est ista, de qua modo superius diximus.

« Viduam et advenam interfecerunt, et pupillos « occiderunt. » Hoc autem secundum litteram verum esse non dubium est. Allegorice autem per viduam illa anima significatur, quæ a Deo divisa est, et eorum erroribus sociata. Dicitur enim vidua, quasi a viro divisa. Advenæ vero illi sunt, qui Ecclesiam relinquentes, ad eos venerunt, et cum eis esse et habitare elegerunt. Per pupillos autem illi significantur, qui simpliciores sunt, et quasi infantes facile decipiuntur. Et isti quidem sunt, quos Ecclesiæ persecutores interfecisse dicuntur.

« Et dixerunt : Non videbit Dominus, neque intelli- « get Deus Jacob. » Hanc tantam blasphemiam illi dicere potuerunt, qui Deum Jacob non esse credebant. Si enim Deus est, et videre eum, et intelligere omnia necesse est. Unde et deos gentium Propheta deridens, ait : « Dicite mihi quæ prima fuerunt, et « ultima quæ futura sunt, et dicam quia dii estis vos »

« Intelligite nunc, qui insipientes estis in populo, « et stulti aliquando sapite. » Vel nunc, quasi dicat, intelligite, quando tot signa et miracula in ejus nomine fieri videtis, et Deum esse credite, et omnia videre et intelligere cognoscite. Quis enim nisi Deus hominem fecit? Quis ei aures et oculos dedit? Quod si ipse omnia fecit, qua præsumptione hæc dicere audetis? Et hoc est, quod ait :

« Qui plantavit aurem, non audiet? Qui finxit « oculum, non considerat? » Qui enim potuit quod majus est, et illud potest quod minus est. Non enim sine visu, et auditu esse potest, qui omnibus aliis et visum et auditum tribuit. Sed quia dixit non considerat, potius de sensibus interioribus significare videtur.

« Qui corripit gentes, non arguet? Qui docet ho- « minem scientiam. » Ille, inquit, qui corripit omnes gentes, et de suis pravitatibus castigat, vos solos de vestra insipienti et stultitia non arguet? Et ille, qui docet omnem hominem scientiam, ita suam scientiam amisit, ut vestras iniquitates non videat, neque intelligat?

« Dominus novit cogitationes hominum, quoniam « vanæ sunt. » Omnia igitur videt, cui neque ipsæ cogitationes abscondi possunt. Taceant itaque insipientes in populo, et stulti aliquando quiescant, et hæc ulterius nec cogitare nec dicere audeant.

« Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de « lege tua docueris eum. » Illi soli beati sunt, qui a Deo et de lege Dei eruditi sunt : sicut econtra illi miseri sunt, qui sapientiam hujus mundi, quæ apud Deum stultitia est, a philosophis, et hæreticis, aliisque magistris perversorum dogmatum didicerunt.

« Ut mitiges eum a diebus malis, donec fodiatur « peccatori fovea. » Illos mitigat Deus a diebus malis, quos in sua misericordia custodit, ut etiam inter iniquos fideliter vivere et conservari possint. Unde Apostolus ait : « Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (*Ephes.* v, 16). » — « Donec fodiatur peccatori fovea. » Quotidie foditur peccatori fovea, quia quanto plus peccat, tanto sibi profundior fovea paratur.

« Quia non repellet Dominus plebem suam, et « hæreditatem suam non derelinquet, quoadusque « justitia convertatur in judicium : et qui tenent « eam omnes, qui recto sunt corde. » Mitigabit enim Dominus sanctos suos a diebus malis, sive in hac vita, sive in alia; ne hic, neque ibi dies malos habeant. Et inde manifestum est quia non repellet

Digitized by Google

Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet; sicut ipse ait: « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan.* XIV, 18). » Et: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem **503** sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Et tunc quidem justitia convertetur in judicium, quia tunc de singulis, et de omnibus tractabitur et judicabitur, utrum justitiam vel injustitiam habeant. Et qui sunt illi, qui vel nunc eam tenent, vel tunc eam habebunt? Omnes, qui recto sunt corde. Hoc est enim quod alibi dicitur: « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! » (*Psal.* LXXII, 1.) Rectum cor illi habent, qui via recta incedentes, ad falsitatem et iniquitatem non flectuntur.

« Quis exsurget mihi adversus malignantes? Aut « quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? » Hinc probatur quod hæreditatem suam, et Ecclesiam suam Dominus non derelinquet, quia ipse est, qui exsurgit ei in adjutorium adversus malignantes, et qui stat secum ad pugnandum contra eos, qui operantur iniquitatem.

« Nisi quia Dominus adjuvasset me, paulo minus « habitasset in inferno anima mea. » Nisi, inquit, hoc fuisset, quia Dominus adjuvasset me, tantis multoties calamitatibus oppressa fui, ut paulo minus succubuissem; ac per hoc habitasset in inferno anima mea, sed tu semper præsto mihi aderas optimus auxiliator. Hoc est enim quod ait:

« Si dicebam: Motus est pes meus, misericordia « tua, Domine, adjuvabat me (750). » Pes autem movetur, quando mens a sua stabilitate flectitur, et præ timore quid ei agendum sit, dubitare incipit.

« Secundum multitudinem dolorum meorum in « corde meo, consolationes tuæ, Domine, lætificaverunt animam meam. » Hoc est enim quod Apostolus ait: « Sicut abundant passiones Christi in nobis; ita et per Christum abundat consolatio nostra (*II Cor.* I, 5). » Neque enim aliter mundi hujus adversitates Ecclesia Dei sustinere posset, nisi ei in suis magnis necessitatibus tam misericorditer Dominus subvenisset. Sed probatum est quia, quando humano auxilio penitus destituitur, tunc in proximo ei divinum adest auxilium.

« Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? » Hoc est enim quod alibi dicitur: « Quia non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos (*Psal.* V, 6). » Bene autem hic dicitur. Quia non adhærebit ei sedes iniquitatis, de quo supra dixit: « quia « hæreditatem suam non derelinquet. » Conveniens enim est ut qui bonos sibi associat, malos quoque a se repellat. Sedes autem iniquitatis homines dicuntur iniqui, quia in eis iniquitas sedet et habitat. Fingit autem Dominus dolorem in præcepto, quia sine labore et dolore ejus præcepta servari non possunt. Unde ipse ait: « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Matth.* XVI, 24). » Non placet igitur ei iniquitas, qui tantam justitiam diligit et æquitatem.

« Captabunt in animam justi, et sanguinem inno- « centem condemnabunt. » Docet nos quod per eodem iniquitatis homines iniquos intelligere debemus; ipsi enim sunt qui captant in animam justi, et sanguinem innocentem morti condemnant. Sed quid est in animam justi captare, nisi magno desiderio in ejus perditionem inhiare?

« Et factus est mihi Dominus in refugium, et Deus « meus in auxilium spei meæ. » Non multum ei timere necesse est iniquorum hominum insidias et persecutiones, qui ipsum Dominum in refugium et adjutorium firmissime habere sperat; sicut ille ait: « Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quem- « admodum speravimus in te. » Hoc enim ille non dixisset, nisi firmam spem in Deum habuisset.

« Et reddet illis Dominus iniquitates ipsorum, et « in malitiam eorum disperdet illos Dominus Deus « noster. » Hoc autem erit in judicio, quando pro suis iniquitatibus, et maxime quia Ecclesiam Dei tanto odio persecuti sunt, in ignem mittentur æternum. Reddere autem iniquitates, nihil aliud est, quam reddere mercedem de iniquitatibus.

PSALMUS XCIV.

LAUS CANTICI IPSI DAVID.

Non omne canticum laudabile est, sed illud canticum est dignum laude, quod non solum voce, sed mentis quoque intentione Christo cantatur; hoc est enim, ipsi David.

« Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo sa- « lutari nostro. » Invitat nos Propheta ut conveniamus et Domino exsultemus, jubilemus, cantemus, ploremus, adoremus, et ipsum benedicamus, et ante faciem ejus procidamus.

« Ipse enim est Dominus Deus noster, nos autem « populus ejus, et oves pascuæ ejus; » et ideo dignum est ut ei serviamus, et per omnia, et in omnibus ei obediamus. Deo autem exsultare et jubilare, est ei immenso amore intus et extra, in corde et in ore dignis laudibus personare. Quod autem in titulo dicitur: « Laus cantici **504** ipsi David, » hoc est quod hic dicitur: « Jubilemus Deo salutari nostro, » quia salutare nostrum Christus est, qui per David significatur.

« Præoccupemus faciem ejus in confessione. » Venturus est Dominus ad judicium, et videbit eum omnis oculus, sicut scriptum est, quia « videbit omnis caro salutare Dei (*Luc.* III, 6). » Præoccupemus igitur faciem ejus in confessione, ut, cum venerit, non quasi extraneos et ignotos nos respiciat, sed læta facie nobis occurrat, et illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri. « Et in psal- « mis jubilemus ei. » Hinc fortasse Ecclesia ubique gentium consuetudinem accepit, ut die ac nocte in psalmis Deo jubilare non cesset. In psalmis autem cantare, est decem legis præcepta servare, quoniam

(750) « Mirum est quomodo probat Deus homines; ipsa pericula nostra dulciorem nobis faciunt liberantem. » AUGUSTINUS, Enarrat. in hunc psalmum.

Digitized by Google

psalmi a psalterio dicuntur, cujus decem chordæ, decem legis mandata significant.

« Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus « super omnes deos. » Ideo, inquit, et cantare et jubilare debemus, quoniam ipse est et magnus Deus, et magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos. Hoc est enim quod alibi ait : « Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis (*Psal.* xcv, 4). » Relinquantur igitur cæteri dii, et ipse solus adoretur, qui maximus et potentissimus est in universa terra.

« Quoniam non repellet Dominus plebem suam, « quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et alti- « tudines montium ipse conspicit. » Plebs illius nos sumus, et ideo cum laudare debemus, quia non repellet nos, neque a se ipso, neque a laudibus suis : « Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ. » Hoc autem ad illud respondet quod ait : « Quoniam Deus magnus Dominus. » Magnus enim est, in cujus manu omnia concluduntur. Manus autem Dei ejus virtus, et potentia intelligitur. « Et altitudines montium ipse conspicit. » In quo nihilominus et magnus et excelsus super omnes esse monstratur. Huic autem loco convenire videtur quod dicitur : « Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit (*Psal.* cxxxvii, 6). » Quid igitur per montes, nisi hujus sæculi altiores et potentiores intelligamus? Horum autem altitudines, quia Deo non placent, eum a longe cognoscere dicit. Sunt tamen et alii montes, per quos apostoli significantur, quorum altitudines, quia bonæ sunt, eas Dominum videre delectat. Sanctorum altitudines, virtutes sunt et mores honesti. Alius enim humilitate, alius patientia, alius continentia, alius alia qualibet virtute elevatur, et aliis præeminet.

« Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et « aridam fundaverunt manus ejus. » Et in hoc similiter magnus Dominus esse ostenditur, quod mare et aridam fecisse dicitur. Per mare mundum istum, et per aridam Ecclesiam intelligere possumus, quæ sic in medio hujus maris a Domino fundata est, ut ejus procellis et tempestatibus moveri non possit. Ipse autem fecit utrumque, quia et bonos et malos ipse fecit, et nihil est quod ipse non fecerit.

« Venite, adoremus, et procidamus ante Deum, « ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipse « est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, « et oves pascuæ ejus. » Iterum nos invitat ut veniamus, adoremus et ploremus, atque ex toto nos humiliemus ante Deum, omnium rerum factorem et creatorem, qui nos fecit et refecit, et ad antiquam imaginem reformavit. Quod quidem justissime facere debemus, « quia ipse est Dominus Deus noster. » Si Deo, et Domino nostro non servimus, omnino ingrati et abominabiles sumus. « Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. » Magna gloria, et magnus honor nobis est, ut ejus populus et ejus oves dicamur. Nos sumus ille populus de quo dicitur : « Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi (*Psal.* xvii, 44). » Oves autem ejus sumus, si humilitatem et patientiam habeamus, et si in ejus pascuis delectemur, per quæ utriusque Testamenti volumina significantur, si ejus vocem audiamus. Sicut ipse ait : « Oves meæ vocem meam audiunt, et ego Dominus agnosco eas, et vitam æternam do eis; et sequuntur me (*Joan.* x, 27). » Et ipse quidem est, qui nos quotidie admonet, dicens :

« Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare « corda vestra, sicut in exacerbatione secundum « diem tentationis in deserto. » Hodie, inquit, si vocem ejus audieritis, cujus oves et populus estis, nolite facere sicut fecerunt patres vestri, quorum utique filii estis, si eos in eadem perfidia imitamini. Hoc autem de illis dicit qui, quoties eum in deserto tentaverunt, ad iracundiam provocaverunt, inobedientes exstiterunt, et ideo in terram sibi promissam non intraverunt. De quibus alibi dicitur : « Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in terra sine aqua (*Psal.* cxxvii, 40). » Dicitur igitur nobis ne eos imitemur, et ne ad Dei præcepta audienda et suscipienda corda nostra induremus, ne forte et nobis similia contingant. Et illi quidem probaverunt et viderunt opera Dei, et in mari divise, et in Pharaone submerso, et in aqua de petra, et in manna de cœlo, et in multis aliis, quæ enumerare longum est, et tamen non crediderunt verbis ejus, nec vocem Domini audierunt.

« Quadraginta annis proximus fui generatio- « ni huic, et dixi : Semper hi errant corde. » Proximus eis fuit Dominus per annos quadraginta ad regendum et custodiendum, aliquando etiam ad puniendum, et neque beneficiis, neque flagellis **505** cordis sui duritiam amiserunt. Unde et subditur : « Et dixi : Semper hi errant corde. » Dicere Dei, vidisse et cognovisse fuit, et tale est ac si diceret : Et vidi eos semper errantes, et in malitia perseverantes. Et hoc est quod dicit :

« Ipsi vero non cognoverunt vias meas. » Quid est vias meas non cognoverunt, nisi per vias meas ambulare noluerunt? « Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. » In eo quod se jurasse dicit, firmum hoc et incommutabile esse ostendit. Quod autem ait : « si introibunt in requiem meam, » comminatio est. Vocatur enim ellipsis hic modus locutionis, ubi semper aliquid deest ad plenitudinem orationis; potest enim subaudiri, non mihi credatur, vel non amplius potero, vel aliquid aliud, quod convenire videatur.

PSALMUS XCV.

QUANDO DOMUS ÆDIFICABATUR POST CAPTIVITATEM. CANTICUM HUIC DAVID (751).

Vidit David propheta quando domus ædificabatur post captivitatem, et præcepit hoc canticum cantari de templo materiali a Salomone exstructo intelligendum esse docet; sed de novo templo spirituali, id

(751) Ipse etiam S. Augustinus titulum hunc, et psalmum in sensu allegorico explanavit; quippe non

Digitized by Google

huic David, id est Salvatori nostro, a quo illa domus ædificata est. Hæc domus S. Ecclesia est, quam Salvator noster in ligno crucis ædificavit, post longam captivitatem, in qua totum humanum genus diabolus possedit, et tenuit. Similiter autem, et sub Jesu sacerdote magno templum Domini reædificatum est, post Babylonis captivitatem a qua ista, de qua nunc loquimur, captivitas significabatur.

« Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra. » Quod modo Propheta in titulo præcepit, hoc canticum cantari huic David, hoc est, quod modo dicit : « Cantate Domino canticum novum ; » quoniam per David ipse Dominus et Salvator noster significatur. Invitantur enim ad cantandum non solum Judæi, sed omnis terra, quia « non Judæorum tantum, ut ait Apostolus, imo et gentium (752) unus est Deus (*Rom.* III, 29). » Debent autem cantare canticum novum, canticum nativitatis, passionis, resurrectionis, et ascensionis. Hæc enim nova sunt, et a prioribus inaudita. Cantant præterea et illi canticum novum, qui non litteræ vetustatem, sed spiritualis intelligentiæ novitatem sequuntur.

« Cantate Domino, et benedicite nomini ejus. » Dignum est ut semel, et iterum, et multoties ad cantandum invitet, quos non uni genti, sed cunctis gentibus, populis et nationibus cantare oportet. Cantate, inquit, et cantando benedicite nomen ejus; id est sic vivite, sic agite, sic prædicate, ut in vobis nomen ejus benedicatur. Benedicite in Patre Filium, in Filio Patrem, et in utroque Spiritum sanctum; hoc est nomen ejus, quia hi tres unus Deus. Quis enim Apostolos Christi virtutes et miracula narrare, et ejus misericordias prædicare audiat, et non continuo dicat : Sit nomen Domini benedictum? « Bene nuntiate de die in diem salutare ejus. » Bene, inquit, constanter et sapienter nuntiate de die in diem, omni tempore, et per singulos dies eam salutem, quam ubique gentium Dominus operatus est. De qua alibi dicitur : « Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ (*Psal.* LXXIII, 12). »

« Annuntiate inter gentes opera ejus, in omnibus « populis mirabilia ejus. » Hoc enim fecerunt apostoli, quia sicut scriptum est : « Profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20). » Et alibi : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in finem orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5). »

« Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis, « terribilis est super omnes deos. » Et ideo terribilis super omnes deos, quoniam omnes dii gentium dæmonia. Ideo vero laudabilis, quoniam ipse cœlos fecit. A Quis enim sic magnus, sic laudabilis et sic terribilis est, sicut ille qui omnia fecit? A privilegio majoris partis omnium rerum creatorem esse ostendit, dum eum cœlos fecisse dicit.

« Confessio, et pulchritudo in conspectu ejus. » Confessio martyrium, pulchritudo vero baptismum significare videtur. Et de confessoribus quidem Dominus ait : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* X, 32). » De baptismo vero : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 16), » Unde et alibi dicitur : « Lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L, 9). » Tales igitur erunt in conspectu Dei, qui vel martyrio, vel baptismo sic sanctificati fuerint. Qui vero vel hoc, vel illo modo B ab eo sanctificantur, **506** et sancti et magni efficiuntur. Et hoc est quod ait : « Sanctitas, et magnificentia in sanctificatione ejus (753). » Possumus autem per confessionem et pœnitentiam intelligere, quia et ipsa sanctificat et liberat a peccatis.

« Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino « gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus. » Afferte, inquit, Domino patriæ gentium, et quid afferre debeatis, audite : « Afferte Domino gloriam et honorem. » Et quam gloriam? Afferte Domino gloriam nomini ejus. Quid est nomini ejus? Ad honorem nominis ejus, vel quæ conveniat nomini ejus. Magnum est nomen, magna fiet gloria. Nomen ejus omnia continet, gloria ejus omnia repleantur.

C « Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate « Dominum in aula sancta ejus. » Aula sancta ejus Ecclesia est et fidelium multitudo. Vult igitur, ut hostias nostras ibi offeramus, ubi a pluribus videantur, ut fides nostra non sit occulta, sed manifesta. Qui aliud non habet quod Domino offerat, se ipsum, obsequium suum, fidem suam offerat, quia non est majus, quod offerre possit. Si promisisti castitatem, humilitatem, patientiam, obedientiam, et his similia, bonam hostiam Domino obtulisti. Non erubescas coram multis adorare Dominum, ut multi te videant, et bonum exemplum de te suscipiant, quatenus in te illud adimpleatur quod scriptum est : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera D vestra, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* V, 16). »

« Commoveatur a facie ejus universa terra. » Vos, quasi dicat, ejus facies, ejus imago et similitudo estis, quia ad ejus imaginem et similitudinem facti estis. Commoveatur igitur a vobis universa terra; nihil terrenæ corruptionis in vobis permaneat, ut penitus ad ejus faciem et pulchritudinem reformemini, ad cujus imaginem facti estis. « Dicite in ma-

est Ecclesia, cujus lapides, ut inquit Apostolus, sunt fideles, et ædificator Christus Dominus.

(752) In edition. hæc desunt.

(753) Quamvis hic *in sanctificatione* pro loco sancto proprie intelligi debeat, attamen auctor noster mysticam S. Augustini interpretationem secutus pro peculari hominis sanctitate accepit. Ait enim in hunc locum : « Tu jam quærebas magnificentiam, prius dilige sanctitatem, cum sanctificatus fueris, eris et magnificus. Nam si præpostere prius esse volueris magnificus, ante cadis quam surgas : non enim surgis, sed extolleris, » etc.

Digitized by Google

« tionibus, quia Dominus regnavit a ligne (754). » Qui tales sunt, talia dicere digni sunt. A ligno Dominus regnare cœpit, quia per lignum regnum redemit. Non cognoscebant prius homines regnum suum; sed postquam factus est principatus super humerum ejus, cognitus est Dominus, et regni gubernacula suscepit. « Etenim correxit orbem terræ, « qui non commovebitur. » Ab hoc enim dicitur rex ut regat, et corrigat et inde eum esse regem probat, quia rexit et correxit orbem terræ, non totum mundum, sed meliorem mundi partem intelligere debemus, populum videlicet Christianum, qui sic a rege suo correctus et instructus est, ut nunquam ab eo separetur et commoveatur. « Judicabit populos in « æquitate. » Hoc autem erit in judicio, quando reddet singulis secundum opera sua. « Et gentes in ira « sua, » quia non fecerunt voluntatem suam. Unde et alibi dicitur : « Dominus in ira sua conturbavit eos, et devorabit eos ignis (*Psal.* xx, 10). »

« Lætentur cœli, et exsultet terra, moveatur mare, « et plenitudo ejus. » Hæc verba tantam lætitiam sonant, quanta in hac vita haberi potest. Tunc igitur ista lætitia erit sanctis, quando Dominus judicabit populos in æquitate. Cœli, apostoli; terra, Ecclesia; mare, et plenitudo ejus, omnes baptismatis aquis regenerati intelliguntur. Tales pisces promittebat Dominus apostolis, quando dicebat : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum (*Marc.* i 17). »

« Gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt. » Quod per mare et plenitudinem ejus significatum est, hoc per campos et quæ in eis sunt, intelligi potest. « Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum. » Et hæc similiter significant, quæ superiora. Diversis namque ex causis, et pisces maris, animalia terræ, et ligna silvarum homines dici possunt. Sed quare omnia hæc tunc gaudebunt et exsultabunt? Sequitur : « Ante faciem Domini, quia venit, quoniam « veniet judicare terram. » Duplex gaudium erit : unum, quia prius venit redimere et docere; alterum, quia veniet judicare terram. Nisi enim prius redimere venisset, nullum de secundo adventu gaudium esset. Illi igitur de secundo adventu gaudebunt, qui se in primo redemptos et electos esse intelligent; sive pisces maris, sive bruta camporum animalia, sive dura et infructuosa silvarum ligna fuerint. Venit igitur Dominus judicare terram. Sed quomodo judicabit?

« Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos « in veritate sua. » Iste versus bonis gaudium, et malis tristitiam parit.

507 PSALMUS XCVI.

PSALMUS IPSI DAVID CUM TERRA EJUS RESTITUTA EST.

Tunc factum est quod dicit iste Psalmus, cum terra restituta est ipsi David. Tunc enim Salvatori nostro terra sua restituta est, quando diabolo superato, mundus ei servire, et in eum credere cœpit. Possumus autem per terram suam, suam quoque carnem intelligere, quam cum in cruce mortuam reliquisset, die tertia viva sibi restituta est.

« Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur in- « sulæ multæ. » Exsultet, inquit, terra, gaudeat Ecclesia, lætentur insulæ multæ, per quas singulæ Ecclesiæ significantur; quæ, quamvis spatio locorum divisæ sint, in fide tamen et dilectione unum sunt et unam Ecclesiam faciunt. Sed unde lætentur? Quia Dominus regnavit, quia terra sua, et regnum suum sibi restitutum est. Gaudeant, quia bonum habent imperatorem, quæ tanto tempore sub diaboli durissima servitute oppressæ doluerunt. Qui ideo, quasi dicat, in adventu suo cognitus non est, quia humilis apparuit, et in forma servi et majestatem suam in primo adventu revelare noluit. Et est hoc quod ait.

« Nubes et caligo in circuitu ejus. » Nubem et caliginem, carnem vocat, qua divinitas induta, et circumamicta videri non potuit. « Si enim cognovissent, ut ait Apostolus, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*1 Cor.* ii, 8). » De hac nube scriptum est : « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et corruent omnia simulacra ejus (*Isa.* xix, 1). » De hac nube istæ pluviæ exeunt quibus tota Ecclesia irrigatur. Cum autem venerit Dominus in sede majestatis suæ, tunc hæc nubes non erit caliginosa; sed in tanta claritate apparebit, ut ejus splendore obscuretur sol et luna perdat lumen suum. Cujus autem sedis correctio, justitia et judicium erit; et hoc est quod dicit : « In circuitu ejus justitia, et judicium correctio se- « dis ejus. » Totus mundus ab hac sede judiciaria judicabitur et corrigetur. Sed quomodo? Non injuste, non temere, sed in justitia et judicio.

« Et tunc quidem ignis ante eum præibit, et in- « flammabit in circuitu inimicos ejus. » Postquam, inquit, hæc sedes suæ correctionis sententiam dederit, illico ignis præibit ante eum, « et inflammabit in circuitu inimicos ejus, » ut de igne temporali, quo mundus ardebit, in ignem æternum transeant impii, qui finem non habebit.

« Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, et com- « mota est terra. » Nunc ad primum adventum, de quo in principio psalmi loqui cœperat, revertitur, et ea per ordinem narrat, quæ tunc temporis facta sunt. Ipse, quasi dicat, suæ divinitatis potentiam celavit, sed fulgura ejus, per quæ apostolos et doctores intelligimus, manifeste cunctis illuxerunt et claruerunt. Hæc autem fulgura, et vocis magnitudine, et miraculorum splendore terribilia, totam terram commoverunt. Hoc est enim quod ait : « Vidit, et commota est terra. » Alii bene et alii male commoti sunt. De hac autem commotione Dominus ait : « Nolite putare quia veni pacem mittere in terram, non

(754) In Vulgata tantum habetur : *Dominus regnavit*. Hæc additio a ligno etiam legitur apud S. Augustinum, ubi ait : « Christum Dominum a ligno crucis cœpisse regnum suum, victoriam nempe diaboli et peccati destructionem. »

Digitized by Google

veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare filium adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus (*Matth.* x, 34). »

« Montes sicut cera fluxerunt ante faciem Domini, « a facie Domini tremuit omnis terra. » Quos modo fulgura dixit, nunc montes vocat. Et merito montes vocantur apostoli, quia et sanctitate et scientia omnibus aliis altiores sunt. Ipsi autem sicut cera fluxerunt, quia multos alios illuminarunt. Bene autem dixit : « ante faciem Domini, » quia dignum est ut talia candelabra, talesque cerei ante faciem Domini semper assistant. « A facie Domini tremuit omnis terra. » Quid est a facie Domini, nisi a cognitione veritatis? Illa igitur terra tremuit, quæ Dominum cognoscere meruit, est enim « initium sapientiæ timor Domini (*Eccli.* I, 17); » unde et subditur :

« Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt « omnes populi gloriam ejus. » Ecce iterum cœli vocantur apostoli, ut montibus sublimiores esse credantur. Et isti sunt illi cœli, qui prædicant et narrant justitiam et gloriam Dei. Gloriam videlicet resurrectionis et ascensionis, quam soli et omnes illi populi vident, qui in Christum credunt, et Christianorum fidem recipiunt.

« Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et « qui gloriantur in simulacris suis. » Omni confusione digni sunt, qui post apostolorum prædicationem, et tantam miraculorum virtutem et ostensionem, adhuc idola adorare non erubescunt, et in simulacris suis gloriantur. « Adorate eum omnes an- « geli ejus. » Possumus per angelos qui Salvatorem nostrum adorare jubentur, non solum virtutes angelicas sed apostolos quoque **508** et doctores intelligere, quoniam angeli nuntii interpretantur.

« Audivit, et lætata est Sion. » Hoc est enim quod superius ait : « Exsultet terra, et lætentur insulæ multæ. » Idem igitur per Sion, et per terram, et insulas significatur. De quibus adhuc subditur : « Et exsultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua, « Domine. » Filiæ Judæ singulæ Ecclesiæ, vel civitates intelligantur, quæ inde lætantur, quia judicia vera esse cognoscunt, in quibus de suis inimicis vindicandas esse non dubitant.

« Quoniam tu es Dominus altissimus super om- « nem terram, nimis exaltatus es super omnes deos. » Omnes, inquit, te adorare debent, quia tu solus altissimus super omnem terram, cui omnis creatura subjecta est, secundum illud : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* VIII, 8). » Nimis autem super omnes deos exaltatus est Dominus, quia non solum dæmonia, sed ipsi quoque angeli omnes ei subjecti sunt.

« Qui diligitis Dominum, odite malum. » Nihil aliud odio habendum est, nisi malum, quia et Deus noster omnem suam diligit creaturam, et solum malum odio habet. Qui igitur diligit Deum, omnem creaturam Dei diligat, non autem malum; quia creatura Dei non est. Sunt igitur et mali homines diligendi; sed vitia quæ in eis sunt, quia mala sunt, diligenda non sunt. « Custodit Dominus animas servorum suo- « rum, et de manu peccatoris liberavit eos. » Odite, inquit, malum, et ne timeatis hominem malum. « Nolite timere eos qui occidunt corpus, quia animam non possunt occidere (*Matth.* x, 28); » et hoc est quod dicit : « Custodit Dominus animas servorum suorum; de manu peccatoris liberavit eos (755). » Non in anima, sed in solo corpore habent potestatem. Unde et alibi dicitur : « Dominus custodit te ab omni malo (*Psal.* CXX, 7). » Et ne forte de corporis afflictionibus hoc intelligeres, subdidit, dicens : « Custodiat animam tuam Dominus. »

« Lux orta est justo, et rectis corde lætitia. » Hæc inquit, lux de qua huc usque locuti sumus, hic Deus noster, qui est altissimus super omnem terram : hæc lætitia de qua Sion lætata est, et exsultaverunt filiæ Judæ, non omnibus orta est; quia non ab omnibus recepta est. Hæc enim lux « in propria venit, et sui non receperunt (*Joan.* I, 11). » Quibus igitur orta est? Justis et rectis corde, per quos Christianorum populos intelligimus. Unde et bene subditur : « Lætamini, justi, in Domino, » quoniam vobis natus est Dominus; « et confitemini memoriæ sanctitatis ejus; » quia non est oblitus promissionis suæ, sed quæcunque per legem et prophetas promiserat, veniens, et carnem suscipiens adimplevit.

PSALMUS XCVII.

PSALMUS IPSI DAVID.

Quid significet ipsi David, satis manifestum est. Hoc in isto Psalmo significat, ipsi David, quod in prioribus significat, in finem.

« Cantate Domino canticum novum, quia mirabi- « lia fecit Dominus. » Hoc Judæi non intelligunt, et ideo in vetustate litteræ permanentes, se ipsos occidunt. Hoc enim et Apostolus dicit : « Littera occidit, spiritus autem vivificat : finis legis Christus est (*II Cor.* III, 6), » quia in ipso littera finita est, et post ipsum secundum litteram legem intelligere magnum peccatum est. Nos igitur cantemus Domino canticum novum, canticum nativitatis, passionis, resurrectionis et ascensionis. Hæc sunt enim mirabilia, quæ Dominus hic fecisse dicitur. Quid mirabilius Christi nativitate? Quid mirabilius ejus resurrectione et ascensione? Et quid mirabilius ejus passione? In qua ipsa ejus dextera eum salvavit, et moriendo omnes suos inimicos superavit? Et hoc est quod dicit :

« Salvavit eum dextera ejus, et brachium sanctum « ejus. » Non necesse habuit aliunde auxilium quærere; sufficiebat sibi dextera sua, et fortitudo brachii sui. Mors Christi voluntatis fuit, non imbecillitatis. Mortuus est, quia voluit, qui, si noluisset, nunquam occidi potuisset. Hinc autem narrare incipit,

(755) De liberatione a peccato exponit hunc locum Cassiodorus. « Liberat, inquit, de manu peccatorum animas, quando eas non sinit aliqua pravitate subverti : sed ita illæsas eripit, quemadmodum sibi bene placitas esse cognoscit. »

Digitized by Google

quomodo hæc mirabilia facta fuerunt; et dicit Deum Patrem hoc fecisse, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus et incarnari, et mori constituit. Et hoc est quod ait :

« Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. » Salutare Dei Christus est, qui de Virgine natus in multis argumentis notissimus nobis factus est. Unde Apostolus dicit : « Nihil me judicavi scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II, 2). » Inde et beatus apostolus Petrus ait : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI, 17). » Quod autem ait : « Ante conspectum gentium revelavit justitiam suam; » **509** vel eumdem ipsum intelligere debemus, vel evangelicam prædicationem, quæ et per ipsum, et per discipulos suos ubique gentium manifestata est. Unde Apostolus ait : « Non erubesco Evangelium; virtus enim Dei est ad justitiam omni credenti (*Rom.* I, 16). »

« Memor fuit misericordiæ suæ Jacob, et veritatis suæ domus Israel. » Si dicatur quod Jacob memor fuit misericordiæ Dei, et domus Israel, planum est; sed multum ab alia translatione differt. Alia enim translatio hoc significat : Quod « Deus memor fuit misericordiæ suæ quam promisit Jacob, et veritatis suæ quam promisit domui Israel. » Ut itaque utraque translatio conveniat, sic dicatur : Memor fuit misericordiæ suæ, quam promisit filiis Jacob, et veritatis suæ, sicut promisit filiis domus Israel (756). Jacob et Israel idem significat, per quem populum Christianum intelligimus, qui et vitia supplantat, et mentis intuitu Deum videt. Potest tamen in hac vita Jacob, et in alia Israel recte vocari. Iste autem memor fuit semper, et erit misericordiæ et veritatis Dei. Deus quoque illius non immemor fuit, sed quod promisit, fideliter adimplevit.

« Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. » Hoc est enim quod alibi dicitur : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4). » Videre autem, cognoscere est. In judicio tamen etiam oculis corporeis, et boni et mali eum videbunt. Unde scriptum est : Quia « videbit omnis caro salutare Dei (*Luc.* III, 6). »

« Jubilate Deo omnis terra, cantate, et exsultate, et psallite. » Magni gaudii hæc verba indicativa sunt, quia et jubilare, et exsultare, et cantare, et psallere, nihil aliud quam gaudium et lætitiam significare videntur. Jubilatio tamen intus, cætera vero exterius fiunt. Quo modo autem psallere debeatis; attendite.

« Psallite Deo nostro in cithara, et cithara. » Duas citharas posuit, quarum alteram Novi Testamenti, alteram Veteris esse puto. Vult igitur ut sancti prædicatores utriusque Testamenti auctoritate confirment et prædicent mysterium Trinitatis. Sæpe enim jam diximus, quia tres, vel quatuor chordæ in Ecclesia sufficiunt; quod, quid significet, jam sæpe dictum est. In voce vero psalmi, quia die, nocteque tota ubique Ecclesia concrepat, quid aliam expositionem quæramus?

« In tubis ductilibus et voce tubæ corneæ, jubilate in conspectu regis Domini. » Et corneas, et argenteas tubas habebant Judæi, quibus populum nunc ad prælia, nunc vero ad castra redire et quiescere suadebant. Per has autem sanctorum sermones longos et extensos, lucidos et claros intelligere possumus, quibus populum Dei docent et prædicant, et in conspectu regis sui Domino jubilant. Valde honeste, suaviter, et sapienter eos jubilare oportet; nihil est enim quod in conspectu ejus non sit; omnia videt et nihil se sibi abscondere valet.

« Moveatur terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. » Nihil fuit quod ad hunc sonitum tam clarum et magnificum tubarum et citharum non moveretur; aliis contradicentibus, aliis Deum laudantibus et benedicentibus.

« Flumina plaudent manibus in idipsum. » Non possent flumina manibus plaudere, nisi populos designarent. Sed, sicut scriptum est, « aquæ multæ, populi multi. » Plaudunt igitur flumina in idipsum, quia una et consona voce multi populi in Dei laudibus perseverant. « Montes exsultaverunt ante faciem « Domini. » Hoc autem jam in aliis psalmis expositum est, et quod montes, apostolos significent, sæpe dictum est. Qui inde exsultare dicuntur, quoniam Dominus et venit et venturus est, primum quidem redimere, secundum vero judicare terram. Quomodo judicaturus sit, sequentia manifestabunt.

« Judicabit orbem terræ in justitia, et populos « in æquitate. » Hoc est enim quod alibi dicitur : Quia « reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI, 27). »

510 PSALMUS XCVIII

PSALMUS DAVID.

Quid significet psalmus David, cum multoties dictum sit, non indiget expositione.

« Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet « super Cherubim, moveatur terra. » Dixi semel, dixi iterum; nunc autem tertio dico : « Dominus regnavit. » Et ideo dixi, ut populi irascantur et confundantur, quia velint, nolint, Dominus regnavit (757). Irascantur et boni populi adversus eos qui usque nunc eos affligebant, et captivos detinebant.

(756) Utramque translationem ita conciliat Cassiodorius : « Et ne intellectum nostrum diversa nominum dissimilitudo confundat, perscrutemur, quare additum sit : *Et veritatis suæ domui Israel;* ut non solum hoc datum intelligeremus populo, qui post adventum Domini dictus est Christianus : sed etiam illis, qui eum de Virgine nasciturum esse crediderunt. »

(757) Satis compendiose complexus est S. Augustinus, quæ hoc in psalmo continentur : « Intendat ergo nobiscum charitas vestra, ait, ad istum psalmum, et quæramus hic Christum : utique apparebit quærentibus, qui primo apparuit non quærentibus : et non deseret desiderantes se, qui redemit negligentes se. »

Digitized by Google

audiant Apostolum dicentem : « Jam non regnet peccatum in vestro corpore mortali (*Rom* VI, 12). » Neque decet, ut regnante Domino, alium super se regnare patiantur. Sed quis Dominus regnavit? Ille utique, qui sedet super Cherubim. Interpretatur autem Cherubim *scientiæ plenitudo*, per quos apostolos intelligere possumus, quos Spiritus sanctus tertius scientiæ plenitudine replevit. Ad laudem vero Salvatoris nostri pertinet, sive super istos, sive super illos alios Cherubim sedere dicatur. Nam et isti, et illi, et omnis creatura sibi subjecta est, et super omnes ordines angelorum et hominum ipse sedet, et imperium tenet. Quod autem nunc dicitur. « Moveatur terra, » hoc est quod supra dixit, « irascantur populi. »

« Dominus in Sion magnus, et excelsus super « omnes populos. » Hic, inquit, Dominus noster, qui a tempore suæ passionis regnare cœpit, in cœlo, et in terra, et super angelos, et super omnes homines, major et sublimior est. Sed si vis scire quam magnus est Dominus, vade ad Sion, perge ad Ecclesiam, et ibi cognoscere poteris quam magnus est Dominus. Ibi enim ejus magnitudo, ejus virtus et fortitudo, ejus honor et gloria sine intermissione ab omnibus prædicatur. Unde et subditur :

« Confiteantur nomini tuo magno et terribili, quo- « niam sanctum est. » Magnum quidem est nomen Christi, et terribile, et sanctum, ad cujus invocationem mortui suscitantur, dæmonia fugantur, leprosi mundantur, et omnes languores et infirmitates sanantur; quod nimirum semper et laudare et prædicare debemus. Et hoc quare? « Quia honor regis judicium diligit (*Psal.* XCVIII, 4). » Honor autem regis laus est et prædicatio. Qui igitur regem (sic enim interpretatur Christus) sincero affectu in hac vita laudant et prædicant, illi in judicio non timebunt; non enim diligerent, si timerent. Sed quia dictum est quia « honor regis judicium diligit, » confessio igitur facit, ut judicium non timeamus, sed potius diligamus.

« Tu parasti æquitatem, judicium et justitiam in « Jacob tu fecisti (758). » Tu, inquit, parasti et fecisti tale judicium tuum, ut non solum æquum, verum etiam ipsa æquitas jure dici debeat. Quis igitur non diligit judicium tuum, si tamen honoravit nomen tuum? Timeant illi qui tibi contrarii fuerunt, et nomen tuum blasphemaverunt. « Et justitiam in Jacob tu fecisti. » Si de carnali Jacob intelligamus, qui Christi nomen sanctum et terribile quotidie blasphemare non cessat, ex parte in eum justitia facta est, quia ubique gentium dispersus est.

« Exaltate Dominum Deum nostrum. » Exaltate, inquit, prædicate, et honorate eum, quia, ut modo diximus, honor regis judicium diligit, et quicunque eum digne prædicant, et honorant in judicio mercedem et honorem suscipient. « Et adorate sca- « bellum pedum ejus, quoniam sanctum est. » Salvator noster et Deus, et homo est. Omnis autem homo, terra est. Terra vero scabellum Dei est: sic enim ipse Dominus ait : « Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum (*Act.* VII, 49). » Debemus igitur adorare scabellum pedum ejus, id est Salvatoris nostri humanitatem, quoniam sancta est, sicut ad Virginem angelus ait : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I, 35). » Ipse est enim quem adoravit Abraham, qui cum staret ad ilicem Mambre, vidit tres viros venientes ad se, et unum adoravit (*Gen.* XVIII, 1-3). Ipse est, cui Moyses, et Aaron servierunt, et cujus nomen invocaverunt. Unde subditur :

« Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Sa- « muel inter eos, qui invocant nomen ejus. » Moyses et Aaron, quantum ad litteram sacerdotes non fuerunt (759); tales tamen regale sacerdotium vocantur gens sancta, et populus acquisitionis. Sunt **511** igitur sacerdotes, etsi sacerdotis officio non fungantur, quicunque sacerdotalem et religiosam vitam agunt.

« Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, « et in columna nubis loquebatur ad eos. » Isti, inquit, et cæteri omnes hunc Regem et Salvatorem nostrum, et non alium invocabant, et ipse, et non alius exaudiebat eos. « Et in columna nubis loquebatur ad eos. » Tunc loquebatur in columna nubis, qui postea locuturus erat in columna carnis; prius nube, postea carne involutus (760). Audiri quidem potuit, sed videri non potuit. Miseri Judæi sola hæc vobis sufficere possent, nisi littera vos deciperet et occideret. Adhuc vobis nubes opposita est, ne per illam eum videre valeatis. « Cæcitas enim ex parte contigit in Israel, ut videntes non videant, et audientes non intelligant (*Rom.* XI, 25). »

« Custodiebant testimonia ejus, et præcepta ejus, « quæ dederat illis. » Ipse est igitur, qui legem dedit, ipse est qui tabulas scripsit, et unus atque idem utriusque Testamenti auctor, et Dominus, et legislator esse credatur. Domine Deus noster, qui homo factus es, qui de Virgine natus es, qui crucifixus es,

(758) Vulgata legit : *Tu parasti directiones.*

(759) Moyses equidem proprie sacerdos non fuit, bene tamen Aaron, ut habetur Exod. cap. XXVIII, ubi legitur Deum præcepisse, quibus vestibus uti deberet in sacerdotii ministerio. « Et loqueris (ita Deus Moysi,) cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, et faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. » Ita intellexit Augustinus hunc locum, qui tamen psalmi auctoritate innixus, Moysen sacerdotem dixit, quod vota populorum coram Deo semper exhibuit, quod sacerdotis officium esse monstratur. Quapropter, ut inquit Cassiodorius, et hic sacerdos dicitur, qui magnis precibus, irascente Domino, pro populo supplicavit.

(760) « *In columna nubis.* In hac ergo specie loquebatur illis Dominus, quæ venturam fabricam Ecclesiæ nuntiabat: Sed quia illis tunc per nubem verba fecit, nobis per sanctum scabellum suum, id est per Incarnationem et loqui evidentiùs et apparere dignatus est. » Cassiod.

Digitized by Google

qui a mortuis resurrexisti, cœlum ascendisti, et scabellum fieri voluisti; tu, et non alius exaudiebas eos. « Deus, tu propitius fuisti illis. » Quis omnes illas propitiationes enumerare valeat, quas illi populo Dominus fecit? Vindicavit tamen peccata illorum Dominus in hac vita, ne eos perderet in alia. Et hoc est quod ait : « Et vindicans omnia studia eorum. » Tunc itaque maxime illis propitius erat, quando de eorum prævaricationibus vindictam sumebat.

« Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate « in monte sancto ejus, quoniam sanctus est Dominus « Deus noster. » Audistis, quasi dicat, quis, qualis, quantus est Dominus Deus, noster vos eum exaltate, vos eum adorate, qui in monte sancto ejus estis, qui eum cognoscitis et in Ecclesia habitatis. Quoniam sanctus est Dominus Deus noster, qui propter vos et propter peccata vestra inter iniquos reputari voluit.

PSALMUS XCIX.

PSALMUS IN CONFESSIONE.

Totus iste psalmus ad lætitiam pertinet, et nihil nisi læta et jucunda sonare videtur. Unde in confessione, in hymnis semper, et laudibus, et gratiarum actione cantari debet (761).

« Jubilate Deo, omnis terra. » Sæpe jam diximus quia jubilatio ineffabile gaudium est, quod de supernæ felicitatis contemplatione in mente habetur. Vult igitur Propheta, ut omnis terra Domino jubilet, et postpositis omnibus quæ in mundo sunt, solius Dei amare et desiderio teneatur servire Deo in lætitia. Multi serviunt Deo, sed non in lætitia, quia non sponte, sed coacte id faciunt. Servire autem in lætitia docet nos Apostolus, ubi ait : « Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete : modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim prope est (*Philip.* IV, 4). » Similiter et Propheta Ecclesiam hortatur dicens : « Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe, et clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quam ejus, quæ habet virum. (*Isa.* LIV, 1; *Galat.* IV, 27). »

« Intrate in conspectu ejus in exsultatione. » Si enim omnia quæcunque sunt, in conspectu ejus sunt, et nihil se ab ejus oculis abscondere potest, ubi erant isti qui in conspectu ejus intrare jubentur? Secundum quemdam modum et sunt, et non sunt in conspectu ejus. Non sunt illi, de quibus Dominus dicturus est : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV, 12). » Illi autem sunt in conspectu ejus, qui digni sunt visionis illius. Intrare itaque in conspectu ejus, nihil aliud est, nisi hominem se præparare, super quem Dominus respicere dignetur. Omnia autem in exsultatione, in gaudio, et lætitia spirituali fieri debent.

« Scitote quod Dominus ipse est Deus. » Et unde hoc probas? « Quia ipse fecit nos, et non ipsi nos. » Solus igitur est Deus, qui omnia fecit, non autem illi qui ab hominibus facti sunt. De quibus scriptum est : « Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum. » Neque tu fecisti filium tuum, neque te fecit pater tuus, sed solus Deus fecit nos, et non ipsi fecimus nos. Quid ergo sumus?

« Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. » Ipse, inquit, est Deus, et Dominus, et Creator noster; nos autem populus ejus sumus, ab ipso creati et facti, et de potestate diabolica liberati. Sumus **512** autem et oves pascuæ ejus, quicunque audimus vocem ejus. Sic enim ipse ait : « Oves meæ vocem meam audiunt, et cognosco eas (*Joan.* X, 27). » Hæc est illa pascua, de qua alibi ait : « In loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII, 1). » per quam utriusque Testamenti volumina significantur.

« Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in « hymnis confessionum. » De portis cœlestis Jerusalem dicere videtur, quoniam eos invitat, qui in Ecclesia sunt. Et quoniam in istas jam intravimus, ut in illas quoque intremus hortatur. In illas autem nisi in hymnis et confessionibus intrare non possumus. Primum itaque necesse est ut peccata nostra confiteamur (762), et sic in hymnis confessionum ad ejus atria perveniamus. Unde scriptum est : « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini (*Jac.* V, 16). » Et quoniam non est pretiosa laus in ore peccatoris, peccatorum confessio illam confessionem præcedere debet, quæ ad laudem pertinet et jubilationem. Et altera quidem confessio, et hic et ibi erit; altera vero ibi non erit; nullus enim ibi peccatum confitebitur, ubi peccatum nullum erit.

« Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Domi« nus, in æternum misericordia ejus, et usque in « sæculum sæculi veritas ejus. » Ista laus nullum finem habebit, quia et in Ecclesia, quanto tempore hic erit, postea in cœlesti Jerusalem de suavitate sua, de misericordia et veritate sua in æternum, et in sæculum sæculi laudabitur Dominus. Unum idemque et laudare Dominum, et laudare nomen Domini.

PSALMUS C.

PSALMUS IPSI DAVID.

Quando dicitur ipsi David, de Salvatore nostro intelligi debet, cui in hoc psalmo Ecclesia loquitur, et de misericordia, et veritate eum laudat (763).

« Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domi« ne. » Quinquagesimus psalmus totius misericordiæ plenus est; iste autem, qui centesimus est ad

(761) S. Hieronymus pro titulo habet : *Canticum in gratiarum actione.* Revera juxta Cassiodorium duplicem confessionem agimus : « Una est quando peccata nostra deplorantes, culpabiles nos, reosque profitemur, et misericordiam Domini concedendam nobis pils fletibus exoramus. Altera cum sive nobis beneficia collata laudamus, sive aliis præstita cum magna exsultatione veneramur. »

(762) Audiant Augustinum, qui raro confitentur : « Difficile est in hac vita, ut sic homo mutetur, ut nihil inveniatur in eo quod reprehendatur. Opus est, ut tu te reprehendas, ne ille reprehendat, qui damnaturus est. » Enarrat. in hunc psal.

(763) Psalmus *sanctam significat operationem.* « Ipsi David ubi ponitur, totum Christi virtutibus applicatur; ut nihil de isto terreno rege intelligas; sed omnia de illo cœlesti dicta fuisse intelligas. » CASSIOD.

Digitized by Google

judicium exaltat, et in matutino omnes peccatores interficiendos esse dicit. Merito igitur Ecclesia et de misericordia eum laudat, atque judicium ei prædicat, in quo peccatores puniendos esse cognoscit. « Psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies « ad me. »— « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* CXVIII, 1). » Et isti quidem bene psallunt, et voce et opere psallunt; siquidem ambulando psallant. Et quod majus est, sic se psallere dicunt, ut intelligant quando Dominus veniet ad eos. Illi enim qui dormiunt, non possunt cognoscere et intelligere quando ad eos Dominus veniet. Qui vero vigilant et solliciti sunt, quasi incauti præveniri nequeunt. Hinc est enim quod Dominus ait: « Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit (*Marc.* XIII, 35). » Ideo enim vigilare debent, ut judicem venientem a longe videant et cognoscant. Et hoc est quod modo dicit Ecclesia: psallam, et ita psallam ut intelligam et cognoscam quando venies ad me. Non dormitabo, neque dormiam, sed vigilabo et cantabo, et sollicita ero ut te adhuc de longe venientem sentiam et aspiciam. Hinc autem vitam suam et conversationem suam in hoc mundo Ecclesia narrat, quatenus ejus exemplo instruamur, qualiter nos quoque vivere debeamus.

« Perambulabam in innocentia cordis mei, in me« dio domus meæ (764). » Perambulabam, inquit, mandatorum tuorum semitam, currendo, et custodiendo; de qua videlicet semita Apostolus ait: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi (*II Tim.* IV, 7). » Sed quomodo ambulabam? « In innocentia cordis mei. » Si innocentia fuerit in corde, non erit malitia in opere. « Ex corde enim exeunt, dicit Dominus, cogitationes malæ, homicidia, perjuria, falsa testimonia, et cætera quæ coinquinant hominem. (*Matth.* XV, 19). » Ubi autem ambulaverit, audiamus. « In medio domus meæ. » Domus Dei, vel totus Christianorum populus, vel mundus iste intelligi potest. Ecclesia vero, quæ hic loquitur, perfectiores quique intelligi debent. Hæc autem ambulat in innocentia cordis sui, in medio domus Dei, quia bonis et malis, fidelibus et infidelibus bonum exemplum tribuit suæ sanctæ et honestæ conversationis. Unde et Dominus ait: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* V, 16) »

« Non proponebam ante oculos meos rem malam. » Proposuisset utique si vel ipsa faceret, vel facientibus consentiret. Sed hoc ipsa non fecit. Quid igitur fecit? **513** « Facientes, inquit, prævaricatores odivi. « Et non adhæsit mihi cor pravum. » Prævaricatores sunt, qui legem sibi impositam transeunt. Nobis autem hæc lex imposita est, declinare a malo, et facere bonum. Sed quis est, qui in hoc mandato aliquando non offendat? Facientes igitur prævaricatores eos intelligimus, qui nunquam ad pœnitentiam redeunt, sed omni tempore in malo opere perseverant. Tales autem odio digni sunt, quia apud Deum damnati sunt. Et isti quidem cor pravum habent, cor perversum et indomabile, quod sic in malitia induratum est, ut verba vitæ recipere nequeat.

« Declinantes a me malignos non cognoscebam. » Maligni namque sunt, quicunque ab Ecclesia declinant, et qui ejus verba salutifera recipere fugiunt. Hos autem non cognoscit Ecclesia; sed quasi infideles, et penitus alienos, et extraneos habet, neque divina sacramenta cum eis participat.

« Detrahentem adversus proximum suum occulte, « hunc persequebar. » Magnum peccatum est detractio, pro quo Ecclesia tantum commovetur, ut ipsis detractoribus faciat persecutionem. Ecclesiæ autem persecutio, interdictis et excommunicationibus fit. Qui vero occulte detrahunt, non sine odio sunt, et tales quidem homicidis adnumerantur. Proximus autem noster omnis Christianus intelligitur, quia et frater noster est, et ejusdem Patris filius. Detrahere autem est de alicujus propria bonitate diminuere velle.

« Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc « simul non edebam. » Bene autem superbos in oculo notavit, quia nusquam sic superbia deprehendi potest, sicut in oculis et superciliis elevatis. Initium autem omnis peccati superbia est. De qua alibi dicitur: « Non veniat mihi pes superbiæ (*Psal.* XXXV, 12); » ipsa enim est, quæ angelos ipsos ruere fecit. In corde vero insatiabili, avari designantur, et videtur definitionem pro definito posuisse. Avarus enim est, qui corde insatiabilis est. Præcepit autem Apostolus cum ejusmodi nec cibum sumere. Tales igitur a Christi corpore justissime separantur.

« Oculi mei super fideles terræ, ut sedeant hi me« cum. » Illos, quasi dicat, a me repellebam et separabam; fideles vero misericorditer respiciebam, mihique sociabam. Fideles terræ, illi sunt, quicunque in Ecclesia fidem catholicam tenent, et fideliter Deo serviunt. Tales igitur vult Ecclesia ut sedeant et secum habitent, et judicent secum. « Ambulans in « via immaculata, hic mihi ministrabat. » Ministri Ecclesiæ episcopi sunt et sacerdotes. Ipse quoque Dominus se ministrum esse ostendens, ait: « Non veni ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX, 18). » Tales ergo ad ministrandum elegit Ecclesia, qui immaculati et sine crimine sunt. Unde et vasa altaris de auro purissimo esse jubentur, et nullum aliud vas ministrat altari, nisi illa quæ sunt de purissimo auro.

« Non habitabit in medio domus meæ, qui facit « superbiam. » In nomine superbiæ omnia vitia et peccata continentur. Sed hoc de illa superbia intelligitur, quæ ad tantam contumaciam pervenit, ut penitus se humiliare, et ad pœnitentiam redire con-

(764) Suppletur editio quæ caret hoc versu, et corrigitur.

Digitized by Google

temnat. Hæc autem malignorum spiritum propria est; unde Apostolus ait : « Tentatio vos non apprehendat, nisi humana (*I Cor.* x, 13). » — « Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. » Hæc autem specialiter de hæreticis dicere videtur, qui neque se ipsos, neque alios in Ecclesiam dirigunt; sed quoscunque possunt, ab ea divertunt.

« In matutino interficiebam omnes peccatores terræ (765). » Ideo Ecclesia, ut superius ostensum est, prævaricatores superbos, avaros, malignos, detractores et fallaces a se repellebat, eorumque consortia fugiebat, quia omnes tales apud Deum condemnatos esse videbat. Unde etiam omnes peccatores se in matutino interfecisse dicit, quia eos in judicio damnandos et interficiendos esse judicavit. Sic igitur sua sententia jam Ecclesia damnavit et interfecit omnes illos, quos in judicio damnandos esse cognovit. Iste locutionis modus in divina pagina sæpe invenitur. Unde et Moyses de leprosis scribens, præcipit sacerdoti ut recludat eos septem diebus, et si viderit lepram crevisse, contaminabit eos (*Levit.* XIII, 6). Quid est contaminabit eos, nisi contaminatos esse judicabit? Matutinum autem vocatur dies ille, quia hujus sæculi finis et alterius initium erit. Hoc, inquit Ecclesia, ideo faciebam, « ut disperdam de civitate Domini, » id est de cœlesti Jerusalem, « omnes operantes iniquitatem, » per quos eos intelligimus, qui in malitia perseverant. Quid est autem, ut disperdam, nisi ut disperdendos esse ostendam?

514 PSALMUS CI.

ORATIO PAUPERIS CUM ANXIATUS FUERIT, ET CORAM DOMINO EFFUDERIT PRECEM SUAM.

Hic titulus planus est, nec indiget expositione. Omnis autem homo in eo pauper est, in quo alieno indiget servitio. Est igitur hæc oratio omnium illorum, qui in suis necessitatibus divinum auxilium implorant.

« Domine, exaudi orationem meam, et clamor « meus ad te perveniat. Ne avertas faciem tuam a « me. In quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam; in quacunque die invocavero te, velo« citer exaudi me. » Pauperes isti, qui hic loquuntur, illi sunt qui sua sponte pauperes fiunt, et qui relictis omnibus secuti sunt Dominum. De quibus Apostolus ait : « Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). » Quanta autem instantia, quo mentis affectu, qua animi devotione Deum orare debeamus, ipsi nos docent; dum eadem iterantes et replicantes, unum idemque toties dicunt. Tale esse videtur, quando iterum, iterumque et multoties dicimus « Kyrie eleison. » Orationes autem non tantum compositione, quantum mentis affectu Domino placent.

« Quia defecerunt, sicut fumus, dies mei, et ossa « mea sicut in frixorio confrixa sunt (766). » Immortales facti sumus, sed propter peccatum primi parentis ad tantam dierum brevitatem devenimus, ut dies nostri non immerito fumo comparentur, quoniam lacrymis, et caligine, omniqne amaritudine cito deficiunt. « Et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt. » Hoc enim et secundum litteram plerumque sanctis contingit; quia et spontanea afflictione et calamitate aliunde superveniente, supra modum exuruntur et cruciantur. Possumus autem per ossa Ecclesiæ, ipsos apostolos aliosque fortiores intelligere, qui non minores cruciatus passi sunt, quam si in frixorio confrixi fuissent.

« Percussus sum sicut fenum, et aruit cor « meum. » Vere fenum est populus, « exsiccatum est fenum, et cecidit flos (*Isa.* XL, 8). » Omnes homines quasi fenum percutiuntur, et percussi moriuntur, et mox omni viriditate, omni flore et lætitia destituti deficiunt, et arescunt, et in pulverem pulvis convertitur. Cum enim ipsum cor, in quo tota vita erat, arescere dicat, satis aliorum membrorum mediam innotescit. Hoc autem cur sibi contingat, audiamus.

« Quia oblitus sum, inquit, comedere panem « meum. » Adhuc omnes homines primi parentis exempla sequuntur, qui, cum omnibus divitiis abundaret, illius panis qui sibi ad edendum fuerat concessus oblitus, ad lignum vetitum accessit, et cibum sibi interdictum comedit. Sic et nos ea quæ nobis interdicta sunt libentius audimus et agimus, quam ea quibus animæ vivunt, et sine quibus vivere nequeunt. Tunc enim panem suum anima comedit, quando ea facit, quibus ad vitam ducatur æternam.

« A voce gemitus mei adhæserunt ossa mea carni « meæ. » Quid enim homo sic percussus et vulneratus, nisi dolere et gemere potuit? A voce autem tanti gemitus, et ossa et caro sibi conjuncta sunt, quia communem dolorem utraque senserunt. Quid enim ossa Ecclesiæ, nisi fortiores quosque significant? Caro vero molliores et imperfectiores designat. Omnes ergo et perfecti et imperfecti in hoc sibi con-

(765) Satis prolixa est loci hujus expositio Augustini, ejusque conclusionis partem afferemus. « Quid est, inquit, *in matutinis?* Cum dies venerit, mortis scilicet, nocte transacta vitæ, *in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ.* Quare eis parcit usque ad matutinum? Quia nox erat. Quid est, nox erat? Quia tempus erat parcendi : parcebat, cum corda hominum essent occulta. Nox est enim, et omnes tolerat Deus, quia longanimis est. Tolerat, ut convertantur ad illum peccatores; sed qui non se correxerint in isto tempore misericordiæ, interficientur. » Aliter Cassiodorius hunc locum exponit : « In matutinis, in ipsis videlicet initiis dicit, quando in nobis suggestiones diabolicæ velut dubia crepuscula cœperint apparere, tunc oratione debent ejici : tunc abominabili exsecratione detrudi, ne paulatim noxia crescentes, velut dies nobis nebulosissima comprehendat. »

(766) Vulgata legit : *Et ossa mea sicut cremium aruerunt;* quæ a Cardinali Thommasio ita exponuntur. « Et ossa ac membra mea aruerunt velut confrixa in frixorio, ac tanquam aridum lignum facile crematur. »

Digitized by Google

juncti sunt, quia in carnis passionibus, in gemitu et dolore, et in ipsa morte non differunt, ac per hoc alii pelicano, alii nycticoraci, alii vero passeri similes sunt, ut vix tantæ infirmitati succurrere possint. Et hoc est quod ait :

« Similis factus sum pelicano in solitudine et « factus sum sicut nycticorax in domicilio, vigilavi, « et factus sum sicut passer solitarius in tecto. » Elias et Joannes Baptista, Antonius, Hilarion et beatus Benedictus sint nobis in exemplum, qui, ad pelicani similitudinem, hominum conversationem fugientes solitariam vitam elegerunt. Pelicanus quædam avis est ad ciconiæ quantitatem, quæ solitudine nimium delectata, tantam cibi penuriam patitur, ut vix ossibus hæreat (767). Tales igitur fuerunt isti viri religiosi, de quibus modo diximus, quos tanta millia hominum usque hodie imitantur, ut muri cœlestis Jerusalem ex his maxime construi videantur. De talibus autem Jeremias loquitur dicens : « Bonum erit homini cum portaverit jugum ab adolescentia sua ; **515** sedebit solitarius, et tacebit (*Thren.* III, 17). » Potest etiam homo in civitate solitarius esse, si non implicat se negotiis sæcularibus, si vigiliis, jejuniis, lectionibus et orationibus vacat. Nycticorax vero, quæ et noctua vocatur, satis nobis nota est, quæ non in die, sed in nocte apparet, totamque noctem cantu qualicunque et vigiliis agit. Huic autem vir justus assimilatur, qui factus velut nycticorax in domicilio, sui videlicet corporis sublimitate se vigilasse dicit. Et tale est ac diceret : « Factus sum veluti nycticorax in domicilio ; » in eo videlicet, quia vigilavi. Solæ igitur vigiliæ hanc inter eos similitudinem faciunt; illius quidem vigiliæ sunt in supercilio domorum, hujus vigiliæ sunt in supercilio oculorum. De talibus autem vigiliis Dominus ait : « Vigilate, quia nescitis diem, neque horam (*Matth.* XXV, 13). » Itemque : « Vigilate et orate, ne intretis in tentationem (*Matth.* XXVI, 41). » Et Apostolus : « Vigilate, inquit, et orate, state in fide, viriliter agite, et confortamini in Domino, omnia vestra in charitate fiant (*I Cor.* XVI, 15). » Bene igitur vigilat, qui in bono opere perseverat. Utinam omnes sic vigilemus, et sic noctuis similes simus, ut in hujus vitæ caliginosa nocte non dormiamus, sed bonis operibus insistamus. « Et factus sum sicut passer unicus in ædificio. » Ad magnam humilitatem spectat, quod se passeri comparari voluit. Passer enim, et corpore et pretio parva avis est; sicut in Evangelio Dominus ait : « Nonne duo passeres venient dipondio? » (*Matth.* X, 75.) Legerat iste qui tantum se humiliat quia « omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Matth.* XXIII, 12). » Deponit enim Dominus potentes de sede, et exaltat humiles. Et non tantum passerem se esse dicit, sed unicum quoque ac singularem, cui familia nulla sit, nullæ divitiæ, et qui cibo egeat quotidiano. Est autem in ædificio, qui ab Ecclesia non separatur (768). Aliter autem hæc exposita sunt in illa expositione, quam super aliam psalmorum translationem feci, quæ qui audire voluerit, ibi legere et cognoscere poterit.

« Tota die exprobrabant me inimici mei, et qui « me laudabant, adversus me jurabant. » Semper viri sancti inimicos et adversarios habent; nunquam desunt qui eis insidientur, et de eis male loquantur. Et plerumque fit ut qui prius eos laudaverant, postea invidia ducti contra eos conspirantes, eos persequantur. Hoc enim ipsi Salvatori nostro, et apostolis accidisse legimus. Neque nobis deessent exempla, si plura ponere placuisset.

« Quia cinerem sicut panem manducabam, et « potum meum cum fletu temperabam. » Ideo, inquit, exprobrabant me inimici mei, mihique detrahebant, quia omnes suscipiebam et ipsos idololatras ad pœnitentiam conversos mihi sociabam. Quod enim interest inter cinerem et panem, hoc interest inter peccatores et sanctos. Tunc enim beatus Petrus apostolus cinerem sicut panem manducare jussus est, quando linteum immundis animalibus plenum sibi ostensum est : atque desuper Dominum dicentem audivit : « Macta, et manduca (*Act.* X, 13). » Potum autem cum fletu temperabant, quia tales homines lugentes et flentes sibi in convivio sociabant. Hinc est enim quod Salvatori nostro Judæi detrahentes dicebant : « Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester? » (*Marc.* II, 6.) Hinc est quod Pharisæi pro Zachæo murmurabant, quod ad hominem peccatorem divertisset (*Luc.* XIX, 7). Similiter autem et ille qui dicebat : « Hic si esset propheta, sciret utique qualis esset hæc mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est (*Luc.* VII, 39). »

« A facie iræ indignationis tuæ, quia elevans allisisti me. » Propter iram tuam, quasi dicat, et indignationem tuam, omnia quæ superius dicta sunt mihi accidisse non dubito. Quia in ipso primordio meæ creationis multum exaltans et elevans, et ad tui imaginem et similitudinem me formans, propter inobedientiam meam merito allisisti me, et de immortali mortis legibus me subjecisti, qui ita a te creatus fueram, ut nisi peccassem, neque mortem, neque carnis miserias et passiones aliquando sensissem.

« Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut « fenum arui. » Ab eo, inquit, tempore, ex quo elevans, allisisti me, dies mei sicut umbra declina-

(767) Pelicanus, ut habent Hieronymus et Cassiodorus, est avis Ægyptia ciconiis corporis granditate consimilis, quæ naturali macie semper affecta est; atque duplicis generis volunt, aquatilem nempe, et volatilem. Sed S. Augustinus dubitat an vere hoc animal existat, de quo ait : « Habet ergo hæc avis, si vere ita est, magnam similitudinem carnis Christi, cujus sanguine vivificati sumus. »

(768) Altera psalmorum expositio a S. Brunone facta enuntiatur, quæ cum aliis ejus scriptis desideratur.

Digitized by Google

verunt, et sub omni celeritate transierunt, et ego sicut fenum, viriditate et floris pulchritudine amissa, et arui, et factus de pulvere in pulverem redii Transeunt præterea dies nostri sicut umbra, si opera nostra veritatis tantum similitudinem imitentur, et non ipsam teneant veritatem.

« Tu autem, Domine, in æternum permanes, et « memoriale tuum in sæculum sæculi. » Dies, inquit, nostri cito deficiunt; sed tu, Domine, manes in æternum, in quo vivunt et permanent omnia, etiam si defecisse videantur. In te igitur firma est spes nostra, et non ex toto deficiamus, quamvis deficere videamur. Manet itaque memoriale tuum in sæculum sæculi, quia memoria tui nunquam deficiet in sanctis tuis.

« Tu exsurgens misereberis Sion, quia venit tem- B « pus miserendi ejus. » Sion ipsa est quæ hæc omnia loquitur Ecclesia **516** Dei. Quotidie eutem exsurgit Dominus in adjutorium, et quotidie miseretur Ecclesiæ suæ. « Quia venit tempus miserendi ejus. » Ex quo pro ea passus est Salvator ejus. Unde et Apostolus ait : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI, 2). »

« Quia bene placitum habuerunt servi tui, lapides « ejus, et terræ ejus miserebuntur. » Isti servi apostoli sunt, et cæteri, qui ejus civitatis muros ædificant. Dignum est ergo ut hanc civitatem Dominus diligat, ejusque misereatur, cujus muri ex tam pretiosis lapidibus facti sunt, ut ipsius ejus opificibus placeant, non solum murorum lapides, sed tota C terra cum suis pertinentiis eis placere monstrantur. Isti sunt illi lapides, de quibus dicitur : « Lapides vivi volvuntur super terram (769), » per quos viri sancti et catholici significantur.

« Quoniam ædificavit Dominus Sion, et videbitur « in majestate sua. » Unde ædificavit, nisi ex lapidibus, quos ex gentibus collegerunt ? Sed ubi videbitur in majestate sua, nisi in hac Sion civitate sua? Hic enim cognoscitur Dominus, et excelsus ab omnibus prædicatur.

« Et respexit in orationes pauperum, et non spre- « vit preces eorum. » Bene autem hic dicitur, quia respexit Dominus in orationes pauperum, quoniam iste Psalmus titulatur *Oratio pauperum*. Pauperes autem sunt omnes sancti, quia nullam spem habent D in incerto divitiarum, sunt autem divites divitiis spiritualibus, quas nemo illis subripere valet.

« Scribantur hæc. » Et quare scribantur? « In « generatione altera. » Et hoc quare ? « Et populus « qui creabitur laudabit Dominum. » Si enim scripta non fuissent, ad nos usque non venissent, sed jam longo tempore oblita fuissent. Profuerunt igitur quæ scripta sunt, quia in ipsis, et per ipsa laudatur, et prædicatur Dominus in hac altera generatione, et in hoc altero populo, qui postea creatus et baptizatus est.

« Quoniam prospexit de excelso sancto suo, Do- « minus de cœlo in terram prospexit. » Ad quid? « Ut audiret gemitus vinculatorum, et solvat filios « interemptorum. » Digna causa, quare Dominum laudare debemus, « quia prospexit de excelso sancto suo, » de illo eminentissimo secretario majestatis suæ, et eorum gemitus audiret, qui pro ejus nomine ligati in carcere tenebantur, et eosdem ipsos solveret, illorum videlicet filios, qui pro eo interempti sunt. Et revera dignum erat ut tantorum parentum filii eorum gratia solverentur, qui si soluti non essent, quomodo nomen ejus et laus ejus in Sion et in Jerusalem nuntiari potuisset? Et hoc est B quod ait.

« Ut annuntietur in Sion nomen Domini, et laus « ejus in Jerusalem. » Sion et Jerusalem sancta est Ecclesia, in qua ab iis qui soluti sunt, et de laqueis diaboli liberati nomen Domini, et laus ejus quotidie prædicatur.

« In conveniendo populos in unum (770), et re- « gna, ut serviant Domino. » Tunc, quasi dicat, nomen Domini, et laus ejus instantius prædicanda est, quando multus populus convenit in unum ad audiendum verbum, et Domino serviendum. Hinc igitur et nos admonendi sumus : ut in magnis festivitatibus, quando multus populus ad ecclesiam convenit, Deum laudemus, et ejus magnalia prædi- C cemus.

« Respondit ei in via virtutis suæ; paucitatem « dierum meorum nuntia mihi. » Legitur in Evangelio, quia egressus de templo dixit Jesus discipulis suis : « Videtis has structuras, et hos magnos lapides? Amen dico vobis, non remanebit hic lapis super lapidem, qui non destruatur (*Marc.* XIII, 1). » Et cum sederet in monte Oliveti, responderunt discipuli ejus : « Dic nobis, quando hæc erunt, et quod signum adventus tui (*Matth.* XXIV, 3). » Hoc est igitur quod hæc sequens Ecclesia jam in generatione altera loquitur de primitiva Ecclesia : cum, inquit, Dominus esset in via virtutis suæ, et signis multis, atque miraculis suam potentiam et virtutem populis revelaret; tunc respondit ei primitiva Ecclesia, cœtus videlicet apostolicus : « paucitatem D dierum meorum, Domine, nuntia mihi : »—« et si in tempore hoc restitues regnum Israel (*Act.* I, 6), » ne celaveris nobis. Putabant enim in illis verbis Dominicis significari mundi finem proxime adfuturum. Unde et Dominus ait : « Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri, oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis (*Luc.* XXI, 9). »

« Et ne revoces me in dimidio dierum meorum, « in sæculum sæculi anni tui. » Hæc quoque vel

(769) Habet Vulgata : *Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Zach.* IX, 16.

(770) « Dicendo *in unum*, virtus catholicæ veritatis ostenditur, nam quamvis populus iste de diversis mundi partibus aggregetur, ad unum tamen conveniunt, dum una fidei regula continetur. » Cassiod.

Digitized by Google

dicere, vel cogitare tunc temporis apostoli potuerunt, quamvis in Evangelio non inveniantur. Scribit enim multoties Propheta non minus cogitationes hominum, quam locutiones. Rogabant igitur sive pro se ipsis, sive pro civitate Jerusalem, sive pro mundo universo, ut non revocarentur in dimidio dierum suorum, quia nondum tantum vixerant, quantum vivere sperabant. Illi enim sunt dies nostri, quos non divina providentia, sed nos ipsi nobis promittimus, **517** et constituimus. Unde est illud : « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV, 14). » Dicat igitur : « Et ne revoces me in dimidio dierum meorum ; » quia in potestate tua est, quemcunque volueris, terminum constituere; quoniam omnes anni tui sunt, omnesque tuæ obediunt voluntati. Et hoc probat, quoniam omnes anni sui sunt, et terra, et cœli sui sunt, quia ipse omnia fecit. Hoc est enim quod ait :

« Initio terram tu fundasti, Domine, et opera « manuum tuarum sunt cœli. » Sive dicatur : « In principio fecit Deus cœlum et terram ; » sive dicatur : « In principio fecit Deus terram, et cœlum, » nulla differentia est. Non enim quia prius dicitur, ideo prius vel posterius aliquid est; quoniam sicut scriptum est : « qui manet in æternum creavit omnia simul (771) (*Eccli.* XVIII, 1). »

« Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes « ut vestimentum veterascent. » Sic enim in Evangelio Dominus ait : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Matth.* XXIII, 35). » Transibunt autem, quia de hac specie, in qua modo sunt, in aliam mutabuntur. Erit enim, sicut scriptum est : « Cœlum novum, et terra nova (*Apoc.* XXI, 1) ; » et illi cœli, qui superiores sunt, mutabuntur in melius.

« Tu autem idem ipse es, et anni tui non defi- « cient. » Omnis, quasi dicat, creatura aliquo modo mutabilis est, et in eo quod mutabilis est, id quod fuerat quodammodo periisse videtur. Sed tu omnino immutabilis es, et semper idem ipse es, nihilque aliud esse potes, nisi id quod es. « Et anni tui non deficient. » Non ergo fient illi anni solari circuitione, sed alio quodam modo nobis nondum revelato.

« Filii servorum tuorum inhabitabunt ibi. » Ubi ? In illis cœlis in melius commutatis.

« Et semen eorum in sæculum sæculi dirigetur. » Semen et filii idem significant, per quos omnes illos intelligimus, qui sanctos imitantur. Et isti quidem ideo habitabunt ibi, quia quanto tempore in hac vita sunt, per omnia sæcula diriguntur, et semper in melius proficientes, et a via veritatis nunquam aberrantes, eos per omnia imitantur, quorum filii esse dicuntur.

(771) Non contradici Psalmistam et Moysen putandum est, quod ille initio Deum terram creasse dixerit; hic cœlum primo loco posuerit creatum, cum omnia simul a Deo creata Salomon asseruerit, id est quod Deus omnium rerum materiam ex nihilo eodem tempore condiderit.

PSALMUS CII.

LAUS DAVID.

Quid significet *Psalmus David* sæpe dictum est.

« Benedic, anima mea, Dominum, et omnia inte- « riora mea nomen sanctum ejus. » In illis psalmis hortatur David omnes alios homines ut Deum laudent et benedicant, nunc vero seipsum hortatur, et animam suam et omnia interiora sua. Qua in re quantum Dominum diligat, quantum ei adhærere, servire et obedire desideret, apertissime ostendit. « Benedic, inquit, anima mea, Dominum, » quia tu es quæ facta fuisti ad imaginem et similitudinem ejus, quam videlicet imaginem et pulchritudinem, nisi per ipsum recuperare vales. « Et omnia interiora mea » benedicant « nomen sanctum ejus (772). » Nomen ejus Filius est, quia per ipsum et Patrem agnoscimus et eumdem ipsum. Tolle nomen, et rei cognitio periit. Merito igitur Filius et nomen, et cognitio Patris dicitur, quia per ipsum cognoscitur Pater. « Nemo enim novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Luc.* X, 22). » Quando vis cognoscere aliquem, nomen quæris, similiter si vis cognoscere Patrem, Filium respice. Audi ipsum dicentem : « Qui videt me, videt et Patrem (*Joan.* XIV, 9). » Nos hoc facimus ut Deus habeat nomen; quia aliter eum cognoscere et invocare non possumus. Quod si aliter eum cognoscere non possumus, ipse est nomen ejus, per quem eum cognoscimus. Sed per quem cognoscimus eum, nisi per verbum, per sermonem, per sapientiam et veritatem? Nihil cognoscitur nisi per hæc et hæc omnia Filius est. Per Filium igitur cognoscimus Patrem. Et ergo Filius nomen Patris. De hoc autem nomine dicit modo Propheta, ut omnia interiora ejus benedicant nomen sanctum ejus.

« Benedic, anima mea, Dominum, et noli *oblivisci* « omnes retributiones ejus. » Quænam istæ retributiones sint, audiamus : « Qui propitius fuit omni- « bus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes languores « tuos, qui redimit de interitu vitam tuam; qui sa- « tiat in bonis desiderium tuum; qui coronat te in « miseratione et miserationibus, renovabitur sicut « aquilæ juventus tua. » Magnæ sunt istæ retributiones et tam magnæ, ut eas nunquam oblivisci debeamus. Factus est enim Dominus propitius omnibus iniquitatibus nostris. Quia non solum originale peccatum, sed simul cum eo omnia alia suo sanguine delevit. Et hoc est quod dicit : « Qui sanat **518** omnes languores nostros ; » omnes quidem, quia nullum ad sanandum relinquit. Animæ loquitur, et de ejus languoribus dicit. Redemit autem de interitu vitam ejus : quod fieri non posset, nisi prius ejus peccata dimisisset. Satiavit quoque in bonis desiderium ejus, quia firmissimam spem sibi tribuit

(772) Etiam virtutibus, juxta Augustinum, benedicimus Dominum non tam vigilantes, quam dormientes. « Innocentia tua etiam in dormiente vox est animæ tuæ. »

Digitized by Google

æternæ felicitatis. Unde Apostolus ait: « Spe enim salvi facti sumus (*Rom.* IX, 24). » Coronat autem eam in miseratione et misericordia; quia ipse qui dat coronam, idem ipse dedit victoriam; neque vincere potuisset, nisi ejus auxilium adfuisset (773).

« Renovabitur sicut aquilæ juventus tua. » De resurrectione dicere videtur; quando ad antiquam dignitatem homo ex toto renovabitur. Dicitur autem de aquila, quia ad ultimam veniens senectutem, iterum juvenescit et renovatur. Cui assertioni locus iste maximam tribuit auctoritatem. Quod si semel aut multoties fiat, dubitari potest.

« Faciens misericordiam Dominus, et judicium « omnibus injuriam patientibus. Notas fecit vias « suas Moysi, filiis Israel voluntates suas. » Cum enim Dominus, et misericordiam, et judicium faciat omnibus qui pro ejus nomine injuriam patiuntur, maxime tamen hoc in Moyse, et filiis Israel manifestum apparuit. Loquebatur Dominus cum eis quasi vir cum amico suo, et tam mira et stupenda inter eos operatus est, ut incredibilia esse videantur his qui Deo omnia possibilia esse non credunt.

« Misericors et miserator Dominus, patiens et « multum misericors: non in finem irascetur, neque « in æternum indignabitur. » Magnam spem, magnamque consolationem omnes peccatores ex his verbis percipere possunt, quibus tam immensa omnipotentis Dei misericordia prædicatur. Irascetur, quasi dicat, sed non in finem; indignabitur, sed non in perpetuum: quacunque hora peccator conversus fuerit, salvus erit.

« Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque « secundum iniquitates nostras retribuit nobis. » Ex præteritis, quasi dicat, futura cognoscimus. Multoties eum offendimus, multoties ad iracundiam eum provocavimus, ipse autem non secundum peccata nostra fecit nobis; quod si fecisset, diu est ex quo nos funditus perdidisset.

« Quia secundum altitudinem cœli a terra confir- « mavit Dominus misericordiam suam super timen- « tes eum. » Iniquitates vero quantum elongaverunt? « Quantum distat oriens ab occasu, elongavit a nobis iniquitates nostras. » Videmus itaque, quia et misericordia immensa est, et iniquitates in immensum a nobis separatæ sunt. Demus igitur operam ut misericordia ulterius a nobis non recedat, et iniquitates ulterius ad nos non accedant. Tanta est misericordia, ut hominem de terra trahat in cœlum, sic elongatæ sunt iniquitates, ut ex toto mortuæ, et omnino non esse credantur. Valde igitur cavendum est, ne forte pro eis aliæ oriantur.

« Sicut miseretur pater filiis, ita misericors est « Dominus timentibus se (774). » Nobilis comparatio ad immensæ misericordiæ declarationem. Sed audiamus modo compatientis affectum, quem tanta misericordia consequitur. « Quia ipse, inquit, scit « figmentum nostrum. » Ipse scit de qua fragili materia facti sumus; quia « ipse fecit nos, et non ipsi nos (*Psal.* XCIX, 3). » Et ideo parcit piissimus pater tantæ natorum fragilitati. Unde et subditur:

« Memento, Domine, quod pulvis sumus; homo « sicut fenum dies ejus, et sicut flos agri, ita efflo- « rebit (775). » Ecce de qua materia homo factus est; ecce quam labilis et fragilis est. Quid pulvere vilius? Quid flore debilius? Sic homo est, et sic sunt dies ejus, sicut fenum, quod sub una hora et floret et viriditatem amittit. Et hoc probat.

« Quia spiritus pertransit ab eo, et non erit, et « non cognoscet amplius locum suum. » Videmus enim quia sub uno momento et est homo, et non est homo, quoniam quandiu spiritus in eo est, homo est; statim autem ut ab eo recedit, homo non est. « Et non cognoscet amplius locum suum; » imo jam non suum, quia cum spiritu et locum et cætera perdit. Postquam homo moritur, nihil habet in hoc mundo, in alio vero (de malis loquor) sola illis tormenta restant.

« Misericordia autem Domini a sæculo est, et « usque in sæculum sæculi super timentes eum. » Hæc est igitur quæ neque post mortem deserit; hæc est quam homo, sed bonus homo, semper habebit.

« Et justitia ejus super filios filiorum, custodien- « tibus testamentum ejus, et memoria retinentibus « mandata ejus, ut faciant ea. » Et similiter post mortem manet omnibus illis, qui Dei testamentum et mandata custodiunt. Quid enim prodest memoria retinere, nisi et opere ea faciamus? Alii igitur sola misericordia, alii justitia et misericordia: sine misericordia nemo salvatur.

519 « Dominus in cœlo paravit sedem suam, et « regnum ejus omnibus dominabitur. » Post multas misericordias, quas servis suis Dominus fecit, ostendit etiam quo in loco simul cum eis habitare debeat. Ibi enim paravit sedem suam, ubi videntibus discipulis gloriosus ascendit post passionem suam. Omnium dominabitur regnum ejus, quia nulla gens est, nulla potestas, vel altitudo, quæ ab Ecclesia non judicetur.

« Benedicite Dominum, omnes angeli ejus, poten- « tes virtute, qui facitis verbum ejus ad audiendam « vocem sermonum ejus. » Prius animam suam invitavit, nunc autem ipsos angelos, et omnem creaturam invitat ad laudandum et benedicendum Dominum. Possumus autem per angelos, qui *nuntii* interpretantur, omnes illos intelligere qui evangelizandi

(773) « Qui in nobis victi sumus, in illo vicimus. Ergo coronat te, quia dona sua coronat, non merita sua. » AUGUST.

(774) Aliter legitur in Vulgata: *Quomodo pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.*

(775) In Vulgata etiam tum versus hujus, cum sequentis alia lectio: *Recordatus est, quoniam pulvis sumus. Homo sicut fenum dies ejus: tanquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet.* In reliquis fere omnibus hujusce psalmi versiculis differt Vulgata.

Digitized by Google

officium habent, inter quos apostoli obtinent principatum; nam et isti potentes sunt in virtute, et verbum ejus audiunt, et prædicant et faciunt.

« Benedicite Dominum, omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. » Et hoc quidem sanctis convenire potest, per quos tantas virtutes operatus est Dominus, ut non immerito ejus virtutes dicantur.

« Benedicite Dominum, omnia opera ejus. » Omnia opera ejus benedicunt Dominum, quæ tam sapienter et mirabiliter facta sunt, ut in omnibus benedicatur Dominus. « In omni loco dominationis ejus benedic, « anima mea, Dominum. » Sed nullus locus est, qui non sit dominationis ejus. In omni igitur loco benedic, anima mea, Dominum. Et sicut iste psalmus non finitur, ita et benedictio non finiatur.

PSALMUS CIII.

PSALMUS IPSI DAVID.

Hunc psalmum facit David ipsi David, id est Salvatori nostro. Ipsi videlicet qui omnia fecit, qui mundum redemit, qui a mortuis resurrexit et cœlos ascendit : « qui ponit nubem ascensum suum, et ambulat super pennas ventorum (776). »

« Benedic, anima mea, Dominum. » Seipsum hortatur ad benedicendum, ut omnes alii eum sequantur, et sicut ipse facit, similiter faciant. Optimus magister, qui non solum verbis, sed ipsa quoque actione discipulos instruit, « Domine Deus meus, « magnificatus es vehementer. » Deus, qui naturaliter magnus est, apostolica prædicatione vehementer magnificatus est, quia tantus in Ecclesia prædicatur et creditur, quantus est.

« Confessionem et decorem induisti. » Induit Dominus confessionem, quia non solum laudatur ab omnibus, verum etiam sic ipse laude vestitus et circumdatus est, ut ab eo separari non possit. Pulchra vestis et bene composita, sine qua cætera ornamenta non placent. Quid enim placeret, nisi quod laudabile est? Sed quis dicere valeat quantum, qualemque decorem in sua resurrectione inducrit Dominus, cum de sanctis ejus dicatur; quia « fulgebunt sicut sol in regno Dei (*Sap.* III, 7). » Unde subditur, « amictus « lumen, sicut vestimentum. » Hæc sunt igitur ornamenta Salvatoris nostri, confessio, decor, lumen, charitas, pulchritudo. His adde immortalitatem, potentiam, fortitudinem, cæterasque virtutes. Et hoc quidem est indumentum confessionis, quo nunc in hoc psalmo induitur Dominus.

« Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis in « aquis superiora ejus. » In hoc autem docet nos Propheta, quod facile sine ulla difficultate ipsos cœlos fecerit Deus, et ad magnam illius laudem et gloriam spectat, quod ipsum opus maximum et principale sine labore fecisse narratur. De aquis autem, quibus cœlum tegitur, sic in alio loco scriptum habemus. « Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini (*Psal.* CXLVIII, 4). » Itemque : « Et divisit aquas, quæ erant super firmamentum ab his quæ erant sub firmamento (*Gen.* I, 7). » Possumus autem per cœlos apostolos intelligere, quos quasi pelles Dominus extendit, quia vinarios utres fecit. Isti sunt illi utres novi, de quibus in Evangelio Dominus ait : « Nemo ponit vinum novum in utres veteres, sed in utres novos ponit vinum novum (*Matth.* III, 17). » Hoc vino multi inebriati terrenorum omnium obliviscuntur. Horum vero superiora prophetæ sunt, qui non vino, sed aquis teguntur. Bene autem tegi dicuntur, ut non intus istæ aquæ, sed foris esse monstrentur; quia multoties prophetæ nec ab ipsis prophetis intelliguntur.

« Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas « super pennas ventorum. » Hoc est enim quod in Evangelio de Domino dicitur. Quia, « videntibus discipulis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum (*Act.* I, 9). » Ambulavit autem super pennas ventorum, quia nulli venti in illam altitudinem ascendere possunt. Hic autem nullam aliam expositionem quærere debemus, **520** ne forte huic tam verissimæ et clarissimæ expositioni injuriam facere videamur (777).

« Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem. » Quia enim angeli *nuntii* interpretantur, illi qui naturaliter spiritus sunt, angeli fiunt quando mittuntur. Tanta est igitur potentia Christi, ut quando vult, de spiritibus angelos faciat, et ipsos Seraphim, qui *ardentes* vel *incendentes* interpretantur, ad id quod voluerit ministrandum mittat. Hoc est enim quod dicit, « et ministros tuos ignem urentem. » Sic enim dicit Isaias propheta : quia « misit Dominus unum de Seraphim, qui cum carbone tetigit labia ejus (*Isa.* VI, 6). » Si autem per conversationem dicamus, quod angelos, et ministros suos spiritus, et ignem urentem Dominus faciat, non erit inconveniens. Angeli vero et ministri et rectores Ecclesiæ sunt, qui et spiritus et ignis nec inconvenienter dici possunt.

« Qui fundasti terram super stabilitatem ejus. » Si ad litteram intelligatur, manifestum est. Quæ tamen sit ejus stabilitas, nisi sola virtus et potentia Dei sciri non potest. « Non inclinabitur in sæculum « sæculi. » Hæc verba verissima sunt, quia ille qui

(776) David in hoc psalmo persona tantum loquentis adhibetur. « Cæterum omnia constat de Domino salvatore narranda, qui in principio fecit cœlum et terram. Est autem psalmus iste tanta dispositione perfectus, ut aliqua hic dicta intelligas, quæ in libro Geneseos tacita fuisse cognoscas. Quapropter quæ sunt apta exponemus ad litteram, quæ vero fidei nostræ indicare notitiam videntur (sicut a majoribus nostris accepimus) spirituali intellectu explanabimus. » CASSIOD.

(777) D. August. tamen hunc locum allegorice sumens explanavit. « *Ascendit super pennas ventorum.* Diximus bene accepi figurate ventos animas. Pennæ ventorum, pennæ animarum, quæ sunt, nisi a quibus sursum attolluntur? Pennæ ergo animarum virtutes, bona opera, recta facta. In duabus alis habent pennas omnes; omnia enim præcepta in duobus sunt. »

Digitized by Google

loquitur mentiri non potest. Per terram autem, Ecclesiam intelligimus, cujus fundamentum et stabilitas Christus est; et quia supra firmam petram, sicut Dominus ait, fundata est, non inclinabitur in sæculum sæculi. Et de hoc quidem fundamento dicit Apostolus : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). »

« Abyssus sicut pallium amictus ejus. » Est autem abyssus aquarum immensa profunditas : aquæ vero multæ, sicut scriptum est, populi multi. Terra vero Ecclesiam significat. Sic igitur aliquando abyssus, id est sæviens populorum multitudo totam Ecclesiam operiebat, sicut pallium totum illud operit cui superponitur. Unde et subditur : « Super montes stabunt aquæ. » Quid per montes, nisi apostolos Ecclesiæque doctores intelligamus? Super hos autem stabant aquæ, quia tam prælatos quam subditos affligebant. Videmus enim usque hodie non solum Ecclesiam, verum etiam ipsos episcopos hanc abyssi violentiam sustinere.

« Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui « formidabunt. » Fugiebant autem multoties aquæ istæ, de quibus loquimur, ab increpatione Dei, quia signis, et miraculis et apostolorum prædicatione populi perterriti ad fidem Christi convertebantur. In voce namque tonitrui, apostolorum prædicatio significatur.

« Ascendunt montes, et descendunt campi in lo- « cum quem fundasti eis. » Isti sunt illi montes de quibus modo diximus : « Super montes stabunt « aquæ. » Aquis autem fugientibus, isti ascendunt, quia, cessante persecutione, Ecclesiæ prædicatores elevantur, honorantur, et a populis venerantur. Campi vero descendunt, quia omnis ecclesiastica multitudo sub eorum pedibus se humiliat. Sicut enim campi subjacent montibus, ita episcopis et sacerdotibus omnes Christiani subjacere debent. Hinc est enim, quod illi prælati, et isti subjecti vocantur. Illi in suum locum ascendunt, et isti in suum locum descendunt; quia illi primum, et isti secundum locum in Ecclesia tenent. « Terminum posuisti eis, « quem non transgredientur, nec convertentur « operire terram. » Terminum posuit Dominus supradictis aquis quæ et terram et montes occupaverant, quem transgredi non licet, quia non amplius possunt mali contra Ecclesiam, nisi quantum Dominus eis facere permittit. Hinc est enim quod alibi dicitur : « Quis conclusit ostiis mare? » (*Job* XXXVIII, 8.) « Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius : et hic confringes tumentes fluctus tuos (*ibid.*, 10, 11). »

« Qui emittis fontes in convallibus, inter medium « montium pertransibunt aquæ. » Istæ sunt illæ convalles de quibus alibi dicitur : « Et convalles abundabunt frumento (*Psal.* LXIV, 14); » per quas singulas Ecclesias intelligimus, quæ in humilitate et simplicitate fructum boni operis abundanter Domino reddunt. Hæ autem irrigantur fontibus sanctarum Scripturarum, quos inter eas Dominus mittit, et affluenter currere facit. Et hoc est quod dicit : « Inter medium montium pertransibunt aquæ. » Idem enim hoc in loco montes, et convalles, et fontes et aquæ significant.

« Potabunt eas omnes bestiæ silvarum. » Bestiæ silvarum illi intelliguntur, qui de gentium feritate ad fidem Christi conversi sunt. Et isti quidem has aquas modo bibunt, et in ejus potu suavissimo delectantur. « Exspectabunt onagri in siti sua. » De istis onagris alibi sic a Domino dicitur « Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula in terra salsuginis (*Job* XXXIX, 5). » Per hos ergo illos intelligimus, qui ab omnibus mundi hujus impedimentis liberi, et soluti, vel in monasteriis, vel in locis solitariis Domino famulantur. Et isti similiter has aquas exspectant in siti sua, quia his quotidie reficiuntur in magno desiderio suo.

« Super eas volucres cœli habitabunt, de « medio petrarum dabunt voces suas. » Per **521** volucres cœli, Ecclesiæ prædicatores, per petras vero, ipsæ Ecclesiæ significantur. Dant igitur volucres cœli voces suas de medio petrarum, quando episcopi et sacerdotes verbum Dei prædicant in medio ecclesiarum. Qui bene super aquas habitare dicuntur, quia a divinis voluminibus non recedunt, et die ac nocte in lege Domini meditantur.

« Rigans montes de superioribus suis. » Tu, inquit, Domine, hæc omnia operaris, rigans montes de superioribus suis. Habent, enim montes isti superiora, quibus a Domino irrigantur. Per superiora montium, utriusque Testamenti scientiam, et sancti Spiritus gratias intelligimus, quibus Ecclesiæ doctores irrigantur et satiantur. Unde et subditur : « De « fructu operum tuorum satiabitur terra. » Terra enim Ecclesia est, quæ de fructu operum Dei quotidie satiatur, sive spiritualem, sive corporalem satietatem intelligamus. Ipse enim et spiritualis, et corporalis cibi et creator, et operator est. « Omnis enim sapientia ab ipso est, et cum eo fuit semper, et est ante ævum (*Eccli.* I, 1). »

« Producens fenum jumentis, et herbam servituti « hominum. » A te, inquit, terra tua satiatur; ipsa vero non quasi ingrata, et tuorum beneficiorum oblita, jumentis tuis fenum tribuit, et hominum servituti herbam producit. Jumenta Dei, episcopi sunt et sacerdotes; jumenta quidem, quia aliorum onera ferunt. Unde est illud : « Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (*Psal.* LXXII, 23). » His autem Ecclesia ministrare debet cibum corporis a quibus nihilominus ipsa suscipit cibum cordis. Unde Apostolus ait : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, non magnum est, si carnalia vestra metemus (*I Cor.* IX, 11). » Et Dominus in Evangelio : « Dignus est, inquit, operarius mercede sua (*Luc.* X, 7). » Et hoc est quod ait :

« Ut educas panem de terra, et vinum lætificet

Digitized by Google

« cor hominis. » Terra est illa, terra sunt et illi : dat illa fructum suum, et illi similiter suum. Bonum fructum dat, sed meliorem suscipit; fenum dat, sed panem recipit. Et qualem panem? Panem utique vivum, qui de cœlo descendit. Suscipit similiter et vinum, calicem videlicet Novi Testamenti. Hoc autem lætificat cor hominis, quia vitam præstat æternam.

« Ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor hominis « confirmet. » Non solum panem et vinum, sed oleum quoque suscipit Ecclesia ab apostolis, per quod S. Spiritus gratiæ significantur. Sine hoc oleo nulla spiritualis lætitia est. Bene autem faciem posuit, quia et lætitia et tristitia in facie cognoscitur ; et qui dixerat, « quod vinum lætificat cor hominis, » convenienter addit : « Et panis cor hominis confirmat. » Hinc est, quod Dominus ait : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 54). » Ubi autem vita non est, neque vita, neque fortitudo esse potest.

« Satiabuntur omnia ligna silvarum, et cedri Li- « bani quos plantasti. » Bona ligna, et bonæ cedri, quæ tali pane satiantur. Per hæc enim gentium populus significatur, ex quibus domus Dei constituitur, Judæorum populo reprobato. Has autem cedros plantavit Dominus, et ideo in tantam altitudinem crescere possunt. Inde est enim, quod alibi ait: « Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur (*Matth.* XV, 13). » — « Illic passeres nidificabunt. » In his arboribus nidificant passeres, quia in istorum tutela et potestate servi Dei monasteria construunt, in quibus nocte dieque Domino serviunt.

« Fulicæ domus, dux est eorum (778). » Fulicæ domus aqua est, quoniam hæc avis in aquis vivit et manet. Fulicæ igitur domus passeres dicit, quia sine aquarum ductu sancti Dei ad cœlestia volare non possunt. Unde et Dominus ait : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (*Joan.* III, 5). » Soli igitur Christiani hanc ducem habent, quia ipsi soli ex aqua et spiritu regenerantur. « Montes excelsi cervis, petra refu- « gium herinaciis. » Duos montes excelsos habemus, Novum videlicet et Vetus Testamentum. Ad hoc autem cervi Ecclesiæ refugium habent, per quos apostoli et doctores significantur. Be his enim est ille qui dicit : « Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX, 1). » Ad hoc igitur semper recurrere debemus, ubi consilium et consolationem semper invenimus. Petra vero est refugium herinaciis, per quos peccatores intelligimus, vitiorum aculeis undique plenos et circumseptos : « Petra autem, dicit Apostolus, erat Christus (*II Cor.* X, 4); » — « qui, sicut ipse ait, non venit vocare justos, A sed peccatores ad pœnitentiam (*Marc.* II, 17). »

« Fecit lunam in tempore, sol cognovit occasum « suum. » Uno eodemque tempore et Ecclesia, quæ per lunam significatur, initium habuit; et Christus sol justitiæ venit ad occasum. Sicut enim de latere Adam dormientis Eva facta est, ita de latere Christi in cruce pendentis Ecclesia fabricata est.

« Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa per- « transibunt omnes bestiæ silvarum. » Eo, inquit, tempore, quo Salvator noster occubuit, tenebræ factæ sunt, quibus et intus et extra miseri Judæi sunt excæcati, et facta est nox super eos et caligo tenebrarum. Et in ipsa nocte transierunt omnes bestiæ silvarum, per quas omnes maligni spiritus significantur, qui nimium super illos decipiendi et apud B se trahendi **522** habuerunt potestatem. De quibus adhuc subditur :

« Catuli leonum rugientes ut rapiant, et quærant « a Deo escam sibi. » Hinc est enim quod alibi dicitur : « Quia inimicus noster diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (*I Petr.* V, 8). » Isti autem sine Dei permissione neque rapere, neque escam habere possunt. Habet tamen fiduciam diabolus, quod influat Jordanis in os ejus : « Sunt « enim, » sicut scriptum est, « escæ ejus electæ. » Iste voluit Job devorare, sed non potuit, Judam vero cum multis aliis devoravit.

« Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubili- « bus suis collocabuntur. » Ortus est enim sol, quia Salvator noster die tertia a mortuis resurrexit. Et C tunc catuli leonum congregati sunt; et in suis cubilibus collocati, Salvatorem nostrum terrore nimio perterriti, dolentes exspectabant, quem illuc venturum non dubitabant.

« Exiet homo ad opus suum, et ad operationem « suam usque ad vesperam. » Hoc autem tunc completum est, quando post resurrectionem suam Salvator noster discipulis ait : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15). » Tunc enim apostoli, qui per hunc hominem significantur ad opus suum exierunt, et Evangelicam prædicationem cunctis gentibus nuntiare cœperunt; et usque ad vesperam, id est finem vitæ suæ constanter et fideliter operationem sibi injun- D ctam operati sunt.

« Quam magnificata sunt opera tua, Domine, « omnia in sapientia fecisti, repleta est terra crea- « tura tua (779). » Non est hæc admiratio de cœli terræque creatione, sed de mundi hujus tam subita conversione. Heri, quasi dicat, apostoli prædicare cœperunt, et hodie nova creatura, novoque populo repleta est terra. Unde omnia in sapientia Deum fecisse dicit, quia nisi per Christum, hæc nullo modo fieri potuissent. Ipse est enim virtus et sapientia Patris (780).

(778) Ἐρωδιὸς Græce, Latine *fulica*, avis aquatica.

(779) Vulgata habet, *repleta est terra possessione tua.*

(780) *Omnia in sapientia fecisti.* Ista igitur sapientia Filius est, sicut dicit Apostolus : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam, per quam omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Et ut cooperationem ejus virtutis ostenderet, Patris dicit operante Filio,

Digitized by Google

« Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia, A « quorum non est numerus. » De hoc mundo loquitur, qui ad maris similitudinem semper perturbatur, vix aliquando valuit esse quietus, nunc autem novo Christianorum populo repletus, apostolorum naves suscipit, ubique piscandum et navigandum. Ibique modo secure navigant Christi piscatores, ubi perire et mergi solebant ipsi imperatores. Per illa autem reptilia, quorum non est numerus, illi significantur qui toto corpore terræ conjuncti, sola terrena et transitoria quærunt, quorum videlicet tanta est multitudo, ut numerari non possit. Sunt autem in hoc mari alia quoque animalia pusilla et magna, per quæ pauperes et potentes, bonos et malos, sapientes et insipientes intelligere possumus. Hic quoque est ille draco antiquus, qui est diabolus et Satanas, B qui secundum Scripturam seducit universum orbem. Et hoc est quod dicit :

« Draco iste, quem formasti ad illudendum ei. » Postquam draco iste per suam superbiam cecidit, talem eum Dominus formavit, et ad talem suæ minorationis formam redegit, ut non solum viri, sed ipsæ quoque mulieres ei illudere eumque decipere possint. « Omnia a te exspectant, Domine, et tu das « illis escam in tempore. » Omnia, inquit, animalia, et bona et mala, et quæ te offendunt et quæ tibi serviunt, non abunde habent escam, nisi a te; tu enim es qui solem tuum oriri facis super bonos et malos, et pluis super justos et injustos.

« Dante te illis colligent, aperiente te manum C « tuam omnia replebuntur ubertate. » Ipse igitur facit ut bonis omnibus abundemus, ipse facit ut omnium rerum penuriam patiamur. Unde et subditur :

« Avertente autem te faciem tuam turbabuntur, « auferes spiritum eorum, et deficient et in pulve« rem suum revertentur. » Non omnibus qui conturbantur iratus est Dominus, sed omnibus quibus iratus est, et perire et conturbari necesse est. De quibus alibi dicitur : « Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi, confundantur et pereant (*Psal.* VI, 11). » Quod autem ait : « Auferes spiritum eorum, et deficient et in pulverem suum revertentur, » et bonis et malis commune esse videtur. Sed aliter bonis auferetur spiritus, et aliter malis. Bonis autem D auferetur spiritus, ut in pace quiescant, malis vero, ut tabescendo deficiant, crucientur et pereant. Et isti quidem ex toto convertentur in pulverem suum; quia sicut ante corruptibiles fuerunt, ita et post resurrectionem, et corruptibiles et passibiles erunt.

« Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et reno« vabis faciem terræ. » Nullus hominum esset qui in hunc talem pulverem non reverteretur, et qui non omni tempore miser et corruptibilis esset, nisi Dominus Spiritum suum mitteret qui homines recrearet et renovaret (781). Rogat itaque Propheta ut Spiritum suum Dominus mittere dignetur, quo facies terræ **523** recreetur et renovetur. Bene autem faciem dixit, quia substantia eadem erit, sola facie et pulchritudine renovata.

« Sit gloria Domini in sæculum, lætabitur Domi« nus in operibus suis. » Sit, inquit, gloria Domini in operibus suis, ut tam gloriosa maneant in sæculum sæculi, sicut ab eo pulchra et gloriosa creata sunt. Aliter enim non lætabitur Dominus in operibus suis.

« Qui respicit terram, et facit eam tremere ; qui « tangit montes, et fumigabunt. » Respicit Dominus terram, et eam tremere facit, quando sua inspiratione peccatorem visitat, et ad pœnitentiam convertit, ut in timore et tremore sibi deserviat. Per montes autem divites et potentes significantur, qui quanquam difficile intrent in regnum Dei, tacti tamen Spiritu sancto, fumigare foris et intus ardere incipiunt. Foris autem fumigare est per lacrymas et compunctionem quotidie pœnitentiam demonstrare. Nisi enim ignis intus arderet, fumus exterius non appareret.

« Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo « quandiu ero. » Quasi diceretur sibi : Satis cantasti, et satis jubilasti; jam quiescendum esset, et cantus terminandus esset. Ad quod ipse : Et cantavi, inquit, et cantabo, non ad horam, sed omnibus diebus vitæ meæ. Et psallam Deo meo, non modo tantum, sed quandiu ero; et hoc solum deprecor, ut placeat tibi laudatio mea, quia ego semper delectabor in eo. Hoc est enim quod ait :

« Suavis sit ei laudatio mea (782); ego vero de« lectabor in Domino. Deficiant peccatores a terra, « et iniqui; ita ut non sint. » Multi in Ecclesia sunt, quos et cantus, et lectiones, et prædicationes audire tædet, et non solum corde, sed ore quoque multoties murmurant, quod laudes Dei non citius finiuntur, quia magis in fabulis et vanitatibus, quam in Dei laudibus delectantur. Quibus tunc Propheta loquitur, dicens : « Deficiant peccatores a terra. » Exeant fastidiosi de Ecclesia, et iniqui ita deficiant, ut in ea « non sint; » cum sibi ipsi nihil proficiant, et aliis impedimentum faciant. « Tu vero benedic, « anima mea, Dominum, » et nunquam eorum persuasionibus acquiescas; sed sicut cœpisti, in Dei laudibus omni tempore persevera.

PSALMUS CIV.

ALLELUIA.

Interpretatur Alleluia *laudate Deum;* et certe nisi Deo valde acceptabile, et nobis utillimum esset laudare Dominum, nunquam toties Propheta Dominum laudare juberet (783).

Tu fecisti. Hoc etiam de Spiritu sancto idem ait Apostolus: *Omnia cooperatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* » CASSIOD.

(781) « Toties nos Dominus creat, quoties de vetustate peccati in novum hominem instaurare dignatur, sicut in psalmo L legitur : *Cor mundum crea in me, Deus.* » CASSIOD.

(782) Vulgata habet : *Jucundum sit ei eloquium meum.*

(783) « Iste psalmus maxime Patrum replicat hi-

Digitized by Google

« Confitemini Domino et invocate nomen ejus, « annuntiate inter gentes opera ejus. » Illis loquitur Propheta qui ex gentibus ad fidem conversi sunt, et antiquorum narrat historiam, quomodo Ægyptios multis plagis Dominus percusserit, et de eorum durissima servitute populum suum gloriosissime liberaverit. Qua in re, Ecclesiæ quoque liberatio et persecutorum perditio significatur. Vos, quasi dicat, qui falsos deos laudare soliti fuistis, nunc confitemini et laudate Dominum, quia ipse solus, et Deus, et Dominus est. « Et invocate nomen ejus, » quia nullus alius invocandus est. Annuntiate inter gentes opera ejus, quatenus ea quæ vos didicistis omnes alios doceatis, et intelligere faciatis.

« Cantate ei, et psallite ei, narrate omnia mira- « bilia ejus. » Ei, inquit, cantate, et psallite, non vestram, sed ejus gloriam quærite, virtutes et mirabilia ejus narrate. Hinc est enim quod Apostolus ait : « Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum Jesum (*II Cor.* IV, 5). » Unde et subditur :

« Laudamini in nomine sancto ejus. » Laus vestra non si vestra, sed omnis laus et gloria ad eum referatur, qui est mirabilis in sanctis suis. Dolebant sancti multoties, quando eis post miracula magnus honor a populis exhibebatur. « Lætetur cor quærentium Dominum. » Lætetur, inquit, et non in miraculorum operatione, sed in solo Domino, cor quærentium Dominum. Sic enim in Evangelio discipulis suis Dominus ait : « Nolite gaudere, quia dæmonia subjiciuntur vobis in nomine meo. Sed in hoc potius gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Luc.* X, 17). »

« Quærite Dominum, et confirmamini, quærite « faciem ejus semper. » Quærite Dominum in Scripturis, quærite Dominum in miraculis, et cum eum cognoveritis, confirmamini in amore ejus. « Quærite faciem ejus semper. » (784) Hanc autem faciem quærebat Moyses, cum diceret : « Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende faciem tuam, ut videam te (*Exod.* XXXIII, 13). » Semper enim hoc quærere debemus, quomodo ante faciem ejus securi et læti veniamus.

524 « Mementote mirabilium ejus quæ fecit, « prodigia et judicia oris ejus. » In his bene satis cognoscitur Dominus, quia nisi Deus esset, ea nullatenus facere potuisset. Vult igitur Propheta ut ejus signa et miracula, ejus verba et judicia ubique gentium prædicentur, ut qui aliter eum cognoscere non possunt, saltem in virtutibus eum cognoscant. Sed qui sunt illi qui eum cognoscere et prædicare jubentur?

« Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi « ejus. » Dicunt Judæi in Evangelio : « Semen Abrahæ sumus (*Joan.* VIII, 33). » E contra Dominus respondens ait : « Si semen Abrahæ essetis, opera « Abrahæ faceretis. » Non sunt igitur semen Abrahæ, neque filii Jacob, nisi illi qui Abraham et Jacob imitantur. Ambo autem isti in Christo crediderunt, quoniam, sicut scriptum est, et Abraham eum adoravit, et Jacob dixisse legitur : « Salutare tuum exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX, 18). » — « Ipse « Dominus Deus noster, in universa terra judicia « ejus. » Nos, inquit, sumus semen ejus, et ipse est Dominus Deus noster, cujus judicia non Judæi, sed universa terra suscepit.

« Memor fuit in sæculum testamenti sui : verbi « quod mandavit in mille generationes. » De hoc testamento in sequentibus legitur, quod promisit Dominus terram Chanaan Abrahæ in hæreditatem. Mandavit autem hoc verbum in mille generationes, quando dixit : « Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ est in littore maris (*Gen.* XXII, 17). » Posuit autem finitum pro infinito, quia ad stellas cœli et arenam maris comparatæ, valde paucæ sunt mille generationes. Sed quia scriptum est : « In Isaac vocabitur tibi semen (*Gen.* XXI, 13), » magis Christianis quam Judæis hoc testamentum factum esse videtur. Unde Apostolus ait : « Non dixit ex seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, quod est Christus (*Galat.* III, 16). »

« Quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui « ad Isaac; et statuit illud Jacob in præceptum, et « Israel in testamentum æternum, dicens : Tibi « dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis ve- « stræ. » Statuit, inquit, Dominus, et præcepit non Esau, sed Jacob, ut ad illam hæreditatem festinaret, quæ æterni testamenti conscriptione sibi debetur, dicens eis : « Tibi dabo terram Chanaan, » et simul cum ea totam mensuram, atque *funiculum hæreditatis vestræ*. Qua in re Pherezæi, Jebuzæi, Ethæi et cæteræ gentes significantur. Hoc autem dixit illis Dominus, cum adhuc paucissimi essent et quasi incolæ et peregrini in illa terra habitarent. Sed quia firmam spem habuerunt, et verbis Dominicis firmiter crediderunt, omnia eis adimpleta sunt quæcunque illis promiserat Deus. Hæc nobis ideo recitantur, ut nos quoque firmam spem habeamus fideliterque credamus, quia non privabimur promissa nobis hæreditate, si patres nostros imitati fuerimus, et eorum fidem et doctrinam tenuerimus, scientes quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum, quæ valde meliora sunt quam terra Chananæorum. Unde et subditur :

« Cum essent in numero brevi, paucissimi, et in- « colæ in ea, et pertransierunt de gente in gentem, « et de regno ad populum alterum. » Si ergo illi cum tanto labore ad illam hæreditatem, quæ temporalis est, pervenerunt, quanto magis ad illam, quæ æterna est, cum summo studio festinare debemus!

« Non permisit hominem nocere eis, et corripuit

storiam, sed spiritualiter intelligi debet; omnia enim quæ contingebant antiquitus, in figura contingebant, ut nos erudiremur. » S. Hieronymus.

(784) « Ut non huic inquisitioni, qua significatur amor, finem præstet inventio; sed amore crescente inquisitio crescat inventi. » August.

Digitized by Google

« pro eis reges. » Nam Pharaonem et Abimelech propter eos correptos fuisse Scriptura commemorat. Quibus Dominus præcepit, dicens : « Nolite « tangere christos meos, et in prophetis meis no- « lite malignari. » Christos suos eos dicit, non quod oleo visibili, sed quia sancti Spiritus gratia divinitus injuncti fuerunt.

« Et vocavit famem super terram, et omne fir- « mamentum panis contrivit. » Quare Dominus hanc famem super terram esse voluerit (785), sequentia manifestant. Hæc fames fuit causa ut Joseph, qui in Ægypto venditus fuerat, dominus terræ constitueretur, atque ejus providentia a famis periculo liberaretur. Hæc fuit causa ut Jacob cum filiis suis in Ægyptum descenderet, et filium, quem mortuum esse putabat, incolumem inveniret. Et hoc est quod dicit :

« Misit ante eos virum, in servum venundatus « est Joseph. » Dei igitur dispositione et malitia fratrum suorum venditus est Joseph, ut nos intelligamus multa in hoc mundo Dei dispositione fieri, quæ malum initium habere videntur. Nam et Salvatoris nostri passio, venditio et traditio, Dei dispositione ad nostram salutem facta est, quam tamen injustam fuisse non dubitamus.

« Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum « pertransiit animam ejus, donec veniret verbum « ejus; eloquium ejus inflammavit eum. » In eo quod animam ejus ferrum pertransisse dicit, magnos dolores et angustias eum sustinuisse ostendit. Sed postquam venit verbum ejus, et eloquium Domini inflammavit et illuminavit eum, ut somnium regis interpretari potuisset, illico ab his tantis **525** angustiis liberatus est. Et hoc est, quod ait :

« Misit rex, et solvit eum, princeps populorum, « et dimisit eum, et constituit eum dominum domus « suæ, et principem omnis possessionis suæ, ut « erudiret principes suos sicut seipsum, et princi- « pes suos prudentiam doceret. » Magnam sapientiam in Joseph Pharao cognovisse ostenditur, quem totius terræ principem et dominum constituit, et ad docendos majores et seniores ordinavit. Putabant enim illam somniorum interpretationem, non divino beneficio, sed artis magisterio, et ingenii sublimitate eum habuisse. Unde et alios, sicut se ipsum hanc doctrinam docere posse putabant. Multa sunt hoc in facto quæ Salvatori nostro convenire possunt. Quoniam sicut Joseph venditus est a Juda fratre suo, ita et ipse venditus est a Juda discipulo suo. Et omnium gentium rex et dominus a Patre constitutus, non solum Ægyptum, sed universum mundum a fame perpetua liberavit. De qua videlicet fame per Prophetam dicitur : « Immittam in vos non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei (*Amos* VIII, 11). » Et ipse quidem peritissimus est, non solum ad somnia interpretanda, verum etiam ad omnia Scripturarum profundissima mysteria revelanda.

« Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob habi- « tavit in terra Cham. » De genere Cham natus est Chanaan, a quo Ægyptii originem ducunt. Si Jacob non timuit intrare in Ægyptum, cur nostri timeant ad prædicandum invadere mundum? cum audiant : quia « auxit Dominus populum suum nimis, et con- « firmavit eum super inimicos ejus. » Nam et isti et illi valde multiplicati et super omnes inimicos suos confirmati sunt.

« Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, « et dolos facerent in servos ejus. » Quare Ægyptii de facto reprehendantur, si eorum corda Deus convertit, et hoc facere voluissent? Usitatus est in divina pagina iste locutionis modus, ut hoc Dominus facere dicatur, quod cum prohibere posset, facere permittit (786). Dat enim Dominus malis occasionem, ut eorum iniqua desideria foris manifestentur, et malum, quod in corde habent, celari non possit. Cum igitur Ægyptii populum Dei vehementer affligerent, ad eorum consolationem Moysen et Aaron venire præcepit. Et hoc est quod dicit : « Misit Moysen « servum suum, et Aaron quem elegit ipsum. Posuit « in eis verba signorum suorum et prodigiorum « suorum in terra Cham. » Quæ autem fuerunt illa prodigia audiamus.

« Misit tenebras, et obscuravit eos qui exacerba- « verunt sermones ejus. » Illæ tenebræ, quæ tunc Ægyptios obscurabant, illas quas Judæi, hæretici ac pagani et tunc et semper passuri sunt, significabant. Isti enim sunt qui exacerbant sermones ejus, et doctrinæ catholicæ et apostolicæ contradicunt.

« Convertit aquam eorum in sanguinem, et occi- « dit pisces eorum. » Aquæ Ægyptiorum, quæ in sanguinem conversæ sunt, philosophorum et hæreticorum doctrinam designabant; quæ nihil aliud est, nisi venenum, sanguis et peccatum. Pereunt igitur qui hunc sanguinem bibunt, et hanc doctrinam suscipere non metuunt.

« Misit in terra eorum ranas, et in cubilibus re- « gum ipsorum. » Istæ ranæ, poetæ et philosophi, et Judæi et hæretici intelliguntur, qui, de sola loquacitate gloriantes, contra veritatem loqui non cessant. Et tales quidem regibus et potentibus familiares sunt, qui in eorum vanitatibus et erroribus delectantur.

« Dixit, et venit cœnomia, et ciniphes in omnibus

(785) « *Vocavit famem :* intelligendum est, dixit ut fames esset, ut hoc sit vocare quod appellare, hoc appellare quod dicere, hoc dicere quod jubere. Nam ille vocavit famem qui vocat ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt. » AUGUSTIN.

(786) Ad majorem intelligentiam afferamus Augustinum. « Numquid ergo istorum tam gravium peccatorum auctor est Deus, qui nullius vel levissimi peccati auctor credendus est? Quis sapiens, et intelliget hæc? Nam ipse est illa mirabilis Dei bonitas, qua bene utitur etiam malis, vel angelis, vel hominibus. Cum enim ipsi vitio suo mali sint, ille de malo eorum bene facit. Non enim antequam odissent populum ejus boni erant, sed maligni et impii tales erant, qui facile incolis suis felicibus invidierent, » etc.

Digitized by Google

« finibus eorum. » Cœnomia genus muscarum est turpissimum et importunissimum. At vero ciniphes culices dicuntur, qui quanto cæteris sunt minutiores, tanto sunt aculeis graviores. Quid igitur per muscam caninam et ciniphes, nisi luxuria designatur, quæ inter alia vitia turpissima et molestissima esse probatur. Hoc vitium, quia de carne est, et naturaliter carni adhæret, non sine labore et Dei adjutorio vinci et fugari potest.

« Posuit pluvias eorum in grandinem, et ignem « comburentem in terra ipsorum. Et percussit vi- « neas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit omne « lignum finium eorum. » Per grandinem et ignem comburentem, et immensam Dei iram et furorem intelligere possumus, quibus homines iniqui cum omnibus quæ possident flagellandi et perdendi sunt.

« Dixit, et venit locusta, et bruchus, cujus non « erat numerus, et comedit omne fenum in terra « eorum. » Locusta et bruchus, qui quasi cum exercitu et multitudine semper incedunt, omnia vitiorum genera significant : quibus omne fenum illius terræ comeditur et dissipatur, per quod ipsos homines intelligimus, siquidem per fenum populus significatur.

526 « Et percussit omne primogenitum in terra « Ægypti, primitias omnis laboris eorum. » Hæc plaga plus omnibus aliis terruit Ægyptios, ita ut Hebræos ire rogarent et exire compellerent, quæ sola inter alias bonam videtur habere significationem. Significat enim originale peccatum in omnibus hominibus Christi sanguine esse deletum. Hinc usque Ægyptiorum plagas, hinc vero Judæorum beneficia divinitus eis a Deo collata scribere incipit.

« Et eduxit eos in argento et auro, et non erat « in tribubus eorum infirmus. » Non solum Christiani, sed aliæ quoque gentes aurum habent et argentum, virtutes et mores honestos, et multarum artium peritiam, quæ omnia ab illis suscipere et mutuare non est peccatum. Et notandum quia qui Deum sequuntur non infirmantur, si tamen via regia incedant et ab ea non recedant.

« Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia « cecidit timor eorum super eos; et expandit nubem « in protectionem eorum, et ignem, ut luceret eis « per noctem. » De hac nube dicit Apostolus : « Quia omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari (*I Cor.* x, 2); » id est ex aqua et Spiritu sancto, ut per mare aquam, per nubem Spiritum sanctum intelligamus. Ipse est igitur, qui nos a calore et cunctis tribulationibus protegit, qui tenebras nostras illuminat, viamque veritatis ostendit.

« Petierunt carnes et venit coturnix. » Per coturnices spiritualis intelligentia significantur, quæ de superioribus et ab aquis originem habet. Quod enim omnia hæc spiritualiter intelligenda sint, Apostolus nos instruit dicens : « Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem bibebant : bibebant autem de spirituali, consequente eos petra; petra autem erat Christus (*I Cor.* 3, 4). » Unde et subditur : « Et pane cœli « saturavit eos. » Panis enim ille, qui de cœlo descendit, vel Christi caro, vel spiritualis intelligentia est.

« Dirupit petram, et fluxerunt aquæ, et abierunt « in sicco flumina. » Similiter de pectore Christi quatuor magna flumina eruperunt, quibus tota terra, quæ prius sicca et arida erat, abundanter irrigata et satiata est. Et hæc omnia quæ superius locuti sumus ideo fecit Dominus populo suo, quia « memor fuit verbi sancti sui, quod locutus est ad « Abraham puerum suum. » Promiserat enim Dominus Abrahæ quod in semine ejus omnes gentes benedicerentur, et quia sic esset semen ejus, sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ est in littore maris.

« Et eduxit populum suum in exsultatione, et « electos suos in lætitia. » Quomodo enim sine lætitia et exsultatione esse poterant qui sic a Domino fovebantur, defendebantur et tantis beneficiis ditabantur? « Et dedit eis regiones gentium, et labores « populorum possederunt. » Ad quid? « Ut custo- « diant justificationes ejus, et legem ejus exquirant (787). » Nisi enim victis hostibus pacem habuissent et terram quiete possedissent, neque justificationes legitime custodire, neque legem diligenter exquirere potuissent.

PSALMUS CV.

ALLELUIA, ALLELUIA.

Primum Alleluia præcedentis psalmi est, sequens sequentis.

Docet nos Propheta quanta instantia Deum semper laudare debeamus, qui in laudibus desinit et in laudibus incipit : quando Psalmus finit, laudare præcipit, et quando incipit laudare præcipit, ut semper laus Dei continua sit, et nulla in Dei laudibus interpositio fiat (788).

« Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam « in sæculum misericordia ejus. » Nobilis ratio quare Deum laudare debeamus, et quia bonus et misericors est. Si enim omne bonum laudabile est, et nihil laudari debet nisi quod bonum est, quantum ille laudandus est qui solus est bonus, et a quo sunt omnia bona! Legitur in Evangelio quia, cum quidam dixisset Domino « Magister bone, » respondens ait : « Quare me dicis bonum, cum nemo sit bonus, nisi solus Deus? Si Deum me esse credis, bene dicis; si autem non credis, quare hoc dicis? »

(787) « Justificationes autem ejus sunt, ut Deum toto corde diligamus, proximos tanquam nos habeamus patrem veneremur, filium charum habeamus, et cæteræ justitiæ, quæ in diverso rerum genere sunt præceptæ. » Cassiod.

(788) « Ecce breviter præcipitur ut Domino totius psalmi jubilatione cantetur. Sed inspiciamus, quod a superioribus dictis nec titulum nobis cognoscitur mutasse, nec causam. Titulus est enim *alleluia*, causa confessio, quæ miro modo ad laudes Domini omnino fecunda est. » Cassiod.

Digitized by Google

(*Matth* XIX, 17.) Deus enim a se ipso et substantialiter bonus est; cætera vero non a seipsis, neque sunt, neque bona sunt, sed a Deo sunt quidquid sunt.

527 Laudemus igitur Dominum, quoniam bonus est et substantialiter bonus, et qui nunquam potest esse nisi bonus. « Et quoniam in sæculum misericordia ejus. » Quod autem ait in sæculum, tantum est ac si dixisset in æternum. Unde et alibi dicitur: « Misericordias Domini in æternum cantabo (*Psal.* LXXXVIII, 1). »

« Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet « omnes laudes ejus? » Ecce quasi aliquis dicat, laudare parati sumus, sed laudare non sufficimus. Quis enim plene loquetur potentias Domini? Et quis loquendo semperque clamando audiri faciet omnes laudes ejus? Innumerabiles sunt, modum excedunt: « Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis (*Psal.* XLVII, 8). » — « Beati, « qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in « omni tempore. » Si illud, quasi dicat, facere non potes, saltem hoc facias, et beatus eris. Beati enim sunt qui custodiunt judicium ejus, sed quod est judicium ejus? « Declina a malo, et fac bonum (*Psal.* XXXVI, 27). » Verum quidem est, quia omnes Dei laudes dicere non potes; at vero a malo declinare et bonum facere quis non potest? Omni autem tempore justitiam faciunt, qui secundum hoc quod possunt mandatum custodiunt, quia declinare a malo justitia est, et bonum facere justitia est.

« Memento nostri, Domine, in beneplacito populi « tui, et visita nos in salutari tuo. » Bene autem dixit « in beneplacito populi tui, » quia et bonorum et malorum recordatur Dominus; bonorum quidem ad miserendum, malorum vero ad puniendum. Sed talis recordatio bonis quidem placet, malis vero non placet. Rogavit autem Propheta ut eos Dominus visitaret in salutari suo. Quod si de Christi incarnatione intelligitur, factum quidem est, sed non in tempore suo; ipse tamen etiam ante incarnationem suam eos et visitabat, et regebat, et gubernabat.

« Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad « lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum « hæreditate tua. » Sic visita, inquit, in salutari tuo, ut videamus nosmetipsos, et participes simus in illa bonitate quam facturus es electis tuis. Et lætemur in lætitia gentis tuæ, per quam videlicet gentem populus Christianus significatur. Hoc est enim quod Judæis non credentibus Dominus ait: « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* X, 24). » Omnes enim desiderabant adventum Christi, et omnes desiderabant connumerari et sociari Ecclesiæ Christi. « Ut lauderis in hæreditate tua. » Fac nos, quasi dicat, esse in lætitia gentis tuæ, ut a nobis quoque simul lauderis cum hæreditate tua, et fiat unum ovile et unus pastor (789). Hinc narrare incipit prævaricationes illius populi, qui semper incredulus exstitit, multisque modis Deum tentavit, et ad iracundiam provocavit. Similiter autem facit et Daniel, qui confitetur peccata sua et peccata populi sui, ut ejus orationibus et supplicationibus tandem Dominus ad misericordiam moveatur. « Peccavimus « cum patribus nostris, injuste egimus, iniquita- « tem fecimus. Patres nostri in Ægypto non intelle- « xerunt mirabilia tua, et non fuerunt memores mi- « sericordiæ tuæ. » Isti sunt illi patres de quibus Apostolus ait: « Quoniam increduli fuerunt, eorum cadavera prostrata sunt in deserto (*I Cor.* V). » De quibus et Dominus dicit: « Non introibunt in requiem meam (*Hebr.* IV, 6). » Isti enim, si mirabilia Dei, quæ in Ægypto viderant, intellexissent, et tantæ misericordiæ quam eis Dominus fecerat memores fuissent, nunquam contra hostes ire timuissent. Et qui prius non timuerant mare Rubrum intrare, postea contra Chananæos pugnare veriti sunt. Et fortasse nec mare Rubrum tunc introissent, nisi Ægyptios super se irruentes formidassent.

« Et irritaverunt ascendentes in Rubrum mare. » Hinc est enim quod Moyses illis timentibus et desperantibus ait: « Ne timueritis Ægyptios, quia Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis (*Exod.* XIV, 14). » Hæc est itaque prima tentatio qua Dominum irritaverunt, postquam de Ægypto exire cœperunt. « Et liberavit eos, » non eorum meritis, sed propter nomen suum, quia nisi eos liberasset, magnam jacturam fecisset nomini suo; omnes enim dicerent, quod eos liberare non potuisset. Hoc autem ideo fecit, « ut notam faceret eis potentiam suam. » Sed quid profuit, cum ipsi eam cognoscere noluerint?

« Et increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est, « et eduxit eos in aquis multis, sicut in deserto, et « liberavit eos de manu odientium, et redemit eos « de manu inimicorum, et operuit aqua tribulantes « eos, unus ex eis non remansit. » Quid per mare Rubrum, nisi baptismum? Quid vero per Pharaonem et exercitum ejus, nisi diabolum et vitiorum multitudinem intelligamus? Isti vero usque ad baptismum populum Dei persequuntur; sed ibi pereunt, et destruuntur.

« Et crediderunt in verbis ejus, et cantaverunt « laudes ejus, cito fecerunt, et obliti sunt operum « ejus, et non sustinuerunt consilium ejus. » Videntes, inquit, mirabilia Dei quæ fecerat, verbis ejus crediderunt, et laudes ejus cantaverunt; cito hoc fecerunt, et subito defecerunt, et obliti operum ejus non sustinuerunt consilium ejus. Si enim consilium ejus **528** sustinuissent et fecissent, non perissent.

« Et concupierunt concupiscentias in deserto, et « tentaverunt Deum in siccitate. » Quid istæ tentationes significent, Apostolus docet, ubi ait: « Neque tentemus Deum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt (*I Cor.* X, 9). » — « Et hæc,

(789) Ex his plane noscitur quantam fidem et spem S. David et justi Veteris Testamenti haberent in futurum Redemptorem.

Digitized by Google

inquit, omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram (*I Cor.* x, 11).»

« Et dedit eis petitiones eorum, et misit saturitatem in animas eorum. » Dabat eis Dominus quod petebant, ut vel sic a murmuratione cessarent, et de ejus omnipotentia non dubitarent.

« Et irritaverunt Moysen in castris, et Aaron sanctum Domini. Aperta est terra, et deglutivit Dathan; et operuit super Synagogam Abiron; et ignis exarsit in Synagoga eorum, et flamma combussit peccatores. » Tali morte digni sunt, qui Dei sacerdotibus detrahunt, et violenter sibi sacerdotium vindicare conantur.

« Et fecerunt vitulum in Oreb, et adoraverunt sculptile, et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli manducantis fenum. » Gloria nostra Deus est. Hanc autem gloriam Judæi in vitulum commutaverunt, quando pro Deo vitulum adoraverunt. Hic autem vitulus eos devoravit, quia fenum sunt, sicut scriptum est : « Vere fenum est populus (*Isa.* xl, 7), » fenum autem vitulus manducat.

« Et obliti sunt Deum qui liberavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro. Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus, ne disperderet eos. » Hoc autem factum est, quando considerata terra promissionis, Josue, et Caleb et cæteri qui cum eo erant reversi sunt : qui cum nuntiassent ea quæ viderant, territus est populus, et se illuc transire negavit, oblitus tot et tantorum miraculorum quæ jam coram eis, et in Ægypto et in mari Rubro, Dominus fecerat. Unde et Dominus iratus occidere voluit, sed Moyses iram suam confregit et avertit, ne eos occideret et disperderet. Unde et subditur :

« Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. » Pro nihilo quidem, quia se periculis pro ea tradere noluerunt, et ideo in eam non intraverunt, quam tam immenso desiderio et videre et habere cupierunt. « Et non crediderunt in verbis ejus, » quibus Moyses, Josue et Caleb eos hortabantur, et ne timerent confortabant.

« Et murmuraverunt in tabernaculis suis, nec exaudierunt vocem Domini ; et elevavit manum suam super eos in deserto, et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et disperderet eos in regionibus. » Dicens Moysi : « Dimitte me, ut deleam populum istum, et faciam te in gentem magnam (*Deut.* ix, 14). » Historia quidem narratur nobis, sed quæ valde consideranda est et memoriæ commendanda, ne et nos miraculorum Christi, et virtutum ejus quæ nobis quotidie leguntur obliviscamur, et promissam nobis hæreditatem parvi pendamus, sed viriliter contra omnes adversarios nostros dimicemus, ut ad eam transire valeamus.

« Et consecrati sunt Beelphegor, et manducaverunt sacrificia mortuorum. » Nescio quid nefandius unquam isti facere potuissent, qui se ipsos diabolo consecrarunt, eique sacrificarunt, et de ipsis scelestis sacrificiis manducaverunt. Unde iratus Dominus Moysi dixit : « Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut auferatur furor meus ab Israel (*Num.* xxv, 4). »

« Et irritaverunt eum in studiis suis, et multiplicata est in eis ruina. » Hoc autem totum descendit ex consilio Balaam, qui docuit Balac ut virgines suas Judæis opponeret, quarum amore miseri homines superati, earum diis immolarent, et ad hoc tam immensum scelus devenirent. Cum magno igitur studio atque frequentia ad eas intrantes, magnam iram contra se concitaverunt, donec Phinees superveniens cum gladio fornicatores interfecit. Et jam viginti tria millia hominum ceciderant, quando Phinees pro eis oravit et exauditus est. Et hoc est quod ait :

« Stetit Phinees, et exoravit, et cessavit quassatio, et reputatum est illi ad justitiam a generatione usque in generationem, usque in sæculum. » Hunc igitur et nos imitari debemus, ut fornicationis spiritum, ubicunque est, verbi Dei gladio confodiamus.

« Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus, et distinxit in labiis suis. » Istæ sunt aquæ contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, quando Moyses dixit eis : « Audite, rebelles et increduli, num de petra hac poterimus nobis producere aquas? » (*Num.* xx, 10.) Et tunc quidem Moyses distinxit in labiis suis, per quod significatur, quia cum magna supplicatione deprecatus est Dominum pro eis in secreto pectoris sui (790). Illæ autem aquæ hæc quatuor Evangeliorum flumina significabant, quæ, de Christi corpore emanantia, omnibus ad bibendum abundanter sufficiunt. Quæ non immerito aquæ contradictionis dicuntur, quia valde multi sunt qui eis contradicunt. Hinc autem ea enarrare incipit quæ facta sunt, post-**529** quam Jordanem transierunt, et terram promissionis intraverunt. Præceperat autem illis Dominus ut omnes gentes disperderent quarum terram possessuri erant, quod quia non fecerunt, multa mala ab eis postea passi sunt. Sed quia omnia in figura contingebant illis et ad correptionem nostram scripta sunt, nos demus operam ut totam vitiorum gentem, quæ in nostra carne habitat et dominatur, usque ad internecionem interficiamus et disperdamus, ut nunquam amplius contra nos insurgere valeant, ne forte de nobis quoque dicatur, quod sequitur :

« Non disperdiderunt gentes, quas dixerat Dominus illis, et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum, et im-

(790) « Ea tamen qua dubitavit Moyses, sanctitate servata, hac tantum meruit ultione percelli ne in terram introiret promissionis, qui de Domino magno oromittere non præsumpsit. » Cassiod.

Digitized by Google

« molaverunt filios suos et filias suas dæmoniis, et « effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan; et infecta est « terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum. » Simplex hic narratur historia, et quam stulti et iniqui isti fuerint, quantumque a primis suis parentibus, quibus terra promissa fuerat, degeneraverint, apertissime ostendit. Ut omnes intelligant, justo Dei judicio, eis omnia mala accidisse, quæ super eos venisse narrantur. Sic enim tota terra eorum iniquitatibus violata et contaminata est, ut eam merito Deus abominari debuisset.

« Et fornicati sunt in adinventionibus suis, et « iratus est Dominus in populum suum, et abominatus est hæreditatem suam, et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt « eos, et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum, sæpe liberavit eos. » Et in hoc quidem magna Dei clementia declaratur, quia, quamvis Deum sic offendissent, quoties tamen humiliati ad eum clamabant, totics eos exaudiebat, et de inimicorum suorum manibus liberabat. Et hoc quidem præcipue tempore Judicum factum fuisse, qui leget, inveniet.

« Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo, « et humiliati sunt in suis iniquitatibus. » Si enim ejus consilio credidissent, ab ejus imperio non recessissent; sic in suis iniquitatibus ab adversariis suis humiliati non fuissent.

« Et respexit eos cum tribularentur. » Si tamen pœnitentes eum orabant et invocabant. Hoc est enim, quod dicit ; « cum exaudiret orationes eorum. » Quomodo enim eorum orationes exaudire posset, nisi eum invocassent et orassent?

« Et memor fuit testamenti sui, et pœnituit eum « secundum multitudinem misericordiæ suæ. » Deum non pœnitet, sed pœnitere videtur, quando pœnitentis imitatur affectum; si eum quem affligebat subito aliquis amplecti et honorare incipiat, pœnitere videtur.

« Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos. » Non enim interficiebant eos, neque a patriis legibus recedere cogebant, semperque secum prophetas habebant qui eos consolabantur et Dei misericordias eis promittebant.

« Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega « nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto « tuo, et gloriemur in laude tua. » De illis nunc Propheta specialiter loquitur qui in fine sæculi futuri sunt, de quibus alibi dicitur : « In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter (*Jer.* XXXIII, 16). » Itemque : « Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ convertentur (*Isa.* X, 21). » Pro istis orat Propheta quos ubique gentium videt esse dispersos, ut in unam fidem congregentur, et Christum confiteantur et in eo glorientur, quod eum laudare tantum digni facti sunt.

« Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo usque « in sæculum; fiat, fiat. » Nunc, inquit, quia Judæi et gentiles ex omnibus mundi partibus in unum congregati sunt omnesque in unam fidem convenerunt, omnes eum benedicunt et ejus benedictiones confirmantes dicunt, « fiat, fiat. »

530 PSALMUS CVI.

ALLELUIA.

Quid significet Alleluia, satis quidem dictum est, sed satis factum non est. Et ideo toties nos Propheta hortatur laudare Dominum, quia nunquam satis laudare possumus.

« Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam « in sæculum misericordia ejus. » Hos nunc hortatur Propheta ad laudes Domini qui Christi sanguine redempti sunt et ex omnibus mundi partibus in unam catholicam Ecclesiam congregati.

« Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos « redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos. » Nunc, inquit, in hoc tempore suæ redemptionis confiteantur Domino, et nunc laudes ejus dicant, et prædicent omnes qui redempti sunt a Domino; illi videlicet quos Dominus redemit de manu inimici, et de potestate diaboli liberavit, et de omnibus nationibus in unam fidem congregavit. Et hoc est quod ait :

« A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. » Mare, quod totum circumit mundum, nunc pro sola parte australi ponitur.

« Erraverunt in solitudine in siccitate, et viam « civitatis habitationis non invenerunt. » Omnes, inquit, isti erraverunt; sed Christi gratia illuminati sunt. Sed ubi erraverunt? In solitudine, et non solum in solitudine, sed in sicca solitudine. Hæc est illa solitudo, de qua Propheta dicit : « Ego vox clamantis in deserto (*Joan.* I, 25). » Totus mundus erat solitudo, quando Dominus venit, omnis terra arida et sterilis erat; nondum homines illam viam invenerant quæ ducit ad civitatem habitationis : « Ego, inquit Dominus, sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me (*Joan.* XIV, 6). » Hæc est igitur illa via quæ ducit ad Patrem et ad civitatem habitationis. Illa sola civitas habitationis, in quam quicunque intrant, æternam habent et felicem habitationem.

« Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis « defecit. » Omnes, inquit, adhuc esurientes et sitientes erant, quia veritatis et sapientiæ cibum et potum nondum gustaverunt, et ideo anima eorum fame et siti in ipsis defecerat : « Non autem fame panis, ut Propheta ait, neque siti aquæ, sed audiendi verbum Dei (*Amos* VIII, 11). »

« Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, « et de necessitatibus eorum liberavit eos. » Hoc autem tunc factum est, quando audita evangelica prædicatione, se in errore et diaboli laqueis esse cognoverunt. Sed mox clamantes et pœnitentiam

Digitized by Google

agentes salvati et liberati sunt. Et tunc quidem « eduxit eos Dominus in viam rectam, ut irent in ci- « vitatem habitationis. »

« Confiteantur Domino misericordiæ ejus et mira- « bilia ejus filiis hominum. » Egregie autem dicitur, ut misericordiæ et mirabilia laudent Dominum, quia per misericordias quas fecit, et per mirabilia quæ filiis hominum ostendit, laudatur et magnificatur Dominus. Et dignum quidem est ut eum laudent qui ea bona suscipere meruerunt quæ superius exposita sunt.

« Quia satiavit animam inanem, et animam esu- « rientem satiavit bonis. » Hoc est enim, quod superius dixit, quia « de necessitatibus eorum libera- « vit eos, » qui esurientes et sitientes erant. Inanes erant illæ animæ, quæ Christi fide et cognitione vacuæ erant. Has autem satiavit Deus omnibus bonis, quia utriusque Testamenti dulcedinem et veritatem intelligere fecit.

« Sedentes in tenebris et in umbra mortis, vincu- « lis ligatos in mendicitate et ferro. » Subauditur, liberavit eos Dominus. Hoc enim inferius continuatur, ubi dicitur, « de necessitatibus eorum libe- « ravit eos. » Hic est ille populus, de quo Propheta ait : « Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, ambulantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis (*Isa.* IX, 2). » Sedebant isti in tenebris erroris et cæcitatis, et sub illius arboris umbra quæ non refrigerium, sed mortem dabat. Erant autem in vinculis ferreis, in mendicitate, quia spiritualibus divitiis pauperes dura diaboli catena stringebantur. Hoc autem cur eis acciderit sequentia manifestant.

« Quia exacerbaverunt eloquium Domini, et con- « silium Altissimi irritaverunt. » Neque ipsi per se, vel a doctoribus suis cognoscere poterant veritatem, neque his qui divino oraculo eum prædicabant, credere volebant, sed potius contra divinæ legis prædicatores, errorem suum omnibus modis defendere nitebantur. Et hoc quidem erat eloquium Domini exacerbare, ejusque consilium irritare. Unde et subditur :

« Et humiliatum est in laboribus cor eorum, et « infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret. » Magnus labor est veritatem investigare, quam quidem nemo suo ingenio, sine divino auxilio invenire poterit. Et ideo omnes sæculi sapientes stulti facti sunt, et ad veritatis agnitionem pertingere non potuerunt. Cor autem cum vincit exaltatur, cum vincitur humiliatur. Quod itaque hic dicitur : « Humiliatum est in laboribus cor eorum, » tale est ac si diceret : **531** Quamvis multum die nocteque cogitando et meditando laborassent, victum tamen et humiliatum est cor et ingenium eorum, quoniam ad veritatis notitiam suo ingenio pervenire non potuerunt, sed omnino infirmati sunt, nec fuit inter eos neque scriptura, nec sapiens aliquis, qui eis hoc in labore auxilium præstare valuisset. Cum igitur sic meditando tribularentur et affligerentur, audita subito evangelica prædicatione illuminati sunt, et clamantes ad Dominum de istis tantis necessitatibus liberati sunt. Et hoc est quod dicit :

« Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, « et de necessitatibus eorum liberavit eos. » Quæ autem fuerint istæ necessitates, audiamus :

« Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et « vincula eorum disrupit. » Et hoc quidem jam superius exposuimus, quia erroris et cæcitatis tenebras patiebantur.

« Confiteantur Domino misericordiæ ejus et mira- « bilia ejus filiis hominum. » Et hoc simpliciter expositum est. Quod tamen dignum est ut sæpius repetatur, quia magna Dei misericordia est, magnaque miracula quæ nobis in hoc Psalmo narrantur. Sed quæ miracula?

« Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos « confregit. » Valde dura et fortia esse ostendit, in eo quod ærea et ferrea ea esse dicit. Omnia machinamenta diaboli tam fortia sunt, ut merito ærea et ferrea esse dicantur. Non est ergo mirum si verba vitæ corda iniquorum penetrare nequeunt, quæ tam fortiter clausa et obserata sunt. Omnia vitia et peccata machinamenta diaboli sunt, quæ verbo Dei obsistunt, ne ad cor hominis penetrare valeat. Vincit tamen virtus et potentia Dei, et quamvis miser homo in via iniquitatis clausus et ligatus sit, inde tamen eum trahit, et ad viam veritatis revocat. Et hoc est quod dicit :

« Suscepit eos de via iniquitatis eorum. » Et quasi aliquis diceret : Quid causæ est quod sic homines a diabolo et vinci et humiliari possunt? ait : « Propter injustitias enim suas humiliati sunt; » quasi dicat : Hoc faciunt qui falsitatem et injustitiam diligunt, et eam quam diligere debent veritatem odio habent. Et hoc est quod ait :

« Omnem escam abominata est anima eorum, et « idcirco appropinquaverunt usque ad portas mortis. » Omnem, inquit, escam salutiferam et vivificantem, per quam utriusque Testamenti doctrina significatur, abominata est anima eorum, et ideo ad portas mortis appropinquaverunt, quia hæreticis et schismaticis aliisque deceptoribus se sociaverunt. Isti enim sunt portæ mortis, quia per istos intratur ad mortem.

« Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, « et de necessitatibus eorum liberavit eos. » Hoc autem jam superius expositum est. Sed quomodo de necessitatibus eorum liberavit eos, sequitur :

« Misit verbum suum, et sanavit eos et eripuit « de interitu eorum. » Hoc autem de Salvatore nostro intelligitur, qui ad sanandas et liberandas omnes gentes a Deo missus est.

« Confiteantur Domino misericordiæ ejus et mira- « bilia ejus filiis hominum. » Nunc, quasi dicat : Misericordiæ et mirabilia necessaria sunt, quia sancti prædicatores ad prædicandum et sacrificium laudis immolandum mittuntur. Hoc est enim quod ait :

« Ut sacrificent sacrificium laudis, et annuntient

Digitized by Google

« opera ejus in exsultatione. » De hoc sacrificio dicit Apostolus : « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est vitulos labiorum confitentium nomini ejus (*Heb.* XIII, 15). » Vituli namque labiorum, laudes, sermones et verba sunt quæ apostoli prædicare et nuntiare mittuntur. Sed ut hoc in exsultatione facere valeant, necesse est ut misericordiæ et mirabilia Dei cum eis vadant.

« Qui descendunt mare in navibus, facientes opera- « tiones in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini « et mirabilia ejus in profundo. » Isti qui descendunt mare in navibus apostoli sunt et doctores. Et ipsi quidem fecerunt operationes in aquis multis, quia prædicaverunt, et virtutes multas fecerunt in populis multis. Et hoc est quod ait : « Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo. » Tunc enim B in profundo maris apostoli mirabilia viderunt, quando inter impios et peccatores mortuos suscitabant, cæcos illuminabant, aliaque miracula faciebant. Descendit autem unusquique in navicula corporis sui, quæ quidem fragiles erant et naufragio destinatæ; sed spiritus, qui præsidebat, fortis erat, et navigandi peritus. Unde et Dominus ait : « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (*Matth.* XXVI, 41). »

« Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati « sunt fluctus ejus. » Hoc est enim quod per Prophetam Dominus ait : « Ego Dominus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus (*Isa.* LI, 15). » Tantum enim et non amplius poterant mali contra bonos, quantum eis Dominus facere permittebat. « Dixit C igitur Dominus (dicere autem, voluisse fuit) et stetit spiritus procellæ. » Et quia Dominus hoc voluit ut spiritus procellæ staret et mare in suo fervore et tempestate perseveraret, ideo exaltati sunt fluctus ejus. Et quid fecerunt tunc illi, de quibus modo diximus, qui descendunt mare in navibus ?

« Ascendunt usque ad cœlos et descendunt usque « ad abyssos. » Et ascendere malum est et descendere pejus ; in utroque **532** enim periculum est. Unde et dicit quia « anima eorum in malis tabescebat; » id est in calamitatum et dolorum vehementia constituti, vix a virtute non deficere valebant. Possumus autem intelligere quod tunc ascendebant, quando ante tyrannos ad tribunal judicii trahebantur ; tunc vero descendebant, cum in ima carceris trudebantur. D

« Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis « sapientia eorum deglutita est. » Hæc verba quid aliud significant, nisi timoris et perturbationis intolerabilem immensitatem ? Hinc est enim quod Apostolus dicit : « Nolo vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere (*II Cor.* I, 8). »

« Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, « et de necessitatibus eorum liberavit eos. » Quomodo autem liberavit, audiamus. « Statuit procellam « ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus, et lætati sunt « quod siluerunt, et eduxit eos in portum voluntatis « eorum : » et ita quidem de necessitatibus eorum liberavit eos. Plana sunt hæc et jucunda ad intelligendum. A

« Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et « mirabilia ejus filiis hominum. » Et hoc quare ? « Ut exaltent eum in Ecclesia plebis, et in cathedra « seniorum laudent eum. » Constat igitur quia aliter eum exaltare non possunt, nisi Dei misericordiæ et mirabilia adsint. Inde est enim quod alibi dicitur : « Quia profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20). » Quid est autem in Ecclesia plebis, nisi in populo gentium ? Et quid est in cathedra seniorum, nisi in Synagoga Judæorum ? De hac autem cathedra Dominus ait : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi (*Matth.* XXIII, 2). »

« Quia posuit flumina in desertum, et exitus « aquarum in sitim ; terram frugiferam in salsu- « ginem, a malitia inhabitantium in ea. » E contra vero, « qui posuit desertum in stagna aquarum, et « collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem « habitationis. » Hoc est igitur, unde apostoli et prædicatores et in Ecclesia plebis et in cathedra seniorum Dominum exaltare et laudare debent, quia deponit superbos, et exaltat humiles, quia convertit in Libanum Chermel, et Chermel in saltum reputatur. Quia convertit desertum in terram fructiferam, et terram fructiferam in desertum; et, ut planius dicatur, quia malitiam Judæorum repulit, et gentium simplicitatem elegit. Quid enim aliud erat gentilitas, nisi desertum et terra sitiens et sine aqua ? Et ibi quidem posuit Dominus flumina, et exitus aquarum, quoniam illis apostolos dedit, et sanctarum volumina scripturarum. Judæa vero terra fructifera quondam fuit, sed a malitia inhabitantium in ea, in salsuginem et sterilitatem conversa est. Quod autem sequitur : « Posuit desertum in stagnum aquæ, et terram sine aqua in exitus aquarum, » repetitio est. Ibi autem, id est in terra sine aqua, per quam Ecclesia significatur, collocavit Dominus esurientes, illos videlicet de quibus dicitur : « Et famelici saturati sunt (*I Reg.* II, 5). » Et isti quidem constituerunt, compleverunt, ædificaverunt, et cunctis bonis abundare fecerunt civitatem habitationis, per quam vel Ecclesia, vel cœlestis Jerusalem intelligi potest.

« Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, « et fecerunt fructum nativitatis. » Quotidie seminatur ager Dei, et plantatur vinea Dei, et quotidie reddunt fructum novum, fructum nativitatis novæque nativitatis. « Plures enim, ut Apostolus ait, facti sunt sacerdotes secundum legem, idcirco quod morte prohiberentur permanere (*Hebr.* VII, 23), » ut semper aliis alii succedant qui in agro Dei et in vinea Dei laborare non desinant.

« Et benedixit eos, et multiplicati sunt nimis, et « jumenta eorum non minoravit. » Jumenta hoc in loco episcopi sunt et sacerdotes. Hæc autem minorata non sunt, quia, sicut modo diximus, alii pro aliis ordinantur. Dicuntur autem jumenta, quasi juva-

Digitized by Google

menta, quod nomen, quantum huic ordini conveniat, quis non intelligat ?

« Pauci facti sunt, et vexati a tribulatione malorum « et dolorum. » Modo, quasi dicat, jumenta minorata non sunt, quamvis persecutionis tempore in Ecclesia prædicatores valde pauci aliquando facti sunt, multumque ab iniquis hominibus vexati et afflicti.

« Effusa est contemptio super principes eorum, et « seduxerunt eos in invio, et non in via (791). » Inde, quasi dicat, vexati sunt sancti a malorum hominum tribulatione ; quia super principes eorum contemptio effusa est, qui eos seduxerunt in invio, et non in via. Isti principes hæretici sunt, qui semper contendere parati, et suos decipiunt, et sanctos quiescere non patiuntur. Decipiunt autem eos in invio, et non in via, quia nemo est qui in omnibus decipiatur. Ubi seducitur homo, in invio est; et ubi non seducitur, in via est.

533 « Et adjuvit pauperem de inopia, et posuit « sicut oves familias. » De quibus modo superius dixit, « pauci facti sunt, » eosdem ipsos propter ipsam paucitatem pauperes vocat. Vicina sibi sunt paucitas et paupertas, et pene idem significare videntur. Quomodo adjuverit pauperem de inopia, id est de supradicta paucitate, exponit dicens : « Et posuit sicut oves familias, » quoniam sicut greges ovium, sic eos multiplicavit. Singulas autem Ecclesias intelligere possumus.

« Videbunt recti, et lætabuntur, et omnis iniquitas « oppilabit os suum. » Videbunt, inquit, recti ea quæ in hoc psalmo scripta sunt et lætabuntur, quoniam totus iste psalmus misericordia plenus est. Iniqui vero taceant, et contra Deum ulterius non loquantur. Nullam excusationem habere poterit, qui post tantam misericordiarum plenitudinem ab iniquitate non recedit.

« Quis sapiens, et custodiet hæc, et tunc intelliget « misericordias Domini ? » Ille, inquit, sapiens est, qui ista custodit. Et qui ista custodierit, ille sine dubio intelliget misericordias Domini. Intelligere autem hoc in loco suscipere est. Nemo enim sic eas intelliget, sicut ille qui eas suscipiet.

PSALMUS CVII.

CANTICUM PSALMI DAVID.

Quid est autem canticum psalmi, nisi laus bonæ operationis ? Laudantur igitur in hoc psalmo opera bona, et qui ea operantur. Eloquitur contra philosophos et hæreticos, qui suam scientiam extollentes, sanctorum irridentes doctrinam et simplicitatem. Sed vir justus ea non curat, neque propter hoc divinæ legis scientiam et doctrinam prædicare cessat.

« Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: « cantabo, et psalmum dicam Domino. » Faciant illi quidquid velint, dicant quod velint, laudent dogmata sua, vituperent nostra ; cor meum semper est paratum ad cantandum, ad jubilandum, ad laudandum et prædicandum, et verbum vitæ et salutis cunctis gentibus nuntiandum. Et hoc est quod dicit : « Cantabo, et psalmum dicam Domino. » Sed ubi? in psalterio et cithara. Hoc est enim quod sequitur :

« Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et « cithara, » exsurgam diluculo. Quid per psalterium et citharam, nisi Vetus et Novum Testamentum intelligamus ? Decem chordas habet psalterium, quia decem sunt verba legis. In cithara vero vel tres, vel quatuor chordæ sufficiunt ; et tres quidem mysterium Trinitatis, quatuor vero totidem Evangeliorum libros designant. Cantant igitur sancti vel in psalterio, vel in cithara, quia alium cantum et doctrinam non habent, nisi Veteris et Novi Testamenti. Si igitur psalterium et cithara ab Ecclesia tollatur, quid dicat, quid cantet, quid prædicet non habebit. Est igitur omnis gloria ejus in psalterio et cithara, quia sine cantu, sine doctrina et scientia, nullam gloriam habere potest. Et quamvis omnis modulatio psalterii et citharæ suavis sit, et dulcis ad audiendum; illa tamen dulcissima est quæ a tribus chordis in cithara modulatur. Et talis quidem est ille cantus, quem sicut Isaias propheta, et Joannes apostolus dicit : « Seraphim et quatuor animalia cantare non cessant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, plena est omnis terra gloria ejus (*Apoc.* IV, 9). » Merito igitur dicit Ecclesia : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara ; » et ego quidem exsurgam diluculo. Tu, inquit, psalterium, et tu, cithara, semper esto parata, ut nullum mihi impedimentum et moram faciatis, quia ego quidem ad cantandum exsurgam valde diluculo. In hoc autem se per totum diem a mane usque ad vesperum, id est omni tempore vitæ suæ se cantare et jubilare promittit, quod se diluculo exsurgere dicit.

« Confitebor tibi in populis, Domine, et psalmum « dicam tibi inter gentes. » Parata, inquit, sum, psalterium et citharam habeo, et in psalterio et cithara cantabo tibi, et laudabo te in populis, Domine, et psalmum dicam inter gentes. Quia enim Judæi audire nolunt, psalmos se inter gentes cantare promittit. Psalmos autem cantare, est verbis et actione legis mandata adimplere.

« Quoniam magnificata est super cœlos miseri- « cordia tua, et usque ad nubes veritas tua. » Misericordia Dei, et veritas Dei Salvator noster est, qui omni misericordia et veritate plenus est, et in ipso et per ipsum, Patris misericordia et veritas cunctis gentibus revelata est. Hoc, inquit, confitebor, hoc prædicabo, in omnibus gentibus nuntiabo, quoniam usque ad cœlos et usque ad nubes misericordia tua et veritas tua magnificata et exaltata est. Sed ut vera sit prædicatio mea, jam nunc exi de spelunca, egredere de sepulcro, et exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua manifestetur. « Exaltare super cœlos, Deus, et super om-

(791) *Effusus est contemptus super principes. Et seduxit eos in invio, et non in via.* Ita lectio apud S. Aug. Ad quæ subjicit : « Quid est, ergo *seduxit eos, dimisit eos in invio, et non in via ?* Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum. Hoc est enim, seduxit : donavit illos sibi. »

Digitized by Google

nem terram gloria tua, ut liberentur electi tui. »

534 « Salvum me fac dextera tua, et exaudi « me. » Dicit Ecclesia : ut liberentur electi tui, salvum me fac dextera et fortitudine tua, et exaudi me. Salus hujus piissimæ matris, omnium filiorum liberatio est.

« Deus locutus est in Sancto suo : Lætabor, et « dividam Sichimam, et convallem tabernaculorum « metibor. » Propheta loquitur modo, et Ecclesia consolatur, quæ de humani generis calamitatibus, ab ipsa origine incipiens lamentabatur, quæ tamen de sola significatione gaudebat, qua fugere poterat a facie arcus. « Deus, inquit, locutus est in Sancto suo, » id est in dilecto Filio suo, et ea locutus est quæ lætitiam tibi dabunt et exsultationem, quoniam usque ad fines terræ te dilatabit, et totam terram, quam dimensus est et per suas partes divisit, tibi dabit. « Lætabor, inquit, et dividam Sichimam. » Egregie Dominus a lætitia incipit, quia ejus lætitia omnibus fidelibus gaudium præstat. Unde et in ejus nativitate gaudium pastoribus promittens angelus, ait : « Ecce annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David (*Luc.* II, 10). » Sichima *humeri* interpretatur, et significat illos humeros qui superhumerale in Exodo ferre jubentur. Ipsi autem sunt SS. apostoli, episcopi et sacerdotes, qui ideo humeros ornatos habent, ut alios omnes sapienter et fortiter portent. Ipsi enim sunt quibus Dominus ait : « Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI, 29). » Hoc igitur divisit Dominus, et totam convallem tabernaculorum inter eos partitus est. Convallis tabernaculorum totus iste mundus intelligitur, quo tabernacula Dei posita sunt, per quæ omnes Ecclesiæ significantur, de quibus subditur :

« Meus est Galaad, et meus est Manasses, et « Ephraim fortitudo capitis mei. Juda rex meus, « Moab olla spei meæ. In Idumæam extendam cal- « ceamentum meum, mihi allophyli (792) subditi « sunt. » Ecce omnia sua sunt ; omnia hæc ad Ecclesiam pertinent, et ita sancta mater Ecclesia ubique gentium magnificata et dilatata est. Sed quid per « Galaad, » quæ *acervus testimonii* interpretatur, nisi Ecclesiæ doctores et magistros intelligamus? Ipsi enim sunt, in quibus utriusque Testamenti testimonia coacervata sunt, quibus et seipsos omnesque alios defendere debent. Et merito primi ponuntur, qui inter omnes alios obtinent principatum. « Manasses » vero interpretatur *oblivio*, per quem nimirum illi significantur qui, S. Spiritus calice inebriati, terrenorum omnium obliviscuntur et sola cœlestia concupiscunt. Tales erant illi de quibus in Actibus apostolorum dicitur : « Quia omnibus A erat cor unum et anima una, et nemo dicebat aliquid esse suum, sed erant illis omnia communia (*Act.* IV, 32). » Inter hos autem monachi quoque et eremitæ connumerantur. At vero per « Ephraim, » qui *frugifer* dicitur, omnes illos intelligere debemus, qui boni operis fructum Domino reddunt. In his autem et clerici et laici, et masculi et feminæ, et divites et pauperes, et liberi et servi, et omnes alii qui otiosi non sunt, sed in vinea Domini fideliter laborant, intelliguntur. Quod autem ait, « fortitudo capitis mei ; » tale est ac si diceret, fortitudo mea. Ad hanc autem significationem, et boves nostros, et operarios nostros, fortitudinem nostram dicere solemus. « Juda rex meus. » Juda *confessio* interpretatur. Isti autem sunt qui pro aliis pugnant, et B Deum assidue laudant et benedicunt, et inter ipsa tormenta Deum suum et Creatorem suum Christum esse confitentur. Et tales quidem digni sunt qui reges a Domino constituantur. « Moab olla spei meæ. » Bene post confessionem ollam posuit, quia sola confessio sanctorum carnibus ollam implebat, et eos ad ignem et ad alia tormenta ducebat. Per ollam enim hoc in loco omnia tormentorum genera significantur. Interpretatur autem « Moab » *ex patre*, per quem eos intelligimus quibus in Evangelio Dominus ait : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 54). » Isti igitur sunt quos prius sibi ipsi, deinde vero fidelibus suis ollam se Dominus habere sperabat. Sperabat quidem, quia libenter et sua sponte sustinuit passionem. « In Idumæam extendam calceamen- C tum meum, » id est calceatos meos, per quos apostolos significat, qui, sicut scriptum est, « calceati erant in præparationem Evangelii pacis (*Ephes.* VI, 18). » Hos autem extendit Dominus, et misit in Idumæam, quæ *sanguinea* interpretatur, quod quid significet manifestum est. « Mihi allophyli subditi sunt. » Per allophylos (793), qui *sine capite* interpretantur, universaliter omnes infideles, et quicunque Dei cognitionem non habent, intelligere debemus. Quomodo enim caput habebant qui, cæci et surdi, aures et oculos non habebant? Si enim oculos habuissent, nequaquam ligna et lapides deos esse dixissent. Isti tamen apostolica prædicatione Salvatori nostro subditi sunt, quia de talibus Ecclesiæ muri D fabricati sunt. Isti enim sunt illi lapides impoliti et incircumcisi, **535** quos ferrum non tetigit, quia de talibus altare sibi Dominus fieri jussit. Huc usque Dominus locutus est. Hinc autem Ecclesia suæ narrationis ordinem servat.

« Quis deducet me in civitatem munitam? Aut « quis deducet me usque in Idumæam? » Quis, inquit, deducet me in civitatem munitam, id est in cœlestem Jerusalem; ubi neque ollas Moab, de quibus modo locutus es, neque sanctorum sanguine cruentatos Idumæorum gladios timeam? Aut si pedes

(792) Cod. Ghis., *alienigenæ*.

(793) Allophylus, ut alibi superius diximus, significat hominem alterius tribus, sive alterius gentis et nationis; atque in hoc etiam sensu sese sustinet S. Brunonis interpretatio; si nimirum intelligimus homines idololatriæ deditos, adeoque gentis diversæ admodum a Judæorum natione et religione.

Digitized by Google

meos in Idumæam extendere vis, quis erit qui me deducat, et itineris viam ostendat, et euntem et redeuntem custodiat? .

« Nonne tu Deus, qui repulisti nos et destruxisti « nos, iratus es et misertus es nobis? Et non « egredieris Deus in virtutibus nostris? » Egredieris utique, quia sic promisisti nobis, et sic te facturum esse speramus. Hoc est enim quod Dominus in Evangelio dicit : « Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado (*Joan.* XIV, 12). » Itemque : « Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, super ægros manus imponent, et bene habebunt (*Marc.* XVI, 17). »

« Da nobis auxilium de tribulatione; » quia nos aliunde auxilium non exspectamus. « Et vana est « salus hominis; » siquidem universa vanitas est ipse homo.

« In Deo faciemus virtutem. » In Deo, inquit, faciemus virtutem, et ipse egredietur in virtutibus nostris; quia sicut ipse dixit, sine ipso nihil facere possumus. « Et ipse ad nihilum deducet tribulantes « nos. » Tale est et illud quod alibi dicitur : « Ad nihilum devenient, sicut aqua decurrens (*Psal.* LVII, 8). » Ad nihilum deducitur, cujus intentio non adimpletur. Est enim usitatissimus iste locutionis modus, ut nihil eum fecisse dicamus, qui id quod cœpit facere non potuit. Sic igitur ad nihilum devenerunt, qui suas voluntates ad effectum perducere non potuerunt.

PSALMUS CVIII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Iste titulus jam multoties expositus est. Quando Propheta ponit in finem, non vult ut de se, sed de Christo, intelligatur. Et ipse quidem loquitur in hoc psalmo, et de Judæis conqueritur, qui tantis ejus beneficiis ingrati fuerunt et pro bonis mala reddiderunt.

« Deus, laudem meam ne tacueris. » Vult Salvator noster ut totus mundus cognoscat et prædicet misericordiam, fortitudinem et patientiam ipsius, qui cum solo verbo omnes suos inimicos perdere potuisset, quod ad fortitudinem spectat; noluit tamen, sed nimia misericordia plenus, pro eis orabat dicens: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Et sicut ovis ad occisionem ductus, cum eum irriderent, maledicerent, ligarent, flagellarent, damnarent, spinis coronarent et (quod dicere contremisco) conspuerent, et colaphizarent, crucifigerent et aceto potarent. Sed quis omnia dicere valeat? Ipse tamen patienter omnia sustinuit. Sed melius est ut ipsum audiamus, et ipse nobis dicat quid ille populus stultus et insipiens, impius et ingratus, contra eum fecerit. « Quia os, inquit, peccatoris et dolosi super me apertum est. » Vere peccatoris, qui illud peccatum facere non timuit cui nullum peccatum unquam comparari potest. Vere dolosi, qui laudando, extollendo, magistrum bonum vocando, in omnibus insidiando, eum falsis testibus accusando, legis injurias objiciendo, ipsum legis conditorem contra legem fecisse mentiebantur : « Nos, inquiunt, legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). » Et cum nullam causam mortis Pilatus in eum invenire potuisset, ac per hoc eum dimittere voluisset, illi omnes e contra una voce clamaverunt : « Crucifige, crucifige! » dicentes. Cumque ille diceret : « Quid enim mali fecit? » (*Ibid.*) illi, nihil habentes quod ei respondere potuissent, non ad interrogata responderunt, sed iterum « Crucifige! » clamaverunt. Et tunc quidem completum est quod modo Dominus ait: « Quia os dolosi et peccatoris super me apertum est. » Dicitis, Judæi, quia legem habetis; quare ergo secundum legem non judicatis? Quare justum et innocentem condemnatis? Quare contra eum qui neque victus, neque confessus est, « Crucifige, crucifige! » clamatis? Sed audiamus quid Dominus dicat :

« Locuti sunt adversus me lingua dolosa, et ser« monibus odii circumdederunt me, et expugnave« runt me gratis. » Quid dicetis ad hæc? Nonne Propheta vester istud prædixit? Non potuit mentiri Spiritus sanctus, qui in eo loquebatur; ipse vestra iniqua consilia, ipse vestros dolos, ipse vestros sermones odii et mendacii plenos, antea per tam multos annos revelavit, et hoc malum tam immensum, quod ad perditionem vestram facturi eratis, manifestavit. Verum est igitur, et negare non potestis, quia locuti estis adversum eum lingua dolosa, lingua fallaci, lingua merito damnanda et flammis perpetuis cruciandа. Verum, inquam, est, et negare non potestis, quia sermonibus eum circumdedistis; et sicut ipse ait, gratis eum odio habuistis, et nullam justam causam contra eum invenire potuistis. Scio quia causam vestram, quamvis iniquam, defenderetis, **536** et sicut semper soliti estis contra veritatem contenderetis et pugnaretis, nisi Propheta vester et Rex vester ista prædixisset, cui contradicere non audetis. Sed iterum quid Dominus dicat, audiamus :

« Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. » Et tu, Domine, quid faciebas? « Ego autem orabam : « posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium « pro dilectione mea. » Hoc est enim, quod per prophetam Dominus ait : « Vinea mea electa, ego te plantavi, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ? » (*Jer.* II, 21.) Et alibi : « Populе meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi? » (*Mich.* VI, 3.) Longum esset si enarrare vellemus quæ et quanta beneficia illi populo iniquo et ingrato Dominus fecerit : « Non sum missus, dicit Dominus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* X, 6). » Magna causa dilectionis est hæc, multum hac pro causa eum diligere debuissent, quod ipsemet pro illis se venisse testatur. Suscitabat mortuos illorum, illuminabat cæcos, curabat paralyticos, mundabat leprosos, sanabat hydropicos. Illi vero e contra quid detrahentes dicebant? « Hic

Digitized by Google

homo non est a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16). » In his igitur et multis aliis illi dotrahebant, cum eum potius plurimum diligere et honorare debuissent. Ipse vero orabat, et pro ipsis suis inimicis atque pro omnibus aliis, ut ejus passio omnibus proficeret ad vitam æternam.

« Constitue super eum peccatorem, et diabolus « stet a dextris ejus. » Dignum est ut peccatores peccatorem suscipiant, et qui noluerunt suscipere Christum Salvatorem, Antichristum suscipiant deceptorem. Stat autem diabolus a dextris hujus populi, quia ipse post se eos trahit, ad sinistram impellit, et ab itinere recto divellit : ostendit eis viam sinistram, dexteram claudit, et eos per illam transire non patitur.

« Cum judicatur, exeat condemnatus. » Hoc erit in judicio, quando simul cum eo quem nunc sequitur mittetur in ignem æternum. « Et oratio ejus fiat « in peccatum. » Quotidie orant Judæi, et psalmos et prophetas legunt, sed omnis eorum oratio in peccatum vertitur eis, quia in hoc ipso Dominum offendunt, quod ejus verba ore impio et polluto dicere præsumunt (794).

« Fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui « inhabitet in ea. » Iste versus in hoc loco superfluus est; et in alia translatione non habetur. Sed fortasse additus est, ut numerus maledictionum conveniret numero denariorum quibus Dominus venditus est (795).

« Fiant dies ejus pauci. » Pauci quidem fuerunt dies, quia post quadraginta duos annos, capta urbe et templo destructo, omnes in captivitatem ducti sunt. Quod si de Juda intelligatur, neque multi, neque pauci fuerunt, quia statim abiens laqueo se suspendit.

« Et episcopatum ejus accipiat alter. » Et Judæ quidem episcopatum accepit Matthias; Synagogam vero suscepit Ecclesia.

« Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. » Quot in illa misera captivitate miseri illius populi orphani, et quot viduæ factæ fuerunt, quis dicere valeat? De Juda autem non legitur quod vel uxorem, vel filios habuisset; sed quia Propheta hoc dicit, dubitari non debet.

« Commoti amoveantur filii ejus, et mendicent, « et ejiciantur de habitationibus suis. » Et hoc ad litteram factum est, quia et commoti, et amoti, et mendici, et pauperes facti, et de suis habitationibus ejecti sunt.

« Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus, « et diripiant alieni omnes labores ejus. » Iste fenerator diabolus est, qui pecuniam suam dedit eis ad mensam, quam sine usura nunquam suscipiet. Usura autem animæ fuerunt; pecunia vero, vitia et peccata. Diripient autem alieni labores ejus, quia quæcunque operati sunt malignorum spirituum erunt.

« Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pu« pillis ejus. » Jam per mille annos, et amplius in captivitate est populus iste, et nullum neque Dei, neque hominis auxilium meruit, ut ad propria remearet, nullusque fuit qui vel ipsis, vel eorum filiis, misericordiam præstaret.

« Fiant nati ejus in interitum, in una generatione « deleatur nomen ejus. » Hoc autem in illa obsidione completum fuit, de qua jam supra diximus. In una vero generatione deletum nomen ejus est, quia transactis quadraginta duobus annis, in quibus una generatio completur, nulla terra postea nominata est regnum Judæorum.

« In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in « conspectu Domini, et peccatum matris ejus non « deleatur. » Hoc est enim quod in Evangelio Dominus ait : « Et veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram (*Matth.* XXIII, 35); » quatenus in eos vindicetur quidquid vel ipsi, vel eorum parentes commiserunt.

« Peccatum matris ejus, » vel peccatum Jerusalem, vel originale peccatum mihi esse videtur quod Eva commisit, omnium viventium mater, quod quidem in nullis aliis deletur, nisi in illis qui Christi sanguine redempti sunt.

537 « Fiant contra Dominum semper, et dispe« reat de terra memoria eorum. » Quid est quod huc usque singulariter locutus, nunc vero pluraliter loquitur, nisi ut intelligamus unum idemque significari, sive singulariter, sive pluraliter ista dicuntur? De illis loquitur qui in malitia perseverantes, nunquam ad pœnitentiam redire volunt. Vult igitur ut isti tales semper Domino contraria operentur, semperque se ipsis deteriores fiant; et sicut scriptum est (*Apoc.* XXII, 11), sordidi sordescant, quatenus majora tormenta patiantur. Dispereat igitur de terra viventium memoria eorum, et in libro vitæ non scribantur. Et hoc, quare?

« Pro eo quod populus iste (796) non est recor« datus facere misericordiam; » qui tot et tantas misericordias a Domino suscepit.

« Et persecutus est hominem pauperem et men« dicum; » seipsum dicit, « qui cum omnium dives « esset, pro nobis pauper factus est (*II Cor.* VIII, « 9); » — « et compunctum corde morti tradidit. » Magnæ crudelitatis est inopi et pauperi, et corde compuncto non parcere. Compunctus corde fuisse Dominus in eo ostenditur quod et pro Lazaro lacrymatus est, et pro civitate Jerusalem, jam adversus eum conspirante, flevisse legitur.

« Et dilexit maledictionem, et veniet ei, et no dit

(794) Quia nimirum nolunt intelligere, atque in sensu alieno per vim interpretantur quæ de Christo Messia præclarissima in Scripturis habentur.

(795) Quamvis maledictio hæc ab aliis interpretibus omittatur, at[illegible] est habere lo[illegible] Hoc enim pertinet ad indolem Hebraicæ poeseos, ut eadem res diversa phrasi ad quamdam efficaciorem significationem exprimatur.

(796) In Psalt. Vatic. desunt hæc verba *populus iste*.

Digitized by Google

« benedictionem, et elongabitur ab eo. » Illum dilexit, cujus os maledictione et amaritudine plenum est et dolo; et illum habere noluit, in quo omnes gentes benedicuntur. Qui igitur benedictionem cum Christo habere noluit, maledictionem habebit cum Antichristo.

« Et induit maledictionem sicut vestimentum, et « intravit sicut aqua interiora ejus, et sicut oleum « in ossibus ejus. » In his verbis ostenditur, quia sic maledictio et intus et extra ei adhæret et conjuncta est, ut ab eo separari non possit. Qua in re cor impœnitens et mentis induratio designatur. Unde et subditur :

« Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut « zona qua semper præcingitur. » In eo enim quod « semper » dicit, conjunctionem inseparabilem ostendit.

« Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Do- « minum, et qui loquuntur mala adversus animam « meam. » Quotidie Judæi male de Christo loquuntur, et nunquam ei detrahere cessant. Unde manifestum est, quia sicut hic dicitur, hoc opus componitur eis, ut omnes hujus psalmi maledictiones veniant super eos.

« Et tu, Domine, Domine, fac mecum misericor- « diam propter nomen tuum, quoniam suavis est « misericordia tua. » Sæpe jam diximus, quia quoties Salvator aliquid petit, et aliqua re indigere videtur, nihil ad divinitatem, sed omnia ad humanitatem referenda sunt. Neque vero ipsa humanitas aliquo indigebat, nisi quantum indigere volebat. Postulat igitur, sed pro nobis, qui membra illius sumus; postulat, ut nos postulare doceat in necessitatibus nostris, qui non armis, sed orationibus pugnare debemus. Fecit igitur Pater misericordiam propter nomen suum, quod invocavit; cujus misericordia suavis est, quia tunc adest quando necessaria est.

« Libera me, quoniam egenus et pauper sum ego. » Egenus quidem et pauper est qui se a suis inimicis defendere non potest. Talis, quantum ad se, erat humanitas Christi; sed quia divinitas sibi conjuncta erat, nihil erat quod ipsa non posset. Simul itaque et pauper et dives erat, et egebat et non egebat.

« Et cor meum conturbatum est in me. » Et hoc quidem ad humanitatem spectat. Quis enim nisi homo, sicut de eo scriptum est, « cœpit tædere et mœstus esse? (*Marc.* XIV, 33.) Fecit humanitas quod suum est, et divinitas quod suum; quia nisi hoc faceret, quis eum hominem esse crederet? Si enim solius divinitatis naturam et potentiam ostendisset, nemo eum hominem esse credidisset (797). Valde ergo nobis necessarium fuit ut has affectiones in se esse Salvator noster ostenderet.

« Sicut umbra, cum declinat, ablatus sum. » Declinante umbra, subito solis splendor aufertur a nobis; ita cæcitatis errorisque tenebris crescentibus, solem justitiæ et veritatis lumen Judæi videre non possunt. « Et excussus sum sicut locusta. » Quasi vastatorem ac deprædatorem, eum a se repellere conati sunt, quia nisi hoc fecissent, et locum et gentem se amittere timebant.

« Genua mea infirmata sunt præ jejunio, et caro « mea immutata est propter oleum. » Genua et caro hoc in loco dicuntur apostoli, qui alibi oculi, pedes, et ossa et fortia quæque vocantur. Et hoc ideo, quia molles et timidi, facile labentes et ad fugiendum parati in Christi passione apparuerunt. Sed non mirum, quia adhuc jejuni erant, et Spiritus sancti plenariam unctionem nondum acceperant; et ideo infirmati sunt et eo relicto fugerunt. Suscepto autem postea Spiritu sancto, quam fortes fuerint, eorum actus testantur. « Et ego factus sum opprobrium illis; » et apostoli, inquit, infirmati sunt, et ego ipse factus sum opprobrium illis. « Viderunt me, et moverunt capita sua. » **538** Viderunt me flagellatum, crucifixum, spinis coronatum, dicentes: « Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum (*Matth.* XXVII, 40). »

« Adjuva me, Domine Deus meus, et salvum me « fac propter misericordiam tuam, ut sciant quia « manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam. » Hoc est enim quod alibi ait (*Joan.* XIX, 11) : Qui non haberent in eum potestatem, nisi desuper datum sibi fuisset. Et Judæi hoc fecerunt, et Dominus hoc fecit; sed Judæi hoc facere non potuissent, nisi Dominus voluisset. Et Dominus quidem hoc propter nos fecit, et propter salutem nostram; Judæi vero propter odium et invidiam suam. Dominus autem hoc fecit, quia, sicut scriptum est : « Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32). »

« Maledicent illi, et tu benedices. » Quotidie Judæi maledicunt; sed eorum maledictiones super eorum capita convertuntur. Non possunt celare malitiam suam, quia omnia ipsorum sacrilegia idem propheta manifestat. Hoc est enim quod Isaac benedicens filium, ait : « Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur (*Gen.* XXVII, 29). » Hinc et alibi scriptum est : « Maledicam benedictionibus vestris, et benedicam maledictionibus vestris. Qui insurgunt in me, confundantur (*Malac.* II, 2). » Confusi sunt enim, quoniam Deus sprevit eos. Sed major eos confusio exspectat, de qua et subditur :

« Induantur qui detrahunt mihi pudore et reve- « rentia, et operiantur sicut diploide confusione « sua. » Qui sunt illi qui detrahunt Salvatori nostro, nisi qui hominem tantum, vel Patre minorem esse dicunt? Isti induuntur non solum confusione,

(797) « Cor ejus, nempe Christi, potuit conturbari, cujus caro pro nobis cognoscebatur exstingui, sicut ipse vicina passione professus est : *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. XXVI, 38. Quæ omnia salutari dispositione narrantur; ut propter hæreticos et perfecta natura hominis in Christo Domino valeat ostendi, et nos quemadmodum supplicemus, possimus edoceri. » CASSIOD.

Digitized by Google

sed duplici cônfusione, temporali scilicet et æterna. Unde et propheta alibi ait : « Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus noster (*Jerem.* XVII, 18). » Hoc enim significatur in diploide, per quam duplex genus vestis intelligitur.

« Confitebor Domino nimis in ore meo, et in me- « dio multorum laudabo eum. » Magnus est enim Dominus, et laudabilis nimis. Sed solus Filius nimis eum laudare potest, cæteri vero neque satis eum laudare possunt. Nimis ergo eum laudat ad aliorum comparationem, quia nemo est qui ad hanc mensuram laudationis contingere valeat. Sed ubi eum laudat? In medio multorum. Quid est in medio multorum? In Ecclesia catholica et per universum mundum diffusa.

« Qui astitit a dextris pauperis, ut salvam face- « ret a persequentibus animam meam. » Stabat divinitas humanitati Christi a dextris, quia ad consolandum stabat, ad dirigendum, ad fovendum, et in omnibus defendendum. Stat præterea Pater Filio a dextris, et Filius Patri sedet a dextris, ut per hoc secundum divinitatem in omnibus similes esse credamus.

PSALMUS CIX.

PSALMUS DAVID.

In hoc psalmo minor David loquitur de majori David, quem Dominum suum esse dicit et Patri æqualem esse ostendit (798).

« Dicit (799) Dominus Domino meo : Sede a dextris « meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pe- « dum tuorum. » Prius continuationem ponamus, et sic postea ad expositionem veniamus. Loquitur autem Pater Filio, ut Propheta testatur in his tribus verbis : « Dicit Dominus Domino meo, Donec ponam, etc., Tecum principium, » Loquitur vero Propheta ad Christum in his duobus versibus : « Virgam virtutis tuæ, » etc., et « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, » etc. Loquitur denique Propheta ad Patrem, « Dominus a dextris tuis, » usque ad finem psalmi. Eodem ergo ordine quo posita sunt nunc exponere incipiamus. Memores esse debemus quod legisperitis in Evangelio Dominus ait : « Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei : David. Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dicit Dominus Domino meo, sede a dextris meis? Quomodo enim Dominum vocat, si filius ejus est? Et non potuerunt, » dicit Evangelista, « respondere ei verbum (*Matth.* XXII, 42, 43). » Hæc quæstio usque hodie apud Judæos indissolubilis manet; neque enim hoc intelligere potest, nisi qui Deum et hominem esse Christum credit. Unde nobis hæc quæstio facillima est, qui Salvatorem nostrum, et secundum divinitatem Dominum David, et secundum humanitatem filium esse David non dubitamus. Et hoc est quod ait : Dicit Dominus Pater Domino meo Filio suo, sede a dextris meis. Sedere autem cum Deo in una sede, et a dextris sedere, æqualitatem significat. Judæi vero neque Deum esse, neque Deo æqualem, neque in cœlum ascendisse, neque simùl in eadem sede a dextris ejus eum sedere credunt. Et ab hac quidem infidelitate sua non prius recedent, donec ponantur scabellum pedum ejus. Hoc autem erit in judicio, quando, in sua majestate eum videntes, et Deum et hominem certissime esse cognoscent. Probat ergo Propheta ab auctoritate ipsiusque Patris quia Filius æqualis est Patri, et quia sedet et sedebit ad dexteram Patris, donec inimici ejus fiant scabellum pedum ejus. Postquam **539** autem hoc fuerit, jam ulterius hoc Prophetæ testimonium non erit necessarium, quia ita esse omnes videbunt.

« Tecum principium in die virtutis tuæ, in splen- « doribus sanctorum. » Et hoc, inquit Propheta, dicit Dominus Domino meo, quia ipse simul cum eo omnium creaturarum principium est (800). Qua in re nihilominus Patri æqualis esse ostenditur. Quod autem ipse principium sit, et ad Patris dexteram sedeat, in die virtutis suæ, et in splendoribus sanctorum, cunctis gentibus revelabitur. Dies virtutis suæ ille erit, quando simul cum sanctis suis in splendore majestatis suæ mundum judicaturus se revelabit. Tunc enim illum splendorem suscipient sancti, de quo dicitur : « Fulgebunt justi sicut sol in regno Dei (*Sap.* III, 7). »

« Ex utero ante luciferum genui te. » Et hoc similiter, ait Propheta, dicit Dominus Domino meo, quia genui te. Unde? « Ex utero. » Quando? « Ante « luciferum. » Nullum tempus ostenditur, quando ante luciferum dicitur, quia in infinitum ascenditur. Sed quid est ante luciferum, nisi antequam dici, vel intelligi, vel cogitari possit? Luciferum namque mihi est quidquid mihi obscurum aliquid ostendit et intelligere facit. Inde enim dicitur luciferum, eo quod lucem ferat. Est igitur Dominus ante luciferum genitus, id est antequam mente recipere valeamus. Quod enim tempore non concluditur, humana mente concipi non potest (801). Sed quid est quod ait : « Ex utero? » Deus enim neque

(798) Videtur Cassiodoro « hic psalmus quidam sol fidei nostræ, speculum cœlestis arcani, armarium sanctarum Scripturarum; ubi totum summatim dicitur quod utriusque Testamenti prædicatione narratur. »

(799) In Psalt. Vat. sicut in Vulgata habetur *dixit*, ita apud S. Aug.

(800) Profundius disserit in hunc locum S. August. « Cum sit principium et Pater, de quo unigenitus Filius, in quo principio erat Verbum, quia Verbum erat apud Deum. Quid ergo si et Pater principium, et Filius principium, duo principia? Absit. Sicut enim Pater Deus, et Filius Deus, Pater autem et Filius non sunt duo dii, sed unus Deus : sic Pater principium, et Filius principium, Pater autem et Filius non duo, sed unum principium. »

(801) « Ut ostenderet incomprehensibile nescio quid, dicit prius esse genitum, antequam illud existeret quod solet venturum diem sæculo nuntiare. Non enim potest principium ejus comprehendi a quo cuncta creata sunt. » Cassiod.

Digitized by Google

cor, neque uterum habet, neque ulla partium divisio in illo est, qui semper et totus est hoc quod est. Quod igitur ait : « Ex utero ante luciferum genui te, » tale est ac si diceret : Ex meipso ante omnem creaturam, et antequam dici et excogitari valeat, genui te (802). Huc usque Pater ad Filium ; nunc autem Propheta similiter ad ipsum Filium.

« Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. » — « Ex Sion, dicit Scriptura, exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* II, 3). » Virga igitur virtutis Domini, lex, et verbum ejus, et evangelica prædicatio est, qua omnes gentes reguntur et corriguntur. Hoc autem de Jerusalem tunc exivit, quando suis discipulis Dominus ait : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15). » — « Dominaberis in medio inimicorum tuorum. » Omnes Judæi et gentiles usque ad id temporis, ejus inimici erant, inter quos modo Dominus dominatur, et virgam, sceptrum et imperium tenet.

« Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es « sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » Quid est enim juravit, nisi statuit firmum, atque firmavit? Omnis sermo Dei et omnis dispositio ejus testamentum est. Non autem pœnitebit eum, quia ipse est in quo sibi plene complacuit. « Tu es, inquit, sacerdos in æternum, » secundum hoc quod Apostolus ait : « Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium (*Hebr.* VII, 24) : » non secundum ordinem Aaron, qui jam destructus est, sed secundum ordinem Melchisedech, cujus generatio, sicut scriptum est, neque initium dierum, neque finem habet. Sacrificium Melchisedech panis et vinum fuit, in quibus Christi corpus et sanguis significabatur (803). Magnus sacerdos magnum sacrificium fecit, in quo universum mundum Deo Patri reconciliavit. Huc usque Propheta ad Filium, nunc vero ad Patrem loquitur dicens :

« Dominus a dextris tuis (804), confringet in die « iræ suæ reges. » Filius, inquit, tuus, Dominus meus, quem superius a dextris tuis sedere dixisti, confringet in die iræ suæ reges. Hic est enim ille lapis abscissus de monte sine manibus, qui in Daniele illam statuam comminuit, per quam omnia regna mundi significabantur (*Daniel.* II, 34). Hæc autem magna confractio erit in judicio, quando dicetur adversariis potestatibus : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). » Unde et subditur :

« Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum (805). » **540** Tunc enim judicabit Dominus omnes gentes, tunc adimplebit ruinas; quia post illam ruinam nulla unquam amplius ruina fiet. Tunc multa capita conquassabit, multos elatos divites et superbos humiliabit. Et hoc in terra copiosa, imo copiosissima. Ibi enim erunt omnes angeli, et boni et mali; ibi erunt omnes homines, quicunque fuerunt, et sunt, et erunt; ibi erit et ipse judex omnium Dominus, et Salvator noster, qui judicabit populos in æquitate, et gentes in ira sua. Qui quoniam « de torrente in via « bibit, propterea exaltavit caput. » Per triginta et amplius annos Salvator noster, sicut cæteri homines, in via fuit, ad mortem festinavit, de torrente bibit, humanas miserias et passiones sustinuit, et propterea exaltavit caput. Neque enim aliter exaltari potuisset, qui secundum divinitatem altissimus est, et ubi amplius exaltari possit, nihil est.

PSALMUS CX.

ALLELUIA.

Laudate, inquit, Dominum. Hoc solum nobis sufficit, laudare, prædicare et benedicere Dominum.

« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in « consilio justorum et congregatione. Magna opera « Domini exquisita in omnes voluntates ejus. Con« fessio, et magnificentia opus ejus, et justitia ejus « manet in sæculum sæculi. » Docet nos Propheta qualiter Deum laudare et prædicare debeamus, dum dicit : « in toto corde meo. » Sic enim ipse Dominus ait : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis (*Matth.* XXII, 37). » Qui enim ita eum diligit, ille eum laudat in toto corde suo, tametsi taceat, et lingua non moveatur. Sed ubi eum laudare debemus? « In consilio justorum et congregatione. » In Ecclesia itaque laudandus est Dominus, quia ibi solummodo est consilium et congregatio sanctorum (806). Noli simul laudare cum illis qui extra Ecclesiam sunt, quia nulla communicatio Christi ad

(802) Ex utero. « Ex secreto, ex occulto, de meipso, de substantia mea; hoc est *ex utero*; quia generationem ejus quis enarrabit? » S. Aug. Inferius autem docet idem S. doctor hoc prophetice dictum intelligi posse de utero virginali Mariæ. Inquit : « Si enim illa Virgo ducens propaginem de carne David, ex illo utero natus Christus, tanquam ex utero genitus a David. *Ex utero*, quo masculus non accessit. *Ex utero* prorsus, proprie *ex utero*, quia solus ex solo utero. Ergo *ex utero*, inquit ille, qui eum Dominum suum dixerat. *Ex utero ante luciferum genui te*, et hoc ipsum *ante luciferum* signate dictum, et proprie dictum, et sic impletum. Noctu enim natus est Dominus de utero Virginis Mariæ, » etc.

(803) S. Augustini præclaram illustrationem non præteribo. « Nam secundum id quod natus est de Patre Deus, coæternus gignenti, non sacerdos; sed sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam, quam nobis offerret, pro nobis acceptam. »

(804) « Quod Pater dicitur fecisse, hoc et Filium et Spiritum constat operatum. Illud autem movere potest, cum in Psalmi hujus initio Pater dixerit Filio : *Sede a dextris meis*; nunc iterum Propheta dicit a dextris Filii, Patris operatam esse virtutem. Quod ideo dictum est, ut, cum hæc vicissitudo æqualis ponitur, majus hic aut minus aliquid nullo modo sentiatur. » Cassiod.

(805) Cassiodorus legit *conquassabit capita in terra copiosa*. Super quæ ait : « Terram vero copiosam dicit, quæ peccatores abundantes enutrit, quasi messem germenque vitiorum. »

(806) Non intelligendus hic S. Bruno, ut dicat Ecclesiam solum ex justis constare, cum alibi in ea peccatores esse fateatur, sed eam congregationem

Digitized by Google

Belial (*II Cor.* VI, 15), nulla pars fideli cum infideli. Unde et propheta ait : « Exite de medio eorum, et immundum ne tetigeritis (*Isa.* LII, 11). »

« Magna opera Domini, exquisita. » Præcepit laudare; dixit quomodo; dixit ubi : nunc autem dat materiam, qua eum laudare debeamus. Opera illius materia sunt, in quibus ejus laudes inveniuntur, si tamen bene exquisita fuerint. Non solum in majoribus operibus suis, sed in minoribus quoque magnus et laudabilis est Dominus Deus noster. Non longe petamus exempla, dicamus cum eodem Propheta : « Mirabilis facta est scientia tua ex me (*Psal.* CXXXVIII, 6). » Sed et Apostolus ait : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI, 33)! » Magna igitur sunt opera Domini, sed exquisita.

« In omnes voluntates ejus confessio, et magnificentia. » Si quæris, quasi dicat, voluntatem ejus, et si vis scire quid Dominus requirat a nobis, scias quia in omnes voluntates ejus conveniunt simul confessio et magnificentia : hoc enim significat titulus hujus psalmi, id est, « laudate Dominum. »

« Opus ejus, et justitia ejus manet in sæculum « sæculi (807). » Nunquam igitur etiam in malis ex toto peribit creatura Dei; justitia vero non esset æterna, si vel electi præmiis, vel damnati carerent suppliciis. Dixerat superius : « Magna opera Domini, exquisita; » nunc autem magna esse ostendit in eo quod in sæculum sæculi mansura ostendit. Neque vacat quod prius pluraliter opera, postea vero singulariter opus dicat, quia omnia in eo unum sunt, quod bona sunt.

« Memoriam fecit mirabilium suorum misericors « et miserator Dominus, escam dedit timentibus « se. » Quæ superius opera dixerat, nunc mirabilia vocat. Et hoc **541** merito, quia nihil fecit Deus, quod mirabile non sit. Horum igitur, sive operum, sive mirabilium placuit Deo memoriam facere, ne forte vetustate oblivioni traderentur. Memoriam vero, litteras, et scientiam dicit, quæ in Novo vel Veteri Testamento continentur. Voluit igitur Deus, ut Scripturæ fierent, ut sacra volumina scriberentur, ad suorum operum recordationem. Hanc autem memoriam et hunc cibum spiritualem dedit escam timentibus se. Dominus ait : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei (*Matth.* IV, 4). » Esca igitur sunt verba Dei (808), siquidem de illis hominibus vivunt.

« Memor erit in sæculum Testamenti sui, virtu- « tem operum suorum annuntiabit popu'o suo, ut « det illis hæreditatem gentium. » Memor erit Dominus in sæculum Testamenti sui, quia, sicut promisit et Testamento confirmavit, ita fecit populo suo. Cui videlicet populo virtutem operum suorum annuntiavit, et quanta virtus sit in operibus suis intelligere fecit. Hanc enim virtutem habent opera Dei, ut ea facientibus vitam possint præstare æternam; unde et subditur : « Ut det illis hæreditatem, gentium (809). » Gentium autem hæreditatem, cœlestem Jerusalem intelligimus, de qua ille superbus cum tota gente sua expulsus est.

« Opera manuum ejus veritas et judicium. » Ipsum igitur imitari debemus, ut nostra quoque opera vera et justa sint, quibus, ut modo audivimus, virtutem operum suorum annuntiare et revelare dignatus est. « Fidelia omnia mandata ejus, confirmata « in sæculum sæculi. » Et fidelia quidem sunt, et ab omnibus, qui nos præcesserunt, confirmata et corroborata, et quicunque ea custodierint, beati erunt. « Facta in veritate et æquitate; » quia nihil falsum, nihil iniquum, vel impossibile in eis invenitur. « Jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve (*Matth.* XI, 30). »

« Redemptionem misit populo suo. » Et quam redemptionem, nisi sanguinem Filii sui? Unde et Apostolus ait : « Empti enim estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI, 20). » — « Mandavit in æternum Testa- « mentum suum. » Mandavit, inquit, Dominus, firmiterque præcepit, ut Testamentum suum, Testamentum confirmatum sanguine Filii sui maneat in æternum. Unde et superiori psalmo dicitur : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » — « Sanctum et terribile nomen ejus. » Sanctum bonis, terribile malis; imo sanctum et terribile bonis et malis, quia et boni et mali venerari illud et timere debent. Hoc nomine sanctificantur omnia; in hoc nomine pelluntur dæmonia; qui hoc nomen non

sanctorum vocat, vel quod ipsa per se sancta est, vel quia facit sanctos. Aut cum Cassiodorio dici potest futura Ecclesia consilium justorum, quando beati cum Domino resurrectionis tempore judicabunt. Sed prior interpretatio magis consona est contextui S. Brunonis, qui hanc justorum congregationem statim opponit illis qui sunt extra Ecclesiam, hæreticis nempe et infidelibus. Noverat autem sanctus Bruno Christianos omnes ex eo quod Christiani sint, sanctos appellari a scriptoribus N. T., nempe ob rationes initio a nobis indicatas.

(807) His in expositionibus aliter connectit sanctus Bruno verba Prophetæ ac sese exhibent, et illustrantur a S. Augustin. Ita S. Doctor : « *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus;* per quas nullum confitentem deserat misericordia, nullius sit iniquitas impunita; quando flagellat etiam omnem filium, quem recipit. Sed si justus vix salvatur, peccator et impius ubi parebunt? *Confessio, et magnificentia opus ejus.* Quid magnificentius, quam justificare impium? Sed opus fortasse hominis prævenit istam magnificentiam Dei, ut cum fuerit peccata confessus, justificari mereatur... Hæc magnificentia Domini, justificatio peccatoris. »

(808) « Quod dixit : *escam dedit timentibus se,* significat utique spiritualem cibum. Quis enim escam communem putet fidelibus ad præmium datam, quæ et peccatoribus passim cognoscitur attributa? » Cassiod.

(809) « Aperuit enim causam quare virtutem operum suorum annuntiabit populo suo : scilicet ut daret eis hæreditatem gentium ipsa enim intentio fuit miraculorum, ut crederent, et præmia compromissa credentes acciperent. » Cassiod.

Digitized by Google

timet, stultus et fatuus est; qui vero hoc timet, sapiens est. Unde et subditur.

« Initium sapientiæ timor Domini. » Recte dicitur quia stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi (*I Cor.* I, 20). « Intellectus bonus. » Sed quibus est bonus? « Omnibus facientibus eum. » Bene dicit, et bene intelligit, qui dicit : « Initium sapientiæ timor Domini; » si tamen facit quod intelligit, ut timeat Dominum. Hinc est enim quod alibi dicitur : « Time Deum, et observa mandata ejus, hoc est omnis homo (*Eccli.* XII, 14). »

« Laudatio ejus manet in sæculum sæculi. » Laudatio, inquit, ejus qui ita intelligit et ita timet Dominum manet in sæculum sæculi, quia illi soli laudandi sunt qui bene intelligunt et bene agunt.

542 PSALMUS CXI.

ALLELUIA CONVERSIONIS AGGÆI ET ZACHARIÆ (810).

Præcipit Propheta ut laudemus Dominum de conversione Aggæi et Zachariæ, qui post longam captivitatem in patriam reversi sunt. Aggæus *festivus*, Zacharias *memoria Domini* interpretatur. Significant autem illos qui, festive et solemniter viventes, opus servile facere fugiunt, semperque Deum in memoria habentes, eum laudare et benedicere non cessant, donec de hujus mundi captivitate ad supernam patriam transferantur. Et de talibus quidem in hoc psalmo loquitur Propheta.

« Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis « ejus cupit nimis. » Verum est itaque quia initium sapientiæ est timor Domini, siquidem beatus est qui Dominum timet. De timore dilectionis loquitur, quia alius timor non valet ad beatitudinem. Nam et dæmones eum timent, sed talis timor non beatitudinem, sed pœnam habet. Qui vero casto amore timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. Bene autem dixit, nimis, quia non tantum potest in mandatis ejus servire et obedire, sed quantum ei servire et obedire desiderat.

« Potens in terra erit semen ejus. » Et hoc quidem ad beatitudinem spectat. Semen ejus illi sunt qui eum imitantur. Terra vero, qui alia, nisi terra viventium intelligitur? Ibi igitur potentes erunt, qui viri hujus imitatione filii erunt. Unde et subditur :

« Generatio rectorum benedicetur (811); » illa videlicet benedictione qua Dominus in judicio dicturus est : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34). »

« Gloria et divitiæ in domo ejus. » — « In domo Patris mei, dicit Dominus, mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2). » — « Stella ibi differt a stella in claritate (*I Cor.* XV, 41). » Sed in quacunque illarum domo beatus vir et justus fuerit, gloriam et divitias habebit. « Et justitia ejus manet in sæcu- « lum sæculi. » Si justus æternus est, et justitia æterna erit, neque, manente justo, poterit perire justitia.

« Exortum est in tenebris lumen rectis corde. » Et quod lumen? « Misericors, et miserator, et justus « Dominus. » Ex hoc igitur lumine omnia quæ dicta sunt, et quare dicenda sunt, habent illi qui recto sunt corde, quia Christi nativitas aliis non profuit nisi illis qui recto corde eum sequuntur et in eum credunt.

« Jucundus homo qui miseretur et commodat. » Homo, inquit, qui miseretur et commodat, sive spiritualem sive temporalem substantiam largitur, festivus, jucundus et hilaris esse debet. Quia, ut Apostolus ait : « Hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX, 7). » Itemque : « Qui miseretur in hilaritate (*Rom.* XII, 8). » Et iste quidem versus specialiter Aggæo pertinere videtur, qui *festivus* interpretatur, cæterisque omnibus qui per eum significantur.

« Disponet sermones suos in judicio, quia in « æternum non commovebitur. » Iste, inquit, vir disponet sermones suos in judicio, quia, priusquam loquitur, omnia verba sua judicabit; et cum tanta gravitate loquetur, ut putes eum in judicio sententiam dare. Et hoc est quod ait : « Quia in æternum non commovebitur; » neque in aliam partem a veritate flectetur. Tales fuerunt sancti apostoli, tales esse debent Ecclesiæ rectores.

« In memoria æterna erit justus. » Similiter autem et iste versus ad Zachariam pertinet, qui *memoria Domini* interpretatur, et ad alios qui per eum significantur; qui, quoniam semper Domini *memores* fuerunt, ipsi quoque in Domini memoria semper erunt. « Et isti quidem ab auditu malo non timebunt, » quem illi audituri sunt, quibus in judicio dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 33). »

« Paratum est cor ejus sperare in Domino, 543 « confirmatum est cor ejus; non commovebitur, « donec videat inimicos suos. » Ideo, inquit, non timebit justus, quia paratum est cor ejus spe a e in Domino. « Spes autem, ut ait Apostolus, non confundit (*Rom.* V, 5). » Unde vir justus alibi dicit : « In te, Domine, speravi, non confundar in æternum (812). » Ille autem habet cor paratum ad spem qui sic Domino servit, ut merito sperare debeat.

(810) Titulus huic psalmo appositus convenit cum eo qui legitur apud Augustinum : « *Conversio*, inquit, *Aggæi et Zachariæ;* sed alia est expositio quæ ita se habet. Nondum erant hi prophetæ, cum ista cantata sunt. Namque inter tempus David et transmigrationem populi Israel in Babyloniam, quatuordecim generationes numerantur, sicut divina Scriptura, maximeque Matthæus evangelista testatur : eversi autem templi renovatio, secundum S. Jeremiæ prophetiam, ex illa transmigratione post septuaginta annos sperabatur : qui cum complerentur sub Dario, rege Babylonis, impleti sunt Spiritu sancto hi duo prophetæ, Aggæus et Zacharias, et ambo post invicem intra unum annum prophetare cœperunt, quod ad renovationem templi, sicut tanto ante prædictum est, pertinere videtur. »

(811) « *Generatio* autem *rectorum* benedicitur, non ista carnis, sed illa quæ imitatione justorum per similitudinem operum noscitur esse propagata. » Cassiod.

(812) Hym. Ambros. in fine

Digitized by Google

Unde et subditur : « Confirmatum est cor ejus; » in spe videlicet et dilectione. Et inde non commovebitur, donec videat inimicos suos. Quid est donec videat inimicos suos ? Donec ad judicium veniat, ubi inimicos suos ab auditu malo timere conspiciat.

« Dispersit, dedit pauperibus. » Hæc est summa perfectionis, sicut in Evangelio Dominus ait : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* XIX, 21). » Quod qui ita fecit, ideo securus est; unde et subditur : « Justitia ejus « manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur « in gloria. » Et ipse quidem, et justitia ejus, et virtus, et potentia ejus, quæ per cornu significantur, semper erunt, et non solum semper erunt, sed super cœlos exaltata semper in gloria erunt.

« Peccator videbit, et irascetur. » Hanc, inquit, justi exaltationem videbit peccator, per quem diabolus intelligitur et irascetur. « Dentibus suis fre« met, et tabescet. » Per motum exteriorem interior malitia designatur, et quantum de sanctorum salute diabolus doleat, in eo ostenditur quod irasci et dentibus fremere describitur. Et tunc quidem « de« siderium peccatorum peribit; » sive quod maligni spiritus habebunt de bonorum perditione, sive quod iniqui homines habebunt de illorum liberatione. Non erit ulterius locus, neque bonis ut timeant mala, neque malis, ut sperent bona.

PSALMUS CXII.

ALLELUIA.

Quid significet Alleluia, sæpe jam diximus. Neque vult Propheta, ut a Dei laudibus cessemus, qui toties Deum laudare præcepit.

« Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Do« mini. » Pueri a puritate dicuntur. Isti sunt illi pueri de quibus dicitur : « Quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem (*II Petr.* II, 2). » Non est enim pretiosa laus in ore peccatoris. « Peccatori enim dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas? » (*Psal.* XLIX, 16.) Vos igitur puri et pueri, laudate Dominum, laudate nomen Domini. Quid est laudare nomen Domini? aut quod est nomen Domini? Audi quid per prophetam Dominus dicat : « Ego Dominus, hoc est nomen meum ! gloriam meam alteri non dabo (*Isa.* XLII, 8). » Hoc nomen totius Trinitatis est, quia et Pater Dominus, et Filius Dominus, et Spiritus sanctus Dominus, non tres tamen domini, sed unus est Dominus. Hoc nomen proprium illius est, qui omnium Dominus est, et qui nullum habet Dominum. Nullus enim alius est qui omnium Dominus sit, et qui Dominum non habeat. Hoc autem nomen illi laudant, qui se servos esse cognoscunt. Quid est igitur laudate nomen Domini, nisi cognoscite et confitemini vos esse servos? Qui enim aliter agit, nomen Domini negat et damnat. Confiteri autem non tantum voce, quantum opere debemus, ut ei sicut pio Domino fideliter serviamus.

« Sit nomen Domini benedictum. » Laudate, inquit, et dicite : « Sit nomen Domini benedictum. » Ex quo et usque quo? « Ex hoc nunc, et usque in « sæculum. » Quid est « ex hoc nunc? » Ex hoc præsenti tempore, quia nunc præsens tempus significat. « Et usque in sæculum, » quid est? Usque in principium et usque in finem; quia ante principium nullum sæculum est, et post finem, nullum. Ecce, quasi dicat, audivimus ex quo et usque quo : sed a quo loco et usque ad quem laudare debemus

« A solis ortu usque ad occasum laudate nomen « Domini. » Nam et isti termini boni sunt, quia ultra procedere non valemus. Ite igitur, prædicatores, et laudate Dominum a solis ortu et occasu et de omnibus eum laudate, quæcunque facta sunt a mundi initio, et quæcunque fient usque in finem. Et altissime eum laudate, quoniam Altissimus est. Hoc est enim, quod ait :

« Excelsus super omnes gentes Dominus, et super « cœlos gloria ejus. » Super omnes gentes excelsus est Dominus, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra sunt; in cœlo angeli, in terra homines, sed ipse super omnes est, et omnium Dominus. « Et super cœlos gloria ejus. » Magna, quasi dicat, gloria sibi in hoc mundo est, sed, ad comparationem illius gloriæ quæ super cœlos est, ista gloria nulla est.

« Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis « habitat, et humilia respicit, et alta a longe co« gnoscit? » Ex quanto mentis affectu et ex quanto cordis amore et desiderio hæc verba procedunt! Quantum 544 eum diligit, tantum in ejus laudibus delectatur. Sed notandum quia in altis habitat Dominus, quamvis sola humilia diligat, humilia respicit in cœlo, et humilia in terra respicit (813); quia hic et ibi sola humilia diligit. Superbos inde dejecit, qui quotidie superbos humiliat, et exaltat humiles. Sed quid est in altis? In cœlis, in angelis, in apostolis, in Christianis. Nam et Christiani satis alti sunt, quia, quicunque Christiani non sunt, sub eis sunt.

(813) Videtur hic S. Bruno respexisse ad vulgatam lectionem : *qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo, et in terra.* Qui quidem versus si explicetur juxta indolem Hæbraicæ syntaxeos, pulcherrimus sane apparebit. Est ergo observandum quod, juxta syntaxim Hebraicæ linguæ, quando de duabus rebus indicantur proprietates, solent exponi decussatim, ut aiunt. Sic ubi dicitur : *Nigra sum sed formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis* (*Cant.* I, 4); Hoc ita accipiendum est : *Nigra sum sicut tabernacula Cedar, sed formosa sicut pelles Salomonis*, qua de re consulendi sunt eruditiores interpretes. Ergo et versiculus ille : *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra*, ita dispertiendus est : *Quis sicut Dominus, qui in altis habitat, in cœlo; quis, sicut Deus noster, qui humilia respicit in terra;* ex quo intelligimus Deum respicere humilia non in cœlo, sed in terra : quod sane magis rationi consentaneum est, cum præsertim verbum *respicere* in sacris litteris in partem favorabilem accipiatur, pro *diligere*. Quod quidem ex sequentibus psalmi versiculis mirifice confirmatur; dicitur enim : *suscitans a terra inopem*, etc.

Digitized by Google

« Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus « populi sui. » Ecce quomodo respicit Dominus humilia in cœlo et in terra : solos humiles respicit in cœlo, quia alii ibi non sunt ; solos humiles trahit in cœlum, quia alii ibi esse non possunt. Et considera quanta sit Dei omnipotentis misericordia : inopes et pauperes sunt isti quos de terra suscipit, et de stercore et putredine suscitat et resuscitat, et cum principibus populi sui in cœlestibus collocat.

« Qui habitare facit sterilem in domo. » Non jam sterilem, sed matrem, et fecundissimam matrem multorumque filiorum lætantem. Hæc est illa sterilis de qua scriptum est : « Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum (*Galat.* IV, 27). » Filii hujus sterilis sunt isti pueri qui in hoc psalmo Dominum laudant. Hæc autem habitat in illa domo, imo ipsa est modo domina et regina illius domus, in qua Synagoga et gentilitas habitabat. Possumus autem per hanc domum cœlestem patriam intelligere, in qua cum tota sua progenie mater Ecclesia habitabit.

PSALMUS CXIII.

ALLELUIA, ALLELUIA.

Quid significet Alleluia, et sæpe dictum est et sæpe dicendum. Significat enim *laudate Dominum.* Quod quidem Propheta non toties dixisset, nisi valde necessarium esse cognovisset. Hoc sit igitur opus Ecclesiæ, in hoc opere delectetur, et die noctequeC jucundetur.

« In exitu Israel ex Ægypto, domus Jacob de po« pulo barbaro. Facta est Judæa sanctificatio ejus, « Israel potestas ejus, Israel regnavit in ea (814). » Sub figura Israelitici populi Christianum populum Propheta describit de diaboli potestate et hujus mundi tenebris liberatum (815). Israel vero et Jacob idem significant. Quando, inquit, Israel, id est Christianus populus, qui Deum cognoscit et videt, exivit de terra Ægypti, id est de hujus mundi tenebris et erroribus. Et quando domus Jacob, per quam idem ipse populus significatur, exivit de populo barbaro, per quem malignorum spirituum et vitiorum exercitus intelligitur, tunc facta est sanctificatio ejus. Cujus ejus? illius quem in titulo psalmi Dlaudare jubemur, ubi dicitur: « Laudate Dominum. » Judæa, quæ *confessio* interpretatur, Ecclesia est, quæ etiam inter ipsa tormenta Dominum confiteri et laudare non cessat. Hæc autem facta est confessio ejus, quia hanc solam ipse sanctificavit, et ab omni vitiorum contagione mundavit. Similiter autem et Israel factus est potestas ejus, quia ipse in populo Christiano regnum tenet, imperium et potestatem. Quod autem sequitur : « Israel regnabit in ea, » in alia translatione non habetur. Possumus autem per Israel, Salvatorem nostrum intelligere, qui de seipso ait : « Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Luc.* x, 22). » Interpretatur enim Israel *vir videns Deum.* Per istos autem qui prius de Ægypto exisse dicuntur, apostolos intelligimus cæterosque qui in primitiva Ecclesia fuerunt, per quos postea totus mundus ad fidem Christi conversus est. Unde et subditur :

545 « Mare vidit, et fugit; Jordanis conversus « est retrorsum. » De hoc mari alibi dicitur : Hoc mare magnum et spatiosum, per quod mundus iste significatur. Hoc igitur mare vidit apostolos, aliosque prædicatores ad se venientes, et fugit. Quid est fugit, nisi locum eis concessit, et ad transeundum viam aperuit? Talis fuga bona est, quæ non odio, sed obsequio fit. Qui ita fugiunt, non resistere, sed obedire parati sunt. Per Jordanem vero populus baptizatus designatur, qui prius quidem præceps ad inferiora ruebat, sed, Christi fide suscepta, ad superiora redire et ad cœlos conscendere cœpit.

« Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut « agni ovium. » Montes et colles divites et potentes designant. Et isti quidem, videntes signa et mirabilia quæ per apostolos fiebant, protinus ad fidem conversi tanto gaudio exsultaverunt, ut arietes et agnos esse non dubitares, per quos omnes et prælati et subjecti Ecclesiæ significantur, ac per hoc de ovibus Christi esse monstrantur, quia simul cum aliis eadem spirituali lætitia gratulantur. Et bene quidem prius mare, postea vero montes et colles posuit : quia prius minores, postea vero majores credere cœperunt. Unde Apostolus ait : « Videte vocationem vestram, fratres, quia non *multi potentes*, non multi nobiles inter vos, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confunderet fortia (*II Cor.* I, 26). »

« Quid est tibi, mare, quod fugisti : et tu Jordanis, « quia reversus es retrorsum? » Montes, quare exsultastis sicut arietes, et colles, velut agni ovium? Hæc tanta admiratio ex magna lætitia procedit. Lætatur enim Propheta quod undique totum mundum convertere videt. « Quid est, inquit, tibi, mare, quod Dfugisti, et vos, montes, quare exsultastis? » Non est hoc ex vobis. Ex Deo est hæc fuga, et hæc exsultatio. Hoc est enim quod ait :

« A facie Domini commota est terra, a facie Dei « Jacob. » Quid est enim a facie Domini? A cognitione veritatis. Nisi enim Deum vidissent, et cognovissent veritatem, hanc commotionem tam magnam homines non fecissent (816). Hinc est Deus Jacob,

(814) Hæc verba in Vulgata desunt.

(815) « Hic exitum illum debemus accipere, quando nos a peccatorum vinculis contigit exire. Tunc enim ab Ægyptiorum, id est a dæmonum turba liberamur, quando barbaricæ severitatis illius jura non patimur; et vere reddimur Israelitæ, cum pompæ hujus mundi a nostra cœperint mente discedere. » Cassiod.

(816) « Audite, conversi, audite, fidelissimi Christiani, commotionem istam; id est permutationem, quæ humanæ terræ feliciter evenit, non factam tremore montium, sed prospera conversione populorum. » Cassiod.

Digitized by Google

qui populum suum tam subito docuit diabolum fugere, et vitia supplantare.

« Qui convertit solidam petram in stagnum aquæ « et rupes in fontes aquarum. » Hic est, inquit, verus Deus, qui de sola petra aquam producit, et de siccis rupibus fontes manare facit. Et de petra quidem dicit Apostolus : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* x, 4). » Rupes vero apostolos, et doctores designant. De quibus sitienti populo fontes producit salientes in vitam æternam.

« Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da « gloriam. » Se inter alios prophetas connumerat, quia et ipse rupes est, de qua non modici fontes erumpunt. Hæc, inquit, gloria tua est; isti fontes aquarum tui sunt, non est nostrum quod facimus, quia non a nobis facimus (817). « Non nobis, igitur, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Labor noster sit gloria tua ; sciant omnes quia sine te nihil facere valemus. Hoc autem rogamus, ut facias ex sola misericordia et veritate tua, quia sic te facere promisisti. Et hoc est quod ait :

« Super misericordia et veritate tua, ne quando « dicant gentes : Ubi est Deus eorum ? » Nunquam hoc gentes dicere præsumant; quod si dixerint, sciant quia Deus noster ubique est, et in cœlo et in terra est, et quidquid vult ubique operatur (818). Hoc est quod sequitur :

« Deus autem noster in cœlo, sursum in cœlo, et « in terra omnia quæcunque voluit, fecit. » Cæteri vero dii quid faciunt ? vel quid sunt ? Nihil faciunt, et nihil sunt. Si tamen vis audire quod sunt, ut per hoc intelligas quia qui hoc sunt, dii non sunt; audi quod sequitur :

« Simulacra gentium, argentum et aurum, opera « manuum hominum. Os habent, et non loquentur; « oculos habent, et non videbunt; aures habent, et « non audient ; nares habent, et non odorabunt; « manus habent, et non palpabunt : pedes habent, « et non ambulabunt, non clamabunt in gutture « suo; neque enim est spiritus in ore ipsorum. » Satis probatum est quoniam, qui tales sunt, dii non sunt. « Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes « qui confidunt in eis. » Non contra illos, sed pro illis orare videtur, quia et aurum bonum est, et argentum bonum est, et nihil faciunt, vel facere possunt.

« Domus Israel speravit in Domino, adjutor eo- « rum et protector eorum est. » Per hos autem patriarchas, et prophetas et apostolos intelligamus, qui pleni Spiritu sancto præ cæteris Deum videre et intelligere meruerunt. Isti autem in Domino speraverunt et sperata susceperunt.

« Domus Aaron speravit in Domino, adjutor eorum et protector eorum est. » Isti sunt episcopi, sacerdotes cæterique omnes qui in clericali ordine Domino serviunt.

« Qui timent Dominum sperent in Domino, **546** « adjutor eorum et protector eorum est. » Tota Ecclesia in his tribus versibus continetur, et omnibus, qui in ea sunt adjutor et protector factus est Dominus. Unde et subditur :

« Dominus memor fuit nostri, et benedixit nos. » Si nostri memor non fuisset, Filium suum ad nos redimendum et benedicendum non misisset. Ipse est enim de quo scriptum est : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* xxii, 18). » Dominus igitur benedixit nos. Sed quæris fortasse quos ? Benedixit domum Israel, benedixit domum Aaron, benedixit omnes timentes se Dominus, pusillos cum majoribus; nullus relictus est; omnes benedicti sunt, si tamen de domo Israel, vel de domo Aaron, Deum timentibus, sunt.

« Adjiciat Dominus super vos et super filios ve- « stros. » Adjiciat, inquit, Dominus Pater ea quæ dicta sunt, super vos, et super filios et imitatores vestros omnem benedictionem et bonorum operum sanctificationem (819).

« Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et ter- « ram. » Et cœlum fecit Dominus et terram, et bonos et malos, et justos et peccatores ipse fecit, et nihil est quod ipse non fecerit.

« Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis « hominum. » Cœlum dedit Domino cœli, quia Salvatori nostro ad salvandum et regendum Ecclesiam dedit ; terram vero dedit filiis hominum, quia super peccatores alios peccatores dominari permisit.

« Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes « qui descendunt in infernum. Sed nos qui vivimus « benedicimus Dominum, ex hoc nunc et usque in « sæculum. » Super nos, inquit, qui vivimus, qui jam non in terra, sed in cœlo sumus (cœlum enim vocatur Ecclesia), super nos, inquam, effunde benedictionem tuam, « quia non mortui laudabunt te, Domine; » mortui enim sunt, qui a te separati sunt. « Neque omnes qui descendunt in infernum, sed nos qui vivimus et benedicimus Dominum ex hoc nunc, » id est ex hoc tempore quod nunc instat, « et usque in sæculum. »

PSALMUS CXIV.

ALLELUIA.

Satis scitis quid significet Alleluia. Laudate igitur Dominum, quia hoc significat Alleluia.

« Dilexi, quoniam exaudivit Dominus vocem ora- « tionis meæ. » Dilexi, inquit, Dominum, de quo in hoc titulo dicitur, laudate Dominum. Et merito dilexi, quoniam exaudivit Dominus vocem orationis meæ. Quid amplius mihi facere debuit ?

(817) « Cum bona largiatur immeritis, ipsius gloriæ probatur esse quod concedit. » Cassiod.

(818) « Ipsa vox est tyrannorum, ipsa gentilium : *Ubi est Deus eorum ?* Quasi non possit eripere quos ut coronet, tormenta patitur sustinere. » Cassiod.

(819) « Adjiciat duplici modo videtur intelligi; sive benedictionem, quam in hoc sæculo sanctis suis Dominus pro parte concedit ; sive adjiciat numero vestro populos fideles. Quod et nostris temporibus facit, et usque ad finem sæculi non desinit operari; ut de gentibus Ecclesia prædestinata in unum gregem redacta congaudeat, et unius pastoris glorioso regimine perfruatur. » Cassiod.

Digitized by Google

« Quia inclinavit aurem suam mihi. » Non solum exaudivit, sed aurem quoque mihi inclinavit. Excelsus est ipse, humilis ego; sed « ipse humilia respicit (*Psal.* CXII, 6); » et ideo « in diebus meis invocabo « eum; » expertus sum bonitatem, non timeo adversitatem; quæ si acciderit, invocabo eum omnibus diebus vitæ meæ.

« Circumdederunt me dolores mortis, pericula in« ferni invenerunt me. » Et ipse, sicut in sequentibus legitur, liberavit me. Magnos dolores et magna pericula fuisse ostendit, quæ mortis et inferni fuisse dicit. Magni enim sunt illi dolores, qui mortis doloribus comparantur, et magna sunt illa pericula, quæ inferni periculis assimilantur.

« Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Do« mini invocavi, dicens: O Domine, libera animam « meam, misericors Dominus et justus, et Deus « noster miserebitur. » Non ille, qui quæritur, sed ille qui quærit, invenire aliquid dicitur. Quærebat iste igitur tribulationem et dolorem, quæ se invenisse ostendit. In hoc autem aperte monstratur, quanto desiderio pro Christi nomine mori sancti optabant. « Et nomen Domini invocavi, dicens: O Domine, libera animam meam. » Non pro corpore rogat, nullam corporis mentionem fecit, sed solius animæ liberationem postulat. « Misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur. » Quomodo?

« Custodiens parvulos Dominus. » Unde hoc scis? Quia jam sæpe « humiliatus sum, et liberavit me. » Quia sæpe eum liberavit, inde certus est, quod adhuc eum liberabit. « Misericors et justus. » Hæc enim duo sunt, quæ bonis omnibus maximam spem dare possunt, quia misericors et justus est Dominus, qui nunquam deserit sperantes in se. Humiliatio hoc in loco pro afflictione et tribulatione ponitur.

« Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia « Dominus benefecit mihi. » Quia animam suam Dei misericordia liberatam esse intelligit; nunc eam hortatur, ut in requiem suam convertatur, et terrenorum omnium obliviscatur, et in sola Dei contemplatione amodo delectetur. Bene autem fecit Dominus, et valde bene, qui de tantis periculis eum liberavit.

547 « Quia eripuit animam meam de morte, « oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu; « placebo Domino in regione vivorum. » Ex hoc, inquit, credo, et nullatenus dubito, quia placebo Domino in regione viventium; quia jam eripuit animam meam de morte, et omnibus diaboli laqueis et deceptionibus liberavit. Liberavit insuper et oculos meos a lacrymis, quibus per singulas noctes lectum meum rigare solebam, et pedes meos a lapsu, quia victus est ille, qui calcaneo meo insidiabatur.

PSALMUS CXV.

ALLELUIA, ALLELUIA.

Laudate, inquit, Dominum, laudate, et præcipue in hoc psalmo, quo omnis qui credit laudare jubetur.

« Credidi propter quod locutus sum: ego autem « humiliatus sum nimis. Ego dixi, in excessu mentis « meæ: Omnis homo mendax. » Loquitur Propheta in persona martyrum, et hortatur eos ad passionis calicem. Ego, inquit, in excessu mentis meæ elevatus, a primo homine usque ad ultimum, humanam naturam diligentissime consideravi, et sic in omnibus eam corruptam et vitiatam invent, ut mens mea me dicere compelleret, « omnis homo mendax. » Est autem mendacium non in verbis tantum, sed etiam in rebus. Unde et denarios falsos vocamus, et aurum, et argentum falsum esse dicimus, et quidquid a puritate suæ naturæ degenerat, mentiri non dubitamus. Cum igitur sic omnes homines corruptos viderem, et ab hac corruptione, Nisi Christi sanguine liberari non posse cognoscerem, credidi in Christum, et quia credidi, locutus sum, et quia locutus sum, humiliatus sum nimis. Hoc enim ipse Dominus in Evangelio ait: « Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro (*Joan.* VIII, 25). » Nisi, inquit, crediderilis quia ego sum Jesus, qui *Salvator* interpretatur, sine quo salvari nemo potest, moriemini in peccato vestro. Hæc est igitur causa quare unusquisque SS. martyrum dicat, credidi, et quia credidi, locutus sum, prædicavi, et palam cunctisque audientibus Christi fidem annuntiavi. Et quia hoc feci, humiliatus, afflictus sum, et multis tormentis cruciatus sum; et in hoc nimis quidem, quantum ad carnis fragilitatem, non quantum ad bonitatem divinæ retributionis. Unde et subditur:

« Quid retribuam Domino pro omnibus quæ re« tribuit mihi? » Hinc est enim quod beatus Job Domino ait: « Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti, pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me, vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum (*Job* X, 11). » Hinc et Apostolus ait: « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). »

« Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini « invocabo. » Quia, inquit, majus non habeo, quod ei retribuere possim, ecce meipsum offero; calicem salutaris accipiam, et accipiendo nomen Domini invocabo, et in ipsa morte eum confitebor et laudabo. Scio enim, quia « pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus. » Vere pretiosa, quæ vitam meretur æternam, quæ animam de corpore egredientem confestim in æternam beatitudinem introducit.

« O Domine, quia ego servus tuus, ego servus « tuus et filius ancillæ tuæ. » Justum est, inquit, ut moriar pro te, quia servus tuus ego sum, servus, inquam, tuus et naturalis servus, utpote ancillæ tuæ filius. Ancilla tua est Ecclesia, cujus filius iste est, qui se Dei servum esse gloriatur.

« Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo « hostiam laudis. » Ligatus, inquit, eram, dura me catena diaboli stringebat et trahebat; sed tu dirupisti vincula mea, tu solvisti originale peccatum,

Digitized by Google

quod nisi tuo sanguine solvi non poterat. Tibi ego sacrificabo hostiam laudis ; tibi reddam vitulos labiorum meorum; si jusseris, calicem quoque salutaris accipiam,

« Vota mea Domino reddam. » Ubi ? « In atriis « domus Domini. » Et ubi est hoc ? « In conspectu « omnis populi ejus. » Planius hoc ostende. « In medio « tui, Jerusalem. » Vovi, inquit, firmiterque promisi quia sacrificarem Domino hostiam laudis et jubilationis. Et hæc quidem Domino reddam, non in occulto, non in qualicunque loco, sed in loco celebri et manifesto. In ipsis atriis domus Domini, et in conspectu omnis populi ejus in medio tui Jerusalem, ubi omnes undique confluentes, me videant, et me videndo nomen Domini laudent et glorificent. Hoc est enim quod Dominus ait : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* v, 16). »

548 PSALMUS CXV

ALLELUIA, ALLELUIA.

Quid iste titulus significet, psalmi hujus initium declarat.

« Laudate Dominum, omnes gentes, et collaudate « eum, omnes populi ; quoniam confirmata est super « nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in « æternum. » Invitat Propheta non solum Judæos, sed simul cum eis omnes gentes ad laudandum Dominum, quia non Judæorum tantum, sed omnium gentium Dominus est. Notus enim erat prius in Judæa Deus, et in Israel magnum nomen ejus ; nunc autem quia pro omnibus passus est, et omnes gentes suo sanguine redemit, omnes eum laudare et benedicere debent. Nunc enim « confirmata est super nos misericordia ejus, » et nunc certissima ratione probatum est, quantum clemens sit et misericors ; « qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (*Apoc.* I, 5). » — « Et veritas Domini manet in æternum ; » quia completum est quod promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de liberatione nostra, et de restauratione populi sui, secundum illud : « Et liberavit nos de inimicis nostris, et de manu omnium qui nos oderunt (*II Reg.* XIX, 9) ; » — « sicut locutus est per os sanctorum suorum prophetarum, qui a sæculo sunt (*Luc.* II, 70). »

PSALMUS CXVII.

ALLELUIA.

Iste titulus tantum huic psalmo convenire videtur, ac si ejus proprius esset, et non aliorum. Unde in sequentibus dicit : « Constituite diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris. »

« Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam « in sæculum misericordia ejus. » Nulla ratio convenientior inveniri potuit, ut eum laudemus, quam quia bonus et misericors est. Si enim bonus et misericors non esset ; quid in eo poterat esse unde laudandus esset ? Tolle bonitatem, et nihil laudabile manet. Sed aliter Deus bonus est, et aliter omnis ejus creatura bona. Ipse enim a seipso bonus est ; cætera vero non a seipsis, sed ab ipso. Laudemus igitur bonitatem et misericordiam Domini, et nunc præcipue laudemus, quando confirmata est misericordia ejus, et tam manifesta facta est bonitas ejus. Unde et subditur :

« Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in « sæculum sæculi misericordia ejus. » Nunc, inquit, hoc dicat, quia nunc maxime dicendum est quando dextera Domini fecit virtutem dextera Domini exaltavit me.

« Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus, quo« niam in sæculum misericordia ejus. » Dicant nunc omnes, qui timent Dominum, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Omnes hoc dicant, quia omnes hanc misericordiam experti sunt. Et qui hoc dicere noluerit, hujus bonitatis et misericordiæ particeps non erit. Sed illi soli dicant, qui Dominum timent ; qui vero non timent, etiamsi dicant, nihil eis dixisse profuerit. Sed quid per Israel, qui *videns Deum* interpretatur, nisi patriarchas et prophetas, et apostolos, cæterosque magis Deo familiares intelligamus ? Quid vero per domum Aaron, nisi episcopi, et sacerdotes, cæterique ejusdem ordinis significantur ? At vero per eos, qui Deum timent, omnis multitudo ecclesiastica designatur.

« In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit « me in latitudinem. » Et hoc ad bonitatem et misericordiam, quia quoties Ecclesia in tribulationibus fuit, toties clamans ad Dominum exaudita est, et non solum exaudita, sed ample, et magnifice et in latitudinem exaudita est.

« Et Dominus mihi adjutor est, non timebo quid « faciat mihi homo. » Non est timenda hominis fortitudo, ubi Dominus auxilium præstat. Nam etsi faciat quod homines facere solent, sua tamen beatitudine non privatur. « Dominus mihi adjutor, et « ego videbo inimicos meos. » Ego, inquit, videbo inimicos meos, Dominus autem pugnabit pro me, cui nemo resistere valet.

« Bonum est confidere in Domino, quam confi« dere in homine. Bonum est sperare in Domino, « quam sperare in principibus. » Hinc est enim quod alibi dicitur : « Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Deo recedit cor ejus (*Jer.* XVII, 5). » Non est autem peccatum auxilium hominum quærere, sed ita quærere, ut totam spem in eorum auxilio ponat, et sine eorum auxiliis de suis necessitatibus se homo liberari posse diffidat, magnum peccatum est. Tunc enim suum auxilium fidelibus suis præstare Dominus solet, quando de hominum auxilio desperant.

« Omnes gentes circumdederunt me, et in 549 « nomine Domini ultus sum eos. » In hoc loco *in* præpositio subaudienda est, ut dicatur *in eos*, sicut in alia translatione habetur. In Hebræo nihil horum est, sed tantum dicitur : « in nomine Domini ultus sum. » Nulla gens est, quæ Ecclesiam non circumdedisset, et quæ persecutionem ei non fecisset ; sed de omnibus liberavit eam Dominus, et non solum

Digitized by Google

liberavit, sed etiam ultionem fecit, quia omnes ejus persecutores statim ad tormenta ducuntur, ut de hac vita exeant.

« Circumdantes circumdederunt me, et in nomine « Domini ultus sum eos. » Hoc autem nihil aliud significabat, nisi magnam instantiam afflictionis et persecutionis. Unde et subditur :

« Circumdederunt me sicut apes. » Sicut apes quidem, quoniam et multi erant, et nimio furore et indignatione succensi, eos vulnerare et affligere non cessabant. De apibus enim dicit poeta (VIRG. *Georgic.*, lib. IV, v. 236).

Illis ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant et vulnera cæca relinquunt.
Affixæ venis animasque in vulnere ponunt.

« Et exarserunt sicut ignis in spinis. » Vere ignis, et ira illorum in spinis ardebat, et ardendo spinas ipsas consumebat. Quid enim sunt iniqui homines, nisi spinæ aculeis et punctionibus pleni. « Et in nomine Domini vindicabor in eis. » Quamvis enim de his talibus quotidie vindicetur Ecclesia ; majorem tamen de illis adhuc vindictam exspectat.

« Impulsus versatus sum, ut caderem, et Domi- « nus suscepit me. » Multis modis impellebantur, versabantur et tentabantur sancti, ut a statu suæ rectitudinis caderent ; cadere autem penitus non poterant, quos Dominus suscipiebat, et aliquando casui proximos firmabat et stabiliebat. Unde adhuc subditur :

« Fortitudo mea, et laudatio mea Dominus, et fa- « ctus est mihi in salutem. » Quod ego, inquit, contra steti, quod pugnavi, quod vici et fortis fui, non mea fortitudo, nec mea laus est, sed tota fortitudo mea, et laus mea Dominus est, qui factus est mihi in salutem. Unde et alibi dicunt viri sancti « : In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos (*Psal.* LIX, 14). »

« Vox lætitiæ et salutis in tabernaculis justorum. » Inde, inquit, est vox lætitiæ et salutis in tabernaculis justorum, quia Dominus eos defendit, et factus est eis in salutem. Et nisi Dominus hoc fecisset, nulla inter eos lætitia esse posset quoniam nullo modo suis adversariis resistere potuisset.

« Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini « exaltavit me (820). » Dextera Patris Filius est, quia per ipsum omnia operatur. Hæc autem dextera fecit omnem hanc sanctorum virtutem, quando Salvator noster morte sua diabolum superavit ; ibi enim omnes sancti constantia et fortitudine super suos inimicos omnes exaltati sunt et ab æternæ mortis periculo liberati. Unde et subditur :

« Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. « Castigans, castigavit me Dominus, et morti non « tradidit me. » Non loquitur de morte corporis quæ inevitabilis est ; sed potius de morte animæ, quæ solummodo moritur, cum a Deo separatur. Et hinc est quod Dominus ait : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, quoniam animam non possunt occidere (*Matth.* X, 28). » Sic igitur sancti castigari quidem possunt, occidi vero non possunt.

« Aperite mihi portas justitiæ. » Quare ? « Ingressus « in eas confitebor Domino. » Quia, inquit, mortem jam non timeo, aperite mihi portas justitiæ, docete me quid facere debeam. Doctoribus Ecclesiæ loquitur ista, qui, habentes clavem scientiæ, cæteris justitiæ viam ostendunt. Et vide cum quanta fiducia loquitur : « ingressus, inquit, in eas confitebor Domino, » nihil erit quod me terrere possit, ut justitiam non prædicem, et Dominum non confitear. At illi non multas, sed unam portam ostendentes, dixerunt : « Hæc est porta Domini, justi intrabunt in eam. » Non quæras, inquiunt, multas portas, quia una est per quam justi ingrediuntur. Si quis te de aliqua re interrogaverit, dic solummodo, Christianus sum, et sufficit tibi. Hæc est porta Domini, justi ingrediuntur per eam et qui ascenderit aliunde fur est et latro.

« Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me, « et factus es mihi in salutem. » Portam quam quærebat invenit, et ipsam portam, Christum esse intelligit, cui etiam loquitur, dicens : « Confitebor tibi, Domine ; » te quæram, te laudabo, « quoniam exaudisti me, » et ab omnibus periculis me liberans, « factus es mihi in salutem. »

« Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic « factus est in caput anguli. » Venite, inquit Ecclesia, et videte lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic injuste abjectus et reprobatus in caput anguli factus est, duos in se conjungens **550** parietes, unum ex circumcisione, et alterum ex præputio venientem, ut fiat unum ovile et unus pastor (821). Mali ædificatores, qui meliorem lapidem reprobant et vilissimos lapides in constructione domus Dei ponere nituntur. Isti sunt illi ædificatores qui Synagogam male constituentes, sive potius destruentes de Salutare nostro dixerunt : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14). » Et : « Nolumus hunc, sed Barabbam (*Luc.* XXIII, 18). » Hoc lapide reprobato, tota corruit Synagoga ; sed a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris. Quis non miretur quod super hunc lapidem Ecclesia tota construitur quem Judæa insipiens reprobavit ? Hinc est, quod alibi dicitur : « Populus quem non cognovi servivit mihi (*Psal.* XVII, 15). » Et : « Filii alieni mentiti sunt mihi (*Ibid.*, 46). » Quid igitur mirum si obedientes, et mendaces et impii reprobantur.

(820) « Dextera Domini exaltat, cum terrenis hominibus cœlorum regna concedit. Quid enim potentius, quam mortales induere immortalitatem, corruptibiles, incorruptionem, peccatoribus beatitudinem, de hoste fortissimo infirmis dare victoriam ? » CASSIOD.

(821) Eodem loco usus est S. Petrus in concione quam habuit Hierosolymis ad populum Judæorum Act. IV, 11, et in ep. I, c. II, S., quo ostendit prædictum fuisse Christum ex Judæis, atque gentilibus congregaturum in unum corpus Ecclesiam.

Digitized by Google

« Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus et A « lætemur in ea. » Hæc, inquit, dies, in qua lapis iste reprobatus est, et Ecclesia Christi sanguine redempta est. Hæc est illa dies quam ad lætitiam et exsultationem nostram fecit Dominus. Exsultemus et lætemur in ea, et dicat unusquisque nostrum : « O Domine, salvum me fac, o Domine, bene pro- « sperare. » Nulla dies opportunior est ad postulandam salutem et prosperitatem, quam illa quæ salutis et prosperitatis initium est, et ad salutem et prosperitatem nobis dedicata est. Dicamus etiam simul omnes : « Benedictus qui venit in nomine Do- « mini; » ut simul ab hominibus benedicatur, a quo omnia benedicuntur. Venit Dominus in nomine Domini, sicut ipse Judæis loquens, ait : « Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me; alius B autem veniet in nomine suo, et illum recipietis (*Joan.* v, 43). » Quid est autem in nomine suo veniet, nisi a seipso et se ipsum glorificare veniet ?

« Benedixímus vos de domo Domini : Deus noster, « et illuxit nobis. » Vos, inquit, benedicite Dominum, quia nos quoque jam in alio psalmo vos benedíximus, dicentes : « Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram (*Psal.* cxiii, 15) » Et hanc benedictionem non a vobis habuimus, sed de domo Domini, et ab ipso Domino eam accepimus, qui revera est Deus et Dominus, et illuxit nobis. Illuxit quidem, quia cum adhuc in tenebris ignorantiæ et cæcitatis essemus, ipse nos illuminavit, et justitiæ et veritatis portas aperuit, in cujus commemora- C tione semper hanc diem lætam et solemnem agere debemus. Unde et subditur :

« Constituite diem solemnem in confrequentatio- « nibus usque ad cornu altaris. » Omnes, inquit, convertle, nemo se absentare audeat, tantaque sit multitudo, et frequentia populi, ut ipsius altaris cornua premant. Et unusquisque in hac tanta solemnitate fiducialiter dicat. « Deus meus es tu, et confi- « tebor tibi, Deus meus es tu, et exaltabo te. »

« Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me, « et factus es mihi in salutem. Confitemini Domino « quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia « ejus. » Iste ultimus versus superioribus non continuatur, quia psalmi hujus initium est ; et in fine D ponitur, ne laus finiatur, sed quasi rota in circuitu sine fine volvatur.

PSALMUS CXVIII.

551 ALLELUIA (822).

« Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. » Iste psalmus secundum ordinem Hebraicarum litterarum scriptus est, et ab unaquaque littera octo versus incipiunt, quarum prima est Aleph, quæ *doctrina* interpretatur; ultima vero Thau, quæ *signum*, vel *consummatio* dicitur. Hujus igitur psalmi doctrinam sequatur, et teneat quicunque ad consummationem, perfectionem, et ad summum bonum venire desiderat. Signetur autem signo crucis, ut de Christi militia esse dignoscatur. Paucæ quidem sunt litteræ, id est viginti duæ, in quibus tamen omnis et divina, et humana scientia continetur. Qua in re quantæ perfectionis psalmus iste sit, apertissime declaratur. Quod enim unaquæque littera in octo versibus extenditur, quid aliud significat, nisi quia omnis doctrina, divina et spiritualis, temporalia nos relinquere et æterna quærere docet? Dies enim octava, et hujus vitæ finis est, quæ in septem diebus agitur, et alterius initium, quæ finem non habebit. Unde et quidem psalmi pro octava titulantur. Ad octavam itaque diem istæ litteræ et isti versus nos festinare docent, quatenus hanc postponentes ad aliam festinamus (823).

ALEPH. « Beati immaculati in via qui ambulant in « lege Domini. » Beati, inquit, qui ambulant in lege Domini, sic tamen, si immaculati in hac vita fuerint, et vitam immaculatam duxerint. Hoc est enim ambulare in lege Domini, quia hoc lex Domini præcepit ut immaculati simus et viam immaculati incedamus. Unde et subditur :

« Beati qui scrutantur testimonia ejus. » Sic tamen si « in toto corde exquirunt eum. » Et illi quidem in toto corde eum exquirunt qui se a macula custodiunt. Ambulare autem in lege Domini et scrutari testimonia ejus idem significant. Nullus versus est in hoc psalmo in quo non inveniatur vel verbum, vel eloquium, vel sermo, vel justificatio, vel testimonium, vel judicium, vel aliud quod legem significare videatur. Sequitur :

« Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus « ambulaverunt. » Dixit illos esse beatos qui scrutantur testimonia ejus, a quibus tamen omnes illi separandi sunt qui operantur iniquitatem, quoniam hi tales neque ambulant in viis ejus, neque in toto corde exquirunt eum.

« Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. »

(822) In editione Marchesii omissus est *Alleluia* titulus hujusce psalmi, qui in Vulgata et in Cassiodorio reperitur. De Psalmo hæc præloquitur idem commentator. « Festivo psalmo et divinarum rerum virtute plenissimo desiderabile alleluia præmittitur, ut meritum divini carminis honore tituli possit agnosci. Est enim altissimus profunditate sensuum, et contextus quasi similium repetitione verborum : modo profitendo quod accepit : modo iterum eadem sperando quæ meruit. »

(823) Satis notam arbitror Dallæi censuram lib. De usu Patrum pag. 244 in D. Ambrosium, quod Hebraicarum litterarum interpretationem non feliciter assecutus fuerit. S. doctorem excusant PP. Maurini quod pauci essent tunc temporis interpretes, et ipse nimis se fiderit Philonis ethymologiis multis erroribus scatentibus. De eodem lapsu aliquis rigidus censor nostrum Brunonem fortasse insimulabit; sed in eumdem cecidisse Bedam reperiet, quem ducem hisce in interpretationibus, quemadmodum in aliis secutus est. Sed antiquior in earumdem Hebraicarum vocum interpretatione S. Hieronymus, et in illa lingua peritissimus primus omnium sua in epistola ad Paulam olim 155, modo 30, eas habet interpretationes, quibus S. Bruno usus est.

Digitized by Google

Nimis quidem quantum ad humanam fragilitatem et A negligentiam, quia vix invenitur aliquis qui sicuti debet ea custodiat. Et quia nimis custodienda sunt mandata ejus : « Utinam dirigantur viæ meæ et « opera mea ad custodiendas justificationes tuas, » quæ per mandata significantur. Quia tunc non confundar, dum respiciam in omnia mandata tua; quæ sicut modo diximus, nimis custodienda esse mandasti. Respicere autem custodire est. Ac per hoc, ut non confundar et ut servitium meum tibi acceptabile sit, « confitebor tibi, Domine, in directione cor- « dis. » Quid est autem in directione cordis, nisi in directo et mundo corde? In eo quod didici judicia justitiæ tuæ. Sic, inquit, in directo corde te laudabo, sicuti judicia justitiæ tuæ recta esse didici et cognovi.

« Justificationes tuas custodiam, » quas tu mandasti custodiri nimis, et ideo « ne me derelinquas us- « quequaque, » quod est intelligere, nunquam me penitus derelinquas.

552 Beth. Quod interpretatur *domus*. Domus Dei Ecclesia est, cujus habitatores hanc doctrinam tenent et custodiunt; atque per eam hoc septenario finito, ad diem octavam se venire sperant, et sic deinde ad summum bonum, quod per ultimam litteram significatur, se conscendere confidunt.

« In quo corrigit juvenior viam suam? in custo- « diendo sermones tuos. » Per primam litteram, quæ *doctrina* interpretatur, sermones, mandata, eloquia, justificationes, et cætera quæ jam superius dicta sunt, significantur. Illi itaque juvenes corrigunt vias suas qui hanc doctrinam et hos sermones custodiunt qui in hoc psalmo continentur. Necesse habent adolescentuli et juvenes corrigere vias suas, quia ipsi sunt qui facilius et sæpius peccant.

« In toto corde exquisivi te, ne repellas me a man- « datis tuis. » Repellere videtur Dominus a mandatis suis illum hominem cui auxilium non præstat, ut ejus mandata custodire velit et valeat. Rogat igitur iste adjutorium, ut custodire possit, quia maximum desiderium habet custodiendi. Et hoc quidem significat dicens : « In toto corde meo exquisivi te. » Qui enim in toto corde Deum quærit, multum desiderat ejus facere voluntatem.

In corde meo abscondi eloquia tua, ut non pec- D « cem tibi. » Difficile peccant, qui verba Dei in corde reponunt, et memoriæ commendant. Sunt autem aliter abscondenda eloquia Dei, neque omnibus revelanda, sicut ipse Dominus ait : « Nolite sanctum dare canibus, et nolite margaritas spargere ante porcos (*Matth.* VII, 6). » Talibus igitur eloquia tua manifestare renui, ne forte audiendo te blasphemarent, ut soliti sunt, et maledicerent; ac ego per hoc peccarem tibi. Tu autem benedictus es, et tales maledictiones non curas; ego autem audire non possum. « Doce me justificationes tuas. » Hoc est enim quod superius ait : « Ne repellas me a mandatis tuis. »

« In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris « tui. » Doce me, inquit, justificationes tuas, quoniam et si aliis eas celavi, aliis tamen eas manifestavi, et illis quibus prædicare debui, prædicavi.

« In via testimoniorum tuorum delectatus sum sic- « ut in omnibus divitiis. » Non solum, inquit, pronuntiavi judicia oris tui, sed pronuntiando sic delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Sunt quidam qui prædicant, et per mandatorum viam non incedunt, sed alia quidem via pergunt, longe a testimoniis Dei. Unde Apostolus ait : « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci (*Hebr.* XIII, 9). »

« In mandatis tuis me exercebo. » Non vult iste recedere ab illa doctrina quæ in hoc psalmo continetur et prædicare jubetur, neque obliviscitur quomodo prima littera interpretatur. Meminit insuper B illius versus, in quo superius dicitur : « Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. » Unde subinferens dicit

« In tuis justificationibus meditabor, non obliv- « scar sermones tuos. » Beatus enim ille est qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Hic autem psalmus nihil aliud jubet, nisi in lege Domini meditari mandata ejus, et testimonia perscrutari.

Ghimel. Quod *retributio*, vel *plenitudo* interpretatur. Hoc autem in hac littera significatur quod illi qui hanc doctrinam, quæ in hoc psalmo continetur, fideliter tenuerint et custodierint, plenam retributionem a Domino suscipient. Prima namque littera, quæ *doctrina* interpretatur, per omnes alias currit, donec ultimæ conjungatur. Ad quid enim aliud nisi ad C solam doctrinam omnes litteræ inventæ sunt? Totum autem ad doctrinam pertinet, et quod nuntiando et quod jubendo, vel operando dicitur.

« Retribue servo tuo, et custodiam sermones tuos. » Non est parva doctrina, quando ab aliis docemur quomodo Deum orare debeamus. Retribue, inquit, servo tuo quod eis retribuere promisisti qui tua mandata custodiunt. Hoc enim in Evangelio Dominus ait : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum (*Joan.* VIII, 52). » Hoc igitur, quasi dicat, mihi retribue, ut in æternum vivam et custodiam sermones tuos.

« Revela oculos meos, et considerabo mirabilia « de lege tua. » Nonne vides quomodo retributionem D quærit de his, quæ se facturum esse promittit? Si, inquit, aperueris oculos mentis meæ, ego considerabo mirabilia de lege tua, et docebo et custodiam legem tuam. Aliter enim considerare quid valet?

« Incola ego sum in terra, non abscondas a me « mandata tua. » Hoc est enim, quod Apostolus ait : « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 14). » Aperi, inquit, oculos meos, quia **553** non terrena, sed cœlestia videre et habere desidero, et ideo non abscondas a me mandata tua. Doce me, quasi dicat, doctrinam tuam, quam carnales oculi videre et intelligere non valent. Sic enim discipulis suis Dominus ait : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis (*Marc.* IV, 11). »

Digitized by Google

« Concupivit anima mea desiderare justificationes « tuas in omni tempore. » Non solum, quasi dicat, desideravi facere mandata tua, quibus fideles tui justificantur, sed etiam hoc concupivi, ut semper ea facere desiderarem, et ut mens mea ab hoc tam nobili desiderio nunquam recederet. « Increpasti « superbos, maledicti qui declinant a mandatis tuis. » Quid enim superbius quam Domini sui mandata contemnere? Increpat Dominus superbos, ubi ait : « Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan.* VI, 47). » Si vero ex Deo non sunt, utique maledicti sunt. De perseverantibus loquitur, et qui ad pœnitentiam redire contemnunt. In unoquoque versu doctrina hujus psalmi se manifestat quam utilis omnibus et necessaria sit.

« Aufer a me opprobrium et contemptum, quia « testimonia tua exquisivi. » Exquirere mandata Dei, non solum legere et intelligere sufficit, sed et custodire necesse est. Qui autem hoc faciunt, ab omni opprobrio et contemptu iniquorum hominum liberantur, et simul cum sanctis a Domino honorantur. Quæ autem fuerint hæc opprobria, sequentia manifestant.

« Etenim sederunt principes, et adversum me « loquebantur. » Ea videlicet loquebantur, quæ ad viri justi opprobrium et contemptum intolerabilem pertinebant. Ille vero quid faciebat? « Servus autem « tuus exercebatur in tuis justificationibus. » Exercebatur autem meditando, legendo, custodiendo et pro earum custodia dura tormenta patiendo. Unde et subditur.

« Nam et testimonia tua meditatio mea est, et « consolatio mea justificationes tuæ sunt. » Quia idem significant mandata, justificationes, eloquia, sermones, et cætera, quæ superius diximus, ideo pene ubique alterum pro altero ponitur. Exercebar, inquit, et meditabar in mandatis tuis, et hoc solum erat consolatio mea. Unde Apostolus ait : « Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus (*Rom.* XV, 4). »

DALETH. Hoc autem *tabulæ* vel *januæ* interpretatur. Non solum omnes litteræ, sed unaquæque per se tantam doctrinæ pulchritudinem habet, ut sufficere videatur. Hæc littera nos docet cordis januas huic doctrinæ tam sacræ aperire, ut in mentis nostræ tabulis inscribatur et imprimatur. De his tabulis Apostolus ait : « Epistola nostra vos estis, scripta non atramento in tabulis lapideis, sed Spiritu Dei vivi in tabulis carnis (*II Cor.* III, 3). »

« Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me se- « cundum verbum tuum : vias meas annuntiavi, et « exaudisti me, doce me justificationes tuas. » Hoc est illud verbum quod per prophetam Dominus ait : « Peccator quacunque hora conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* XXXIII, 12). » — « Vivifica me, inquit, secundum verbum tuum, » quia ego conversus sum, et vias meas et peccata mea tibi nuntiavi, dicens : « Adhæsit pavimento anima mea. » Sordidata erat pulvere pavimenti anima mea, cui nimium adhæserat, ejusque voluptates secuta fuerat. Hoc pavimentum caro est, cui anima conjuncta ejus pulvere peccatorum nimium sordidatur. Hoc est enim quod dicit : « et exaudisti me. » Amodo vero, doce me justificationes tuas, quatenus non pavimenti et carnis voluptatibus, sed tuis mandatis obediam. Unde et subditur.

« Viam justificationum tuarum insinua mihi, et « exercebor in mirabilibus tuis. » Hoc est igitur quod homo post conversionem et pœnitentiam agere debet, ut semper in bonis perseveret, et peccatorum suorum recordetur. Hoc est enim quod sequitur

« Dormitavit anima mea præ tædio. » De tædio alibi dicitur : « Tædet animam meam vitæ meæ (*Job* X, 11). » Præ tædio itaque anima dormitat, quia peccatorum recordatione aliquando a bono opere cessat, et se omnia corrigere posse quodammodo diffidit. Ex hoc autem non immerito se accusat, et ab hac non immodica tentatione liberari postulat. Et hoc est quod ait : « Confirma me in verbis tuis ; » ut firmissime credam prædictæ promissioni tuæ, in qua peccatori converso veniam polliceris.

« Viam iniquitatis amove a me. » Sic enim dormitare, vias iniquitatis est, quia desperationi proxima est.

« Et de lege tua miserere mei. » Hæc est enim illa lex benignissima, quam peccatoribus Dominus posuit : « Si dimiseritis, inquit, hominibus peccata eorum, et Pater vester dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI, 15). » Tu peccasti in Deum, homo in te, dimitte tu illi, ut et tibi dimittatur, et ut pro centum denariis, decem millia talenta reddere non cogaris, et in carcerem mittaris.

« Viam veritatis elegi, judicia tua non **554** sum « oblitus. » Audita, quasi dicat, tanta Dei miseratione, omnes diabolicæ fraudis tentationes a me removi, et solam veritatis viam elegi, per quam, qui ambulat, errare non potest. Ac per hoc judicia tua non sum oblitus, sed firmissime memoriæ commendavi. Qui enim eorum obliviscitur, per viam veritatis incedere nescit.

« Adhæsi testimoniis tuis, Domine, noli me con- « fundere. » Quid est autem adhæsi testimoniis tuis, Domine, nisi hoc, quod modo dixit : « Judicia tua non sum oblitus? » Et talis quidem non habet, unde confundi et erubescere debeat.

« Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dila- « tares cor meum. » Hic versus superioris expositio est. Multum enim delectari potest in via mandatorum Dei, qui, finito cursu, tam magnam retributionem exspectat.

HET. *Ipsa* interpretatur, ipsa, inquit, doctrina, quæ per primam hujus psalmi litteram significatur, dat nobis intellectum et deducit nos in semitam mandatorum Dei, et ipsa inclinat cor nostrum in testimonia ejus, et avertit oculos nostros, ne vi-

Digitized by Google

deant vanitatem, et cætera quæ sequuntur; et tandem ducit nos ad Thau, id est consummationem et æternam felicitatem.

« Legem pone mihi, Domine, viam justificationum « tuarum, et exquiram eam semper. » Hanc, inquit, doctrinam et hanc legem pone mihi, Domine, viam, quæ me ducit ad tuas justificationes, et exquiram eam semper. Quid enim sic quærendum, sic diligendum et custodiendum est, sicut id quo justificari et sanctificari speramus?

« Da mihi intellectum. » Ad quid? « Et scrutabor « legem tuam et custodiam illam in toto corde « meo. » Ille habet bonum intellectum qui hoc facit : qui vero hoc non facit, et legem Domini non custodit, non habet bonum intellectum, quoniam « intellectus bonus omnibus facientibus eum. »

« Deduc me in semitam mandatorum tuorum, « quia ipsam volui. » Jam non viam quærit, quæ amplior est, sed semitam postulat, quia « angusta via est, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14); » scit enim quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regna cœlorum. Multi enim viam incedunt, qui per majorum semitam mandatorum incedere nequeunt. Sed, sicut Apostolus ait : « Unusquisque proprium donum habet ex Deo (*I Cor.* VII, 7). »

« Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua, et non « in avaritiam. » Non est solummodo avaritia pecuniæ, sed honoris quoque et dignitatis. Sic igitur cor suum in legis testimonia declinare desiderat, ut contra legem nihil faciat, et omnes mundi concupiscentias a se repellat. Hoc enim sequentia manifestant.

« Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via « tua vivifica me. » Multæ sunt mundi vanitates, quæ neque interioribus, neque exterioribus oculis videre debemus. Ille autem in via Dei vivificatur, qui in bono opere assiduus est, et ea quæ agit, non negligenter, sed diligenter agit.

« Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo. » Quid prodest nobis scire, et intelligere eloquia Dei, si Deum offendere, et eloquia non facere non timemus? (824) Et certe non sunt pauci, qui hoc vitio laborant.

« Amputa opprobrium meum, quod suspicatus « sum; judicia enim tua jucunda. » Amputa, inquit, hoc opprobrium, et vitium meum, quod in me esse homines suspicantur, sive verum sit, sive non sit. Et si verum est quod dicunt, amputa, ut non sit. Si verum non est, et hoc ipsum amputa, ut in eorum opinione non sit amplius, quoniam hæc talis opinio et me affligit et illos occidit; judicia enim tua jucunda. Quia a justitia recedunt, qui bonum malum, et malum bonum dicunt.

« Ecce concupivi mandata tua. » Ecce, inquit, satis in his quæ dicta sunt superius ostendi quia mandata tua non solum feci, sed facere concupivi. Facere enim quilibet potest, sed cum desiderio facere, cœlestis gratiæ est (825). « In æquitate tua vi- « vifica me. » Quid est in æquitate tua vivifica me, nisi quia æquus et justus es, redde mercedem meam?

555 Vau interpretatur et *ipse*; ipse, inquit, dedit nobis hanc doctrinam, a quo est omnis sapientia, et cum eo fuit semper, et est ante ævum Christus Dominus noster, qui est Aleph et Thau, Alpha et Omega, id est initium et finis.

« Et veniat super nos misericordia tua, Domine, « salutare tuum, secundum eloquium tuum. » Lege in Evangelio, et pluribus in locis invenies Salvatorem nostrum et misericordiam, et salutem, et regnum cœlorum, et vitam æternam fidelibus suis promisisse. Hoc igitur iste postulat, ut secundum eloquium suum donet ei misericordiam et salutem.

« Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, « quia speravi in sermonibus tuis. » Hoc, inquit, verbum respondebo exprobrantibus et maledicentibus mihi, quia speravi in sermonibus tuis, et ita non timebo quid faciat mihi homo. Tu enim dixisti nobis : « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan* XIV, 18), » et multa his similia, et in his quidem sermonibus tuis multam spem habemus.

« Et ne auferas de ore meo verbum veritatis « usquequaque, quia in judiciis tuis speravi. » Quid est autem in judiciis tuis speravi, nisi quod modo dixit : « quia speravi in sermonibus tuis? » Rogat autem ut nunquam mortis timore a verbo veritatis eum recedere patiatur.

« Et custodiam legem tuam semper. » Quid est semper? « In æternum et in sæculum sæculi. » Satis legem Dei bene custodit qui a verbo veritatis nunquam recedit. Hinc autem quomodo prius se habuerit et quam fidelis Domino fuerit ostendit.

« Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua « exquisivi. » In latitudine ambulat qui charitatem custodit, et Deum et proximum diligit. Hoc est enim maximum et primum mandatum, de quo alibi dicitur : « latum mandatum tuum nimis. » Unde et Apostolus. « Plenitudo, inquit, legis est dilectio (*Rom.* XIII, 14). » Et quia omnia mandata in hoc uno mandato continentur, bene hic dicitur : « quia mandata tua exquisivi. »

« Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu « regum, et non confundebar. » Breviter in hoc versu sapientia martyrum et patientia declaratur. Sapientes namque erant, qui de testimoniis Domini loquebantur. Fortes vero, qui ante ipsos reges loqui non timebant. Patientia vero in eo ostenditur quod de ipsis suis injuriis non erubescebant.

« Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis.

(824) Cod. Ghis., *et contra eloquia facere*, etc.

(825) Potentiam bonum agendi, V. G., servandi Dei mandata per gratiam sufficientem quilibet habet, sed ut velit et ea perficiat, hoc ab efficacia gratiæ cœlestis obtinebit, juxta illud Apostoli ad Philip. II, 13. *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* Et hæc est mens S. Brunonis, qui hanc eamdem D. Pauli sententiam refert, p. 633, ex qua concludit nihil boni sine Dei adjutorio nos facere posse.

Digitized by Google

Nunquam, ac si dicat, mandatorum tuorum oblivi- A
scar ; sed die ac nocte meditabor in eis quæ valde
semper dilexi, ut in eorum observatione morti me
tradere non dubitarem. Nimis enim hoc aliquis dili-
gere videtur quod plus diligit quam seipsum. Hoc
autem secundum humanam opinionem dicit, quia
amori Dei nec ipsa vita præferenda est.

« Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ
« dilexi, et vehementer exercebar in tuis justifica-
« tionibus. » Quantum ea dilexerit, in eo quoque
ostendit quod se manus suas ad ea elevasse dicit.
Ille quippe ad Dei mandata elevat et dirigit qui non
solum audire et intelligere, sed etiam quantum po-
test, facere conatur. Unde et vehementer se in eis
exercere promittit. Quid est enim vehementer nisi
intellectu omni et operatione agere ? B

ZAIN. Interpretatur autem Zain *oliva*, vel *fornica-
tio*. Hæc igitur littera docet nos pacificos et fructi-
feros esse, ut simul cum viro justo dicamus : « Ego
autem sicut oliva fructifera in domo Domini (*Psal.*
LI, 10), » semperque misericordiam diligamus, quæ
oliva nomine significatur. Audiamus præterea Apo-
stolum quoque dicentem : « Fugite fornicationem (*I
Cor.* VI, 18) ; » quare mentis et corporis fornicationem
fugiamus.

« Memento verbi tui servo tuo, in quo mihi spem
« dedisti. » Dicit enim Dominus in Evangelio : « Beati
misericordes, et beati pacifici (*Matth.* V, 7), » qui
modo per Zain litteram significantur. Memento, in-
quit, verbi et promissionis tuæ, in quo dedisti C
maximam spem mihi servo tuo et aliis omnibus qui
pacem diligunt et misericordiam.

« Hæc me consolata est in humilitate mea, quia
« eloquium tuum vivificavit me. » Hæc, inquit, spes
consolata est me in humilitate et afflictione mea, quia
eloquium tuum et promissio tua vivificabit me.
Unde et alibi dicit : « Humiliatus sum usquequaque,
Domine, vivifica me secundum verbum tuum. » Unde
humiliatus sit, ostendit.

« Superbi inique agebant usquequaque. » Quam
impie, et inique adversus eum egerint superbi, in
eo ostenditur, quod eos usquequaque inique egisse
dicit : « A lege autem tua non declinavi. » Et ideo
quidem non declinavi, quia semper eam **556** in
memoria habui. Et hoc est quod dicit : D

« Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domi-
« ne. » Quid est enim a sæculo, nisi semper ? « Et
« consolatus sum. » Consolatus, inquit, sum a judi-
ciis tuis, quibus multa bona promittis fidelibus tuis.

« Defectio animi tenuit me pro peccatoribus de-
« relinquentibus legem tuam. » Quantum zelum in
lege Dei custodienda habuerit, in eo monstratur
quod sic de peccatoribus et transgressoribus dole-
bat, ut animi incurreret defectionem.

« Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco
« incolatus mei. » In hoc quoque non modicus zelus
ostenditur in quo Dei justificationes sibi cantabiles
fuisse dicit : Non enim sibi cantabiles essent, nisi
magno cum amore et lætitia eas fecisset, unde et
subditur :

« Memor fui nominis tui, Domine. » Valde bene
Dei mandata custodiebat, qui in nocte, et inter ipsa
tormenta ejus nomen confiteri non metuebat. « Et
« custodivi legem tuam ; » illam videlicet legem,
qua dicitur. « Nolite timere eos, qui occidunt cor-
pus, animam autem non possunt occidere (*Matth.*
X, 28). »

« Hæc mihi facta est, quia justificationes tuas ex-
« quisivi. » Sola custodia mandatorum Dei, illius
noctis et tribulationis causa fuit, quia, si a mandatis
Dei recedere voluisset, illam noctem et illa tor-
menta passus non fuisset (826).

HETH. Hæc octava littera (quæ merito *vita* inter-
pretatur, siquidem octava die fiet resurrectio mor-
tuorum) docet nos de omnibus quæ in mundo sunt
solum Deum et vitam æternam esse quærendam.

« Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam. »
Alii, quasi dicat, de his quæ in mundo sunt sibi
eligant quod illis placuerit ; mihi autem sufficit ut
Dominus sit portio mea, possessio mea et omnes
divitiæ meæ. Et ut hoc obtinere valeam, me legem
Domini custodire promitto.

« Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo,
« miserere mei secundum eloquium tuum. » Ille Dei
faciem in toto corde deprecatur qui summo studio
nititur ad ejus imaginem reformari ; vel qui ante
ejus faciem venire desiderat : sicut ille, qui ait :
« Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus
(*Psal.* LXXIX, 8). »

« Quia cogitavi vias meas, et converti pedes meos
« in testimonia tua. » Tu, inquit, peccatori converso
et pœnitenti veniam promisisti. Miserere itaque mei
secundum eloquium tuum, quia ego quidem conver-
sus sum, et vias meas cogitavi, et correxi, et pedes
meos et vestigia mea ad testimonia tua direxi. Et
hoc quidem sponte et bona voluntate feci (827), quia
non diligis coacta servitia. Hoc est enim quod ait :

« Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam
« mandata tua : funes peccatorum circumplexi sunt
« me, legem autem tuam non sum oblitus. » Funes
peccatorum tyranni et hæretici sunt, qui viros, ca-
tholicos ad peccata trahere conantur. Sed qui legem
Dei non obliviscuntur, talibus funibus trahi non
possunt.

« Media autem nocte surgebam ad confitendum
« tibi super judicia justitiæ tuæ. » Si enim legem
Dei oblitus esset, nequaquam ad confitendum media
nocte surrexisset. Possumus autem per mediam

(826) Aliter exponit Cassiodorius : « *Hæc facta est mihi*, subaudi consolatio. « Quod magis de nocte, quam de lege debet intelligi ; ut quæ peccatoribus est cæcitas, ipsa viris sanctis illuminatio esse videatur. Sic enim credentes non patiuntur tenebras, quamvis in hujus mundi cæcitate versentur. Sequitur causa quare illi nox facta sit consolatio : *Quia justificationes tuas exquisivi*. Si enim dixisset meas, sustinuisset adhuc densissimam cæcitatem ; sed quia dixit, *tuas*, mundi tenebris non potuit obcæcari. »

(827) Cod. Ghis., *facio*.

Digitized by Google

non tem, sævissimæ persecutionis tempus intellige- re, sed vir justus neque sic perterritus a Dei confessione cessabat, sed inter ipsa tormenta Christianum se esse clamabat. Confitetur autem super judicia justitiæ Dei, qui legem Dei justitiam esse contendit. Nulla legis expositio tali confessione planior est.

« Particeps ego sum timentium omnium te, et « custodientium mandata tua. » Sola lætitia, quam habet de bona operatione omnium, et de servitio Dei, quod faciunt omnes, facit eum participem omnium.

« Misericordia tua, Domine, plena est terra, justi- « ficationes tuas doce me. » Qui omnibus, quasi dicat, misericordiam facis, mihi quoque hanc misericordiam facias, ut legem et justificationes tuas me doceas. Plena est autem omnis terra misericordia Domini, qui super justos et injustos pluit, et solem suum super omnes oriri facit (828).

557 Teth, *bonum* interpretatur, et Dei bonitatem, scientiam, disciplinam et justificationes nos quærere hortatur. In his autem tota doctrina Ecclesiæ continetur.

« Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, se- « cundum verbum tuum. » Omnes bonitates, quas fidelibus suis Dominus se facturum esse promiserat, in Christi passione completæ sunt. Singulariter autem, sicut promisit, unicuique propriam bonitatem facit, aliam humilibus, aliam persecutionem patientibus (829), et similia.

« Bonitatem, et disciplinam et scientiam doce « me, quia mandatis tuis credidi. » Doce me, inquit, bonitatem facere, disciplinam ecclesiasticam tenere, et scientiam catholicam defendere. Quia non hæreticorum persuasionibus, non poetarum fabulis, non philosophorum superstitionibus, sed solis tuis mandatis obedivi et credidi.

« Priusquam humiliarer ego deliqui. » Prius inquit, quam sub jugo tuo, quod suave est, humiliarer, et diaboli superbiam et inflationem a me repellerem, ego multis modis deliqui, et in pluribus te offendi; « propterea eloquium tuum ego custodivi, » ut in me adimplerem quod scriptum est: « Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia (*Rom.* v, 20). »

« Bonus es tu, Domine. » Et naturaliter bonus, et sine quo nihil est bonum. « Et in bonitate tua doce « me justificationes tuas; » quatenus bona sit, ubique placeat intelligentia mea. Ideo enim hæreticorum doctrina prava est, quia non in Dei bonitate, sed in eorum malitia est.

« Multiplicata est super me iniquitas superborum. » Satis quidem iniqui erant qui me affligendo iniquiores facti sunt. « Ego autem in toto corde meo scrutabor « mandata tua. » Faciant quidquid possunt, et adhuc (830) iniquiores fiant, quia neque mors, neque vita poterit me separare a charitate tua, et a tuorum custodia mandatorum.

« Coagulatum est sicut lac cor eorum; » quia mollibus, quasi dicat, verbis et blanditiis nos decipere non potuerunt; nunc cor illorum contra nos induratum est ut in nullo ulterius parcant. Ego vero legem tuam meditatus sum, et quod lex tua me facere juberet, non sum oblitus.

« Bonum mihi quod sic humiliasti me; » et tantis flagellis me affligi permisisti, ut discerem justificationes tuas, quas audiendo vel legendo discere non potui, eas patiendo plenissime intellexi.

« Bonum mihi lex oris tui, super millia auri, et « argenti. » Mansura fugitivis, et æterna temporalibus non sine injuria comparari possunt.

Jod *scientia*, vel *principium* interpretatur. Hæc littera ad veram scientiam nos invitat, ut non secundum litteram, sicut Judæi, sed spiritualiter legem et prophetas intelligamus, et illud omnium rerum principium esse sciamus, cujus manus nos fecerunt et plasmaverunt.

« Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me. » Quid per manus, nisi virtus et potentia ipsius significatur? Nihil corporeum in his verbis intelligatur, quia non manibus operatur Deus, sed voluntate. « Ipse enim dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt (*Psal.* xxxii, 9). » Respice ad primam litteram, quæ *scientia* interpretatur, ne littera te decipiat, ut hæc verba secundum litteram intelligere velis. Unde et sequitur: « Da mihi intellectum, ut « discam mandata tua. » Nonne audis quia et iste spiritualem quærit intellectum? Quoniam sicut Apostolus ait: « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* iii, 6). »

« Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, quia « in verbo tuo speravi. Hoc erit in judicio, quando omnes qui Deum timent, sive angeli, sive homines, videntes sanctam Ecclesiam, gloriosam et quasi solis radios fulgentem, de illius gloria et honore lætabuntur. Sed hoc habebit, quia in verbo Dei, in promissionibus ejus spem firmissimam posuit, et nulla ratione ab eo separari potuit.

« Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua. » Omnia judicia Dei vera et æqua sunt, sive malis prospera, sive bonis adversa contingant; quamvis super hoc etiam viri justi aliquando scandalizari soleant. Hoc autem Ecclesia se cognovisse dicit, et ideo de suis calamitatibus et afflictionibus lætatur. Unde et subditur: « Et in veritate tua humiliasti me. » Verax est Dominus et quando exaltat et quando humiliat sanctos suos, quia non minus eos adjuvat humiliando, quam exaltando. Hoc autem ideo dicere videtur, quia Dominus **558** ait: « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan.* xiv, 18). » Non est

(828) « Cum dicit: *Misericordia tua, Domine, plena est terra*, ostendit utique dilatationem fidei Christianæ, quam sic misericorditer implevit, ut undique nomen vanissimæ superstitionis evacuasse doceatur. » Cassiod.

(829) Cod. Ghisianus, *aliam misericordiam facientibus.*

(830) Cod. Ghis., *et adhuc, si volunt.*

Digitized by Google

hoc deserere, sed probare, et ad majorem gloriam præparare.

« Fiat nunc misericordia tua ut consoletur me. » Gaudeo, quasi dicat, de his quæ pertuli, sed amodo mihi fieri consolationis misericordiam peto : « Secundum eloquium tuum servo tuo. »

« Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam. « Veniant, inquit, nunc mihi servo tuo miserationes tuæ, et vivam secundum eloquium tuum, et secundum promissiones tuas. Sic se habet ordo. Bene autem dicit, secundum eloquium tuum ; quia in multis locis utriusque Testamenti promittit Dominus misericordiam et adjutorium fidelibus suis. « Quia lex « tua meditatio mea est. » Bona ratio cur ejus Dominus misereatur. Quorum enim miserebitur Dominus, si illos non audit qui ejus mandata custodiunt ?

« Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem « fecerunt in me. » De hoc, inquit, confundantur superbi, et erubescant, quia iniquitatem fecerunt in me. Et hoc injuste, quia ego ad viam veritatis eos invitabam. Bona confusio, quia non contra eos, sed pro eis orat. « Ego autem exercebar in mandatis « tuis. » Hoc est sanctorum studium et exercitium, ut mandata Dei semper custodiant.

« Convertantur ad me, qui timent te, et qui no- « verunt testimonia tua. » Omnes enim qui Deum timent, et qui ejus testimonia intelligunt, quocunque vadant, semper ad Ecclesiam convertuntur et ejus præcepta sequuntur. Multi enim quotidie peccando ab ea separantur, sed pœnitendo ad eam revertuntur.

« Fiat cor meum immaculatum in tuis justifica- « tionibus, ut non confundar. » Confundantur igitur illi qui Dei justificationes corde sordido et maculato tractare præsumunt. Quod quidem hæreticorum proprium est, qui divinas Scripturas corde perverso interpretantur.

CAPH. Hoc elementum, quod *manus* interpretatur, ad pugnandum et ad laborandum nos invitat. Tales enim manus habet ille qui dicit : « Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum (*Psal.* CXLIII, 1). » Et Apostolus : « Unusquisque laboret manibus suis operando quod bonum est (*Ephes.* IV, 28). » Et alibi : « Labores manuum tuarum manducabis (*Psal.* CXXVII, 2). » In magno namque prælio hoc in loco se (831) Ecclesia esse ostendit, dum dicit : « Quia factus sum sicut uter in pruina (*Psal.* CXVIII, 83). » Et (232) : « Paulo minus consummaverunt me in terra (*ibid.*, 87). »

« Defecit in salutari tuo anima mea, et in verba « tua speravi. » Tantum, quasi dicat, fuit desiderium salutis tuæ, quæ æterna est, ut ex toto in anima mea deficeret desiderium salutis meæ, quæ temporalis est. Et ideo in verbo tuo et in promissione tua speravi quæ mihi salutem præstat æternam. A Bona illa defectio, quæ ad tantam refectionem animam perducit.

« Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. » Isti oculi non carnis, sed mentis sunt, qui mundi vanitates videre deficiunt et despiciunt, ut sola divina eloquia contemplentur : « dicentes : Quando conso- « laberis me ? » Tales oculi loquuntur, sicut alibi dicitur : « Non taceat pupilla oculi tui (*Thren.* II, 18). » Omnia membra nostra loquuntur Deo, et non minus oculos, quam linguam audit. Per singula membra corporis nostri videt Deus, et intelligit intentionem cordis nostri.

« Quia factus sum sicut uter in pruina. » Hoc est igitur unde quærit consolationem. Nulla res fuit, in qua sanctorum calamitas convenientius ostendi potuisset, quam in utre, in pruina contractio, et congelatio. B

« Justificationes tuas non sum oblitus. » Non ideo, inquit, justificationes tuas oblitus sum, quia tantis miseriis circumventus, quasi uter in pruina factus sum.

« Quot sunt dies servi tui ? » quos videlicet in his calamitatibus sustinere habeo ? « Quando facies de « persequentibus me judicium ? » Jam, quasi dicat, manus deficiunt, et contra eos pugnare non valeo.

« Narraverunt iniqui fabulationes, » quibus mentem meam decipere nituntur. « Sed non » ita illæ sunt, « ut lex tua, Domine. » Unde hoc ? « Omnia « mandata tua veritas ; » illorum vero fabulationes C omni falsitate et errore plenæ sunt.

« Iniqui persecuti sunt me, succurre mihi, et « adjuva me. » Nimis duram et intolerabilem persecutionem in his verbis esse ostendit. Unde et subditur :

« Paulo minus consummaverunt me in terra. » Mala consummatio, qua humana vita in terra finitur. Qui enim sic finitur, ad æternam beatitudinem non extenditur. « Ego vero non dereliqui mandata tua. » Quod si fecissem, penitus in terra (832) consummatus essem.

« Secundum misericordiam tuam vivifica me. » Ut sicut cœpi, semper « custodiam testimonia oris « tui. » Non sine causa vivificari se postulat, qui quasi utrem in pruina se esse dicit.

D **559** LAMED. Interpretatur autem Lamed *disciplina*. Hujus disciplinæ discipuli sunt omnes Christiani ; hanc tenent et prædicant, hanc defendunt, et per hanc salvari confidunt.

« In æternum, Domine, permanet verbum tuum « in cœlo. » Cœlum vocari Ecclesiam omnes Scripturæ divinæ, et præcipue Evangelia nos docent. In Ecclesia igitur verbum Dei, et doctrina utriusque Testamenti permanet in æternum. Unde et Dominus ait : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Marc.* XIII, 31) (833).

« Et in sæculum sæculi veritas tua. » Idipsum

(831) Ita Cod. Ghis.
(832) Cod. Ghis.

(833) In Vulgata legitur : *In generationem et generationem veritas tua.*

Digitized by Google

autem et per verbum Dei et per veritatem Dei significatur. Omnis namque doctrina Dei veritas est, et nihil reprehensibile in ea est.

« Fundasti terram, et permanet. » Hæc terra Ecclesia est, quam et cœlum modo vocavit, cujus fundamentum Christus est, sicut Apostolus ait : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). » Hoc autem similiter in æternum permanet, sed non in hoc mundo permanet in æternum.

« Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia « serviunt tibi. » Præter angelum et hominem, omnia alia tenent ordinem sibi a Domino constitutum. Sed boni sunt isti dies qui in Domini ordinatione perseverant, per quos apostolos eorumque successores intelligere possumus. Servat terra stabilitatem suam, tenent et dies ordinem suum. « Omnia » autem « serviunt tibi. » Merito, inquit, et terram fundasti et dies ordinasti, quoniam per hæc et in his omnia alia serviunt tibi.

« Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea. » Tunc, inquit, quando humiliabar, quando me impii flagellabant et cruciabant, tunc forsitan periissem in ipsa mea humilitate et afflictione; « nisi quod lex tua meditatio mea est, » quæ me confortat et consolatur. Unde Apostolus ait : « Ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus (*Rom.* XV, 4). » — « In æternum non obliviscar « justificationes tuas. » Et hoc ideo, « quia in ipsis « vivificasti me, » quoniam, ut modo dixi, forsitan sine ipsis periissem in humilitate mea.

« Tuus sum ego, salvum me fac. » De salute animæ loquitur; quoniam nullos alios secundum animam salvat Dominus, nisi illos qui ejus sunt. Cum enim omnia sua sint, soli tamen illi sui esse dicuntur qui ei serviunt et in eum credunt. « Quia ju« stificationes tuas exquisivi. » Multis ex causis hanc suæ salutis rationem reddit, quia Domini mandata custodit.

« Me exspectaverunt peccatores, ut perderent « me. » Et tu quid fecisti? « Testimonia tua intel« lexi, » et ideo perdere me non potuerunt. Neque timui eos qui corpus occidunt, quia animam non possunt occidere, et hoc quidem testimonium tuum est.

« Omnis consummationis vidi finem, latum man« datum tuum nimis. » Vidi, inquit, probavi, et certissime cognovi, latum mandatum tuum nimis, finem esse omnis consummationis et perfectionis; et qui illud observat, securus est, et ab inimicis superari non potest. Qui enim Deum et proximum diligit, Deum et proximum offendere timet : latum, et nimis latum est hoc mandatum, quoniam omnia alia in eo continentur.

MEM. Interpretatur autem Mem *ex quo*, vel *ex ipsis*. Superioribus continuatur, et de eodem mandato primo et maximo loquitur adhuc. Et bene hic dicitur, ex quo, vel ex ipsis, quia de illo mandato loquitur, quod et unum est, et multa. Audiamus igitur quid sequentia dicant, et ex ipso, et ex ipsis.

« Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die « meditatio mea est. » Et hoc quidem non fecisset, nisi multum eum dilexisset. « Est autem maximum, et primum mandatum : Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, et ex omnibus viribus tuis (*Matth.* XXII, 37), » etc.

« Super omnes inimicos meos prudentem me feci« sti mandato tuo, quia in æternum mihi est. » Hoc, inquit, mandatum omnibus inimicis meis prudentiorem et sapientiorem me fecit, quia vitam mihi præstat æternam. Et hoc est quod dicit : « Quia in æternum mihi est, » in quo qui offendit, factus est omnium reus. Cætera vero quæ sequuntur aliorum mandatorum **560** sunt. Ac per hoc intelligere possumus quid significet ex quo, vel ex ipsis.

« Super omnes docentes me intellexi, quia testi« monia tua meditatio mea est. » Satis discipuli melius intelligunt, quam ipsi sui magistri, si eam custodiunt; quia ille bene meditatur in legem, qui eam observat. Unde Apostolus ait : « Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (*Rom.* II, 13). »

« Super seniores intellexi, quia mandata tua « quæsivi. » Quæsivi autem plus agendo quam legendo. Neque magistri, neque seniores legem intelligunt, nisi faciant quod intelligunt.

« Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut cu« stodiam verbum tuum. » Neque enim aliter verbum Dei custodire potuisset, nisi a malo declinasset, cum Dominus a malo declinare præcipiat.

« A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem po« suisti mihi; » ut a judiciis tuis non declinarem. Si « vis, » inquit Dominus, « perfectus esse, serva mandata (*Matth.* XIX, 21). » Itemque : « Qui diligit me, mandata mea custodit (*Job* XIV, 15). »

« Quam dulcia faucibus meis eloquia tua; super « mel, et favum ori meo. » Hoc illi soli dicere possunt qui verba Dei et audire et facere concupiscunt. Multi enim sunt (ex quibus ego quoque unus sum) quibus audire dulce est, facere autem valde amarum esse videtur.

« A mandatis tuis intellexi. » Non solum quasi dicat, mandata tua intellexi, sed ab ipsis intelligendi formam, et ipsum, quem prius non habebam, intellectum suscepi. « Propterea omnem viam ini« quitatis odio habui; » quam videlicet viam illi multum diligunt qui mandata tua non intelligunt. Hoc autem quod sequitur; « quoniam tu legem po« suisti mihi, » in alia translatione non habetur. Sed magna ratio est ut iniquitatem odio habeamus, quia lex justitiæ et æquitatis nobis posita est.

NUN. Hoc elementum, quod *sempiternum*, vel *piscis* interpretatur, hanc doctrinam sempiternam esse significat et omnibus eam custodientibus vitam promittit æternam. Sed necesse est ut pisces fiant, et in aquis baptismatis natent qui per eam ad beatitudinem venire desiderant. Unde et Dominus ait :

Digitized by Google

« Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* III, 5). »

« Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, « et lumen semitis meis. » Hoc, inquit, verbum tuum, et hæc doctrina tua, lucerna, et lumen mihi est, ut recte itinere incedere valeam, quoniam qui hoc lumine non ducuntur, cæci sunt, et in tenebris ambulant. Ideoque « juravi, et statui custodire ju- « dicia justitiæ tuæ. » Hoc juramentum omnes illi faciunt, quicunque Christi fidem suscipiunt. Propter quod etiam « humiliatus sum usquequaque, Do- « mine. » Illi revera humiliantur, et ex toto humiliantur, qui tanto lumine et tali lucerna illuminantur. « Vivifica me secundum verbum tuum. » Hoc est enim illud verbum quod Dominus ait : « Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XVIII, 14). »

« Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine. » Quæ sunt ista voluntaria, quæ sic placere Domino rogat, nisi illa juramenta quæ se vovisse et statuisse modo superius dixit : « Et judicia tua doce « me, » quia aliter ea etiam cum juramento custodire non valeo.

« Anima mea in manibus meis semper (834). » Similiter autem et beatus Job ait : « Quare lacero carnes meas dentibus meis, et animam portо in manibus meis? » (*Job*, XIII, 14.) Ille animam suam in manibus portat, qui bonis operibus eam Domino repræsentat. Semper sit anima nostra in manibus nostris, ut nunquam ejus obliviscamur, et nunquam eam cadere patiamur ; « et legem tuam non « sum oblitus. » Non habent animam suam secum, qui legem Dei obliviscuntur. Qui vero eam præ manibus habent, legis Dei oblivisci non possunt.

« Posuerunt peccatores laqueos mihi, et a man- « datis tuis non erravi. » Si legem Dei oblitus fuisset, inter peccatorum laqueos, mandata Dei custodire non potuisset.

« Hæreditate acquisivi testimonia tua in æter- « num. » Si quasi aliena, sibique accommodata Dei testimonia habuisset, nequaquam ea in sempiternum habere potuisset, sed quia jure hæreditario acquisita sunt, ideo ea mittere non timet. Hinc est autem, quod hæc littera, a qua isti versus incipiunt, *sempiternum* interpretatur. « Quia exsultatio cordis « mei sunt. » Illis igitur testimonia Dei hæreditaria sunt, qui ea cum exsultatione custodiunt, ab aliis vero facile dilabuntur.

« Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes « tuas in æternum. » Et hoc quare? propter retributionem, quam me pro hoc facto habere non dubito. In æternum Dei justificationes se facere promittit, quia in æternum hæreditatem eas acquisivit.

561 SAMECH *adjutorium* interpretatur ; unde et hic dicitur : « Adjutor et susceptor meus es tu. Adjuva me, et salvus ero. » Et illi quidem hoc adjutorium habebunt qui hanc doctrinam et hanc legem custodiunt.

« Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. » Ille diligit legem qui legis mandata observat. Præcipit autem lex, sicut Dominus ait : « Ut diligas amicum tuum, et odio habeas inimicum tuum (*Matth.* V, 43). » Sed alia lex econtra dicit : « Diligite inimicos ve- « stros (*ibid.*). » Diligamus ergo homines iniquos secundum naturam, sed non diligamus secundum vitium quod operantur, et sic utrumque facere poterimus, et legem diligere et iniquos odio habere.

« Adjutor et susceptor meus es tu, et in verbo « tuo speravi. » Igitur significat littera « Samech, » quia illorum adjutor est Dominus qui in verbo ejus sperant, et promissiones firmissime exspectant.

« Declinate a me, maligni. » Quare? « Et scrutabor « mandata Dei mei. » Quia illa diligo, vos autem odio habeo. Isti sunt illi iniqui de quibus modo dixit : « Iniquos odio habui ; » qui, nisi ab eo recesserint et declinaverint, legem Dei scrutari non valet : « Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava (*I Cor.* XV, 33). »

« Suscipe me secundum eloquium tuum et vi- « vam. » — « Omnis, qui venit ad me, dicit Dominus, non ejiciam foras (*Joan.* VI, 37). » Soli autem illi vivunt qui a Domino suscipiuntur. « Et ne confun- « das me ab exspectatione mea. » Illi confundentur ab exspectatione sua quibus in judicio janua claudetur, et a Domino dicetur : « Amen dico vobis, nescio vos (*Matth.* XXV, 12). »

« Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in tuis justificationibus semper. » Deus est, qui operatur in nobis et velle et posse (*Philip.* II, 13), et sine ejus adjutorio nihil boni facere possumus (835).

« Sprevisti omnes discedentes a justificationibus « tuis, quia injusta cogitatio eorum. » Injusta et omnino iniqua est cogitatio illorum, qui ita recedunt a mandatis Domini, quibus homines justificantur, ut ulterius ad ea per pœnitentiam non revertantur.

« Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ. » Omnes homines in Adam prævaricatores facti sunt (836) ; qui, legem sibi impositam transgrediens, ad arborem sibi interdictam accessit. In illa utique prævaricatione pereunt quicunque Christi sanguine non sunt redempti (837). Qui vero redempti sunt, nisi legem sibi datam custodiant, prævaricatores fiunt. Omnes igitur peccatores, prævaricatores esse

(834) Notat Augustinus : « Non nulli codices habent *in manibus meis*, sed plures *in tuis*, et hoc quidem planum est. Justorum enim anima in manu Dei sunt. In cujus manu sunt et nos et sermones nostri. »

(835) Necessitas gratiæ Dei etiam ad initium cujuslibet actionis bonæ contra semipelagianos, et juxta D. Augustini mentem docetur.

(836) Cod. Vallicell.. *prævaricati sunt.*

(837) Infantes sine baptismo pereunt ; sicut enim et ipsi prævaricatores legis a Deo Adamo datæ in paradiso, ideoque egent gratia Dei, nempe regeneratione baptismatis ut salventur. Hæc est Augustini sententia.

Digitized by Google

non dubium est. « Ideo dilexi testimonia tua. » Ipsa enim sunt in quibus homines prævaricatores fiunt, et per quæ a peccato prævaricationis liberantur.

« Infige timore tuo carnes meas. » Ut tui timoris gladio vulneratæ carnis concupiscentiis non moveantur.

« A mandatis enim tuis timui. » Tua mandata me docuerunt et intelligere fecerunt quam magnum peccatum sit carnis voluptatibus agitari.

Ain *fons*, sive *oculus* interpretatur. Est igitur hæc doctrina et fons vivus, quo animæ satiantur, et clarissimus oculus, quo illuminantur. Qui de hoc fonte non bibunt, semper sitiunt, et qui hoc oculo non illuminantur, nunquam de erroris tenebris liberantur.

« Feci judicium et justitiam, ne tradas me perse- B « quentibus me. » — « Eadem mensura, qua mensi fueritis, dicit Dominus, remetietur vobis (*Matth.* VII, 2). » Qui igitur rectum judicium et justitiam fecit, non est ei timendum, ut persecutoribus suis in judicio tradatur. Isti persecutores maligni spiritus sunt, quibus qui traditus fuerit, non dimittetur usque ad novissimum quadrantem.

« Elige servum tuum in bonum, ut non calum- « nientur me superbi (838). » De illa electione loquitur quæ in judicio fiet, quando agni ponentur a dextris, hædi vero a sinistris. Elige, inquit, servum tuum, et pone me in partem bonam, ut non calumnientur me illi superbi, qui nec tibiipsi aliquando humiliari voluerunt.

« Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et justi- C « ficationes tuas doce me. » Hæc verba ineffabilis desiderii indicia sunt. Sed deficiunt oculi nostri in utraque contemplatione, **562** quia neque Salvatorem nostrum, neque ejus eloquia perfecte in hac vita comprehendere valemus.

« Fac cum servo tuo misericordiam tuam, et ju- « stificationes tuas doce me. » Hanc, inquit, misericordiam mihi facias, ut illo fonte et illo oculo, de quibus modo superius dixi, me reficere et illuminare digneris.

« Servus sum ego, da mihi intellectum et sciam « testimonia tua. » Illi soli debet dari intellectus, qui se servum esse cognoscit et Domini sui mandata offendere timet. Si non servaverit, damnabilis erit, D quæ sine intellectu servare non poterit.

« Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem « tuam. » Nunc, inquit, est tempus faciendi quod postulo, quia nunc maxime intellectus necessarius est, quando contra veritatem hæretici pugnant. Hoc est enim quod dicit : « dissipaverunt legem tuam. »

« Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion. » In metallis aurum, et in gemmis topazion pretiosius est. Ideo, inquit, dilexi mandata tua super omnia, quæ hoc in mundo desiderari possunt; quia servus tuus ego sum, et tibi per omnia placere, et voluntatem tuam facere concupisco. « Propterea si- « militer ad omnia mandata tua facienda dirigebar, » et propterea « omnem viam iniquitatis odio habui. » Bonus servus, qui Domini sui voluntati concordans, hoc diligit quod ipse : hoc odit quod ipsum odisse cognoscit.

Phe interpretatur *os*, de quo in sequentibus dicitur. « Os meum aperui, et attraxi spiritum. » Docet nos ista littera ut os aperiamus, et hanc doctrinam tam sanctam et perfectam suscipiamus, memoriæ commendemus et in cordis habitaculo reponamus.

« Mirabilia testimonia tua, Domine, ideo scrutata « est ea anima mea. » Magnum et perfectum os habet iste qui ita loquitur. Mirabilia quidem sunt testimonia Dei, quia tam alta sunt, ut humano ingenio intelligi non valeant; tam vera ut nemo eis resistere possit; tantæ efficaciæ, ut a morte animam liberent, et ad vitam perducant æternam. « Ideo scrutata est ea anima mea. » Quæ enim scientia tam perfecta est, ut cum magno desiderio perscrutanda sit.

« Declaratio sermonum tuorum illuminat me, et intellectum dat parvulis. » Et me, inquit Ecclesia, illuminat declaratio, et expositio sermonum tuorum, et parvulis, qui in me sunt, tribuit intellectum. Talis est igitur hæc doctrina, ut pro capacitate utentium, et majoribus, et minoribus idonea sit.

« Os meum aperui, et attraxi spiritum. » Os videlicet interioris hominis aperuit, et spiritum sapientiæ et intellectus Domino largiente suscepit. « Quia « mandata tua desiderabam. » Illis igitur datur sapientia qui mundo corde eam desiderant. Unde et Jacobus apostolus ait : « Si quis indiget sapientia, postulet a Domino, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei (*Jac.* I, 5). »

« Aspice in me, et miserere mei secundum judi- « cium diligentium nomen tuum. » Secundum judicium, inquit, et testimonium apostolorum et prophetarum diligentium te. Aspice in me, et miserere mei, et illam misericordiam mihi facias quam per eos mihi facere promisisti.

« Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, « et non dominetur mei omnis injustitia. » Hoc est enim quod alibi dicitur : « A Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus cupit nimis (*Psal.* XXXVI, 23). » Et alibi : « Illuminare his qui in tenebris sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis (*Luc.* I, 79). » Ubi autem gressus mentis directi sunt, ibi injustitia dominari non potest.

« Redime me a calumniis hominum, ut custodiam « mandata tua. » Multæ sunt calumniæ hominum quibus injuste sanctis calumniantur et quiescere non permittunt, et ideo ea diligentia, qua debent, Dei mandata custodire non possunt.

« Faciem tuam illumina super servum tuum. » Tunc faciem suam super nos Dominus illuminat,

(838) Vulgata habet : *Suscipe servum tuum in bonum.* Apud Augustinum legitur : *Excipe servum tuum in bonum, non calumnientur mihi superbi :* ad quæ addit S. Doctor *illi impelluni, ut cadam in malum; tu excipe in bonum.*

Digitized by Google

quando lætam faciem nobis ostendit, pellendo adversa et prospera tribuendo. « Et doce me justificatio- « nes tuas. » Nunquam legis et mandatorum oblivisciturus, sed pene in unoquoque versu legis scientiam sibi dari exoptat.

« Exitus aquarum transierunt oculi mei, quia non « custodierunt legem tuam. » Quanta viri perfectio, qui lacrymarum inundatione aquarum exitus se transisse dicit, quia legem Domini, sicut voluit, custodire non potuit!

563 SADE *justitia* interpretatur, de qua dicitur: « Justitia tua, justitia in æternum, et lex tua veritas. » Hæc igitur littera ad justitiam nos invitat, cujus virtus non modica in hujus psalmi doctrina continetur.

« Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. » Ideo Dominus justitiam diligit, et ideo nos hæc littera ad justitiam provocat, quia justus est, et omne ejus judicium rectum est, quem sicut Dominum, et magistrum per omnia et in omnibus imitari debemus.

« Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem « tuam nimis. » Quia enim justus est Dominus, ideo justitiam, et testimonia sua, et veritatem suam nimis custodiri præcepit. Nimis quidem, quia in eorum observatione ipsa vita postponenda est. Dicitur nimis, non ad justitiæ contemplationem, sed ad hominum opinionem.

« Tabescere me fecit zelus domus tuæ (839), quia « obliti sunt verba tua inimici tui. » Tale est et illud, quod alibi dicitur: « Zelus domus tuæ comedit me (*Psal.* LXVIII, 10). » Nimio dolore se defecisse ostendit, quia domum Dei ab hæreticis destrui et dissipari conspexit. Ipsi enim sunt inimici ejus, qui verba Dei et sanum intellectum obliti sunt, et aliter Scripturas exponunt, quam ab antiquis Patribus didicerunt (840).

« Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus « tuus dilexit illud. » Vehementer ignitum est eloquium Dei, quo mentis oculi illuminantur, peccata exuruntur, et ad Dei amorem corda fidelium accenduntur. « Et servus tuus dilexit illud. » Nisi enim dilexisset, pro eo defendendo ad mortem usque non pugnasset.

« Adolescentior sum ego, et contemptus. » Adolescentiorem, quasi dicat, inimici mei me reputant, et puerilem intelligentiam me habere dicunt, et quasi stultus et insipiens contemptus sum ab eis. « Ego autem justificationes tuas non sum oblitus, » sicut illi quorum me oblivio tabescere fecit.

« Justitia tua, justitia in æternum. » Non est talis, inquit, justitia tua, quæ oblivioni tradenda sit, æterna esse debet, et superari non potest. Unde et subditur: « Et lex tua veritas. » Veritas autem a mendacio superari non potest. Pro hac autem justitia tua, quam tanta instantia tenere et defendere studui, « tribulatio et angustiæ invenerunt me. » Et tu quid fecisti? « Mandata autem tua meditatio mea « est. » Si enim a sola justitia, quam prædicabant sancti Dei cessare voluissent, illas tantas tribulationes et angustias passi non fuissent.

« Æquitas testimonia tua in æternum. » Egregie testimonia Dei non æqua esse, et ipsam potius æquitatem esse dicit, ut se justissime, et non sine causa pro eis pugnasse ostendat.

« Intellectum da mihi, et vivam. » Solum intellectum postulat, et in ipso vitam suam esse confirmat; quo videlicet intellectu, et testimonia Dei contra inimicos defendere, et ipsos inimicos expugnare valeat.

COPH interpretatur *vocatio*. Hæc littera monet nos semper vocare, et sine intermissione clamare ad Dominum, sicut sequentia manifestant, ut in omnibus necessitatibus nostris nobis subveniat, et a nostris persecutoribus nos eripiat.

« Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domi- « ne. » Sic igitur clamet qui exaudiri desiderat; non voce, sed corde clamet, quia non ad vocem, sed ad cor respicit Deus. In vanum extolletur vox, nisi ex corde procedat oratio. « Justificationes tuas re- « quiram. » Et hæc quidem causa non minima est exaudiendæ orationis.

« Clamavi ad te, et salvum me fac, ut custodiam « mandata tua. » Neque enim aliter ejus mandata custodire valemus, nisi ipse nos protegat, et salvos faciat, et a vitiorum et dæmoniorum infestatione defendat.

« Præveni in maturitate, et clamavi, et in verbo « tuo speravi. » Maturitas pro congruo ponitur et opportuno. « Omnia tempus habent (*Eccle.* III, 1). » Et de arbore illa nobilissima dicitur: quia « dabit fructum suum in tempore suo (*Psal.* I, 3). » Clamat igitur in maturitate, quia tunc clamat, quando clamare oportet, et sic clamat, sicut oportet. Et qui ita clamat in verbo et promissione Dei firmissime sperare potest. Unde et sequitur: **564** « Et in verbo tuo speravi. »

« Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut me- « ditarer eloquia tua. » Diluculo, inquit, summo mane, nocte transacta, erroris et tenebrarum obscuritate fugata, veni ad meditandum eloquia tua, ut sic ad te et ad tui cognitionem pertingere possem. Qui lucem videre vult, de tenebris cum exire oportet.

« Vocem meam, exaudi, Domine, secundum mi- « sericordiam tuam, et secundum judicium tuum

(839) Vulgata habet: *Tabescere me fecit zelus meus.* Super quæ ita animadvertit S. Aug. *Tabescit me zelus meus*, vel sicut alii codices habent: *zelus tuus.* Habent nonnulli etiam *domus tuæ*, et non *tabescit me*, sed *comedit me.* Quod ex alio psalmo quantum mihi esse videtur putatum est emendandum, ubi scriptum est, *zelus domus tuæ comedit me.* Unamquamque lectionem optimum sensum continere demonstrat, ut quilibet videre poterit.

(840) Proprie Novatorum est sacras Scripturas in pravum sensum detorquere, et ab interpretationibus SS. Patrum suis erroribus adversantibus longe abire.

Digitized by Google

« vivifica me. » Non ex meritis, sed ex misericordia exaudiri se postulat, et secundum ejus judicium justificari quærit, qui solis pœnitentibus misericordiam facit.

« Appropinquarunt persequentes me iniquitati : « a lege autem tua longe facti sunt. » Mihi, inquit, appropinquarunt iniqui, ut me perderent et deciperent, sed a lege tua longe facti sunt, cui per omnia contradicunt.

« Prope es tu, Domine. » Illi, inquit, a lege tua longe sunt, quia in errore et falsitate sunt; sed tu, Domine, prope es, quia ibi es, qui veritas es. Unde et subditur : « Et omnia mandata tua veritas. » Omnia mandata Dei vera sunt, quia ab ipsa veritate composita sunt.

« Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æter- B « num fundasti ea. » Initium Christus est, qui de seipso ait : « Ego principium, qui loquor vobis (*Joan.* VIII, 25). » Sed Christus hoc dicit de testimoniis suis, et de verbis suis : quia « cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Luc.* XXI, 33). » Ab ipso ergo initio cognovimus et edocti sumus, quia testimonia ejus in æternum fundata sunt. Stulti igitur sunt, qui ea dissipare et destruere conantur.

Res *caput* interpretatur. Hoc est illud caput sive principium de quo alibi dicitur : « In capite libri scriptum est de me (*Psal.* XXXIX, 9). » De hoc et in sequentibus dicitur. « Principium verborum tuorum veritas. » Hoc igitur principium Christus est, a quo C hæc omnia mandata suscepimus. Hæc itaque littera jubet semper ad caput respicere, et capitis reverentia omnia hæc mandata fideliter custodire.

« Vide humilitatem meam, et eripe me, quia le- « gem meam non sum oblitus. » Vide, inquit, hanc humilitatem et afflictionem meam, et eripe me, quia multi sunt persequentes me et tribulantes me. Ego tamen legem tuam non sum oblitus, pro qua omnes istas sustineo passiones et humiliationes.

« Judica judicium meum, et redime me. » Judicium suum, quo injuste ab iniquis judicatus et damnatus est, judicari et vindicari rogat, et se de illorum impia servitute redimi et liberari postulat. « Propter eloquium tuum vivifica me. » Hoc est illud eloquium, quod Dominus ait : « Si quis ser- D monem meum servabit, mortem non videbit in æternum (*Joan.* VIII, 51). »

« Longe est a peccatoribus salus, quia justifica- « tiones tuas non exquisierunt. » Boni, inquit, ideo salvantur et vivificantur, quia eloquia Domini exquirunt et custodiunt; quod quia mali facere negligunt, ideo longe est a peccatoribus salus.

« Misericordiæ tuæ multæ nimis, Domine, secun- « dum judicium tuum vivifica me. » Hoc est illud judicium misericordiæ plenum, quo Dominus ait : « Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI, 14). » Itemque : « Dimittite, et dimittetur vobis (*Luc.* VI, 37). »

« Multi persequentes me, et tribulantes me. » Ego autem, sicut ipse scis, « a testimoniis tuis non declinavi, » neque inter ipsa tormenta te confiteri et laudare cessavi.

« Vidi non servantes pactum, et tabescebam, « quia eloquia tua non custodierunt. » Hoc de Judæis, vel de Christianis timore mortis Dominum negantibus dicit, quia inde multum dolebat et tabescebat, quod pactum non observabant, et eloquia Domini non custodiebant. Quibus Dominus ait : « Nolite timere eos qui occidunt corpus (*Matth.* X, 28); » quia « post hæc non habent ultra quid faciant (*Luc.* XII, 5). »

« Vide quia mandata tua dilexi, Domine, in tua « misericordia vivifica me. » Notandum est quod homo tantæ perfectionis, quasi de futuris pertimescens, semper misericordiam petit.

« Principium verborum tuorum veritas. » Omnia, inquit, mandata tua dilexi, quorum principium veritas est, ex quo fonte ejusdem puritatis omnia deducuntur. Et ideo « in æternum manent omnia judicia « justitiæ tuæ. » Si vera non essent, in æternum manere non possent; cum omnia falsa cito deficiant et pereant, nihilque diu durabile sit, quod a veritate recedit.

565 Sin *dentes* interpretatur. Tyranni, et hæretici dentes diaboli sunt, qui sanctos decipere et devorare nituntur, de quibus alibi dicitur : « Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt (*Psal.* LXXVIII, 7). » Et de quibus similiter hoc in loco Ecclesia dicit :

« Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis « tuis formidavit cor meum (841). » Gratis quidem hoc faciebant, quia nulla justa causa erat, quod hoc facere debuissent. Unde et Dominus Judæis in Evangelio dicit : « Quia odio habuerunt me gratis (*Joan.* XV, 25). » — « Et a verbis tuis formidavit cor meum. » Non illos tantum, inquit, timebam, quantum ne te offenderem, et timore perterritus in verba tua peccarem.

« Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inve- « nit spolia multa. » Pro spoliis computat eloquia Dei, quæ hostibus devictis retinere et defendere potuit.

« Iniquitatem odio habui, et abominatus sum, le- « gem autem tuam dilexi. » Non iniquos, qui me crudeliter persequebantur, sed eorum iniquitatem odio habui, et abominatus sum, ut gratis, et sine causa hoc fecisse intelligantur. « Legem autem tuam dilexi, » pro qua meipsum tradere non dubitavi.

« Septies in die laudem dixi tibi. » Finitum pro infinito posuit, et tale est ac si diceret : Quoties me in die tentaverunt, toties me paratum ad laudes tuas prædicandas et confitendas invenerunt. Et hoc est quod dicit : « Super judicia justitiæ tuæ. » Ad quid enim hæ laudes pertinebant, nisi ad judicia

(841) Vide August. quid in hunc locum præferat.

Digitized by Google

justitiæ Dei? Hinc autem consuetudo inolevit ut A septies in die Ecclesia laudes Domino cantet.

« Pax multa diligentibus nomen tuum, Domine. » Multam pacem habet, qui ipsos suos diligit inimicos. Unde Apostolus ait : « Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (*Rom.* XII, 18). » — « Et non est illis scandalum. » — « Beatus est, inquit Dominus, qui non fuerit scandalizatus in me (*Luc.* VII, 23). » Scandalum esset eis si murmurassent, et patienter omnia non sustinuissent (842).

« Exspectabam salutare tuum, Domine. » Ideo, inquit, inter ipsa tormenta non scandalizabar, quia salutem tuam exspectabam, quam mihi futuram esse non dubitabam. Et idcirco « mandata tua dilexi; » quæ nunquam mihi mentita sunt, et in omnibus vera B esse probavi. Unde adhuc subditur :

« Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit « ea vehementer. » Et hoc ipsum repetit adhuc : « Servavi mandata tua, et testimonia tua. » Quod tu ipse melius nosti. Unde hoc? « Quia omnes viæ meæ « in conspectu tuo. »

Tau *signum* vel *consummatio*, sicut in principio hujus psalmi dictum est, interpretatur. Et quia ibi expositum est, ut iterum exponatur necesse non videtur. « Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine, secundum eloquium tuum da mihi intellectum. » Hoc est illud eloquium, quod alibi dicit : « Intellectum tibi dabo, et instruam te (*Psal.* XXXI, 8). » Rogat igitur, ut intellectum sibi det, C sicut ei se daturum esse promisit.

« Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine, secundum eloquium tuum eripe me. » Et hoc est similiter quod Dominus ait : « Non vos deseram, neque derelinquam (*Joan.* XIV, 18). » Et : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Itemque : « Invoca me, inquit, in die tribulationis tuæ, et eripiam te, et magnificabis me (*Psal.* XLIX, 15). »

« Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris « me justificationes tuas. » Ideo rogavit ut intellectum sibi daret, quia ejus justificationes plenissime eructare et prædicare desiderat.

« Pronuntiabit lingua mea eloquia tua. » Et hoc omnibus nuntiabo, quia omnia eloquia tua et omnia D mandata tua justa, et sancta, et æqua sunt, et nihil erit quod ab eorum laudibus me terrere possit.

« Fiat manus tua, ut salvum me faciat, quia man- « data tua elegi. » Ego, inquit, mandata tua omnibus nuntiare et prædicare elegi ; tu solummodo mihi adjutorium præsta, ne mihi prævaleant inimici. Nemo enim est qui dexteræ tuæ resistere possit.

« Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua « meditatio mea est. » Non corporis, sed animæ salutem quærit, quam Dominus suis fidelibus se præcipue daturum esse promisit, dicens eis : « Nolite timere **566** eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 28). » Unde et alibi dicitur : « Dominus custodit te ab omni malo (*Psal.* CXX, 7). » Et hoc determinat quomodo custodit. « Custodiet animam tuam Dominus (*ibid.*, 8). » Et hoc est quod ait : « Vivet anima mea, et lauda- « bit te, et judicia tua adjuvabunt me. » Judicia, inquit, tua, quæ ego prædico, et lex tua, quæ meditatio mea est, ipsa me adjuvabunt, et a cunctis periculis liberabunt.

« Erravi, sicut ovis quæ perierat, quære servum « tuum, Domine, quia mandata tua non sum obli- « tus. » Loquitur Dominus in Evangelio (*Luc.* XV) de homine, qui habebat centum oves, et relictis nonaginta novem, unam venit quærere, quæ perierat. Inventam autem super humeros imposuit, et ad pascua reportavit; de cujus inventione maximam lætitiam factam fuisse narrat. Hæc autem ovis humana natura est, pro qua Dominus in mundum venit, quæsivit, invenit, et adhuc quotidie quærit et inventam ad cœlestia vehit (843).

PSALMUS CXIX.

CANTICUM GRADUUM.

Quindecim psalmi sunt, qui *Canticum Graduum* titulantur (844). Prius itaque de ipso numero tractandum est, quare quindecim tantummodo sint. Quinque sunt libri Moysi qui, per triplicem intelligentiam ducti, in quindecim surgunt. Est autem prima intelligentia litteralis, secunda spiritualis, tertia actualis. Prima occidit, secunda vivificat, tertia ad beatitudinem hominem perducit. De tertia namque scriptum est : « Intellectus bonus omnibus facientibus eum (*Psal.* CX, 10). » Itemque : « Non auditores legis justi sunt, sed factores (*Rom.* II, 13). » Legere igitur, et audire bonum est : spiritualiter vero intelligere melius est, agere autem quod intelligitur optimum est. Sed quis agat, quod non intelligit? Quis intelligit quod non audivit, nec legit? Sic igi-

(842) Nemo scandalizari debet, juxta S. Augustinum, si aliquos sanctæ cujusque professionis a lege delicere videat ; sed legem diligat, ut ex ea pacem consequatur.

(843) D. Augustinus Hebraicarum litterarum interpretationem cur omiserit, rationem reddit. « Quod autem, inquit, de alphabeto Hebræo, ubi octoni versus singulis subjacent litteris, atque ita totus psalmus contexitur, nihil dixi ; non sit mirum, quoniam nihil quod ad istum proprie pertineret inveni, » etc.

(844) Multam lucem pro horum psalmorum intelligentia affert Theodoretus : « Theodotion, inquit, Carmen ascensuum, sed Symmachus et Aquila in ascensus verterunt. Indicant ascensus sive gradus captivi populi a Babylone reditum, quandoquidem gratia Spiritus sancti servitutem et futuram libertatem prænoscebat, et hanc et illam prædixit, illorum utilitatem procurans, et nobis hinc lucrum afferens. Verum non eadem quilibet a Psalmis graduum vaticinatur, sed unus quidem calamitates, quæ Babylone ipsis acciderunt, et hic reditus lætum nuntium, alius autem in itinere lætitiam, et alius bella, quæ post reversionem gesta fuere, alius templi restaurationem, et varietas vaticinationis satietatem hymnorum cantilena exigit. Cæterum unusquisque psalmorum formatus est in sanctorum chorum, qui ea tempestate erat, quandoquidem propheticus sermo illos, quæ hic proposita sunt, dicentes inducit : at qui est primus graduum, et calamitates, et divinam benevolentiam narrat. »

Digitized by Google

tur de littera spiritualis intelligentia oritur, de spirituali vero intelligentia, operatio procedit. In illis enim quinque libris, si isto modo intelligantur, omnis divina et spiritualis intelligentia plenissime continetur. Quindecim igitur psalmi triplicatam, perfectamque scientiam ostendunt. Sed notandum quod non dicitur primus gradus, secundus gradus, vel tertius gradus, sed unusquisque vocatur Canticum Graduum, quasi unusquisque tanti sit, ut per se ad id quo tenditur, ascendentem perducere possit (845). Horum autem quindecim psalmorum (846), ille qui penultimus est, sanctorum Ecclesiam continet psallentium et dicentium : « Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum ! » (*Psal.* CXXXII, 1.) Tales autem erant illi de quibus dicitur : « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una ; et nemo dicebat aliquid esse suum, sed erant illis omnia communia (*Act.* IV, 32). » Inde autem uno gradu venientes ad ultimum, seipsos hortantur dicentes : « Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini, qui statis in domo Domini, (*Psal.* CXXXIII, 1). » Narrat autem Propheta, et eosdem ipsos per singulos psalmos loquentes introducit, quomodo mundi conversationem reliquerint, quæ impedimenta habuerint, et quid eis veniendo contigerit.

« Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me. » Aliquis de illa sancta congregatione hoc dicit quod, dum in mundi hujus sæculari conversatione multas tribulationes sustineret, et Deo familiarius adhærere cupiens, sui desiderii **567** vota complere non posset ; tandem intimo corde clamavit ad Dominum, et exauditus est. Quomodo autem clamaverit, audiamus.

« Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa. » Non solum hæretici, qui eum decipere et ad se trahere conabantur, sed ipsi sui propinqui et amici magnum sibi impedimentum faciebant, qui, ad sæculi voluptates et vanitates eum trahentes, sæcularibus implicari volebant. Unde non immerito eorum labia iniqua et linguam dolosam esse dicit, qui suæ mentis propositum tam sanctum et utile mutare, et ad mortis præcipitium trahere nitebantur. Ipse vero dum hæc scandala sustineret, sibiipsi et animæ suæ talia loquebatur. « Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ? » Quod consilium invenire poteris ad istorum dolos et deceptiones evitandum et repellendum.

« Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. » Sagittæ, inquit, potentis dabuntur tibi ; illis te defende, illas eis oppone : dic eis quod Dominus ait : « Qui amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus (*Matth.* X, 37). » Et : « Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus (*Luc.* XIV, 27). » Et : « Nisi quis reliquerit omnia quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*ibid.*, 33). » Et : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* XIX, 21). » Istæ sunt illæ sagittæ potentis, imo omnipotentis ; acutæ cum carbonibus S. Spiritus, quibus omnes insidiæ, et omnia machinamenta diaboli desolantur.

« Heu me (847) ! quia incolatus meus prolongatus « est : habitavi cum habitantibus Cedar, multum « incola fuit anima mea (848). » Sic, inquit, liberatus sum ab eis : ego tamen multum doleo, quia tardius feci, et qui tanto tempore cum eis conversatus sum. Quoniam revera habitavi cum habitantibus Cedar, et multum incola, eisque consentiens fuit anima mea. Cedar *tenebræ* interpretatur. Habitat igitur cum habitantibus Cedar, qui cum talibus commoratur ; tenebræ enim sunt isti tales, et tenebrosum principem imitantur.

« Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. » Non tamen, quod vitiis eorum et iniquitatibus consentirem, eisque prout poteram, multoties non contrairem. Sed dum loquebar illis, et verba salutis nuntiabam, « Impugnabant me gratis. »

PSALMUS CXX.

CANTICUM GRADUUM.

« Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxi« lium mihi. » Idem ipse, qui supra, loquitur adhuc. Cum me, inquit, cum aliter a labiis iniquis, et a lingua dolosa defendere possem, levavi oculos meos in montes, respexi ad apostolos, et ad eorum imitatores ut eorum sentirem auxilium, quorum exemplum imitari cupiebam. Et confestim illorum, et Domini auxilium suscipere merui. Et hoc est quod dicit :

« Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et « terram. Non det in commotionem pedem tuum, « neque obdormiet qui custodit te. » Sibiipsi loquitur, sicut et superius, ubi ait : « Quid detur tibi, aut « quid apponatur tibi ad linguam dolosam. » Recitat enim ea quæ sibi contigerant, antequam sanctorum jungeretur congregationi. Sic igitur prius seipsum consolabatur, et confortabat, et pedem mentis suæ firmum stare optabat, ut ab illo suo voto, sanctoque proposito moveri non posset.

« Ecce non dormitabit, neque obdormiet qui cu« stodit Israel. » Securus, inquit, esto, quia custos tuus semper vigilat, et nunquam suorum obliviscitur ; quia nunquam dormiet ille qui custodit Israel : per

(845) S. Hilarius in Prologo in Cantica de quindecim gradibus, quibus inscripti sunt sequentes psalmi, hæc habet : « Sed meminisse nos oportet hos eosdem psalmos non idcirco omnes corporaliter intelligendos, quia his corporalium negotiorum significatio antefertur : quin potius oportet nos spiritualem intelligentiam sub hac quadam generali rerum gestarum commemoratione sectari. »

(846) « Cum gradus audimus in psalmis, non terrenum, aut corporeis gressibus subeundum nobis aliquid suspicemur, sed mentis accipiamus ascensum. Ideo enim præmissum est *Canticum*, ut hoc potius ad animæ profectum applicare debeamus. CASSIOD.

(847) Ita etiam apud S. Aug.

(848) Apud S. Aug. *Longinqua facta est peregrinatio mea.*

Digitized by Google

quem eos intelligamus qui ejus contemplatione delectantur, semperque eum videre desiderant.

« Dominus custodit te, Dominus protectio tua su- « per manum dexteræ tuæ (849). » Satis ostendit, quia quibuscunque modis poterat, confortabat seipsum, ut votum et desiderium suum complere non timeret, cum talem tantumque haberet custodem, protectorem et défensorem.

« Per diem sol non uret te, neque luna per no- « ctem. » Nam et secundum litteram hoc plerumque habent sancti, qui locum secretum et solitarium, solique contemplationi idoneum sibi eligunt, ubi neque solis, neque lunæ, neque alicujus rei patiuntur injuriam. Sed per solem Christum intelligimus, qui est justitiæ sol a quo omnia illuminantur. Per lunam vero illi significantur qui in tota Ecclesia post solem virtute et miraculis sunt clariores. Et isti quidem judicaturi sunt, quorum præcepto omnes mittentur in ignem, quicunque in judicio damnabuntur. Per diem et per noctem omne tempus **568** significatur. Nunquam igitur neque sol, neque luna eos exuret, qui Domini faciunt voluntatem, quia nunquam fit, quod per diem et per noctem non fit.

« Dominus custodit te ab omni malo. » Sed ne corporis afflictionibus hoc intelligere velis, audi quid sequitur : « Custodiet animam tuam Dominus. »

« Dominus custodiat introitum tuum, » in sanctorum congregationem. « Et exitum tuum » de hoc mundo ad cœlestia festinantem. « Ex hoc nunc, et « usque in sæculum. » Quid est, ex hoc nunc? Ex hoc præsenti tempore, in quo hæc facere disponis, si in hac bona voluntate perseveraveris.

PSALMUS CXXI.

CANTICUM GRADUUM.

Iste quoque psalmus illorum graduum est, per quos ad summum perfectionis conscenditur.

« Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in do- « mum Domini ibimus. » Legeram, quasi dicat, in Scripturis utriusque Testamenti, et videram ibi sagittas potentis acutas, cum carbonibus desolatoriis, per quas divinæ legis sermones et testimonia significantur. Et valde lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, et dixi : Amodo nihil dubito, et certus sum quia in domum Domini ibimus, et sicut optavimus, in sanctorum congregatione habitabimus.

« Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jeru- « salem. » Nondum, inquit, veneram in Jerusalem, id est in illam sanctorum congregationem, et jam pedes mei spe certa et desiderio ibi stabant et figmati erant. Tale est illud quod Apostolus adhuc in terris positus dicit : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). »

« Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus par- « ticipatio ejus in idipsum. » Non loquor inquit, de illa Jerusalem, quæ occidit prophetas ; sed de illa « quæ sic ædificatur, ut civitas, cujus participatio « est in idipsum (850) ; » cujus habitatores et volunt et nolunt idem atque ipsum ; quibus omnibus est cor unum, et anima una ; de quibus non immerito dicitur : « Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. »

« Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, « testimonium Israel, ad confitendum nomini tuo, « Domine. » Quasi aliquis dicat : Qui sunt illi qui habitant in hac Jerusalem, in qua tantam concordiam esse dicis? Cui ipse : Omnes tribus Domini, omnes viri catholici et religiosi, omnes martyres et confessores, et quicunque Deo fideliter serviunt, hujus civitatis sunt habitatores. Illuc ascendit et testimonium Israel. Ad quid? « Ad confitendum nomini tuo, Domine. » Hoc est illud testimonium, quod filiis Israel in monte Sinai a Domino datum est. Hoc igitur testimonium non Judæi, sed Christiani habent. Illi hoc habent, qui non ad litteram, sed spiritualiter illud intelligunt, et in eo Dominum confitentur, et laudant.

« Quia illic sederunt sedes in judicio, super do- « mum David. » Merito, inquit, illuc ascenderunt tribus Domini, et testimonium Domini, quia illic sederunt et sedent, sedes in judicio præparatæ, sedes illæ, quæ distributæ sunt super domum David. De quibus sedibus ipse Dominus suis discipulis loquitur, dicens : « Vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 27). » Sic igitur divisæ sunt istæ sedes, et sic tota domus David, id est tota Ecclesia, in eas dividitur, ut unusquisque apostolus ibi suam habeat sedem. Usque hodie unusquisque episcopus sedem suam vocat Ecclesiam illam in qua ordinatus est.

« Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem (851). » Omnes, inquit, qui in Jerusalem habitatis, et quicunque hæc verba auditis, rogate pro his quæ pertinent ad pacem Jerusalem ; quia sine pace impossibile est placere Deo. Et dicite : sit « abundantia di- « ligentibus te, » sit abundantia totius felicitatis, ut qui de tua pace lætantur ipsi quoque perpetua pace perfruantur. Unde et subditur :

« Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turri- « bus tuis. » Fiat, inquit, pax in virtute tua, ut quod

(849) Lectio apud S. Aug. *Dominus tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ.*

(850) Augustinus audiatur interpres. « Quid est *idipsum* ? Quod semper eodem modo est ; quod non modo aliud, et modo aliud est. Quid est ergo *idipsum*, nisi quod est? quid est quod est? Quod æternum est. » Huic consonat Cassiodorii interpretatio. *Cujus participatio ejus in idipsum ;* « id est civitatis istius *participatio* est in Domino Salvatore, qui est proprie in idipsum. In idipsum quippe significat æternitatem, quæ nunquam desinit esse quod est, sed semper unc atque eodem modo est : virtus indefecta, potestas incommutabilis, substantia per se manens, omnia quæ vult efficaciter potens. »

(851) *Interrogate quæ ad pacem sunt Jerusalem* legitur in Augustino, qui ea refert ad judices sedentes super duodecim sedes, et interrogabunt judicandos ; « et quos invenerint fecisse misericordiam, ipsos vocabunt ad Jerusalem, quia ipsa sunt ad pacem Jerusalem. »

Digitized by Google

a nobis habere non possumus, tuis meritis obtineamus. Et **569** sit abundantia in turribus tuis; per quas pastores et rectores Ecclesiæ significantur, quibus tota civitas defenditur et custoditur. Tanta abundantia est istis necessaria, quæ aliis omnibus sufficere valeat.

« Propter fratres meos, et proximos meos, loquebar « pacem de te. » Isti sunt illi fratres qui dicunt: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare « fratres in unum! » Pro quibus semper orandum est, ut in illa pace et concordia perpetuo perseverent.

« Et propter domum Domini Dei mei, » quæ ex tuis lapidibus ædificatur, « quæsivi bona tibi. » Unde et alibi dicitur: « Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem (*Psal* L, 20). »

PSALMUS CXXII.

CANTICUM GRADUUM.

« Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. » Habitatio Dei, et in conventu angelorum, et in Ecclesia est, quæ per cœlum significatur. Unde et alibi dicitur: « Tu autem in sancto habitas, laus Israel (*Psal.* XXI, 4). » Ad te, inquit, levavi oculos mentis meæ, ad te venire et te videre desiderans: qui in cœlo habitas, qui turpia et inhonesta fugis, cui pulchra et nitida placent.

« Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum « nostrum donec misereatur nobis. » Respiciunt servi et ancillæ ad manus dominorum dominarumque suarum, ut vel necessaria suscipiant ab eis, vel si flagellantur liberentur ab eis. Ita et nos ad Dominum semper respicere debemus, ut et necessaria nobis subministret, et a cunctis periculis et adversitatibus liberet.

« Miserere nobis, Domine, miserere nobis, quia « multum repleti sumus contemptione. » Non solum ab aliis, sed ab ipsis quoque Christianis perversis et superbis, servi Dei multoties contemptui habentur, quia illorum vita a vita illorum dissimilis est, et quia mundi sapientiam fugiunt, quæ apud Deum stultitia est.

« Et multum repleta est anima nostra. » Unde? « Opprobriis divitum, et superborum despectionibus (852). » Isti enim sunt qui eos præcipue despiciunt et irrident, quoniam et divitias fugiunt, et nimia humilitate se cunctis subjiciunt. Sed hæc despectio, et hoc opprobrium retorquebitur in illos, quia prope est ut divites pauperes fiant, et superborum colla humiles premant, quia sicut scriptum est: « Deponit Dominus potentes de sede, et exaltat humiles (*Luc.* I, 52). »

PSALMUS CXXIII.

CANTICUM GRADUUM.

« Nisi quia Deus (853) erat in nobis, dicat nunc Israel, « nisi quia Dominus erat in nobis, dum insurgerent « homines in nos, forsitan vivos deglutissent nos. » Nunc, inquit, sancti in unum congregati, quibus est cor unum et anima una, recordentur pristinæ suæ conversationis, et de quantis periculis eos Dominus liberaverit, et dicant: Nisi quia Dominus liberavit nos, proximi fuimus morti et perditioni. Bene autem Israel isti vocantur qui in Dei visione et contemplatione tanto affectu et desiderio delectantur. Vivi autem deglutiuntur qui, nisi temporaliter moriantur, a Deo separati in æternum morientur. Unde adhuc subditur:

« Dum irasceretur animus eorum adversus nos, « forsitan velut aqua absorbuissent nos. » Qui ita absorbentur, non anima, sed corpore pereunt. Sic enim absorpti sunt omnes martyres, qui, si veritatem negare voluissent, absorpti utique non fuissent. Sed quia Dominus præsens aderat, sic isti liberati sunt, ut neque corporis, neque animæ jacturam sustinerent.

« Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan « pertransisset anima nostra aquam intolerabilem (854). » Nota quod dicit, anima nostra, quasi multorum una sit anima, quia de illis est quibus est cor unum, et anima una. Torrentem se pertransisse dicit, per quem duram et repentinam passionem, sed tolerabilem ostendit. Quæ si etiam intolerabilis fuisset, ipsi tamen cum adjutorio Dei, viriliter eam pertransissent.

« Benedictus Dominus qui non dedit nos in « captionem dentibus eorum. » Et hoc ostendit. « Anima nostra sicut passer erepta **570** est de laqueo venantium. » Et hoc quomodo? « Laqueus « contritus est, et nos liberati sumus. » Cujus adjutorio? « Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui « fecit cœlum et terram. » Illis verbis aperte demonstrat, et deceptionum retia circumposita fuisse, et se in ipsa retia incidisse, et vel signis, vel rationibus retia rupisse, et ita se cum Dei adjutorio evasisse. Sed notandum quod apostoli in mari, maligni vero spiritus in aere retia ponunt. Ipsi enim sunt de quibus Apostolus ait: « Quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI, 12). »

PSALMUS CXXIV.

CANTICUM GRADUUM.

« Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non « commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem. » Mons Sion munitissimus fuit locus in Jeru-

(852) Psalt. Vatic., *opprobrium abundantibus, et despectio superbis.*

(853) Cod. Ghis., *Nisi quod Deus.*

(854) Aliter apud S. August *Torrentem pertransiit anima nostra : fortasse pertransiit anima nostra aquam sine substantia.* Ubi inquit: « Quæ est aqua sine substantia, nisi aqua peccatorum sine substantia. Peccata enim non habent substantiam, inopiam habent, » etc.

Digitized by Google

salem ad totius civitatis custodiam ædificatus; per quem apostoli et cæteri Ecclesiæ custodes et defensores significantur. Sicut, inquit, mons Sion, ille videlicet mons Sion, qui habitat in Jerusalem, per quem modo aliquem sanctorum cœtum significari diximus; non commovebitur, neque ab ea separabitur in æternum : ita et omnes illi qui confidunt in Domino, non commovebuntur in æternum, neque ab ea sanctorum congregatione dividentur, ubi est cor unum et anima una. Sive enim in terra, sive in cœlo sint, omnes simul erunt, omnes ejusdem civitatis cives et habitatores erunt, et omnes sine fine gaudebunt (855).

« Montes in circuitu ejus. » Non timeat, inquit, Jerusalem, non timeat sanctorum et pacificorum congregatio, quia montes sunt in circuitu ejus, qui eam protegunt atque defendunt. Et non solum montes, sed ipse « Dominus vigilat in circuitu populi sui, « ex hoc nunc et usque in sæculum, » secundum promissionem suam, qua suis discipulis ait : « Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Securi igitur maneant, qui non solum angelorum et apostolorum, sed ipsius quoque Domini custodia muniuntur. Et unde hoc probas ?

« Quia non derelinquet Dominus virgam peccato- « rum super sortem justorum. » Et hoc ideo, « ut « non extendant justi ad iniquitatem manus suas. » Sic Dominus defendit sanctos suos, et ea custodia confirmat, ut quamvis multoties peccatores in corpore sæviant, animam tamen superare non possunt. Virgam quoque ipsam Dominus avertit, et non quantum volunt, sanctos suos, eos flagellare permittit. Sors enim justorum Ecclesia dicitur, quia ipsa est, quam sibi in partem elegit.

« Benefac, Domine, bonis et rectis corde. » Quid est benefac, nisi libera, protege, custodi, virgam peccatorum averte, et retine manus eorum, ne ad iniquitatem eam extendant.

« Declinantes autem ad obligationem adducet Do- « minus cum operantibus iniquitatem. » — « Nemo militans Deo, dicit Apostolus, implicat se negotiis sæcularibus, ut placeat ei, qui se probavit (*II Tim.* II, 4). » Multæ sunt obligationes diaboli quibus homines ligat et trahit. Et valde timendum est quod hic dicitur, quoniam qui ad tales obligationes declinant simul cum operantibus iniquitatem ad supplicia ducentur æterna. Et tunc quidem ducentur, quando pax æterna et indeficiens veniet *supra Israel.* Hoc audiant monachi et qui sæculum reliquerunt, et quam bonum et quam jucundum sit fratres habitare in unum didicerunt, iterum ad sæculi negotia declinare non optent.

571 PSALMUS CXXV.

CANTICUM GRADUUM.

« In convertendo Dominus captivitatem Sion, « facti sumus sicut consolati. » Prædicit Propheta in hoc psalmo, quod dixerunt Judæi revertentes de captivitate sua; et hoc similiter, quod dixerunt Christiani, quando ipsi quoque de sua captivitate reversi sunt. Dicunt Judæi : Dum converteret Dominus captivitatem Sion, et de Babyloniæ captivitate nos in patriam revocaret, « facti sumus sicut consolati. » Et tunc quidem « repletum est gaudio « os nostrum, et lingua nostra exsultatione. » Non ex toto consolati, sed quasi consolati facti sunt, quia quamvis in patria habitarent, nondum tamen libertati redditi erant, sed adhuc sub Babyloniæ tenebantur potestate. Magno tamen gaudio et exsultatione repleti sunt, cum et templum reædificari, et civitatem restaurari viderent, et unusquisque, quod multum optaverat, maneret sub vite sua et sub ficu sua. Nunc autem quid de Christianorum quoque captivitate Propheta dicat, audiamus.

« Tunc, inquit, dicent inter gentes : Magnificavit « Dominus facere cum illis : magnificavit Dominus « facere nobiscum, facti sumus lætantes. Converte, « Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in « austro. » Usque ad tempora Constantini imperatoris ubicunque inter gentes Christiani erant, sub dura paganorum servitute premebantur. Et tunc quidem dicebant hoc, quod Propheta eos dicturos esse prædixerat. Et hoc est quod sequitur : « Magnificavit Dominus facere cum illis, » cum Judæis videlicet, quos inter inimicos custodivit, et tandem de captivitate liberavit. « Magnificavit Dominus » similiter « facere nobiscum; » unde nos quoque « facti sumus lætantes, » et non minus quam illi gaudio et exsultatione repleti sumus. Adhuc tantum unum restat, quod rogamus; et velociter fiat. Et quod est illud? Ut nostra quoque captivitas convertatur. Et majora quidem fecit Dominus cum Christianis in captivitate sua, quam cum Judæis in sua; quia multa signa et miracula per eos tunc operatus est, quod per illos fecisse non legitur. Auster autem ventus est pluvialis, et torrentes desiccatos aquis implet et currere facit. Sic igitur factum est in captivitate, quando magno agmine, quasi pleno flumine, omnes captivi ad propria remeabant. Legimus quod tempore prædicti principis omnes sancti cum magno honore de exsilio reversi sunt.

« Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent : « euntes ibant et flebant mittentes semina sua. » — « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V, 5). » Seminabant et flebant, prædicabant et lugebant, et non solum pro bonis, sed pro ipsis quoque persecutoribus suis plorabant et orabant. Et idcirco cum gaudio metent, quia omnes illos, quos flendo et patiendo converterunt, cum gaudio in judicio Domino præsentabunt. Unde et subditur :

« Venientes autem venient cum exsultatione, por- « tantes manipulos suos. » Bene autem dicit, ve-

(855) « Sed hic quoque Jerusalem, cœlestem patriam debemus advertere, quæ significat visionem pacis : de qua nullus potest ullo modo commoveri qui meruerit in ejus soliditate constitui. » CASSIOD.

Digitized by Google

nient, quia in cœlis sunt, et inde venturi sunt, et quot animas unusquisque convertit, tot manipulos Domino offert.

PSALMUS CXXVI.

CANTICUM GRADUUM.

« Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum « laborant, qui ædificant eam. Nisi Dominus custo- « dierit civitatem, in vanum vigilant, qui custo- « diunt eam. » Hinc est enim, quod discipulis suis Dominus ait : quia « sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv, 5). » Unde et Apostolus dicit : « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III, 7). » Nihil enim proficit prædicatio, nisi Spiritus sanctus interius operetur (856).

« Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite « postquam sederitis, qui manducatis panem dolo- « ris. » Contra hæreticos loquitur, omnesque falsos prædicatores de quibus in Evangelio Dominus ait : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII, 15). » Et Apostolus : « Multi, inquit, ambulant, de quibus dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum, Deus venter est (*Philip.* III, 18). » Isti sunt, qui surgunt ante lucem et manducant panem doloris. Sed vanum est illis ante lucem surgere, quia cæci sunt et duces cæcorum. Ante lucem quidem surgunt, qui antequam illuminentur et doceantur, prædicare et docere incipiunt. Unde subditur :

« Surgite postquam sederitis. » Prius, inquit, sedete, prius discipuli estote, prius divinæ legis magistros audite, et non panem doloris et erroris, sed cibum spiritualem, et catholicum ab eis suscipite.

572 « Cum dederit dilectis suis somnum, hæc « est hæreditas Domini, filii merces fructus ventris. » Modo, quasi dicat, difficile boni discernuntur a malis, quia et illi et isti prædicant, et illi et isti altaris sacramenta suscipiunt, utrique Deum laudant et benedicunt. Sed tunc hæreditas Domini et merces filii, et fructus ventris cognoscetur, quando somnum dilectis suis Dominus dabit. Somnus hoc in loco quietem significat. Hoc igitur erit in judicio, quando a vigiliis et laboribus, quibus servos suos Dominus vigilare præcepit, ad somnum et quietem, et ad perpetuam felicitatem vocabit. Et isti quidem sunt merces filii, quia hanc mercedem de labore suo Christus suscepit. Isti sunt fructus ventris, quos simul omnes in uno Filio suo unigenito et primogenito beatissima Virgo Maria Domino peperit (857).

« Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum. » Isti excussi, electi et expulsi, apostoli sunt. Quibus ipse Dominus ait : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*Matth.* x, 23). » Horum autem filii sunt, quicunque eos imitantur : qui vero eos imitantur, tales sunt, quales sagittæ in manu potentis. His enim sagittis vitiorum exercitus fugatur, his multitudo dæmonum superatur, his vincitur omnis turba hæreticorum.

« Beatus vir qui implevit desiderium suum ex « ipsis. » Et qui sunt illi qui implent desiderium suum ex ipsis, nisi illi qui libenter eos audiunt, et eorum doctrinam et mandata custodiunt? Tales autem « non confundentur, quando loquentur inimicis « suis in porta. » Inimici nostri maligni spiritus sunt, qui in judicio ad accusandum præparati erunt; quando porta vitæ aperietur bonis, et porta mortis aperietur malis. Illi autem tunc confundentur, qui eis resistere non valebunt, per quos illos intelligimus, qui in peccatis perseverantes, ad pœnitentiam non redierunt.

PSALMUS CXXVII.

CANTICUM GRADUUM.

« Beati omnes qui timent Dominum, qui ambu- « lant in viis ejus. » Illi, inquit, sunt beati, qui non mortem, non rerum temporalium amissionem, non mundi miserias, sed Dominum timent. Hinc est enim quod Dominus ait : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, sed potius eum timete qui corpus et animam potest perdere in gehennam (*Luc.* x, 28). » — « Beati qui ambulant in viis ejus, » et custodiunt mandata ejus, quia mandata ejus viæ sunt, per quas ad eum venire debemus.

« Labores fructuum tuorum manducabis, beatus « es, et bene tibi erit. » In alia translatione non fructuum tuorum, sed manuum tuarum habetur. Unde et Apostolus ait : « Laboret unusquisque manibus suis, quod bonum est (*Ephes.* IV, 28). » Sed non ideo est homo beatus, quia de tali labore vivit. De animæ igitur labore intelligi debet, quæ pro bona operatione quam in hac vita operatur, in alia vita cœlestibus deliciis perfruetur. Hæc autem figura *hypallage* Græce vocatur, quando per contrarium aliquid dicitur : Non enim labores fructuum, sed fructus laborum suorum homines manducant. Tale esset, si diceretur, hic homo detur illi equo, cum dici debuisset, ille equus detur huic homini. Tale est illud in Virgilio :

..... *dare classibus austrum ;*

cum dici debuisset : dare classes austro.

« Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus do- « mus tuæ. » Quid hic facient, qui uxores non habent, si ad litteram hoc intelligitur? Omnis virtus,

(856) Præclare addit Augustinus: » Nemo habet aliquid boni, nisi ab illo acceperit, qui solus bonus est. »

(857) *Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris :* sic legit Cassiodorius, et exponit : « *Ecce hæreditas Domini*, filii scilicet Ecclesiæ, ex aqua et Spiritu sancto generati, qui *hæreditas Domini* esse noscuntur. Et qui sint isti filii consequenter exponitur : *merces fructus ventris.* Hujus *fructus ventris*, id est uteri virginalis partus, merces est omnis ejus hæreditas, quæ resurgens in cœlorum possessionem mittitur, et æterna cum Domino felicitate gaudebit. »

Digitized by Google

quam multum diligis et in qua multum delectaris, uxor tibi est, sive sapientia, sive humilitas, sive misericordia, sive obedientia, sive quælibet alia sit. Hæc autem quasi vitis abundans erit tibi, semper fructifera, suavis et jucunda ubicunque fueris in hac amplissima domo, quam tibi et cunctis viventibus Dominus præparavit. Bona uxor quæ virum suum non derelinquit, et ubicunque est, semper illi præstat lætitiam et honorem : ubique honorabilis est qui secum talem ducit uxorem.

« Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu « mensæ tuæ. » Filii tibi sunt qui te imitantur, tuamque doctrinam tenent et custodiunt. Isti autem, si Deum timueris, et in viis ejus ambulaveris, tales erunt in circuitu mensæ tuæ et circa doctrinam pecteris tui, quasi olivæ novellæ fructu pacis et misericordiæ plenæ. « Ecce sic benedicetur omnis « homo, qui timet Dominum. » Ecce, inquit, audisti, quam benedictionem suscipiunt omnes qui Deum timent, quam bene vivant, quales uxores et filios habeant. Insuper et hæc alia benedictio veniat super te et maneat semper.

573 « Benedicat te Dominus ex Sion, et videas « quæ bona sunt in Jerusalem, omnibus diebus vitæ « tuæ, et videas filios filiorum tuorum. » Et sit pax æterna et indeficiens super Israel, illum videlicet Israel qui Deum cognoscit et diligit. Hæc est illa Sion de qua Dominus alibi ait : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psal.* II, 6), » per quem Ecclesia significatur, ad prædicandum et docendum præceptum ejus. Prædicare autem magis pontificum, quam regum esse videtur. Inde igitur, id est de Sion rex et pontifex maximus Jesus benedicit fideles suos, ut videant quæ bona sunt in cœlesti Jerusalem, omnibus diebus vitæ suæ, qui nunquam finem habebunt. Et videant filios imitatores suos, et filiorum suorum, non usque in tertiam et quartam generationem, sed usque in æternum et in sæculum sæculi.

PSALMUS CXXVIII.

CANTICUM GRADUUM.

« Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, di- « cat nunc Israel. Sæpe expugnaverunt me a ju- « ventute mea, etenim non potuerunt mihi (858). » Sicut in præcedenti psalmo omnes boni æterna benedictione benedicuntur; ita et in hoc omnes iniqui et peccatores æterna maledictione maledicuntur. Quod autem ait : « dicat nunc Israel, » insultatio est adversus eos qui populum Dei se vicisse gloriabantur. Nunc, inquit, post victoriam securus et felix dicat Israel, dicat populus, qui Deum cognoscit et videt : sæpe expugnaverunt inimici mei, sicut ipsi dicunt, a juventute mea, sæpe expugnaverunt me. Non equidem expugnaverunt, neque prævalere mihi potuerunt.

« Super dorsum meum fabricaverunt peccatores, « prolongaverunt iniquitates suas. » Pugnaverunt quidem, quasi dicat, peccatores multum contra me; sed mentiuntur si dicant quod expugnaverunt me; fabricam et incudem me fecerunt, et duris magnisque malleis supra dorsum meum fabricaverunt, et me quidem in vas pulcherrimum et pretiosum converterunt; sibi autem iniquitates prolongaverunt. Unde in Apocalypsi Joannes apostolus ait : « Tempus enim prope est, qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc, et justus justificetur adhuc (*Apoc.* XXII, 11). »

« Dominus justus concidet cervices peccatorum. » Merito illæ cervices concidentur, quæ in nimiam superbiam elatæ, contra ipsum Deum blasphemias jaculare non timuerunt. Hinc autem eos maledicere incipit, quia inconvertibiles et mortis obnoxios eos esse cognoscit. « Confundantur, inquit, et revereantur omnes qui oderunt Sion. »

« Fiant sicut fenum ædificiorum, quod, priusquam « evellatur, arescit. » Sic sunt iniqui homines, sicut fenum ædificiorum, qui, quoniam fidei et bonitatis humorem non habent, facile siccantur, et igni æterno et inextinguibili præparantur.

« De quo non implebit manum suam qui metet, « et sinum suum qui manipulos colliget. » Messores isti, angeli sunt, qui non in manum neque in sinum, fenum illud fetidum colligent, sed sicut in Evangelio legitur, in fasciculos ligabunt, et mittent illud in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* XIII, 42).

« Et non dixerunt, qui præteribant : Benedictio « Domini super vos, benediximus vos in nomine « Domini. » Ego, inquit, non immerito istos maledico, quia sanctos apostolos et prædicatores per se transeuntes et prædicantes viderunt et audierunt, et eorum benedictiones suscipere non meruerunt, quoniam eorum verbis credere noluerunt. Unde non dubium est omnes illos æternæ morti esse destinatos, quicunque evangelicam et apostolicam prædicationem non receperunt.

PSALMUS CXXIX.

CANTICUM GRADUUM.

« De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, « exaudi orationem meam. » In eo quod de profundis clamasse dicit, in magnis angustiis se fuisse ostendit, et spiritualium et carnalium passionum. Ille quoque de profundis clamat, qui ex intimo corde Deum exorat.

« Fiant aures tuæ intendentes in orationem servi « tui. » Sufficere poterat quod dixit : « Exaudi ora

(858) Ecclesiam hic loqui ex Propheta intelligit Augustinus, « et ab exordio, nempe ab ejus juventute cœpta est ejus expugnatio : Jam modo Ecclesiæ senectus expugnatur; sed non timeat : dicat : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* Nunquid ideo non pervenit ad senectutem, quia non cessaverunt illi expugnando? Nunquid delere potuerunt? *Dicat nunc Israel :* et consoletur te Israel Ecclesia de præteritis exemplis et dicat : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* »

Digitized by Google

tionem meam; » sed aures **574** ejus ad suam orationem intentas esse postulat, per quas ejus benignitatis velocissimam exauditionem intelligere possumus. Servum quoque se confitetur, ut Domini clementiam facilius impetrare valeat.

« Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, « quis sustinebit? » Si enim, non dicam ad alias, sed ad solas primi hominis iniquitates Dominus respexisset, nullus hominum salvari potuisset.

« Quia apud Dominum propitiatio est, et propter « legem tuam sustinui te, Domine. » Non observabit Dominus, quasi dicat, iniquitates nostras, quia magna propitiatio et misericordia apud eum naturaliter est; qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Unde et subditur : « Et propter legem tuam sustinui te, Domine. » hæc est illa lex a Domino data : « Peccator quacunque hora conversus fuerit, vita vivet, et non morietur (*Ezech.* xxxiii, 11). » De qua adhuc subditur :

« Sustinuit anima mea verbum tuum, speravit « anima mea in Domino. » Et revera magnam spem tribuit peccatoribus lex ista benignissima, pietate et misericordia plena.

« A custodia matutina usque ad noctem speret « Israel in Domino. » Speret, inquit, Israel in Domino, non carnalis, sed spiritualis Israel; non ille qui eum interfecit, sed ille qui in eum credit et firmissime sperat. « A custodia matutina, » qua ipse Dominus a mortuis resurrexit, « usque ad noctem, » qua ista dies, et hæc ætas ultima finiatur. Quis enim tantam spem habere potest, quantam ille populus, pro quo Dominus mortuus est et resurrexit?

« Quia apud Dominum misericordia est, et co- « plosa apud eum redemptio. » Hæc est maxima, et probabilis ratio, quare Israel in Domino speret (859), quia, quamvis multum peccaverit, misericordia tamen, et redemptio vincit. Magna redemptio, et nimis copiosa, ut pro uno peccato Christi sanguis pretiosissimus funderetur. Unde Apostolus ait : « Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* vi, 20). »

« Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus « ejus. » Agamus gratias Salvatori nostro, quia hæc redemptio jam facta est, quam Propheta futuram esse prædixit.

PSALMUS CXXX.

CANTICUM GRADUUM.

« Domine, non est exaltatum cor meum, neque « elati sunt oculi mei. » Hæc vox perfectorum est, neque ad jactantiam suam ista loquuntur, sed ut A eos alii imitantur, et talia facere pertimescant. « Domine, inquit, non est exaltatum cor meum, » ut de scientia, vel aliis virtutibus, quas mihi tribuisti, me extollerem et superbirem. « Neque elati sunt oculi mei, » in quibus superbia maxime notari et deprehendi solet (860).

« Neque ambulavi in magnis. » Ut in illis delectarer quæ ab omnibus magna et pretiosa esse videntur. « Neque in mirabilibus super me. » Multi enim ideo erraverunt, quia ad ea se extendere conati sunt, quæ supra nos sunt, et humanam intelligentiam excedunt. Talia itaque miranda, veneranda et credenda sunt, et non argumentis dialecticis pertractanda (861). Inde enim Arius infelix cecidit, quia de Trinitate inseparabili dialectice disputare B non timuit. Unde et subditur :

« Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi ani- « mam meam; sicut ablactatus (subauditur si pecca- « verit) super matre sua, ita retribues in animam « meam. » Hoc est enim quod Apostolus dicit : « Non alta sapientes, sed humilibus consentientes (*Rom.* xii, 16), » quia sicut scriptum est : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*I Petr.* v, 5). » Fidem autem catholicam non superbi, sed humiles docuerunt. Quam magnum autem peccatum sit non humiliter sentire, super alios se exaltare, et aliam fidem et doctrinam prædicare, ac per hoc sanctam Ecclesiam omnium Christianorum matrem scandalizare, in eo ostenditur, quod vir iste catholicus dicit : « Sicut ablactatus, » si peccaverit, C « super matre sua, » non ejus, sed aliam doctrinam prædicando, merito damnandus et excommunicandus est; « ita retribues in animam meam. » Iste est ille ablactatus, de quo Propheta dicit : « Quem docebit scientiam? Quem intelligere faciet auditum? » (*Isa.* xxviii, 9.) — « Ablactatos **575** a lacte, avulsos ab uberibus, » per quos illi intelliguntur, qui doctrinam ecclesiasticam didicerunt, et ad tantam scientiam pervenerunt, ut jam non lacte egeant, ut Apostolus ait, sed solido cibo. Talibus igitur parcendum non est, si extraneam doctrinam prædicare voluerint.

« Speret Israel in Domino ex hoc nunc et usque « in sæculum. » Ex quo enim Israel se humiliavit, et fidem catholicam suscepit, et matrem Ecclesiam D offendere timuit, firmissime sperare in Domino potuit; qui si aliter fecisset, nullam spem habere potuisset.

PSALMUS CXXXI.

CANTICUM GRADUUM.

« Memento, Domine, David, et omnis mansuetudi- « dinis ejus. » De Salvatore nostro loquitur, qui

(859) « Redimita est causa mirabilis quare Israel debuisset *sperare in Domino* : quia in ejus manu *misericordia* est, quæ potest ex perverso justum facere, ex imbecillo immortalem, ex carneo angelis similem. Hoc enim ille de nobis consuevit ostendere, ad quod humana natura per se non potest pervenire. » Cassiod.

(860) Quid hoc in psalmo contineatur, paucis explicat Cassiodorus. « Psalmus hic, inquit, humilitatem quidem prædicat, temperantiam docet, patientiam monet. »

(861) Cogitandum est S. Brunonem, virum doctissimum, reprobasse non absolute Dialecticæ usum quoad sacra mysteria, sed ejus scientiæ excessum, et abusum, sicut Apostolus non scientiam damnat, sed vanam scientiam. Et sane idem S. Bruno explanando psalmum reprehendit in hæreticis *dialecticas ambages, ambages deceptionum et sophismata*; non autem rectam ratiocinandi methodum. Ita infra in expositione psal. cxxxix.

Digitized by Google

agnus mansuetus ad victimam ductus, non aperuit os suum. Rogat igitur Patrem ut Filii sui humilitatis, mansuetudinis, patientiæ et obedientiæ nunquam obliviscatur (862).

« Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. » Et hoc similiter orat ut sit memor illius juramenti et illius voti, quod Domino juravit et vovit (863). Voluntas Christi de Ecclesia ædificanda, quia immutabilis est, pro juramento et voto accipitur. Et hoc est quod dicit :

« Si introiero tabernaculum domus meæ, si « ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum « oculis meis, aut palpebris meis dormitationem, « aut requiem temporibus meis, donec inveniam lo- « cum Domino, tabernaculum Deo Jacob. » Tota hæc verborum repetitio idem significat, quæ ideo idem fit, ut firmius credatur. Et tale est ac si diceret : Non prius introibo in tabernaculum domus meæ, cœlestis videlicet Jerusalem, neque ascendam in lectum strati mei, per quem illa habitatio ineffabilis quietis significatur, donec locum inveniam Domino, et tabernaculum dignum suæ habitationis. Et sicut ipse mihi domum in cœlis præparavit ; ita et ego sibi in terris domum præparabo. Per somnum vero, et dormitionem et requiem idipsum significatur quod per domum et lectum significari diximus. Et tale est ac si Salvatoris nostri humanitas diceret : Non prius in illam domum æternæ quietis et beatitudinis intrabo, quam Ecclesiam catholicam in terris ædificavero.

« Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus « eam in campis silvæ (864). » In Ephrata, quæ alio nomine vocatur Bethlehem, natus est Dominus ; ibi prius visus et auditus est, ibi primos suæ infantiæ vagitus emisit, quibus angeli organizantes cantaverunt : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Campi silvæ Judæa est, quam Dominus per seipsum excoluit, et seminavit et prædicavit, malas arbores exstirpavit vitiorum et malignorum spirituum spineta eradicavit. Et fortasse illa terra inde etiam campi silvæ vocatur, quia silvæ gentium, quæ in ea habitabant, a filiis Israel inde succisæ et exstirpatæ sunt. Ibi igitur Ecclesia cœpit, qua postea per universum mundum dilatata, tabernaculum Dei hoc in loco vocatur. De quo et subditur :

« Introivimus in tabernaculum ejus, adoravimus « in loco ubi steterunt pedes ejus. » Ostendit jam tabernaculum esse constructum, quod se Dominus construere sub juramento promiserat : in quod se quoque cum aliis intrasse et adorasse ostendit. Pedes ejus apostoli sunt, qui ejus fidem et doctrinam ubique gentium portaverunt. De quibus dicitur : « Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Rom.* x, 15) ! » Hoc autem ad litteram intelligi potest, quia in illo loco adorant Christiani ubi Salvator noster suis pedibus ambulavit.

« Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca « sanctificationis tuæ. » Ecce, quasi dicat, completum est votum ; fecisti quod promisisti : exsurge in requiem tuam, et duc tecum ipsam arcam, quam modo fecisti sanctificationis tuæ. Merito autem Ecclesia arca vocatur, in qua quæque arcana et meliora reposita sunt. Non potest hæc arca tota modo simul ascendere, **576** ascendit tamen quotidie, et in judicio tota simul ascendet.

« Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui « exsultent. » Tu, inquit, exsurge : sacerdotes vero tui, apostoli tui, eorumque successores induantur justitiam, ut arcam et Ecclesiam tuam juste et sapienter regere valeant, et omnes sancti tui sub eorum regimine et custodia exsultent.

« Propter David servum tuum non avertas faciem « Christi tui. » Hic versus primo hujus psalmi versu jungitur, ubi dicitur : « Memento, Domine, David. » Rogat itaque Dominum ut non avertat faciem Christi Filii sui, sed ubique et in omnibus eum exaudiat, ejusque per omnia compleat voluntates. Et quia non est alius major, vel charior, per quem eum rogare possit, per eumdem ipsum eum deprecatur, dicens : « Propter David servum tuum, » te exoro, « ut non avertas faciem Christi tui. » Hinc est enim quod Dominus ait : « Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XVI, 23). » Nunc autem ostendit subito sibi revelatum esse, quantum Pater eum diligat, ejusque faciat voluntatem dum dicit :

« Juravit Dominus David veritatem, et non fru- « strabitur eam, de fructu ventris tui ponam super « sedem meam. » Sicut Filius Patri, ita et Pater Filio juravit, ut per hoc ejusdem potentiæ et æqualitatis (865) intelligamus. Salvatoris nostri filii, et illius ventris fructus sunt apostoli, qui de semine et doctrina pectoris ejus creati et generati sunt. Sedes autem ejus Ecclesia est, super quam isti reges et pontifices ordinati sunt. « Si custodierint filii tui

(862) Amplior est super hunc locum Cassiodorii commentatio, qua ostendit propheticum sermonem de Christo Domino omnino esse intelligendum.

(863) « Nemo præsumat viribus suis reddere quod voverit. Qui hortatur ut voveas, ipse adjuvat, ut reddas. » S. Aug. enarr. in Ps.

(864) Singularis est Bruno hac in lectione. Omnes quos vidi SS. Patres et expositores habent cum Vulgata : *Audivimus eam*, id est arcam Domini, *esse in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ ;* sed Brunonis interpretatio convenit cum S. Hilario. Inquit enim Ephrata requiem significare. *Auditur* itaque *in Ephrata*. « Ephrata eadem est quæ Bethlehem, in qua natus Dominus ex Maria est. Testis est nobis Propheta dicens : *Et tu Bethlehem domus Ephrata non es minima, ut sis in millibus Juda ; ex te exiet qui erit rex Israel.* Illic enim primum Dei requies auditur, ubi primus Unigenitus Deus corpus humanæ carnis habitavit ; et quod in Ephrata auditur, in campis silvæ invenitur. Initium itaque Ecclesiæ in Bethlehem auditur ; esse non cœpit a Christo, sed in gentibus reperitur, quæ sunt in campis silvæ, ex horrentibus nitidæ, ex sterilibus fructuosæ, ex ignis pabulo vitalis cibi regio, ex ferarum cubilibus Dei requies, domus, templum atque possessio. »

(865) Cod. Ghis., *et æquales.*

Digitized by Google

« testamentum meum et testimonia mea hæc, quæ A « docebo eos, et filii eorum usque in sæculum sæ- « culi sedebunt super sedem meam. » Non solum, inquit, filios suos ponam ego super sedem meam, sed ipsi et filii eorum, per quos eorum imitatores significantur, sedebunt super sedem meam in sæculum sæculi. « Si tamen custodierint (866) filii tui testamentum meum et testimonia mea hæc, quæ docebo eos; » per quæ utriusque Testamenti testimonia spiritualiter intellecta significantur.

« Quoniam elegit Dominus Sion, præelegit eam in « habitationem sibi. » Ideo subauditur, de ea dixit : « hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, « quoniam elegi eam. » Non est alia causa, quod in ea habitare debuisset, nisi quia ipse sibi eam elegit in habitationem. « Ipse enim cujus vult misere- B retur, quem vult indurat (*Rom.* IX, 18). » — « Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (*ibid.*, 16), » qui secundum voluntatem suam « Jacob dilexit, Esau autem odio habuit (*Malac.* I, 3). »

« Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes « ejus saturabo panibus. » Vidua Christi Ecclesia est, quam modo vocavit Sion. Sed quare viduam, nisi quia virum suum videre desiderat, et videre non potest. Dicitur enim vidua, quasi a viro divisa. Et virum igitur habet, et vidua est, quia nondum per immortalitatem viro suo conjuncta est. « Pauperes ejus saturabo panibus. » Pauperes Christi illi sunt, de quibus dicitur : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). » Hi autem panibus saturati sunt, quia spiritualibus C divitiis abundant.

« Sacerdotes ejus induam salutari. » Per quos episcopi et sacerdotes significantur. Hi autem salutari induti sunt, quia veritatis et sapientiæ ornamento vestiti sunt. Unde his Apostolus ait : « Exuite veterem hominem cum actibus suis, et induite novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.* IV, 22). » — « Et sancti « ejus exsultatione exsultabunt. » Et modo quidem exsultant in spe, postea autem exsultabunt in re.

« Illuc producam cornu David, paravi lucernam « Christo meo. » Illuc enim, id est ad Sion et ad Ecclesiam produxit Dominus, et ante alios prædicatores præmisit cornu David, id est Joannem Bapti- D stam præcursorem Filii sui, qui seipsum cornu esse ostendens, ait : « Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domino (*Joan.* I, 23). » Et ipse quidem est quem Dominus paravit lucernam Christo suo, sicut scriptum est : « Erat enim Joannes lucerna lucens et ardens, sed non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine (*Joan.* V, 35). »

« Inimicos ejus induam confusione, super ipsum « autem efflorebit sanctificatio mea. » Et Christi, et Joannis inimici æterna confusione induantur. Super ipsos autem jam efflоruit sanctificatio; quia quales sunt, tales ab omnibus fidelibus esse creduntur.

(866) Cod. Ghis. *Sic tamen, si custodierint.*

577 PSALMUS CXXXII.

CANTICUM GRADUUM.

« Ecce quam bonum et quam jucundum habitare « fratres in unum! Quoniam illuc mandavit Dominus « benedictionem et vitam usque in sæculum. Sicut « unguentum in capite, quod descendit in barbam, bar- « bam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus, « sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. » Sic enim se habet ordo, nunc autem significationem videamus. Beati isti fratres super quos Dei benedictio et tanta gratiarum abundantia descendit : isti sunt illi fratres, de quibus Dominus ait : « Nuntiabo nomen meum fratribus meis (*Hebr.* II, 12). » Et alibi : « Omnes vos fratres estis. » Et : « Patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim pater vester qui in cœlis est (*Matth.* XXIII, 8, 9). » Ipse est autem, cui quotidie dicimus : « Pater noster, qui es in cœlis (*Matth.* VI, 9). » Et dives et pauper, nobilis et ignobilis, dominus et servus, imperator et mendicus, omnes una voce dicunt : « Pater noster, qui es in cœlis, » ut se unius patris filios et se fratres esse ostendant. Ille nobilior qui melior. Multi sunt hic servi qui in alia vita Domini erunt, et econtra, multi hic domini, qui ibi dura servitute comprimentur. Boni fratres Sergius et Bachus, qui tanta pro Christo tormenta passi sunt; boni Cosmas et Damianus; boni Joannes et Paulus; boni Mauritius et socii ejus; bonus Dionysius cum sociis suis; boni et multi alii qui pro Christi fide morti se tradiderunt. Et « istorum quidem est regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine agni (*Apoc.* VII, 14). » Tales autem fratres habitant in unum; talibus est cor unum et anima una : nemo dicit aliquid esse suum, sed sunt illis omnia communia. Mali fratres, qui corpore simul sunt, sed per odium a se *invicem* longi sunt. « Bonum est, » inquit, « et jucundum habitare fratres in unum. » Unde hoc? quoniam illuc, id est, inter tales fratres mandavit Dominus benedictionem suam, et vitam quæ finem non habet. Quomodo mandat? « Sicut unguentum in capite, quod » de capite « descendit in barbam, » de barba vero usque « in oram vestimenti ejus. » Et sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Caput Ecclesiæ Christus est, cujus membra omnes nos sumus. De hoc autem corpore Apostolus ait : « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra (*Rom.* XII, 4, 5). » Habet igitur barbam Christus in corpore suo, habet oculos et aures, habet manus et pedes, et cætera membra. Barba Christi apostoli sunt. Barba quidem, quia in corpore sunt primi, et ipsi capiti uniti; barba, quia nihil molle, nihil femineum in se habentes, viriles, et fortes et masculi sunt. Unde et merito non barbati, sed ipsa potius barba vocantur (867). Præcipit autem

(867) Ex Augustino desumpta est hujusmodi Brunonis expositio.

Digitized by Google

Dominus sacerdotibus ut barbam non radant, et comam non nutriant. Nutrire comas et barbam non habere mulierum est. Sacerdotes autem non muliebres, sed viriles facies habere debent. Non solum igitur apostoli, sed et sancti martyres Christi barba vocari possunt, quia et viriliter pugnaverunt et hostes potentissimos vicerunt. Unguentum igitur de capite in barbam descendit, quia sancti Spiritus gratia de Salvatoris nostri divinitate prius in apostolos et martyres venit. De hoc enim unguento ipse Dominus ait : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (*Luc.* IV, 18). » De hoc et Psalmista : « Dilexisti, inquit, justitiam, et odisti iniquitatem ; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV, 8). » Hoc et Ecclesia sentiens dicit : « Trahe me post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* VIII, 4). » Hoc unguento sanantur infirmi, hoc omnes languores et omnes infirmitates sanabat Jesus, hoc et sacerdotes, et ecclesiæ consecrantur, hoc chrismate et Christus ipse, et Christiani omnes vocantur. Hoc igitur de capite descendit in barbam, de Christo in apostolos ; nihil enim virtutum et gratiarum habuerunt apostoli, quod ab ipso non accepissent. Unde et Apostolus ait : « Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » (*I Cor.* IV, 7.) « Alii enim datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII, 8-12). » De apostolis autem hæc tanta gratiarum abundantia per totum corpus ecclesiasticum in cætera membra decurrens, usque ad vestimenti oram pervenit. Vestimenti ora, extremi illi intelliguntur, qui omnium ultimi in fine sæculi futuri sunt. Vide ergo quanta sit unguenti hujus abundantia, quæ tam longo cursu defluat, et tantam gentem ungat et sanet. Hoc unguentum Simon Magus ab apostolis emere voluit, unde et merito cum omni pecunia sua damnatus est. Vocatur autem Salvator noster Aaron, omnium **578** videlicet sacerdotum primus, et maximus, cujus filii sacerdotes sunt, et qui ejus filii non sunt, sacerdotes esse non possunt. Interpretatur autem Aaron *mons fortitudinis*, quæ interpretatio illi maxime convenire videtur ; qui Dominus fortis vocatur et potens, Dominus potens in prælio. Sequitur : « Sicut ros Hermon, qui descendit « in montem Sion. » — « Hermon, » *anathema* (868), id est divisio ; « Sion, » *speculatio* interpretatur. Et « Hermon » quidem apostolos, « Sion » vero Ecclesiam significat. Merito autem « Hermon » vocantur apostoli, quia ipsi primi omnium a Synagoga divisi et separati, Christum Dominum secuti sunt. Unde Apostolus ait : « Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam (*Galat.* I, 15), » etc. Non solum autem apostoli, verum etiam omnes Christiani hoc nomine vocari possunt. Omnes enim hoc nomen in baptismo suscipiunt, quia ibi diabolo et omnibus pompis ejus abrenuntiantes a peccatis omnibus, et a vitiis separantur, et a sinistra in dexteram transeuntes, ab hædis divisi, agnis et ovibus sociantur. Unde et in alio psalmo dicitur : « Ad meipsum anima mea turbata est, propterea memor ero tui, Domine, de terra Jordanis et Hermonii (869) a monte modico (*Psal.* XLI, 7). » Terra Jordanis et Hermonii illi sunt qui per baptismum a vitiis separati sunt, quoniam per Jordanem baptismus, et per Hermon divisio et separatio significatur. Solæ igitur baptizatorum animæ de terra Jordanis et Hermonii Dominum laudant. De quibus et alibi dicitur : « Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt (*Psal.* LXXXVIII, 13). » De monte igitur Hermon descendit ros in montem Sion, per quem fides, doctrina et evangelica prædicatio intelligitur, quæ ab apostolis in Ecclesiam venit. Hoc enim rore et hac pluvia tota Ecclesia irrigatur, fecundatur, lavatur atque mundatur. Mali autem montes Gelboe, quibus David maledicens ait : « Montes Gelboe nec ros, nec pluvia cadat super vos, ubi ceciderunt fortes Israel Saul et Jonathas (*II Reg.* I, 21). » Per hos enim hæretici designantur, qui non rore apostolico, sed turbine diabolico perfunduntur. Beati illi fratres, qui tali rore, tali pluvia, tali unguento et tali gratia perfusi audire meruerunt : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare « fratres in unum! Quoniam illuc mandavit Dominus « benedictionem et vitam usque in sæculum. »

PSALMUS CXXXIII

CANTICUM GRADUUM.

« Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi « Domini. » Nunc, inquit, quando in unum congregati estis, quando scitis et intelligitis quam bonum sit et quam jucundum habitare fratres in unum, nunc benedicite Dominum, quia vestræ benedictiones laudabiles sunt et Domino placent ; nunc igitur benedicite Dominum, omnes servi Domini, quia aliorum benedictiones non suscipit Dominus, nisi eorum qui sunt servi Domini. Quicunque enim servi Domini non sunt, diaboli servos esse non dubium est.

« Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei « nostri. » Qui statis, inquit, ad obediendum, ad serviendum, ad orandum, ad pugnandum in domo Domini, vos benedicite Dominum. Qui enim extra sunt, sub maledicto sunt, et nec benedicere, nec maledicere possunt. Sed qui sunt illi qui in atriis sunt, nisi illi qui domum custodiunt, et alios introducunt?

(868) Aliud reddit hoc nomen apud Augustinum ; inquit enim : « Hermon nomen Hebræum est, et habemus interpretationem ab eis, qui illam linguam noverunt. Hermon interpretari dicitur *lumen exaltatum est*. A Christo enim ros. Nam nullum lumen exaltatum nisi Christus. Quomodo exaltatum est? Primo in cruce, postea in cœlo, » etc.

(869) Cod. Ghis. *Hermonis*.

Digitized by Google

« In noctibus extollite manus vestras in sancta, et « benedicite Dominum. » Beati, qui ad litteram et agunt, et intelligunt, et media nocte ad confitendum Domino surgunt, quia hoc tempus valde orationi idoneum est. Extollunt et illi manus suas in sancta, qui eas elevant ad eleemosynas faciendas. Hoc autem in nocte faciunt, si in abscondito faciunt, ut nesciat sinistra quod dextera faciat (*Matth.* VI, 3). Et isti quidem benedicunt Dominum, quia quicunque eas suscipiunt, Dominum benedicunt, et gratias agunt.

« Benedicat te Dominus ex Sion', qui fecit cœlum « et terram. » Hanc benedictionem facit tota congregatio simul super illum qui noviter venit, et aliis se sociavit.

579 PSALMUS CXXXIV.

ALLELUIA (870).

« Laudate nomen Domini, laudate, servi Domini. » Quid enim aliud significat alleluia, nisi laudate Dominum? Nomen domini laudat servus, quando et voce et obedientia servum se esse ostendit.

« Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei « nostri. » Qui enim recedunt a domo Domini, et mala sua conversatione extranei fiunt, non sunt digni qui Dominum laudent.

« Laudate Dominum, quoniam benignus est Domi- « nus, psallite nomini ejus, quoniam suavis est. » Laudare, inquit, eum debetis, non solum quia servi estis, verum etiam quia tam benignus et suavis est, ut pro sua benignitate et suavitate sua, omnis creatura eum laudare et benedicere debeat.

« Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in « possessionem sibi. » Optima ratione probatum est, quoniam benignus est Dominus atque suavis; siquidem priusquam Jacob nasceretur, et priusquam boni vel mali aliquid egisset, nullis præcedentibus meritis, sola bonitate sua eum elegit. Et non solum ipsum, sed totum Israel, id est totam ejus progeniem, quæ postea ab ipso Israel vocata est, elegit sibi Dominus in possessionem et hæreditatem.

« Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus et « Deus noster præ omnibus diis. » Ideo, inquit, hæc dico, et benignum et laudabilem prædico, quia certissime cognovi quod magnus est Dominus et Deus noster, magnus est præ omnibus diis. Et unde hoc probas?

« Quia omnia quæcunque voluit Dominus fecit in « cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. » Major est igitur et omnibus angelis qui in cœlo sunt, et omnibus diis gentium qui in terra, in mari et in inferno a stultis hominibus esse creduntur; siquidem omnia quæcunque voluit fecit, ubicunque aliquid facere voluit.

« Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in « pluviam fecit. » Nubes istæ apostoli sunt et doctores, quos ab extremis terræ per omnes mundi partes ad prædicandum Dominus misit, quorum doctrinæ pluviis tota terra satiata, irrigata et purificata est. Fulgura autem in pluviam fiebant, quando apostolis prædicantibus, multa miracula per eos Dominus faciebat, et vitia et malignos spiritus ignitis Scripturarum sagittis in hominibus interficiebat.

« Qui producit ventos de thesauris suis. » Quid enim per ventos, quibus nubes pelluntur et fugantur, nisi tyrannos et potentes homines intelligamus, qui sanctos prædicatores ubique persequebantur? Thesaurus autem Dei, ipsa ejus voluntas est, in qua omnia continentur, sicut scriptum est : « In voluntate tua, Domine, universa sunt posita (*Isa.* XLVI, 10). » Exeunt ergo venti de thesauris Dei, quia ex judicio Dei fit, quod mali contra bonos insurgunt ac sæviunt. Unde et Dominus discipulis ait : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur (*Joan.* XV, 20); » qui tamen nullam in eos haberent potestatem, nisi datum fuisset eis desuper.

« Qui percussit primogenita Ægypti ab homine « usque ad pecus. » In eo quod omnia Ægypti primogenita Dominus percussit, omnia generalia peccata per totum mundum in se credentibus delenda esse significabat.

« Misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in « Pharaonem et in omnes servos ejus. » Similiter autem et per sanctos suos, cunctis videntibus, signa multa et miracula per totum mundum Dominus fecit.

« Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes. » Per gentes multas, et reges fortes, vitia et maligni spiritus significantur, qui ubique gentium percutiendi et perdendi erant.

« Seon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, « et omnia regna Chanaan occidit. » Interpretatur autem « Seon » *tentatio oculorum*, « Amorrhæi » *amarum*, « Og » *conclusio*, « Basan » *confusio*, « Chanaan » *commotio*. Quid igitur per « Seon, » nisi luxuria designatur? Ipsa est enim quæ oculum tentat, et turpia et inhonesta cogitare et videre facit; ipsa est propter quam quotidie dicimus : « Averte oculos meos, ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII, 36). » Et bene Seon Amorrhæorum rex esse dicitur, quia et luxuria, quamvis carni dulcis sit, animæ tamen venenosa et amarissima est. « Og, » qui *tectum* vel *conclusio* interpretatur, avaros significat, qui omnia tegunt, abscondunt et claudunt. Qui merito in « Basan, » id est in confusione regnare perhibentur, quoniam et avari, per avaritiam suam, universa confundunt, rapiunt et dissipant. « Chanaan » vero, qui *commotio* dicitur, ipse diabolus est, vitiorum omnium rex et princeps, qui totum mundum perturbat et commovet, et nunquam quietum esse permittit. Et quia non unius regni, sicut cæteri, obtinet 580 principatum, bene hic dicitur : « Et omnia regna

(870) « Post gradualium pulcherrimam constructionem, quæ usque ad illam pervenit summitatem, quæ in æternum securos efficit et felices, congrue nimis ponitur *alleluia*; ut laudibus Domini sancta perfruatur Ecclesia, cui tale munus noscitur præparatum. » CASSIOD.

Digitized by Google

Chanaan. » Percussit igitur Dominus gentes multas, et occidit reges fortes, quia ipsum diabolum cum omni exercitu suo fugavit et superavit. Sed quid amplius?

« Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo. » Totus mundus successit in Ecclesiæ hæreditatem, cui prius diabolus imperabat.

« Domine, nomen tuum in æternum, Domine, memoriale tuum in sæculum sæculi. » Victi sunt, inquit, inimici, omnes reges terræ superati sunt; « periit memoria eorum cum sonitu (*Psal.* IX, 8); » solummodo nomen tuum, et memoria tua manet in æternum.

« Quia judicabit Dominus populum suum, et in « servis suis consolabitur. » Scimus, quasi dicat, et certi sumus, quia amodo non reges supradicti, sed solus Dominus, qui est justus judex, judicabit populum suum. Et consolabitur in sanctis suis de tantis periculis sua gratia liberatis. Cætera quæ sequuntur usque ad finem psalmi, superius exposita sunt.

« Simulacra gentium argentum et aurum, opera « manuum hominum. Os habent, et non loquentur; « oculos habent, et non videbunt; aures habent, et « non audient; nares habent, et non odorabunt; manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et « non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo, « neque enim est spiritus in ore ipsorum : similes « illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt « in eis. Domus Israel, benedicite Dominum; domus « Aaron, benedicite Dominum; domus Levi, benedicite Dominum. Qui timetis Dominum, benedicite « Dominum. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem. »

PSALMUS CXXXV.

ALLELUIA.

Totus iste psalmus laudibus Domini plenus est, quæ per alleluia significantur.

« Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam « in sæculum misericordia ejus. » Laudate, inquit, Dominum, quoniam naturaliter bonus, et misericors est, et hoc sibi soli proprium est, nullusque alius hoc naturaliter habet. « Confitemini Deo deorum, « confitemini Domino dominorum. » Illum, inquit, laudate, semperque et sine fine laudate, qui omnium deorum, et dominorum Deus et Dominus est, a quo et vos, et omnis creatura regitur et gubernatur, et sine quo nihil est.

« Qui facit mirabilia magna solus. » Et quæ magna mirabilia fecit ipse solus?

« Qui fecit cœlos in intellecto, qui fundavit terram super aquas, qui fecit luminaria magna solus; « solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis. » Vere magna sunt hæc, et quæ ipse solus, et nemo alius fecit. Cœli intellectuales illi sunt, qui his, quos videmus superiores sunt, quos cogitare quidem et intelligere possumus, oculis autem videre non possumus. Per hos autem prophetæ et apostoli significantur, qui in regno cœlorum, quod est Ecclesia, superiores et majoris intelligentiæ sunt. Quod autem terra super aquas fundata esse dicitur, nostram scientiam excedit. Mihi autem non videtur mirabilius, terram super aquas esse fundatam, quam aquas, quæ ejusdem ponderis sunt, super terras in aere volare (871). Possumus autem per terram Ecclesiam intelligere quæ super multos populos fundata est, qui per aquas significantur; si quidem « aquæ multæ populi multi. » Legitur autem in Genesi, quia « fecit Deus duo magna luminaria, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti (*Gen.* I, 16). » Et hoc est quod hic dicitur : « Solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis. » Per hæc duo magna luminaria, duo Testamenta significantur, quorum alterum, quod clarius est, præest diei, id est Christianis; alterum vero præest Judæis, qui semper in nocte sunt, et in tenebris ambulant.

« Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum. » Jam supra dictum est, quia Ægyptus mundum significat, cujus primitiva, originalia peccata fuerunt. Sed hæc percussa et deleta sunt.

« Et eduxit Israel de medio ejus, in manu forti et « brachio extento. » Sic et populus Christianus fortissima Christi dextera, in cruce extenta et elevata, de hujus mundi tenebris liberatus est.

« Qui divisit mare Rubrum in divisiones, 581 et « eduxit Israel per medium ejus (872). » Hoc autem in baptismo fieri videmus, quod unusquisque baptizandorum aperit, ex eo mundatus et sanctificatus educitur. Ibi autem perit diabolus cum omni exercitu suo, quod in sequenti versiculo declaratur.

« Et excussit Pharaonem et exercitum ejus in « mari Rubro, qui transduxit populum suum per « desertum. » Sancti quoque per hoc desertum, in quo clamat Joannes Baptista, ad patriam festinantes, cœlestis panis deliciis saturantur.

« Qui eduxit aquam de petra rupis. » — « Petra autem, dicit Apostolus, erat Christus (*I Cor.* X, 4), » qui fidelibus suis in Evangelio clamat : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat, de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 37). »

(871) Duplici modo interpretatus est locum hunc Cassiodorus. « Terram dicere potuit super aquas esse, etiam cum multo spatio distare videretur; sic enim et cœlum dicimus super nos, dum tamen aeris magna spatia interesse noscantur. Sive scit aliis videtur super aquam, juxta aquam intelligendum est... vel certe spiritualiter accipiendum est : quia super aquam sacri baptismatis terra nostra, id est corpus reficitur, dum religionis stabilitate firmatur. »

(872) « Priscæ auctoritatis viri *mare Rubrum* in duodecim divisiones dixerunt esse partitum, quantas tribus constat fuisse Judæorum. Ideo enim plurali numero positum est, *in divisiones*, ne putaretur *mare Rubrum* uno itinere fuisse transmissum. Sed potest hoc et spiritualiter congruenter adverti. Rubrum mare est sæculi istius permista profunditas, quam multis divisionibus transimus, quando conversi, ad terram viventium Domini munere festinamus. » CASSIOD.

Digitized by Google

« Qui percussit reges magnos, et occidit reges « mirabiles : Sen regem Amorrhæorum, et Og re- « gem Basan, et dedit terram eorum hæreditatem « Israel servo suo. » Hæc autem superius exposui- mus.

« Quia in humilitate nostra memor fuit nostri Do- « minus, et redemit nos de manu inimicorum no- « strorum. » Ideo, inquit, Dominus supradictos reges percussit, et inimicos nostros, qui nos multum af- flixerant et humiliaverant, quia in ipsa humilitate et afflictione nostra benigne, et misericorditer memor fuit nostri.

« Qui dat escam omni carni. » In quo ejus miseri- cordia maxima et ineffabilis commendatur. « Con- fitemini Deo cœli; » quia nulli alii, sed ipse solus laudandus est. « Confitemini Domino dominorum, « quoniam bonus quoniam in sæculum misericor- « dia ejus. »

PSALMUS CXXXVI.

DAVID PSALMUS JEREMIÆ.

In hoc psalmo David introducit Jeremiam loquen- tem, qui simul cum aliis in captivitatem Babylonis ductus est.

« Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevi- « mus, dum recordaremur tui, Sion. » Iste psalmus et secundum litteram intelligitur de Judæis, qui Ba- bylonem in captivitatem ducti sunt, et spiritualiter de Christianis, qui in mundi hujus captivitate, multa a tyrannis et hæreticis passi sunt. Babylon, *con- fusio* interpretatur, cujus flumina omnes mundi hu- jus populos et nationes significant, siquidem « aquæ « multæ populi multi. » Sancti igitur memores cœle- stis Jerusalem, ad cujus beatitudinem omnes alios secum ducere cupiebant, quasi super altam fluminis ripam sedentes, et præcipitium metuentes, prædi- cabant et flebant, et nihil multoties proficiebant. Flebant igitur non timore; sed nimio desiderio illius beatitudinis, ad quam venire festinabant.

« In salicibus in medio ejus suspendimus organa « nostra. « Per salicem, quæ tenacissima arbor est, et ad ligandum aliquid satis idonea, memoria signi- ficatur, quæ videlicet memoria omnia quæcunque scimus, quasi in uno fasce ligata tenemus. Videntes igitur prædicatores, quod verba sua ab infidelibus despiciebantur, et nihil prædicando proficiebant, multi ab ipsa prædicatione aliquando cessabant, et suæ prædicationis organa memoriæ commenda- bant.

« Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos « duxerunt nos verba cantionum. » Non ad discen- dum, sed ad reprehendendum et irridendum eos in- terrogabant; et ideo sancti tacebant et respondere nolebant, quia quasi joculatores eos habebant. Unde et subditur : « Et qui adduxerunt nos, » irridendo dicebant : « hymnum cantate nobis de canticis Sion. » Quibus nos in cordibus nostris respondebamus.

« Quomodo cantabimus canticum Domini in terra « aliena? » Hoc est enim quod Dominus ait : « Nolite dare sanctum canibus, neque spargere margaritas ante porcos (*Matth.* VII, 6). » Unde et alibi dicitur : « In corde meo abscondi eloquia tua, ut non pec- cem tibi (*Psal.* CXVIII, 11). » Hinc est quod sancti martyres a tyrannis interrogati, sicut in eorum passionibus legitur, multoties respondere nolebant.

« Si oblitus fuero tui, Jerusalem, obliviscatur me « dextera mea. » Qui solam hanc vitam diligit, et totum se carnis voluptatibus et desideriis tradit, ille utique obliviscitur cœlestis Jerusalem. Et hunc quidem obliviscetur dextera sua, quia nihil agit, quod spectat ad utilitatem animæ suæ.

« Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non me- « minero tui. » Optat se mutum et elinguem in aliis fieri, si ejus laudes, ubi opportunum fuerit, non præ- dicaverit.

« Si non proposuero tui Jerusalem in 582 prin- « cipio lætitiæ meæ. » Non enim proposuisset, si plusquam eam, aliquid aliud dilexisset. Quid enim sic optandum et diligendum est, sicut summum bo- num et vita æterna?

« Memento, Domine, filiorum Edom in die Jeru- « salem, qui dicunt Exinanite, exinanite usque ad « fundamentum in ea. » Edom, qui *sanguineus* vel *terrenus* interpretatur, omnes Ecclesiæ persecutores, et præcipue tyrannos et hæreticos designat. Et isti quidem sunt, qui et corde et voce dicere non ces- sant, ut usque ad fundamentum domus Domini destruatur. In die autem, qua Jerusalem glorificabi- tur, venturi sunt isti in memoriam Domini, ut peni- tus confundantur.

« Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi « retributionem tuam, quam tu retribuisti nobis. » Filia Babylonis filia mortis et confusionis, caro nostra est, vere misera et misericordiæ indigna : ipsa nos afflixit, ipsa nos mortis legibus, tantisque passio- nibus et calamitatibus subdidit. Hoc et nos ipsi facere debemus, ut ei vicem reddamus, et præter eas quas in vita patitur, spontaneis passionibus et tribulatio- nibus affligamus.

« Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad « petram. » Beatus, inquit, ille erit, qui parvulos Babylonis tenebit, ligabit, frenabit et crescere non permittet, per quos motus carnales, voluptates et concupiscentiæ significantur, quæ interimi, dum parvæ sunt et teneri possunt; adultæ vero, sine magno labore, magnaque Dei misericordia teneri et superari non possunt. Hos ad petram allidere, est Christi memoria, fortitudine et adjutorio superare (875).

(875) Idem commentatus est Cassiodorus, de his parvulis intelligens vitia carnis in nobis mature re- frenanda antequam adolescant. Et ad illa verba, « *allidet ad petram*, inquit, ut non moretur tenens, ne voluntas blanda subripiat. *Allidet*, ait, *ad petram*, in Dominum utique Salvatorem, de quo scriptum est : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X, 4); ut sta- tim confracta dispereant, quæ nos teterrimis mo- tibus instigabant. » Cassiod.

Digitized by Google

PSALMUS CXXXVII.

IPSI DAVID.

Ipsi, inquit, David, qui omnia fecit, qui mundum redemit, cui angeli serviunt, qui humilia respicit, et alta a longe cognoscit, loquitur Ecclesia in hoc psalmo, et ex toto corde eum laudat et benedicit.

« Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. » Non labiis tantum te laudabo, sicut quidam facere solent, sed in toto corde meo; quia non ad labia, sed ad cor te respicere scio et intelligo. « Quoniam exaudisti omnia verba oris mei. » Hoc autem fecisti, quia labia cordi et cor labiis concordabat. Unde et Dominus ait : « Si duo ex vobis consenserint de omni re; quod petetis, fiet vobis (*Matth.* XVIII, 19). » Omnia autem verba oris ejus exaudivit, quia totum cordis ejus desiderium adimplevit. « Et in conspectu « angelorum psallam tibi. » Qui in conspectu angelorum psallit, sapienter eum psallere oportet. Sapienter autem psallit, qui pura cordis intentione Deum laudat. Per angelos autem, non solum virtutes cœlestes, quæ nobis ad custodiam datæ sunt, sed Ecclesiarum quoque rectores et custodes intelligere debemus.

« Adorabo ad templum sanctum tuum, et confite- « bor nomini tuo, Domine. » Adorare ad templum et in templo hoc in loco idem significat. Unusquisque autem nostrum adorat Deum in templo sancto suo, quando eum adorat in secreto pectoris sui. Unde Apostolus ait : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, 16). » Unde et Dominus ait : « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et, clauso ostio, ora Patrem tuum (*Matth.* VI, 6). » In corde igitur orare, et in corde Deum laudare debemus.

« Super misericordia et veritate tua. » Laudabo, inquit, te et confitebor nomini tuo, de magna misericordia et veritate tua. Conjunctæ tibi sunt misericordia et veritas, quia misericordia fecit sicut promisit, et faciendo se veritatem esse ostendit.

« Quoniam magnificasti super nos nomen sanctum « tuum. » Magnificavit autem Dominus nomen sanctum suum super nos, quia secundum sui nominis interpretationem salvavit nos; si quidem Jesus, *salvator* interpretatur. In hoc enim hoc nomen completum est, quia quod significat, magnifice completum est.

« In quacunque die invocavero te, exaudi me. » Quod si feceris, « multiplicabis in anima mea vir- « tutem tuam. » Semper exauditur Ecclesia, etsi non semper exaudiri videatur, quia in nullo alio vult exaudiri a Deo, nisi in his quæ placeant Deo. Nam et si ejus petitio aliquando differatur, exauditur tamen, cum suo tempore completur. Multiplicat Dominus in Ecclesia virtutem suam, quia et sapientia, et patientia, aliisque virtutibus **583** pro tempore et necessitate eam corroborat.

« Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ, « quoniam audierunt omnia verba oris tui, et can- « tent in canticis Domino. » Illi reges terræ, qui omnia verba Dei exaudisse dicuntur, et qui ad confitendum, et ad cantandum ejus cantica idonei sunt, episcopi et sacerdotes, omnesque Ecclesiæ rectores intelliguntur. Tales enim et pro officio, et pro fortitudine, et pro sapientia, et constantia eum laudare et prædicare debent. Cantent igitur in canticis Domino, « quoniam magna est gloria Domini, quoniam « excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a « longe cognoscit. » In his paucis verbis pene tota evangelica prædicatio continetur. Prius enim scire et credere debemus, quia ubique et in omnibus gloriosus, et super omnia excelsus est Dominus, et omnia ei subjecta sunt, sicut suo Creatori et Domino. Deinde vero quid velit et quid nolit scire debemus, quia aliter ejus voluntatem facere non possumus. Diligit enim, sicut hic dicitur, humiles; reprobat superbos, deponit potentes de sede, et exaltat humiles : « humilia respicit, et alta a longe cognoscit. » Et illa quidem miserendo respicit, illa vero puniendo agnoscit.

« Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis « me, et super iram inimicorum meorum extendisti « manum tuam, et salvum me fecit dextera tua. » Quia, quasi dicat, semper me respicis, et respiciendo custodis, ideo ubique securus sum, neque ipsas mihi illatas tribulationes pertimesco, quia et mortuum me suscitabis et vivificabis, et de omnibus inimicis meis me vindicabis. « Domine retribue pro me. » Retribue, inquit, Domine, inimicis meis dignam retributionem pro me, sic tamen, si in hac malitia sua perseverant. Si vero conversi fuerint, et se peccare cognoverint, fac eis misericordiam, « et « opera manuum tuarum ne despicias; » sed misericordia tua etiam super illos maneat in æternum.

PSALMUS CXXXVIII.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

In finem hunc psalmum referendum esse Propheta nos docet, per quem Christum, et Ecclesiam intelgimus. « Finis enim legis Christus est (*Rom.* X, 4). » ipse est « Alpha et Omega, principium et finis (*Apoc.* I, 8). » De Ecclesia quoque dicit Apostolus : « Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* X, 11). »

« Domine, probasti me et cognovisti me. » In hoc psalmo loquitur Propheta, et alii ejusdem perfectionis. Domine, inquit, « probasti me, » et probando « cognovisti me (874). » Non quod probatione indigeat, qui novit omnia, antequam fiant; probavit igitur propter nos, et probando clariores fecit, quia aliter cognoscere non potuimus. « Tu cognovisti

(874) *Ex persona populi fidelis intelligentis Domini potentiam, et quod nulla etiam secreta majestatem ejus fallere possunt*, juxta cardinalis Thommasii interpretationem, *psalmus iste componitur*; ac proinde ita Prophetam loquentem inducit : *Domine, tu me totum exploratum, et cognitum habes*, etc., ita interpretatum fuisse S. Brunonem ejus expositio manifestat.

Digitized by Google

« sessionem meam, resurrectionem meam. » Quomodo sedi, quomodo docui, quomodo in bono perseveravi, cum quanta gravitate me habui, tu vidisti et cognovisti. Et si aliquando carnis fragilitate cecidi, quomodo, quam cito et quam viriliter surrexi, tu optime nosti; unde hoc? Tu enim « intellexisti cogitationes meas a longe. » A longe quidem, qui ab æterno, et ante mundi constitutionem cognovit Dominus et actiones nostras et cogitationes. Unde adhuc subditur : « Semitam meam « et directionem meam investigasti, et omnes vias « meas prævidisti. Et tu scis quia non est dolus in « lingua mea, » et ea, quæ dico vera sunt, pura et munda, et sine fallacia sunt. Omnia enim videt Dominus, et angustas, et amplas vias, per quas ambulamus, et directiones, et correctiones, quibus opera nostra et itinera nostra dirigimus et castigamus. Unde et subditur :

« Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et « antiqua. » Nihil enim fuit, vel est, vel futurum erit, quod ipse non noverit. « Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. » Si quid igitur in eo laudabile est, non ipsius, sed Dei est, Tale est illud quod alibi quoque a Domino dicitur : « Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de ventre, sanctificavi te (*Jer.* I, 3). » Non igitur se ipsos laudant sancti, quia tales sunt, sed illum potius laudant a quo tales formati sunt.

« Mirabilis facta est scientia tua ex me. » Et tam mirabilis, et sic confortata et exaltata, ut ad eam pertingere non valeam. Si ergo se ipsum intelligere et cognoscere non valet, quomodo ea quæ extra sunt intelligere valeat? Qua fronte miser homo de Deo disputare præsumit, qui de se ipso rationem reddere nescit? « Mirabilis, » inquit, « facta est scientia tua. » Non ex te tantum, non ex mundi creatione, **584** sed ex me ipso, qui me ipsum videre non possum. Miser ille qui te offendit, quia nusquam iram tuam effugere potest. Et hoc est quod ait :

« Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? » Se ipsum pro aliis ponit, ut quod de se dicit, de omnibus intelligatur. Quo ibo, inquit, a spiritu iræ tuæ, et quo fugiam a facie indignationis tuæ? Qui ubique es, et omnia vides.

« Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero « in infernum, ades. » Ascendimus autem non pedibus, sed precibus in cœlum, quando eos qui in cœlis sunt in nostrum adjutorium invocamus. Inde vero in infernum descendimus, quando eos qui in hoc mundo sunt similiter deprecamur. Ad cœli namque comparationem, mundus iste infernus vocatur, quia inde infernus dicitur, eo quod inferior sit. Cui igitur Deus iratus est, neque eorum, qui in cœlo sunt, neque eorum, qui sunt in terra adjutorium habere potest. Una igitur sola et singularis causa est, qua homo iram Dei effugere potest, hæc videlicet, ut fugiens se ipsum, ad Deum confugiat; neque enim homo velocior esse potest ad pœnitendum, quam Deus ad indulgendum. Hoc enim ipse ait : « Quacunque hora peccator conversus fuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor (*Ezech.* XXXIII, 11). » Pœniteat igitur hominem, et sic iram Dei effugere poterit.

« Si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in postremo maris. » Tunc, subauditur, iram tuam effugere potero. Sumamus ergo pennas nostras per quas remedia pœnitentiæ significantur, sine quibus ad maris hujus postrema volare non possumus. Ante lucem autem pennas suscipimus, si peccata nostra ante Deum, qui est vera lux, ex toto corde manifestamus. Quod ergo dicitur ante lucem, tale est ac si diceretur coram luce, vel in præsentia lucis. Et illi quidem habitant in postremo maris, qui mundi hujus naufragia et flagitia evaserunt. Quomodo evaserint, sequentia manifestant.

« Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit « me dextera tua. » Hæc dextera tenuit Petrum, cui, cum mergeretur, Dominus ait : « Modicæ fidei, quare dubitasti? » (*Matth.* XIV, 31.)

« Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me. » Si, inquit, mundum relinquere et ad te volare voluero, « forsitan tenebræ conculcabunt me. » Hoc autem tempore martyrum multis accidisse leginus, qui ad Christi fidem confugientes a tenebris conculcati sunt, per quas iniqui homines significantur. De quibus Apostolus ait : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V, 10). » Deque ipsis in Evangelio dicitur : « quia lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* I, 5). » Tales itaque tenebræ eos conculcabant et occidebant, quos ad Christi fidem transire videbant. Sequitur : « Et nox illuminatio mea in deliciis meis. » Tenebræ, inquit, conculcabunt me, et ad mortem, quæ per noctem significatur, deducent me, sed ipsa nox et ipsa mors erit illuminatio mea. Ubi? « In deliciis meis. » Nisi enim mors prius intercessisset, ad illas tantas delicias pervenire non potuisset.

« Quia tenebræ non obscurabuntur abs te, et nox « sicut dies illuminabitur. » Ideo, inquit, dixi, quia nox erit illuminatio mea, quia scio et certus sum, « quod tenebræ non obscurabuntur abs te; » sed mox ut pro tuo nomine interfectus fuero, fugatis tenebris, recto et claro itinere, ad te perveniam. Et illa nox sicut dies illuminabitur mihi, in qua de hujus mundi tenebris ad tuæ charitatis gloriam me venire contigerit.

« Sicut et tenebræ ejus, ita et lumen ejus. » Sicut enim illius noctis tenebræ multæ sunt, ita et lumen ejusdem noctis multum et ineffabile erit (875). Neque plus noctis et tenebrarum suscipiet caro, quam lucis et claritatis in illa vita suscipiet anima.

« Quoniam tu, Domine, possedisti renes meos, « suscepisti me de utero matris meæ : confitebor

(875) Hic locus mutilus in editione Marchesii, ex cod. S. Crucis Minor. in Laurent. reintegratur. Hunc concordat codex Ghisianus.

Digitized by Google

« tibi, Domine, quoniam terribiliter magnificatus « es. » Ideo, inquit, confitebor tibi, Domine, et laudabo te, quia possedisti renes meos, neque luxuriæ peccatum, inter alia omnia peccata sordidissimum mihi dominari permisisti, et quia suscepisti me de utero matris meæ, et sub tuæ protectionis custodia conservasti et de tantis periculis liberasti. Insuper ex hoc quoque confitebor tibi, Domine, et laudabo te, « quoniam terribiliter magnificatus es. » Terribiliter multoties magnificatus est Dominus, multis et maximis plagis suos conterens inimicos, sicut in diluvio, in mari Rubro, in Sodomis, et in multis aliis locis. « Mira opera tua, et anima mea « novit nimis. » Multum mirabilis est ille, cujus opera tam mirabilia sunt, quæ ille quidem bene cognoscit; quia in illis se exercet, non solum legendo, sed et agendo.

« Non est occultatum os meum abs te, quod fe- « cisti in occulto. » De ore cordis loquitur, cujus verba solus Deus cognoscit (876). **585** Quantum autem iste aliis humilior fuerit, in eo ostendit quod substantiam suam in inferioribus terræ fuisse dicit :

« Imperfectum meum viderunt oculi tui. » Imperfectionem, inquit, meam tu vidisti, et quantum a plena et consummata justitia minus habuerim cognovisti. Verumtamen omnes fideles tui, et amici tui, non imperfecti, sed perfecti scribentur in libro tuo. Et hoc est quod dicit : « Et in libro tuo omnes scribentur. » Quales? « Dies formabuntur, et nemo « in eis. » Liber Dei, ipsa ejus memoria est, in qua nomina sanctorum omnium continentur. Dies autem formabuntur omnes, quia clari et splendidi; et sicut scriptum est : « fulgebunt justi sicut sol in regno Dei, » et nemo ejus claritate et perfectione carebit.

« Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, « Deus; nimis confortatus est principatus eorum. » Satis enim et in cœlo et in terra honorificati sunt, qui et in cœlo et in terra tantam potestatem habent, ut et hic et ibi, quos ligant, ligentur; et quos solvunt, solvantur : ibi scripti sunt in libro vitæ, et hic memoria eorum clarissima et perpetua manet, et vere nimis confortatus est principatus eorum, quibus mundus non sufficit, sed super cœlos obtinent principatum.

« Dinumerabo eos, et super arenam multiplica- « buntur. » Innumerabiles, inquit, sunt, et velut arena maris numerari non possunt. Multiplicantur autem, et in hoc super arenam maris, quia multo plures sunt Christiani, quam Judæi, qui per arenam significantur. Hinc est enim quod Abraham a Domino dicitur : « Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, et sicut arena, quæ est in littore maris (*Ephes.* XXII, 17); » per stellas Christianos, et per arenam, quæ pedibus conculcatur, Judæos significans.

« Resurrexi, et adhuc sum tecum. » Dixit modo superius : « imperfectum meum viderunt oculi tui; » nunc autem ab illa imperfectione se surrexisse, et in Domino fideliter firmiterque mansisse se dicit, ut et ipse simul cum aliis scribatur in libro vitæ, et inter alios dies formetur et glorificetur.

« Si occideris, Deus, peccatores, viri sanguinum « declinate a me. » Omnes illi occiduntur et moriuntur, qui a Deo separantur et dividuntur. Si, inquit, peccatores a te repellas, et a tuo conspectu separes; et ego dicam illis : « Viri sanguinum declinate a me; » neque illis communicabo, quos tuam gratiam non habere cognoscam. Tunc enim peccatores a Domino occiduntur, quando excommunicantur, et Ecclesiæ sententia feriuntur.

« Quia dicitis in cogitationibus vestris : accipient « in vanitate civitates suas. » Merito, inquit, o viri sanguinum vos fugimus, et a nostro consortio separamus, quia male et inique et de Deo ipso, et de ejus Ecclesia judicatis et cogitatis. Viri sanguinum præcipue hæretici intelliguntur, qui corpus et animam perdunt, et totum hominem interficiunt. Et isti quidem dicunt de viris sanctis et catholicis in cogitationibus suis. Accipiant in vanitate civitates suas, quia sic excæcavit eos malitia eorum, ut quidquid in Ecclesia agitur, totum vanum et inutile esse credant.

« Nonne qui oderunt te Deus, oderam illos, et « super inimicos tuos tabescebam? » Merito tales peccatores Deus occidit, et a toto suo corpore, quod est Ecclesia, repellit; quia ipsi sunt, qui eum odio habent, et qui ei specialiter sunt inimici. Tales autem quantum fugere et evitare debeamus, hæc verba nos docent.

« Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt « mihi. » Bonum et perfectum odium est, quando et naturam diligimus, et vitium odio habemus. « Hæreticum hominem, dicit Apostolus, post unam et secundam correctionem devita (*Tit.* III, 10). » Quod utique non dixisset, nisi ejus communionem periculosam esse cognosceret.

« Proba me, Deus, et scito cor meum, et interroga « me, et cognosce semitas meas. » Beatus ille, quem sic sua conscientia defendit. Adhuc probari desiderat, qui in ipso principio psalmi, se probatum fuisse dicit, quoniam et cogitatione et operatione mundum et purum se esse intelligit. « Et vide si via « iniquitatis in me est, et deduc me in viam æter- « nam. » Postquam, inquit, probaveris, interrogaveris, et si vis, quasi dicat, igne examinaveris, et cognoveris me, et viam iniquitatis non inveneris in me, deduc me in viam æternam. In via æterna illi sunt, qui jam ulterius ad viam peccati et mortis

(876) Hic S. Bruno nimis indulsit studio mystici sensus, quod *os ossis*, pro *os oris* exponit. S. enim Augustinus ut penitus æquivocationem auferret usus est licentia *ossum* appellans : « Ecce, inquit, in carne est substantia mea, in inferioribus terræ est substantia mea; et habeo tamen ossum intrinsecus, quod formasti. » Non omittam concinnam card. Thommasii expositionem. « Non est tibi occultatum, ne unum quidem ex ossibus meis, quæ mihi fecisti in abscondito ventris matris meæ. »

Digitized by Google

declinare non timent. Sed hæc via in hac vita non invenitur.

586 PSALMUS CXXXIX.

IN FINEM PSALMUS DAVID.

Quid significet in finem, et quid significet psalmus David sæpe jam diximus (877).

« Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro « iniquo libera me. » Ecclesia loquitur, et rogat Dominum, ut ab homine malo eam eripiat, per quem diabolus et hæretici significantur. Isti enim et mali, et iniqui sunt, et plus omnibus aliis Ecclesiam persequuntur (878).

« Qui cogitaverunt malitias in corde. » Malitias enim in corde cogitant, quia in hoc maxime laborant, quomodo viros catholicos decipere et in hæresim trahere possint. « Tota die constituebant prælia. » Tota die disputare et contendere volunt, multisque argumentationibus veritatem impugnare, et suos errores defendere parati sunt.

« Acuerunt linguas suas, sicut serpentes, vene- « num aspidum sub labiis eorum. » Bene hæretici serpentibus comparantur, quia labiles, tortuosi et veneno pleni sunt : veneno autem aspidum, quod insanabile dicitur, quia et hæreticorum doctrina mortifera et insanabilis est.

« Custodi me, Domine, de manu peccatoris, et ab « hominibus iniquis libera me. » Peccator, diabolus; iniqui, hæretici sunt : malus magister malos discipulos habet. De omnibus custodiri et liberari postulat, quia omnium insidias pertimescit.

« Qui cogitaverunt supplantare gressus meos. » Quomodo? « Absconderunt superbi laqueum mihi. » Sola superbia et arrogantia hæreticos facit, quia, dum alta sapere volunt et humilibus consentire nolunt, in hæresim cadunt; inde vero cogitant, quomodo alios supplantare et ad suum sensum trahere possint. Abscondunt laqueos, fallaciter et argumentose Scripturas exponunt, et quod auctoritate non possunt, syllogismis facere nituntur. Unde et subditur :

« Et funes extenderunt in laqueum pedibus meis, « juxta iter scandalum posuerunt mihi. » Laqueum, ipsam disputationem vocat : funes vero, quibus a longe laqueus trahitur, dialecticas ambages et sophismata dicit; his autem simplices homines illaqueantur et decipiuntur et in erroris foveam trahuntur. « Juxta iter vero scandalum ponit, qui de ipsa Scriptura, quæ via nostra est, aliquid assumit, quod male interpretatum, in errorem hominem ducit. Sic faciebant Ariani, dicentes : Nonne Filius hoc dicit : « Pater major me est? » (*Joan.* XIV, 28.) Quomodo tu æqualem dicis, qui se minorem esse fatetur. Et hoc simplicibus scandalum erat, quia quomodo solverent, nesciebant.

« Dixi Domino meo : Deus meus es tu, exaudi, Domine, vocem orationis meæ. » Dicit Ecclesia se in illo tanto hæreticorum prælio clamasse ad Dominum, quia omnes simplices, et illiteratos, et in divinis Scripturis minus exercitatos se amittere timebat. Tu, inquit, es Deus meus, alium non habeo, te mihi isti auferre nituntur; tu me modo in hoc prælio et in hac tanta necessitate exaudi. Unde autem exaudire debeat, audiamus.

« Domine, Domine, virtus salutis meæ obumbrasti caput meum in die belli. » Hæc verba magni terroris significativa sunt. Periculosius est pugnare cum hæreticis, quam cum tyrannis, quia illi corpus, isti vero animas interficiunt. Domine, inquit, Domine, virtus salutis meæ, sine cujus adjutorio, et virtute salvari non possum, « obumbrasti caput meum, » caput mentis meæ, « in die belli, » ut eorum blasphemiæ ad aures meas penetrare non valeant.

« Ne tradas me a desiderio meo peccatori. Quid est peccatori? Diabolo et membris ejus. Unde pluraliter subditur : « Cogitaverunt adversus me, » quia in uno nomine peccatoris multi peccatores significantur. Tunc enim, quod absit, suo desiderio frustrata peccatoribus traderetur Ecclesia, si adversus eam suas iniquas cogitationes adimplere potuissent.

« Ne derelinquas me, ne unquam exaltantur. » Considera modo quantum se hæretici exaltarent et vincerent, qui etiam victi sex altare, et errorem suum defendere non erubescunt.

« Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum « cooperiet eos. » Caput circuitus eorum, diabolus est, quia illos circuitus locutionum et illas ambages tantarum deceptionum ipse eorum magister diabolus eos docuit. Labor vero labiorum ipsorum idem ipse circuitus dicitur : quia, sicut illi qui verum dicunt non laborant, ita econtra illos qui mentiuntur multum laborare necesse est. Et iste quidem circuitus, iste eorum sermo dolosus, ita multoties eos cooperit, ut eorum hæresis 587 comprehendi non possit. Quæ autem pœna eos exspectet pro hac tanta sua deceptione, audiamus.

« Cadent super eos carbones, in ignem dejicies « eos, in miseriis non subsistent. » Hoc est enim quod alibi dicit : « Pluet super peccatores laqueos : « ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars ca- « licis eorum (*Psal.* X, 7). » Quomodo igitur in miseriis subsistere poterunt, qui igne sic undique circumposito ardebunt.

« Vir linguosus non dirigetur super terram. » Eum, qui super terram non dirigitur, jam sub terra positum sola tormenta exspectant. Inde Apostolus post primam et secundam correctionem nos hæreticum hominem evitare jubet, quia hi tales inconvertibiles sunt; et valde difficile est ut ad bonum dirigantur. Bene autem vir linguosus vocatur hæreticus qui in sola lingua et garrulitate confidit. De quo adhuc sub-

(877) *Per totum hunc psalmum Ecclesia loquitur.* Ita. Cassiodorus.

(878) « Sciens mater Ecclesia quanta in membris suis diaboli infestatione pateretur; sollicite clamat ad Dominum, qui solus ejus potest superare nequitiam, ut ab ipsius multiplici tentatione liberetur. » Idem Cassiod.

Digitized by Google

ditur. « Virum injustum mala capient in interitu. » Mala inquit, capient eum, non in correctione, ut salventur, sed in interitu, ut sine fine crucientur.

« Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopum, « et vindictam pauperum. » Insuper et pauperes illi sunt, qui non temporales, sed æternas divitias quærunt. De istorum autem judicio, et vindicta dubitandum non est; quia sicut gloria præparata est bonis, ita et pœna præparata est malis.

« Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo. » Constituant, quasi dicat, viri injusti prælia tota die: cogitent, quomodo sanctorum gressus supplantare valeant; verumtamen justi Deum laudare, et veritatem prædicare non cessant. « Et habitabunt recti « cum vultu tuo. » Quid est « cum vultu tuo, » nisi in conspectu gloriæ tuæ. Ibi enim laudabunt sancti, ibi in æternum cum Domino gaudebunt.

PSALMUS CXL.

PSALMUS DAVID.

Iste titulus jam multoties superius expositus est.

« Domine, clamavi ad te, exaudi me. » Domine, inquit Ecclesia, multoties clamavi ad te, et nunc quidem clamabo, ut exaudias me, et non solum nunc, sed omni tempore : dum « clamavero ad te, « intende voci orationis meæ. » Hoc autem ideo dicit, quia futurum esse cognoscit, ut sicut crassitudo terræ eructat super terram, ita dissipentur ossa ejus secus infernum. Qua in re maxima, et nimis intolerabilis persecutio significatur. Et hoc quidem in sequentibus exponitur.

« Dirigatur oratio mea sicut incensum in con- « spectu tuo. » Orat mater Ecclesia, ut persecutionis tempore sic dirigantur ad Dominum ejus orationes, eique placeant, sicut bonus odor incensi ad nares nostras dirigitur, et suavis est nobis.

« Elevatio manuum mearum sacrificium vesperti- « num. » Sacrificium vespertinum, Christi passio fuit, qui circa illam horam spiritum emisit. Elevatio vero manuum illa est, de qua alibi dicitur : « In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum (*Psal.* CXXXIII, 2). » Oremus igitur Dominum, ut elevatio manuum nostrarum, munda et pura sit, Deo grata, et acceptabilis sicut sacrificium vespertinum.

« Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium « circumstantiæ labiis meis. » Et hoc quare? « Ut « non declinet cor meum in verbum malum, ad ex- « cusandas excusationes in peccatis. » Hoc vitium a primis parentibus habemus, qui post peccatum a Domino interrogati, prius excusationes invenerunt. Et Adam quidem dixit : « Mulier dedit mihi, et comedi (*Gen.* III, 12); » mulier vero : « Serpens decepit me. (*Ibid.*, 13) » Tales excusationes malæ sunt, et fieri non debent, quibus peccata non minuuntur, sed potius crescunt. Et omnes quidem excusationes malæ sunt, quibus pœnitentia impeditur, et vitia nutriuntur. Sic autem hic dicitur : « Ut non declinet cor meum in verbum malum, » sicut alibi dicitur : « Ne nos inducas in tentationem (*Matth.* VI, 13). »

« Cum hominibus operantibus iniquitatem, et non « communicabo cum electis eorum. » Non communicabo, inquit, neque sociabor cum hominibus iniquitatem operantibus, et in malitia perseverantibus, neque cum ipsis, neque cum electis eorum, per quos eorum principes et magistros, omnesque hæresiarchas intelligimus. Isti enim ab eis electi sunt, ut eos sequantur, eorumque errores defendant et teneant.

« Corripiet me justus in misericordia, et increpa- « bit me. » Hoc faciunt Ecclesiæ doctores, hoc faciunt episcopi et sacerdotes, qui peccatores quotidie arguunt et corripiunt, magnamque misericordiam conversis et pœnitentibus promittunt « Oleum autem « peccatoris non impinguet caput meum. » Quid per oleum peccatoris, nisi blanditiæ, adulationes, persuasiones et deceptiones significantur? Caput autem pro mente ponitur, quæ tali oleo impinguata et delibuta, facile trahitur ad peccata.

« Quoniam adhuc et oratio mea. Illi vero in bene- « placitis eorum absorpti sunt. At vero continuati « petræ judices eorum audient verba mea. At illi « quoniam potuerunt, sicut crassitudo terræ eructat « super terram, ita dissipata sunt ossa nostra secus « 588 infernum. » Sic enim se habet ordo. Nunc autem significationem videamus. Exaudi me, inquit, quoniam adhuc est, adhuc manet, et nondum finita est oratio mea, qua et in hujus psalmi initio rogavi, dicens : « Intende voci orationis meæ, dum clamavero ad te. » Illi vero, de quibus superius dixi, cum hominibus operantibus iniquitatem, et non comunicabo cum electis eorum, absorpti sunt in his quæ bene sibi placuerunt. Bene quidem, sicut ipsi putant, qui in suo errore et stultitia delectantur. Sic enim illi absorpti sunt, et a diabolo devorati, ut de illo barathro jam ulterius non expediantur. At vero illi, qui petræ continuati et conjuncti sunt, per quam Christus significatur, audient verba mea. Hæc est illa petra, de qua Apostolus ait ; « Petra (879) autem erat Christus (*I Cor.* X, 4). » Huic autem petræ omnes boni indissolubiliter continuati et conjuncti sunt. Et isti quidem Ecclesiæ verba audiunt et credunt, quæ hæretici audire fastidiunt. Unde et stultissimi esse probantur, qui ea audire despiciunt, quæ eorum judices admirantur, et in quibus plurimum delectantur; unde in Canticis canticorum Dominus ait : « Quæ habitas in hortis, amici auscultant : fac me audire vocem tuam (*Cant.* VIII, 13). » Judices isti non solum apostoli, sed omnes sancti intelliguntur, inter quos et regina Austri, et Ninivitæ computantur. Sequitur :

« Quoniam potuerunt, sicut crassitudo terræ eru-

(879) « Pro petra hic, sicut multis in locis, significatur Christus Dominus, juxta quam stantes doctores hæretici, quasi judices populi sui subita voracitate merguntur, qui ideo corruunt in profundum, quoniam supra petram stare non eligunt..... Soli enim in hac soliditate consistunt, qui super arenam fragilia fundamenta non ponunt. » CASSIODORUS, quem in reliquis etiam secutus est S. Bruno.

Digitized by Google

« etat super terram, dissipata sunt ossa nostra se- « cus infernum. » Quoniam, illi, inquit, qui absorpti sunt, aliquando potuerunt, et quoniam in hac vita fortes, et potentes fuerunt, ideo ossa nostra, fortiora membra nostra, per quæ apostoli et martyres figurantur, eorum violentia et fortitudine dissipata sunt secus infernum, per quem tyranni et alii homines iniqui significantur, a quibus et inter quos quasi in inferno afflictati sancti Dei, et cruciati, et dissipati sunt. Hinc est enim quod de se ipso et omnibus istis, qui ejus membra sunt, Dominus ait : « Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis. Omnes videntes me, aspernabantur me (*Psal.* XXI, 7). » Non est ergo mirum, si viri justi vermibus comparentur, cum ipse Dei Filius vermis dicatur.

« Quia ad te, Domine, Domine, oculi mei, in te « speravi, ne auferas animam meam. » Ne auferas, inquit, Domine, id est, ne auferri et decipi patiaris animam meam a supradictis hominibus impiis et iniquis, quoniam ad te levavi oculos meos, et in te speravi, et nullum alium adjutorem habeo.

« Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, et a « scandalis operantibus iniquitatem. » Multa de hoc laqueo, et in his scandalis in superiori psalmo dicta sunt, per quæ nihil aliud nisi tyrannorum et hæreticorum astutia et deceptio significatur.

« Cadent in retiaculum ejus peccatores. » In retiaculum laquei hujus cadunt peccatores, quia ipsi sunt, qui ab hæreticis, et ab aliis iniquis hominibus decipiuntur.

« Singulariter sum ego donec transeam. » Singulariter est Ecclesia in hac vita, quia valde pauci sunt boni ad malorum comparationem, sed postquam transierint, pluraliter erit : quia etsi non numero, virtute tamen et fortitudine omnibus major et potentior erit.

589 PSALMUS CXLI.

INTELLECTUS DAVID (880) CUM ESSET IN SPELUNCA.

« Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad « Deum deprecatus sum. » Non solum interiori voce, qua semper cum Domino loquebatur, sed exteriori quoque voce, quæ ab hominibus audiebatur, sæpe Filius clamavit ad Patrem, et sicut voluit in omnibus exauditus est.

« Effundam in conspectu ejus orationem meam, et « tribulationem meam ante ipsum pronuntiabo, in « deficiendo in me spiritum meum. » Modo, inquit, in mortis articulo, et tempore passionis, dum spiritus et vita deficit, et anima a carne mea separatur, opto ut effundam in conspectu ejus orationem meam, et ipse præsto adsit ad eam audiendam et suscipiendam. Volo similiter, et opto ut tribulationem meam ante ipsum pronuntiem, quatenus me vindicare non obliviscatur de his qui in sua malitia perseverant.

« Et tu cognovisti semitas meas. » Nunc ad Patrem loquitur, cujus consilio et voluntate in mundum venit, carnem suscepit, inter homines conversatus est, prædicavit, ad fidem Judæos vocavit. Et istæ quidem sunt semitæ illius, quas Patrem non ignorare dicit :

« In via hac qua ambulabam, absconderunt la- « queos mihi. » Lege in Evangelio, et invenies Judæos, multos laqueos, multasque insidias Domino præparasse, sicuti de tributo solvendo, et de Sabbati observatione.

« Considerabam a dextris, et videbam, et non « erat qui cognosceret me. » Nihil aliud considerabat Dominus, nihil aliud mente tractabat, nisi de his quæ a dextris erant, et quæ omnibus ad salutem et prosperitatem fiebant. Ipsi tamen hoc non cognoscebant, et pro bonis mala reddebant.

« Periit fuga a me. » Poteram, inquit, fugere si voluissem, facile mihi erat eorum iram et indignationem declinare; sed si hoc fecissem, quid humano generi profuissem? Illorum salutem anteposui, meam postposui. « Et tamen non est qui requirat animam « meam, nisi ut auferat eam. Clamavi ad te, Do- « mine, dixi : Tu es spes mea, portio mea in terra « viventium. » Clamavit Dominus, sed intus clamavit, quia ejus voluntas magnus clamor erat in auribus Patris : hoc dixit, hoc proposuit, et firmavit quod se non defenderet, sed in sola divinitate speraret, cujus portio non in terra morientium, sed potius in terra viventium erat (881). Non mortuos, Domine, sed vivos elegisti, non Synagogam, sed Ecclesiam, quia « non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. Sed nos qui vivimus benedicimus Domino ex hoc nunc, et usque in sæculum (*Psal.* CXIII, 17-18). »

« Intende in orationem meam, quia humiliatus « sum nimis. » Quia secundum humanitatem loquitur Dominus, ideo humanos ostendit affectus. Neque enim orare necesse habebat, cujus in voluntate et potestate omnia erant, sed si potestate uti voluisset, quis ei resistere potuisset? Ac per hoc hominem eum esse, quis credidisset? Et revera nimium se humiliavit, qui de sua omnipotentia ad tantam impotentiam se inclinavit.

« Libera me a persequentibus me, quoniam con- « fortati sunt super me. » — « Oblatus est » enim Dominus, « quia ipse voluit (*Isa.* LIII, 7). » Confortati sunt inimici ejus super eum, quia ipse voluit, liberatus est de manibus eorum, sicut voluit et quando voluit.

(880) « David ob Saulis insidias profugus, cum in spelunca lateret, quod Christum Dominum in corpore ante passionem suam significabat esse facturum. Nam, cum huic orationi *intellectus* præmittitur, significatur, intellexisse *David* inter angustias, et fugæ suæ latebras, quid Dominus esset a Judæis passurus, et quomodo Patrem rogaturus. » BEDA.

(881) *Portio mea in terra viventium.* « Probat hoc specialiter locus ille, quando in cruce positus latroni dixit : *Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso. Luc.* XXIII, 43. Paradisus est enim terra viventium, quam soli beati feliciter introibunt, qui sub æternitate et securitate victuri sunt. » CASSIOD.

Digitized by Google

« Educ de carcere animam meam, ad confitendum A « nomini tuo, Domine. » Carcer iste infernus est, de quo non suam tantum, sed sanctorum omnium animas, quæ ibi inclusæ tenebantur, Dominus eduxit : unde tota Ecclesia ejus nomini confitetur, atque omnes sancti eum laudant et benedicunt.

« Me exspectant justi, donec retribuas mihi. » Omnes justi hoc exspectabant, ut a mortuis Christus resurgeret (882); quia non aliter se posse resurgere sciebant, nisi ipse prius resurgeret, « qui est primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ (*Apoc.* I, 5). » Resurgens autem Dominus tanti laboris dignam retributionem suscepit; quia sicut ipse ait : « Data est ei omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). »

590 PSALMUS CXLII.

QUANDO FILIUS SUUS ABSALON EUM PERSEQUEBATUR (*II Reg.* XV, 14).

Hunc psalmum dictante Spiritu sancto fecit David, quando Absalon filius ejus eum persequebatur, quem et simul cantare debemus in omnibus angustiis et necessitatibus nostris.

« Domine, exaudi orationem meam, auribus per- « cipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi « me in tua justitia. » Tale est illud in Evangelio, ubi unum idemque Salvator noster toties repetit. « Petite, et accipietis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis (*Matth.* VII, 7). » Unde et alibi dicit : « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud (*Matth.* XI, 12). » Hinc et Apostolus sine intermissione orare nos docet. « In veritate, » inquit, « tua exaudi me, » quoniam sic mihi promisisti, et verax es, et mentiri non potes, ut manifestetur justitia tua, quæ ubique veritatem sequitur, et sine ea ex se non valet.

« Et non intres in judicium cum servo tuo. » Quoniam si hoc feceris, « non justificabitur in con- « spectu tuo omnis vivens. » Sic enim violata est humana natura, ut nemo se defendere valeat, si simul cum Deo ad judicium veniat. « Omnis enim homo mendax (*Psal.* CXV, 11). » Et : « Stellæ non non sunt mundæ in conspectu ejus (*Job* XXV, 5). » Et ut Joannes Apostolus ait : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8). » Unde et quotidie dicimus : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI, 12). » Et hoc ideo, quia « persecutus est inimicus animam « meam, humiliavit in terra vitam meam. » Hic est ille inimicus, de quo dicitur : « Inimicus noster diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (*I Petr.* V, 8). » Iste persequitur animas nostras, eas in terra humiliat, et cœlestia cogitare non permittit : iste in terram eas conculcat, et carnis voluptatibus implicat. Unde et subditur :

« Collocavit me in obscuro sicut mortuos sæculi, « et anxiatus est in me spiritus meus, et in me turbatum est cor meum. » Mortui sæculi illi sunt, qui a vera vita, quæ Christus est, peccando separati sunt. Tales autem in obscuro jacent, quandiu in peccato perseverant. In his autem anxiatur spiritus, quia nimia infirmitate anima tabescit. Cor vero conturbatur, quando vana et turpia meditatur.

« Memor fui dierum antiquorum, et meditatus « sum in omnibus operibus tuis. » Hoc remedium recuperandæ sanitatis quærere debemus, quando nos in obscuro collocatos, et in peccatorum tenebris jacere sentimus. Recordemur dierum antiquorum, et reformemus nosmetipsos ad exempla sanctorum. Meditemur opera Dei, et tantum magistrum imitari studeamus, in cujus operibus malum non invenitur, qui vidit omnia quæcunque fecit, et erant valde B bona. « Et in factis manuum tuarum meditabor. » Vitia et peccata non sunt in factis manuum ejus, et ideo neque cogitare, neque facere ea debeamus. Multum enim nocet mala cogitatio, quia ipsa est causa, et origo peccati.

« Expandi manus meas ad te. » Hoc est enim quod alibi dicitur : « In noctibus extollite manus vestras in sancta (*Psal.* CXXXIII, 2). » — « Anima mea sicut « terra sine aqua tibi. » Seipsum accusat, quod anima ejus sic aliquando fuerit coram Deo sterilis, et infructuosa sicut terra sicca et sterilis et infructuosa est. Unde et velociter se exaudiri exorat, quia displicet sibi quod talis aliquando fuerit. « Justus enim, sicut scriptum est, in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII, 17). »

« Domine, defecit spiritus meus. » Talis aliquando C fuit anima mea, sed adveniente Spiritu tuo, quo omnia fecundantur, defecit spiritus meus, qui eam desiccabat. Hic est ille Spiritus, de quo dicitur : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V, 3). » — « Ne « avertas faciem tuam a me. » Quare? « Et ero si- « milis descendentibus in lacum, » Si enim fideles suos Deus non exaudiret, simul et ipsi cum peccatoribus in infernum descenderent.

« Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, « quia in te speravi, Domine. » Toties homo exit de nocte, et venit ad mane, quoties peccatum derelinquit, et pœnitentiam agere incipit. Non sum, inquit, in nocte, in die sum. « Nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII, 12). » Fac me audire et D cognoscere misericordiam tuam; illam videlicet misericordiam, quam illi soli habent, qui in te credunt et sperant.

« Notam mihi fac viam, in qua ambulem, quia ad « te, Domine, levavi animam meam. » Illa via nobis nota est, per quam frequenter ambulamus. Non ergo recedamus a mandatis Dei, et nota erit nobis 591 via, per quam ambulare debemus. Ille autem levat animam suam ad Dominum, qui eam a vitiis separat, et virtutum gradibus exsultans Domino offert.

« Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te con- « fugi. » Qui turris fortitudinis es a facie inimici. « Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus

(882) Hic locus in editione deficiens ex cit. cod. S. Crucis Minor. in Laurent. perficitur, cui concordat cod. Ghisianus.

Digitized by Google

meus, » cujus tantummodo voluntatem et servitium facere debeo.

« Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. » Quia defecit spiritus meus malus, qui me deducebat in viam perversam. Via recta illa est, quæ ad patriam inducit, et a mundi impedimentis animam separat. « Propter nomen tuum, Domine, » quod assidue invocare non cesso, « vivificabis me « in æquitate tua. » — « Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Rom.* x, 13). » Ille homo vivificatur in æquitate, qui iniquitatem fugiens, juste et æque vivere incipit.

« Et educes de tribulatione animam meam. » In tribulatione est anima illa, quæ quamvis invita carnis voluptatibus servire compellitur (883). « Et in « misericordia tua disperdes inimicos meos; » per quos vitia et peccata significantur, a quibus anima affligitur et tribulatur. Unde et subditur :

« Et perdes omnes, qui tribulant animam meam. » Et hoc ideo, « quia ego servus tuus sum, » cui me per omnia servire et obedire oportet.

PSALMUS CXLIII.

DAVID ADVERSUS GOLIATH (*I Reg.* XVII, 4).

Prælium David adversus Goliath, prælium Ecclesiæ adversus diabolum significat, qui, quamvis potentissimus esse videatur, quotidie tamen a Christiano populo prosternitur, conculcatur et jugulatur.

« Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. » Propheta, et populus Christianus omnipotenti Deo in hoc psalmo gratias agit, qui hostem superbissimum ejus adjutorio superavit.

« Misericordia mea et refugium meum, susceptor « meus et liberator meus, protector meus, subjiciens populos sub me, et in ipso speravi. » Sic enim se habet ordo. Nihil sibi imputat, omnia ad Deum refert, et hoc ipsum, quod est, et fortis et sapiens est, et quod inimicos vicit, et quod tot ac tantis eorum insidiis resistere potuit. Atque hoc totum obtinuit, quoniam non in se, non in suis viribus, sed tantum in eo speravit. Populos autem sibi subjectos esse dicit, per quos tyrannos et hæreticos, vitia et malignos spiritus intelligimus.

« Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut « Filius hominis, quia reputas eum? » Miratur propheta, quod hominem tam caducum, tam superbum, tam inobedientem, et miserum sic honoret, sic diligat, sic reputet, et sic se ei manifestare dignetur. Magnus honor homini, quod Dei cognitionem habet, quoniam, qui eam non habent, non inter homines, sed inter bruta animalia computandi sunt.

« Homo vanitati similis factus est; dies ejus sicut « umbra prætereunt. » Ad imaginem et similitudinem Dei factus est homo, sed, sua superbia et inobedientia, tantæ vanitati similis factus est, ut non immerito de eo dicatur : « Qui cum in honore esset, « non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. » Et ideo « dies ejus sicut umbra prætereunt, » quæ crescendo deficit, et quando major esse videtur, subito in tenebris evanescit.

« Domine, inclina cœlos tuos, et descende. » Ut ab hac vanitate, quasi dicat, homo liberari valeat, inclina Domine, cœlos tuos, et descende, quia, nisi tu descenderis, ille ascendere non potest. Cœli apostoli sunt, quos Dominus tunc inclinavit, et simul cum eis in lacum descendit, ut eos, qui per totum mundum sub diaboli potestate tenebantur, eriperet, quando eis dixit : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15). » Magna inclinatio est, cum cœli in terram, et apostolica sublimitas ad impios et peccatores prædicandos descendit. De quibus subditur :

« Tange montes, et fumigabunt. » Omnes enim sancti Spiritus unctione tangendi et mitigandi sunt (884), per quos majores, et potentiores homines intelligere debemus. Quos bene quidem fumigare dicit, quatenus eos ad fidem conversos in amore Dei ardere ostendat. Ubi enim fumus est, ibi et ignis esse monstratur. De hoc igne Dominus ait : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? » (*Luc.* XII, 49.)

« Corusca coruscationes tuas, et dissipabis eos; « emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. » Quid per coruscationes, nisi utriusque Testamenti declaratio, vel **592** signa, vel miracula significantur? His autem gentiles, secundum priorem statum dissipati, et penitus in melius commutati sunt. Similiter autem et sagittæ, sanctarum Scripturarum sententiæ intelliguntur, de quibus alibi dicitur : « Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* CXIX, 4). » Talibus sagittis, qui vulnerantur, contra se ipsos dignissime conturbantur. Taliter autem conturbatis Apostolus ait : « Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? » (*Rom.* VI, 21.)

« Emitte manum tuam de alto, eripe me et libera me de aquis multis, et de manu filiorum alienorum. » Emitte, inquit, manum tuam, virtutem et fortitudinem tuam de alto, de te ipso, qui super omnia altissimus es. « Et libera me de aquis multis. » Per aquas multi populi significantur. « Et de manibus filiorum alienorum, » de quibus alibi dicitur : « Filii alieni mentiti sunt mihi (*Psal.* XVII, 46), » per quos omnes illos intelligimus, qui non Dei, sed diaboli filii esse dicuntur. Tales erant illi quibus Dominus ait : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). »

« Quorum os locutum est vanitatem, et dextera « eorum dextera iniquitatis. » Inde manifeste alienorum filii esse probantur, quoniam et ore vanitatem loquuntur, et manibus iniquitatem operantur. Per hos autem hæretici et tyranni præcipue intelliguntur, quorum omnis sermo vanitas, et omnis operatio iniquitas est.

(883) Non deficit tamen illi divinum auxilium, ut eas comprimat, si humiliter petat.

(884) Cod. Ghis. « Sed illi maxime qui fortiores, et duriores esse videntur.

Digitized by Google

« Deus, canticum novum cantabo tibi. » Ubi? « In « psalterio decem chordarum psallam tibi. » Canticum novum in psalterio cantatur et psallitur, quando Vetus Testamentum non secundum litteram, sed spiritualiter prædicatur. Habent Judæi psalterium, sed non cantant ibi canticum novum, quia tantum Vetus Testamentum secundum litteram interpretantur.

« Qui das salutem regibus, qui liberas David ser- « vum tuum de gladio maligno. » Reges isti apostoli sunt, de quibus alibi dicitur : « A templo tuo in Jerusalem tibi offerent reges munera (*Psal.* LXVII, 30). » Et iste David Salvator noster intelligitur; gladius vero malignus diabolicam fortitudinem significat. Rogat igitur Propheta, rogat et populus Christianus, ut ille, qui dat salutem regibus, et liberat David servum suum, et filium suum de gladio maligno, eripiat eum et liberet eum de aquis multis et manu filiorum alienorum.

« Quorum os locutum est vanitatem, et dextera « eorum dextera iniquitatis. » Et hæc quidem modo superius exposuimus. Possumus autem per istos reges non solum apostolos, sed omnes quoque Christianos intelligere, qui seipsos et membra sua sapienter et honeste regunt.

« Quorum filii sicut novellæ plantationes, stabiliti « a juventute sua. » Sic sunt, inquit, filii istorum loquentium vanitatem, et operantium iniquitatem, sicut novellæ plantationes, stabiliti et firmati a juventute sua, quæ inter alias ætates valentior est, per quod videlicet, plurimo et jucundo, rhetoricoque sermone eos abundare significat. Sed quid per filios, nisi discipulos et imitatores eorum intelligamus?

« Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut simi- « litudo templi. » Per has autem eorum sententiæ significantur multa verborum venustate et varietate decoratæ. Bene autem similitudini comparantur, quia rei veritatem non habent, quamvis se habere ostentant.

« Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in « illud. » Quid per promptuaria, nisi eorum corda significantur, multorum exemplorum plenitudine redundantia? Unde ex hoc in illud eructare dicuntur, quoniam ex uno volumine in aliud transeuntes, ubique male et perverse Scripturas interpretantur. Transeunt denique ex hoc in illud, quia eorum doctrina non habet fundamentum, sed semper vaga et instabilis est.

« Oves eorum fetosæ, abundantes in itineribus « suis, boves eorum crassæ. » De his ovibus hæreticorum Dominus in Evangelio ait : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII, 15). » Quæ bene fetosæ dicuntur, quia isti tales multos diabolo filios generant. Sunt et iidem ipsi, et boves crassæ, quorum Deus venter est, qui sola terrena et transitoria quærunt, non laboribus, sed voluptati et luxuriæ dediti.

« Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque « clamor in plateis eorum. » Bonum illis esset, si maceriam suam non defenderent. Bonum illis esset, si per plateas suas sanctos prædicatores transire permitterent, et eorum voces et clamores audirent.

« Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. » Homines stulti et indocti, populum istum talibus divitiis abundare cernentes, et pœnas sibi paratas non intelligentes, beatum illum esse dixerunt. Sed non est ita. Ille populus beatus, cujus est Dominus Deus illorum, cujus Dominus omnium creaturarum, et Deus et Dominus est. Talem autem Deum et Dominum isti non habent, qui erroris et falsitatis simulacrum sibi Deum faciunt.

593 PSALMUS CXLIV.

LAUDATIO DAVID.

In hoc psalmo magnifice, præclare, multisque laudationibus Propheta Deum laudat, et benedicit, ut merito psalmus iste dicatur laudatio David, qui tantis laudationibus plenus est.

« Exaltabo te, Deus meus rex. » Tunc Deus exaltatur a nobis, quando ejus exaltationem, gloriam et honorem digne et laudabiliter prædicamus. Ipse enim est rex noster, si peccatum non regnat in corpore nostro mortali, alioquin ille tibi rex est, cui te ad regendum tradidisti.

« Et benedicam nomen tuum in æternum, et in « sæculum sæculi. » Hoc est illud nomen, de quo ipse Dominus ait : « Ego Dominus, hoc est nomen meum : gloriam meam alteri non dabo (*Isa.* LXVIII, 11). » Et hoc quidem nomen illi soli benedicunt, qui et sermone et operatione servos se per omnia esse fatentur. Nisi enim tu servus ejus fueris, dominus tibi ille non erit. De servis autem dicitur : « Benedicite, servi Domini, Dominum. »

« Per singulos dies benedicam te, et laudabo no- « men tuum in æternum, et in sæculum sæculi. » Quomodo autem laudet, audiamus : « Magnus Domi- « nus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non « est finis. » Discamus et nos hunc laudationis modum, et ita per singulos dies eum benedicamus : ita in æternum, et in sæculum sæculi eum laudare non desinamus. Magnus est, inquit, Dominus, et quam magnus sit, protinus nobis exponit dicens : « et magnitudinis ejus non est finis. » Nemo scit igitur quam magnus sit, quia quod finem non habet, quantum sit, nemo scire potest. Qui itaque tam magnus est, dic mihi, si potest, quantum laudabilis est? « Nimis. » Quid est nimis? Secundum multitudinem magnitudinis ejus. Hoc autem ideo nimis est, quia nemo hoc facere potest.

« Generatio et generatio laudabunt opera tua, et « potentiam tuam pronuntiabunt. » Et prius quidem hoc egit generatio Judæorum : nunc autem hoc agit generatio Christianorum.

« Magnificentiam majestatis tuæ, et sanctitatem « tuam loquentur, et mirabilia tua narrabunt. » Cum enim utrumque Testamentum legimus et prædicamus, tunc magnifica opera Domini, quæ opera-

Digitized by Google

tus est, et sanctitatem et mirabilia ejus et loquimur et narramus.

« Virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt. » Cum enim ea, quæ in diluvio, et in mari Rubro, et in castris Sennacherib, et multa alia his similia nuntiamus; tunc procul dubio terribiles Dei virtutes, ejusque magnitudinem dicimus, et narramus.

« Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. » Eructamus autem abundantiam suavitatis ipsius, quando ea prædicamus, quæ ad misericordiam spectant, quale est illud : « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et justitia tua exsultabunt (*Rom.* VIII, 32). » Exsultamus vero de justitia ejus, qui reddit unicuique secundum opera sua, bonis gloriam, et malis supplicia destinavit.

« Misericors et miserator Dominus, patiens, et « multum misericors; suavis Dominus universis, et « miserationes ejus super omnia opera ejus. » Nullus locus relinquitur desperationi, post tantam misericordiæ repetitionem. Ille solus desperare potest, qui ista non credit, et qui, his auditis, adhuc in sua malitia perseverat. De quibus Apostolus ait : « Secundum duritiam autem tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* XI, 5). » Sunt igitur miserationes ejus super omnia opera ejus; quia nihil est in operibus ejus, quod misericordiæ comparari possit. Misericordia eum ad terram traxit, et crucis mortem subire coegit : misericordia cœlum implevit, et angelorum ruinam restauravit.

« Confiteantur tibi, Domine, opera tua, et sancti « tui benedicent te. » Omnia opera Domini confitentur, et laudant Dominum; quia nihil reprehensibile est in operibus Domini : unusquisque artifex in operibus suis vel reprehenditur, vel laudatur. Non est igitur malum opus Domini, quia nihil non laudabile in eo est. Et, quamvis omnis creatura Dominum benedicat, juste tamen hic dicitur : « Et sancti tui benedicent te, » quia eorum benedictiones magis Deo acceptabiles sunt. « Gloriam regni tui dicent. » Sancti, inquit, tui dicent gloriam regni tui, et loquentur potentiam tuam. Ad quid? « Ut notam faciant filiis « hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui. » Singula singulis respondent. Hoc egit sanctorum prædicatio, ut totus mundus Dei potentiam agnosceret, et quanta sit cœlestis beatitudinis gloria, perciperet.

« Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et « progenie. » Hoc est autem, quod 594 alibi dicitur : « Multiplicabitur ejus imperium, et regni ejus non erit finis (*Isa.* IX, 7). » Et alibi : « Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur (*Dan.* VII, 14). »

« Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in « omnibus operibus suis. » Nulli mentitur Dominus, nulli injustitiam facit, nihil in verbis falsum, nihil in ejus operibus invenitur injustum.

« Allevat Dominus omnes qui ruunt, et erigit omnes elisos. » Hoc de martyribus intelligitur, vel de his qui post gravium peccatorum ruinam, puro corde ad Deum convertuntur. Et martyribus quidem ipse Dominus ait : « Nolite timere eos qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 8). » Pœnitentibus vero : « Quacunque hora peccator conversus fuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor (*Ezech.* XXXIII, 14). »

« Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das « escas illis in tempore opportuno. » Et hoc quidem est quod in Evangelio dicitur : « Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45). » Possumus autem et de illa esca hoc intelligere, de qua quotidie Domino dicimus : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*ibid.*, 11). »

« Aperis tu manum tuam, et imples omne animal « benedictione. » Secundum ejus namque judicium et voluntatem omnibus bonis abundamus, et omnium rerum penuriam patimur. Quando largitur aliquid, manum aperire; et quando non largitur, manum Dominus claudere dicitur.

« Justus Dominus in viis suis, et sanctus in omnibus « bus operibus suis. » Ipsum igitur imitari debemus, ut per ejus viam incedamus, ejusque opera faciamus, ut, ipso adjuvante, ubi ipse est, illuc venire mereamur. Unde et subditur :

« Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in « veritate. » Non est, inquit, longe via, si ad eum venire volueris, prope est, voca eum, et respondebit tibi; si tamen in veritate invocaveris eum. Quid autem sit invocare in veritate, dicat ipsa Veritas, « Si quid petieritis, inquit, Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan.* XIV, 13). » — « Voluntatem timentium se faciet. » Et unde hoc probas? « Et orationes « justorum exaudiet, et salvos faciet eos. » Hæc est enim eorum voluntas, et si hoc impetraverint, sufficit eis.

« Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes « peccatores disperdet. » Hoc autem complebitur in judicio, quando boni vocabuntur ad gloriam, et mali trahentur ad pœnam.

« Laudationem Domini loquetur os meum. » Iste psalmus, qui titulatur laudatio David, a laudibus incipit, et in laudibus desinit. Et se Propheta in Dei laudibus perseverare promittit; et præcipit ut omnis homo simul secum in benedictionibus et laudibus perseveret. Hoc est enim quod ait : « Et benedicat « omnis caro nomen sanctum ejus in æternum, et « in sæculum sæculi. »

Digitized by Google

PSALMUS CXLV.

ALLELUIA (885) AGGÆI ET ZACHARIÆ.

« Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Domi- « num in vita mea, psallam Deo meo, quandiu ero.» Seipsum Propheta ad Domini laudes hortatur, et animam suam ut qui alios Deum laudare præcipit, ipse otiosus non sit, nec sine laudibus inveniatur. « Lauda, inquit, anima mea, Dominum. » Noli cessare, brevis est vita ista; et ego quidem « laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu ero. » Quia igitur semper erunt sancti, semper et sine fine Deum laudabunt. Discamus modo Deum laudare in hac vita, qui eum sine fine laudaturi sumus in alia vita. Merito itaque per totum hunc librum ad Dei laudes nos ubique Propheta invitat, quas et in cœlo et in terra cantare debemus.

« Nolite confidere in principibus, neque in filiis « hominum in quibus non est salus. » Laudate, inquit, Dominum, sperate et confidite in ipso, et nolite confidere in principibus, qui neque vos, neque se ipsos a morte æterna eripere possunt. Quid alii facere poterunt? Unde et subditur : « Neque in filiis hominum, in quibus non est salus. » In illo igitur sperate, qui dat salutem regibus, et qui salvat omnes sperantes in se.

« Exiet spiritus ejus, et revertetur in terram suam, « in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. » Nunc pluraliter, nunc singulariter loquitur Propheta et grammaticæ regulas parvipendet. Exiet, inquit, spiritus ejus, principis videlicet alicujus, et caro revertetur in terram suam, sicut scriptum est. Quia « terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » Sive etiam spiritus revertetur **595** in terram suam, in terram miseriæ et tenebrarum, in locum et in terram, quam male vivendo sibi præparavit. « Et in illa « die peribunt omnes cogitationes eorum. » Et quæ fuerunt illæ cogitationes? Occidere, mœchari, furari, mentiri, et similia. Istæ cogitationes peribunt, quia hæc ulterius agere non poterunt.

« Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus « in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et ter- « ram, mare, et omnia quæ in eis sunt. » Miseri, inquit, illi, qui confidunt in principibus; illi vero beati erunt, quorum Deus Jacob adjutor ejus, qui vitia supplantant et a se repellunt, qui verum Deum venerantur et colunt, non illos qui ab hominibus facti sunt, sed illum qui omnia fecit.

« Qui custodit veritatem in sæculum, facit judi- « cium injuriam patientibus, dat escam esurienti- « bus. » Hoc autem alii dii facere non possunt, quia omnes mendaces sunt, et non judicaturi, sed judicandi et simul cum aliis damnandi. Escam autem, et carnalem, et spiritualem solus Deus fecit et esurientibus dedit.

« Dominus erigit elisos; » illos videlicet elisos, A qui ex toto corde indulgentiam quærunt, et se elisos esse intelligunt. « Dominus solvit compeditos, » ut in via mandatorum Dei recto itinere currere possint. « Dominus illuminat cæcos, » ut de eorum tenebris liberati veritatem intelligere valeant. « Dominus di- « rigit justos, » quia ipsius gratia est, quod a recto itinere non recedunt. « Dominus custodit advenam, » de gentilitate, vel undequaque ad Ecclesiam venientem. « Pupillum et viduam suscipiet. » quibus malus pater et maritus diabolus mortuus est. Gaudeant pupilli, qui talem patrem amiserunt, gaudeant illæ viduæ, quæ tanis mariti turpia et injusta conjugia reliquerunt.

« Et viam peccatorum exterminabit. » Exterminantur peccatorum viæ, quia malæ sunt, sed non B exterminantur peccatores, si eas reliquerint, et per viam justitiæ ambulare voluerint.

« Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus, Sion, « in sæculum sæculi. » Regnabit, inquit, Dominus Deus, tyus Sion in æternum, et in sæculum sæculi, et ideo jubila, et exsulta, et noli cessare a laudibus ejus in æternum, et in sæculum sæculi. Qui regnum habet æternum, habeat et laudes æternas.

PSALMUS CXLVI.

ALLELUIA.

Quid significat Alleluia psalmi hujus initium indicat.

« Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus.» Illa laus vocatur psalmus, quæ in psalterio fit, et sine psalterio non fit. In psalterio vero cantare non C possumus, nisi et manus tangat corda, et lingua proferat voces. Bonus igitur est psalmus, quia bona est illa laus, in qua cum voce opera concordant. « Deo nostro jucunda sit laudatio. » Nos, inquit, laudemus Dominum, nos agamus quod nostrum est; ipse vero laudationem nostram jucundam faciat, ipse gratam et acceptabilem habeat.

« Ædificans Jerusalem Dominus, et dispersionem « Israel congregans; suscipiens mansuetos Dominus, « humiliat autem peccatores. » Sic enim se habet ordo: Dominus, inquit, ex vivis lapidibus ædificans cœlestem Jerusalem, et congregans in ea dispersionem Israel, id est sanctam Ecclesiam, ubique gentium diffusam, suscipiens ibi mansuetos et humiles corde, humiliat peccatores usque ad terram; ut D adimpleatur quod scriptum est: « Deponit potentes de sede, et exaltat humiles (*Luc.* I, 52). »

« Qui sanat contritos corde, et alligat contritio- « nes eorum. » Hoc est quod alibi dicitur: « Cor contritum, et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19). » Contritiones alligat Dominus, quoniam omnem sanctorum tristitiam, et cordis contritionem in gaudium convertit. Unde alibi dicitur: « Qui seminant in lacrymis in exsultatione metent « (*Psal.* CXXV, 5). »

(885) « Aggæus *festivus*, Zacharias vero *memoria Domini* interpretatur. Tales igitur digni sunt, qui mittantur ad constituendos muros cœlestis Jerusalem, qui et festivitatem diligant, et Deum semper in memoria habeant, et semper in Dei memoriam habeantur. Festivi autem illi sunt, quia a servili opere spiritualiter vacant, et in Dei laudibus perseverant.» BEDA.

Digitized by Google

« Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. » Istæ sunt illæ stellæ, de quibus Apostolus ait : « quia stella differt a stella in claritate (*I Cor.* XIII, 41). » Istæ autem numeratæ sunt, et nulla illarum de numero a Domino constituto perire, vel minui potest. Si enim capilli capitis nostri omnes numerati sunt, quis de sanctorum numero dubitare possit, quorum et numerum, et nomina ipse scit, qui omnia novit? Unde et convenienter subditur :

« Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, « et sapientiæ ejus non est numerus. » In his, quæ modo superius dicta sunt, et magnus, et fortis, et sapientissimus Dominus vera ratione esse probatur.

« Incipite Domino in confessione, psallite Deo « nostro in cithara. » Dixit superius, « laudate Dominum; » nunc autem admonet, ut laudare incipiant in confessione laudis et jubilationis. Et quia superius de psalterio dictum est, nunc in cithara quoque laudare præcipit, ut sit psalterium jucundum cum cithara. Et cithara quidem ad Novum Testamentum, de qua jam multoties superius diximus. In cithara cantare est vel Novum Testamentum prædicare, vel Trinitatis mysterium exponere, quia tres vel quatuor chordæ sufficiunt.

596 « Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ « pluviam. » Cœli apostoli sunt, qui spiritualis doctrinæ nubibus operti, ubique illam aquam ferunt, qua tota Ecclesia irrigatur, lavatur, et satiatur. Terra enim Ecclesia est, cui hæc aqua parata est.

« Qui producit in montibus fenum, et herbam « servituti hominum. » Montes isti Ecclesiæ doctores intelliguntur, qui illo feno, et illa herba Domino largiente abundant, quibus Dei animalia nutriuntur, per quæ utriusque Testamenti scientia designatur.

« Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. » Hæc sunt illa jumenta, quæ totius Ecclesiæ onera ferunt, per quæ apostoli et doctores significantur. Tale juuentum se vir justus esse intelligens, ait : « ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (*Psal.* LXXII, 23). » Isti autem spiritualibus cibis nutriuntur, qui eis a Domino præparantur. De pullis vero corvorum Apostolus dicit : « fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v, 10). » Unde et alibi dicitur : « Æthiopia præveniet manus ejus Deo (*Psal.* LXVII, 32). » Tales sunt omnes peccatores ex toto corde ad pœnitentiam conversi. His autem Dominum invocantibus esca illa ministratur, quæ dat vitam mundo, id est panis vivus, qui de cœlo descendit.

« Non in viribus equi voluntatem habebit, neque « in tabernaculis viri beneplacitum est ei. » Malus est iste equus, cujus vires Deo non placent, per quem nimirum tyranni et hæretici demonstratur, super quos diabolus sedet, et cruentis calcaribus stimulat, atque in omnia scelera violenter ruere facit. Viri autem tabernacula, hæreticorum sunt conventicula, qui quoniam in suis viribus confidunt, quasi a viribus viri dicuntur.

« Beneplacitum est Domino super timentes eum, « et in eis qui sperant in misericordia ejus. » Quid Deo displiceat et placeat, in his verbis declaratur. Illi soli sibi placent, qui Deum timent, et in ejus misericordia sperant.

PSALMUS CXLVII.

ALLELUIA

Titulus iste laudabilis ad laudes Dei nos semper hortatur.

« Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, « Sion. » Invitat nunc Propheta totam Ecclesiam ad laudem Dei, quæ per Jerusalem et Sion significatur. Jerusalem, *visio pacifica*, Sion *speculatio* interpretatur. Utrumque nomen Ecclesiæ convenit, quæ et sola pacem habet, quoniam « non est pax impiis, dicit Dominus (*Isa.* LVII, 21), » et plena oculis ante et retro omnia sibi utilia speculatur. Et quia « in pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in Sion (*Psal.* LXXV, 3), » merito Sion et Jerusalem, quæ hic per pacem significatur, Dominum laudare jubetur.

« Quoniam confortavit seras portarum tuarum, « benedixit filios tuos in te. » Portæ Jerusalem apostoli sunt et doctores, episcopi et sacerdotes, qui eam muniunt et claudunt, et introeundi aditum aperiunt. Nullus ingreditur nisi per istos, quorum seræ tam fortes sunt, ut a nullo aperiri, vel claudi valeant, nisi ab ipsis. Unde et eis a Domino dicitur : « Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis (*Matth.* XVIII, 18), » Benedixit autem Dominus filios ejus in ea, quam videlicet benedictionem illi soli habent, qui manent in ea, et illi amittunt, qui separantur ab ea. Sunt igitur Ecclesiæ filii benedicti, sed in ea benedicti sunt; extra vero benedicti non sunt.

« Qui posuit fines tuos pacem. » Ubi non est pax, ibi neque Ecclesia est, quia infra terminos pacis Ecclesia tota concluditur, et extra fines pacis non extenditur.

« Et adipe frumenti satiat te. » De hoc frumento Dominus ait : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* XII, 24). » Adipe ergo frumenti reficitur Ecclesia, quæ Christi sanguine satiatur.

« Qui emittit eloquium suum terræ, » per quod evangelicam prædicationem intelligimus, de qua ipse Dominus ait : « Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XX, 16). » De quo et subditur : « Velociter currit sermo ejus. » Velociter enim, et intra paucos annos, sicut scriptum est, « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 18, 5). »

« Qui dat nivem sicut lanam, nebulam velut cinerem spargit. » Hoc autem tale est ac si dixisset :

Digitized by Google

Qui dat nivem et lanam; nebulam et cinerem spargit. Dat Dominus fidelibus suis nivem, quando baptizantur : dat lanam, qua vestiantur: spargit multoties a cordibus eorum nebulam et cinerem, qua excæcantur. De hac nive alibi dicitur : « Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor (*Psal.* L, 8). » Dat ergo Dominus nivem, id est candorem et pulchritudinem nivis. Dat lanam, ex qua nobis vestimenta faciamus, ut vestiti et non nudi incedamus. Hæc vestis incorporea est, qua tamen vestitur et ornatur corpus et anima. Si habes humilitatem, vestimentum tibi est, si habes patientiam, vestimentum tibi est, et quicunque habet charitatem, bene vestitus est. Talia vestimenta **597** ex ista lana conficiuntur, quam quidem nisi a Domino habere non possumus : « Quid enim habes, dicit Apostolus, quod non accepisti ? » (*I Cor.* IV, 7.) Ex tunc quidem Dominus nebulam et cinerem sparsit, quando populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Jam, Deo gratias, liberati sumus a tenebris erroris, et omnis caligo nebulæ et cineris fugata est a nobis.

« Mittit crystallum suam sicut frusta panis : ante « faciem frigoris ejus quis subsistit (886) » Vetus Testamentum, quod prius quidem obscurissimum erat, nunc spiritualiter intellectum, digne satis crystallus vocatur, quoniam spiritualiter intelligentibus clarissimum et penetrabile factum, est. Quia sicut scriptum est : « Vicitleo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus (*Apoc.* V, 5). » Et quod propter suam duritiam prius comedi et intelligi non poterat nunc quasi panis in frusta divisus, facile sumitur et intelligitur. De hoc pane Jeremias ait : « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (*Thren.* IV, 4). « Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit ? » Hoc autem tale est ac si diceret. Nisi Dominus hoc fecisset, nemo ante faciem frigoris ejus subsistere potuisset. Unde et subditur :

« Mittit verbum suum, et liquefaciet ea, flabit spi- « ritus ejus, et fluent aquæ. » Frigida erat lex, dura, et sine misericordia, quia ad litteram intellecta non lucebat in ea ignis charitatis; mortem jubebat. Si quis fecerit inquiens hoc vel illud, morte moriatur. Misit ergo Dominus Verbum suum, Filium suum, Salvatorem nostrum, qui eam spiritualiter exponendo, liquefecit, et tolerabilem et intelligibilem reddit. Flavit in ea Spiritus sanctus, spiritus sapientiæ et intellectus, et fluxerunt aquæ spirituales, quæ inclusæ continebantur. Hoc autem sua gratuita misericordia fecit Dominus, pronuntians et exponens verbum suum et legem suam Jacob; non carnali, sed spirituali Jacob; « justitia, et judicia sua Israel; » non carnali, sed spirituali Israel. Unde Apostolus ait : « quia cæcitas ex parte contigit in Israel (*Rom.* XI, 15). » Hoc et sequentia manifestant.

« Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non « manifestavit eis. » Solis illis manifestavit verba et judicia Dei, qui ea spiritualiter intelligere meruerunt.

PSALMUS CXLVIII.

ALLELUIA, ALLELUIA.

Titulus iste toties repetitus gaudium nobis et lætitiam præstat.

« Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in ex- « celsis. » Non sufficit Prophetæ ad Dei laudes solos homines invitare, angelos invitat, et omnia quæ in cœlis continentur. Invitat et terram, et quæcunque continentur in ea. Neque dimittit ea quæ sub terra sunt, sed ipsas quoque abyssos laudare Dominum jubet. Omnis autem creatura laudat Deum, quia nulla est quæ ei non serviat, et ejus mandata non custodiat. Laudate, inquit, Dominum, vos qui in cœli estis, et de cœlis originem ducitis, et quia in excelsis habitatis, excelsius cæteris Deum laudate. Clariores et altiores voces habetis, quia omnibus aliis clariores et subliniores estis.

« Laudate eum, omnes angeli ejus, laudate eum, « omnes virtutes ejus. » In nomine angelorum et virtutum omnes beatorum spirituum ordines continentur. Considera modo quantæ et quales laudes ibi sunt, ubi tot et talium cantorum voces resonant.

« Laudate eum sol et luna, laudate eum, omnes « stellæ et lumen. « Ex quo mundus iste factus est, nunquam hæc omnia a laudibus cessaverunt, quia sui servitii ordinem nunquam reliquerunt. Quis enim solem, lunam et stellas videat, et tantorum luminum Creatorem non laudet et benedicat? Nihil est, in quo amplius, quam in his admiretur et laudetur virtus et sapientia Dei. Unde et non immerito post angelos secundum in Dei laudibus obtinent locum.

« Laudate eum, cœli cœlorum, et aquæ, quæ su- « per cœlos sunt, laudent nomen Domini. » Cœli cœlorum illi sunt, qui omnibus aliis superiores sunt, ubi Dei divinitas et majestas clarius et manifestius revelatur. Nam et Apostolus usque ad tertium cœlum raptum se fuisse commemorat. Aquas autem super cœlos esse Moyses ostendit, ubi ait : « Dixit Deus aquas quæ erant supra firmamentum, ab his quæ erant sub firmamento (*Gen.* I, 7). »

« Quia ipse dixit, et facta sunt, ipse **598** mandavit, « et creata sunt. » Si dixit, Verbo dixit, et per Verbum omnia factum esse intelligamus, ideo hoc Verbum posuit, quod est, dixit. Nota simul celeritatem et facilitatem faciendi omnia; nulla fuit mora inter fa-

(886) Vulgata habet: *Mittit crystallum suam sicut buccellam, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Lectio tamen hæc conformis est textui S. Augustini, a cujus declaratione non recessit S. Bruno, aliamque exponit. « Nix, inquit Augustinus, multorum annorum tempore durato, et serie sæculorum, crystallum dicitur, » proprietatem lucis et perspicuitatis, eamque aptavit spirituali intelligentiæ Veteris Testamenti, qua ex obscuritate ad clarissimum sensum educitur. Hanc vero interpretationem sustinere potest, qui rerum apparentia contentus est. Cæterum physici hanc nivis metamorphosin ad plura sæcula permanentem nunc minime admittunt. »

Digitized by Google

cere et dicere; sed statim, ut dixit, facta sunt omnia.

« Statuit ea in æternum et in sæculum sæculi, « præceptum posuit, et non præteribit. » Omnia quæ superius dicta sunt in æternum esse statutum est; præceptum hoc positum est, et præteriri non potest.

« Laudate Dominum de terra, dracones, et omnes « abyssi. » Sicut illi superiores, ita et isti inferiores sunt: cætera vero, quæ sequuntur, in medio consistunt. Per dracones et abyssos, eos intelligimus qui in inferno continentur; et ipsos igitur ad laudes Dei invitat Propheta, ut ei obediant, neque contraire audeant. Nulla creatura se poterit excusare, quòd ad Dei laudes invitata non sit.

« Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, « quæ faciunt verbum ejus. » Laudantur ista, quia faciunt verbum ejus, quoniam non veniunt, nisi ex præcepto et voluntate ipsius, et statim, ut ei placuerit, obedire non differunt; et miseri homines pene ubique inobedientes inveniuntur.

« Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri, bestiæ et universa pecora, serpentes et « volucres pennatæ. » Omnia ista Deum laudant, quia tam sapienter creata sunt, ut eorum factura, et pulchritudo omnibus placeat. Laus artificis est, uniuscujusque operis laudabilis compositio.

« Reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ, juvenes et virgines, senes cum « junioribus laudent nomen Domini. » Audiat omnis rationabilis creatura, quia dracones, serpentes, bestiæ et universa pecora laudant nomen Domini, et erubescat, et confundatur, si toties invitata non laudaverit Dominum. Et cæteræ quidem creaturæ laudant Deum per homines, homines vero per se ipsos laudare debent. Nam et mali et iniqui homines, etiamsi nolint, laudant Dominum, si quando laudant et admirantur opera Domini. Sed hæc talis laus non sufficit eis. Illi bene laudant, qui in eum credunt, qui ei serviunt et obediunt, ejusque voluntatem faciunt.

« Quia exaltatum est nomen ejus solius, confessio « ejus super cœlum et terram, et exaltavit cornu « populi sui. » Laudetur, inquit, super cœlum, quia nomen ejus solius exaltatum est super omnes cœlos. Laudetur et super terram, quia nomen ejus exaltatum et nominatum est super omnes terras. Hoc autem a populo suo, quia exaltavit et sublimavit cornu, potentiam et fortitudinem populi sui.

« Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel po« pulo appropinquanti sibi. » Iste, inquit, hymnus datur ad cantandum, et jubilandum omnibus sanctis ejus, id est filiis Israel, populo videlicet appropinquanti sibi similitudine, imitatione, et bona voluntate.

PSALMUS CXLIX.

ALLELUIA.

Quicunque legimus hunc titulum, laudemus Dominum, quia quod Hebraice dicitur, Alleluia, Latine dicitur, laudate Dominum.

« Cantate Domino canticum novum, laudatio ejus « in Ecclesia sanctorum. » Vetera, inquit, transierunt, facta sunt omnia nova. Cantent Judæi inveterati dierum malorum canticum vetus: vos autem aquis baptismatis innovati cantate Domino canticum novum, Canticum videlicet Christi nativitatis, passionis et ascensionis. Hæc autem laudatio sit in Ecclesia sanctorum, in populo Christianorum, non in Synagoga Judæorum.

« Lætetur Israel in eo, qui fecit ipsum, et filii Sion « exsultant super rege suo. » Ille, inquit, Israel, qui cantat canticum novum, lætetur in eo qui fecit ipsum, et qui se credit factum esse ab ipso, qui crucifixus est propter ipsum. Et filii Sion, filii illius Jerusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra, exsultent super rege suo, qui diabolo superato regnavit a ligno.

« Laudent nomen ejus in choro, et tympano, et « psalterio psallant ei. » Quid autem sit laudare Dominum in choro, et tympano, et psalterio superius dictum est, et in sequenti psalmo plenius dicetur.

« Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem. » Dignissima causa, quæ eum laudare debeant, quia ipsi sunt, qui multum ei placent, et quos ipse in æternam salutem et gloriam exaltabit. Unde et subditur:

« Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubi« libus suis. » In illis videlicet cubilibus, in quibus exaltati gloriam et salutem invenient.

« Exaltationes Dei in faucibus eorum, et gladii « ancipites in manibus eorum. » Hoc autem erit in judicio, quando in magna lætitia et exsultatione mundum judicabunt, et gladiis æternæ damnationis impiorum corda vulnerabunt, dicentes eis: « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui 599 paratus est diabolo, et angelis ejus (*Matth.* xxv). » Et hoc est quod dicit:

« Ad faciendam vindictam in nationibus, et increpationes in populis. » Tales erunt illi gladii, quibus in populis et nationibus universalis vindicta et increpatio fiet. Unde et ancipites dicuntur, quia a nullo ingenio evitari poterunt.

« Ad alligandos reges eorum in compedibus, et « nobiles eorum in vinculis ferreis. » Illi, inquit, gladii vulnerabunt et jugulabunt damnabunt et increpabunt, et ipsos reges et principes ferreis durisque vinculis alligabunt.

« Ut faciant in eis judicium conscriptum. » Gladii, inquit ancipites ad tam diversa omnia præparati erunt in manibus eorum, « ut faciant in eis judicium conscriptum, » judicium firmum et immutabile, quale in divinis voluminibus scriptum invenitur. « Gloria hæc est omnibus sanctis ejus. » Gloria, inquit, hæc communis erit omnium, et non solum apostoli, verum etiam omnes sancti in illo judicio judicabunt.

Digitized by Google

PSALMUS CL.

ALLELUIA.

Nunquam laudes Domini finem habeant, quia in principio et in fine hujus psalmi, qui ultimus est omnium, Dominum nos Propheta laudare jubet. Cum enim dicat in ipso fine : « Omnis spiritus laudet Dominum, » manifeste ostendit quia non vult ut laudes finiantur, ut continua sit perseverantia in laudibus Domini.

« Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum « in firmamento virtutis ejus. » Cœlum et terram, et omnes creaturas quæ in eis sunt, ad laudes Dei Propheta invitaverat, nunc autem materiam, qua eum laudent, eis ministrat. Sumat unusquisque quod sibi placet, et quod sibi conveniens et utile esse videtur. « Laudate, inquit, Dominum in sanctis ejus. » Hanc laudandi materiam suscipite, quia in nulla alia re laudabilior esse probatur. Dicite ergo : « Mirabilis Deus in sanctis ejus, Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus (*Psal.* LXVII, 36). » Si quis enim considerare velit sanctorum fidem, et sapientiam, et constantiam, et patientiam, et alias virtutes quas a Deo suscipere meruerunt, facile cognoscere poterit valde in sanctis suis Deum et laudabilem et mirabilem esse. Unde et alibi in sua et aliorum persona iste, qui hoc modo loquitur, ait : « Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eum (*Psal.* CXXXVIII, 6). »

« Laudate eum in firmamento virtutis ejus. » Pro firmamento Dominum laudare memento. Terra fide fortis, quod dat tibi conditor orbis. Hoc enim firmamentum, quod cœlum vocatur, quod sua virtute et potentia ineffabili Dominus fecit, apostolos, cæterosque sanctos significat, qui tanta virtute et claritate præditi sunt, ut nulla sub cœlo creatura valeat eis comparari.

« Laudate eum in virtutibus ejus. » Non tua vir virtus, qua pugnas, sed tibi Christus in cruce donavit, quando moriens superavit. Sis igitur certus, quia pugnas virtutibus (887) ejus. Sive virtutes cœlorum intelligamus, sive virtutes miraculorum, quæ per sanctos suos operatus est Dominus, sive etiam sapientiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, cæterasque virtutes, quibus sanctos ornatos fuisse, quibus et vitia, et malignos spiritus, omnesque suos adversarios eos superasse legimus, valde quidem conveniens est ut in omnibus his Deus laudetur et glorificetur.

« Laudate eum secundum multitudinem magnitu- « dinis ejus. » Semper laudate, quia nullo fine tenetur. Nescis fortasse quantum eum laudare debeamus ; considera quantus est, et secundum ejus quantitatem laudes multiplica. Nunquam igitur a laude quiescas, quia immensus est ille quem laudas. « Laudes itaque Domini loquatur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus (*Psal.* CXLIV, 21), » non ad tempus, sed « in sæculum sæculi. »

« Laudate eum in sono tubæ. » Nunquam nostrarum sileat vox alta tubarum ; et tuba vox alta sonus est laudatio sancta. Post laudandi materiam, consequenter instrumenta posuit, quibus Deum laudare debeamus. Tuba namque, psalterium, et cithara, tympana quoque, chorus et chordæ, organa et cymbala, instrumenta sunt musicæ artis, divinis laudibus convenientia. Non omnium est tuba canere : hoc officium episcoporum et doctorum est. Illis enim dicitur : « Canite initio mensis tuba (*Psal.* LXXX, 4). » Et : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam (*Isa.* LVIII, 1). » Isti sunt septem angeli in Apocalypsi tuba canentes. Tubarum sonitu muri Jericho corruerunt, et ingrediendi aditum undique populo Dei aperuerunt. Tubis Israelitæ ad prælium vocabantur, tubis jubilæus annus nuntiabatur, et ad totius anni solemnitatem populus parabatur. Hoc autem totum sacerdotum ministerio fiebat, **600** quia episcoporum et sacerdotum voces significabat, quibus per prophetam dicitur : « Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, animam ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III, 19). »

« Laudate eum in psalterio. » Psalterium portat homo, quem nova vita reformat. Ut valeat denis verbis insistere legis. Omnis chorda sonum reddat bene torta canorum. Cantare in psalterio perfectorum est. Hoc instrumentum Deus ipse constituit, et decem chordas suo digito in eo extendit, per quas decem verba legis significantur. Vocatur autem prima chorda, unus Deus : « Et non habebis Deum alium absque me (*Exod.* XX, 3). » Secunda vero, « Non facies tibi simulacrum (*ibid.*, 4). » Tertia, « Non accipias nomen Dei tui in vanum (*ibid.*, 7). » Quarta vero, « Cole diem Sabbatorum (*ibid.*, 8). » Quinta, « Honora patrem et matrem (*ibid.*, 12). » Quinque autem, quæ sequuntur, hæc nomina sunt. « Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui (*ibid.*, 13-18). » Inter hæc autem Dei mandata, tanta concordia est, ut qui offendit in uno, necessario offendat in omnibus. Unde Jacobus apostolus ait : « Quicunque observaverit totam legem, offendat autem in uno, factus est omnium reus (*Jac.* XI, 10). » Aliquando in duas chordas peccaverat David, adulterium simul et homicidium perpetrando ; sed postquam ei dictum est : Dimissum est tibi peccatum tuum ; mox lætabundus et ad psalterium accedens, ait : « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI, 9). » Vere magna gloria ibi est, qui hæc decem verba custodire potest, et qui has chordas sine offensione tangit et modulatur. Unde Apostolus ait : « Gloria nostra hoc est, testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I, 12). » Ille enim in psalterium non delinquit, quem conscientia non accusat.

« Laudate eum in psalterio et cithara. » In cithara cantat, qui corda tumentia placat. Nam cithara a furiis mentem solvere Saulis. Decem chordas, sicut modo diximus, habet psalterium ; in cithara

(887) Cod. Ghis., *viribus*.

Digitized by Google

vero tres cordæ sufficiunt, per quas Trinitatis mysterium significatur. Unde quatuor animalia, et ipsi Seraphim, die ac nocte modulando, dicunt: « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra majestate ejus (*Isa.* VI, 1). » Multi autem in cithara cantant, qui psalterium ferre non valent. Psalterium ad operationem, cithara autem ad sermonem pertinet. Qui bene prædicat et male vivit, citharam quidem habet, psalterium non habet. Est autem psalterium jucundum cum cithara, quando vox operationi, et operatio voci concordat, alioquin parum citharœdus proficit sibi, quamvis multis aliis cantando proficiat.

« Laudate eum in tympano. » Tympana nos clare mortalia mortificatæ membra docent carnis corii, quia sunt animalis. Hoc instrumentum proprie martyrum est; quamvis et illorum esse videatur, qui carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis. Tympanum enim verberibus sonat, et nisi feriatur et percutiatur non sonat. Est enim corium siccum et extensum, quod frequenti percussione longius resonat. Si autem delectat te audire vocem tympani benesonantis et laudantis, audi Apostolum dicentem : « A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi; ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum (*II Cor.* XI, 24). » Beati Stephani tympanum, cum percuteretur et a Judæis lapidaretur, tam magnum sonum reddidit, ut cœlos aperiret, et ante thronum Dei sublimius audiretur. Ait ergo : « Video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei (*Act.* VII). » Tales ergo in tympanis Deum laudabant, qui carnem suam prius jejuniis afflictam et siccatam, tyrannorum verberibus et cruciatibus flagellandam tradebant.

« Laudate eum in tympano, et choro. » Non chorus ullus erit, ubi clero regula desit. Ordine namque sedent; ergo ordine vivere debent. Illi itaque laudabant in choro, de quibus dicitur : « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV, 32. » Illi enim clerici et monachi, qui se diligunt, qui se honorant, qui sibi vicissim obediunt et serviunt, qui sibi assurgunt, qui ad invicem alter alterius onera portant, qui sub regula et disciplina vivunt, illi, inquam, in choro Deum laudant. Non enim tantum ad vocum consonantiam, quantum ad animorum mentisque concordiam respicit Deus.

« Laudate eum in chordis. » Torquentur sancti manibus, si quando tyranni : chordis laudatur, nam chorda vocatur carnis tortura, carnis tribulatio dura. Per has ergo chordas nulla alia instrumenta, nisi ipsa sanctorum martyrum corpora intelligimus, quæ multoties in eculeo, et catasta, et in cruce, quasi quædam chordæ in psalterio extendebantur. Illi ergo qui talia patiebantur, in chordis procul dubio Deum laudabant.

« Laudate eum in chordis et organo. » Organa nostra Deum laudent sine fine dierum. Organa doctorum voces dicuntur eorum. Quas reboant lignis, conceptas follibus imis. Organa et tympana unam habent significationem, utraque enim significant carnis mortificationem, sive per abstinentiam, sive per martyrii passionem. Illæ namque episcoporum prædicationes in organo fiunt, quæ de corpore per abstinentiam dissecato et mortificato procedunt. Unde Apostolus ait : « Castigo corpus meum, ne forte dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX, 27). » Illa igitur prædicatio reproba est, quæ non de corpore castigato et mortificato, sed de carne impinguata et delicata procedit. Organa enim ex mortuorum **601** pellibus, et siccis coriis conficiuntur. Unde et merito illos significant, qui multis abstinentiis afficiuntur.

« Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis. » Cymbala quippe Dei bene sonantia sunt duo cleri. Hic novus, ille vetus; hic Paulus, et hic bene Petrus. Olim cantavit, cum nos Judamque vocavit. Ille enim in cymbalis bene sonantibus canit, qui verba sua, et sermonem suum utriusque Testamenti auctoritate confirmat. Duo namque testamenta, duo cymbala sunt, quæ tunc quidem suaviter sonant, quando alterum attingitur sibique vicissim respondent. Hinc est enim, quod abyssus abyssum invocat; hinc est, quod inter medios cleros non dominari jubemur; hinc est, quod duo Cherubim se vicissim respiciunt, et bini discipuli a Domino mittuntur

« Omnis spiritus laudet Dominum. » Spiritus omnis eum benedicat nunc, et in ævum. Laudet, ametque, colat, quem Rachel mater adorat. Nunc secunda quidem, sterilis sine semine pridem. Hoc Pater, hoc Flamen, hoc Filius audiat. Amen.

Digitized by Google

S. BRUNONIS ASTENSIS

EPISCOPI SIGNIENSIS

EXPOSITIO DE MULIERE FORTE

602 Nemo quidem ambigit humanæ divinæque sapientiæ Salomonem præ omnibus principatum possedisse. Multum igitur decuit, ut tantus vir Domini sui majora negotia procuraret. Cogitat itaque atque percurrit quando, aut quo in loco mulierem fortem inveniat, quæ Domino suo sit digna copulari. Ait enim (*Prov.* XXI) :

« Mulierem fortem quis inveniet? » Quæ mulier tam sapiens, tam nobilis, tam decora, tam pulchra, tam dives, tam ornata reperietur, quam tantus rex, tantique regis filius in matrimonio sibi conjungat? « Procul. » Non hoc, inquit, in tempore reperitur, non nostro in regno invenitur; procul est, longe est, non modo in Judæa est. Est enim ab ortu solis et occasu, ab aquilone et mari. « Et de ultimis finibus « pretium ejus. » Non una, inquit, provincia contenta, quinimo ex omnibus mundi partibus; aurum, argentum, lapides pretiosi et cætera, quæ ad pretium pertinent et ornatum ejus, deferent. Erit enim in vestitu deaurato circumdata varietatibus. Erit itaque ex ultimis finibus pretium ejus; quoniam post hujus sæculi finem pretium suscipiet, coronam et hæreditatem.

« Confidit in ea cor viri sui. » Non petulans, inquit, non lasciva, non adultera erit, imo casta, sobria et viro fidelissima. Quocirca vir ejus confidit in ea. Non zelotypus erit, non ejus insipientiæ, non infidelitatis timebit. Fugiant adulteri, cessent Judæi, non tentent eam hæretici : ejus quippe thalamus corrumpi non potest. « Et spoliis non indigebit. » Non enim spoliis indiget Ecclesia, quoniam semper iniquorum prævalet multitudini. Semper enim vitia supplantat, semper malignos spiritus fugat, ejusque spolia diripit, animas videlicet baptismi fonte purgatas. Quis enim nisi victor spoliis dicetur onustus?

« Reddet ei bonum, et non malum omnibus diebus vitæ suæ. » Non asper, inquit, non durus hujus sponsus erit; imo dulcis, suavis, qui non aliquando bonum, aliquando malum, sed bonum, et nunquam reddet malum : « Sine pœnitentia enim sunt dona, et vocatio ejus (*Rom.* XI, 29). » Nunquam enim pœnituit dedisse quod dedit, fecisse quod fecit, vocasse quos vocavit. Vix enim sine labore, et angustia aliquid vel parvum acquirit. Postquam autem ad vitæ dies Ecclesia pervenerit, semper bonum, et nunquam malum suscipiet. Sicut econtra mali semper malum, nunquam autem bonum invenient.

« Quæsivit lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum. » Per lanam, et linum, in quibus totum muliebre artificium continetur, totam ecclesiasticam operationem intelligimus. Habet Ecclesia lanam, et linum, quo et animas vestit et corpora. Colligit linum circa fusum, colligit spem circa fidem. Non sine fuso tenditur filum, nec sine fide prolatatur spes : « Est enim fides sperandarum substantia rerum (*Hebr.* XI, 1). » Non invasit, sed quæsivit; accepit, et operata est. Hoc autem consilio manuum suarum. Manuum enim consilium optimum est, quoniam quæ consiliantur ipsæ perficiunt. Lingua autem dicere novit; quæ autem dicit, facere nescit.

« Facta est quasi navis institoris. » Navis quidem, quoniam in hujus mundi fluctibus posita, multorum fluctuum adversitate concutitur. Institoris, quia Salvator noster semper instat, ad ostium stat et pulsat. Multi enim in Ecclesia sunt institores, multi emptores, et venditores. Da fidem, suscipe vitam. Sic enim in Ecclesia emptio fit. « De longe portat panem suum. » De longe, de cœlis, a Moyse, et Elia, Jeremia, cæterisque prophetis. Denique ex omnibus mundi partibus panem suum, victumque spiritualem cœtus apostolicus attulit. Hæretici **603** vero de longe non afferunt, a patribus non accipiunt; sed ipsi in se errorem concipiunt.

« De nocte surrexit, deditque prædam domesticis « suis, et cibaria ancillis suis. » De nocte quidem surrexit, quatenus, lampadibus accensis, venienti sponso occurreret. Domesticis autem præda datur; quoniam ecclesiastica regimina hæreticis, Simoniacis, adulteris a clero et populo auferuntur, et viris non ignotis, nec neophytis, sed notis et probatis attribuuntur. Per hos autem dantur ancillis cibaria, quoniam ab his subjectorum animæ pabulo spirituali reficiuntur.

« Consideravit agrum, et emit eum. » Quid per agrum, nisi patriam cœlestem intelligimus? Hujus autem fructum, multiplicationem et pulchritudinem Ecclesia intellexit; omnia quæ habuit vendidit et pauperibus tribuit; hunc agrum emit.

« De fructu manuum suarum plantavit vineam. » De fructu namque manuum suarum sibi ille in hoc sæculo vineam plantavit, qui ea, Domino cooperante, operatur, per quæ æternæ beatitudinis suavitatem degustet. Unde Psalmista : « Inebriabuntur, inquit, ab ubertate domus tuæ (*Psal.* XXXV, 9). »

Digitized by Google

« Accinxit fortitudine lumbos suos. » Lumbi quidem cinguntur fortitudine, quando vigore castitatis impetus libidinis refrænatur. Unde Dominus in Evangelio : « Sint, inquit, lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 35). » — « Et roboravit brachium suum. » Quid est autem brachium corroborare, nisi incessanter bonum opus operari ? Roboravit brachium ne vinceretur, neve scutum et telum bajulando lassaretur.

« Gustavit, et vidit quoniam bona est negotiatio « ejus. » Gustavit, inquit, tentavit, cognovit, et vidit, et intellexit quantum bona est et utilis recta negotiatio, labor, et exercitatio ipsius. Vere utique bona, quoniam ad bonum summum, sine fine bonum eam perducet.

« Non exstinguetur in nocte lucerna ejus. » Non enim ex illis erit, quæ in sui doloris tenebris, et nocte dicturæ sunt : « Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur (*Matth.* XXV, 8). » Lucerna quidem non exstinguetur, quoniam virtutum operumque fulgore omnibus illucescet.

« Manum suam misit ad fortia. » Quid per manum, nisi doctores ? Nam sicut corporis principalior pars manus est, ita et doctores corporis ecclesiastici. Hi autem mittuntur ad fortia, hi majora exercent negotia.

« Et digiti ejus apprehenderunt fusum. » Per digitos quoscunque fideles intelligimus, qui minoris meriti et officii sunt. Hi autem fusum apprehendunt, qui leviora negotia procurant, solaque fide et spe muniuntur. Filare namque quælibet mulierecula potest, credere autem et sperare, non magnus labor est. Sine manibus non filant digiti, sine doctoribus non credunt subjecti. Unde Apostolus, « Quomodo, inquit, audient sine prædicante ? » (*Rom.* X, 14.)

« Manum suam aperuit inopi. » Expositio : « Et « palmas suas extendit ad pauperem. » Non strinxit, inquit, non clausit ; si manus aperuit, palmas extendit, eleemosynas pauperi distribuit.

« Non timebit domui suæ a frigoribus nivis. » Optima est domus, bene induti sunt habitatores ; non frigus, non glaciem, non nivem, non hiemalem, non vernalem timent pruinam. Quare hoc ? Sequitur : « Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplici- « bus. » Duplicibus quidem induuntur familiares et domestici Ecclesiæ ; quoniam et animæ et corporis puritatem ambiunt. Hic autem e contra mali suæ confusionis diploide induti, duplici contritione conterentur.

« Stragulatam vestem fecit sibi. » Stragulata enim genus vestium est, quod multa varietate fit. Stragulata est igitur vestis Ecclesiæ, quoniam multa varietate depingitur. Ibi enim humilitas, pax, patientia, pietas, mansuetudo, cæteræque virtutes refulgent.

« Bissus, et purpura indumentum ejus. » Multum enim decet ut tanta regina pulchris et speciosis vestibus induatur. Hæ tamen secundum colorum A qualitatem diversis sanctorum ordinibus conveniunt, ut rubeæ martyribus, albæ confessoribus.

« Nobilis in portis vir ejus. » Nam etsi humilis, et in forma servi Christus Dominus noster in primo adventu apparuisset, in secundo tamen nobilis cum senatoribus terræ in portis conspicietur. Nobilis quidem, quoniam in propria et paterna claritate refulget. In portis autem, quoniam ipse, qui janua est, et peccatores in infernum præcipitabit, et justos in cœlestem domum introducet. Cum senatoribus autem sedebit ; quoniam, sicut ipse ait, cum venerit in sede majestatis suæ, duodecim discipuli super duodecim sedes sedebunt, qui duodecim tribus Israel judicaturi sunt.

« Sindonem fecit et vendidit. » Sindonem, inB quit, vestem candidam, vestem puram, vestem nuptialem Ecclesia fecit. Hanc autem vendidit, hanc nulli sine pretio dedit, hanc filiis sanctis in baptismate tribuit. Vis hanc vestem ? Sponde fidem, abrenuntia Satanæ et omnibus operibus ejus. Hæc enim est vestis : « Et cingulum tradidit Chananæo. » Quid per Chananæum, nisi gentiles ? Hi autem laxi, discincti et dissoluti erant. Hi sunt, qui sine lege vivebant · hos succinxit, hos ad hoc opus præparavit.

« Fortitudo et decor indumentum ejus. » Hanc enim et Christus vestem habere dicitur ; unde Propheta : « Dominus, inquit, regnavit, decorem induit : indutus 604 est Dominus fortitudinem (*Psal.* XCII, 1). » — « Scimus autem, inquit Joannes, quoniam C similes ei erimus (*Joan.* III, 2). » Fortitudine igitur et decore induemur ; quia caro quam recepturi sumus, jam amplius corrumpi non poterit. Decore autem, quoniam sicut sol in regno Dei sancti fulgebunt.

« Et ridebit in die novissimo. » Nunc autem est tempus flendi, tunc erit tempus ridendi. Risus enim gaudentis est, quoniam ridere gaudere est. Ridebunt igitur sancti in die novissimo ; si quidem et gaudebunt. Unde et illud : « Lætabitur justus, cum viderit vindictam impiorum (*Psal.* LVII, 11). »

« Os suum aperuit sapientiæ. » Erant enim tenebræ super faciem abyssi ; tecta erat, obscura erat, clausa erat sapientia. Hanc autem aperuit, hanc docuit, hanc prædicavit Ecclesia. « Et lex clementiæ D « in lingua ejus. » Lex enim Mosaica, dura, gravis, utpote in lapidibus deformata, et aspera erat ; quoniam si quis contra hoc vel illud fecisset, occidere eum jubebat. Ecclesiæ vero lex mansuetudinis est, clementiæ et misericordiæ ; non enim occidit, sed miseretur, conversis omnibus veniam præstat.

« Consideravit semitas domus suæ. » Consideravit, inquit, sapienterque inspexit, per quas domus suæ famuli, filii et ancillæ semitas incedere deberent. Alios per humanitatem, alios per patientiam, alios per castitatem regna cœlorum scandere jussit. Nullum in via peccatorum ex domesticis sanctis stare passa est ; quoniam malam et inutilem hanc

Digitized by Google

viam esse cognovit. « Et panem otiosa non comedit. » Unde Psalmista : « Labores, inquit, manuum tuarum, quia manducabis (*Psal.* CXXVII, 10). » Et Apostolus : « Laboret unusquisque manibus suis operando quod bonum est (*Ephes.* IV, 28). »

« Surrexerunt filii ejus. » Non jacuerunt, inquit, non dormierunt, imo surrexerunt, steterunt, matrisque beatitudinem prædicaverunt. Quis enim prophetarum, vel apostolorum hujus beatitudinem non prædicavit ? « Et vir ejus laudabit eam ; » sicut scriptum est : « Laudabuntur omnes, qui jurant in eo (*Psal.* LXII, 1). » Sed quomodo laudabuntur ? Vis audire quomodo ? « Esurivi, inquit, et dedistis mihi manducare ; hospes fui, et collegistis me, nudus, et cooperuistis me (*Matth.* XXV, 35). » Hæc erit laus Ecclesiæ. Sic vir ejus laudabit eam.

« Multæ filiæ congregaverunt divitias. » Quantum enim ad creationem, sive boni, sive mali, omnes Dei filii esse dicuntur. Multæ filiæ igitur divitias habuerunt. Sapientes enim fuerunt Judæi, sapientes et philosophi. « Hæc autem supergressa est universas ; » quoniam non mundanam, nec eam quæ inflat, sapientiam didicit : « Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi (*Psal.* CXVIII, 100). »

« Fallax gratia, et vana est pulchritudo. » Fallax, inquit, gratia, vana sapientia, inutiles divitiæ multorum sunt. Gratia quidem hæc omnia dicuntur, quoniam gratis omnibus, et sine pretio datur. Unde Apostolus : « Quid enim habes, inquit, et non accepisti ? » (*I Cor.* IV, 7.) Et Psalmista : « Non est qui se abscondat a calore ejus (*Psal.* XVIII, 7). » Omnes igitur gratiarum aliquid habent ; in pluribus tamen fallaces gratiæ inveniuntur. Quamvis gratis omnibus a Domino datur : « Omnis enim sapientia a Domino Deo est (*Eccli.* I), » tamen fallax est, si quidem non Domino servit, quæ non a virtutibus, sed a coloribus fit, quæ non æterna, sed transitoria est. « Mulier « timens Dominum ipsa laudabitur. » Ecclesia videlicet, quæ in timore, et tremore Domino famulatur, ipsa salvabitur. Laudabitur itaque a Deo, laudabitur ab operibus sanctis, laudabitur et ab hominibus, et ab angelis.

A « Date ei de fructu manuum suarum. » Vos, inquit, mater Ecclesia genuit, vos plantavit, vos docuit coluit, et rigavit. Date igitur ei de fructu manuum vestrarum, servite ei, obedite ei, et sicut matri sanctissimæ per omnia credite. Quamvis enim omnes fideles Ecclesiæ sint, illi tamen principaliter hoc nomine censentur, qui cæteros regunt et docent. His autem serviendum est, « Quoniam dignus est, inquit Dominus, operarius mercede sua (*I Tim.* V, 18). »

« Et laudent eam in portis opera ejus. » Laudant equidem opera sua in portis Ecclesiam, quando bona, quæ ipsa agit, nos videntes et audientes eam laudibus exaltamus. Cum enim apostolorum actus narrantur, nonne apostolos in auditu laudant auribus-
B que fidelium, quæ tanquam portæ sunt, quibus ad intima cordis verba penetrant.

Laudant itaque :

Certissime cognovimus
Quod sermo Salomonicus
Mulierem fortissimam
Significat Ecclesiam.
Hunc Rex sapientissimus
Regumque potentissimus
Adveniens in hominem
Sibi delegit conjugem.
In hac prophetæ plurimi
Apostoli, episcopi,
Confessores et martyres,
Viduæ simul et virgines.
Cum tu tamen Felicitas
C Filios itaque prædicas
Quæ cæteris communia
Tibi videntur propria.
Tu fortis, et fortissima
Mulier prudentissima
Constans, et constantissima
Felix, et felicissima.
Per te laus sit ingenito
Gloria unigenito
Cum Spiritu paraclito
Consolatore inclyto. Amen.

S. BRUNONIS ASTENSIS

EPISCOPI SIGNIENSIS

EXPOSITIO IN CANTICA CANTICORUM

INCIPIT LIBER

SCIR HASCIRIM SEU CANTICUM CANTICORUM

AUCTORE EODEM

605 CAPUT PRIMUM.

« Osculetur me osculo oris sui. » Vox prædictæ mulieris.

Multa, inquit, mihi, cœlestis regis legati, sæpe nuntiastis, multa de nobilitate, de divitiis, de fortitudine, de pulchritudine, multaque de viri sapien-

Digitized by Google

tia retulistis. Vidi Moysen, vidi Eliam, vidi Jeremiam, vidi David, vidi et alios, qui ipsius adventum mihi nuntiaverunt. Credo verbis, amore langueo, parata sum, cessent legati ; jam ipse veniat, manifestetur, figat oscula, det amplexus, proprioque ore mihi loquatur. (888) Apostropha. Te, inquit, diligo, et desidero, te audire, te videre concupisco. Quare hoc ? « Quia meliora sunt ubera tua vino. » Vinum mihi Moyses, vinum mihi cæteri prophetæ dederunt amarum, et forte, austerum, et ad bibendum asperum. Gravia enim non solum factu, verum etiam dictu sunt prophetarum verba. Nam ut dicere, et pronuntiare omittam, vix in quibusdam intelligi possunt. Christi vero prædicatio vinum in lac convertit. Duo quippe ubera duo sunt testamenta, (889) quæ Christus docendo, et exponendo, lacteam, dulcemque suavitatem retraxit. Quos enim lex occidere videbat, ipse misericorditer sanabat. Mulierem namque in adulterio deprehensam Judæi lapidare volebant, Christus autem, « Non ego te condemnabo (*Joan.* VII, 10), » inquit. Sunt autem hæc verba vino meliora. « Fragrantia unguentis optimis. » Quid per unguentum, nisi septiformis gratia Spiritus sancti ? (890) His autem fragrant, splendent, et redolent et novum et vetus testamentum. Hunc odorem Christi prædicatio inferebat ; quoniam alios sapientes, alios intelligentes, alios fortes, alios pios faciebat. « Et odor unguentorum tuorum super omnia « aromata. » Per aromata quidem quascunque res odoriferas intelligimus. Sed quid tanti odoris, tantæque suavitatis, ut ipse spiritus esse possit, quo Apostolus repletus dicebat : « Christi bonus odor sumus Deo ? » (*II Cor.* II, 15.) Vox Ecclesiæ ad Christum : « Unguentum effusum (891) est nomen tuum. » Tuum, inquit, nomen, quasi unguentum effusum cunctis credentibus præbuit sanitatem. Christus namque a chrismate dicitur, in quo nomine baptismatis aqua mundati omnes Christiani vocamur. Hoc igitur nomen super electos diffusum Spiritus sancti gratia eos conjunxit. « Ideo adolescentulæ dilexerunt « te. » Adolescentulæ quidem primitivæ, novæque Ecclesiæ intelliguntur, quæ nuper Deo genitæ, et baptizatæ, et femineo more fragiles erant, natosque non multos pepererant. Hæc autem pristina vetustate relicta, sanctoque Spiritu accepto, Christum totis viribus, omnique maternitatis affectu dilexerat. Vox Ecclesiæ ad Christum :

« Trahe me post te. » Post se namque Christus eos trahit, quicunque eum imitantur, ut qui ipsius imperio super cœlos exaltantur : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit (*Joan.* III, 13). » Ipse quidem per se ascendit, qui et perfectus **606** Deus est, et perfectus homo. Cæteri autem, quoniam per se ascendere nequeunt, ut trahantur, necesse est. Trahuntur igitur, sicut ipse Dominus ait : (892) « Cum a terris exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum (*ibid.* XII, 32). » — « Et curremus in « odorem unguentorum tuorum, » id est in suavitate virtutum, prædicationum et gratiarum. In istarum namque odorem currunt, qui earum suavitate et dulcedine capti incessanter bona operantur. Qui enim vitiis fœtent, eis quidem hæc omnia non redolent. Vox sponsæ ad adolescentulas : « Introduxit « me rex in cellaria sua. » Mutatio personæ. Jam, inquit, in cellaria sua, et in æterna tabernacula fide et spe me Rex regum introduxit. Possumus etiam per cellaria singulos prophetarum libros intelligere, in quos Ecclesia introducta spirituali vino inebriatur (893). Unde Psalmista : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ (*Psal.* XXXV, 9). » Apostropha. « Exsultabimus, et lætabimur in te. » Cum enim Dei laudes, et magnificentias in sacris voluminibus ecclesiastici viri reperiunt, in tanto talique viro exsultant, et lætantur. Denique cum ad summam illam beatitudinem pervenerunt, summis et æternis bonis receptis, in eo solo exsultabunt. « Memores uberum tuorum super vinum. » In te, inquit, exsultabimus uberum tuorum memores super vinum venientium. Venit lac super vinum, venit Novum Testamentum super Vetus ; temperatum est vinum, dulcis, mitis, et intelligibilis facta est lex. Consummatum est igitur super domum Israel, et super domum Juda Testamentum Novum. (894) « Reges di« ligunt te. » Qui enim seipsum, et alios regit, vera definitione rex appellatur. Reges enim sunt apostoli, episcopi, et sacerdotes. Apostoli autem nisi Christiaca Vatabli, et aliorum, ut docet Cornelius a Lapide. His addimus Matth. Cantachuzenum in Latinum versum a doctiss. Vincentio Riccardo Cler. Reg. Romæ an. 1624. De præstantia nominis Jesu fuse disseruerunt sancti Patres ; ut docet supercit. Ghislerius.

(888) Ita ex Isaiæ oraculo cap. XXXV, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos*, sensit Origenes, et cum eo S. Hieronym., epist. 146. ad Damasum ; S Joan. Chrys., hom. 8, in Symbolum, quæ est de Turture Tom. V, aliique.

(889) Philonem Carpathium eamdem dedisse interpretationem constat ; cujus verba sunt apud Ghislerium.

(890) « Quidam, ait Ghislerius, per Christi unguenta spiritualem illius gratiam designatam arbitrantur, quæ præferatur unguentis iis quæ Moysen ex præcepto Dei composuisse legimus, quæque figuram horum exstitisse novimus : atque adeo præferri, inquiunt, Christum ipsum, quem Pater unxit Spiritu sancto, verbis legis ac prophetarum, quorum Ecclesia (quæ hic loquitur) usum habuit, atque notitiam. » Ejusque expositionis auctores ait Origenem, Theodoretum, Bedam, etc.

(891) Vulgata habet : *Oleum effusum ;* sed unguentum usurparunt alii ex versione LXX ; Si-

(892) « Non enim currere quis valet per viam mandatorum Dei, nisi per ipsam trahatur gratiam. » Ita S. Greg. papa, Beda, Cassiod., etc.

(893) Hujusmodi interpretatio est juxta Cassiodorum, et Bedam, ut apud Ghislerium. Alii mysteriorum divinorum revelationem intelligunt. Ita Cantachuzenus.

(894) Ita lectio Riccardiani codicis : at Vulgata habet : *Recti diligunt te.* Et omnes commentatores huic versioni conformantur ; inter quos S. Gregorius ait : « Rectitudinem esse fundamentum dilectionis Dei, sicut et dilectio Dei est perfectio rectitudinis ; » idemque docet Cassiodorus. Riccardus vero ex Cantachuzeno legit : *Rectitudo dilexit te*

Digitized by Google

stum diligerent, pro eo quidem non morerentur. Diligunt igitur reges et recti, a quo fiunt reges, et recti. Vox synagogæ : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem. » Nigram se dixit pro ignobilitate generis : formosam vero propter pœnitentiam et fidem (895). Hoc autem gentium Ecclesia, vel apostolicus cœtus dicit. Vos, inquit, filiæ Jerusalem, filiæ Libani, filiæ candidationis estis. Ego autem filia Cedar, filia tenebrarum, filia cervorum fui. Ego populus, qui sedebat in tenebris. Ego sum, cui dictum est : « Fuistis aliquando tenebræ (*Ephes.* v, 8). » Consentio igitur, quia nigra sum, quoniam in peccatis nata sum : secundum creationem, pristinamque vitam nigra ; secundum regenerationem autem super nivem dealbata. « Formosa sum ; » sed ubi formosa ? In oculis, in auribus, omnibusque membris. Deformes enim oculi sunt, quod deformia et turpia videre concupiscunt ; deformes aures, quod vaniloquia, et scurrilitatem audire delectantur. E contra vero « quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Rom.* x, 15) ! » Nigra sum exterius, pulcherrima vero, et formosa interius. Nigra videtur homini, quod videt ; pulcherrima, quod hominem latet. Homo enim faciem, Deus autem corda considerat.

« Sicut tabernacula Cedar. » Cedar *tenebræ* interpretatur. Tenebrarum vero nigredo sola luce fugatur. Erat igitur Ecclesia nigra sicut tabernacula Cedar, quæ a sole justitiæ illuminata candida facta est. Unde Evangelista : « Et lux, inquit, in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* I, 5). » Cedar quidem tabernacula sunt, in quibus tenebrarum principes inhabitant. Denique secundum carnem non majoris pulchritudinis sunt justi quam injusti. « Sicut pelles Salomonis. » Nigra, inquit, sum, sicut tabernacula Cedar, formosa vero sicut pelles Salomonis. Non me igitur despiciat Salomon ; si quidem mea pellis pelli suæ convenit. Est igitur Ecclesia inter mulieres speciosa, atque formosa, quoniam quidem prædictus Salomon, « Speciosus est forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3). » Vox Ecclesiæ : « Nolite considerare quod fusca sim. » (896) Hoc autem in persona dicitur apostolorum. Fusca, inquit, sum, et quantum ad exteriorem formam deformis sum ; non uncta, non crassa, non delicata, imo hispida, et ad videndum gravis. Hæc autem nemo despiciat : sed quæ interius sunt, subtilius cogitet. » Quia decoloravit me sol. » (897) Non in umbra quievi, non in lecto me otio dedi. A Quid igitur ? In vinea laboravi, agrum excolui, vigilavi, jejunavi, sole insuper multas adversitates perpessa decolorata sum, et fusca. Quid mirum ? Vox Synagogæ : « Filii namque matris meæ « pugnaverunt contra me. » Mihi, inquit, quietudinis fuit facultas, quoniam necessaria parare, et **607** contra hostes pugnare necesse erat. Non enim solum barbari, verum etiam filii matris meæ mihi bellum inferebant. Foris igitur pugnæ, intus timores, hinc tyrannorum gladius, hinc Judæorum, et hæreticorum disputatio (898). Matrem suam Judæam, vel synagogam intelligas. Unde Apostolus : « Cum, inquit, placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ (*Galat.* I, 15), » etc. Possumus autem per hanc matrem, iniquitatem intelligere. Unde Psalmista : B « Quoniam in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Ps.* L, 7); » inquit :

« Filii matris meæ pugnaverunt in me. » Hoc est impugnaverunt me corporis passiones, carnis illecebræ decoloraverunt me, ideo sol justitiæ mihi non refulsit (899).

« Posuerunt me custodes in vineis. » Quis igitur, nisi pro arcendis furibus ponit in vineis custodes ? Unam Deus vineam plantavit, quæ quoniam in amaritudinem conversa est, multæ aliæ vineæ plantatæ sunt. Unde et illud : « Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas (*Ps.* CVI, 37). » In his apostoli positi sunt custodes, ne eam vindemiarent omnes qui prætergrediuntur viam. « Vineam meam non « custodivi. » Vineam, inquit, unam reliqui, vineas C autem multas custodivi (900). Multæ autem vineæ multæ sunt Ecclesiæ. Una vero synagoga est. Hanc autem reliquerunt apostoli, sicut scriptum est : « Vobis oportuerat primum loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » Potest et sub interrogatione hoc legi. Vineam meam non custodivi ? Custodivi utique. Quod autem prius pluraliter, dein vero singulariter vineam posuit, unitatem Ecclesiæ figuravit, quæ quamvis secundum locorum qualitatem dividatur, in fide tamen et dilectione una est. Hanc autem custodierunt apostoli et doctores, ne Arius, Sabellius, cæterique fures aliquem dolose racemum subriperent, neve D quemque fidelem ab Ecclesia separarent. Vox Ecclesiæ ad Christum : « Indica mihi, quem diligit anima « mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie (901). » Indica mihi, inquit, fac me scire, firmiterque cognoscere, o pastor, o rector, quem tota mente, omnibus viri-

(895) *Fusca sum* (exponit S. Ambros. ser. 2 in ps. CXVIII) : « Per culpam, decora per gratiam, fusca per vitium, decora per lavacrum. Fusca sum, quia peccavi ; decora, quia jam me diligit Christus. » Concordat August. serm. 201, de Tempore.

(896) Ex Cantachuz. vertit Riccardus : « Non intueamini, quod nigra sim ; quoniam non est intuitus me sol. » Quibus subjicit : « Nam et si nondum verum illud in me apparuit lumen, apparebit tamen, et illustri gloria perfundar. »

(897) In plures interpretationes super hunc locum abiere Patres, ut videre est apud Calmetum, Cornelium a Lapide, et Ghislerium. Placuit Brunon. Cassiodorio, et Bedæ adhærere.

(898) Juxta Origenem hæc dicta intelliguntur ab Ecclesia primitiva, enarrante pugnas illas quas sustinuit a Judæis filiis synagogæ matris suæ. Idem sentit Cantachuzenus.

(899) S. Ambros. lib. *de Isa. et anima*, c. 4.

(900) « Ex inobedientia erga prophetas id contigit mali synagogæ, ut non custodierit propriam vineam legis divinæ. » Ambros. serm. 2. ps. CXVIII, v. 1.

(901) Cantachuzenus his animam divinum sponsum.

Digitized by Google

bus dilexi, et diligo (902); indica mihi, ubi gregem pascas, quo in loco, quibusve cibis oves tuas nutrias. Dei namque oves in conventu prædicationis, et sacris voluminibus pascuntur. Illis autem episcopis etiam indicatum est, qui canes muti non latrare valentes, Dei animalia fame perire patiuntur. « Ubi cubes in meridie. » Quid per meridiem nisi nimis æstuantem sanctorum afflictionem (903)? Dic inquit, dic pastor, ubi in meridie cubas, ubi es, cum sancti affliguntur, ubi es cum a lupis agni tui dilaniantur? Nonne tu es ille qui, ut bonus pastor, animam pro ovibus ponis? Gravis est æstus, sitiunt oves, uruntur calore. Duc ad portum, duc ad umbram. Scio; dices : In te sum, in te cubo et requiesco. « Super quem enim requiescit spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea? » (*Isa*, LVI, 2.) Itemque : « Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? » (*Cor.* III, 16.) Cur igitur tribulor? Scio, inquies, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regna cœlorum. Vera est responsio; jam nihil timeo; siquidem tantus hospes civitatem custodit. Æstum non perhorresco, quoniam fons vivus mecum est. Sequitur : « Ne vagari incipiam per greges sodalium tuorum. » Quid per sodales, nisi hæreticos, et philosophos (904)? Sed quare sodales? Quia et ipsi quidem et pastores sunt, et gregem pascunt. Per istorum autem greges, et conventicula illi vagantur, qui veræ pascuæ, et divini prati viam ignorant. Rogemus igitur Dominum nostrum, ut et nobis ovile indicet, et in loco pascuæ nos sua misericordia collocet.

Item versus :

Quid mihi tot legas, o regie sponse, prophetas?
Cessent legati tantum dare verba parati.
Te volo, te credo, te solum visere quæro.
Jam miserere mei, jam te patiare videri.
Oscula jamque tuæ sponsæ dare sit tibi curæ,
Auribus et nostris dulcis modulamina vocis.
Jam resonet rogo te, si quis tuus est amor in me.

Vox Christi ad Ecclesiam : « Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere. » Si te, inquit, mulierum pulcherrima, forma speciosa, ignoras; si tui oblita, tuæ nobilitatis immemor es, egredere, abi, et vagare, ut dixisti, per vestigia gregum. Sequere hæreticos, imitare philosophos. Nos ipsos namque ignoramus, quando nostræ dignitatis, baptismatis, et novitatis obliti errori subdimur, et vanitati, gregumque caparrum, et hircorum vestigia sequimur.

« Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum (905). » Si te, inquit, ignoraveris, et a me recesseris, agni tui mox hædi fient. Sicut enim in baptismate capreæ vertuntur in agnos, ita peccantes, et a Deo recedentes animas puras, agnosque mitissimos in petulcos, fœtidosque hircos convertimus. Hi autem hædi juxta pastorum tabernacula, et hæreticorum conventicula, suavi Scripturarum cibo fastidito, venenosa pascuntur herba, id est prava dogmata hauriunt. Vox Christi : « Equitatui meo in « curribus Pharaonis, assimilavi te, amica mea. » Nec me, inquit, relinquere, nec tui oblivisci debes. Meo enim equitatui assimilavi te in curribus Pharaonis Ei autem Ecclesia assimilatur, ea videlicet ratione, qua currus, et equites Pharaonis populum Israeliticum persecuti sunt. Sed sicut Pharao prædictum persequens populum cum curribus, et equitibus in mari submersus est; ita et diabolus cum vitiorum multitudine hominum animabus insidians, in baptismate perit. Tanto igitur accepto beneficio, nemo sui, vel Dei obliviscatur. Adolescentulæ ad sponsam :

« Pulchræ genæ tuæ sicut turturis. » His autem quasi exprobrationis verbis auditis, propter verba superius dicta, verecundiæ sibi attraxit ruborem. Dixerat enim « ne vagari incipiam. » Vagari namque meretricum est. Hujus igitur verbi hujusque temeritatis recordata erubuit. Sponsus autem, hæc ut vidit, virginalem verecundiam laudavit. Ait enim : « Pulchræ sunt genæ tuæ, » verecunda, et pudica facies tua (906). Erubescis dicere, vel fecisse, etiam turpia cogitasse. Tu enim ex illis non es, quæ a crimine vires sumunt. Sed quomodo pulchræ? Sicut turturis, sicut virginis, sicut magnæ castitatis et conjugalis fidei observatricis. Non enim nisi uni Ecclesia servit marito. « Collum tuum sicut moniliа. » Sicut, inquit, ceteræ virgines monilibus; ita tu solius colli pulchritudine delectaris. Quid per collum, nisi doctores? Per collum namque ventri cibus immittitur, de quo et verba exeunt. Ecclesia vero a doctoribus nutritur et eruditur. Colli igitur officium a doctoribus expletur. Præterea colli infirmitas totius corporis est ruina. Vox amicorum : « Murenulas aureas faciemus tibi. » Murenulæ quidem ornamenta sunt colli virginalis, a pisce murena ita nuncupatæ. Significant autem sermones prophetarum prolixos, et dictinctos, et laudabiles. Murenu-

interrogasse perhibet, ubi quiesceret; eique respondisse *in meridie*; id est in Patris ac sempiterni luminis sinu, ejusque tempus nondum advenisse, ut ab eo descendat, et suam faciat in homines misericordiam.

(902) « Bene, inquit, eum, cujus præsidium flagitat dilectum animæ suæ vocat; quia quo gravius est periculum, de quo eripi cupit, eo amplius illum, per quem se eripiendam novit, diligit. » BEDA.

(903) Etiam hac in expositione secutus videtur Bruno Cassiodorium, et Bedam.

(904) Ita Augustinus pluribus in locis, præcipue vero in serm. 50. *de Verbis Domini*.

(905) Ut brevitati consulam unum inter plures loci hujus interpretes afferam S. Augustinum, serm. 50. *De Verb. Domini*, et ep. 48. ad Vincentium, qui docet fideles, ignorantes excellentiam catholicæ Ecclesiæ, facile in sectas hæreticorum prolabi.

(906) Observat Origenes, hom. 2. in Cant. apud LXX legi : *Quam pulchræ factæ sunt genæ tuæ*, ut significaretur, prius quidem non ita eas fuisse, sed postea quam suscepit oscula sponsi, et ipse qui loquebatur per prophetas, prius adfuit, et mundavit sibi ipsi Ecclesiam suam lavacro aquæ; totamque speciosam, pulchramque reddidit. Vid. Ghisler.

Digitized by Google

tas nobis Moyses, Isaias, Jeremias, David, et hic quidem, qui hæc scripsit Ecclesiastes, nobis fecerunt. « Vermiculatas argento. » Murenulæ quidem sunt, quoniam labiles; aureæ autem, quoniam sapientiæ luce præfulgent; argento vero vermiculatæ dicuntur, quoniam eloquii puritate distinguuntur.

Versus :

Virgo beata,	Grata meorum
Mirificata,	Discipulorum,
Sponsa pudica,	Pascua scito :
Dulcis amica;	Hæc et adito,
Te sapienter,	Pax tibi multa
Atque decenter,	Omnia tuta.
Ordine forma.	Quod placet uni,
Moribus orta	Est grave nulli.

Vox sponsæ : « Cum esset rex in accubitu suo, « nardus mea dedit odorem suum. » Cum, inquit, rex meus, sponsus meus, dilectus meus esset in accubitu, in lectulo carnis, in humanitate, quam ex virginali utero assumpsit (907), « nardus mea dedit odorem. » Hoc autem juxta litteram de Maria intelligi potest, quæ unguenti alabastrum super caput ipsius recumbentis effudit. Mox enim tota domus ex unguenti odore repleta fuit. Spiritualiter autem de Ecclesia intelligitur. Priusquam enim in homine Salvator noster venisset, in paucis nardus odorem dedit, quoniam paucorum virtutes, et orationes Domino placebant. Postquam autem in carnem venit, et tanquam sponsus de thalamo suo Dominus processit, mox sanctorum virtutes et orationes odorem dederunt. Unde Apostolus : « Bonus odor, inquit, sumus Deo (*II Cor.* II, 15). » Et Psalmista : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Ps.* CXL). » Hinc est, quod Joannes phialas aureas odoramentorum plenas vidit (*Apoc.* V, 8). Post Christi namque incarnationem, et virtus sanctorum, et numerus crevit. Dedit igitur **609** nardus odorem Christo Domino incarnato. « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. » Myrrham quidem pro amaritudine posuit. Fuit enim Christus Ecclesiæ myrrhæ fasciculus; et quidem magni doloris, magnæque amaritudinis collectio. Quomodo enim nisi in dolore et amaritudine esse poterat, tanto talique viduata viro? Sic quoque dici potest : « Dilectus meus mihi. » Propter me, meique ad utilitatem fasciculus myrrhæ factus est, quoniam morti et passionis amaritudini sese pro me subdidit (908). Nonne myrrhæ et amaritudinis portabat fasciculum, cum diceret : « Tristis est anima mea usque ad mortem? « (*Matth.* XXVI, 38.) Fuit equidem fasciculus, quia et multos ad se traxit, et multos secum occidit. Omnes enim martyres pro morte ipsius, quasi uno fasciculo colliguntur. « Inter « ubera mea commorabitur. » Commoratur enim egregius sponsus inter ubera sponsæ, quoniam a memoria ejus et amplexu non separatur. Locus namque cordis inter ubera est. Ubi autem cor, ibi et memoria. Qui igitur inter ubera commoratur, siquidem in corde jacet, memoriam fugere nequit. Felix illa anima, nimiumque felix, cujus inter ubera Christus commoratur, cujus in corde jacet, et quæ ipsius nunquam obliviscitur. « Botrus Cypri dilectus meus « mihi. » Cypri namque insulæ vinum optimum est (909). Vinum autem lætificat cor hominis. Est autem Christus sanctis suis botrus Cypri, quoniam ejus sanguinis haustu lætificantur. Denique si vinum lætitiam significat, merito qui fuerat fasciculus myrrhæ moriendo, botrus Cypri dicitur resurgendo. Unde Psalmista : « Ad vesperum, inquit, demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia (*Psal.* XXIX, 6). » Est igitur botrus Cypri. Ubi? Sequitur : « In vineis « Engaddi. » Engaddi *fons hædi* interpretatur. Fons autem hædi in Ecclesiis est. Sunt autem Ecclesiæ vineæ Engaddi. Fons enim baptismatis est in Ecclesia, in quem qui intrat, hædus est; qui autem exit, agnus.

Versus Scir Hascirim.

Omnia qui fecit, sumere carnem dignatus Dominus,
Morte redemit humani generis sponte ruinam :
In cruce suspensus, cum pateretur, fasciculum myrrhæ
Crede, fuisse. Tristis enim dixit morte.
Insuper et Petrus flevit amare; postea vero dedit
Nardus odorem, cum cœlos petit veste cruenta.

Vox Christi : « Ecce tu pulchra es, amica mea. » Confirmatio. « Ecce tu pulchra es. » Pulchra, inquit, es, sine macula es, interius exteriusque casta es. Magnæ enim inter Christum et Ecclesiam sunt amicitiæ; cum et Christus pro Ecclesia, et Ecclesia pro Christo mori non dubitaret : « Majorem enim hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV, 13). » Vox Ecclesiæ : « Oculi tui columbarum. » Oculi, inquit, tui, memoria, et intellectus, et ratio columbarum sunt, id est casti et simplices. Nullatenus enim de intellectu vel sapientia superbis. Tu enim ex illis non

(907) Sententia est Ambrosii, serm. 3 in ps. CXVIII, ℵ, pro regis accubitu accipiendam filii Dei incarnationem in purissima Virgine, quam sibi matrem, et sponsam elegit, atque in se plenitudinem gratiæ tanquam pretiosissimum odorem effudit.

(908) Quamvis in plures commentationes in hunc locum abierint expositores, communis nihilominus, ut docet Ghislerius, Patrum Latinorum sensus eo spectat, ut per hæc Ecclesia, vel pia anima, vel etiam B. Virgo significet se velle Christi passionem jugiter habere in corde, nedum per jugem meditationem, verum etiam per imitationem.

(909) Præter Brunonem, alii fuere, ut notat Ghislerius, qui Cyprum insulam hic pro Cypri frutice, vel arbusculo suave olentem florem producente usurparunt. Fuerunt autem S. Gregorius, Cassiodorius, Beda, Anselmus, et Bernardus, etc. Ex hoc flore fit unguentum, seu oleum cyprinum vel ligustricum appellatum, quod a Theophrasto lib. IX De historia plantarum cap. 7, inter odorosissima commemoratur unguenta. De hac planta etiam loquitur Plinius lib. XII, cap. 24. Cyprus in Ægypto est arbror Zizyphi foliis, semine Coriandri, flore candido odorato, etc. Eadem affert Riccardus in notis ad Cantachuzenum, p. 121.

Digitized by Google

es, qui dicunt : « Labia nostra a nobis sunt (*Psal.* A liter autem lilium inter spinas Christus est inter Judæos, et justus inter peccatores (911). A spinis quidem opprimitur lilium, a Judæis autem affligitur, vulneratur et crucifigitur Christus. Inter spinas lilium crescit, quoniam a ligno Christus regnat. Hoc autem lilium in cruce suavissimum Patri dedit odorem. Unde Psalmista : « Dirigatur, inquit, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum (*Psal.* CXL, 2). » Primitiva vero et apostolica Ecclesia, inter innumerabiles filias, quas genuit, hanc competentem tenet similitudinem. Conveniat modo civitas una, imo duæ, vel quatuor, totaque provincia. In medium ponatur Petrus, dicatur Paulus adesse, nonne lilium inter spinas, nonne flos gratissimus tibi inter tribulos esse videtur?

XI, 5). » Vox Ecclesiæ, vel Christi : « Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. » In hoc enim maxima utriusque concordia comprobatur, quod utique utrumque de pulchritudine laudat. Hujus decoris et pulchritudo nec dici quidem, nec cogitari potest. « Lectulus noster floridus. » Quid per lectulum, nisi cor? Unde ipse Dominus ait : « Intra in cubiculum tuum (*Matth.* VI). » Hic autem lectulus floridus est, virtutibus et conscientiæ puritate. Possumus autem et per hunc lectulum illam sanctorum beatitudinem intelligere, in qua in perpetua quiete, et otio quiescentes, sicut palma justi florebunt. « Ligna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina. » Has autem domos Ecclesias intelligas, per hunc mundum dispertitas. In his autem, et culmen et fundamentum Christus est, quoniam ab eo sustentantur. Columnæ vero et parietes apostoli sunt et prophetæ. Ligna autem præpositi sunt et doctores a quibus reguntur, sustentantur et teguntur. Laquearia vero, quæ magis ad ornatum pertinent, quam ad utilitatem, virgines sunt et viduæ, cum monachorum ordine. Hi enim quanto a sæculo dividuntur, tanto magis et virtutibus et sanctitate refulgent. Hi autem sibi prosunt, et cæteris non officiunt. Sed quare illa cedrina, vel ista cypressina esse dicuntur? Cedrus namque et cypressus immarcessibilis, et redolentis naturæ est. Sancti autem, et immortales sunt, et odor Domino suavissimus (910).

B

Versus :

Flos ego sum campi, decus et laus ordinis almi ;
Angelicus cœtus mihi subditur ;
Omnia complector, cœlum trans maris æquor :
Cunctorum Dominus, Pater et Deus
Quis nisi solus ego? Nemo, dico tibi, nemo.

610 CAPUT II.

Vox Christi : « Ego flos campi. » Non equidem et se pulchrum esse, et decorum negat, quin imo totius mundi florem, et pulchritudinem, et honorem esse confirmat. Est præterea flos campi, id est illius virginis, et inaratæ terræ filius, de qua scriptum est : « Et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* LXV, 7). » Unde Isaias : « Egredietur, inquit, virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (*Isa.* XI, 1). »—« Et lilium convallium. » Hoc enim lilium non montium, sed convallium est; quoniam non superbos, sed humiles Dominus diligit. Sicut ipse ait : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI, 29). » In convalle nascitur lilium, in humilium corde habitat Salvator. « Sicut « lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. » Lilium namque inter spinas pungitur et premitur; crescit tamen, et dat odorem. Sed et Ecclesia a filiabus, scilicet ab hæreticis et schismaticis, quos in fonte baptismatis genuit, multoties affligitur, opprimitur et pungitur. Hoc autem ad litteram. Spiritua-

C

Vox Ecclesiæ : « Sicut malum inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios (912). » Sicut enim malum inter ligna infructuosa fructuosum est; ita et Christus inter Judæos, aliquando et apostolos fuit. Hoc est enim illud lignum, de quo dicitur quod « fructum dabit in tempore suo (*Psal.* I, 3). » Erant enim tunc temporis apostoli sine fructu, cum multos in Judæa Christus daret fructus. Ad ejus autem comparationem non solum sine fructu, verum etiam sicci videbantur. Unde ipse ait : « Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? » (*Luc.* XXIII, 31.) Hi autem qui prius aridi et infructuosi erant, hujus ligni pomis degustatis, sanctoque Spiritu accepto, quanta fertilitate fructificarent, ab ipsius Salvatoris verbis percipitur, qui ait : « Ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* XV, 16). » — « Sub « umbra illius, quem desideraveram, sedi; » id est in ejus protectione tandem requievi (913). Nigra namque erat Ecclesia, et vitiorum æstu fuscata, quando ad hujus arboris umbram confugit, quando hujus umbram cognovit, suique caloris refrigerium sensit.

D

« Et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Sub umbra, inquit, sedi, de fructibus arboris hujus cognovi, ejusque in contemplatione sum refecta, dulcibus et eloquiis satiata. De his enim fructibus, et alibi Ecclesia dicit : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo (*Psal.* CXVIII, 103)! »—« Introduxit

(910) Tota hæc expositio cum SS. Patribus sæpe rel ts perfecte cohæret, et brevi commentario, quem sibi proposuerat S. Bruno, satis superque est.

(911) S. Ambros. lib. Institutionis virgin. cap. 14, ait : « Christus erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Judæorum. » Et Rupertus abbas Judæos pariter intelligens per spinas, per filias putat significari hæreses, quæ catholicam veritatem tanquam lilium suffocare nituntur.

(912) Circa vim encomii hujus, quo Christus celebratur similitudine mali, communis est Patrum omnium sensus, ut laus triplex in illum conferatur : pulchritudinis, juxta illud Ps. XLIV, *Speciosus forma præ filiis hominum*; fragrantiæ gratiarum, juxta illud : *Unguentum effusum nomen tuum;* atque refectionis, quam refectionem generice sumunt Theodoretus, Ambrosius, Cassiodorus, Beda, Bernardus, nec non Origenes hom. 2, ex tribus, per verba per doctrinam, per exempla.

(913) Ita sentiunt omnes SS. Patres et expositores, aiuntque sub umbræ metaphoram designari Dei, vel Christi, animæ sponsi, protectionem, ad quam aspirare debent ejus amatores.

Digitized by Google

me rex in cellam vinariam. » Quid per cellam vinariam, nisi Novi Veterisque Testamenti doctrina? De hac enim cella dicitur : « Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto (*Psal.* LXXIV, 9). » De hujus namque cellæ vino Apostolus ebrius dicebat : « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* II, 6). » Et Psalmista : « Et calix tuus, inquit, inebrians, quam præclarus est! » (*Psal.* XXII, 5.) Hanc autem in cellam Ecclesia introducta, superni vini dulcedine inebriatur. « Ordinavit in me charitatem (914). » Quomodo in hac cella charitas ordinatur? Vis audire? « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis (*Matth.* XXII, 37). » Quid ultra? « Et proximum tuum sicut te ipsum (*ibid.*, 39). » Hic est ordo, et vera regula charitatis, ut et Deum super omnia, et proximum sicut nos ipsos, diligamus. Ordinavit in prima cella; ordinavit et in secunda. In prima autem **611** quomodo? « Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum (*Matth.* V, 43). » Quid dicitur in secunda? « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt (*ibid.*, 44). » Nunquid hic ordo contrarius tibi esse videtur? Non utique contrarius, imo conveniens; alioquin ordo non esset. Quod enim in primo de vitio, in secundo de natura intelligitur, ut sic dicatur : inimicum odio habebis; vitium, non naturam. Diliges inimicum tuum, naturam, non vitium. « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia « amore langueo. » Floribus namque et malis granatis fulciri sponsa desiderat, ut super illa requiescat (915). Sponsi, inquit, charitas, jam in me ordinata est. Diligo, amore langueo. Vos igitur mei famuli, fidi, clientes, conscii, familiares, fulcite me floribus, stipate me malis. Apostoli namque et doctores floribus Ecclesiam fulciunt, et malis quidem stipant. Multos enim flores Gregorius, multos Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus Ecclesiæ attulit. Per flores sententias; per mala, credentes intelligimus. Possumus etiam per flores operis initium, per mala vero perfectionem intelligere (916). Flores enim poma fiunt, cum auditores sententiis credunt, et quæ credunt, opere complent. « Læva ejus sub ca- « pite meo, et dextera illius amplexabitur me. » Cum enim pro Ecclesia moreretur Christus, nonne sub ejus capite lævam manum tenebat? Læva enim et sinistra pro adversitate ponitur. Hac igitur læva, hac adversitate, hac durissima morte nostri Salvatoris de limo profundi, summaque miseria elevati sumus. Cum enim inclinato capite spiritum emisit, nimirum ad se caput erexit. Dextera vero ipsius Ecclesiam amplexata est; quia resurgens a mortuis, immortalisque factus, dextera et fortitudine resumpsit omnia quæ quidem ad se traxit (917). Possumus autem et pro læva ea quæ huic vitæ necessaria sunt intelligere. Pro dextera autem summam illam beatitudiuem (918). Dum enim in hoc sæculo vivimus, quasi lævam nobis sub capite Dominus tenet, in adversitate sustentans, et necessaria suppeditans. Postquam autem hanc vitam relinquemus, Dei dextera amplexati, immortalitate et fortitudine induti, jam nobis nihil sinistrum, nihil adversum esse poterit. Vox Christi :

« Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cer- « vosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare « faciatis dilectam, quoad usque ipsa velit (919). » Quid per filias Jerusalem, nisi omnes animas baptismatis fonte regeneratas? Quid per capreas et cervos, nisi virtutes et bona opera, quibus et ad cœlum currimus, et serpentum dæmonumque venena superamus? Quid vero per dilectam, nisi animam solius Dei contemplationi vacantem? Hanc enim a tanto somno excitare, a tanta quiete tantaque beatitudine separare, nisi ipsa volente vel necessitate cogente, peccatum est. Qui igitur cervos et capreas diligit, qui pedes, alas, fortitudinem, æquitatem amittere perhorrescit, huic Dei dilectæ non sit molestus. Versus :

Sicut inter ligna malum, pomis et odore gratum
Sic dilectus in solo est conventu filiorum
Sub illius umbra sedi, refrigerio quievi.
Dulcia gutturi meo poma suscepi ab eo.
Me in cellam introduxit, et vinum bibere jussit.
Dedit mihi charitatem, virtutum omnium matrem.
Læva caput sublevatur, dextera caput amplexatur.
Ad hoc nisi me amaret, quis pro eo me adjuraret?

Vox Ecclesiæ : « Vox dilecti mei. » Hæc, inquit, vox, hæc, quam audio, adjuratio mei dilecti est. Nisi enim me dilexisset, nequaquam pro me ita loqueretur.

« Ecce iste veniet. » Sed quomodo veniet? « Saliens in montibus. » De cœlis namque veniens pri-

(914) *Ordinavit in me charitatem.* Juxta communiorem PP. sententiam, eo spectat, ut Ecclesia, aut pia anima significet, se, postquam a Deo admissa est in cellam vinariam, ab eodem Deo donatam, ut debito ordine, charitate prosequeretur ipsummet Deum, et proximum. Ita Ghisl., cui concordant Cornelius a Lapide, Calmetus, etc.

(915) Ita vertit Symmachus : *Requiescere me facite in flore;* id est sternite mihi flores, ut super illos requiescam; quæ interpretatio non displicuit Hieronymo.

(916) « Quid namque sunt flores, nisi animæ bonum jam opus inchoantes, et desiderium cœleste redolentes? Quid mala de floribus, nisi perfectæ jam bonorum mentes, quæ ad fructum perveniunt boni operis, de initio sanctæ propositionis? » S. Greg.

(917) « In læva reputat anima sancta recordationem illius charitatis, qua nulla major est, quod animam suam posuit pro amicis suis : in dextera vero beatam visionem, quam promisit amicis suis, et gaudium de præstantia majestatis. » S. Bernardus in lib. *De diligendo Deo.*

(918) « Sinistram Dei, prosperitatem videlicet vitæ præsentis, quasi sub capite posuit, quam intentione summi amoris premit. Dextera vero Dei eam amplectitur, quia sub æterna ejus beatitudine tota devotione continetur. » S. Gregorius.

(919) Cantachuzenus intelligit his verbis significari oracula prophetarum, divinam M. V. maternitatem prædicentia, quæ aperienda non erant, donec ipsa voluerit; venisset scilicet, et Jesum genuisset Salvatorem.

Digitized by Google

mum saltum in uterum Virginis dedit (920). Hic est ille lapis, qui abscissus dicitur de monte sine manibus. Sine viri namque complexibus de Virgine Christus processit. Vides igitur quod mons Maria vocetur. Dedit igitur saltum in montem, siquidem in Mariam. Dedit et alium saltum, in crucem videlicet. Cum enim in cœlos ascendit, altissimos in montes saltum fecit. Montes præterea dicuntur apostoli, quos Christus saliens habitavit. Sed si tu, o homo, mons fieri cupis, erige mentem, ut a terrenis cupiditatibus **612** spes, et cor tuum exaltetur. Mox enim in te saliet, qui in montibus salire dicitur. « Transiliens colles. » Vere utique colles transiliens, quoniam et sanctos sanctitate, et potentes omnes potentia transcendit : « Quis enim in nubibus æquabitur Domino? » (*Psal.* LXXXVIII.) — « Similis est « dilectus capreæ, hinnuloque cervorum. » Ac si dicat : Ergo quia in montibus saliens, et colles transiliens est, capreæ hinnuloque cervorum similis est. Hi enim et per montes currunt, et colles transiliunt.

« Ecce ipse stat post parietem nostrum respiciens « per fenestras, prospiciens per cancellos. » Quid vero per parietem, nisi peccatum? Hoc enim interposito, Deo conjungi non possumus. Noster autem dicitur paries, quoniam nos ipsi eum fabricavimus. De hoc autem, et per Psalmistam dicitur : « Et in Domino meo transgrediar murum (*Psal.* XVII, 30). » Possumus autem per parietem et humanitatem intelligere. Per hunc namque parietem, id est in humanitate clausus a paucis cognosci potuit (921). Stetit igitur post parietem nostrum, quia humana carne tectus cum hominibus conversatus est. Per fenestras respexit, quoniam quid nostri oculi videre, quid aures audire, quid os loqui desideret, quid corda cogitent, penitus ipse cognovit. Prospicit autem et per cancellos, quoniam nullus in choro cantat, cujus non videat voluntatem. Videt monachum, videt episcopum, videt qui ore, qui corde psallat. Cognoscit enim qui pro amore, vel qui pro favore cantat. « Columba « mea, formosa mea, veni. Ecce dilectus meus loqui« tur mihi, dicens : Surge, propera, amica mea (922). » Unde Isaias : « Manda, remanda (*Isa.* XXVIII, 10), » inquit. Surgite apostoli, prædicate doctores, nuntiate Evangelium. Columba mea sine felle, absque amaritudine, innocens et simplex. Unde ipse ait : « Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* X, 16). » Formosa mea super nivem dealbata, sine macula et ruga. Surge, inquit, fac quod factura es, et ad me tandem post malitiam, et peracto officio veni. « Jam hiems transiit, imber « abiit, et recessit. » Transiit, inquit, hiems et imber, transiit tempus nebulosum, asperum et grave: « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI, 2). » — « Nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII, 12); » omnia jam clara, omnia jam nuda et manifesta sunt (923). « Flores apparuerunt in terra. » Jam flores, inquit, apparent in terra; jam decore virtutum nitilat Ecclesia, jam spinis omnibus et tribulis evulsis, terra nostra germinat Salvatorem.

« Tempus putationis advenit. » Hoc autem est, quod Dominus in Evangelio discipulis ait : « Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem (*Joan.* IV, 35). » Nunc tempus metendi, nunc tempus in unam fidem gentes colligendi, tempus est vitia resecandi. Amputate vineas, ut oriantur uvæ; amputate vitia, ut oriantur virtutes. « Vox turturis audita est in terra nostra. » Vox, inquit, turturis vox casta, vox apostolica audita est in terra nostra : « Domini est terra, et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII, 1). » — « Ficus protulit grossos suos. » Quid per ficum nisi Synagoga? Hæc autem protulit grossos suos; dedit primitias ficus, patriarchas videlicet et prophetas. « Vineæ florentes dederunt « odorem suum. » Vineæ florentes Ecclesiæ sunt: sed quare florentes, nisi quia virtutum cultores in illis fiunt? Hæ autem odorem dederunt, quoniam virtutibus et orationibus Dominum oblectant vineæ (924); quia aliis sunt odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam (*II Cor.* II, 16). Versus: Saliens in montes, transiliens colles, venit ecce Deus.
Et Sponsus, et Deus, quem paries carnis oculis humanis
Celat, ut Judæus dicat. Non est Deus. Nonne vocem [audis?
Quæ intima cordis penetravit mei. Surge, veni, veni.
Hiems enim transiit, imber omnis abiit, æstas aperitur. [ritur.
Et turtur auditur, ficus dedit grossos, dabit ista botros [tros
Vineæque florent, præstant et odorem.

« Surge, amica mea. » Ne dormias, inquit, sed surge, et per fidem et dilectionem bonum operare. « Sponsa mea; » cui tantæ dilectionis amore con-

(920) « Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam, ut ita dixerim, saltus dedit. De cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro rediit in cœlum. » S. GREG. M.

(921) « Quasi post parietem nostrum Christus incarnatu stetit, quia in humanitate assumpta divinitas latuit. Et quia ejus immensitatem si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum objecit; et quidquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit, » etc. Idem S. GREG.

(922) A divino Verbo hæc, ut ad M. V. dicta, refert Cantacuzenus. « Tempus est, o mater, ut tu nascaris in terra, ut sis domicilium mihi, ex te nascituro mortali. Tempus enim hiemis nimirum infidelitatis *præteriit, et imber abiit*, idololatriæ eluvies cum pravis pariter desiit operationibus. »

(923) Ad illud Jo. III, 29, hæc referri possunt. *Qui habet sponsam*, ait, *sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

(924) Communiori Patrum sensu, ait Ghislerius, significatur Ecclesiam universalem, seu Ecclesias particulares post Christi adventum floruisse virtutibus, et dedisse odorem bonæ famæ. Ita Origenes, Nyssenus, Hieronymus, etc.

Digitized by Google

junctus sum, ut tuam pro te carnem sumere dignarer. « Et veni, columba mea. » Columba, inquit, mea, felle, omnique amaritudine carens, veni post me, sequere me, ducem non habeas nisi me. « Et in « foraminibus petræ, » subauditur morare; id est in meæ carnis vulneribus delectare; tuæque salutis hæc vulnera fuisse causam agnoscas (925). Moram **613** namque fecerat Thomas, nec credere volebat; qui postea in hujus lapidis vulneribus delectatus, inquit : « Dominus meus, et Deus meus (*Joan.* xx, 28). »

« In caverna maceriæ. » Confirmatio est. Possumus etiam per maceriæ cavernam, doctorum et angelorum custodiam intelligere, ut nunc quasi infra macerias posita eorum munimine tueatur; quæ prius palam, et sine munitione vitiorum impetu quatiebatur. « Ostende mihi faciem tuam (*Exod.* xxxiii, 15). » Probetur qualis sit innovatio, et pulchritudo tua, doce alios ut te; nullum timeas præter me. « Sonet vox tua in auribus meis. » Me, inquit, prædica et confitere, ut a te et ab aliis per te laus mihi, et honor debitus reddatur. « Vox enim tua dulcis. » (926) Quam audire volo, « et facies tua decora, » quam videre cupio. Præparet se sponsa, et vestibus ornet, quæ a tanto talique sponso est conspicienda. Loquatur non fictitia, vel inhonesta, imo dulcia et suavia verba. Vox adversus hæreses : « Capite nobis « vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. » Quid per vulpes, nisi hæreticos, vitia et malignos spiritus? Hæc autem dum parva sunt, et in ipso suæ originis principio capienda, tenenda et destruenda sunt. Unde Psalmista : « Beatus, inquit, qui tenebit, et allidet parvulos suos ad petram (*Psal.* cxxxvi, 9). » Vineam autem hanc vulpes demoliuntur, quoniam Christi Ecclesiam destruunt et dissipant. » Nam vi« nea nostra floruit (927). » Floruit itaque, quoniam vitiis amputatis, virtutum candore et pulchritudine decoratur. Custodienda est igitur, ne a vulpibus vastata floribus privetur. Versus :

Surge, amica mea; veni, columba mea,
Vulneribus in meis, tam sana delecteris.
Tu pulchra videaris, tu sapiens loquaris.
Nam vox tua canora, et facies decora
Jam vulpes capiantur, vitia destruantur
Ne vinearum flores pereant, et odores.

Vox Ecclesiæ sic : « Dilectus meus mihi, et ego « illi. » Dilectus, inquit, meus mihi auxilium præstat, et virtutem. Ego autem illi servio, et per omnia obedio. « Qui pascitur inter lilia. » Idem est qui inter multos candidos et floridos sanctorum et virginum choros lætatur et habitat. In floribus enim delectantur virgines. Denique ut in peccatoribus spinæ, ita et in sanctis lilia pullulant. Pascitur igitur inter lilia, siquidem in sanctis habitat.

« Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. » Unde ipse ait : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii, 20). » Dies enim tunc aspirabit, quando sol justitiæ orietur sanctis, et illa incipiet, quæ nunquam finem habebit. De qua dicitur : « Quia melior est dies una in atriis tuis super millia (*Psal.* lxxxiii, 10). » Umbræ vero inclinabuntur; quia vitæ hujus cessantibus adversis, cum satellitibus suis tenebrarum princeps in infernum præcipitabitur. « Reverte« tere. » Cœlos, inquit, ascendisti, prælioque peracto ad Patrem rediisti. Sed revertere inspice terras, tuorumque preces exaudi. « Similis esto, dilecte mi, « capreæ, » quæ super montes appetit, « aut hinnu« lo cervorum, » qui et umbram desiderat, et matrem frequenter revisere studet, et persequentium oculis sese ultro repræsentat. Similis igitur est capreæ cœlos ascendens; hinnulo vero matrem revisitans in sanctis, qui vitiorum æstu minime exuruntur; habitans, atque iterum in secundo adventu Judæorum sese oculis repræsentans : « Videbunt, in quem compunxerunt (*Joan.* xix, 37). » — « Super mon« tes Bether (928), » subauditur in quibus habitas. Bether namque *domus Dei* interpretatur. Stent igitur sancti Bether; siquidem est domus Dei. Dicitur autem domus Bether, a quibusdam domus consurgens, vel domus vigiliarum. Sancti autem et de virtute in virtutem semper ad altiora consurgunt, et eum quasi furem in nocte venturum vigilantes exspectant.

CAPUT III.

Vox Ecclesiæ : « In lectulo meo per noctes exqui« sivi quem diligit anima mea, quæsivi, et non in« veni. » Olim, inquit Ecclesia, in lectulo meo, in corde et persecutationis otio quæsivi Dominum meum, sponsum meum, quem plus omnibus diligit anima mea. Sed per noctes, sine fide, in tenebris, in humana sapientia, mentis cæcitate. Idcoque non inveni. Hoc enim hæretici, hoc philosophi quæsierunt; sed in nocte quærentes suaque in sapientia confidentes, non invenerunt (929). Unde ipse Dominus ait : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et pru-

(925) « Foramina petræ sunt vulnera quæ Christus pro salute nostra in cruce suscepit, figuræ namque clavorum, lanceæ percussio. In his ergo foraminibus columba, id est Ecclesia moratur, quia totam spem salutis suæ in passione sui Redemptoris constituit. » Auctor Comment. Cassiod. attributi.

(926) « Suavis est vox, quia ore confessio fit ad salutem, et decora facies, quia non erubescit auctorem, non confunditur Redemptore. Ostendit ergo faciem suam signaculum crucis præferens, et insinuat vocem suam, auctoritatem prædicationis assumens. » Ambros. serm. 6, in ps. cxviii, v. C.

(927) « Id est Ecclesia, quæ per universum mundum late flores virtutum emisit. Et notandum cum superius vineas pluraliter dixerit, modo singulariter dicit : *Vinea nostra floruit*, quia de multis Ecclesiis una electa est Ecclesia. » Auctor comment. dict. Cassiod.

(928) In Vulgata scribitur *Bether*, itemque in Hebræo textu, sed in Arabica versione *Bethel*, mons celebris propter visionem quam Jacob in eo habuit, et sæpe in Scriptura sancta repetitum hoc nomen reperitur.

(929) Vid. comment. in Cantic. sub Cassiod. nomine.

Digitized by Google

dentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* xi, 25). » — « Surgam, et circuibo civitatem. » Surgam, inquit Ecclesia. Sed quæ Ecclesia? Ecclesia gentium, populus qui sedebat in tenebris, somnoque deditus, qui nondum dixerat : « Deus Deus meus, ad te de luce vigilo (*Psal.* lxii, 1). » Surgam, inquit, non amplius dormiam, **614** circuibo civitatem, id est sanctorum, apostolorumque congregationem; ut me de Deo ea doceant quæ per me scire nequivi. « Per « vicos et plateas, omnibusque in locis quæram « quem diligit anima mea, quæsivi eum, et non in- « veni. » Hoc autem per noctem, hoc in lectulo meo. Quæram igitur in die, quatenus eum inveniam' « Invenerunt me vigiles, qui circumeunt civitatem. » Surrexi, inquit, et prædictam civitatem circuivi. Dum autem hoc facerem, me vigiles invenerunt, qui custodiunt civitatem. Civitas Ecclesia, vigiles autem apostoli sunt. Hi autem eos inveniunt, qui Deum fide et baptismate quærunt. In hoc enim custodum cura circumdatur, quæ non ipsa eos. verum etiam ipsi eam invenisse dicuntur. His autem inventis, dixi (Ecclesia de Christo dicit) : « Num quem diligit « anima mea, vidistis? » Hoc autem tale est ac si diceret : Vos qui Dei cognitionem habetis, Deum ipsum, veritatisque viam mihi monstrate. « Paululum « cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima. » Cum, inquit, audiendo et intelligendo eos pertransissem, cumque eorum monita et prædicationem transcurrerem (hoc enim locutionis modo, transcurro librum, dicere solemus), inveni per eorum demonstrationem quem diligit anima mea. « Tenui « illum, nec dimittam (930). » Inveni, inquit, et dulciter eum amplexata sum. « Tenui. » Quomodo? mente, et operatione, et fide perfecta : « nec dimit- « tam, » sed ardentissimo amore ei inhærebo. « Donec introducam eum in domum matris meæ « (931), » id est in hujus fictilis vasis habitaculum, quod ipse manibus suis, genitrice terra, plasmavit. Sancti enim Dei sunt habitaculum. Unde ipse ait : « Inhabitabo in illis et inambulabo inter eos (*II Cor.* vi, 16). » — « Et in cubiculum genitricis meæ. » Id est in secretarium cordis mei. Possumus autem et per hanc matrem Synagogam intelligere, a cujus domo Christus exivit, ex quo dixit : « Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* xxiii, 38) » — « Cum autem plenitudo gentium introierit, tunc Israel salvus fiet (*Rom.* xv, 25); » tunc in suæ genitricis domum Ecclesiam introducet. « Dilectus meus « mihi, et ego illi. » Non equidem moratur vel hic, vel ibi, sed habitat cum sanctis, donec et dies aspiret, et umbrarum veniant fines.

Versus :

Cui : Capreæ, dixi, similis esto,
Aut super montes Bether parvulo cervo,
In lectulo per noctes eum quæsivi;
Sed quoniam per noctes non reperivi,
Surrexi circuire civitatem.
Per vicos et plateas dum remearem,
Me vigiles portarum reperierunt.
Ubi esset dilectus, mihi dixerunt.
Inveni ergo illum, neque dimittam
Donec in genitricis lectulum mittam,
Id est in hujus vasis materiam secretam
Sive Judæorum plebem postremam.

Sponsus ad fideles animas : « Adjuro vos, filiæ Je- « rusalem per capreas, cervosque camporum, » et reliqua. Per capreas, inquit, et cervos, per apostolos et doctores, per virtutem et fidem, et bonam operationem, quibus et ad cœlum et ad promissum bravium curritis, et serpentum venena superatis; vos filiæ Jerusalem, vos quæ Dei cognitionem habetis, adjuro et deprecor, ut dilectam meam, sponsam meam non excitetis, nec ab eo in quo delectatur opere separetis. Alius enim in jejunio delectatur, alius in vigiliis, alius in eleemosynis faciendis, alius in ecclesiis construendis. Hos a tanto somno, ab hac delectatione, ab hoc sui animi proposito sejungere magnum est peccatum. Diversæ namque sunt gratiæ, diversæ sunt voluntates, diversæ sunt et operationes quibus Domino servire possumus. Unusquisque ergo in suo sensu abundet. Synagoga de Ecclesia : « Quæ « est ista, quæ ascendit per desertum. » Quæ, inquit, qualis, quam pulchra, quam admirabilis est ista, quæ ad me de virtute in virtutem properando conscendit? Cujus, inquam, virtutis et audaciæ est, quæ ad me per desertum venit? Per desertum namque, et per hujus sæculi adversa, non latronum insidias, non tyrannorum gladios, non leonum dentes, non Judæorum et hæreticorum sophismata timens, ad Dominum Ecclesia pertransivit. Sed *quomodo* transivit? « Sicut virgula fumi facti ex aromatibus, « myrrhæ videlicet, et thuris, et universi pulveris « pigmentarii. » Ac si dicat : Sic in hujus adventu delector, quasi in omnium pigmentorum odore et suavitate. Per myrrham et thus, quæ hic nominantur, carnis mortificationem et sanctorum orationes intelligimus.

Versus :

Quæ est ista per desertum,
Cum cœlum est apertum,
Quæ ascendit quasi fumus,
Quam non aggravavit humus.
Per desertum sic transivit,
Arctam viam reperivit,
Sed transivit per desertum
Gratum bajulans pigmentum.

Vox Ecclesiæ : « En lectulum Salomonis sexa- « ginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. »

(930) « Christum scilicet super omnia diligendum, quia ipse prior dilexit nos, et lavit a peccatis nostris in sanguine suo, deditque animam suam pro nobis. » Idem auctor.

(931) « Non est putandum quod tunc Ecclesia relictura sit eum, cum in cubiculum matris suæ introduxerit, id est Synagoga ad cognitionem ejus, et fidem venerit; sed *donec* pro sempiterno ponitur, id est semper illi fidelis erit, ardentissimoque amore flagrabit. » Idem auctor.

Digitized by Google

Salomon namque *pacificus* interpretatur. « Ipse autem est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14) » Lectulum igitur Salomonis **615** Ecclesiam intelligimus (932), quam sibi pio amore Christus sociavit, non habentem maculam neque rugam. De qua per Prophetam ait : « Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam (*Psal.* CXXXI, 14). » Hanc autem sexaginta fortes ambiunt, hanc apostoli et doctores custodiunt, ne forte Judæi, hæretici, et pseudo-apostoli verbum Dei adulterantes Salomonis lectum, sanctorumque conscientiam deturpent. Sed quare sexaginta esse dicuntur, nisi quia sexagenarius numerus ex senario et denario conficitur? Sexies namque decem, vel decies sex sexaginta faciunt. Et quoniam sex diebus opus suum peregit Deus, merito per sex, operum perfectionem intelligimus. Per decem autem, legalia decem præcepta signamus. Qui igitur lectulum Salomonis, id est sanctam Ecclesiam custodiunt, et in operibus quidem perfecti, et legis documentis, et institutionibus sapientes esse debent. Illi autem non solum fortes, verum etiam ex fortissimis Israel esse dicuntur, quoniam Ecclesiæ doctores cæteris fortiores esse oportet. « Omnes tenentes « gladios. » Unde et Psalmista : « Et gladii ancipites in manibus eorum (*Psal.* CXLIX, 6). » Et Apostolus : « Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI, 17). » Teneant igitur episcopi gladios, quibus et vitia destruant, et Ecclesiam defendant. « Et ad bella doctissimi. » Unde est illud : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum (*Psal.* CXLIII, 1). » Doctissimi namque in prælio sunt, quoniam patiendo, non se ipsos defendendo, in humilitate et patientia vicerunt. « Uniuscujusque ensis super femur suum. » Super femur namque enses habent, qui impetus libidinis castitatis freno repellunt. Unde Apostolus : « Castigo, inquit, corpus meum, et in servitutem redigo (*I Cor.* IX, 27). » — « Propter timores nocturnos. » Armati, inquit, sunt doctores, et gladiis accincti, ne hæretici et maligni spiritus in nocte dolo et occulte Salomonis lectum invadant, id est sanctam Ecclesiam. Ecclesia. « Ferculum fecit sibi rex Sa- « lomon de lignis Libani. » Quid per ferculum, nisi Ecclesiam? Hoc autem ferculum, hoc refectorium, hanc sacræ epulationis domum de lignis Libani fecit Dominus, quoniam nullus in Ecclesia habitat, qui baptismatis aqua non sit candidatus. Libanus enim *candidatio* interpretatur (933). De hoc autem ferculo in Psalmis dicitur : « In loco pascuæ ibi me collocavit. (*Psal.* XXII, 2). » In hoc autem ferculo qui resident, vestes nuptiales habere oportet. Hic autem carnem suam nobis ad manducandum Christus apposuit. Hic panem vivum, hic agnum præfiguratum, taurumque saginatum comedimus, hic calicem Novi Testamenti potamus, hic divino et dulcissimo vino inebriamur. De Christo dicit : « Columnas ejus « fecit argenteas. » Quid per columnas nisi apostolos et doctores; sed quare columnæ, nisi quia totius Ecclesiæ sunt sustentamenta? De his in Psalmis dicitur : « Ego confirmavi columnas ejus (*Psal.* LXXIV, 4). » Cur autem argenteæ, nisi quia simplicitatis, modestiæ, et sobrietatis affectione pallent? Hi sunt illæ pennæ columnæ, quæ deargentatæ esse dicuntur : « Reclinatorium aureum. » Mensam, inquit, et reclinatorium aureum fecit, quoniam Novum et Vetus Testamentum sapientiæ luce præfulgent. De hac autem mensa dicitur : « Parasti in conspectu meo mensam (*Psal.* XXII, 5). » Accedamus igitur ad hanc auream mensam, ut divinis et spiritualibus dapibus reficiamur. « Ascensum purpureum. « Nullus enim hujus mensæ cibos comedit, nisi per purpuream viam ascendat. Non enim Judæi hujus cibum capiunt, quoniam ascensum purpureum non noverunt. De quibus dicitur : « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum (*Psal.* LXVIII, 22). » Via namque purpurea est, quam Christus proprio sanguine cruentavit. Possumus autem per reclinatorium cœlestem illam beatitudinem intelligere. Hæc autem aurea dicitur, quia omnibus pretiosior est; cujus quies æterna, cujus ascensus purpureus. Nemo illuc ascendit, nisi Christi morte redemptus ejus sanguine deducatur. Martyres quoque per viam purpuream se se illuc ascendisse gratulantur.

« Media charitate constravit propter filias Jeru- « salem. » Quomodo autem media charitate nos constravit et cooperuit, nisi quia communi dilectione omnes redemit? Hoc autem propter animas simplices, quæ in infernales tenebras mergebantur (934). Constravit et media charitate, quia pro universali salute crucifixus, salutem in medio terræ operatus est. Vox Ecclesiæ de Christo dicit : « Egredimini « et videte, filiæ Sion, regem Salomonem. » Egredimini, inquit, filiæ Sion, extra portam; exite, filiæ Jerusalem, et videte regem vestrum, videte Salomonem, videte Christum vere pacificum. « In diademate quomodo coronavit eum mater sua. » Hæc autem mater Synagoga intelligitur, quoniam ex Judaica **616** gente secundum carnem natus est Dominus. Hæc autem filium suum, dominum suum,

(932) « Lectus Salomonis, quamvis supernæ illius beatitudinis requies accipi possit, in qua Deus cum sanctis suis requiescit, probabilius tamen præsens accipitur Ecclesia, in qua sancti Dei sopitis tumultibus vitiorum amplexu Salomonis, id est veri pacifici, delectantur. » Idem auctor. Cantachuzenus in lectulo hoc Salomonis significari ait monumentum, in quo mortuum Christi corpus depositum fuit, quique Judæi milites apposuerunt, ut illud custodirent.

(933) « Libanus *candidatio* vel *dealbatio* interpretatur. Ligna ergo Libani sunt sancti, candidati, et dealbati in baptismo, et omnium virtutum pulchritudine exornati. » Idem auctor.

(934) Hoc est propter animas simplices, et nullius sibi virtutis conscias, quæ quanto magis propriæ fragilitatis sunt consciæ, tanto amplius Salvatorem et Redemptorem diligere satagunt. Idem auctor.

Digitized by Google

regem suum coronavit, spineamque coronam super caput ejus imposuit (935). Quando? « In die sponsionis ejus. » Id est in die quo Christus nuptias fecit, et Ecclesiam Patris desponsavit, ipsiusque de latere dormientis conjugem fabricavit. Namque sicut de dormiente Adam, una costa subtracta, facta est Eva, ita de Christo dormiente, latere lancea perforato, facta est Ecclesia. « Et in die lætitiæ cordis ejus (936). » O mira pietas! moriens lætabatur, de morte gratulabatur; quoniam sic se mundum redimere, et patriarchas et prophetas liberare a morte sciebat. Quamvis enim caro tristaretur, cor tamen, et divinitas lætabatur.

Versus.

En lectulum Salomonis ambiunt fortissimi,
Omnes gladios tenentes in bello doctissimi
Propter timores nocturnos sunt accincti gladiis,
Quibus suis sunt tutamen, et timor extraneis.
Ferculum rex Salomon fecit de lignis Libani,
Cujus utique columnæ vos estis apostoli.
Reclinatorium ibi fabricavit aureum
Sanguine proprio fecit ascensum purpureum.
Filiæ Sion, quid statis, foras egredimini?
Regem vestrum coronatum spinis intuemini.
Tu tamen, Virgo Maria, coronasti Filium;
Quia carnem de te sumens ponitur in medium.
Quem chorus apostolorum, confessorum, virginum,
Sic circumdat, ut corona prudentium militum.

CAPUT IV.

Vox Christi: « Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es (937)! » Cur autem bis dixit quam pulchra es, nisi quia in opere et sermone, interius et exterius, in anima et corpore pulchra est? « Oculi « tui columbarum, » id est intellectus, ratio, intuitus tuus simplex est et acutus, non ira confusus, non furoris sanguine perturbatus, non in superbiam elatus. « Absque eo quod intrinsecus latet. » Multa inquit, de te dici possunt. Laudabilis es in virtute, in constantia, in sapientia. Magnum est quod videtur, maximum est quod latet. Magna in te fulget operatio, magna in cœlesti secretario tibi servatur retributio. Magnus est labor, sed maxima spes. Possumus etiam et per oculos prophetas intelligere, qui ea quæ futura erant multo ante præviderant. Hi columbæ dicuntur, quoniam in humilitate et simplicitate cordis Domino servierunt. « Capilli tui sicut greges caprarum. » Per capillos eos intelligimus, qui ab Adam usque ad Christum fidem servaverunt. Capillis namque nulla pars superius est. Merito ergo capilli isti dicuntur; siquidem secundum tempus totius Ecclesiæ sunt superiores. Sed quare gregi caprarum assimilantur, nisi quia carnaliter vivebant, et luxuriæ carnisque voluptatibus serviebant? His enim dictum fuerat: « Crescite, et multiplicamini (*Gen.* IX, 7). » Ex talibus autem David et Salomon fuisse probantur, quorum concubinarum non erat numerus. Sola igitur fide isti salvantur. Hi sunt, qui per fidem vicerunt regna. « Quæ ascenderunt a monte Galaad. » Galaad namque *acervus testimonii* interpretatur. Ascenderunt igitur de monte Galaad, quia legis et prophetarum testimonia observantes cœlorum regna scandere meruerunt. « Dentes tui sicut greges tonsarum ovium. » Dentes apostoli. Sed quare dentes, nisi quia prophetarum et legis graviores sententias ruminantes et exponentes, Ecclesiam pascunt et nutriunt? Cur autem greges tonsarum ovium, nisi quia sæcularibus omnibus venditis, et pauperibus attributis, nudi, tonsi, vitiis exspoliati in innocentia et simplicitate Domino servierunt? « Quæ ascenderunt de lavacro. » De lavacro quidem ascenderunt, quoniam baptismatis aqua mundati, vitiisque omnibus expulsis, ad summum fidei et doctrinæ, et ad cœlos sublimati sunt. « Omnes gemellis fetibus. » Gemellos quidem fetus habent, quoniam inter medios cleros dormientes Novum et Vetus prædicant Testamentum. Possumus autem et per gemellos fetus doctrinam et operationem intelligere, sive etiam carnis et animæ castitatem, vel Dei et proximi dilectionem (938). « Et sterilis non « est » inter **617** eas, quoniam multiplici semine fructificant.

« Sicut vitta coccinea labia tua. » Quid per labia, nisi episcopos, et sacerdotes, cæterosque qui Deum assidue laudant et benedicunt? Hi autem vitta coccinea esse dicuntur. Sed quare vitta? Quia quasi *multos* capillos, ita multos fideles in una fide ligant; sive quia multas virtutes, multasque sententias simul adunant; sive etiam quia cordis sui cogitationes comprimunt, ne vento vanitatis per inania rapiantur. Cur autem coccineæ? Quia et igne sancti Spiritus accensi sunt, et Christi prædicant passionem. Coccus ignis, vel sanguinis speciem habet. « Et eloquium tuum dulce. » Dulcia quidem sunt sanctorum eloquia, et auditu suavia. Unde et illud: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! » (*Psal.* CXVIII, 103) — « Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ. » Genæ namque

(935) « Egredimini, videte, filiæ Sion, in rege Salomone coronam, qua coronavit eum mater sua, spineam videlicet, quam ejus capiti imposuit. In die desponsationis ejus, hoc est in die qua passus est: tunc enim, tanquam sponsus uxorem duxit, castam nimirum ex gentibus Ecclesiam. » Ita Cantachuzenus.

(936) « Qui gaudebat per passionem suam redimere mundum de diaboli potestate, etc. « Idem auct. Cassiod. dict.

(937) « Bis repetit, quam pulchra es; » scilicet in opere, et in prædicatione. In opere, quia nihil fœdum, nihil oculis meis indignum agit. In prædicatione, quia ad considerandum incarnationis meæ mysterium, etiam sodales tuas filias Jerusalem invitare non cessas. Idem auctor.

(938) In eamdem convenit interpretatione Cantachuzenus, qui de hisce ovibus loquens, ait: « Tonsæ enim, et lavacro lotæ divino, fecundum jugi suorum filiorum serie sacri baptismatis reddidere fontem, semperque exstant gemellæ; præclaram animi contemplationem, præstantemque pariter operationem exercentes. »

Digitized by Google

Dei martyres intelliguntur, qui coram et in faciem Christum confidentes pro eo mortui sunt (939). Hi autem fragmen mali punici esse dicuntur, quoniam proprio sanguine cruentati sunt. Genæ igitur dicuntur, quia et de peccatis erubescunt; fragmen autem, quoniam pro Christi nomine trucidantur et franguntur; mali vero punici propter sanguinis effusionem. « Absque eo, quod intrinsecus latet. » Pulchræ, inquit, sunt genæ, rosea est facies, virginalis et pudicus est vultus; multo tamen laudabiliora sunt, quæ nondum apparent, quæ in corde latent, quæ in cœlesti thesauro tibi reservantur. « Sicut turris « David collum tuum. » Per collum Ecclesiæ doctores intelligimus. Per collum namque transit cibus, quo venter reficitur et saturatur; per collum quoque exeunt verba, omnisque doctrinæ documenta; collum denique sustinet scutum, quo totum tegitur corpus. Doctores autem Ecclesiam nutriunt, docent, muniunt et defendunt. Præterea cum Ecclesia Christum conjungunt, sicut collum cum capite corpus. Hi autem sic totam defendunt Ecclesiam, sicut turris David totam quondam defendebat Jerusalem.

« Quæ ædificata est cum propugnaculis suis. » Sic autem et doctores propugnacula habent, sapientiam videlicet et virtutem, quæ nulla possunt machina expugnari, nullisque inimicorum instrumentis destrui. « Mille clypei pendent ex ea (940). » Mille namque clypei pendent a doctoribus, quoniam per innumerabiles sententias et argumentationes ab eis defluentes, Ecclesiam protegunt. « Omnis armatura « fortium. » Nihil enim in ea vinci, vel frangi potest. « Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli. » Una enim caprea, una est Ecclesia, cujus visus acutus, cujus pedes agiles, cujus voluntas altiora petit, cujus cursus cœlos ascendit; duo habet ubera, quia duo sunt gemelli. Duo namque ubera duo Testamenta sunt. Duo vero gemelli duos populos designant : Judaicum videlicet et gentilem. Hi autem gemelli dicuntur, quoniam et gemini sunt, et geminam charitatem observant. « Qui pascuntur « in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. » In liliis quidem pascuntur, qui in suavibus et odoriferis Scripturarum sententiis delectantur. « Donec aspiret dies; » illa scilicet de qua dicitur : Quia « melior est dies una in atriis tuis, super millia (*Psal.* LXXXIII, 10). » — « Et inclinentur umbræ. » fugiatque caligo, et tenebrarum omnium princeps cum tota militia sua in infernum præcipitetur. Soon-

A sus de sponsa dicit : « Vadam ad montem myrrhæ. » Vadam, inquit, Dominus ad montem myrrhæ, visitabo terras, carnem suscipiam. Mons namque myrrhæ caro est, quam assumpsit. Hic autem est ille mons, qui tantum crevit, ut totam terram compleret. Myrrhæ autem idèo dicitur, quia corruptionem non vidit; juxta illud : « Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV, 10). » Possumus autem et per hunc montem Ecclesiam intelligere, quæ carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificans, in amaritudine semper moratur.

« Et ad collem thuris, » id est ad eos, quorum orationes me oblectant, sicut suavis odor thuris. « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (941). » Tota namque pulchra est, quia neque B maculam, neque rugam habet. Sponsus ad sponsam : « Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, « veni. » In Libano, inquit, es, dealbata es in virtutibus, florum sanctitate nites; nihil tenebrosum, nihil nigrum, nihil obscurum in te esse conspicitur. Veni igitur ad me, et quæ semper pulchritudinem dilexisti, sicut sol in regno meo fulgeas in æternum (942). Ter autem dixit « veni, » quia tria sunt, sine quibus non ad eum venitur; id est fides, spes, et charitas; 618 sive quia cogitatione, locutione, operatione Domino servit. Cur autem sponsa vocetur, superius dictum est : « Coronaberis de capite « Amana. » Amanus namque mons est Ciliciæ, qui et Taurus appellatur.

« De vertice Sanir et Hermon. » Hi autem montes C in Judæa sunt. In his autem leones et pardi habitant, sicut sequentia manifestant. « De cubilibus « leonum, de montibus pardorum. » Per hos autem montes, illos intelligimus, in quibus vitiorum exercitus, leones, et pardi, et ipsi maligni spiritus inhabitant. His autem devictis et expulsis, coronatur Ecclesia : « Nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Coronatur igitur de supradictorum montium capite, quia diabolo devicto, qui illorum caput et dominus est, pro tanto certamine præmium suscipit, et coronam. « Vulne- « rasti cor meum soror, mea sponsa. » Soror quidem, quia ejusdem patris filia est. Unde Apostolus ait : « Si autem filii et hæredes; hæredes quidem D Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII, 17). » Sponsa vero, quia carnem nostram sumens de virginali utero Christus processit. Hæc autem soror et conjux sponsi sui cor vulneravit, amore scilicet, mortisque timore. « In uno oculorum tuorum. »

(939) Eadem est suppositi Cassiodori interpretatio.

(940) Mille clypei intelliguntur innumera divinæ defensionis præsidia, quibus sancta vallatur et defenditur Ecclesia, etc. Idem auctor. Pro hac turri, sive arce, intelligit etiam Cantachuzenus præsignatam B. V., undique munitione vallatam, atque præsidio munitam, ut nullus contra eam hostis prævalere possit.

(941) Hæc prophetice dicta de Deipara censet idem Cantachuzenus, quod sacer scriptor considerans ipsam totius prorsus labis expertem, totius orbis causam futuram salutis, ad ipsam divino succensus spiritu exclamavit : *Tota pulchra es, proxima mea, et macula non est in te.*

(942) « Et tertio dicit, *veni;* quia vult eam perfectam esse in cogitatione, locutione et opere. Vel vocat eam primo, ut ad se veniat per fidem, vocat secundo, ut dignam cœlestium præmiorum retributionem, jam liberato corpore accipiat. Vocat tertio, ut in die generalis resurrectionis, jam resumpto corpore, duplici stola ornata perpetuo gaudeat. » Idem auctor, Cassiod. supp.

Digitized by Google

Multos namque oculos habet Ecclesia, plena est oculis ante et retro, undique videt, undique latronum propellit insidias; unum tantum oculum splendidissimum habet; una Trinitatis fide illuminatur, sine qua Deo nullus placebit. Hunc autem oculum qui non habent, cæci sunt, et in tenebris ambulant (943). Unde Apostolus : « Cæcitas, inquit, ex parte contigit in Israel (*Rom.* XI, 25). » — « Et in « uno crine colli tui. » Confirmatio est. Multi namque crines multa doctorum exempla et sententiæ sunt. Sed quare crines, nisi quia subtiles et prolixi sunt? Unus autem crinis, una est sententia, quæ apud omnes eadem est, in qua Christianorum nullus dissidet, quam apostoli prædicaverunt, et pro qua martyres sanguinem fuderunt, quam sancti Patres confirmaverunt. « Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, « soror mea sponsa! » Pulchræ sunt mammæ, pulchri sunt et filii. Synagogæ namque mammæ pulchræ non sunt, quoniam nigro lacte, sordidissima fæce, et erroris intelligentia filios nutrivit.

« Pulchriora sunt ubera tua vino. » Metonymia est. Ecce vino lac comparatur, quod utique candidius et suavius est. Natos suos lactat Ecclesia, adulterinos suos inebriat Synagoga. Hi autem sapienter educati, celeriter crescunt; illi vero sicut ebrii, sensum amittunt. De quibus ipse Dominus ait : « Et in me psallebant, qui bibebant vinum (*Psal.* LXVIII, 13). » — « Et odor unguentorum tuorum, » id est virtutum, sermonum et gratiarum. Hæc enim omnia unguentum dicuntur, quia et suavia sunt, et omnium infirmitatum languores sanant. « Super omnia aro- « mata, » id est præ cunctis Judæorum sacrificiis. « Favus distillans labia tua. » Favus enim mel est in cera, per quem spiritualis intelligentia significatur in littera. Favum distillant labia Ecclesiæ, id est dulcia et suavia verba. « Mel et lac sub lingua tua. » Quibus omne genus hominum delectatur. Possumus autem et per mel, quod de rore cœli conficitur, spiritualem et altiorem doctrinam intelligere; de qua Apostolus ait : « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* II, 6); » per lac vero mediocrem; unde ipse ait : « Lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III, 2). » — « Et odor vestimentorum tuorum sicut « odor thuris. » Habet enim Ecclesia vestimentum, quod ipsa suis duxit et texuit manibus; virtutibus enim virtutes conjungens, operibusque bonis bona opera connectens, admirabilem sibi composuit vestem; in qua non minus delectatur sponsus quam in multo suavissimo thuris odore. « Hortus conclu- « sus est soror mea sponsa (944). » Hortus quidem vocatur, quia quasi diversa florum et arborum genera, ita diversi sanctorum et fidelium ordines in ea continentur. Ibi sancti apostoli, confessores et martyres, virgines et viduæ. Conclusus autem, quoniam virtutum et angelorum munita præsidiis (945). Nulla vitiis patet porta, per quam latrones, et hostes subintrent, qui furentur, et rapiant bona. « Hortus « conclusus, et fons signatus. » Fons quidem baptismatis est in Ecclesia, quo et vitiorum sordes auferuntur, et animæ et corporis maculæ purgantur. Est autem fons vivus in horto isto, cujus aquam qui bibit, non sitiet ultra. De hoc autem fonte dicitur : « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum (*Psal.* XLI, 3). » Sed cur signatus, nisi quia in Trinitatis nomine sanctificatur et benedicitur? Signatus est fons, cognoscitur aqua, ad hanc sancti currunt, hanc et vitia, et maligni spiritus fugiunt. Hoc enim signo fons iste ab aliis discernitur, quoniam quæ iste fecit, alii facere nequeunt. « Emissiones tuæ paradisus ma- « lorum **619** punicorum, cum pomorum fructibus. » (946) Quem hortum superius dixit, paradisum hic appellat; quoniam paradisus est hortus deliciarum. Vocatur igitur Ecclesia paradisus, quoniam omnium deliciarum copiis repleta est. Hic enim est lignum scientiæ boni et mali, Novum videlicet et Vetus Testamentum, quæ et mala devitare, et bona nos facere docent. Habemus et lignum vetitum; id est Christum, qui est panis vivus, qui de cœlo descendit. Quatuor paradisi flumina, quatuor sunt Evangelia. Sed quæ sunt ejus emissiones, quæ sunt munera, quæ sunt poma, qui sunt flores, quos hic hortus malorum punicorum fructus Domino mittit! Mala, inquit, punica mittit, multosque martyres Domino mandat. Mala namque punica vos estis apostoli, qui pro Christi nomine sanguinem fudistis. « Cum pomorum fructibus; » non solum, inquit, martyres mittit, sed cum aliorum pomorum fructibus, cum virginibus et confessoribus mala punica præsentat. « Cypri cum nardo. Nardus et crocus, « fistula et cinnamomum, cum universis lignis Libani, « myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis, » subauditur, sunt in hoc horto. In his autem intelligimus, quoniam omnium aromatum genera in sancta Ecclesia versantur. Per cyprum namque quo regium paratur unguentum, et per nardum, qui suavissimi magnique odoris est, omnes gratiæ Spiritus sancti intelligi possunt, quæ et suavitate et odore omnibus præferuntur. Cyprus namque cum nardo ponitur, quoniam qui divino et regio unguento un-

(943) « *In uno oculo, et in uno crine;* ut per hoc unitas sanctorum doctorum exprimatur; unitas etiam cœlestis doctrinæ, quam subjectis impendunt. *Unus* enim *Dominus*, ut Apostolus ait, *una fides*, *unum baptisma*, una etiam devotio subjectorum fidelium. Idem Auctor. In cordibus nostris, inquit Cantachuzenus, insevisti unius trinæ subsistentiæ splendorem purissimum, quo docemur, unum Deum, trinum in personis, in una essentia fore adorandum. »

(944) Virgo, hortus conclusus a Propheta est appellata. Hortus quidem, quia Christum, veluti vitæ pomum, germinavit; conclusus vero, quia post partum etiam virgo permansit. Cantachuzenus.

945) « Conclusus est hortus iste, quia S. Ecclesia redemptoris, et Domini sui adjutorio munita est, et præsidio angelicarum virtutum vallata, nullis magnorum spirituum patet insidiis. » Idem auctor, Cassiod. supp.

(946) « Gratia nimirum a Deo ad Virginem per Gabrielem nuntium missa : ipsa namque paradisum revera nobis reseravit, et delicias fructuum illius ad vescendum apposuit. » Cantachuzenus.

Digitized by Google

guntur, magnus et suavissimus odor Deo sunt. Unde A Apostolus, « Christi, inquit, bonus odor sumus Deo (*II Cor.* II, 15). » Per crocum namque, fistulam et cinnamomum, quæ brevia sunt, nec altius crescunt, simplices et humiles intelligimus, quos, quamvis vulgo homines non venerentur, magnæ tamen virtutis et sanctitatis sunt. In his autem persona est humilis, sed virtus excelsa. « Cum universis lignis Libani. » Per hæc autem apostolos et prophetas intelligae, qui altitudine, robore et pulchritudine cæteris præsunt ; siquidem ligna Libani magnæ sunt altitudinis. Myrrha vero et aloe, quæ putredini, vermibusque resistunt, castitatem et alias virtutes significant, quæ a vitiorum contactu et animam et corpus servant illæsa. « Cum omnibus primis » et maximis « unguentis, » per quæ fides, spes et charitas desi- B gnari possunt, quæ in sæcula sæculorum detinent principatum. « Fons hortorum, puteus aquarum « viventium. » Hic, inquit, est fons hortorum, hic sunt apostoli et doctores, hic est illa aqua, qua totus irrigatur mundus. Multi enim horti multæ sunt Ecclesiæ. En puteus viventium aquarum, en profunditas Scripturarum. Una enim est doctrina apostolorum, mortuusque error hæreticorum : hanc aquam qui bibunt, non moriuntur ; illam qui bibunt, vivere nequeunt. Illi tamen de fonte bibunt, qui Scripturarum superficiem summis tenus labiis delibant. De puteo non sumunt profundiores aquas, id est difficiliores sententias non hauriunt. « Quæ fluunt im- « petu de Libano. » Impetu, inquit, magna scilicet C constantia, virtute, et affluentia hæ aquæ fluunt. Sed unde fluunt ? de impetu, de Libano, de monte candidato. Libanus enim, ut dictum sæpe est, *candidatio* interpretatur. Christus gratias convocat. « Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, « et fluant aromata illius. » Dixit superius hortum, dixit arbores et poma, dixit fontem et puteum, quibus irrigatur ; nunc autem præcipit ventis ut surgant, hortum perflent, aromata ventilent, quatenus sibi odor reddatur suavior. Venti enim in Christi hortum insurgebant, quando tyrannorum impetus et furor Ecclesiam persequendo sanctos trucidabant. Tunc enim aromata fluebant, tunc martyrum constantia et virtutes redolebant, tunc suavissimus odor rationabilis holocausti, et puri sacrificii ante D Domini conspectum ferebatur (947). Possumus tamen per aquilonem, qui asper ventus et frigidus est, tyrannorum crudelitatem intelligere. Per austrum vero, qui serenus est, fallaciæ blandimenta designantur ; unde dicitur : « Inimici ejus terram lingent (*Psal.* LXXI, 9). »

Versus :

Diximus Ecclesiam
Sponsam Regis regiam,
Cujus estis oculi, vos prophetæ,
Vos dentes fortissimi, Petre et Paule,
Qui eam reficitis assuete.
Genæ semper rubeæ
Martyres sunt utique.
Imperfecti quilibet sunt capilli,
Et minoris meriti imbecilli,
Quia sunt instabiles sicut illi.
Collum ferens clypeos
Dicimus episcopos,
Qui defendunt fortiter suas oves :
Persequentes vitia, et leones,
Serpentinas furias, et dracones.
Hortus est tutissimus
Sanctorum sanctissimus,
Qui non caret liliis neque rosis ;
Nec privantur arbores suis pomis.
Ibi fons dulcissimus est saporis,
Hunc ventorum flamina,
620 Tyrannorum agmina
Perturbant et ventilant cum furore ;
Cœlum petunt martyres cum honore ;
Delectatur Dominus in odore.

CAPUT V.

Ecclesia de Christo dicit : « Veniat dilectus meus « in hortum suum. » Veniat, inquit, dilectus meus, sponsus meus, amicus meus in hortum suum, in Ecclesiam suam, in sanctorum congregationem. Ad quid ? « Ut comedat fructum pomorum suorum. » Comedat, inquit, fructum pomorum, recipiat manipulum, obsequium, et bona opera sanctorum. Mitia sunt poma, quatiuntur arbores, occiduntur martyres. Jubeat igitur Dominus, ut eorum animæ in cœlesti thesauro, et in sinu Abrahæ congregentur. Christus dicit : « Veni in hortum meum, soror mea sponsa. » Tu me, inquit, venire rogas ; ego autem jam veni (948).

« Messui myrrham meam cum aromatibus. » Per myrrham autem martyres, castos et incorruptos intelligimus. Per aromata vero fragrantiam bonorum operum. Est autem myrrha cum aromatibus, quando concupiscentiis carnis devictis, cum solis virtutibus homo conversatur. Tunc incorrupta est caro, tunc virtutes redolent, tunc ad se sanctos venire Domi- D nus jubet. Cum enim Apostolus diceret : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philip.* I, 23), » nonne ut sua meteretur myrrha desiderabat ? « Comedi « favum meum cum melle meo. » Quanta dulcedine et delectatione sanctos suos Deus recipiat, in his verbis declaratur. « Comedi, inquit, favum meum cum melle meo, » recepi amorem meum, susceptos dulcissimos, nimisque dilectos amicos meos. Confirmatio. « Bibi vinum meum cum lacte meo. » Vinum quidem vos estis, apostoli, qui divino calice

(947) « Novit Dominus de malis hominum bona quædam facere, sed ipsam persecutionem in sua potestate habet, ut non tantum sæviant, quantum volunt ; unde scriptum est : *qui fecit ventis pondus* : quia videlicet flatibus persecutionum modum imponit. » Idem auctor sub Cassiodori nomine.

(948) « Desideranti Ecclesiæ, ut ad se veniat Sponsus, respondet se jam hoc fecisse. Ego jam veni. Venio ad eam, ut errantes corrigam, infirmitates corroborem, dubios confirmem, et perfectos donis cœlestibus augeam. » Idem auctor, Cassiod. supp.

Digitized by Google

inebriati omnem peritiam habuistis. Lac vero illi sunt qui mediocri et imperfecta scientia ornantur. Venit igitur Christus in hortum suum, et myrrham, quam ventus perflaverat, sanctos scilicet, quos tyrannus contristaverat, nimio secum amore devexit. Christus ad apostolos dicit : « Comedite, amici mei, « et bibite. » Apostropha ad apostolos. Vos, inquit, amici mei estis ; vos doctrinam fidei, et carnem meam comedite, vos sanguinem meum bibite. « Nisi enim manducaveritis meam carnem, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 54). » Comedite igitur panem vivum ; bibite calicem novi testamenti. « Et inebriamini, « charissimi. » Qui enim hoc calice inebriatur, vera scientia inebriatur. Qui enim divitias spernit, mortem desiderat, sui obliviscitur, negligit quæ videt, credit quæ non videt, nonne is ebrius esse videtur ? « Ego dormio, et cor meum vigilat. » Dormivit quidem secundum carnem, quoniam mortuus est et sepultus ; cor autem vigilat, quia divinitas dormire non potest. Hoc autem etiam in persona Ecclesiæ sic intelligitur. Ego dormio, carne devicta et subjugata ; cor autem vigilat, anima scilicet quæ in bonis operibus perseverat. Possumus autem per cor, Christi apostolos intelligere. Isti autem vigilant, isti sanctam Ecclesiam die noctuque custodiunt. Ecclesia : « Vox « dilecti mei pulsantis. » Audio, inquit, vocem Domini mei ; pulsat enim sanctos suos, ne dormiant, hortatur ut vigilent. Stat enim ad ostium, et pulsat. Si quis aperuerit, intrabit, et cœnabit cum illo. « Aperi mihi, soror mea. » Soror quidem, quia ejusdem patris et sponsus et sponsa, filii sunt. Ille naturaliter, ista vero adoptione. « Amica mea, » pro qua mori non dubitavi, qua major dilectio nulla est. « Columba mea, » felle, et amaritudine carens. « Immaculata mea, » quæ vitiis omnibus emundata sine macula es atque ruga. Aperi, inquit, mihi cor tuum, aperi mihi portam, qua et tuas, et aliorum ingrediar conscientias : « quia caput meum plenum est rore. » Confirmatio. « Et cincinni mei guttis noctium (949). » Tota, inquit, nocte cucurri, pro tuo amore vigilavi. « Ecce sto ad ostium, et pulso (*Apoc.* III). » Aperi mihi, soror mea. In multis quidem adversis, in nocte, et in ipsa morte pro hujus dilectione fuit Christus. Unde et illud : « Insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei (*Psal.* XV, 7). » Injectum est igitur huic non aperire, et in cordis thalamum tantum sponsum non accipere. Spiritualiter autem ros in capite, et ecclesiis benedictio, et Spiritus sancti gratia in eo intelligitur. De quo dictum est : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron (*Psal.* CXXXII, 2) : » Vox fidelis animæ. Sponsa ad seipsam : « Exspoliavi « me tunica mea, quomodo induar illa ? » Merito, inquit, me immaculatam vocasti, quoniam tunicam meam exspoliavi, pristinam vitam fugi, veterem hominem exui, mundique concupiscentias, sæculi curas, et vitia repuli, quibus involuta et irretita eram. Immaculata sum, et te novo homine induta, in novitate vitæ ambulabo, et non amplius prædicta tunica induar, non ad sæcularia revertar ; sed quæ incepi, instanter operabor. « Lavi pedes meos, quomodo « inquinabo illos ? » Pedes, inquit, lavi, et ea vitia fugavi, in quibus humana fragilitas frequentius offendit. Hæc enim pars 621 corporis, quia terræ propior est, sæpius coinquinatur. Sunt enim quædam peccata, sine quibus vix aliquis immunis erit, Ut elatio mentis, vana gloria, verba otiosa et vanæ cogitationes. Vox Ecclesiæ de Christo : « Dilectus meus « misit manum suam super foramen (950). » Dilectus, inquit, meus misit manum suam, doctrinam, et spiritum fortitudinis suæ, ipsamque suæ passionis commemorationem super foramen et portam cordis mei, quæ nunquam ei clauditur.

« Et venter meus intremuit ad tactum illius. » Quis enim est, quem Dominus tetigit, sanctoque Spiritu inspiravit ; quis ipsius passionem commemorans non contremiscat ? Unde est illud . « Tange montes, et fumigabunt (*Psal.* CXLIII, 5). » Mittit igitur Dominus manum per foramen, tangit cor nostrum ; recordatur passionis, stringitur admiratione et timore cum Dominus pro servis, justus pro injustis, creator pro creatura, talia pateretur. « Surrexi, ut aperirem dilecto. » Vocem, inquit, audivi, de lectulo meæ delectationis, surrexi, et sæculi blandimenta dereliqui. Aperui dilecto, credidi sermonibus, cor meum vitiis et errore mundavi, in quo tantus hospes habitaturus erat. Unde per Psalmistam dicitur : « In auditu auris obedivit mihi (*Psal.* 17, 45). » — « Manus meæ distillaverunt myrrham. » Quid per manus nisi opera ? Quid vero per myrrham, nisi incorruptionem ? Distillant igitur manus myrrham, quoniam et corpus, et animam bona opera incorruptam faciunt. « Et digiti mei pleni sunt myrrha « probatissima. » Quid enim per digitos, nisi singulorum operum discretam operationem intelligimus ? Ut vigilare, orare, jejunare, et similia. Hæc autem non immerito probatissima myrrha plena esse dicuntur ; quoniam et carnem non sine magna retributione mortificant, et æternam præparant incor-

(949) « Caput Christi, ut Apostolus ait, Deus est. Cincinni vero sunt intimæ cogitationes, quæ non laxe et dissolute fluunt, sed vinculo timoris et amoris Dei colliguntur. » Idem auctor.

(950) « Dilectus manum super foramen mittit, et ventrem tangit, cum interna conditor inspiratione cor visitat, et ad profectum virtutum accendit. Seu etiam cum nos ad memoriam operum suorum revocat, ut cogitemus, quia cum esset Deus, homo pro nobis fieri dignatus est. » Idem auctor, Cass. supp. Cum hæc Cantachuzenus ad B. V. referat, ita exponit : « Misit ex suæ voluntatis placito, per Gabrielem, in me virtutem ipsius obumbrantem, quam manum appellat. Accedente vero angeli voce, cum altissimi Dei conciperem Verbum turbatus est super eum venter meus ; dixit enim : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Ubi vero causam didicit. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* (Luc. II, 38). »

Digitized by Google

ruptionem. « Pessulum ostii mei aperui dilecto meo. » Valde, inquit, cor meum induratum erat, multis obicibus, et retinaculis obseratum erat. Sed postea quam hujus vocem audivi, et veritatis sententias mente concepi, totam cordis intelligentiam aperui, omnia erroris obstacula dimovi, quibus quasi pessulo cor meum erat clausum (951). Aperui quidem, ut eum reciperem, et quis, et qualis, et quomodo sit verissime, perfecte et rationabiliter intelligerem. Sed frustra. Ut quid? Sequitur. « At ille declinaverat, « atque transierat. » Cum enim ea quæ Dei sunt, homines perscrutari præsumunt, ipse quidem ab eis declinat atque transit; quoniam qualiter sit, nullo modo comprehendi potest. Unde est illud : « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (*Psal.* LXIII, 7). » — « Anima mea liquefacta est, ut locutus est. » Anima, inquit, mea, quæ ferro et lapide durior erat, dulcissima voce sponsi audita, liquefacta est, et quasi cera emollita, evangelicam prædicationem in se scriptam recepit. Denique cum divina præcepta doctores nostros prædicantes audivimus, si forte timore et amore compuncti, oculos in lacrymas solvimus, animam liquefactam tunc habemus. Judæorum autem animæ liquefactæ non sunt; quoniam eorum corda nimium indurata stilo spiritus inscribi nequeunt. Quod quidem lex eorum significavit in lapidibus deformata. « Quæsivi, et non inveni illum. » Quærunt namque multi Dominum, quoniam et mundum relinquere, et de necessitatibus liberari, et cum eo esse desiderant. Unde quidam ait : « Utinam disrumperes cœlos, et descenderes! » (*Isa.* LXIV, 1.) Et Apostolus : « Cupio dissolvi et esse cum Christo (*Philip.* I, 23). » Quidam tamen quærunt, et non statim inveniunt. « Vocavi, et non respondit mihi. » Vocant enim et clamant, rogant ut de hac carne liberentur, et non exaudit eos Dominus. « Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem. » Civitas Ecclesia, custodes apostoli; custodes, inquam, apostoli et doctores, qui circum Ecclesiam vadunt, qui eam ab inimicis defendunt, « invenerunt me. Percusserunt me, » videlicet gladio spiritus. « Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti (*Hebr.* IV, 12). » — « Et vulneraverunt me, » timore videlicet compunctionis, et amoris, et sententiis Scripturarum, quæ quasi sagittæ acutissimæ inimicorum fugant exercitum. « Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. » Meum, inquit, pallium, pravam voluntatem et vitiorum multitudinem, qua involuta et cooperta eram, apostoli et doctores mihi tulerunt, et vestimento fidei, veste candida et nuptiali me induerunt. Apostrophe. « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. » Filiæ namque Jerusalem, apostolorum animæ intelliguntur. Hæ autem jam in Jerusalem ascenderunt, et cum Domino habitant, suum desiderium invenerunt. Ideoque Dei dilecta, scilicet Ecclesia, quæ adhuc in hoc mundo **622** conversatur, eos adjurat, ut suum amorem et desiderium Deo annuntient. Testes enim sunt in cœlo fideles.

Versus :

Quis est hic, qui pulsat ad ostium,
Noctis rumpens somnum?
Me vocat : O virginum pulcherrima,
Soror, conjux, gemma splendidissima,
Cito surgens aperi, dulcissima :
Ego sum summi Regis Filius,
Primus, et novissimus,
Qui de cœlo in has veni tenebras,
Passus mortem et multas injurias,
Liberare captivorum animas.
Mox ego dereliqui lectulum,
Cucurri ad pessulum,
Ut dilecto domus mea pateat,
Et mens mea plenissime videat
Quem videre maxime desiderat :
At ille jam inde transierat,
Ostium reliquerat.
Quid ergo, quid miserrima facerem
Lacrymando sum secuta juvenem,
Cujus manus plasmaverunt hominem.
Vigiles urbis invenerunt me,
Exspoliaverant me,
Abstulerunt et dederunt pallium,
Cantaverunt mihi novum canticum
Quo in regis inducar palatium.

Vox Synagogæ : « Qualis est dilectus tuus ex dilecto? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum (952)? » Nobilior nobilium, fortior fortium, sapientior sapientium. Qualis, inquam, est, dic qualis est, « quia sic adjurasti nos? » ut tuum ei amorem nuntiaremus. Vox Ecclesiæ : « Dilectus meus candidus et rubicundus. » Candidus quidem, quia nulla vitiorum macula eum decoloravit. Rubicundus autem, quia proprio sanguine cruentatus est. Juxta illud : « Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? » (*Isa.* LXIII, 1.) « Electus ex millibus, » id est ex omni multitudine angelorum et hominum. « Quis enim in nubibus æquabitur Domino? » (*Psal.* LXXXVIII, 7.) « Caput ejus aurum optimum. » Quid per caput, nisi divinitas? Unde Apostolus : « Hominis, inquit, caput, Christus : caput autem mulieris, vir : caput Christi, Deus (*I Cor.* XI, 3). » Hoc autem caput aurum optimum dicitur, quia divinitas rebus omnibus præfertur. Non enim factura factori, creatura Creatori æquiparari potest. Duæ namque naturæ sunt in Christo, quarum altera est aurum, altera vero terra; divinitas scilicet et humanitas. « Comæ ejus sunt elatæ palmarum. » Elatæ namque

(951) « Pessulum ostii aperiunt, cum Ecclesia, vel fidelis quæque anima cor advenienti conditori præparat. » Idem auctor, Cassiod. supp.

(952) « Dilectus ex dilecto, filius est ex Patre, sicut Deus de Deo, lumen de lumine. Vel etiam dilectus ex dilecto Christus est, ex ea parte, qua diligendus est, non ex ea qua timendus. » Idem auctor, Cassiod. supp.

Digitized by Google

palmarum rami sunt productiores, semper ad altiora tendentes, viriditatem non amittentes. Sunt igitur fidelium multitudines elatæ palmarum, quoniam semper ad altiora festinant, viriditatem non amittunt, siccari et mori non possunt, et de virtute in virtutem crescentes, cœlos ascendunt. De quibus dicitur : « Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur (*Psal.* XCI, 13). » Ili autem Christi comæ dicuntur, quoniam ejus fidei, quæ omnium virorum caput est, firmiter inhærent. « Nigræ quasi « corvus. » Quare nigræ ? Quia macerantur, tribulantur, æstum et multas adversitates patiuntur. Unde superius dixit : « Nigra sum, sed formosa. »

« Oculi ejus sicut columbæ, » id est casti et simplices, non elati, non ira confusi. Per oculos autem Spiritus sancti gratias intelligimus, quibus sancti illuminantur. Unde est illud : « Vidi agnum, tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram (*Apoc.* V, 6). » Possumus autem et per oculos patriarchas et prophetas intelligere, quibus ipse Dominus ait : « Vos estis lux mundi (*Matth.* V, 14). » — « Super rivos aquarum (953), » subauditur, existentes. Sunt namque apostoli et doctores super aquarum rivos, quando in Scripturarum voluminibus exercentur. « Quæ lacte sunt lotæ. » Aliter enim simplices et parvuli eas bibere non possunt. Ergo quia lacte sunt lotæ, et sapientes, et insipientes eis utuntur, quoniam omnis scientiæ in se continent principatum. « Genæ illius sunt areolæ aromatum consitæ a pigmentariis. » Genæ, inquit, illius odoriferæ sunt, et ad videndum suaves. Sed quid per genas, nisi eam, quam de Christo habemus, notitiam, intelligimus? Unde Apostolus ait : « Et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco (*II Cor.* II, 14). » Quis enim odor suavior, et delectatio major, quam Christi notitiam habere ? Sunt igitur genæ Christi cognitiones, eæ scilicet quæ de ipso apparent, et videri et intelligi possunt ; quasi aromatum collectiones, quæ a pigmentariis compositæ et ordinatæ sunt (954). « Labia illius, labia distillantia myrrham primam. » Labia quidem erant labia Christi, quando baptismum prædicando dicebat : « Oportet vos nasci denuo (*Joan.* III, 7). » Itemque : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei (*ibid.*, 5). » Hæc enim dum diceret, lilia odorem et pulchritudinem dabant. Myrrham autem, carnis mortificationem et totius hominis incorruptionem ejus labia distillabant (955) tunc, quando discipulos, ut fortes essent et nihil timerent, admonebat, dicens : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 8). » Et : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V, 10). » Et : « Si me persecuti sunt, et vos persequentur (*Joan.* XV, 20). » Itemque : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Matth.* XVI, 24). » — « Manus illius tornatiles, plenæ hyacinthis. » Cur tornatiles, nisi quia regulariter, facile, recto ordine cuncta disponit et operatur? Optimus est faber, doctæ sunt manus bene pingere, bene sculpere, optime vasa tornare novit. Cur autem aureæ, nisi quia ipsius opera omnibus præstantiora sunt? Sicut enim aurum cæteris metallis, ita Dei operatio omnibus præstat. Sed quare plenæ hyacinthis esse dicuntur? Hyacinthus namque lapis est aerei coloris, sive etiam flos purpuream speciem habens. Manus igitur Domini plenæ sunt hyacinthis ; sive quia ipsius operatio nos excitat ad regna cœlestia. « Invisibilia enim ipsius, ut ait Apostolus, a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20) ; » sive etiam propter clavorum sanguinem. Sanguis enim et purpura ejusdem coloris sunt. Sunt etiam manus Domini plenæ hyacinthis, quia omnia ejus opera admirabili distinctione fiunt. Unde ipse ait : Quoniam « nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis (*Matth.* VI, 29), » cum de liliis loqueretur. « Venter illius eburneus. » Venter, inquit, illius, humanitas et caro, homo Christus de Virgine eburneus natus est, candidus est, et fortis, castus, eburneus venter Mariæ; eburneus et Christi; uterque candidus, uterque fortis et castus.

« Distinctus sapphiris. » Sapphirus namque lapis est, sereni cœli habens colorem. Erat igitur Christi venter distinctus sapphiris; quoniam Verbum caro factum, modo cœlestia, ut Deus, modo humana, ut verus homo faciebat (956). Ergo quia venter dicitur, homo et terra intelligitur; quia vero sapphirus dicitur, quem cœlicum colorem habere diximus, ille nimirum, qui de cœlo descendit, denotatur.

« Crura illius columnæ marmoreæ. » Per crura namque vias et itinera intelligimus, et est causa pro effectu. Crura, inquit, viæ et itinera illius non debilia sunt. Non arundo vento agitata ; imo columnæ. Sed quæ columnæ ? Marmoreæ utique, quæ frangi

(953) « Bene columbis super rivos aquarum comparantur, quia Spiritus sanctus puris et sinceris mentibus delectatur. Non enim super stagna et paludes, sed super rivos aquarum columbæ residunt, quia Spiritus sanctus castas et mundas mentes sibi habitaculum facit. » Idem auctor

(954) « Hæ areolæ a pigmentariis conditæ su Pigmentarii sunt Prophetæ vel apostoli, quia alteri futura hæc omnia, alteri jam facta descripserunt. » Idem auctor.

(955) In hanc interpretationem conveniunt auctores supra relati.

(956) « Per sapphiros ergo opera divinæ majestatis intelliguntur, quæ in carne perficiebat. Venter vero sponsi distinctus erat sapphiris ; sed distinctus, ita videlicet, ut inter sapphiros eboris candor appareret; sic Dominus operabatur ea quæ divinitatis erant, ut nihilominus perficeret ea quæ erant humanitatis : sic et rursus operabatur ea quæ erant divinitatis, ut non relinqueret ea quæ erant humanitatis; distincta est enim in Christo operatio divinitatis et humanitatis. » Idem auctor, Cassiod. supp.

Digitized by Google

quidem, flecti autem non possunt. Christus namque occidi potuit, a proposita vero voluntate detorqueri non fuit facultas. « Quæ fundatæ sunt super bases « aureas: » fidem nempe de his quæ nos docuit Deus, et sapientiæ firmitatem. Christi namque divinitas humanitatem assumptam et regebat, et sustentabat. Possumus autem, et per itinera, incarnationem, passionem, resurrectionem et ascensionem denotare. Quæ ideo super aureas bases fundata dicuntur, quia in providentia et consilio Patris (quod nimirum aureum fundamentum est) ante mundi constitutionem inhæserant. Unde ipse ait: « Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset (*Joan.* XIX, 11). » Hoc autem tale est ac si diceret: Firmissimum mihi est fundamentum, quod nisi se volente me occidi non patietur. « Species ejus ut Libani, electus ut cedri. » Hic enim mons omnes illius terræ montes altitudine transcendit; Christi autem montis majestas omnia complet et continet. Denique Libanus candidatio dicitur, Christus autem præ filiis hominum forma est speciosior. Est igitur species ejus ut Libani, alta, et pulchra, et præ omnibus excellentior. « Electus ut cedri. » Cedrus namque arbor est quæ excelsa, odorifera, speciosa, imputribilis naturæ esse perhibetur. Hæc autem omnia Christo conveniunt. « Guttur illius suavis; » id est, verba quæ ab ejus ore prodeunt jucunda et suavia sunt, omnique melle dulciora. Sed quid in singulis moror? « Et totus desiderabilis. » Singularia relinquam: summatim, et breviter omnia dicam. Quid dicam? Totus amicus meus est desiderabilis, totus est amabilis. Diligamus igitur eum non verbis, sed opere, et veritate, toto corde, tota mente, tota cordis intentione. « Talis est dilectus meus, » cui fideli annulo desponsata sum, nimioque amore et dilectione conjuncta; « et ipse, » et non alius, non Judæus, non hæreticus, « est amicus meus, filiæ Jerusalem. » Vere utique amicus, quoniam propter eam sanguinem fudit, qua major dilectio esse non potest.

Versus:

Quis interrogare qualis
Attinet, cum non sit talis,
Cui Pater est æqualis
Et Spiritus principalis,
Deus et homo.
Cujus caput purum aurum,
Lux et splendor animarum;
Comæ palmæ sunt elatæ,
Mire floribus ornatæ,
Typice sancti.
Oculi non sunt elati,
Sed columbæ similati,
Qui super rivos aquarum
Et fluenta Scripturarum
Semper morantur.
Ejus genæ sunt suaves,
Nulli ad videndum graves;
Labia sunt pulchra nimis:
Mvrrha distillat ab illis.
Quid super addam?
Aureæ sunt manus ejus,
Eburneus venter ejus,
Hic distinctus est sapphiris,
Illæ plenæ sunt hyacinthis:
Omnia novit.
Marmoris sunt ejus crura
In stabilitate sua,
Solida nimis et dura,
Nullo modo ruptura:
Credite mihi.
Sicut cedrus exaltatus,
Ut Libanus candidatus,
Majestate cuncta replet,
Omnibus odorem præbet,
Deus deorum.
Dulcia sunt ejus verba,
Vera semper et aperta;
Igne sunt examinata
Et a Patribus probata,
Sicut argentum.
Talis est dilectus meus
Et hic est amicus meus,
Cujus explicare laudes
Quia non valemus omnes,
Hic finis erit.

CAPUT VI.

« Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum: quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum « tecum? » Imperfecti sunt enim qui hic loquuntur: idcirco ubi Deus sit, quo declinaverit, et quo in loco moreretur, quasi ignorantes inquirunt. « Dilectus « meus descendit in hortum suum. » Quid est, inquit, quod quæritis? Nonne vobis notum est quod in hortum suum dilectus meus descendit? Venit utique in hortum suum, visitavit me sponsam et amicam suam. Denique et dixit: non te deseram, neque derelinquam. Ex quo igitur in mundum venit, ex quo me dilectionis vinculo sibi conjunxit, mecum est et mecum habitat. Ad Patrem ivit, me non reliquit; cœlos ascendit, me non deseruit. Non ergo dicas, o homo, quo abiit? non dicas quo declinavit? Vis eum quærere mecum? Fac ut sentias mecum: operare quod ego, vigila ut ego. Duc oleum tecum, si vis ascendere mecum. Non habeo dicis; nec mecum longius ibis. Vigila igitur accensis lampadibus, quatenus ei venienti lætus occurras. Cur autem Ecclesia hortus vocetur jam superius dictum est: « Ad areolam aromatis. » Ad areolam, inquit, aromatis. Per areolam intelligitur quælibet anima fidelis, quæ disciplina cœlesti exculta, et diligenter composita, ac laterum parilitate, id est quatuor virtutibus præcipuis exornata, in sanctis operationibus, multa aromata Deo incendenda excolit.

« Ut pascatur in hortis. » Vis hortus fieri? dicis, Volo: munda igitur cor tuum, aufer spinas et tribulos; fac ut floreat anima tua; fac ut liliis et rosis, castitate et simplicitate, cæterisque virtutibus vire-

Digitized by Google

scat. Tunc pascetur in horto tuo, tunc veniet ille, qui dixit : « Si quis aperuerit, intrabo, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III, 20). » — « Et lilia « colligat (957). » Semper enim Deus lilia colligit, semper animas sibi conjungit. Scimus enim quia fenum est populus; fenum autem baptizatur, de quo Deus lilia colligit. Vovisti Deo servire, promisisti Deo servire in castitate et humilitate, patientia et sobrietate; hæc sunt lilia, quæ Deo præsentas; hæc sunt lilia, quæ Dominus colligit. « Ego dilecto meo, « et dilectus meus mihi. » Ego, inquit, dilecto meo servio, et per omnia obedio, suæque in me habitationis præparo locum. Et dilectus meus mihi auxiliatur, servitutis meritis tribuit, et seipsum in me hospitem infert. « Qui pascitur inter lilia, » id est in virtutum odore et animarum pulchritudine delectatur. Vox sponsi : « Pulchra es, amica mea, « suavis et decora sicut Jerusalem. » Pulchra quidem, quoniam baptizata es. « Suavis autem et decora sicut Jerusalem. » Jerusalem namque *visio pacis* interpretatur. Merito igitur sicut Jerusalem suavis Ecclesia dicitur, siquidem pacem cognoscit et videt, pacem sequitur, et in pacem credit (958). Unde scriptum est : « Et factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV, 3). » Quoniam autem superna Jerusalem filia est, idcirco ejus pulchritudinem et decorem habere perhibetur; de qua Apostolus : « Illa, inquit, quæ sursum est, Jerusalem libera est, quæ est mater nostra (*Galat.* IV, 26). » — « Terribilis ut castrorum acies ordinata. » Terribilis quidem, quia fide et spe, cæterisque virtutibus armata, malignorum spirituum fugat insidias. Terribilis namque erat Petrus, terribilis erat et Paulus. Petrus namque Ananiam cum uxore mori præcepit. Paulus autem adulterum Satanæ tradidit. Terribiles fuerunt et cæteri sancti, qui malignos spiritus ex obsessis corporibus exire cogebant. Sed quare ut castrorum acies ordinata esse dicitur? Castrorum namque acies ita ordinantur, ut unusquisque in suo loco positus, locum sibi creditum defendat. Sic autem et in Ecclesia. Stat episcopus ante portas, ne lupus subintret, ne rapiat oves. 625 Sed quid multa? Unusquisque in suo ordine pugnat. Pugnant doctores, pugnant continentes, pugnant et conjugati. Docti sunt in prælio, vitia destruunt, et malignos spiritus supplantant. « Averte oculos tuos a me, quia ipsi me a te avolare « fecerunt. » Nam quoniam superius sui ostii pessulum Ecclesia aperiens, et Christum in se recipere voluit, ejusque divinitatis secreta nimium rimari cœpit; idcirco hic dicitur : « Averte oculos tuos a me. » Unde et Apostolus « non plus sapere, quam oportet (*Rom.* XII, 3), » præcepit. Avertamus igitur oculos nostros; et qui de terra est, de terra loquatur : nemo quod incomprehensibile est, comprehendere conetur. « Quia ipsi me avolare fecerunt a te. » Quanto enim altius investigatur, tanto magis mentes hominum divina sapientia fugit. Fugit enim Deus Arium, fugit Sabellium, fugit et multos alios hæreticos, quoniam obliquis oculis eum inspiciebant, et carnali intuitu, humanaque ratione de his disputabant, quæ nisi divina inspiratione scire non possunt. « Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascendunt de monte Galaad. » Capilli, inquit, tui, sententiæ, et cogitationes, fidelium multitudines, sicut caprarum greges, semper altiora petunt, cœlesti cibo saturari cupiunt. Et « quoniam omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum (*Jac.* I, 17); » terrenum victum fastidientes, de cœlo sibi venientem cibum exspectant; denique et seipsos Domino sacrificant. « Quæ apparuerunt de monte « Galaad. » Galaad namque *acervus testimonii* interpretatur. Cur igitur hæc duo Testamenta Galaad dicantur, evidenter apparet. « Dentes tui sunt greges tonsarum ovium, quæ ascenderunt de lavacro. « Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis. « Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque « oculis tuis. » Laudat Dominus sponsam suam, et eisdem verbis laudat, quibus et superius; nihilque aliud in ea reprehendit, nisi quia eum intuetur, suisque oculis ea cernere persequitur, quæ humanus visus videre non potest. Ideoque reclamat.

« Averte oculos tuos a me. » Non me quasi localem, quasi mensuralem, quasi alicujus formæ staturam intuearis. Æternus sum, immensus, incomprehensibilis. « Non videbit me homo, et vivat (*Exod.* XXXIII, 20). » — « Sexaginta sunt reginæ. » Quid per reginas, nisi apostolos et doctores, qui alios regunt et docent (959)? Sed quare sexaginta? Sexagenarius enim numerus ex senario et denario conficitur. Sexies namque decem vel decies sex sexaginta faciunt. Et quoniam sex diebus opus suum peregit Deus, non immerito per sex, operum perfectionem intelligimus; per decem autem, legalia decem præcepta significamus. Sic igitur Christi reginæ sexaginta sunt; quoniam in Ecclesia rectores, et in operibus quidem perfecti, et in legis institutionibus sapientes inveniuntur. « Octoginta concubinæ. » Concubinæ autem illi intelliguntur, qui sub amicitiæ vultu amici domum dissipant, bona distrahunt, legitimæque uxoris thalamum dolose subintrant, et avidissime violant. Sed quare octoginta? Hic enim numerus ex octo fit, atque decem : octo, enim decem, vel decies octo, octoginta faciunt. Prædicant

(957) « Ipse enim bonis nostris pascitur, in tantum ut in paupere ipse reficiatur. *Et lilia colligat*, hoc est, ut sanctas animas virtutis maturitate ad perfectum candorem perducat, de hoc mundo ad se colligat, et secum in æterna beatitudine gaudere faciat. » Idem auctor, Cassiod. supp.

(958) « Ecclesia, quæ adhuc in terris est, vel anima quæque fidelis, ad similitudinem illius Jerusalem suavis est et decora, quia illam pacem, in quantum potest, imitatur. » Idem auctor.

(959) « Reginæ sunt doctores sanctæ Ecclesiæ, qui merito fidei et scientiæ thoro regis æterni propinquant, et spirituales filios Deo pariunt. » Pseudo Cassiod.

Digitized by Google

igitur et isti, legalia decem præcepta, sed non ex charitate, ut non ea quæ prædicant faciant. Hi enim sunt, de quibus dicitur : « Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere (*Matth.* XXIII, 4). » Hi sunt qui adulterant verbum Dei. Isti autem in sex diebus non inveniuntur, quoniam otio dediti in bonis operibus non exercentur. At vero nec sabbatismum, nec requiem habebunt, siquidem diem septimum transierunt. Venient autem ad octavum, in quo fiet resurrectio. « Omnes enim, sive boni sive mali, stabimus ante tribunal Christi (*Rom.* XIV, 10). » De hac autem octava dicitur : « Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circumdabit me (*Psal.* XLVIII, 6); » id est in die qua mali æterna ingredientur. Sunt igitur octoginta concubinæ, quoniam multi legem prædicant, qui octava die in judicio damnabuntur. Damnabuntur igitur multi monachi et episcopi, qui ex labiis oreque bona defluentes, interius vitia reservantes damnabuntur, in judicio ita audientes : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Hoc etiam monachis dicitur verbum, qui soli manentes, hoc quod habent, non recte impendentes, absque dubio in æternum peribunt. « Et adolescentularum « non est numerus. » Quid per adolescentulas, nisi quoscunque fideles baptismatis aqua regeneratos (960)? De quibus dicitur : « Renovabitur ut aquilæ juventus tua (*Psal.* CII, 6). » Horum autem numerum solus ille cognovit, qui numerat stellas (961). « Una est columba mea. » Multæ, inquit, sunt reginæ, multæ sunt et concubinæ. Una tamen est columba mea, id est sancta et universalis Ecclesia, cui unus Deus **626** est, una fides, unum baptisma, una voluntas, id est cor, eademque anima. Hæc autem vere columba dicitur, quia simplex est, spiritualis, humilis et mansueta. Perfecta mea, cui senarius numerus certissime convenit; siquidem a meis operibus non cessat. « Una est matris suæ, » id est unica et singularis filia supernæ Jerusalem. « Electa genitricis suæ. » Quoniam sicut illa cœlestem diligit patriam, ita et cœlestis patria eam diligit. Sumus igitur filii terræ secundum carnem; sumus autem et filii cœli secundum animam. Hæc enim terrena, illa vero cœlestis est (962). Serviamus igitur non terrenæ matri, imo cœlesti. « Viderunt eam filiæ. » id est prædictæ adolescentulæ, « et beatissimam prædicaverunt eam (*Prov.* XXXI, 28). » Quis enim prophetarum, vel apostolorum « doctorumve Ecclesiæ beatitudinem non prædicavit? Quis sanctorum felicitatem non narravit? Subauditur nullus. « Reginæ et concubinæ laudaverunt « eam. » Namque et apostoli, et doctores eam laudaverunt. Denique et hæretici, et pseudoapostoli eam laudibus extollebant. Multæ adhuc concubinæ, multi falsi prædicatores, multi numinum, et non Dei sacerdotes Ecclesiam laudant. Ipsa enim est, quæ ex multis constans fidelium personis catholicam, id est universalem efficit Ecclesiam.

Versus :

Pulchra es, mea dulcis amica,
Pulchris vestibus circumamicta.
Sunt tibi castra bene armata,
Bene ordinata, ut vinci nequeant.
Oculos tibi geminos dedi,
Quibus me poteris intueri.
Non oculis hæreticorum,
Et philosopherum videri potero.
Sexaginta sunt mihi reginæ,
Octoginta vero concubinæ;
Possunt amari, possunt laudari,
Non numerari adolescentulæ.
Una tamen est columba mea,
Unus est meus amor in ea,
Quam et viderunt, et cognoverunt
Et laudaverunt plurimæ filiæ.

« Quæ est ista, quæ progreditur tanquam aurora « consurgens? » Quæ, inquit, qualis, quam pulchra est ista quæ progreditur, non otio moratur, sed ad me de virtute in virtutem transeundo conscendit, suaque magnitudine mundum replet, et ubique terrarum diffunditur? « Quasi aurora consurgens, » virtutibus fulgens, serenitate nitens, verum et summum diem cunctis gentibus denuntians. « Pulchra ut luna, » quoniam solius fratris, et sponsi lumine illuminatur (963). « Electa ut sol. » Quod enim eligitur, aliis præfertur. Electa igitur Ecclesia est, quoniam solis fulgorem imitatur. Denique cum Christus sol, luna autem Ecclesia dicatur, non immerito dicitur electa ut sol. Sicut enim Ecclesia solem, ita et sol justitiæ Christus Dominus noster Ecclesiam elegit (964). Unde est illud : « Et cum electo electus eris (*Psal.* XVII, 27). »—« Terribilis. » Quare terribilis? Quia prudens, quia fortis, quia sapiens, quia « ut

(960) « Copulatas autem semel tantum Christo per baptismum divinum, merito adolescentulas præter numerum appellavit, ob illarum multitudinem; ac etiam quia replent omnes fines terræ. » Cantachuzenus.

(961) « Infinitus est numerus animarum in Christum credentium, nec ab ullo homine comprehendi potest. Cæterum Deo numerati sunt omnes electi. » Idem auctor, Cassiod. supp.

(962) « Hæc ergo Ecclesia una est matris suæ, quia, ad exemplum illius Ecclesiæ quæ jam in Christo fruitur, ipsa in hac peregrinatione instituitur et informatur, atque ad illam beatitudinem, in qua cum Christo conregnat, pervenire nititur. » Idem sub Cassiod. nom.

(963) « Lunam ferunt physici a sole illuminari; Ecclesia pulchra est ut luna, quia claritate sponsi sui Christi illuminatur ut eius gratia resplendeat. » Idem auctor.

(964) Ut vaticinium de B. V. exponit Cantachuzenus. « Stupore perculsus ab excellentia illibatæ Matris Verbi Dei. *Quænam ista est*, inquit, quæ se inflectit ut aurora? quemadmodum enim lumine solis accedente nocturnæ recedunt tenebræ : sic ad puræ Virginis splendorem, peccati recesserunt tenebræ. *Electa ut sol.* Non absurdum est, eamdem et lunam

Digitized by Google

« castrorum acies ordinata » est. Semper vigilans, semper armata, nunquam incauta est. Dicit ergo : « Et præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me (*Psal.* XVII, 40). » — « Descendi in hortum nucum. » Quid per hortum nucum, nisi Ecclesiam? Cur autem Ecclesia hortus vocetur jam superius dictum est : sed quare nucum? Nux enim suavem reddit odorem. Ejus autem fructus duplici tegmine induitur. Quod autem exterius est, amarum est; secundum autem tenax et durum. Quod vero intrinsecus latet, dulce est atque suave. Sic autem Ecclesia exteriorem vestem, carnem videlicet amaram, miseram, lacrymabilem, horridam et hispidam habet. Sub hac autem illa fortis, candida, et unica tegitur vestis quam ipsa suis manibus texuit : virtutes enim virtutibus conjungens, operibusque bonis bona opera connectens, admirabilem sibi composuit vestem; qua induta, inimicorum spernit sagittas. Sub hac autem tegitur anima, mira dulcedine et suavitate, fellis omnisque amaritudinis expers. « Ut viderem poma convallium. » In hunc hortum descendit Christus. Sed quare descendit? Ut convallium poma videret, id est humilitatem et patientiam fidelium. De hac autem valle dicitur : « Omnis vallis implebitur (*Luc.* III, 5). » Descendit in hortum, vidit vallem, cognovit et elegit humiles. « Et inspicerem, si floruisset vinea. » Floret enim vinea Dei, quando ad bonum opus se præparant sancti. « Et germinassent mala punica. » Mala punica sunt martyres, mala punica sunt virgines, mala punica sunt omnes, qui peccatis suis erubescunt. Hi **627** autem semper germinant, hi non spinas et tribulos, imo flores et virtutes generant et nutriunt. « Nescivi. » Vox Synagogæ : Tu, inquit, in hortum venisti. Ego autem nescivi, tuum adventum ignoravi. Quare hoc? Quoniam « anima mea conturbavit me; » hoc autem « propter quadrigas Aminadab. » Vidi, inquit, Aminadab, vidi et audivi Christum. Aminadab namque *spontaneus populi sui* interpretatur. Est igitur Christus Aminadab, siquidem pro nobis sanguinem proprium fundere non dubitavit (965). Hujus autem quadrigas vidit Synagoga. Vidit Mariam, quæ in utero et in manibus eum bajulavit. Vidit et carnem ipsam in qua Dominus latebat. Vidit et apostolos, quos Christus regebat, et ut bonus auriga dirigebat. Hinc est quod dicitur : « Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III, 8). » Hoc vidit Synagoga; ideoque conturbata est. Conturbata est propter Mariam, conturbata est et propter carnem, quoniam nec hominem esse, nec matrem habere posse Deum dicebat. Audivit et apostolos prædicare : conturbata est, quoniam contra legem loqui videbantur. Prædicabant enim « Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum; gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I, 23). » Vox consolatoria Ecclesiæ : « Revertere, revertere Sulamitis, « revertere, revertere, ut intueamur te (966). » Vox quadrigarum, id est apostolorum : Tu, inquit, o Synagoga, ut stulta et incauta eum, qui in hortum descendit, non cognovisti, nec propter ejus quadrigarum strepitum tuam duritiam amisisti. Tu vero Sulamitis, tu populus gentium, tu Ecclesia, revertere. Ubi? Ad Dominum, in patriam, in promissam hæreditatem. Sulamitis autem *captiva* vel *despecta* interpretatur. Ecclesia vero prius despecta, nunc a viro electa est. Quod quidem Rachel significavit. Est autem captiva, quoniam in prælio capta, malignis spiritibus ablata est. Quater autem « revertere » dicitur, quoniam quatuor sunt Evangelia, quæ « revertere, revertere » dicere non cessant. Semper enim ut revertamur, pœnitentiam agamus, ad Dominum revertamur, nos admonent. « Ut intueamur te, » id est, ut in tenebras non submergaris; sed in cœlesti Jerusalem te nobiscum tuamque pulchritudinem in æternum videamus.

CAPUT VII.

« Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? » Chori namque castrorum, sicut mos est, et lætantur, et cantant, eosque exornant, arma dilucidant, propugnacula muniunt, seipsos ad virtutem et audaciam exornant. In Ecclesia vero laus exsultationis et confessionis resonat; caroque equus animæ intelligitur, virtutibus ornatur, arma et Scripturarum sententiæ declarantur, alterque alterum ad Dei servitium excitat. Vox Christi ad Ecclesiam : « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia « principis (967)! » Pulchri sunt gressus, pulcher est incessus, pulchra est et operatio. Unde Apostolus ait : « Sicut in die honeste ambulemus (*Rom.* XIII, 13). » — « In calceamentis. » Calceata, inquit, es, ad iter agendum parata es. Dixisti superius, « lavi pedes, » nunc autem calceata es, ne inquinentur. Patientia namque pedes nostros calceat, quoniam sanguinem innocentum fundere non dubitavit, et non modo patitur. Possumus, et per calceamenta, prophetarum qui mortui sunt exempla intelligere. Sic autem regis filia, hæc filia æterni principis calceata est. « Juncturæ femorum tuorum sicut monilia, quæ fabri-

dici, et solem. Solem quidem, eo quod Dei et Patris susceperit Verbum : luna perfecta, et quæ præter modum exulcerat, sicut est in suo corpore sol. »

(965) « Aminadab abnepos fuit Judæ, per quem generatio Christi contexitur. Interpretatur autem Aminadab *populi mei spontaneus* : ideoque significat Christum, qui populi sui spontaneus fuit; quia cum sit Deus, sponte factus est homo, cum esset conditor et Creator, sola benignitate factus est portio populi sui. Idem auctor, Cassiod. supp.

(966) « Vox est Ecclesiæ Synagogam ad fidem invitantis : Revertere, o Synagoga, ab infidelitate ad fidem, revertere ab odio ad dilectionem. Sulamitis interpretatur *captiva*, vel *despecta*. Talis erat Synagoga ante adventum Christi, captiva videlicet vinculo diaboli, et a Deo despecta, quia Christum ad salutem suam missum non cognovit. » Idem auctor.

(967) « Ab hoc loco incipit sponsus exponere laudes sponsæ suæ. Et notandum quod a gressibus incipit ejus pulchritudinem texere, et in laudes ejus finit, sicut superius ab oculis cœperat. » Idem auctor.

Digitized by Google

« cata sunt manu artificis. » Quid per femora, nisi filiorum generationem? In femoribus namque fit generatio. Unde super femur servum suum Abraham jurare fecit, quoniam inde Christum exiturum esse sciebat, cujus nomen, qui Deum timent, in vanum jurare non audent. Dicatur ergo : Junctura femorum tuorum sunt tibi, sicut monilia, id est conjunctio, dilectio, et concordia filiorum. Gloria namque matris filii sunt, nullisque monilibus plus decoratur, quam filiis, si eos bene morigeratos habuerit. Tantoque in his major gloria habenda est, quanto superioris artificis manu dignior et pulchrior operatio instituitur. « Umbilicus tuus crater tornatilis (968). » Quid per umbilicum nisi apostolos? Sed **628** quare umbilicus? Sicut enim umbilicus in medio ventris, ita et apostoli in medio Ecclesiæ continent locum. Juxta illud : « In medio Ecclesiæ aperiet os suum (*Eccli.* xv, 5). » Sunt igitur apostoli umbilicus. Sed quare crater? Quoniam viva aqua, cœlesti nectare, et omnium Scripturarum inundatione replentur. Cur autem tornatilis? Quod enim in torno fit, regulam et ordinem non omittit. Sunt igitur apostoli tornatiles; quoniam veritatis regulam semper observant, rotundi sunt, solidi sunt, non scrupulum, non dignæ offensionis obstaculum in eis est reperire. « Nunquam indigens poculis, » quoniam semper plenus est, semper inundat, semperque salutis poculum sitientibus propinat. « Venter tuus sicut « acervus tritici. » Per ventrem namque subditorum, imperfectorumque multitudinem intelligimus. Ventri quidem omnia corporis membra serviunt; cum pedes portant, dentes nutriunt, oculi ducunt. Sic autem et sunt prædicatores, Ecclesiam sustentant, nutriunt, et illuminant. Venter igitur imperfecti dicuntur, quoniam molliores, et imperfectiores sunt. Illi autem acervo tritici comparantur; quia et multi sunt, et ab uno processerunt. Unde ipse Dominus ait : « Nisi grânum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* xii, 24). » Cecidit igitur in terram, venit in Mariam hoc frumenti granum, ex quo illa fidelium exorta est multitudo, quæ acervus tritici hoc in loco vocatur. « Vallatus liliis; » circumdatus virtutibus et doctorum orationibus. « Duo ubera sunt duo hinnuli gemelli capreæ. » Duo namque ubera duo sunt Testamenta. Una vero capra, una est Ecclesia, quæ semper altiora petit, et supernum de cœlestibus cibum exspectat. Duo autem hinnuli duo sunt populi, Judaicus videlicet et Gentilis. Quot igitur ubera, tot et filii. Vox Christi : « Collum tuum sicut turris eburnea. » Collum namque, oculi, et nasus dicuntur apostoli. Collum quidem, quoniam scutum portant; et Ecclesiam nutriunt, et doctrinæ verba depromunt. Oculi autem, quoniam cæcos illuminant. Nasus vero, quoniam et sacræ legis virtutumque odorem, et pravæ doctrinæ hæreticorum, vitiorumque fetorem cognoscunt. Collum igitur Ecclesiæ, id est quilibet prædicator, turris esse debet, refugium cæterorum, et alta defensio. Unde est illud : « Turris fortitudinis a facie inimici (*Psal.* lx, 4). » Sit autem et eburnea, id est casta, candida et fortis. « Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon. » Hesebon quidem *cingulum mœroris*, vel *civitas multitudinis* interpretatur. Ecclesia vero multos in se continet, multosque cingit et ligat; multos effeminatos succinctis vestibus ad virilia præparat, multos effrenatos et dissolutos, ne per inania vagentur, in camo et freno constringit (969). Piscinas autem, quæ in Ecclesia sunt, fontem baptismatis intelligimus. In his autem piscatores multos pisces et levant et capiunt. Sunt igitur oculi Ecclesiæ, id est sancti prædicatores, et clari, et lucidi sicut piscinæ in Hesebon; præsertim cum eorum prædicationes animarum purgatio sint. Quæ enim semel in baptismate purgantur, multoties a doctoribus purgari oportet. « Quæ sunt in portis filiæ multitudinis. » Filia namque multitudinis Ecclesia dicitur, quoniam filiorum multitudinem quotidie parere non cessat. In hujus autem portis sunt istæ piscinæ; quoniam in ea nemo ingreditur, nisi prius baptizetur. Vis ingredi civitatem? descende in piscinam. Vis jungi Ecclesiæ? baptizare, et crede.

« Nasus tuus sicut turris Libani. » Libanus enim, qui *candidatio* interpretatur, qui omnibus illius provinciæ montibus præeminet, Christum significat. In hoc autem monte, in hujus lapidis firmitate turris illa sita est, illa apostolorum congregatio fundata est, quæ totam Ecclesiam desuper intuetur, et protegit. Unde et episcopi vocantur, quasi supra videntes. Alta est ergo turris, altum est et fundamentum. Non fetorem timet, non aeris perturbationem pertimescit. Cœlestia petit, non in vitiorum volutabris jacet. « Quæ respicit contra Damascum, » id est contra diabolum et angelos ejus. Damascus enim *sanguinis potus* interpretatur. Turris igitur Dei respiciat contra Damascum, id est contra eos, qui sanctorum sanguinem sitiunt. Ea enim ex parte, qua magis timetur, plures ponendi sunt speculatores. « Caput tuum sicut Carmelus (970). Quid per caput, nisi cor et intellectus? Ut enim caput in

(968) Aliter et eximie hunc locum illustrat Cantacluzenus. « Ex quo, inquit Salvator noster, Verbum caro factum est, et suum sanguinem in potum fidelibus dedit : ex eo, inquam, tempore crater non defuit in Ecclesiis, quæ sunt ubique terrarum; quin imo impletur quotidie sacris incruentis sacrificiis, vitali, et divino sanguine. »

(969) « Filia autem multitudinis vocatur Hesebon, juxta litteram, ob multitudinem ibi confluentium populorum. Sic et sancta Ecclesia recte filia dicitur multitudinis, qui numerositatem quotidie colligit gentium. Hesebon autem interpretatur *cingulum mœroris*, » etc. Cassiod. supp.

(970) « Caput Ecclesiæ principalitas mentis fidelium intelligitur. Nam sicut capite membra reguntur, ita mente cogitationes disponuntur. Bene autem caput Ecclesiæ Carmelo assimilatur, quia novit circumcisionem aliquando corporaliter celebratam, nunc se spiritualiter debere observare, etc. » Idem auctor.

Digitized by Google

corpore, sic et intellectus in anima principatum tenet. Carmelus autem *cogitatio circumcisionis* interpretatur. Est igitur Ecclesiæ caput sicut Carmelus; magnus est, altus est, non humilia, non carnalia, imo cœlestia et spiritualia novit. Non litteram quæ occidit, sed spiritum qui vivificat, sequitur; non carnis, sed cordis circumcisionem didicit. « Et comæ « capitis tui, sicut purpura regis juncta canalibus. » Si enim caput intellectus est, quid (629) erunt comæ capitis, nisi cogitationes intellectui adhærentes. Hæ autem purpuræ assimilantur, quoniam et de peccatis semper erubescunt, et sanguinis pro Christo diligunt effusionem. Non reges magis in purpura gloriantur, quam sancti in indumento talium cogitationum. Hæc est vestis et purpura sanctorum; his teguntur, his ornantur; hæ sunt junctæ canalibus, hæ semper lavacrum et purgationem exspectant. Sit igitur sanctis altus intellectus, induantur et ornentur bonis cogitationibus; semper animarum desiderent purgationem.

«Quam pulchra es, et quam decora, charissima, in « deliciis! » Quibus deliciis? Spiritualis gratiæ, id est divinæ sapientiæ cœlestium gaudiorum. « Statura tua, » id est perfecta et alta stabilitas, « assimilata est palmæ, » quia firma et recta stat, et nunquam a ventis deterquetur, ejus rami proceri, hujus fructus suavis, hujus viriditas æterna. Palma victoribus convenit, victoria ab Ecclesia non recedit. « Et « ubera tua botri, » id est doctores vel gemina Testamenta, quæ aliquando lac, aliquando merum vinum nobis propinant. Hoc autem vino qui inebriantur, terrenorum obliviscuntur.

Versus :

Ad Deum tuum revertere, Sulamitis,
Apostolorum fidelibus crede dictis :
Eia revertere.
Sunt pedes tui pulchri in calceamentis
Et verba tua prophetarum in exemplis,
Filia principis.
Quid de junctura dicam femorum tuorum?
Qua decoraris ob merita filiorum,
Sicut monilibus.
Per umbilicum omnes illi describuntur,
Ecclesiarum qui in medio loquuntur
Spiritualia.
Tritici acervus tuus dicitur venter,
Ab uno grano, quod multiplicatur semper,
Vallatus liliis.
Collum, et nasus, et oculi sunt doctores
Qui ventrem pascunt, pellunt noctem et fetores,
Gravis scientiæ.

Christus vel Ecclesia : « Dixi : Ascendam in pal« mam. » Hoc enim dixit Christus; hoc ante præscivit, quod in palmam et virginem, in crucem ascensurus erat. Palma est Maria, quia semper viridis et virgo. Palma est crux, quia victoriæ instrumentum. Semper crescit, semper viret, hujus laus æterna, hujus virtus nunquam senescit. « Et apprehendam fructus ejus (971). » Fructus dedit venter Mariæ, mundi scilicet instaurationem. Fructus dedit, et Christi crux, quoniam ejus sanguine purpurata, mortuos vivere fecit. Vos hujus fructus estis, apostoli, martyres et confessores. O palma! O victrix et admirabilis arbor, quæ tantis fructibus decorariis! Ascendit Christus in palmam, apprehendit fructus, quoniam omnia ad se traxit. « Et erunt ubera tua sicut botri vineæ. » Ubera namque Ecclesiæ et vinum continent, et lac : lacte nutriunt simplices, vino inebriant sapientes. Hoc lacte suos filios Ecclesia nutrit, hoc vino et mentes et corda lætificat. Hoc vinum dat sapientiam, hi fecundi calices infantium linguas fecere disertas. « Et odores tui sicut malorum, » id est grati et suaves. Gratus est odor, jucunda sunt poma. Dulces et graves sunt sententiæ. Vox Ecclesiæ : « Guttur tuum « sicut vinum optimum, verba tua dulcia sunt et suavia. » Vinum sunt, sed optimum, quoniam et si profunda sint, dulcedinem tamen et lætitiam denuntiant, non mortem, sed vitam prædicant. Tu enim non vis mortem peccatoris, sed vitam. Vinum namque Moyses dabat, cum, « oculum pro oculo, dentem pro dente (*Deut.* XIX, 21), » dicebat. Hoc autem vinum grave videtur, et ad bibendum asperum. « Digna dilecto meo ad potandum. » Dignum, inquit, est, vitale vinum, tam dulce, tam suave; dilectus meus bibat; dignum est ut tam melliflua verba ab ipsius ore distillent. De hoc enim guttare, de hoc vase pretioso vinum illud exivit, quo Ecclesia inebriatur. Gustavit vinum, laudat et pincernam et vinum. Et quasi interrogata an bonum esset vinum, regis esse dignum respondit. « Labiisque et dentibus « ejus ad ruminandum. » Quid per labia et dentes, nisi apostolos et doctores? Hi sunt qui prædictum vinum et bibunt, et ruminant. Hi sunt qui divina secreta subtiliter perquirunt. Vinum namque ruminare est Dei testimonia semper et in labiis et in corde volvere (972). Unde Apostolus ait : « Sine intermissione orate (*I Thess.* V, 17). » Sponsa de sponso : « Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. » Ego, inquit, dilecto meo loquor, measque ei voluntates confiteor; ipse autem ad me convertitur, mihi respondet, et me exaudit. « Veni, dilecte mi. » (630) Hæc autem vox prophetarum est, omniumque illorum qui Christi adventum exspectabant (973). « Veni, dilecte mi, » inspice terras, sume carnem. « Egrediamur in agrum, » ut inde spinas et tribulos eradicemus. Colamus agrum, prædicemus gentes, exeant runt, et crebra investigant meditatione, atque invicem conferunt. » Idem auctor.

(971) « Id est, fructu bonorum operum et laborum, quibus Ecclesia desudat, remunerabo. Vel etiam secundum eum sensum, quo per palmam crux intelligitur; id est impleto passionis triumpho, veniam ad gloriam resurrectionis. » Idem auctor.

(972) « Sancti doctores vinum spirituale ruminant, quando præcepta evangelica diligenter exquirunt, et crebra investigant meditatione, atque invicem conferunt. » Idem auctor.

(973) « Potest etiam hæc vox esse Synagogæ ex persona sanctorum Patrum adventum Christi desiderantium, juxta illud Psalmistæ LXXIX, 3 : *Excita potentiam tuam, et veni :* et Isaias VI, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes.* » Idem auctor.

Digitized by Google

jam qui seminat seminare semen suum. « Commorentur in villis (974); » id est habitemus in gentibus. Rustici enim eramus et indocti. Non legem, non judices, non de judiciis noveramus. Veniens autem Dei Filius in mundum reliquit civitates, reliquit Jerusalem. Unde ipse ait : « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV, 8). » Jam legem habemus, jam urbane loquimur, quoniam rex universalis cum lege et judicibus in villis moratur. » « Mane surgamus ad vineas. » — « Nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII, 12). » Surgant doctores, quia dies est, ne dormiant, quia nox præcessit. Surge tu, Paule, qui cæteros vigilare admones, amputa Dei vineam, præpara, et munda tuam plantationem. Tu enim plantasti, Apollo rigavit. « Videamus si floruit vinea, » id est si jam fidem et doctorum suscepit documenta. Hoc enim ille videbat, hos flores ille desiderabat, cui erat sollicitudo omnium Ecclesiarum. « Si flores fructus « parturiunt. » Flores namque fructus parturiunt, cum bona perveniunt ad effectum. Sive cum ea bona, quæ incœpimus, ad finem usque perducimus. « Si « floruerunt mala punica, » id est si adhuc martyres pro Christo mori non dubitant. Florent denique mala punica, quando humiles et pauperes virtutibus et sanctitate refulgent. Est enim arbor mali punici brevis atque deformis. « Ibique dabo tibi ubera mea. » Ubi? In vineis, tibi mea ubera dabo, tibi meam castitatem servabo, ad tuam laudem et honorem filios lactabo. Fugiant Judæi, fugiant et hæretici, quibus nec tangere hæc ubera licet. « Mandragoræ « dederunt odorem in portis nostris (975); » id est apostoli et doctores, quia aliis quidem erant odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam (*II Cor.* II, 16). Ibi autem in portis nostris, id est in auditu fidelium sui odorem et notitiam dederunt. Sed quare mandragoræ isti dicuntur? Mandragora namque sterilitati repugnat. De apostolis autem, et doctoribus superius dictum est, quoniam sterilis non est inter eos. Præterea his, qui dormire non possunt, mandragora somnum præstat. Hi autem et æternæ vitæ quietem cunctis præstant, et eos, qui sæculi sollicitudine vexabantur, omnium terrenorum sæpissime oblivisci faciunt. Dant somnum et quietem, dant pristinæ vitæ oblivionem. « Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi. » Vetera quidem, quia patriarchas et prophetas; nova vero, quia apostolos et confessores. Hoc autem et de novis veteribusque sententiis intelligitur. Custodit utique Ecclesia poma, suoque dilecto reddit, quæ maligni spiritus furari concupiscunt.

A

B

C

D

CAPUT VIII

« Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera « matris meæ. » Quis, inquit, hoc mihi det, quis hunc honorem, hanc dignitatem, hanc beatitudinem mihi tribuat, ut tu summi regis Filius carnem sumens homo fias, et meus frater appelleris, ipseque proprio ore dicas : « Narrabo nomen tuum fratribus meis (*Psal.* XXI, 23). » Matris autem Synagogæ ubera elicuit Christus, quoniam legis et prophetarum mandata ipse adimplevit; sive etiam quia secundum carnem, sicut scriptum est, et « ætate et sapientia proficiebat coram Deo, et hominibus (*Luc.* II, 52) (976). » —« Et inveniam te foris : » inquit, ideo dixit, te foris inveniam, te in homine videam, a Patre procedas, in mundum venias, et gentibus manifesteris. « Et « deosculer te. » Hoc autem est quod in capite hujus libri scriptum est. « Osculetur me osculo oris sui. » —« Nemo me despiciat. » Tu me, inquit, dilexisti, pro me carnem assumpsisti, nemo me despiciat; quandoquidem tanto viro sum desponsata (977). « Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ. » Confirmatio. « Et in cubiculum genitricis meæ. » Apprehendit enim, quoniam pio amore ei inhæret. Duxit autem in domum matris suæ, in carnem videlicet, quæ de terra universali matre facta est. Pro Ecclesiæ namque dilectione 631 Christus Dominus noster homo fieri voluit. « Ibi me docebis. » In hac, inquit, domo, in hoc tabernaculo, in hoc loco dormitionis et mortis, me docebis, per quam viam et doctrinam ad te venire valeam. Merito autem Christi humanitas cubiculum dicitur; siquidem ibi dormire visus est, quod secundum divinitatem nec dormire, nec mori potest. « Et dabo tibi poculum ex « vino condito. » Primitiva namque vinea in amaritudinem conversa, cum uvas dare desisset, labruscas fecit. Ecclesia vero vinum dat bene conditum, Deo delectabile, et ad bibendum suave. Sed quare conditum nisi quia litteræ spiritualis intelligentia admiscetur. Vinum namque conditum dabat Paulus; quoniam sicut in vino pigmentato quis delectatur, ita in ipsius sana doctrina suavique prædicatione delectabatur Christus. Vinum namque conditum dabat, quando ad Dei laudem et honorem inter perfectos sapientiam prædicabat. « Et mustum malorum gra- « natorum meorum. » Mustum enim novum esse vinum

(974) « Id est etiam ignorantibus te paganis tuam fidem annuntiemus, nec in transitu; sed commoremur ibi, donec illos ex paganis catholicos, ex alienis tibi proprios faciamus. » Idem auctor.

(975) « Mandragora herba est aromatica, cujus radix similitudinem habet humani corporis; poma ejus optimi odoris, in similitudinem pomi marciani, quod nostri malum terræ vocant. Hæc herba rebus medicinalibus aptissima est. Nam fertur eos, qui incommodo vigiliarum laborant haustu pomi hujus relevari, et posse dormire. » Idem auctor.

(976) « Id est, ut hominem factum in aperto videam. Quasi enim intus erat jam Deus, cum in sinu paternæ majestatis lateret; sed foris inventus est, cum homo factus visibilem se hominibus præbuit, incomprehensibilis voluit comprehendi. » Idem auctor.

(977) « Quasi enim despecta erat Synagoga, antequam Christus veniret; quia legalibus observationibus dedita, sub typo, et figura, et non in veritate adventum Christi prænuntiabat. At postquam Christus apparuit, et adventus sui gratia mundum illustravit, jam nemo despexit Ecclesiam; quin imo ut castrorum acies fuit hostibus suis, quia per universum mundum Christum prædicavit, et mundanum imperium sibi subiecit. » Idem auctor.

Digitized by Google

nemo dubitat; quod quidem ebullire non cessat, donec totum purgatum fuerit. Mala vero granata apostoli, cæterique martyres sunt. Horum autem mustum, horum novum canticum fervere distulit, donec et hæreticorum error, et paganorum infidelitas cessavit. Dabat igitur Ecclesia malorum granatorum mustum, quando Christi martyres et Novum Testamentum prædicabant, et proprio sanguine infundebant.

Versus :

In palmam Christus ascendit
Ejus fructus apprehendit
Quia cruci est affixus,
Ut periret inimicus.
Gloria magna Deo!
Mustum enim, quasi vinum
Melle plurimo conditum,
Hoc Apostolus potavit,
Et gentibus propinavit.
Gloria magna Deo!
Sponsa sua dixit sibi :
Loquor tibi, et tu mihi,
Veni, veni, mi dilecte,
Cum villanis velis esse.
Gloria magna Deo!
In vineas exeamus ;
Si jam florent videamus,
Si flores mala dederunt
Et in fructus proruperunt.
Gloria magna Deo!
Tuæ Christo mandragoræ
Magno redolent odore.
Poma vetera et nova
Levat tibi tua sponsa.
Gloria magna Deo!
Utinam sis mihi frater,
Una nobis fiat mater !
Tibi est immensus Pater
Ut non æquatur alter.
Gloria magna Deo!

« Læva ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me. » Vox Christi : « Adjuro vos, filiæ « Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis « dilectam, quoadusque ipsa velit. » Per capreas, inquit, et cervos, per apostolos et doctores, per virtutes, et fidem, et bonam operationem, quibus ad promissum bravium curritis, et serpentum venena superatis. Hæc autem, quia superius exposita sunt, ulterius expositione non indigent. Synagoga de Ecclesia : « Quæ est ista, quæ ascendit de de- A « serto, deliciis affluens, et innixa super dilectum « suum (978) ? » Quæ, inquit, qualis, quam pulchra, quam fortis est ista, quæ semper ascendit, semper ad altiora festinat, nunquam descendit, sed virtutum gradibus cœlestia petit? Sed unde venit? « De deserto, » de terra invia et inaquosa, et quondam a Deo derelicta. Sed quomodo venit? « Affluens deliciis, » copiosa virtutibus, cum plenis lampadibus. Quis eam portat? Sequitur : « Innixa super dilectum suum, » ei conjuncta, ei adhærens, quem tota mente, cunctisque viribus dilexit, quique post se eam trahere promisit. Vox sponsi ad sponsam : « Sub arbore malo suscitavi te (979). » Mortua, inquit, eras, in peccatis jacebas; sed ego carnem sumens sub arbore mali resuscitavi. De hoc autem B malo superius dicitur : « Sicut malum inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. » Hæc autem arbor, hæc caro nostri Salvatoris eos obumbrat, quos suscitavit. Potest autem et de cruce hoc intelligi, quæ ob Christi sanguinem hujus pomi colorem et speciem habuit. « Ibi corrupta est mater « tua, » Synagoga videlicet, quæ Christum Dominum crucifixit : secundum illud : « Corrupti et abominabiles facti sunt (*Psal.* XIII, 1). » — « Ibi violata « est genitrix tua, » quia legitimum sponsum dereliquit. Ecclesia ad Christum dicit : « Pone me ut « signaculum super cor tuum, ut signaculum super « brachium tuum. » Christus enim et signaculum, et clavis, firmumque sigillum est cordis sanctorum. Non possunt sanctorum corpora frangi, **632** non C possunt eorum secreta violari, tanto et tam munita sigillo. Signum fecimus, amici recordemur. Nobis Christus fidem dedit, signum et pignus amoris. Super brachium hoc signum portant, qui omnia quæ faciunt, in nomine Domini faciunt. Signaculum est in corde, signaculum est in manu, quoniam et in cogitationibus, et in operibus semper Christi memores sunt sancti. Sit igitur Christus nostri cordis signum et doctor, ut ejus signo, et admonitioni facile credamus. « Quia fortis est ut mors dilectio (980). » — « Perfecta namque charitas foras mittit timorem (*Joan.* IV, 17). » Non timet dilectio mortem, non superatur amore. Fortis est mors, fortis est dilectio. Non timent Christi discipuli mortem, quoniam eorum dilectio fortis est ut mors. D Cum morte pugnant, morti occurrunt. Recordantur enim, et signaculum habent, quoniam Domini dilectio super eos firmissima fuit. Pater enim « proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus illum morti tradidit (*Rom.* VIII, 32). » Filius autem per Prophetam dicit : « Zelus domus tuæ comedit me

(978) « Vox Synagogæ admirantis Ecclesiam de gentibus congregatam. *Quæ est*, inquit, *ista?* Id est qualis, et quanti meriti, *quæ ascendit de deserto?* Derelicta enim fuerat a Deo propter idololatriam et veritatis ignorantiam. Ascendebat ergo virtutum gradibus de deserto, hoc est de infidelitatis errore, in quo ad tempus derelicta fuerat. » Idem auctor.

(979) « Arborem malum, crucem Dominicam debemus accipere, sub qua arbore suscitata est Synagoga, quia ipsa a prævaricatione originalis peccati, et a potestate diaboli per crucem redempta est. Ibi suscitata est, quæ peccatis erat mortua. » Idem auctor.

(980) « Dilectio Christi fortis est, ut mors. Sicut enim mors animam a corpore separat, et jam nihil concupiscere, nihil in præsenti vita licet ambire, ita Christi dilectio quem vere pervaserit, totum sæculo huic mortificat, et quasi insensibilem reddit, solumque Christo vivens, mundo mortuus. » Idem auctor.

Digitized by Google

(*Psal.* LXVI, 10). » Confirmatio : « Dura sicut infer- A « nus æmulatio. » De hac æmulatione Apostolus ait : « Æmulor enim vos Dei æmulatione (*II Cor.* XI, 2). » Infernus omnia domat, charitas omnia superat. Non timet charitas infernum, non timet ejus principes et habitatores. Metonymia est. « Lampades ejus lampa- « des ignis, atque flammarum. » Semper enim infernus igne ardet inexstinguibili. Semper charitas igne accenditur insuperabili. De hoc autem igne Dominus ait : « Ignem veni mittere in terram (*Luc.* XII, 49). » Hic autem ignis vitia exurit, et corda illuminat. « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charita- « tem. » Merito igitur inferno charitas assimilatur; siquidem ejus ignis, sicut illius inexstinguibilis est. « Nec flumina obruent illam. » Nam sicut Apostolus ait (*Rom.* VIII, 35), nec tribulatio, nec angustia, nec B mors, nec vita, neque ulla persecutio a charitate, quæ est in Christo Jesu, sanctos separare poterit. « Si dederit homo omnem substantiam domus suæ « pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. » Quid, inquit, de charitate dicam? Quibus eam laudibus exaltabo? Major est quam cogitari, major est quam dici possit. Quod pretium charitati, quæ divinæ comparatur dilectioni? Non despicias charitatem, non eam divitiis comparari posse dicas. Nam si omnia quæ habes, dederis, si omnem substantiam domus tuæ pro dilectione distribueris, et his te charitatem emisse putaveris, despicis charitatem, quæ vendi non potest. In pretium ponis, cui pretium non est. Omne namque pretium supercellit. Fugient divitiæ, C remanent amici, fortuna te fallit, amici pro te moriuntur. Quæramus igitur illum amicum qui nunquam moritur, nunquam amicos deserit, nunquam mentitur, omnibus abundat; qui amicitiam laudans, inquit: « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV, 13). » Moriens igitur pro nobis hanc complevit dilectionem.

Versus :

Quæ est ista veniens,
Deliciis affluens?
Non suis pedibus graditur
Sed viro suo trahitur.
In cruce fui tecum.
Ibi suscitavi te;
Mater vero tua cecidit
Et sicut violata ruit;
Quoniam firmamentum fugit
Pone super signaculum
Super cor et brachium.
Omnia vincit dilectio.
Nihil timet æmulatio
Cui non est operatio.
Quis non exstinguitur,
Charitas non moritur.
Hæc virtus est ineffabilis,
Sublimis, inenarrabilis,
Fortis et insuperabilis.
Homo si tradiderit
Cuncta quæ habuerit
Pro hac virtute, despicitur
Charitas; quia perpenditur,
Non enim pretio venditur.

Christus ad Synagogam de Ecclesia : « Soror nostra parva, et ubera non habet. » Soror ista Ecclesia gentium intelligitur (981). Dicunt ergo apostoli, dicunt Domini nuntii, legati sumus; Domino nostro uxorem quærimus. Quam igitur ei dabimus? Soror nostra parva est, nuper genita, insipiens et indocta. Ubera non habet : Testamenta non videt, nondum parere, nondum filios enutrire B potest, virum nescit. Alloquenda est igitur, et de nuptiis admonenda. Sed « quid faciemus sorori « nostræ in die, quando alloquenda est? » Quibus verbis, quibusve promissis ejus animum temperabimus. Sequitur : « Si murus est, ædificemus super « eum propugnacula argentea. » Si, inquit, murum, constantiam, fidem et fortitudinem in ea reperiemus, super eum propugnacula argentea et divina eloquia ædificemus. Prophetarum namque sententiæ, doctorumque sermones muro et fidei nostræ propugnacula sunt; quoniam his defendimur, his vitia superamus, his hæreticis resistimus. Hæc **633** autem argentea dicuntur, quoniam nihil plumbi, vel æris, nihilque falsitatis in eis reperitur, « Si ostium est, compingamus illud tabulis cedri- C « nis, » etc. Ostium, inquit, pingamus, portas signemus, et variemus, ut Dei exercitus, virtutumque multitudo introitum inveniant; signum recognoscant, et in decoris ornatibus delectentur. Sive etiam compingamus et claudamus, ut undique portæ compactæ nulla ex parte vitia ingredi possint. Hæc autem cedrinis tabulis, exemplis propheticis, immarcessibilibus, aliisque sententiis muniantur. Vox Ecclesiæ : « Et ubera mea sicut turris. » Ego, inquit, murus sum, fortis sum, constans sum, vitiis resisto, inimicos expugno. « Et ubera mea sicut turris. » Ubera, inquit, mea, doctrina et sapientia mea turris sunt. Alta est doctrina, grandis est sapientia, bene munita, bene armata, non hæreticorum, non philosophorum sophismata timens. Hæc D enim ubera filios nutriunt et defendunt. Unde et turris et ubera vocantur. Sed ex quo tempore talis est fortitudo? Sequitur : « Ex quo facta est coram eo « quasi pacem reperiens; » id est ex quo Christus me dilexit, Patrique reconciliavit; ex quo angelica tuba cecinit : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Synagoga Ecclesiæ dicit : « Vinea fuit pacifico, quæ « habet populos. » Per vineam Ecclesiam; pro pacifico vero Christum intelligas. « Vinea enim Domini exercituum, domus Israel est (*Isa.* V, 7). » — « Ipse

(981) « Parva erat Ecclesia de gentibus congregata sub ipsis Domini et apostolorum temporibus, quia et parvitate credentium parva existebat, et ubera necdum habebat; id est nequaquam prædicando spirituales Deo filios generare volebat. » Idem auctor.

Digitized by Google

autem est pax nostra, quæ fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » Hæc autem vinea populos habet, quia Judæos et gentiles, Græcos et barbaros omnesque nationes in unum colligit. « Tradidit eam custodibus, » id est apostolis et doctoribus, qui eam colerent, et amputarent, et a furibus custodirent (982). « Vir affert pro fructu ejus mille argenteos. » Millenarius namque numerus pro summa perfectione et plenitudine ponitur. Et tale est ac si diceret : Vir sanctus et catholicus ut hujus vineæ fruatur merito et beatitudine, omnia tribuit quæcunque possidet. Christus dicit : « Vinea mea coram me est. » Vinea, inquit, mea, hæreditas, vel Ecclesia mea coram me est, mihique servit, et quamvis custodibus eam tradidissem, semper tamen præsens adsum, qui eam munio, præparo, et custodio. « Mille tui pacifici, » subauditur, tibi servantur. Quos autem superius argenteos dixit, pacifices hic appellat. Sed quare pacifices? Quoniam Deo nos conciliant, ejus inimicitiam, iram et indignationem mitigant, nobisque pacem præparant, et in pacem nos inducunt. Illi autem Ecclesiæ reservantur, eique multiplicati reddentur. « Et ducenti his qui custodiunt fructus ejus. » Ducenti, inquit, millium pacificorum servantur apostolis et doctoribus. Illis enim sicuti regibus et magistris duplex honor est habendus; siquidem cæteros custodiunt, et pro cæteris vigilant et moriuntur. Christus Ecclesiæ dicit : « Quæ habitas in hortis, amici auscultant. » Tu, inquit, Ecclesia in hortis habitas, in liliis delectaris, inter rosas et violas jaces, undique flores, undique virtutes, undique doctorum sententiæ sunt. « Fulcite me floribus, » dixisti; completa est petitio tua. Te mei amici, videlicet angeli et apostoli, auscultant, quid credas, quam spem habeas, ad quem finem tendas audire desiderant. « Fac me audire vocem « tuam; » laudem scilicet, jubilationem, canticum laudis et confessionis. Vox Ecclesiæ ad Christum : « Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque « cervorum super montes aromatum. » Fuge, inquit, relinque terras, advola ad Patrem, ut qui te hominem tantum putant, verum Deum esse credant (983). Propter me venisti, domum meam intrasti; jam me osculatus es; tibi sum conjuncta, tibi desponsata. Revertere igitur, trahe me post te, redde vicem, in domum tuam me introducas. « Assimilare capreæ, » pete montes, pete cœlos, pete superiora; « hinnuloque cervorum, » ut in umbra, in Selmon, et in refrigerio habites; super montes aromatum in æternum maneas, ubi odor est suavissimus, locus delectabilis, splendor ineffabilis, copia inenarrabilis; ibi sancti exsultant, ibi angeli lætantur; ibi cum Patre et Spiritu sancto laus, honor et gloria in æternum tibi cantatur. Amen.

(982) « Custodes hujus vineæ, id est Ecclesiæ, sunt prophetæ, apostoli, apostolorumque successores. Sive etiam custodes sunt angelicæ virtutes, quæ ab incursibus tentationum et draconum Ecclesiam defendunt. » Idem auctor.

(983) « *Fuge, dilecte mi*; id est impleto incarnationis et passionis tuæ mysterio, revertere ad cœlum, ut non jam te sicut hominem, sed sicut Deum super omnia cogitare incipiam. Tunc audies vocem meam, quia tunc liberius prædicabo omni mundo. Et hoc est quod Dominus in Evangelio dicit : *Ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam* (*Joan.* XVI, 7). » Idem auctor.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. BRUNO ASTENSIS SIGNIENSIS EPISCOPUS.

PROLEGOMENA. 9
Epistola dedicatoria. 89
Vita S. Brunonis. 97
De Vita S. Brunonis commentarius. 137
Testimonia de S. Brunone. 147
EXPOSITIO IN GENESIN. 233
— IN LEVITICUM 377
— IN NUMEROS. 463
— IN DEUTERONOMIUM. 505
— IN JOB. 551
— IN PSALMOS. 695
— IN PROVERB. CAP. XXXI, 10. 1230
— IN CANTICA. 1251

FINIS TOMI CENTESIMI SEXAGESIMI QUARTI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google